
UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE
3 1761 01904313 2

ELENCHUS
AUCTORUM ET OPERUM
QUI IN HOCCE VOLUMINE CONTINENTUR.

Excudebat Migne,
in viâ dictâ D'AMBOISE, hors la barrière d'Enfer.

THEOLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

EX TRACTATIBUS OMNIUM PERFECTISSIMIS UBIQUE HABITIS, ET A MAGNA PARTE EPISCOPORUM NECNON THEOLOGORUM EUROPÆ CATHOLICÆ, UNIVERSIM AD HOC INTERROGATORUM, DESIGNATIS, UNICÈ CONFLATUS,

Plurimis annotantibus presbyteris ad docendos levitas pascendosve populos altè positis,

ANNOTARUNT VERO SIMUL ET EDIDERUNT

FR. J. P. ET V. S. M***.

TOMUS PRIMUS.

Praeloquia in Theologiam. — De Locis theologicis. — Commonitorium. De Praescriptionibus adversùs Haereticos. — De Controversiis. Professio Fidei. — De Notis theologicis.

PARISIIS

EXCUDEBAT MIGNE,

IN VIA DICTA : RUE D'AMBOISE, HORS LA BARRIÈRE D'ENFER, AU PETIT-MONTROUGE.

—

1839.

IN CURSUM
THEOLOGIÆ COMPLETUM
Prolegomena (1).

Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. *Malach.* 2, 7.

1. *Inter omnes hominum curas studium divinæ sapientiæ est perfectius, jucundius et utilius.* D. Thom. lib. 2 contrà Gent. c. 2. Tantâ laude theologiæ disciplinam extollere angelico doctori, theologorum principi ac patrono, maximè congruebat; nec immeritò eâ triplici dote studium divinæ sapientiæ seu theologiæ commendavit. Quippè studium illud perfectius cæteris dicendum, « quia, ut ait Contensonius in suo Prælo« quio, per divinorum contemplationem homo magis « ad Dei similitudinem accedit; utilius, quia per verita« tis notitiam ad veram beatitudinem pervenitur; ju« cundius, quia nihil suavius veritate, quam omnis « homo naturaliter concupiscit, et quâ adeptâ felicitas « invenitur, dicente Augustino lib. 10 Confess. c. 23 : « *Beata vita est gaudium de veritate.* » Neque quidquam mirum in his tàm magnificis dotibus theologiæ attributis, quæ scilicet, ex græco sui nominis fonte, *de Deo sermonem* exprimens, *divinum* aliquid spirat, atque ad sui amorem allicit. Porrò antequàm ipsum Divinitatis pelagus immensum ingrediamur, sistendum est parumper in littore, ut ipsius, quam tradimus, scientiæ eas colligamus notiones præambulas, quasi stellas duces ac regulas in itinere velut pixidem nauticam servandas, quas *Prolegomena* vocant.

2. Prolegomena igitur (πρό, antè, λέγω, dico), latinè *Præfationes*, has complectuntur notiones in antecessum præmitti solitas, quibus tractaturi de aliquâ disciplinâ, ad illam ritè ac feliciter perscrutandam ingenia præparent. Itaque Prolegomenorum in theologiâ istud erit objectum : varias de scientiæ hujus naturâ, divisione, certitudine, præstantiâ, necessitate notiones, deindè locorum theologicorum explanationes, ac demùm quascumque prælusorias disquisitiones tradere, quibus ad theologiæ studium mens efficiatur idonea. Quem ut scopum assequamur, in duplici parte hæc absolvemus Prolegomena : prima quæstiones præambulas, altera locos theologicos complectetur; utraque quàm sit magni momenti ex dicendis patebit.

Pars prima.

QUÆSTIONES PRÆAMBULÆ DE THEOLOGIA.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, naturâ, objecto, fine ac divisione theologiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine et naturâ theologiæ, ubi jam aliqua de methodo.

3. Theologia (Θεός, Deus, λόγος, sermo), latinè *de Deo sermo, ratio*, aliquam in genere de Deo *sermocinationem* significat, sub quolibet intellectuali moralive attingatur respectu. Cùm autem multiplex ille sit respectus sub quo Deus considerari queat, sive in se, suisque attributis, sive in ejus operibus necnon et in relationibus, quibus ei uniuntur entia rationabilia; hinc ab antiquis jam Patribus, nempè græcis, usurpatum vidimus *theologiæ* nomen, in sensu modò latiori, modò strictiori, ut legere est apud Petavium, in suis Prolegom. c. 1.

4. Definitione verò genuinâ theologiæ naturam conantes explicare, alii alias excogitârunt theologi. Eam dixêre antiqui *rerum divinarum scientiam*, ex Melchiore Cano, infrà, de Loc. Theolog. lib. 9, c. 14. Recentiorum autem definitiones ad sequentem ferè omnes revocari possunt, videlicet *Theologiam esse disciplinam seu scientiam de Deo ac de rebus ad Deum pertinentibus ex principiis revelatis discursivam.* Excipe tamen duos auctores quibus Gallia nostra nunc gloriatur, DD. Bouvier, Episcopum Cenomanensem, et Liebermann,

(1) Ea prolegomena quasi per partes, annotationum instar, dividere potuissemus, atque ad varios Melchioris Cani libros, præsertim ad duodecimum, qui est de locorum usu, revocare. Sed convenientius esse ac utilius duximus eadem in unum colligere unâ rerum contexturâ, ad formam tractatûs, quod etiam gratius lectori esse ex animo cupimus.

vicarium generalem diœcesis Argentoracensis. Prior definit theologiam *Scientiam de Deo et de rebus ad Deum pertinentibus;* alter dicit *eam in genere* (seu *objectivè*) *esse complexum veritatum Religionis ex certis principiis deductum; subjectivè* autem sumptam *Cognitionem Religionis eruditam.*

5. Nos itaquè meritum utriusque ultimò laudatæ definitionis duobus vocabulis valdè notis atque usitatis nitentes complecti, theologiam simpliciter definiemus *Scientiam Religionis.*

1° *Scientia* dicitur, quòd est *genus proximum* cæteris disciplinis theologiam assimilans. Eâ voce declaratur theologiam tùm principiis constare, seu primariis veritatibus certis et inconcussis, tùm consectariis ex principiis ratiocinio deductis.

2° *Religionis* vocabulum *differentiam primariam* exprimens, speciale ac proprium theologiæ attribuit objectum; Deum scilicet, resque ad Deum spectantes, et insuper legis notionem atque moralis obligationis. Id enim importat idea *Religionis,* eo quasi charactere proprio theologicum insigniens documentum.

6. Scientia igitur theologica, haud aliter ac cæteræ scientiæ, duabus constat partibus, principiis nimirùm et consectariis; proindè hæc duo in suo habet conceptu : nempè principia seu veritates primarias, generales, certas, clarè expositas; easdemque evolutas, rationali demonstratione manifestas, atque sua consectaria veluti fœcundâ deductione edentes. Hinc duplex in theologiâ mentis operatio, nempè principiorum *expositio* et eorumdem *demonstratio;* duplex proindè methodus, *expositionis* et *demonstrationis,* quâ mens in utrâque operatione dirigatur.

7. Eò tendit *methodus expositionis*, ut ex suis fontibus primariæ sedulò producantur veritates, seu dogmata, ut nitidè ac fideliter exponantur, atque ità nullâ debilitentur hæsitatione, nullâ, quantùm fieri potest, obscuritate velentur. *Methodus* autem *demonstrationis* in his variis operationibus mentem dirigit, quibus, ope ratiocinii et dialectices regulis, principiorum fiunt evolutiones deductionesque consectariorum.

Notandum principiorum expositionem non pertinere ad scientiam ut scientiam, nisi quatenus ea præparat, methodo idoneâ, deductioni, seu demonstrationi. Prout verò ad eorum præcisè cognitionem inducit et contemplationem, illa expositio spectat ad sapientiam de quâ infrà dicemus. Igitur scientia propriè dicta formaliter in deductione conclusionum ex principiis consistit, hoc est, in demonstratione.

ART. II.

De objecto et fine theologiæ.

8. *Objectum* theologiæ in genere, seu adæquatum, est *Scientia Religionis.*

Duplex distinguitur: alterum *materiale*, res ipsas quas Religio complectitur, Deum primariò, cætera secundariò includens; alterum *formale,* quo theologi vulgò intelligunt rationem sub quâ theologia suum materiale attingit objectum, modum etiam de eodem tractandi; quod quidem reponunt alii in Divinitate, ut Billuart, Jueninus, alii in ipsâ rerum ex principiis fidei *deducibilitate,* ut Theologus Lugdunensis : cui postremæ opinioni assentiendo, eorum ipsorum addimus *exponibilitatem* principiorum, ut completum sit objectum formale theologiæ prout eam definivimus, atque ità duplici methodo, expositionis et demonstrationis, correspondeat.

9. *Finis* theologiæ scopus est ad quem tendit. Porrò alius est *immediatus,* nempè notitiâ Religionis homines imbuere prout indigent, vel hujus capaces existunt; alius *mediatus,* seu *medius,* quo theologus eâ Religionis notitiâ illuminatos homines, eosdem in viâ salutis æternæ stabilire intendit atque dirigere : alius tandem *ultimus,* ad quem etiam cætera contendere debent, in gloriâ Dei reponitur promovendâ.

ART. III.

De divisione theologiæ.

10. Multifariàm, pro suo diverso respectu, theologia dividitur. Præcipuas tantùm et momentosas hìc sufficiat exponere divisiones.

Theologia ratione objecti *materialis*, dividitur in *dogmaticam,* prout veritates credendas velut in quietâ intellectûs speculatione amplectitur, et in *moralem,* quatenùs præcepta regulasque morum proponit. Hinc etiam dicitur theologia : Alia *speculativa,* alia *practica.*

11. Ratione objecti *formalis,* seu potiùs methodi, ut suprà (8) exposuimus, dividitur theologia in *positivam* et *discursivam :* prior versatur specialiter circà veritates primarias, ac, ut ità dicam, *doctrinales,* quas ope methodi expositionis ritè ex Scripturis sacris, simulque ex sanctis Patribus, conciliorum decretis, et pontificum, aliis deniquè traditionis catholicæ fontibus eruit, potiorique disponit ordine; quod quidem stylo ornato ac fusiori quisque pro suo ingenio theologus valet prosequi; ex quo ipsa methodus expositionis dicitur etiam *oratoria.* Altera verò, seu *discursiva* in evolvendâ doctrinâ consectariisque deducendis argumentationis ope, et quidem accuratiori ac severiori rerum tractatione, dialectices regulas et artes adhibet. Id verò discursivum genus eò usquè deveniens ut Aristotelicis, more Peripateticorum, principiis inhærens, definitiones, divisiones, argumenta, ad suas demonstrationes proferat subtiliùs, fit quod vocant *scholasticum.* Hinc theologia *scholastica* (σχολὴ, otium) ea nuncupatur quæ usurpata apud theologos Medii Ævi, nihil aliud intendere videbatur, quàm strictis definitionibus, divisionibus methodicis, et syllogisticâ argumentatione, omnes illustrare quæstiones, propositiones quaslibet probare atque controversias dirimere.

12. Ex quibus compertum est theologiam *positivam* sibi propriam efficere methodum *expositionis,* atque idcircò ipsam meritò dici posse theologiam *expositivam;* eodem jure theologiam *discursivam* sibi vindicare methodum demonstrationis, ipsamque appellandam *demonstrativam.* Rursùs priorem, quæ scilicet, auctoritate insistens, doctrinam variis testimoniis traditionis, juxtà regulam fidei, colligit, ideò dicendam theologiam *dogmaticam, doctrinalem;* alteram verò ratione inni-

xam, suaque ex ratiocinio argumenta construentem, rectè nuncupari theologiam *rationalem* et *philosophicam* : quæ ex utriusque methodi naturâ effluere videntur.

13. Ratione objecti *adæquati*, theologia alia est *naturalis*, alia *supernaturalis;* prout ejus objectum lumine naturali aut supernaturali innotescit.

Theologia *naturalis* ex objecto materiali eam sibi attribuit partem quæ lumine naturali constat, videlicet præambulas fidei supernaturali veritates, religionem primitivam potissimùm constituentes, principia etiam ad admittendam revelationem divinam Ecclesiamve prærogativâ supernaturali docentem, prærequisita. Ex objecto verò formali, methodum adhibet potissimùm *demonstrationis*, tùm ut evidentiâ intrinsecâ primitiva illustret dogmata, quæ ad rationis philosophiæque forum pertinent, licèt primitùs et ipso auctoritatis fundamento, ut infrà mox dicemus, stare necesse sit; tùm etiam in theologiâ supernaturali, ut veritates fidei supernaturalis ratione confirmet evolvatque, prout eas capere valebit.

14. Theologia *supernaturalis* ex objecto materiali sibi vindicat dogmata fidei, seu veritates supernaturali fultas auctoritate, quibus ex documento Ecclesiæ doctrina catholica informatur. Ex formali autem objecto, methodo *expositionis*, seu doctrinali, potissimùm utitur, nimirùm ad proponendas dogmaticas veritates, disponendasque ordine meliori; quod etiam idem præstat ea methodus in theologiâ naturali, pro stabiliendis principiis veritatibusque primitivis, præsertìm ad tractatum de *Religione* pertinentibus. Indè videre est methodum *expositionis* pro objecto habere doctrinam ex auctoritate, etiam in theologiâ naturali stabiliendam, methodum *demonstrationis* eamdem doctrinam, etiam in supernaturali theologiâ, ratione evolvendam ac probandam : deniquè tamen priorem methodum suâ naturâ theologiæ supernaturali aptari, alteram verò naturali.

Sub aliis respectibus theologiæ divisiones propè in infinitum multiplicari possent, quarum natura vel ipso singularum nomine satis innotescit, ut theologia *polemica*, *irenica* et *ascetica*, *liturgica*, etc., quas quisque in Prolegomenis Institut. theologicarum D. Liebermann reperiet.

CAPUT II.

De certitudine theologiæ, atque de conclusionibus theologicis.

ARTICULUS PRIMUS.

De certitudine theologiæ.

15. *Certitudo* vulgò definitur *firma mentis adhæsio veritati cognitæ sine periculo errandi.* Cùm certitudo sit necessarium cujuslibet disciplinæ fundamentum, eâ de re tanti momenti disserere incipientes, sedulò in antecessum præmittendus est status quæstionis, tùm ut otiosæ quæstiones removeantur, tùm ut clariùs enucleentur utiles.

Certitudo, prout consideratur in ipsis rebus seu ejus objecto, vel in homine, seu ejus subjecto, vel deniquè in rationibus ad assensum moventibus, dicitur *objectiva*, *subjectiva* et *motivi*. Certitudo *objectiva*, cùm nihil aliud sit quàm ipsius objecti immutabilitas, vel etiam realitas quæ in rerum essentiis subsistit independenter à nostrâ cognitione, nullam disserendi materiam nobis subministrabit. Certitudo *subjectiva*, cui specialiter competit definitio certitudinis modò exposita, ipsa pendet à certitudine *motivi*, ad quam proindè tota de certitudine quæstio est reducenda.

16. Porrò triplex distinguitur certitudo motivi : *metaphysica*, in ipsis rerum essentiis fundata, earum maximè claritate, seu evidentiâ manifesta; *physica*, ex consuetis naturæ physicæ legibus repetenda; *moralis* tandem, in constitutione morali hominum suum habens fundamentum.

Sed animadvertendum est certitudinem tùm physicam, tùm moralem, ubi conditiones adsunt requisitæ, æquè immutabilem et absolutam esse ac metaphysicam, proindèque ultimò, sicut ipsam, rerum essentiis innixam, ad eam revocari.

17. Certitudinis existentia est factum generale, rationi humanæ essentiale, seu ejus constitutivum, societatisque connexio et fundamentum; quod proindè ut factum ignotum detegere, ut incertum probare nemo attentare debet; benè verò idem apud omnes receptum, ubique diffusum observare, recognoscere, atque systemate probabili explicare licebit (1). Hæc autem quæ ad philosophiæ forum specialiùs pertinent, nos diutiùs non morabuntur. Solummodò sequentes addemus, veluti ad nostrum intentum aliquid claritatis conferentes, animadversiones.

18. 1° Singuli homines privatis ac individuis suis facultatibus, tùm corporeis, tùm intellectualibus, certitudinem, sive ex sensu intimo, sive ex evidentiâ aut testimonio sensuum hominumve immediatè habent : ac proindè improbandi sunt philosophi qui nullam propriè dictam existere certitudinem in individuo, sed tantùm in societate contenderunt. Cujus assertionis rationes tradit episcopus Cenomanensis, deindè ità pergit : « Non tamen dicimus individuum privilegio in« fallibilitatis gaudere eo sensu quòd nunquàm erret, « sed eo sensu quòd veritati cognitæ infallibiliter ad« hæreat, quemadmodùm fidelis catholicus definitioni « Ecclesiæ semel datæ infallibiliter adhæret, quamvis « de controversiis fidei infallibiliter ipse judicare non « possit. » Inst. philos. edit. 1835, t. 1, p. 174.

(1) D. D. Bouvier, confutatis quantùm fieri potest scepticorum difficultatibus, sic concludit : « Ergò datur « principium certitudinis per se notum, omnibus com« mune et cum veritate essentialiter connexum... Prin« cipium istud non fuit excogitatum, sed in primâ ori« gine à Deo dari debuit, et perpetuò intellectum est « ut naturâ fundatum : sine illo quippè ratio humana « subsistere non potest, nec quidquam operari. Undè « plurimæ veritates ab omnibus semper et ubique in« vincibiliter admissæ sunt, ita ut qui eas in dubium « revocare vellet, statim ut dementiâ correptus habe« retur. Etenim quod ab omnibus invincibiliter admit« titur falsum esse non potest, quin omnis tollatur « certitudo et ratio humana destruatur, quia nullum « subesset medium erroris detegendi.... » Vid. Institut. philosophicas, edit. 1835, T. 1, pag. 172.

19. 2° Objecta corporea, sensibilia, et veritates intellectuales non eodem gradu nostris sensibus physicis, sive nostræ rationi ac intellectui nostro accommodantur, ac proindè, cæteris paribus, ratione objecti non æquè percipiuntur, id est, non æquè sensibilia sunt ea corporea objecta, non æquè evidentes illæ veritates relatè ad nos. Præterea evidentia illa, ut objectiva jam inæqualis, etiam ratione subjecti seu nostri, in suis modificatur gradibus, cùm sit modò evidentior, modò minùs evidens pro ingenii subtilitate, vel attentione præstitâ, vel etiam pro variis ex dialecticâ adhibitis artificiis. Hæc facilè *de sensibilitate physicâ* intelligi queunt, sicut et sequentia; idcircò, brevitatis causâ, de illâ nihil ampliùs dicemus. Igitur evidentia tùm objectiva, tùm subjectiva est relativè diversa.

20. 3° Homines ad assentiendum cuilibet veritati moventur vel ex evidentiâ rei intrinsecâ, vel ex testimonio externo seu auctoritate, vel ex utroque medio, pro naturâ veritatis cognoscendæ. Etenim aliæ veritates, captui humano adæquatæ, ut intellectuales, naturales, suâ clarescunt evidentiâ; aliæ vero rationis nostræ fugientes aciem, qualia facta historica, qualesve plerumque supernaturales veritates, ex testimonio accipiuntur; aliæ deniquè, sive naturales, sive supernaturales, de utrâque participantes indole, tùm evidentiâ, tùm auctoritate, his quasi duobus luminaribus innotescunt; cùm, v. g., veritas naturalis jam propriâ evidentiâ homini alicui manifesta, insuper et aliarum rationum eam æquè percipientium habet testimonium; aut veritas supernaturalis revelatione attestata, præterea rationi sese præbet obviam. Verùm geminam ob affinitatem rationis humanæ cum evidentiâ et auctoritate, id animadvertendum eam nostram rationem valdè confirmari, atque, ut ità dicam, lætari, auctoritate in rebus naturaliter evidentibus, et evidentiâ in veritatibus jam ex testimonio habitis; ac proindè majori alacritate ac firmitate innixas utroque cognitionis et certitudinis medio accipere veritates. Id etiam indè confirmatur, quòd in his veritatibus, evidentia et testimonium sibi mutuo præstant auxilium: quippè veritas semel aliquâ viâ nota rationem suis irradiare videtur argumentis. Undè ait Bergier: « Autre chose est de « découvrir une vérité par la réflexion, autre est de la « démontrer lorsqu'elle est connue. » Traité de la vér. Religion, t. 4, pag. 78, edit. Bisunt. 1820 (1). Jam præiverat Lud. Vives, his egregiis verbis: *Parit rationem cognita veritas, et veritatem confirmat adhibita ratio*, lib. 1 de Veritate fidei. Ipse Melch. Canus sic ait: « Si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, « argumentari non soleo: *perspicuitas enim*, ut ait « Cicero, *argumentatione elevatur.* » De Locis theol. infrà, lib. 8, c. 4.

21. 4° Evidentia igitur et auctoritas ad rationis scientiæque humanæ informationem essentialiter, utraque suo modo, concurrunt. At verò auctoritas, pueritiæ veluti ac imbecillitati rationis accommodata, ei subditionem imponit generatque fidem. Hinc ad eam auctoritatis viam, haud quidem placentem rationi, nativo tamen necessarioque instinctu invincibiliter propendemus: quod præclarè ostendit Melchior Canus, infrà, de Loc. theolog., lib. 11, cap. 4, ubi velut *principium* in antecessum mittit: *Necessarium esse homines hominibus credere, nisi vita pecudum more gerenda sit;* deindè ex Theodoreto ponit *fidem esse ceu primariam artium basim, disciplinarumque omnium crepidinem.* Atque in hunc sensum hæc Isaiæ verba vertit: *Nisi credideritis, non intelligetis*, cap. 7, juxtà 70 Interp. Vide Theod. *De curâ græcor. affect.* lib. 1; D. Aug. *De utilitate credendi ad Honor.*, c. 12, et de fid. rer. invisib., c. 1 et 2. Evidentia autem genus cognoscendi perfectius ac penè divinum, cùm ad visionem quasi intuitivam et beatificam veritatis tendat, multùm arridet rationi, cujus tamen debilitas splendorem veri nonnisi temperatum ferre valet, aliundè vitiis nostris sæpiùs obnubilatum (1).

22. 5° Eccè illud factum generale certitudinis duobus elementis de quibus suprà, nempè auctoritate et ratione, seu potiùs testimonio et evidentiâ constans, modò inter se et in praxi ritè componantur. Porrò hæc eorum compositio legitima fiet, si neutrum alterius adhibeatur loco, neque plus alterutri quàm par est tribuatur; quod quidem potiùs more hominum sanorum communi, quàm regulis philosophorum systematicis dijudicandum. Nos verò quæ ad praxim magis pertinent ex factis seu ex generali agendi ratione elicere pergamus.

23. 6° Singuli homines, cùm se de aliquâ veritate certos esse affirmant, auctoritatem, si res sit de facto historico, vel rationis superet captum, in suæ certitudinis gratiam invocant, etiam inviti; evidentiam autem suam appellare solent, gratiorem quidem rationi, quotiès de veritatibus agitur quæ aliquo ejus fulgore nitescunt, etiamsi aliundè auctoritate innitantur.

24. 7° Homo privatus mente sanus et corpore, id est, consuetis humanis vivens relationibus (nec aliter supponi potest, scilicet *intelligens actu* et socialis, ubi quæstio de certitudine agitatur) (2), homo, inquam,

(1) « Aliud est meditatione cognoscere veritatem, « aliud cognitam demonstrare. » (Translat. ab Edit.)

(1) « Quamobrem, inquit D. Augustinus, ipsa quo« que animæ medicina, quæ divinâ et ineffabili benefi« centiâ geritur, gradatìm distinctèque pulcherrima « est. Distribuitur enim in auctoritatem et rationem. « Auctoritas fidem flagitat et rationi præparat homi« nem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. » Lib. de verâ Relig. c. 24.

Allatis veterum testimoniis pluribus, sic concludit Petavius: « Quamobrem præcedere omninò fides de« bet; sequi deindè ratio et disputatio. Quod ex Cle« mentis Alex. locis efficitur, quæ paulò antè descri« psimus: in quibus asserit fidem instar esse funda« menti super quod scientia et cognitio, id est, « theologia struitur. Itaque *janua nostra fides est*, in« quit Ambrosius. » Dogm. Petav. in Proleg. c. 4, § 13.

D. Chrysostomus dicit eam esse sapientiam quam Christus stultitiam appellat, « quandò intelligentiam « nostram vacuam ac desertam ab externâ omni doctri« nâ facimus. » Hom. 2. — Apud Petav. Ibid.

(2) « L'homme, à parler exactement, dit Bergier, n'a « que des lumières d'emprunt; Dieu l'a créé pour être « façonné par l'éducation et la société; abandonné à

privatus, ratione utens, dùm solitarias suas habet ideas, propriæ evidentiæ meritò rationabiliter confidit, et quidem pro idearum claritate, atque pro mediis quæ ex regulis communibus ad eam producendam adhibuerit.

25. 8° Homo præfatus, si illam quam habet evidentiam plurium aliarum rationum evidentiæ conformem senserit, fidem ei adhibebit vel majorem, nedùm insulsâ diffidentiâ turbatus, novam evidentiæ vim quærat aliquamve testimonii auctoritatem.

26. 9° Contradictionem verò si fuerit expertus idem homo, jam de illâ suâ evidentiâ incipiet dubitare, vel penitùs illusoriam abjiciet, prout eum rationum oppositarum movebit auctoritas. Quòd si nulla sit ista, vel appareat, tunc adversarium in errore versari creditum urgebit, iterùm atque iterùm rem elucidans, variisque illius evidentiam augens demonstrationibus. Quibus frustrà tentatis, contrà adversarium qui suæ propriæ vim evidentiæ forsan objicit, ad auctoritatem certè seu ad rationum consensionem appellabit (1).

27. 10° Quippè nullus homo sanæ mentis jus sibi seriò vindicabit, nimirùm suâ solâ evidentiâ propriâ litem seu controversiam ultimò dirimendi; vel etiam doctrinam proponendi hominibus ex officio admittendam. Id enim nihil aliud esset quàm suam privatam rationem et doctrinæ generalis fundamentum, et absolutum in controversiâ judicem prædicare. E contrà, in duplici laudato casu ad rationum consensionem, sive ex ipsâ vi evidentiæ, sive ex traditione seu ex solo testimonio natam, pro genere veritatis (2), provocant homines. Huic nostræ doctrinæ consentire videtur in suis Institutionibus philosophicis jam appellatus illustris episcopus Cenomanensis : « Notandum est, « inquit, objecta evidentia eodem modo ab intelligen- « tiis, quibus sunt proportionata, percipienda esse, si- « cut sol eodem modo ab oculis sanis videtur : undè « repugnat aliquem habere evidentiam contrà sensum « generis humani, aut sanioris partis hominum; com- « munis igitur aliorum hominum sensus ostendere po- « test quinam ex contendentibus evidentiam meritò « sibi vindicent, et in controversiis ad hunc judicem « sæpè recurrendum esse omnes fatentur, aut fateri « coguntur. *Undè in discussionibus nemo propriam al-* « *legare potest evidentiam tanquàm principium demon-* « *strationis syntheticæ; vel tanquàm ultimam propositio-* « *nem demonstrationis analyticæ* : adversarium enim « negantem rem esse evidentem ex evidentiâ meâ « convincere non possum, sed debeo rem elucidare, et « pro viribus meis efficere ut evidens ipsi appareat si- « cut et mihi. » Tom. 1, p. 194, etc. Edit. 1835 (1).

Hæc autem omnia sequenti compendio possunt contrahi. Homines auctoritate et evidentiâ ad certam veritatis cognitionem et intelligentiam ducti, fidem auctoritati naturali propensione adhibent; libentiùs verò quà res intelligantur, sequuntur evidentiam. Denique sive in stabiliendâ doctrinâ communi, sive in controversiâ ultimò dirimendâ, alicujus consensûs, cum particularis, tùm generalis, auctoritatem solent, etiam inviti, invocare.

28. Atqui præcisè id solum ad certitudinem in theologiâ tùm naturali, tùm supernaturali desideratur, scilicet certum sine controversiâ catholicæ doctrinæ fundamentum, quod est *regula credendorum* et infallibilis sine appellatione controversiarum judex. Ergò auctoritate ultimò fundatur certitudo theologica, ut ex suprà dictis est manifestum.

29. Quænam verò sit illa auctoritas, id etiam jam prælibata patefaciunt, nimirùm pro theologiâ naturali, consensionem hominum tùm generalem in generalibus principiis et veritatibus communibus; tùm particularem, sed vestitam conditionibus ex communi hominum æstimatione ac generalibus principiis determinatis; pro theologiâ verò supernaturali, Ecclesiæ auctoritatem divinâ infallibilitate atque præclaris dotibus et privilegiis præditam.

30. Dicet forsitan aliquis ea principia, illas primitivas veritates intrinsecâ adeò splendescere evidentiâ, ut eas admittere ratio quælibet cogatur : ex quo fit ut universæ in illis admittendis rationes consentiant; proindèque ex evidentiâ earumdem certitudo veritatum oriri dicenda sit. Imò eo ipso quòd sint evidentes, jam repugnat illas auctoritate fideque teneri veritates.

Respondeo ad primum omnia concedendo, nempè eam fulgentem evidentiam in plerisque saltem primitivis veritatibus, et indè ortam rationum de illis consensionem; sed ubi illæ *edocentur* veritates ut ab omnibus admittendæ, ubi de illis occurrit controversia, jam

« lui-même, il serait presque réduit à l'animalité pure; « il est de la nature de l'homme que la religion lui soit « transmise par l'éducation. » Traité de la vérit. Rel. t. 4, p. 12.

« Homo, ut rectè loquar, inquit Bergierus, nonnisi « adscititia lumina habet : Deus creavit eum ut fingeretur educatione et societate; sibimetipsi derelictus « animal ferè esset; naturæ humanæ est ut ipsi religio « per educationem transmittatur. » (*Translat. ab Edit.*)

(1) Ratio ipsa dictitat consensum maximè peritorum rerum de quibus quæstio agitatur, valere. Eâ de re vid. infr. Melch. Can. lib. 10, c. 4, ubi philosophorum consensionem de veritatibus ordinis rationalis plurimùm commendat.

(2) Consensus hominum in aliquâ veritate generali, communi, primitivâ, maximè ex traditione requirendus est, quod nihil detrahit de efficaciâ evidentiæ illius; in veritate autem secundariâ, particulari, potiùs ex ejus evidentiâ consensus repetitur.

(1) Planè etiam nobis consentit Theologus Tarantasiensis, in opere inscripto : *Concordia rationis et fidei*; vir quidem eruditus et doctrinæ probatæ, atque in systematum philosophicorum errores cùm veterum, tùm hodiernorum de certitudine invehens. Hujus autem certitudinis criterium sequenti formulâ exprimitur : « In veritatibus externis hoc solum certò verum « est, quod à Deo procedit; hoc autem à Deo certò pro- « cedit, quod populi omnes summâ semper consensione « tenuerunt, quodve homines docent divinâ potestate « fulgentes. » Eam verò consensionis vim ad communes tantùm et primarias veritates restringit, quibus homo et societas subsistunt, nec aliam ille quàm communem theologorum doctrinam se tenere probat. Vid. præsertim cap. 1, art. 5, 6, 7. — Ipse Melch. Canus noster idem tradit velut effatum : « Sicut enim, inquit, « apud philosophos de communibus conceptionibus « nemo judicat, sed omnes per eas judicantur; ità, » etc. Lib. 2°, c. 7, tertiâ propositione, in medio.

evidentia privata, quantacumque habeatur, nunquàm licet inniti, cùm nulla ratio individua, nisi privilegio gaudeat supernaturali, aliis rationibus ut auctoritas infallibilis imponi queat. Igitur necesse est ad rationum consensionem, saltem ut testimonium evidentiæ veritatum præstituum, seu ad hujus auctoritatem consensus recurrere : quod ex modo dictis satis liquet.

31. Ad secundum dicendum id esse meram Thomistarum opinionem, scilicet fidem et evidentiam non posse de eodem dogmate haberi, quod alii non admittunt theologi, quodque falsum esse jam ex primo ipso symboli catholici articulo quo Deum existere *creditur*, satis constat. Sed quidquid sit de opinione illâ, nihil spectat ad præsentem quæstionem, ubi non agitur de assensu interno et privato, verùm de fundamento doctrinæ et controversiarum judice.

32. Ex dictis igitur (29) apertè duplex, pro duplici genere auctoritatis, in scientiâ religionis exsurgit certitudo, *naturalis et supernaturalis*, *humana et divina*; item et proindè duplex fides. Priorem autem dicimus certitudinem *humanam*, quia in solis naturæ humanæ conditionibus sistere videtur, dùm altera mediis existit supernaturalibus. *Naturalis* tamen certitudo ipsa dicenda est divina, siquidem et traditio universalis, et evidentia genuina veritatis, consensioque indè secuta, et ratio et natura ipsa humana, hæc omnia certè à Deo sunt; nec aliud discrimen in his ordinibus variis intelligendum, nisi quod Deus idem sese diversis ità mediis suumque verbum manifestet, pro diversis quas ipse condidit legibus in suo opere æquè varietate et unitate conspicuo.

33. Hinc (1) videre est certitudinem illam, cùm naturalem tùm supernaturalem, in se spectatam, hoc est, quatenùs dubio opponitur, æqualem esse, imò et identicam; proindè tam certam dicendam esse naturalem fidem quàm supernaturalem. At verò sub aliis respectibus, ea supernaturalis fides aut certitudo haud aliter ac ipsa theologia ejusdem ordinis, naturalem longè superat : 1° ratione objecti materialis, cùm symbolum christianum suis dogmatibus propriis atque præclaris evolutionibus primitivo sit præstantius; 2° ratione objecti *formalis* seu potiùs methodi, id est, medii quo suum materiale assequitur objectum, tùm *interni*, nempè gratiæ, cujus miras ac ineffabiles esse operationes fide experientiâque constat (2); tùm *externi*, seu Ecclesiæ, cujus auctoritas veracitate divinâ immediatè et directè innixa, per ministerium speciale divinitùs institutum infallibili documento tradit doctrinam. His et aliis dotibus ac privilegiis prorsùs omninò vincit universalis auctoritatem consensûs de primitivis veritatibus, mentes illis in educatione imbuentem potiùs quàm edocentem, in eoque maximè rationi debili atque adolescenti accommodatam; 3° denique ratione finis quem supernaturalem agnoscit et sola attingere valet fides divina.

34. Vera itaque ab ordine naturali ad supernaturalem datur progressio, non in ipsâ quidem certitudine ut dubii exclusivâ, sed in divinis ejusdem certitudinis dotibus; quâ progressione ratio humana primùm informata certitudine ac fide naturali, erigitur ad perfectiorem seu supernaturalem, auctoritate Ecclesiæ mediante etiam circà veritates istas primitivas, v. g., existentiam Dei, spiritualitatem animæ, discrimen boni et mali, etc., quas ea ratio christiana, validior proindè, sapiensque et matura effecta, iterùm credendas accipit, sed perfectiori modo et eminentiori propositas. Nulla ergò fidem et certitudinem naturalem inter et supernaturalem oppositio timenda, sed eadem elucet unitas eademque relatio quâ ipsa theologia naturalis cum supernaturali connectitur, in unam ambæ coalescentes scientiam, cujus elementa partesve existunt. Illæ ipsæ sunt relationes gratiam inter et naturam à D. Thomâ sic breviter expressæ : *Gratia non tollit, sed perficit naturam.* Haud aliter supernaturalis fides et quâ nititur certitudo fidem certitudinemque naturalem extollunt et perficiunt (1).

35. Hæc quidem omnia de certitudine doctrinæ theologicæ ad veritates doctrinales auctoritate seu regulâ credendorum innixas spectant; atque idcircò sibi veluti magis propriam vindicant theologiam *positivam* methodumque expositionis. Indè sua principia habet theologia; sed ut formaliter et verè scientia constituatur, variæ adhibendæ sunt explicationes deductionesque, evidentiâ potissimùm conspicuæ. Hujusmodi operationes ratiocinii artificio fieri solitæ *discursivam* seu *scholasticam* theologiam, juxtà methodi demonstrationis regulas, ingrediuntur. Neque id minùs essentiale dicendum humanæ naturæ, quâ invincibiliter propendemus ad intelligendum ratione quod jam fide tenemus; quippè omnium indolem hominum in suâ propriâ manifestat D. Aug., ubi ait : « Ego ità sum affectus, ut quid sit verum non credendo solùm, sed etiam intelligendo apprehendere impatienter desiderem. » Lib. 3 cont. Acad., c. 20 (2).

(1) Non alienum est hìc verba referre Clementis Alexandrini, qui ait : « Philosophiam antè Domini adventum Græcis ad justitiam fuisse necessariam (gratiâ quidem accedente). Nunc autem ad religiosam pietatem utilem esse, eò quòd prævia quædam eruditio sit iis qui fidei per demonstrationem fructum colligunt. » Apud Petav. Proleg. c. 4. p. 11.

Vide etiam ipsius nostri Cani verba infra, lib. 10, c. IV, versus medium.

(2) Eas operationes alio loco describemus, præsertim ex D. Aug. in Joan., tract. 29, n. 6. Quas jam complecti valemus uno verbo Apostoli : *Fides quæ per charitatem operatur*, Gal. 5, 6. Quod alibi idem exprimit sic : *Veritatem facientes in charitate*. Ephes. 4, 16.

(1) Sic Antonius Genuensis ipse celebrat præstantiam theologiæ supernaturalis : « Interìm est, inquit, non leve inter revelatam et naturalem theologiam discrimen. Nempè angustior et imperfectior est hæc, illa amplior et perfectior; quippè lumen naturæ exiguum est, et magnâ ex parte humanæ naturæ tenebris obsitum; lumen verò revelatum et longiùs latiùsque patet, et purius est, atque sincerius. » Theol. christianæ Elementa, proleg. p. 3, edit. Colon. Agripp. 1778.

(2) Ità D. Anselmus ipse hæc habet pulchrè et philosophicè quidem in opere *Cur Deus homo*, c. 1. « Sæpè, inquit, et studiosissimè à multis rogatus sum et verbis et litteris, quatenùs cujusdam quæstionis de fide nostrâ rationes quas soleo respondere quærentibus, memoriæ scribendo commendarem; dicunt

Cùm autem conclusiones ex deductione et ratiocinio spontè fluant, indè compertum est *scientiam* religionis in conclusionibus theologicis formaliter existentem ad theologiam discursivam, seu vulgò ad *scholasticam* attinere; nec aliud munus, præclarum quidem omninò, ei attribuitur in *Principiis theologicis*, à P. H. Kilber, S. J. editis Wiceburgi 1771 : « Scholastica, « inquit auctor, purè talis ex veritatibus revelatis elicit legitimas sanæ doctrinæ conclusiones quæ ad fidei dogmata et morum principia aut illustranda, aut « explicanda, aut firmanda conducunt; eòque extranea « rationis et auctoritatis humanæ necnon scientiarum « naturalium subsidia non rarò adsciscit. » Pag. 61. (Vide suprà 6, 7, 11, 12) (1).

His etiam liquet varias theologiæ divisiones in *positivam, discursivam, polemicam*, etc., non scientias specie diversas, sed plerùmque ejusdem unius scientiæ exhibere partes; quod etiam notat ibidem auctor præfatus.

ART. II.

De Conclusionibus theologicis.

36. *Per conclusiones theologicas* intelliguntur in genere deductiones ex principiis fidei, sive revelatis. Cùm olim, saltem antè seculum proximè elapsum, principia fidei christianæ in controversiam plerùmque non adducerentur ex parte adversariorum religionis catholicæ, theologi ex illis principiis haud impugnatis legitimas deducere conclusiones solùm ferè intendebant; indè theologia apud ipsos *in conclusionibus theologicis* penitùs consistere videbatur, quod ex theologiæ definitionibus satis jam patet (3). Verùm nostris nunc temporibus, cùm magni sit momenti religionem multis argumentis defendere, atque contrà Deistas genuina et certa revelationis stabilire fundamenta, quod est theologiæ naturalis pars præcipua, eo ipso manifestum est *conclusiones theologicas* eam solam, majorem quidem, theologiæ à nobis definitæ, seu *scientiæ Religionis* ingredi partem discursivam, quæ in theologiâ supernaturali demonstrationem complectitur. Ut igitur totam complerent deductionem ex quâ scientia Religionis constat, adjiciendæ forent etiam conclusiones ex principiis naturalibus et primariis veritatibus natæ. At verò, cùm ad methodum seu artificium demonstrationis conclusionum deductio attineat, de illis cujuscumque generis conclusionibus, modò innotescant dialectices regulæ, nihil aliud hìc habemus tradendum, quàm notiones illas quas breviter exponere solent theologi.

37. Conclusio igitur theologica, ut vulgò intelligitur, in specie duplex est; altera ex præmissis duabus revelatis deducta, quam plures theologi ut veram conclusionem non admittunt; altera ex unâ præmissâ revelatâ et ex naturali illata. Vera conclusio ut dignoscatur, ad illud attendendum quod notant sedulò Turnelius et Billuart, scilicet conclusionem in præmissis virtualiter contineri, vel ratione connexionis naturalis, ut proprietatem in essentiâ, effectum in causâ : v. g. : *Duplicis naturæ duplex est voluntas; atqui in Christo est duplex natura; ergò et duplex voluntas.* Vel ratione tantùm significationis, ut partem in toto, singulare in universali, implicitum in explicito, terminis æquivalentibus expressum; ut si dicas : *Christus est unus substantiâ cum Patre; ergò est Patri consubstantialis.* Equidem in priori genere conclusionis datur vera deductio, vera proindè conclusio quæ à notioribus ad minùs nota incedere debet; in posteriori verò, non stricta conclusio, sed mera terminorum præmissarum explicatio et expositio sub formâ syllogisticâ. Illa ergò impropriè seu latè dicta conclusio, *expositiva* potiùs quàm *illativa*, erit immediatè revelata, sicut et ipsæ præmissæ, eodemque jure ad fidem pertinebit. Vid. Turn. et Bill. in suis Proleg.

38. Nunc verò si quæras an conclusio propriè strictèque dicta ideò habenda sit ut revelata et ad fidem pertinens, respondemus cum turbâ theologorum negativè, nisi aliundè fuerit immediatè revelata atque ut talis judicio Ecclesiæ definita. Ratio obvia est : ea conclusio quantùmvis legitima semper remanet rationis opus humanæ, nec fides supernaturalis ac divina alio fundamento quàm revelatione immediatè stare potest. Præthereà, « homo, ut rectè ait D. Liebermann, quantùmvis eruditus, falli potest, et in doctissimis remanet sæpè aliquis dubitandi locus an rectè concluserint. » « Si tamen, pergit idem, conclusio ex fide deducitur per evidentem consecutionem, ad fidem pertinere dicenda est mediatè saltem et indirectè, et « theologus qui vim argumenti comprehendit, ei ut ad « fidem spectanti assentiri debet. Neque dicas rationem igitur fidem efficere; nam ejusmodi conclusio « non ideò ad fidem pertinet quia legitimâ consequentiâ ex præmissis deducitur, sed quia hâc disserendi « ratione apparet eam in præmissâ revelatâ esse contentam. Consequentiam videt ratio, consequens fides amplectitur tanquàm in revelationis fontibus « contentum. Igitur ratio medium tantùm est et instrumentum quo mihi certum efficitur conclusionem in « dogmate directè revelato contineri, quod ubi mihi « compertum est, jam ei propter Dei revelantis auctoritatem firmâ fide adhæreo. Quemadmodùm si jurisconsultus legem aliquam è tenebris erueret eique obtemperandum esse ostenderet, ratio obediendi non « esset jurisconsultus, qui legem detexit, sed auctoritas legislatoris. » Vid. Inst. theolog. tomo 1, in proleg., p. 54. Edit. Lovan. 1852. Hæc quidem admitte-

« enim sibi placere eas, et arbitrantur satisfacere; « quod petunt, non ut per rationem ad fidem accedant, « sed ut eorum quæ credunt, intellectu et contemplatione delectentur; et ut sint, quantùm possunt, parati semper ad satisfactionem omni poscenti se rationem reddere de eâ, quæ in nobis est, spe. Quam « quæstionem solent et infideles nobis, simplicitatem « christianam quasi fatuam deridentes, objicere, et fideles multi in corde versare, quâ scilicet ratione vel « necessitate Deus homo factus sit, et morte suâ sicut « nos credimus et confitemur, mundo vitam reddiderit. »

(1) Hæc non impediunt quin usus rationis etiam in theologiâ positivâ et supernaturali, et auctoritatis etiam in theologiâ discursivâ et naturali adhibeatur, ut ex dictis dicendisque satis est compertum.

rem libenter, sed cum essentiali restrictione. Theologus ità conclusionem in revelatis per suam illationem ipsi evidentem conspiciens, eam rejicere non posset quin contra suam ageret conscientiam, veritatem divinam, saltemve quam talem esse credit repellendo : sed non ideò pronuntiandum eam de fide esse etiam pro illo ipso theologo. Formà enim caret essentiali ad propositionem ut sit de fide, nempe sanctione auctoritatis Ecclesiæ. Illam itaque rejiciendo peccaret certè, contra conscientiam agendo, sed notam hæresis non incurreret. Haud aliter non teneretur obedire legi quam jurisconsultus detegeret, si essentiali careret promulgatione.

CAPUT III.

De præstantiâ theologiæ tum absolutè spectatâ, tum relatè ad cæteras alias scientias, nempè naturales.

39. Theologiam, altissimam esse scientiam, sub omni respectu valdè commendabilem, sola ejus objecti consideratione erit omnibus compertum. Deum enim resque ad Deum pertinentes suarum investigationum objectum habet indesinenter; neque in tam sublimi quiescens speculatione, mortales ad suum Auctorem, imò eo ipso et indirectè omnes alias creaturas in hoc mundo spectabili perducere intendit; quod est easdem ad suum ultimum finem revocare, ad ordinem, proindè ad perfectionem, pacem, felicitatemque, prout singularum naturæ convenit. Et quidem in naturali ordine haud immorans theologia, indè homines, vel etiam res creatas quatenùs in systemate creationis humano generi subjectæ consociantur, erigens usque ad finem supernaturalem, ità nos in Deo reponit, notiones simul mediaque subministrando consentanea ad eum possidendum, intuitivè videndum, æternaliterque laudandum. Hinc theologia suum omniumque potiùs entium perfectum atque ultimum finem perfectio modo feliciter attingit, dico Dei glorificationem et dilectionem.

40. Scientia igitur omnium nobilissima omnimodè theologia existit; nec solùm scientia, sed et *sapientia* jure ac meritò proclamanda est, id est, scientia ad gradum altissimum perfectissimumque sublimata. Quod ut magis liqueat, notiones accuratas nunc parùm vulgatas in scholis, eà de re hìc evolvere operæ pretium est.

Aristoteles dicit *sapientiam omnium opinione versari circà primas causas et principia*, 1 Metaphys. cap. 1; *eamdem oportere esse contemplatricem primorum principiorum et causarum*; ibid. c. 2. Deindè illius excellentiam prædicans, *nullam*, ait, *eâ præstantiorem esse doctrinam. Quæ enim divinissima est, eadem est et præstantissima*, ibid. Vid. Petav. proleg. c. 8, § 8. Porrò eas notiones scholastici suas fecerunt, atque theologiæ christianæ, cui soli perfectè congruunt, attribuère. Quorum sic definitiones doctrinamque contraxit Polemanus in suo *Breviario theologico*, n. 19, 1 parte : « Theologia, inquit, est sapientia : 1 Cor. 12, *alii per spiritum datur sermo sapientiæ*. Subindè accipitur sapientia pro perfectà cognitione omnium scientiarum, uti justitia pro aggregatione omnium virtutum. Quo sensu videtur dixisse Cicero (4 Tuscul. et 2 Off.) : *Sapientia est rerum divinarum atque humanarum, causarumque, quibus hæ res continentur, scientia*. Aliàs accipitur pro particulari scientià unius generis, aliquatenùs tamen universali, quæ sic potest definiri : *Sapientia est rerum altiorum perfectissima cognitio. Rerum* divinarum et humanarum, supernaturalium et naturalium quadamtenùs omnium scibilium humanitùs. *Altiorum*, non obviarum rerum, communium et trivialium, sed reconditarum, eminentium et à sensibus remotiorum. *Perfectissima*, certissima et firmissima cognitio, eaque propter se appetibilis, ad quam omnes aliæ cognitiones ordinantur, et ipsa ad nullam aliam superiorem. Cognitio, inquam, rerum, per omnes earum causas (si quas habent), easque altissimas et supremas. Causas autem, realiter influentes esse in res tanquàm in effectus; vel causas latè dictas, quæ scilicet sunt causæ cognoscendi res à *priori* suntque rationes attributorum quæ de subjecto scibili demonstrantur. Ejusmodi sapientia est theologia, quia *est cognitio perfectissima*, fundata in revelatione divinâ. Estque *rerum altiorum*, divinarum et humanarum, imò omnium scibilium eminenter et virtualiter, hoc ipso quo tractat de Deo, omnium rerum supremâ causâ efficiente et finali. Quin et omnium scibilium in particulari, quantùm humanitùs fieri potest. Est enim cognitio theologica propter se appetibilis, ad quam aliæ cognitiones, tanquàm ad supremam ordinantur. »

Ex quibus videre est principia scientiæ Religionis, equidem methodo expositionis ad conclusionum deductionem præparari, ut diximus (7), quod ad *scientiam* pertinet propriè dictam; sed eadem prætereà principia etiam expositione theologicà sive ex lumine naturali, sive potissimùm ex divinà revelatione, expandi atque ità proponi nostri intellectûs contemplationi. Hinc primum sistit gradum theologus in illis primariis veritatibus cognoscendis meditandisque, ac eo ipso res cæteras, scientias quaslibet quasi in suo fonte et modo eminentiori speculatur.

41. Quantâ nunc èxcellentiâ, quantâ dignitate, objecti ratione et finis, theologia adæquatè sumpta cæteras superet scientias, jam nemo non videt; an verò iisdem præstet ratione certitudinis, non eadem est theologorum sententia. Quâ de re ut ipsi nostram proferamus, id in antecessum præmittimus, velut quid omnibus commune, quamvis non ità explicitè reperiatur in plurimis : scilicet certitudinem motivi, de quâ hìc agitur, quatenùs dubium excludit, semper identicam esse et æqualem in quâlibet re et scientiâ, sub quo illo respectu dicendam velut aliquid simplex, neque majus neque minus suscipientem. Sed motivum certitudinis excedere potest id quod præcisè ad eam generandam requireretur, seu ad omne refellendum dubium, tùm quia multiplex erit, tùm quia nobilius vel in suo genere firmius : hinc sub illo respectu altior nascitur certitudinis impressio, major securitas quâ mens in quietâ veritatis possessione confirmatur, ab illa difficilius avellitur.

His positis, contendimus 1° certitudinem theologiæ, sub priori respectu, ut dubii scilicet exclusivam, eamdem esse et æqualem ac in cæteris scientiis : quod ex modò dictis (33) satis liquet. 2° Sub altero respectu, eamdem iterùm esse illam certitudinem in parte naturali theologiæ, priusquàm nempè ad certitudinem fidemque supernaturalem perveniatur, quod etiam spontè fluit ex superiùs assertis (33, 34). At verò in parte supernaturali, quâ maximè et principaliter constat theologia, ejus certitudo longè perfectior cæterarum disciplinarum certitudine existit, et quidem iisdem rationibus quibus certitudo supernaturalis naturalem vincit, ut ibidem suprà videre est. Ex quibus insuper compertum, certitudinem naturalem theologiæ ipsam supernaturalis certitudinis semel habitæ dotibus supervestiri. Undè, ut verbo dicamus, sequitur theologiam adæquatè sumptam dicendam esse non *certiorem,* sed perfectiori modo quàm cæteras scientias *certam.*

42. Neque solùm se tot tantisque dotibus præstantiorem cæteris scientiis præbet theologia; ast insuper supremum in easdem exercet principatum quem iisdem titulis quibus sapientiæ nomen et prærogativas sibi vindicat, neminemque in eo exercendo repugnantem sustinet, nisi eum animalem, ut vocat Apostolus, hominem, qui quidem scientiarum naturalium forsan peritus, ipsas tamen nonnisi limitatas, atque, demptâ primâ causâ, quasi truncatas possidebit. Ea autem dominii theologiæ in scientias naturales jura sic exponit D. Thomas : « Theologia imperat omnibus aliis « scientiis tanquàm principalis, et utitur in obsequium « suî omnibus aliis scientiis, quasi usualis; sicut patet « in omnibus actibus ordinatis, quorum finis unius est « sub fine alterius, sicut finis pigmentariæ artis, quæ « est confectio medicinarum, ordinatur ad finem me- « dicinæ, qui est sanitas, undè medicus imperat pig- « mentario et utitur pigmentis ab ipso factis ad suum « finem; ità ut, cùm finis totius philosophiæ sit intrà « finem theologiæ, et ordinatus ad ipsum, theologia « debeat omnibus aliis scientiis imperare, et uti iis « quæ in eis tractantur. » Apud P. Ventur. De Method. philos. diss. præl. § IX.

Igitur continuis ac intimis relationibus connexa theologia cum scientiis naturalibus, ab illis famulatûs exigit jure suo munera, præsertìm à philosophiâ, quâ perpetuò intermiscetur, quâque ancillâ modò prænuntiâ, luciferâ, modò interprete, pedissequâ utitur.

Ex quibus clariùs apparet quo ponenda sit loco, quâ æstimatione habenda ea theologiæ pars, quam naturalem, rationalem seu philosophicam diximus, donec saltem, sub regimine auctoritatis Ecclesiæ, ad dotes supernaturales sublimetur. Equidem illa dicenda est potiùs præambula theologiæ, quàm ejus pars propriè dicta. Rationem insuper à statu naturali ad supernaturalem perducit theologia, ab eâdemque ità novis adjectis viribus, principiisque altioribus, seu divino revelationis lumine illustratâ, majora sùi famulatûs munera requirit.

43. Eumdem istum principatum alio etiam et quidem altiori modo theologia in scientias naturales agit, quas non solùm ad suum finem servientes adducit, sed et operantibus ipsis advigilat, ne quid sanæ doctrinæ repugnans indè prodeat quod censurâ notandum vel udiciariâ suâ sententiâ habeat reprobandum. Id quoque theologiæ princeps sedulò notavit : « Non pertinet, « inquit D. Thomas, ad eam (theologiam) probare « principia aliarum scientiarum, sed solùm *judicare de* « *iis.* Quidquid enim in aliis scientiis invenitur veritati « hujus scientiæ repugnans, totum condemnatur ut fal- « sum. » Apud P. Vent. ibid.

Scholium.

44. Ergò theologia *una* est : cùm omnes ejus partes, sive ex ratione naturali, sive ex supernaturali revelatione habeant originem, in unum apertè coalescunt, unamque constituunt scientiam, sibi in cunctis suis elementis consentaneam. Hæc autem de unitate theologiæ notio nostræ consentit definitioni; non ità verò tradebatur à theologis qui, definiendo theologiam *conclusionum theologicarum ex principiis fidei deductionem*, de ejus unitate non disputabant, nisi sub ratione motivi quo deductio illa innitebatur. Nunc verò, ut par est, unitas theologiæ tractanda est in sensu, qui eâdem quâ ejus definitio proportione, latiùs extendatur.

CAPUT IV.

De necessitate et utilitate theologiæ. — Ubi de potiori methodo theologiam tractandi.

45. Per theologiam, ubi de ejus necessitate tractamus, non intelligimus doctrinam catholicam, quatenùs fidem ad salutem necessariam complectitur; equidem sub illo respectu eâdem necessitate necessaria dicenda esset theologia, quâ ipsa fides catholica; sed eam in sensu nostræ definitionis accipimus, ut *scientiam Religionis*, quæ, sic intellecta, sub diversâ ratione consideranda est, ut de illius necessitate et utilitate ritè pronuntietur.

1° Theologia, in genere, et quoad ejus substantiam spectata, prout est scientia, Ecclesiæ seu societati catholicæ est necessaria. Quippè in omni societate necesse est plurimis saltem, et præsertim iis qui administrationis muneribus funguntur, hujus institutiones legesque innotescere, et quidem eo scientiæ gradu quo possint earum obscuritates elucidare, applicationem urgere, de variis litibus judicare, easdem edocere, ac, prout opus erit, defendere atque propugnare. Hinc, v. g., necessitas jurisprudentiæ in societate civili. Porrò theologia est præcisè illa scientia seu notitia evoluta institutionum et legum societatis catholicæ; ergò iisdem titulis suprà relatis necessaria est. Hinc Apostolus ejus necessitatem pro variis ejus officiis prædicat, eam scilicet dicens requisitam : 1° ad fidem prædicandam : *Quicumque*, inquit, *invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodò ergò invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante? Quomodò verò prædicabunt nisi mittantur?* Rom. 10, 14. — 2° Ad fidem fovendam et conservandam : *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios*

verò *Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi..... Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Ephes. 4, 11, etc. — 3° Ad fidem defendendam, et ab hæreticorum insidiis impugnationibusque vindicandam : *Oportet episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt, arguere. Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores... quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet.* Ad Tit. 1, 9. Vide apud Turn. Prol. p. 10. Hæc in re tàm clarâ sufficiant.

46. 2° Theologia sub eodem respectu sumpta minimè necessaria est singulis fidelibus; quod etiam et omnibus evidens est. Numquid omnes jurisperiti in societate civili? *Numquid*, in catholicâ, eâdem ratione, *omnes apostoli?* ut ait D. Paulus; *numquid omnes doctores?* 1 Cor. 12, 29. Quod etiam ritè exposuit D. Aug. : « Quà « scientià (nempè theologià) non pollent fideles plu« rimi, quamvis polleant fide plurimùm. Aliud est « enim scire tantummodò quid homo credere debeat, « propter adipiscendam vitam beatam quæ non nisi « æterna est ; aliud autem scire quemadmodùm hoc « ipsum et piis opituletur, et contrà impios defenda« tur. » D. Aug. D. 14, de Trin. C. 1, h. 3.

47. Estne verò utilis singulis fidelibus sic spectata theologia ut scientia Religionis? Id in genere determinari nequit, cùm ex indole privatâ, multisque personæ, temporis, loci, aliisve pendeat circumstantiis. Istud tantùm velut quoddam generale principium tradimus, videlicet utilem valdè esse scientiam theologicam, sed habitam eo præcisè gradu qui proportionetur indoli, culturæ ingenii hominis, simulque ejusdem idoneis dispositionibus ex parte voluntatis, nempè desiderio divinas cognoscendi veritates, eas humili rationis subditione suscipiendi, sese illarum meditatione ad majorem Dei dilectionem inflammandi, deniquè easdem prudenti conflictu, datâ occasione, vindicandi. Excedens eam, ut ità dicam, mensuram gradus scientiæ theologicæ, aureæ simplicitati fidei noceret, aliisque sub respectibus fieret periculosior; scientia verò eâdem mensurâ inferior id tantùm detrimenti haberet, quòd scilicet debiliora conferret commoda.

48. 3° Theologia, ratione methodi, est etiam necessaria; id est, necessaria est in scientià Religionis tractandà methodus; alioqui sine ordine, sine directione, nullisque adhibitis regulis, theologia dissereret; hinc non scientia prodiret, sed inanis prolatio verborum, idearum confusio, notionumque perturbatio. Nec intelligimus tantùm methodum in genere, sed et utramque hujus speciem quam theologiæ attribuendam esse contendimus, nimirùm methodum expositionis et methodum demonstrationis, seu positivam et discursivam (6, 7, 11). Namque tùm in expositione principiorum, tùm in conclusionum deductione, aliquis habendus est ordo, regulæ sunt servandæ : proindè utraque methodus necessaria est.

49. 4° Quid verò de methodo discursivâ seu demonstrationis, usquè ad genus scholasticum productâ (11), seu simpliciter de methodo scholasticâ? Satis conveniunt omnes eam non esse strictè necessariam, cùm de facto non fuerit in Ecclesiâ primis seculis pervulgata. An autem eadem sit utilis, inter theologos multùm controvertitur. Scholastica methodus, sicut res omnis ex industriâ honestâ humanâ originem ducens, suos legitimos usus, sua habet commoda, simul abusus incommodaque secum ex nostrâ debilitate importat; homines præctereà in suis judiciis de quâlibet re proferendis, naturalem indolem seu aliquam peculiarem potiùs sequuntur propensionem, quàm quod reipsâ boni vel incommodi in se res exhibent : hàc duplici causâ divisi de methodo scholasticâ theologi, alii, nonnisi utilitatibus ejus commoti, eam nimis forsan commendârunt, etiam cæterarum detrimento ; alii verò, abusus atque ex illis nata incommoda solùm ferè intuentes, germanam ac utilem methodum calumniâ insecuti, eam de medio tollere vellent. Nos verò, moderatis servientes opinionibus, ut par est, scholasticam perutilem esse, adhibendamque, sublato abusu, propugnamus.

1° Methodum scholasticam esse utilem, id jam ex ejus naturâ et praxi compertum est. Quippè dialectica, seu ratiocinatio non utilis tantùm, sed etiam necessaria est et ex intellectùs humani naturâ derivata. Adhibita certè fuit semper tùm ab antiquis, tùm à recentioribus, in doctrinâ ecclesiasticâ sicut in profanâ philosophiâ; semper ex principiis consectaria, et quidem juxtà quasdam naturales regulas, eruerunt homines. Hujusmodi deductiones, fatemur, plerùmque multis oratoriè ac fusiori stylo dictis permiscebantur; sed fatendum etiam eas strictas, vel austeriores argumentationes vim præcisè roburque ad convictionem scriptis conferre, iisque maximè adversarios urgeri. Porrò id intenderunt scholastici, formas dialecticas usurpando, neglectâque methodo positivâ, suas nimirùm investigationes lucidiores, probationes doctrinæ firmiores, defensiones deniquè validiores efficere, quorum scripta minùs certè menti placentia, efficaciora in debellandis sanæ doctrinæ hostibus suppeditabant argumenta, vel etiam in evolvendis philosophicè dogmatibus magis valebant (1). Igitur, re in se spectatâ, dialectica ejusque ad scholasticam methodum progressio manifestas habent utilitates (2).

(1) Vid. infrà Melch. Can. lib. 12, cap. 11.

(2) Sic speciales veræ scholasticæ utilitates exponit Opstraët : « Hujusmodi, inquit, scholasticâ nil utilius. « 1° Quia cùm doctrina theologica vastissimè, tùm per « sacras litteras, tùm per concilia et decreta pontifi« cum, tùm per sanctorum Patrum codices, aliorum« que auctorum ecclesiasticorum libros sparsa sit, « paucique tanto ingenio vel otio abundent, ut eam « indè valeant suo marte colligere; plurimùm sanè « commodi ac utilitatis præstitit scholastica, quæ quid« quid præclari in istis monumentis continetur, in « unum velut corpus collegit, collectumque uno quasi in« tuitu cuivis spectandum exhibet. 2° Quia res quas-

50. 2° Easdem extrinsecè iterùm testimonia vel veterum Patrum, experientiaque et facta demonstrant. Clemens Alex. præcipit ut « sapientiam velut septo « quodam, sic philosophiâ et rectè vivendi instituto « muniamus, quo sophistis inaccessam servemus, » lib. 1 Strom. « Est, inquit idem, per seipsam perfecta « et nullius indigens doctrina Salvatoris, utpotè facul- « tas et sapientia Dei. Porrò græca philosophia, ad « eam accedens, non potentiorem facit veritatem, sed « sophisticam adversùs eam impressionem imbecillem « reddens, propulsansque dolosas contrà veritatem in- « sidias, congruens vineæ sepimentum et vallum dici- « tur, » ibid. Addit in lib. 6 : « Sepimentum est dia- « lectica, ut ne ab sophistis veritas proculcetur (1). »

Eadem habet Basilius : « Artis enim dialecticæ fa- « cultas murus est propugnandis dogmatibus apprimè « opportunus, non sinens ea in diversam partem facilè « abripi, aut in totum intercipi ab his qui ea vellent « evertere. » In c. 2 Isaiæ, apud Thomassin. Prol. cap. 40, § X. Ipsi Basilio hanc laudem tribuit amicus Greg. Nazianzenus, quòd artes omnes atque doctrinas apprimè calleret, præsertim philosophiam, ejusque partem illam, « quæ in logicis demonstrationibus, aut « oppositionibus et concertationibus versatur, quam « dialecticam nominant; in quâ adeò excelluit, ut iis, « qui cum eo disputabant, facilius esset à labyrinthis « sese extricare, quàm argumentorum ejus laqueos « effugere, si quandò res ità postularet. » Naz. orat. 20. Subjungit Petavius : « Ac tàm ipse, quàm cæteri « Patres, non verbis tantùm et sententiis, sed factis « etiam et exemplis probârunt, non esse pœnitendam « theologo dialecticæ operam; sed plerùmque utilem « ac laudabilem, ut hæreticorum callida et aculeata « sophismata eodem artificio retundantur. » D. Augustinus his verbis, inter alia, dialecticæ commoda declarat, simulque præcavet abusum : « Sed disputa- « tionis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ « in litteris sanctis sunt, penetranda et dissolvenda « plurimùm valet : tantùm ibi cavenda est libido ri- « xandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi ad- « versarium. » Lib. 2 de Doct. Christ. — Vid. Petav. Proleg. c. 4, et Thomass. Proleg. c. 40. Hæc sufficiant quoad veteres. De iis qui sunt subsecuti nulla difficultas, cùm ipsi, elapsis ignorantiæ seculis, ut aiunt, artem dialecticæ usquè ad abusum extulerint.

51. 3° Auctoritati testimoniorum addenda quoque experientia. Nullo unquàm tàm efficaci argumento propugnata fuit veritas ac defensa quàm illo ex dialecticis artibus confecto, quod adeò verum est, ut in id genus, quasi naturâ duce, homines, quâvis ætate, ad debellandos adversarios propenderint. Imò et idem etiam inviti demonstrant hæretici, austeram argumentationem vel scholasticam detractione conviciisque lacessentes. Hoc jam expertus fuerat Arnobius, cui Serapio objiciebat quòd *in dialecticum sophisma prorumperet;* jamque dixerat : *Cesset ars dialectica*, ad quæ Arnobius : « Dialecticum sophisma duas facies recipit; « et ut verum probetur quod adstruitur, et non verum « ex aliquâ parte arguatur. » — « Ars dialectica in re- « bus obscuris ingreditur, ut videatur esse verum, « quod verum est. » In calce Iren. Petav. ibid. Sed quàm fuerint concordes contrà scholasticam hæretici XVI seculi, in cæteris tàm discordes, quantis eam contumeliis impetierint, nemo nescit. Neque dissimulandum id omnes quasi instinctu communi ac naturali adversùs methodum catholicæ veritatis propugnaculum fecisse.

52. 4° Deniquè in scholis universis catholicis methodi de quâ agitur per plura secula invaluit usus : quod factum in illâ apertè utilitatem certam arguit; quippè temerarium vel nefandum esset solummodò suspicari universos Ecclesiæ pastores nocivam aut saltem vacuam et absurdam ubiquè in exercitationibus et studiis theologicis diffusam toleravisse methodum, dùm genuinam solidamque singulari privilegio tenuissent Ecclesiæ hostes, qui nihil aliud noverunt quàm unam ejus sanctamque doctrinam in frusta cædere atque dispergere !

53. Equidem, nec diffitemur, scholastici in abusum dialecticæ prolapsi, quæstionibus otiosis subtilitatibusque nimiùm studuerunt. Ast etiam nimiùm sub illo duplici respectu tùm ab hæreticis plurimùm, tùm à quibusdam catholicis, fuerunt insimulati. Quippè plurimæ quæstiones, nunc otiosæ, non ità sese præbuerunt olim, cùm eadem ac nostris temporibus disputandi contrà dogmatis catholici vel christiani adversarios materia non occurreret : neque etiam istæ quæstiones absque emolumento intellectuali ad exercitationem rationis ad majoremque scientiæ expansionem agitatæ sunt in scholis. Sic, apud D. Thomam, in suâ Summâ Theologicâ, quam nullus deinceps theologus quolibet ejusmodi opere adæquare valuit, plurimas adhibet quæstiones quæ primo intuitu ut redundantes habitæ, etiam nunc seriâ meditatione ad completam

« cumque theologicas in suos titulos ac quæstiones « distribuit, ut cuivis in promptu sit in eâ investigare « ac invenire quidquid in quovis argumento theologico, « Scriptura, Traditio, Patres, aliave auctoritas, vel « etiam ratio suppeditat. 3° Quia totam doctrinam « theologicam congruo ac facili ordine disponit, atque « ità expeditam ad docendum discendumque viam os- « tendit. » De Locis theologicis, diss. octavâ, c. 3.

(1) Jam præiverant in hâc dialecticæ commendatione græci philosophi, ex quibus ad nos ars illa pervenit. Plato in lib. 7 de Repub., affirmat dialecticam « sepimenti instar esse disciplinis cæteris. » — Imò, quod sanè est notandum, Themistius, philosophus quarti seculi, orat. secundâ, Aristotelicam philosophiam Platonicæ vocat « sepem et propugnaculum... « Nam cùm accessu facilis, et sophistarum impressioni- « bus exposita sit, Aristotele muniendam et obvallan- « dam esse illam ait, quo undècumque ab dogmatibus « insidiæ propulsentur : cùm plerique præ inertiâ non « satis muniti ac parati in certamen veniant. Quo fit ut « interdùm præclara quæpiam, robustaque sententia, « ab imbecillâ vilique subversa et labefactata seipsam « propugnare nequeat. » — Philo, Judæus, illum dialecticæ usum prædicat in lib. de Agriculturâ, « ut inge- « nium acuat, ne hebetius sit ad singulas quæstionum « petitiones; sed divisionibus ac distinctionibus utatur, « ut rei cujusque proprietatem ab communibus quali- « tatibus discernat. » Mox ait « philosophiam agri instar « esse, cujus logica velut materia sit ac septum quo « ingruentium impetus arcetur. » Vid. Petav. Proleg. c. 4.

evolutionem doctrinæ vel scientiæ theologicæ pertinere censentur. Imò jam antiquitùs Patres sese circà hujusmodi quæstiones exercitaverunt, quorum exempla et sententias præsertim ex Augustino refert Petavius, Proleg. c. VI. Quod verò spectat ad subtilitates scholasticorum, suas tractationes definitionibus, divisionibus aliisque id genus opprimentium, hoc certè in abusum verterunt, sed tamen in abusum veræ germanæque methodi, in cujus applicatione, ex humana moderationis nesciâ infirmitate modum excessere. Neque id etiam sine providentia factum, quum tam acutâ illa exercitatione, vitiis tandem emendatis, ratio aptior effecta fuerit ad retundendas subtilitates hæreticas sequentibus seculis exortas, ità Deo ex ipso rei abusu bonum eruente (1). Hæc eadem ut compendiosè dicamus, methodus discursiva necessaria est in theologicâ scientiâ; ars dialecticæ proindè, saltem quoad essentialia principia regulasque naturales, necessaria quoque et semper, non eodem tamen gradu adhibita; sed nulli eam tàm extenderunt quàm scholastici à seculo 12°, qui, neglectâ insuper positivâ methodo, atque in argumentativam penitùs projecti, eâ ex duplici parte in abusum abierunt. Quid verò nostris temporibus conveniat, nunc aperiendum.

54. Ubi de methodo quæ in theologiâ adhibeatur res est, sententia est à pastoribus Ecclesiæ potiùs exposcenda, quibus determinandi munus ac dirigendi documentum theologicum ex officio incumbit, quàm requirenda viri theologi privati opinio. Nostram tamen eorum judicio planè submissam paucis exponemus vel indicabimus.

Ex dictis suprà variis locis satis evidens est *methodum expositionis* doctrinæ proponendæ atque edocendæ magis accommodari, dogmata eruendo ex traditione et enucleando, vel etiam contrà adversarios saltem argumento præscriptionis ea vindicando; *methodum* verò *demonstrationis* ad eam doctrinam ratione evolvendam vel etiam probandam defendendamque magis inservire; utramque necessariam in scientiâ religionis geminam hanc operationem requirente. Verùm illæ ambæ methodi non eodem gradu in diversis temporibus et circumstantiis sunt adhibendæ, et reverà adhibitæ fuerunt, naturâ, vel potiùs providentiâ duce. Sic prioribus Ecclesiæ seculis, cùm doctrina catholica potiùs exponenda atque ex auctoritate edocenda esset, quàm argumentatione discutienda, methodus positiva seu expositionis apud Patres prævaluit, nonnisique secundariò ac moderatè succurrebat dialectica. Sequentibus autem temporibus, cùm eadem prorsùs stabilita doctrina potiùs evolvenda explicandaque occurreret, discursus debuit invalescere, ex quo nati scholastici ab 11° seculo. Hæc prætereà in applicatione singulorum indole doctorum modificantur, quorum alii naturaliter ad austeram argumentationem propendunt, alii ad oratorias expositiones; quâ consideratione intelligitur cur inter veteres quidam jam dialectici ac propè scholastici fuêre, ut apud Græcos 7° seculo Macarius Antiochensis (1), vel deinceps, 8° seculo, D. Joan. Damascenus; item inter recentiores, jam prævalente scholasticâ, exstitêre plures oratoriam ac positivam methodum more Patrum sectantes, qualem se inter Latinos versùs medium 12 seculi exhibuit D. Bernardus. Jam verò à duobus propè seculis, quùm plurima scholasticæ vitia emendarentur, atque non ità exclusivè genus Aristotelicum in studiis vigeret, plures auctores eruditione majori insignes scientiam theologicam fusiùs ac pleniùs tractandam suscipientes, eam ex traditione exposuerunt, inter quos eminent Petavius et Thomassinus, et ipse jam noster Melchior Canus, qui stylo tàm ornato 16° seculo de locis theologicis scripsit (2): dùm in tractationibus compendiosis, methodus scholastica prævalere consuevit, utpotè brevitati favens simul et claritati. Ex quo videre est morem scholasticum in tractatibus theologiæ elementaris servatum usquè ad nos fuisse; neque id vituperandum, neque ullo modo tollendum.

Porrò ratio illa theologiam tractandi anteà sufficiens, atque, ut ità dicam, definitionibus solitis adæquata, ex quibus nihil videbatur esse theologia quàm discursus et argumentatio, illa, inquam, ratio jam nostræ non satis conveniret definitioni, quâ theologia ut scientia traditur, cujus plena et completa tractatio tùm principiorum seu doctrinæ expositionem complectitur, tùm ex iisdem conclusionum deductionem (4, 5, 6).

Hìnc utriusque conjunctæ methodi usus est adhibendus, nempè methodi positivæ ad exponenda primùm dogmata, et discursivæ, ad eorum deinceps evolvenda consectaria. Nec aliter à nobis excogitantur elementa scientiæ theologicæ, quæ hocce modo exponi posse videntur.

55. 1° Quidem, distributione factâ tractatuum atque divisionibus singulis absolutis, ubi scilicet quæstionem aggredimur, jam primùm distinctè *propositiones* certæ atque ad doctrinam pertinentes stabiliantur, *notâ theologicâ* insignitæ, puta *de fide, proxima fidei, certa,* si jam ad auctoritatem perveniatur supernaturalem. Eædem propositiones ex solâ credendorum regulâ, id est, ex auctoritate seu ex variis traditionis fontibus, scilicet ex symbolis, Patribus, conciliis, SS. Pontif. decretis, theologis (3), methodo positivâ evincantur.

2° Doctrinâ catholicâ sic suis fundamentis inconcussè stabilitâ, jam videndum erit quid de illâ disseruerint homines, quas tenuerint opiniones sivè extrà limites ab ipsâ doctrinâ vel auctoritate præscriptos, sivè intrà eosdem terminos; quod est historiam evolvere *errorum* et *opinionum* circà propositiones priùs

(1) Consuli potest utiliter opus P. Martini Gerbert (monachi è congregat. D. Blasii in Silvâ Nigrâ) *de recto et perverso usu theologiæ scholasticæ.* — Vid. etiam Berti, Proleg. c. 2.

(1) Vid. T. 6 Concil. Lab. p. 905.

(2) De Melch. Cani opere sic ait Turnelius: « Opus « certè tum singulari eruditione, tum styli nitore ac « elegantiâ eximium ac præclarum, cujus lectio prædi- « cari satis ac commendari non potest. » Prolegom. quæst. 4.

(3) Scriptura sacra, seu potiùs verbum Dei, fons genuinus omnis dogmatis divini, cum traditione *interprete* ad nos interpretatum transmittitur; quod infrà in annotationibus de Script. et Tradit. clariùs patebit.

expositas; atque proprias investigationes de illis præparare.

3° Denique theologus privatus suas ipsas opiniones, sua argumenta adhibebit, quibus methodo discursivâ seu scholasticâ, propositiones doctrinales ex Scripturis sacris propriâ interpretatione, rationibusque theologicis, evidentiâ intrinsecâ intercedente, demonstrare pro suo ingenio conabitur, item ex objectionibus easdem suis responsis vindicare, atque excogitatis ab ipso vel solùm præteritis approbatis explicare opinionibus.

Hæc tria tribus ferè verbis comprehenduntur : 1° Quid Deus revelaverit? En doctrina ex traditione innotescens. 2° Quid de illâ excogitaverint homines? En errores et opiniones ex historiâ inquirendi. 3° Quid de eâdem disserat ipse auctor seu theologus? En ejus opiniones suâ ratione habitæ, simulque scientifica theologiæ tractatio.

Notandum præterea, 1° in his tribus partibus totam completam stare scientiam Religionis; imò eam scientiam theologicam perfectam et altissimam quam theologi veram esse sapientissimam contendunt (7, 4). 2° Fundamenta scientiæ theologicæ in primâ parte, nempè doctrinali, contineri; in tertiâ, scilicet rationali, formam scientiæ seu formalem reperiri scientiam; in secundâ verò sunt varia humanæ rationis experimenta, quibus inest aliquid characteris partis doctrinalis, cùm ex testimonio, seu auctoritate historiæ habeantur, aliquid etiam partis rationalis, cùm exhibeant solùm humanas opiniones, atque ad investigationes proprias conducant theologum. 3° Regulam fidei à parte rationali exulare, non verò omnem certitudinem philosophicam, ad quam cùm pervenit ratio *christiana* theologi, argumentum ejus ità certum, et aliquâ sufficienti auctoritate, v. g., consensu moraliter unanimi cæterorum theologorum fultum, jam ad primam partem verè pertinet. Sed in hâc rationali parte id præsertim cum theologis à ratione requirendum, ut congruis argumentationibus fidem confirmet, evolvatque et illustret.

Eâ autem ratione componendi res theologicas et tractandi videtur ex unâ parte doctrinam catholicam completè tradi ac methodicè ordinari magis posse; eamdemque ab opinionibus humanis secerni, ut fieri licet, neque nisi germanis infallibilibusque argumentis stabiliri, dùm, ex alterâ parte, ipsa ratio, doctrinâ primùm cognitâ et in tuto positâ, validior efficitur ac vegetior ad eamdem evolvendam, atque seipsam uberiori fructu extrà periculum errandi liberiùs exercitandam.

Hæc de methodo potiori in tractandâ theologiâ obiter attigimus, quæ tamen, si non displiceant, saltem indicabunt quâ ratione *Institutiones dogmaticas* jam incœptas absolvere, Deo juvante, ipse sperat auctor hujus de Prolegomenis tentaminis. Idem suas annotationes tùm infrà, Locis theologicis, tùm sequentibus tractatibus appositas litteris P. S. insignire curabit.

56. Superest aliquid etiam dicere de ipso idiomate quo tractare de scientiâ theologicâ convenit. Non dissimulandum plures inter catholicos existere qui theologiam etiam elementarem vulgari linguâ edoceri vellent, derelicto proindè linguæ latinæ usu : quod erroneum esse, valdè rei catholicæ periculosum, imò et affine studiis ac votis hæreticis haud dubitamus pronuntiare. Quippè idioma latinum versione authenticâ librorum sacrorum jam ipsum sacrum atque consecratum, liturgiæ expressio, catholicæ doctrinæ, seu Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, necnon et theologorum atque juris canonici peritorum, omnium ætatum et regionum, commune vehiculum, his, inquam, titulis, unitatis vinculum in Ecclesiâ existit, quod disrumpere, usu linguæ vulgaris in rebus sacris et theologicis adhibito, ultimi (1) hæretici unanimi conatu non dubitaverunt. Huic præcipuæ quidem ac valdè momentosæ seu peremptoriæ rationi idiomatis latini in studiis theologicis sedulò retinendi, aliæ accedunt haud contemnendæ. Quippè, ut unam vel alteram referamus, ex usu Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum atque theologorum accuratas doctrinæ in linguâ latinâ habemus formulas, vocesque, ut ità dicam, sacramentales in multis essentialibus exprimendis; quæ voces ac formulæ in tot vulgaria idiomata absque alteratione verti moraliter est impossibile. Dicendum etiam usum latini sermonis formis favere dialecticis tàm peroptandis, si modus servetur, ut suprà diximus; eumdem etiam brevitate conspicuum non semel impedire ne res facili copiâ verborum potiùs obruantur in discussione, quàm elucidentur. Attamen ne ipsi nos in consuetudine etiam necessariâ defendendâ excedere videamur, notandum esse velimus hæc nihil impedire quin vulgari idiomate in singulis regionibus tractatus de rebus theologicis ab eruditis edantur, lectionibus latinis explicationes adhibeant magistri, atque ipsi theologiæ candidati linguâ vernaculâ exerceantur : quæ quidem rectè et utiliter fient, si solùm ad textum latinum auxiliariter accedant.

CAPUT V.

De studio theologiæ. Huic studii historia nectitur D. Liebermann. De studiis theologicis.

ARTICULUS PRIMUS.

Brevis studii theologici historia.

EPOCHA PRIMA.

Ab exordio generis humani usque ad Christum.

57. Theologiæ revelatæ historia cum ipso genere humano orditur : quæ primi parentes, Deo ipso institutore, didicerunt, et quæ postmodùm Deus ad patriarchas locutus est, hæc in eorum qui Deum timebant familiis, sedulò conservabantur. Docendi munus vel cura juniores instruendi in iis quæ ad Deum ejusque cultum pertinebant, illis tùm incubuit, qui ad illud videbantur ab ipsâ naturâ destinati. Neque postmodùm, cùm in reipublicæ formam coaluissent Judæi, et lege scriptâ à Deo sibi traditâ uterentur, immutatus est hic mos antiquus. Aliud populi mores non ferebant, quia

(1) Id est, à 16° seculo, cùm idiomata vulgaria in singulis regionibus maximè prodierunt. Vid. Orat. D. Augus in legatorum populi concilio (Chambre des Députés), de usu ling. latin. in scholis jurisprudentiæ, pro jure Romano; orat. quidem habitam die 7° Junii 1837, Vid. *Univers religieux*, 8 Junii, die Jovis, et *Monitorium universale* (le Moniteur).

omnes agrorum gregumque curâ detinebantur, nec tempus *otii supererat, quod ipsum scholæ* nomen exprimit.

Quamvis autem *κατήχησις* legis *privatæ* in hac etiam temporis periodo ad patres-familiâs pertineret, publica tamen debebatur sacerdotibus et prophetis. Scriptura sæpius de filiis seu discipulis prophetarum loquitur, 1 Reg. c. X, XI, XIX. III Reg. XVIII, XX, 3, 5. IV Reg. II, IV, 38, etc. Samuel primus propheta, scholas instituisse creditur, ut pene collapsam avitam religionem restitueret. Ex his usque ad tempora captivitatis plures exierunt viri potentes opere et sermone, qui ad justitiam erudierunt multos. Præter hoc extraordinarium docendi munus, aliud erat ordinarium, sacerdotibus in lege demandatum. Deuteron. XVII, XXXIII, 8, 9, 10. Unde illud Malachiæ : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus.*

Post captivitatem babylonicam, per omnes fere civitates synagogæ erectæ sunt, in quibus per omne sabbathum libri legis et prophetarum legebantur, additâ interpretatione et exhortatione. Si Judæis fides est, in solâ urbe Hierosolymitanâ 480 ejusmodi synagogæ numerabantur. Præter synagogas in quibus populus erudiebatur, scholæ institutæ erant non Hierosolymis tantùm, sed etiam in exteris locis in quibus magistri cum discipulis conveniebant. Cum Apostolus Ephesi commoraretur, et per tres menses in synagogâ disputans et suadens de regno Dei multos experiretur sibi contradicentes et malè dicentes viam Domini coràm multitudine, discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in *scholâ tyranni* cujusdam. Act. XIX, 8, 9.

Scholæ non raro *domus* vocabantur (sic cùm dicitur contentionem fuisse inter domum Schammai et domum Hillel, intelligendum est, inter ipsorum scholas); subindè etiam domus *subtilitatis* et *acuminis*, quia quæstiones legis ibi subtiliùs tractabantur; propterea Judæi eum locum discutiendis rebus aptiorem præstantioremque habebant ipso templo. Paulò post reditum ex Babyloniâ, novæ inter Judæos sectæ exortæ sunt, non vivendi tantùm ratione, sed et doctrinâ multùm inter se discrepantes : quælibet autem suas scholas habuit, in quibus discipulos erudiebant, qui inter eos doctiores habebantur. Plura hic de Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum origine, institutis et doctrinâ dici possent, si longiores esse liceret. Vid. Stolberg, G. d. R. J. C. b. IV, Beilage 1. *Pharisæorum* origo incerta ; *Sadducæos* aiunt à *Sadoc* oriundos, qui *Antigoni* discipulus fuit. Cùm is à magistro sæpiùs audivisset, *non esse serviendum Deo, quasi ex compacto accipiendi mercedem,* sed puro omninò et gratuito amore, ac si nihil esset post hanc vitam aut sperandum aut pertimescendum, malè magistri sententiam interpretatus, vitam ipsam æternam et animæ immortalitatem sustulit. Antigonus ergo, cum *puri amoris*, ut dicitur, necessitatem, ultra quam par erat, urgeret, impiæ sadducæorum sectæ originem dedit. Ità etiam in bono excedere periculosum est! Illud in genere notandum est, Judæos inprimis post captivitatem in duas partes scissos fuisse, quarum una meditationi Scripturæ se dabat; altera tota in eo erat ut Scripturæ aliquid assueret, atque ideò traditiones non scriptas, tanquàm necessarias et ipsâ Scripturâ perfectiores regulas observabat; undè Pharisæi et Esseni orti sunt. Hæc distinctio inter Judæos *Rabbinistas* vel *Thalmudistas*, et *Textuales* aut *Scripturarios*, adhùc hodiè obtinet. Sub nativitatem Christi duo inter Judæos floruerunt celeberrimi doctores, *Hillel* et *Schammai*, quorum scholæ mutuis sese odiis impetebant. Hillel traditionum auctoritatem tuebatur, et divortium admisit quâcumque de causâ. Hic primus *Mischnæ* auctor haberi potest, nam sex tractatus scripsit traditionum Judaicarum. *Schammai* pro textu Scripturæ pugnabat, et divortium in lege ob solum adulterium permitti affirmabat.

Patet ergò Judæos antè Christum suos habuisse *Theologos*, seu viros qui eruditâ legis et Religionis revelatæ cognitione pollebant. In libris novæ legis vocantur scribæ, *γραμματεῖς*; et legis periti, *νομοδιδάσκαλοι*. Hi verbo scripto adhærebant, cùm alii, inprimis e Pharisæorum sectâ qui sapientes vocabantur (σοφοί), in suis lectionibus traditiones urgebant. Alia adhùc doctorum species, quos *disquisitores* vocabant, quos Judæi, quoniàm allegorias et subtiliores expositiones sectabantur, ut expositores acutissimos et profundissimæ perspicacitatis venerabantur. Hos omnes enumerat Apostolus 1 Cor. 1,20 ... *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus seculi?*

EPOCHA II.

A Christo usque ad seculum XI.

58. Christus cùm prædicationis munus impleret, non tantùm publicè populum docuit, sed et apostolos sibi elegit et discipulos, quos in mysteriis regni Dei erudivit, et quibus ipse dixit Joan. XIII, 13 : *Vos vocatis me magister et Domine, et benè dicitis; sum etenim...* neque voluit ut ejus discipuli, et qui post eos docendi munus in Ecclesiâ susciperent, *magistri* aut *rabbi* vocarentur; ut scirent unum esse magistrum nostrum Jesum Christum. Et verè quidem, quia non decet Religionis alìud scire quàm Jesum crucifixum, aut aliam quàm Jesu Christi proponere doctrinam, aut sibi et non Christo formare discipulos. Hunc scilicet finem Christus sibi proposuit, cùm magisterium publicum in Ecclesiâ instituit... *dedit quosdam... pastores et doctores... in ædificationem corporis Christi.* Eph. IV. Porrò docendi officium in Ecclesiâ perdurare nunquàm potuisset, nisi præter instructionem publicam et omnibus communem, viri idonei ad opus ministerii instituti fuissent. Igitur et Apostoli suos habuerunt discipulos, quos ipsi et exemplis suis et doctrinis erudierunt, hortantes eos ut quæ audierant ab ipsis per multos testes, hæc commendarent fidelibus hominibus, qui idonei essent et alios docere. Timoth. II, 2. Apostolorum exemplum secuti sunt qui post illos Ecclesiam regebant episcopi, hi siquidem non plebis tantùm curam gerebant, sed et juniores clericos in domo suâ nutriebant et singulari curâ instruebant tanquàm filios. Sic Athanasius S. Alexandri,

Joannes Chrysostomus S. Meletii, Cyrillus Alexandrinus patrui sui Theophili discipuli fuerunt. Notum est quot ex S. Augustini et S. Fulgentii scholâ prodierint episcopi, doctrinâ non minùs quàm sanctitate conspicui.

Attamen jam primis Ecclesiæ seculis in magnis quibusdam urbibus scholæ, pro erudiendis catechumenis erectæ leguntur, quibus non raro viri præerant tùm divinis tum humanis scientiis egregiè exculti. His, cùm sæpiùs in viros ex gentilibus inciderent ingenio et doctrinâ expolitos, necesse fuit ut eruditam Religionis doctrinam exponerent, et humanarum etiàm scientiarum subsidio uterentur. Quod genus eruditionis, quàm illud fuerit antiquis Patribus familiare, ex eorum libris satis dignoscitur. Celeberrima primis seculis erat schola Alexandrina non docentium tantùm, sed et discipulorum famâ. S. Hieronymus ejus institutionem à S. Marco repetit; quamvis historia ecclesiastica antè *S. Pantenum* nullum, qui illi præfuerit, commemoret. Panteno successit *Clemens Alexandrinus*, cujus præclara supersunt opera. Clementis discipulus et successor *Origenes* fuit, inter omnes veteris Ecclesiæ doctores ingenio et doctrinâ facilè princeps : cujus schola sanctorum ac martyrum seminarium dicebatur.

Diffiteri tamen non possumus paucos eo tempore etiam inter Ecclesiæ pastores fuisse qui profanis scientiis animum applicuerint; et si qui reperiuntur in ejusmodi disciplinis versatissimi, eas plerùmque sibi comparârunt antequàm ad Christianam religionem accesserint. In iis etiam quæ ad religionem pertinebant, nullam aliam discendi methodum reperimus, quàm diligens Scripturæ et traditionis studium. Quamvis si ad artem illam, quæ veræ philosophiæ propria est, attendimus, ut scilicet in rerum tractatione ad prima principia ascendentes, recto deindè ordine conclusiones deducamus, et viam recludamus effugia quærentibus, in eâ profectò neminem reperiemus iis quos Ecclesia ut Patres suos et doctores veneratur magis exercitatum. Quis ingenii sublimitate, quis disputationis subtilitate cum *S. Augustino* comparari potest? Qui hunc Patrem vellicat, ut benè observat Fleurius, nihil ejus laudibus detrahit, sed sibi ipsi nocet, dùm prodit se veram scientiam nescire. Jam verò si ad Patres græcos transeamus, quis in philosophando subtilior solidiorque *S. Basilio, S. Athanasio, S. Gregorio Nysseno?* Hæc autem exactæ dialecticæ ad sacras scientias applicatio tàm parùm tunc temporis displicuit, ut *S. Gregorius Nazianzenus* primus inter Patres theologi nomen obtinuerit, quòd doctrinam de Deo et inprimis de Verbi divinitate nemo meliùs intellexisse et propugnâsse videretur.

Antequàm hanc studii theologici epocham absolvamus, quædam de studiis monasticis dicenda sunt, quæ hoc præcipuè tempore maximè floruerunt; quod non absque singulari divinæ Providentiæ dispositione factum est, quæ in iis temporum angustiis hoc sacris scientiis perfugium paraverat. Jam seculo quinto plures in Occidente monachorum familiæ erant, quæ cum pietatis exercitiis non exiguam conjungebant sacrarum litterarum culturam. Tales in urbe Massiliensi instituit *Cassianus;* tale fuit Lirinense cœnobium, jam anno 410 conditum, quod non parùm illustravit *Vincentius*, Lirinensis dictus, auctor egregii operis, quod anno 432 sub nomine *Commonitorii* edidit. Seculo VII instituta monastica cum religione christianâ in Angliâ propagata sunt, et vix dici potest quanta exiis pullulaverit sanctorum doctorumque virorum seges. Inter omnes eminet Venerabilis *Beda*, anno 735 mortuus, cujus insignia in religionem et rem litterariam merita nulla hucusque delevit dies. Multis ille ad divinas scientias dux et magister fuit, multùm et exemplo et scriptis suis studiorum ardorem in religiosis domibus accendit. Ferunt ab eo excultum fuisse celebrem *Alcuinum*, quem Carolus Magnus ex Angliâ accersivit, ut eum in litterarum restauratione ducem et adjutorem adhiberet. Ab eo tempore novum videbatur divinis scientiis sidus exoriri, heu! nimis citò extinctum! Vigebant tamen per aliquod tempus monasticæ et cathedrales scholæ operâ Caroli Magni per Galliam et Germaniam institutæ. Non parùm eodem seculo religionis studium promovit *S. Winfridius*, seu *Bonifacius*, qui primùm in Angliâ sub celebri Winberto abbate, omnibus, quæ eo tempore ad eruditionem pertinebant disciplinis eruditus, atque ob singularem in scientiis profectum ad docendi munus assumptus est; posteà cùm vehementi animas lucrandi zelo arderet, in Germaniam venit, ubi ad Moguntinam sedem erectus præcipuas in illud curas convertit, ut idonei Ecclesiæ ministri formarentur; quæ inprimis eum causa impulit, ut Fuldense monasterium conderet, ex quo postmodùm tot viri prodierunt scientiâ non minùs quàm sanctitate insignes.

Præcipuum hujus scholæ decus seculo IX *Rabanus Maurus;* ejus discipulus *Walafridus Strabo*, postmodùm *Augiæ divitis* abbas, inter præcipuos ævi illius scriptores numeratur. Rabanus verò ob singularem virtutis et doctrinæ famam Ecclesiæ Moguntinæ præpositus est. Is in opere, quod de institutione Clericorum scripsit, totam, quæ tunc erat, studiorum formam exposuit L. III, C. XVIII, seq. Scientiarum cursus septem, uti vocabantur, liberales artes complectebantur, quæ iterùm in duas classes divisæ sic dictum *trivium* et *quatrivium* efficiebant. *Trivium Grammaticâ, Rhetoricâ* et *Dialecticâ* constabat : ad *quatrivium Musica, Arithmetica, Geometria* et *Astronomia* pertinebant. Qui utrumque, trivium scilicet et quatrivium, complecti ingenio poterant, in omnium admiratione erant, et septem artium magistri vocabantur. Cùm autem religionis scientia omnium tunc disciplinarum quasi regina haberetur, reliquarum autem utilitas ex eo tantùm quem cum religione haberent nexu æstimaretur, non immeritò dicitur jam tunc encyclopediam theologicam exstitisse.

EPOCHA III.

A seculo XI usque ad seculum XV

59. Jam seculo VIII, *Joannes Damascenus* in Oriente systema aliquod totius doctrinæ christianæ exposuit

in libris IV de orthodoxa fide. Verùm nullos in Ecclesiâ saltem latinâ imitatores tunc habuit. Religionis veritates in unum corpus collectas, dialecticè et ad scholæ peripateticæ leges exactas, primi seculo XI in Occidente tradiderunt *Lanfrancus* ejusque discipulus *Anselmus*, magistri sui primùm in regimine abbatiæ Beccensis, tùm in archiepiscopatu Cantuarensi successor. Hic inprimis systematicæ Theologiæ parens habetur. Mox alii secuti sunt, ut *Hugo à S. Victorino*, *Hildebertus* archiepiscopus Turonensis, *Robertus Pullus*, *Otho* Frisingensis episcopus, qui dialecticam et Aristotelicam Philosophiam ex Parisiensi scholâ in Germaniam intulit. Ità nova in Theologiam methodus invecta est, quæ ab initio nihil habuit quod reprehendi posset.

Verùm cùm jam scholæ publicæ et magistrorum et discentium æmulationi paterent, et exinde inclarescendi desiderium vehementer accenderetur, mox fines à Patribus positas transilierunt inquieta et disputationibus innutrita ingenia. Vixit hoc tempore *Abælardus*, multis et ingenii et animi aberrationibus famosus, vir acutus et naturâ perpicax, ac litterarum humanarum studio excultus, sed famæ magis quàm veritatis sectator, suì ipsius putidus jactator, et disputator ventosissimus. Sed hoc tempore, ut *Trithemius* ait, L. de Scriptorib. ecclesiast., *philosophia secularis sacram theologiam suâ curiositate inutili fœdare cœpit...* Verùm omnes qui se hucusquè in hoc studiorum genere exercuerunt, multùm nominis et eruditionis famâ superavit *Petrus Lombardus*, episcopus Parisiensis, qui alter à S. Anselmo scholasticæ theologiæ parens dicitur. Hic totam religionis doctrinam in 4 libris, qui Sententiarum inscribuntur, digerere conatus est, undè Magistri Sententiarum nomen accepit. Quod opus, quamvìs indigestum, summo cum applausu exceperunt et infinitis ferè commentariis illustrârunt theologi, atque tanquàm corpus theologiæ perfectissimum publicis prælectionibus adhibuerunt. Nunc major in dies inanium quæstionum turma, quà data porta, irruit; institutæ seculo XIII universitates novum studiis decus contulerunt; et cùm eodem seculo à *Roberto de Sorbonâ* Parisiis domus erecta fuit, mirum est quantam in universitate parisiensi celebritatem consecuta sit facultas theologica. Quidquid contrà novam methodum jam XII seculo *S. Bernardus*, *Wilhelmus à S. Victore*, aliique scripserint, nihil tamen potuit ardorem cohibere novâ hâc arte inclarescendi. Parisiis seculo XIII docuerunt, qui adhuc inter scholasticos celebratissimi sunt, Alexander Halesius Franciscanus, *doctor Irrefragabilis* dictus; Albertus ex S. Dominici familiâ, qui *Magni* nomen accepit; S. Thomas Aquinas, Alberti discipulus, *doctor Angelicus*; Joannes Duns Scotus ex S. Francisci ordine, *doctor Subtilis*; S. Bonaventura ejusdem ordinis, *doctor Seraphicus*. Unus præ cæteris, *S. Thomas* concinnè et ordinatè sacram hanc scientiam tractavit; ejus Summa theologica in tres partes distributa est, eo ordine et rerum contextu, eâ philosophandi sobrietate simul et perspicacitate, ut ratio ubiquè famuletur. Quarè omisso Sententiarum Magistro, qui multa confusè et perturbatè tractat, Theologi penè omnes rationem et methodum S. Thomæ secuti sunt. Cùm paulò post Scotus novas opiniones S. Thomæ doctrinæ opponeret, natæ sunt scholæ *Thomistarum* et *Scotistarum*.

Tertiam instituit Regidius Colonna Augustinianus, pro seculi illius more *doctor fundatissimus* appellatus. Seculo XIV Vilhelmus Occam Minorita à Scoti, quem magistrum habuerat, sententiâ discessit, et scholæ *Nominalium* initium dedit. Ne et ipsi honoris titulus deesset, *doctor singularis* vel *venerabilis inceptor* vocatus est. Accessit demùm his scholasticorum sectis quinta *Recentiorum* dicta qui cùm in nullius magistri verba jurandum esse dicerent, systema *ecclecticum* constituerunt.

EPOCHA IV.

A seculo XV usque ad tempora nostra.

60. Quantaecumque fuerit eorum qui hoc scholasticæ theologiæ studium ingressi sunt celebritas, nunquàm tamen defuerunt viri maturioris ingenii et positivæ, ut vocatur, theologiæ cultores, qui scholasticas tricas et artis non philosophicæ sed sophisticæ aberrationes damnârunt. Jam vidimus quænam fuerit S. Bernardi et aliorum quorumdam ipsius ætatis doctorum sententia. His meritò adjungemus *Joannem Salusburiensem*, qui postmodùm episcopus Carnotensis factus est, et *Petrum Blesensem*, anno 1200 mortuum. Nec defuerunt deinceps qui illam rem aut querimoniis, aut risu dignam habuerunt, ut *Nicolaüs Clemangis* L. de studio theologico, *Joan. Gersonius* universitatis Parisiensis cancellarius, ambo seculi XV scriptores, *Laurentius Valla* et *Rudolphus Agricola* eodem seculo bonæ latinitatis et humanarum litterarum cultores eximii. Seculo XIII, Gregorius IX ad Parisienses doctores gravissimam direxit epistolam, quâ ipsos jubet ad veterem methodum redire; idem à Joanne XXII, seculo XIV, factum legitur. Seculum decimum quintum doctorum et litteratorum nominum feracissimum fuit. Captâ, anno 1453, Constantinopoli, litteræ ex novâ Româ in antiquam remigrârunt, magnusque doctissimorum hominum numerus ex Græciâ profugus, linguarum et veteris litteraturæ studium per Europam propagavit. Illuxit tunc Occidenti post longas tenebras aurora renascentis diei; mentes ad meliorem eruditionem excitatæ, veræ philosophiæ, Scripturæ sacræ et Patrum studium impensiùs colere cœperunt, ac theologiam à pseudo-scholasticæ sordibus abstergere. Non tamen ita extingui subitò potuit insatiabilis rixandi libido, ut non hoc adhùc tempore turbas in Galliâ excitaverit; quasi voluisset novo experimento probare, quantùm ad commovendos turbandosque animos valeat. Celebre est, quod inter Nominales et Realistas, sub Ludovico XI in Galliâ exarsit acerrimum bellum, in quo diù et pertinaciter et ancipiti fortunâ pugnatum est.

Intereà latiùs semper sese diffudit bonarum artium cultura et vitiosæ subtilitatis, ac corruptæ et incultæ dictionis contemptus. Hæc læta fuerunt seculi XV ini-



tia quæ spem faciebant integræ restaurationis studiorum, nisi gravissima religionis dissidia animos in nova odia conjecissent, ex quibus ingens orta est rerum omnium tùm sacrarum, tùm profanarum perturbatio. Non possum igitur satis mirari, quòd Protestantes velint suam reformationem ut integræ theologiæ epocham statuere. Ità scilicet etiam bona ingenia excæcat partium studium! Quis nescit novam studiorum rationem et solidioris doctrinæ gustum antè Lutheri ab avitâ Religione defectionem, ubiquè fuisse diffusum, atque in Italiâ potissimùm, ubi Romanorum Pontificum et Medicææ domûs in litteratos munificentia magnum sacris et profanis scientiis incrementum dedit? Florebant tunc in sacris non minùs suo in scholasticos odio quàm litterarum studio celebres viri, *Reuchlinus, Erasmus, Nizolius, Ludovicus Vives*, aliique penè multi inter Catholicos. Quin et ornatissima inter novatores ingenia, ut *Melancthon, Ulricus de Hutten*, et, si vis, *Lutherus* et *Calvinus*, in catholicorum scholis enutriti, quidquid doctrinâ et eruditione valebant, hoc non à novâ Ecclesiâ acceperunt, sed in eam intulerunt. Porrò concilium Tridentinum, sicut in reformandis aliis abusibus omnem operam posuit, sic etiàm catholicos theologos ad solidiorem sacratioremque theologiæ tractationem non parùm excitavit. Inter concilii hujus patres sedit *Melchior Canus*, Canariensis episcopus, cujus est egregium opus de Locis theologicis, non minùs dictionis puritate, perspicuitate, quàm rerum varietate et gravitate commendandum. Magnam igitur theologia ex generali litterarum restauratione utilitatem cepit; ab hâc epochâ nobiliorem quamdam formam induit, factâ paulatìm conversione scholasticæ in dogmaticam. Impossibile est theologorum, qui ultima hæc secula illustrârunt, indicem texere. Nota sunt celeberrima *Bellarmini*, magni *Petavii*, *Natalis Alexandri*, *Turnelii*, etc., nomina. Magna quoque recentiorum theologorum, qui novâ methodo atque ad genium hujus temporis accommodatiùs scripserunt in hanc rem merita. Inter alios nominare sufficiat *Stephanum Wiest*, cujus opus theologicum majus multiplici eruditione confertum, multam et variam messem offert legentibus.

ART. II.

De studiis theologicis.

61. Inter varia studii objecta quibus vir theologus operam suam debeat impendere, vel saltem utiliter possit, alia directè essentialiterque ad scientiam theologicam pertinent, seu potiùs eam constituunt, alia verò indirectè, quasi solùm eidem scientiæ subsidia ministrarent. Ista studii theologici secundarium exhibent objectum, illa primarium : de utroque seorsìm dicendum.

Porrò ad primarium illud studii theologici objectum ea revocare oportet studia quæ si omitterentur, jam viri theologi doctrina de Deo seu de Religione manca staret et incompleta; neque, ut eadem enumeremus, aliud expendendum quàm ipsum theologiæ intentum.

Quippè, absolutis principiis naturalibus, probatisque factis religionis christianæ veritatem adstruentibus, atque tandem his præambulis Ecclesiam adeptus, jam id solum intendit theologus, nempè doctrinam catholicam cultumque ex verbo divino ab Ecclesiâ interpretato requirere, quod est traditionem seu scripta Patrum et Theologorum, Conciliorum decreta Summorumque Pontificum, Ecclesiarum consuetudines, etc., investigare; ex illis educere conclusiones; alia tandem disserendo producere, quibus scientia theologiæ efflorescit. Hìnc primo ac summo loco scrutanda est Scriptura sacra, cujus notitia ex quotidianâ lectione familiaris sit oportet. Sed multa de hoc studio grato æquè ac necessario videas *in Cursu completo Scripturæ Sacræ*. Superest igitur hìc nobis de studio Patrum et Doctorum, seu Theologorum, Conciliorum, Decretalium S. Pontificum, juris canonici, historiæ ecclesiasticæ atque tandem philosophiæ dicendum. De illis autem licèt ex officio sit tractandum infrà, de Locis theologicis, plura tamen pro rei opportunitate præmittemus.

62. 1° De studio Patrum et Doctorum. Auctor tàm pius quàm doctus, P. Martinus Gerbert, *in Apparatu ad eruditionem theologicam*, ex ipso nomine *Patrum* studium incipit commendare : « Isti, inquit, quo honore ab eo suscipiendi, quà reverentiâ suscipiendi ipsâ nominis appellatione indicamus, dùm eosdem *Patres* nominamus. Observârunt eruditi, isto honoris nomine, suos doctores, hebræos etiam olim salutâsse : imò Romanis etiam ac Græcis doctores suos Patres appellatos esse. (Vid. Christoph. Heumanni Via ad historiam. Lit. c. 4, § 21.) Plures tamen nobis existunt causæ, cur antiquos Ecclesiæ doctores hoc nomine appellemus. Ipsa antiquitatis veneranda canities, tunc conjuncta cum scientiâ pietas sanctitasque, Ecclesiam piam matrem induxit eos hoc honoris titulo honorandi, quos perspexit doctrinâ sanâ filios Ecclesiæ generâsse ac cœlesti pabulo verbi Dei sollicitè nutrisse : quorum cùm plures pastores etiam et præsides Ecclesiarum sint, tantò majori auctoritate pollere debent, quòd à Deo docendi Ecclesiam regendique munus acceperunt, ut eorum unanimis conspiratio etiam dùm dispersi, nec congregati in Conciliis sunt, tamen invictum argumenti robur præbeat theologo, quòd partim, ut diximus, tales extiterint quibus concreditum est verbi divini depositum, partim sint idonei testes doctrinæ, suo tempore in Ecclesiâ vigentis. » Cap. 7.

Quomodò verò, seu quà dispositione ad studium Patrum Theologus accedere debet, sic egregiè auctor gallicus anonymus, cujus verba ipse idem Gerbert in sermonem latinum vertit, quæque post ipsum referre operæ pretium est : « In Sanctis Patribus non sunt quærendæ cogitationes seu sententiæ splendidæ, aut verba magnifica, nec loci illi speciosi quibus aliquandò ornabantur sermones et actiones causarum. Verus in illis inquirendus Scripturæ sensus, solidæ probationes dogmatum, securæ disciplinæ ac morum regulæ. Quærenda in SS. Patribus ratio ac methodus convertendi ad fidem infideles ac hæreti-

« eos impugnandi ; ars regendi animas, interiores vitæ, « vera pietas, idque non in hunc finem ut de iis disserere possimus, sed in praxim redigantur. Præ primis discamus prudentiam circumspectionemque « antiquorum, quatenùs præsenti rerum statui omnia « accommodemus; neve odio exponamus sanctas eorum « regulas et effata, nimirùm ea urgendo extendendoque, « aut ea importunè applicando, evitando nimiùm antiquitatis revocandæ studium annisumque : opus « enim foret integram eam restituere, cùm pars sola « sine alterâ non consisteret congruè, seu avulsis reliquis partibus. Illis nos impensiùs addicamus quæ « propiùs ad nos reformandos spectant, magno orationis studio in ordinem redigendo statum interiorem « ac mores. Deniquè communicemus aliis veritates « quarum cognitionem Deus nobis concesserit, sine « contentione, sine verborum asperitate ac exprobratione. Primi nos simus qui in praxim id revocemus « quod melius esse atque ad nos pertinere visum fuerit. Identidem ad preces recurramus, patienter expectantes donec Deo placuerit consummare opus. » Apud Gerbert, ibid.

Quod spectat ad modum in Patribus theologiam positivam investigandi, nihil pretiosius esse poterit lectoribus quàm operum illorum delectum habere ex doctissimo Mabillonio, qui ipse cum solitâ suâ modestiâ eum, quoad majorem partem, ex episcopo Meldensi, Bossuet, tenere fatetur : « Une des principales choses que l'on doit rechercher dans la lecture des Pères, est la science des dogmes de la Foi, et l'explication de l'Écriture-Sainte, que l'on comprend ordinairement sous le nom de théologie positive. Cette étude peut être divisée en deux parties, dont l'une traite des dogmes de la Foi par rapport aux fidèles, ce qui est proprement la théologie des Pères ; l'autre par rapport aux Païens, aux Juifs et aux hérétiques; et celle-ci s'appelle controverse. Il est à propos de commencer par la première, à moins qu'on ne veuille mêler l'une avec l'autre : et il est bon de lire pour ce sujet, 1° les 3ᵉ, 4ᵉ, et 5ᵉ livres de St.-Irénée, et surtout le 3ᵉ; le livre que Tertullien a fait de la Prescription contre les hérétiques, et ensuite le *Commonitorium*, ou avertissement de Vincent de Lerins. On peut dire de ce petit livre ce que Cicéron disait du livre d'un académicien : *Est non magnus, verùm aureolus et ad verbum ediscendus libellus.*

« Il faudra lire ensuite le 5ᵉ tome des dogmes du père Pétau, afin de voir les principales difficultés qui se trouvent dans les Pères et les expressions particulières dont ils se sont servis en leur temps. On peut aussi voir le 3ᵉ vol. que le père Thomassin a donné depuis peu au public sur le même sujet.

« Après avoir lu ou parcouru ces volumes, il faut étudier les Pères, ou de suite, ou par ordre de matières. La 1ʳᵉ méthode est trop longue, la 2ᵉ est plus courte et peut-être plus utile.

« Si l'on juge à propos d'étudier les dogmes à part, sans rapport à la controverse, il est bon de commencer cette étude par la lecture des Pères qui peuvent donner une idée générale de la religion, comme sont les livres de St.-Augustin, *de catechizandis rudibus,* ceux de la doctrine chrétienne, son traité de la véritable Religion, et celui des mœurs de l'Église, avec son *Enchiridion;* Eusèbe, de la Préparation et de la démonstration de l'Évangile, etc.; le livre de St.-Fulgence, *de fide ad Petrum,* où il donne quarante belles règles touchant la foi.

« Pour le traité de la Trinité, lisez St.-Athanase sur l'explication du Consubstantiel, les 5 oraisons de S. Grégoire de Nazianze, touchant la théologie, savoir la 33ᵉ et les quatre suivantes ; les 10 livres de St.-Hilaire, St.-Basile contre Eunomius ; St.-Augustin contre Maximin Arien, et les premiers livres de son ouvrage sur la Trinité, et le livre qu'en a composé St.-Fulgence.

« Touchant l'Incarnation, la lettre de St.-Athanase à Épictète, celle de St.-Augustin à Volusien, son traité de la Persévérance, où la prédestination de Jésus-Christ est expliquée sur la fin ; les lettres de St.-Cyrille d'Alexandrie, qui furent lues au Concile d'Éphèse, et celle qu'il écrivit sur l'accord avec les Orientaux ; la lettre de St.-Léon à Flavien, la définition du concile de Chalcédoine, les anathématismes du 5ᵉ concile la définition du 6ᵉ Concile, St.-Fulgence, la lettre de St.-Bernard à Innocent II, contre Pierre Abeilard, touchant la satisfaction de J.-C. et la rédemption.

« Touchant le St.-Esprit, les livres de St-Basile et ceux de Didyme, qui se trouvent parmi les ouvrages de St.-Jérôme, son traducteur et son disciple.

« Pour la grâce, les 8 Canons du Concile de Milevis, le livre de St.-Augustin, de l'esprit et de la lettre, ceux de la grâce et du libre arbitre, de la correction et de la grâce, de la prédestination des Saints, du don de la persévérance, les réponses de St.-Prosper aux objections de Vincent, et contre le collateur, le 2ᵉ Concile d'Orange, et la sixième session du Concile de Trente, l'Épitre du Pape St.-Célestin aux Gaulois, St-Prosper et St. Fulgence.

« Pour les Sacrements, les 7 livres de St.-Augustin touchant le Baptême contre les Donatistes, ses livres contre Parménien, les uns et les autres sur l'efficace des Sacrements en général ; St.-Justin pour le Baptême et la Liturgie ; les Catéchèses de St.-Cyrille de Jérusalem touchant l'Eucharistie, le traité de St-Ambroise *de initiandi* , le traité des Sacrements qui est parmi ses œuvres, l'Homélie 83 de St.-Jean-Chrysostôme sur St.-Matthieu, les Catéchèses de St.-Gaudence. On trouvera les extraits de la plupart de ces Pères dans l'office du St.-Sacrement, pour chaque semaine de l'année. Pour le Baptême et l'Eucharistie, la lettre de St.-Fulgence à Ferrand touchant le Baptême d'un Éthiopien moribond. Pour la Pénitence, Tertullien, de la Pénitence, les lettres de St-Cyprien, son traité *de Lapsis,* la lettre de St.-Pacien à Sempronien contre les Novatiens. St.-Ambroise de la Pénitence, la dernière des 50 homélies de St.-Augustin, son sermon 32, *de verbis Apostoli;* St.-Fulgence de la Rémission des péchés. Sur la prière pour les morts, le livre de St.-Augustin, *de curâ*

pro mortuis agendâ. Il faut voir aussi son *Enchiridion*.

« Sur la nature de l'âme, on peut lire le dixième livre du même St.-Augustin de la Trinité.

« Touchant l'Église, voyez St.-Cyprien de l'unité de l'Église, sa lettre à Antonien, le livre de St.-Augustin de l'unité de l'Église, plusieurs de ses lettres sur les Donatistes, auxquels il faut joindre le livre de M. Nicolle, touchant l'unité de l'Église. Les lettres de St.-Ignace pour l'autorité épiscopale, avec la défense de Pearson, la plupart de celles de St.-Cyprien sur le même sujet, et pour le gouvernement ecclésiastique, particulièrement celles qu'il a écrites au Pape St.-Corneille, à Florentius, Pupiénus, etc.

« Sur l'autorité du témoignage des Apôtres, St.-Jean Chrysostôme, première Homélie sur St.-Matthieu, les deux premières sur St.-Jean, les quatrième et cinquième sur la première aux Corinthiens, chap. 1, v. 26, sur ces mots : *Non multi nobiles*. Sur la tradition et l'autorité des décisions de l'Église, St.-Irénée, liv. 3, contre les hérésies, Tertullien des Prescriptions, et le chapitre troisième de son livre, *de Coronâ militis*, avec le chap. 17 du livre de St.-Basile, touchant le St-Esprit, et le *Commonitorium* de Vincent de Lerins.

« Sur la forme des jugements ecclésiastiques, les premières actions du Concile de Chalcédoine, les actes du cinquième concile, du sixième et du septième. Voilà pour ce qui regarde la plupart des dogmes en général et en particulier.

« A l'égard de la deuxième partie qui concerne les controverses, il faut lire toutes les Apologies qui ont été faites pour les Chrétiens contre les Païens, c'est-à-dire celles de Tertullien, d'Origène contre Celse, de Justin, et ses Dialogues avec Tryphon, d'Athénagoras, de Minutius Félix, les Institutions de Lactance, etc. Il faut lire aussi les anciennes professions de foi, outre les Symboles, comme celles des évêques d'Afrique dans le troisième livre de Victor de Vite, et même celles des hérétiques, dont quelques-unes se trouvent dans les remarques du Père Garnier sur Marius-Mercator.

« Il ne sera pas aussi inutile de lire les rétractations ou abjurations des hérétiques et autres, comme celle du Moine Leporius, imprimée par le Père Sirmond, etc.

« Pour ce qui est du détail des hérésies, il faut voir S. Épiphane, S. Augustin, *ad quod vult Deum*, S. Irénée, le Moine Léonce, dont les ouvrages se trouvent dans la Bibliothèque des Pères. Théodoret dans les 5 livres qu'il a composés des fables des hérétiques, a fait un précis de S. Irénée. En particulier S. Ignace a écrit contre Simon-le-Magicien, et ses adhérents; S. Irénée contre Valentin; Tertullien contre les Valentiniens et contre Marcion; S. Cyprien et S. Pacien contre les Novatiens; S. Athanase, S. Hilaire, S. Ambroise et S. Augustin contre les Ariens; le même S. Athanase contre les Sabelliens; S. Basile et S. Grégoire de Nazianze contre les Eunomiens; S. Augustin et Optat contre les Donatistes; S. Jérôme contre Origène, Jovinien, Helvidius, Vigilance et Pélage; S. Augustin contre les Manichéens, les Pélagiens et les Jovinianistes; S. Cyrille d'Alexandrie contre les Nestoriens, et ses 10 livres contre Julien-l'Apostat, S. Léon contre les Eutychéens et les Priscillianistes; S. Prosper contre les Sémi-Pélagiens, S. Sophonius de Jérusalem et S. Maxime contre les Monothélites; S. Jean de Damas, et S. Théodore-Studite contre les Iconomaques; S. Anselme contre les Grecs. Il ne faut pas oublier ce que S. Athanase a écrit contre les Gentils, la Préparation évangélique d'Eusèbe contre les Gentils, non plus que sa démonstration contre les Juifs. » Traité des Études monastiques, part. 11, chap. 4. Vide ipsum Bossuet, in opere inscripto : *Défense de la tradition des Pères*.

Sed de studio Patrum legendum est potissimùm opus eximium cui titulus : *De la lecture des Pères*, auctore P. Dargone, carthusiano.

Quæ de Patribus, eadem de theologis scholasticis, servatâ proportione, dicenda sunt. Ex pluribus discriminibus illud maximè advertendum, quòd Patres toti essent in doctrinâ stabiliendâ, exponendâ, vindicandâ, dùm theologi non adeò hujus modi curis addicti, opinionibus, systematibusve defendendis magis studebant. Hinc regula nulla potior in operibus eorum scrutandis, nempè sedulò secernere quod docuerint ut testes traditionis catholicæ, et ad doctrinam pertinet, ab eo quod ut opinionem propugnaverint, et id sæpiùs negligendum.

63. 2° De studio Conciliorum. Definitiones Conciliorum doctrinam exhibent catholicam, eorum verò canones regulas ad hierarchiam, liturgiam variasque administrationis ecclesiasticæ partes spectantes : hinc atque eo solo manifestum est quantam illis operam impendere debeat theologus. Prætermissis hujus studii præscriptionibus, id solum monere volumus, scilicet doctrinam maximè in antiquis conciliis, regulas verò juris cononici in recentioribus esse quærendas; utrumque verò in concilio Tridentino, cujus decreta atque canones nunquàm ex memoriâ theologi viri excidere fas est.

De Conciliis præclariorem tractatum exhibet opus inscriptum : *De l'étude des Conciles*, auctore Salmon. Collectio verò Conciliorum, curante P. Labbeo, cæteris præstat, præsertìm si animadversiones et supplementa D. Mansi accedant.

64. 3° De studio Decretalium SS. Pontificum et juris canonici. Neglectâ quæ primùm occurrit quæstione, nimirùm de vi decretorum SS. Pontificum in rebus fidei, nam ad tractatum de Ecclesiâ pertinet, contendemus tamen eâ magnâ animi reverentiâ ac submissione esse accipienda, cùm præsertim advertamus in tot tantisque definitionibus eorum ac decretis nullum deprehendi *cum certitudine* in fide aut moribus errorem; dùm ex adverso nihil unquàm in Ecclesiâ stare potuisse, quod reprobaverint, vel etiam quod non aliquo modo suâ confirmaverint auctoritate. Igitur jam sub respectu fidei et morum non parvam eis sedulus operam præstabit theologus. At verò in iisdem prætereà reperiet canonicas regulas, seu copiosam juris canonici partem. Porrò sub illo novo respectu magna disce-

ptatio potissimùm occurrit, nempè de authenticitate epistolarum SS. Pontificibus priorum seculorum adscriptarum, prout in celebri collectione Isidori Mercatoris traduntur : neque major in theologià, præter dogmata, agitari potest quæstio, an scilicet solo scientificarum regularum critices defectu uniusque impostoris ausu totum jus ecclesiasticum vetus perturbatum ac immutatum octavo seculo locum cesserit novo, quod tamen ut perantiquum fuisset editum ; et hæc quidem absque ullà reclamatione, cùm plurima omnium Ecclesiarum et episcoporum jura improbà innovatione fuissent ablata ! Eà de re olim acriter fuit disputatum ; nunc autem docti de his duobus satis conveniunt, quòd scilicet decretales in collectione Isidori pleræque non sint Pontificum quibus attribuuntur usque ad Siricium, versùs finem quarti seculi, sed easdem ex sententiis sequentium Pontificum ac SS. Patrum coalescere, adeò ut decretales præfatæ, falsæ quoad authenticitatem, genuinam tamen ac veterem disciplinam exhibeant. Hæc satis pro intento nostro, si tamen Providentiæ digitum in hàc decretalium quæstione ostenderimus, cum pio Gerbert, cujus verba hìc juvat referre : « Hunc laborem examinandi per omnes particu- « las decretales priorum Pontificum Romanorum in se « primus suscepit Blondellus, in odium quidem Ro- « manæ et catholicæ Ecclesiæ, sed non respondente « successu. Quippe consilium istud profuit magìs « quàm obest : ut adeò ei Cl. Dujat (Prænot. canon. « lib. 11, c. 22, n. 6), gratias habendas pro hoc labo- « re ducat, quòd quæcumque ad Ecclesiæ Romanæ glo- « riam et auctoritatem illis in epistolis facerent, ea « ferè omnia jamdiù, si non iisdem Pontificibus, qui- « bus eripere conatur, saltem aliis Patribus et anti- « quis ecclesiasticis, optimæ plerùmque notæ, scripto- « ribus, uno fermè aut altero, vel tertio certè post eos « seculo, placuisse ostendit. Sic, quæ summo labore « convellenda sumpserat, reverà firmavit. Undè uni- « verso ejus operi confutando sufficere videtur, quod « Baronius observat merces illas Isidori *Mercatoris* « per Riculphum primùm illatas in Galliam ex Hispa- « nià fuisse, ne quis calumniari possit, ab Ecclesià Ro- « manâ ejusmodi commentum prodiisse. » *Apparat. ad erud. cap.* 5. Vide etiam ejusd. Gerbert cap. 6, de jure canonico, ex quo capite regulam hanc ex verbis Petri à Basilicâ lib. 7, cap. 2, mutuamus, à S. Carolo Borromæo servatam : « Canonum ea, inquit, scientia « ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mores et acta re- « præsentans, Ecclesiæ componendæ atque ordinan- « dæ rationem continet. Dolens autem eos tantum- « modò canones communi consuetudine ad interpre- « tandum seligi, qui ad lites judiciaque valent. Con- « stituit ipse, qui iis declarandis præesset, undè sacra « majorum instituta et ritus, optimumque Ecclesiæ « administrandæ genus hauritur. » Hæc regula optima est ac sufficiens, modò addatur quòd quisque theologus legum notitiam canonicarum in suà regione vigentium potiori curâ sibi debeat comparare.

65. 4° De studio Historiæ ecclesiasticæ. Non tàm specialem scientiæ theologicæ quàm universos fontes exhibet historia ecclesiastica, eos non successivè ac seorsìm, sed simul atque in actione communi et mutuà producens; nempè SS. Patres, Doctores, SS. Pontifices, Episcopos, non solùm ut scriptores vel pastores, sed etiam ut in variis negotiis tùm ecclesiasticis, tùm civilibus actores, atque bellis exterioribus, vel dissidiis hæreticalibus pro re catholicâ stantes permixtos. Hìnc scripta Patrum faciliùs intelliguntur; hìnc rationes decretorum in conciliis latorum, decretalium SS. Pontificum ac totius juris canonici, necnon et errorum ac perturbationum sponte suâ patescunt, lumine historico collustratæ. Tùm in istis, tùm in aliis perplurimis ab auctoribus totiès recensitis utilitatibus historiæ ecclesiasticæ exponendis diutiùs immorantes, multa diceremus, nisi huic specialem, pro rei momento, intenderemus alibi præstare operam. Sufficiet igitur hìc juniores theologiæ candidatos id monere, nullum studium tàm utile, ut disponantur ad cursum theologiæ, nullum tàm necessarium ad theologum sub omni respectu formandum, nullum proindè tàm pretiosum atque gratum ipsis extare posse (1); undè iisdem nihil tam peroptandum esse quàm ut eruditum, pium ac prudentem ductorem inveniant, qui eorum primos saltem in curriculo tàm vasto gressus tutos faciat atque rectos. Videas monita quæ de historiæ ecclesiasticæ studio tradit, sed breviùs, doctissimus Liebermann in suis Prolegomenis.

Cùm historia ecclesiastica chronologiam atque geographiam complectatur, saltem ut elementares notiones, de illis nullam peculariem mentionem habemus.

Superesset de Philosophiæ studio dicendum, necessario quidem tùm ad artem dialecticæ in parte scholasticâ exercendam, tùm etiam ad principia naturalia comparanda; sed de usu rationis et philosophiæ satis disseretur in Locis theologicis.

66. Hæc studia à nobis digito indicata, non tractata, ad theologiam adæquatè sumptam attinent, seu constituunt scientiam ecclesiasticam quæ à nemine theologo fas est exulare. Non tamen omnia omnibus æquè necessaria sunt, sed quisque, pro viribus ingenii, pro conditione, sanis illustratus consiliis, impendat operam. Qui verò eadem altiùs voluerint perscrutari, jam iis potissimùm necessaria sunt ea studia subsidiaria quæ spectare diximus ad secundarium theologiæ objectum, quæ quidem hìc solo propè nomine sat erit significare.

1° *Philologia*, strictè sumpta, seu idiomatum notitia, præsertim græci, ad legendos Patres Græcos,

(1) Sic de historià ecclesiasticâ incipit P. M. Gerbert : « Accedimus nunc ad caput theologo formando « multò magìs necessarium quàm vulgò existimetur ; « quod se in omnes partes hujus disciplinæ quàm la- « tissimè diffundit ; ut si à me (quemadmodùm à ma- « ximo illo rhetore Demosthene quæsitum legimus) « repetitis vicibus quis sciscitetur, quid præstantissi- « mum summèque necessarium existimem, quod ille « de actione in Oratorià, ego de historiæ et antiquita- « tis ecclesiasticæ in Theologià usu sim in responsis « daturus. » Ibid. c. 8.

Ità seculo proximè elapso Doctor ille Germanus de historià ecclesiasticâ sentiebat. Videas ipsum nostrum Canum de necessitate historiæ ecclesiasticæ infrà, de hist. humanà. P. S.

hæbræi autem ad Scripturæ sacræ intelligentiam; de latino tacemus, quod necessarium esse viro ecclesiastico nemo inficietur.

2° *Litteræ humaniores*, quibus et ingenia hominum et rerum tractationes lepidè ornantur; earum autem cultura Ecclesiasticis, diverso tamen gradu, necessaria dicenda est.

3° *Historia profana*, cujus notitia tantùm utilitatis confert studio Historiæ ecclesiasticæ, ne dicam illam necessariam.

4° *Scientiæ naturales*, ut *Physica*, *Historia naturalis*, ut etiam *Mathesis*, quæ licet magis remotè ad scientiam ecclesiasticam attineant, non tamen frustrà à pluribus coluntur, tùm ad discutiendas quasdam difficultates Scripturæ sacræ, vel Historiæ ecclesiasticæ, tùm ut per viros ecclesiasticos ad suum finem revocatæ, iterùm principiis sanctis quasi aromatibus, ut ait Baco, istæ naturales Scientiæ à corruptelà serventur. Hæc per transennam dicta de studiis subsidiariis sufficiant; caveant tamen qui ea sectari intendunt, vel etiam scientiæ theologicæ arcana rimari, ne suas vires in tot objecta æquè diffundentes, nimis debilitent, atque indè ad effectum spectabilem minùs valeant. Sese potiùs uni vel alteri, pro ingenio, conditione et voluntate superiorum scientiæ addicant, v. g., theologiæ propriè dictæ, Scripturæ sacræ, Historiæ ecclesiasticæ, etc., ad quam revocabunt cæterorum notiones quas, prout opus erit, delibaverint. Deniquè, ut his obiter aliundè peractis finem imponamus, quisque Theologi nomine decorari intendit, sese studiis non iisdem quidem, si necessaria prorsùs excipiantur, neque eodem gradu, attamen certè magnis et continuis sciat mancipatum (1), audiatque inclytum theologum D. Greg. Nazianz. contra temerarios, non verò eruditos Theologos indignantem : « Cùm linguæ, inquit, « pruriginem hâc tempestate vigentem conspicio, Sa« pientesque diei unius momento exortos, atque theo« logos electione ac suffragio effectos, quibus ad eru« ditionem comparandam satis est, si voluntatem so« lam afferant, Philosophiæ supremæ desiderio teneor, « ac juxtà Jeremiam, extremum quemdam secessum « requiro, mecumque ipse solus vitæ consuetudinem « habere concupisco. » Orat. 29.

CAPUT VI.

De dotibus viri Theologi.

67. Dotes illæ quibus verus ac tanto nomine dignus Theologus efformatur, tùm ad intellectum in veri cognitione, tum ad voluntatem in boni operatione, spectant. Sub priori respectu jam in capite superiori dictum est, ubi de studiis theologicis, quibus scientiam sibi comparare debet theologus hujus verbi divini haud immemor : *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus.* Malach. 2, 7. Nunc altero sub respectu, nempè voluntatis, disserendum; atque primùm in genere cum SS. Patribus, sanctitate ac puritate mentis quòd theologus pollere debeat, statuimus; deinceps de quibusdam dotibus specialibus plura subjungemus.

1° *Sanctitate* ac *pietate*, seu *puritate mentis* sese conspicuum præstare debet vir theologus. De quâ dote omnium maximâ, seu cæteras secum afferente, si realis ac solida sit, plura SS. Patrum seligemus testimonia post eruditissimos piosque viros Petavium et Thomassinum, in suis Prolegomenis. « Præter fidem verò, inquit Petavius, æternùm quoque virtutum choro stipatum esse theologum debere, incredibilis est antiquorum consensio, è quibus pauci isti sunt ad manum. Primùm Augustinus in primo de Trinitate, de hujus mysterii cognitione agens, hoc ait : « Ecce illud « summum bonum, quod purgatissimis mentibus cer« nitur. » Et rationem mox hujus affert : « Quia hu« manæ mentis acies invalida in tàm excellenti luce « non figitur, nisi per justitiam fidei nutrita vegetetur. » Chrysostomus item : « Cùm ubiquè religiosâ mente « opus sit, tùm verò potissimùm esse, dicit, cùm de « Deo aliquid loquimur, aut audimus. » Eleganter quoque Cyrillus Alexandrinus, cùm verba illa de Psalmo ad id accommodàsset : *Vacate et videte quoniam ego sum Deus*, ità pergit : « Oculus enim corporis pul« vere ac fumo cæterisque rebus vacuus quæ turbidum « illum efficiunt, subtilem, nec impeditam vim ad ea « quæ sibi objiciuntur, adjicit. Sin autem affectione « aliquâ sit oblæsus, minùs in illis, quàm par est, de« figet aciem : nec abhorret, ut ab exactâ rei percep« tione nonnunquàm decrret. Ità mens humana, si « quieta sit et tranquilla, et vanis ac nefariis cogita« tionum imaginibus vitandis assuefacta, auctè clarè« que cernit, et certam sine errore notitiam rerum « accipit. Quòd si affectu quopiam crassescat, non jam « divinam pulchritudinem perspicere poterit; sed quo« dam modo terrenis rebus incubabit; perindè ut avi« culæ, pennis madefactis, quominùs in altum evolent, « impediuntur. » Sunt enim quædam animæ pennæ, quibus ad rerum, maximè divinarum, contemplationem in sublime pervehuntur, de quibus Plato in Phædo, ex eoque Synesius in Dione, et alii Platonici passim.

« Diadochus paulò anteà à me laudatus in capite LXXII libri ejusdem de Perfectione spirituali : « Theo« logus, inquit, id est, rerum divinarum contemplator, « eloquiis Dei d initus est et inflammatus animo, appli« cat se in illâ laxitate ac latitudine opportunâ contem-

(1) Ex Augustino accipiamus quanta sit Doctrinæ christianæ profunditas, quantis proindè studiis incumbere debeat Theologus : « Tanta est, inquit ille om« nium doctorum doctissimus, christianarum profun« ditas litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, si « eas solas ab ineunte pueritiâ usquè ad decrepitam « senectutem maximo otio, summo studio, meliore « ingenio conarer addiscere. Non quòd ad ea quæ ne« cessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficul« tate, sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine quâ « piè rectèque non vivitur, tàm multa, tàmque multi« plicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda « proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, « quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus quæ « intelligendæ sunt latet altitudo sapientiæ, ut anno« sissimis, auctissimis, flagrantissimis cupiditate dis« cendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam « loco habet : *Cùm consummaverit homo, tunc incipit.* » August. Epist. 1, 2, 3. P. S.

« plationum, ad moderandas aliquantùm passiones. « *Eloquia enim Domini*, ait, *eloquia casta, argentum* « *igne examinatum, purgatum terræ.* » Est ad eam rem dictum quoddam Rabbinorum inprimis memorabile, quod in Præfatione ad Josue refert R. David Kimchius. « Omnis, inquit, in quo timor peccati antecedit « sapientiam ipsius, ejus stabilis est sapientia. Omnis « autem in quo sapientia ipsius antecedit timorem pec- « cati, non est illius firma sapientia. » Graviter et copiosè locum hunc Gregorius Nazianzenus ornavit in Oratione 33 adversùs Eunomianos, quos optare se dicit, uti promptuli sunt ad loquendum de rebus divinis, et ad disputandum arguluti, sic ad rectè agendum perinde animo ac voluntate ferri. Tùm de Theologo latiùs disserens, qualem hunc esse oporteat aperit, atque inter alia : « Non omnium esse de Deo dis- « putare, dicit; sed eorum duntaxat qui explorati sint « ac contemplando longè processerunt, ac priùs etiam « tàm corpus quàm animum repurgàrunt, aut, ut par- « cissimè loquar, purgare jam instituunt. Impuro enim « rem puram attingere, fortassè ne tutum est quidem, « quemadmodum nec ægris oculis solis radios intueri. » — .... « Errat itaque, ut benè scripsit Augustinus, « quisquis veritatem se putat cognoscere, cùm adhùc « nequiter vivat. » Etenim si eruditi inter ethnicos homines tantùm inani suæ sapientiæ tribuerunt ut cum eà consistere non posse putaverint animi labes, ac vitia, sed pelli adventu illius et extingui, quis non idem christianæ, sed veræ, germanæ ac suo respondenti nomini, hoc est, theologiæ concesserit, ut amatores et cultores sui sanctos et divinos aut inveniat, aut faciat? Valer. Max. lib. 3, cap. 3. « Venerabiles doc- « trinæ sacrorum antistites Philosophia, ait profanus « quidam scriptor, inhonesto atque inutili affectu dis- « pulso, totos in solido virtutis munimento confirmat, « potentiores metu ac dolore faciens. » Et alius, Cic. 4. Acad. : « Est, inquit, animorum ingeniorumque na- « turale quoddam quasi pabulum, consideratio, con- « templatioque naturæ. Erigimur, altiores fieri vide- « mur, humana despicimus, cogitantesque supera, at- « que cœlestia, hæc nostra, ut exigua, et minima con- « temnimus. »

Sequentia inter multa alia Thomassinus nobis suppeditavit. Ex D. Augustino : « Quærite faciem ejus sem- « per. Nemo quærendo deficiat, sed proficiat. Proficit « quærens, si pietas quærit. Quomodò quærit pietas? « Quomodò vanitas? Pietas quærit credendo, vanitas li- « tigando. Si enim litigare mecum velis mihique dicere : « quem Deum colis? Qualem Deum colis? Ostende mihi « quod colis; respondebo : Etsi est quod ostendam, non « est cui ostendam. » De div. Serm. 12, nuper editos Lovani. Ex Cassiano : « Aliud namque est facilitatem oris et « nitorem habere sermonis, et aliud venas ac medul- « las cœlestium intrare dictorum, ac profunda et abs- « condita Sacramenta purissimo cordis oculo contem- « plari : quod nullatenùs humana doctrina nec erudi- « tio sæcularis, sed sola puritas mentis per illumina- « tionem sancti Spiritûs obtinebit. » Collat. 14, c. 9, 10. — « Festinandum igitur est, si adversùs Scriptu- « rarum scientiam vis pervenire, ut humilitatem cor- « dis immobilem primitùs consequaris, quæ te non ad « illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat scien- « tiam, charitatis consummatione perducat. Impossi- « bile namque est immundam mentem donum scien- « tiæ spiritalis adipisci. Et idcircò omni cautione de- « vita ne tibi per studium lectionis, non scientiæ lumen, « nec illa perpetua quæ per illuminationem doctrinæ « promittitur gloria, sed instrumenta perditionis de « arrogantiæ vanitate nascantur. Deindè hoc tibi est « omnimodis enitendum ut expulsâ omni sollicitudine « et cogitatione terrenâ, assiduum te ac potiùs jugem « sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatio « imbuat mentem tuam, et quasi in similitudinem suî « formet, arcam quodam modo ex eâ faciens Testa- « menti. » Collat. Ibid.

Ex D. Bernardo : « Quæris, quem dicam impurum? « Qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine « sumptu Evangelium, qui evangelizat ut manducet; « qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit « fructum, sed datum. Impuri sunt tales; at cùm non « habeant undè videant veritatem, propter impuritatem, « habent tamen undè illam loquantur. Quid præpro- « perè agitis? Cur lucem non expectatis? Cur opus lu- « cis antè lucem præsumitis? Vanum est vobis antè « lucem surgere. Lux est puritas, lux charitas, quæ « non quærit quæ sua sunt. Hæc præcedat, et pes lin- « guæ in incerto non ponitur. Superbo oculo veritas « non videtur, sincero patet. Non est quòd se veritas « deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec elo- « quendam. Peccatori autem dicit Deus : Quare tu enar- « ras justitias meas, et assumis Testamentum meum « per os tuum? Multi, puritate neglectâ, antè loqui quàm « videre conati sunt, et aut graviter erraverunt ne- « scientes de quibus loquerentur, neque de quibus « affirmarent; aut turpiter viluerunt, dùm qui alios do- « cerent, seipsos non docuissent. » In cant. Serm. 62.

Ex D. Gregorio Naz. : « Quæ cùm ipse nôrim, illud- « que præterea, neminem magno Deo, et sacrificio, « et Pontifice dignum esse, qui quidem priùs Deo hos- « tiam viventem seipsum non exhibuerit, aut, ut rec- « tiùs loquar, Dei vivi templum sanctum ac vivum fac- « tus sit, quî tandem fieri possit ut vel ipse prompto « animo de Deo disputationem habere aggrediar, vel te- « merè aggredientem probem? Laudanda non est hæc « cupiditas, periculosus ac metuendus hic conatus; ac « proindè purgari nos antè oportet, atque ità deindè in « illius, qui purus est, congressum et colloquium veni- « re. » Orat. 29. Ex D. Chrysostomo : « Hinc dicimus « quod meritò dicebat Christus : qui facit mala, non « venit ad lucem, et quòd vita impura est impedimento « sublimibus dogmatibus, non sinens ut appareat perspi- « cax animæ facultas. Quomodò ergò fieri non potest, « ut qui est in errore, et rectè vivit, maneat in errore; « ità non est facile, ut qui in sceleribus et flagitiis est « educatus, citò respiciat ad dogmatum nostrorum al- « titudinem. Sed ab omnibus animi perturbationibus « oportet esse liberum eum qui est venaturus verita- « tem. Nam qui est ab iis liberatus, ab errore quoque

« liberabitur, et veritatem assequetur. » In epist. 1 ad Corint. Hom. 8. — « Quùm abundaverit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Ejusmodi profectò contemptus omnes hæreses genuit; quippè ex eo quòd non diligerent fratres, secundis eorum successibus invidebant. Ex eâ autem invidiâ, dominationis ambitu tenebantur : porrò ex eâ ambitione hæreses nascebantur; idcircò et Paulus quùm dixisset, ut denunties quibusdam non aliter docere, modum etiam suggerit, quo id fieri possit. Quinam verò hic est? Charitas.... Quippè et vita impura schismata facit. Omnis enim qui malè operatur odit lucem. » ..... In hæc verba Pauli : *Volentes esse legis Doctores, et non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus affirmant,* sic habet : « Si ex ignorantiâ, quomodò peccare illos dicis? Propterea quòd legis docendæ munus sibi usurparent, tùm etiam quòd charitatem desererent. Nam ex hoc ignorantia gignitur. Nam cùm anima negotiis carnalibus seipsam penitùs dederit, hebetatur illius acies, ac penitùs obtunditur. Ubi enim à charitate deciderit, necessariò ad contentionis devolvitur studia, jamque mentis acies nihil aliud quàm rixas conspicari potest. Nempè enim is qui aliquâ rerum temporalium concupiscentiâ detinetur, ejusmodi vitio ebrius nequaquàm de veritate integrum atque illibatum potest proferre judicium : Nescientes, inquit, de quibus affirmant. » In Epist. 1 ad Timoth. Hom. 2.

Ex Synesio, episc. Cyrenes. : « Quippè rectè vitam instituere perindè arbitror ac sapientiæ initium; idque vetustissimi ac sapientissimi viri summoperè procurandum esse declarârunt. Ei enim qui impurus sit rem puram attingere nefas esse testatur divina vox. » Epist. 136. Ex Isidoro Pelusiotâ : « Impurum ac sceleratum hominem nego, non modò de fidei doctrinâ, sed etiam de ullâ re aliâ os aperire debere, quoàd per sinceram pœnitentiam animi maculas absterserit. Nam cùm peccatori dixerit Deus : Quare tu enarras justitias meas? multò magis certè ei qui animo ità constitutus est ac fidei dogmata perscrutari non veretur, silentium indixit. Tantò enim dogmata justificationibus sublimiora sunt, quantò cœlum terrâ, et animâ corpore. Quocircà, cùm vitæ integritas tibi desit, de fidei dogmatibus certamen instituere desine, ne alioquin, ut dogma quoque superetur, in causâ sis. Solent enim complures ab eorum qui loquuntur existimatione de iis quæ dicuntur sententiam ferre. » Lib. 3, Epist. 39. « Scire vias meas volunt tanquàm gens quæ justitiam fecerit et legem Dei sui non dereliquerit. Quòd si, qui ipsius vias, hoc est, consilia, curiosiùs exquirunt, summæ audaciæ notam non effugiunt, an non illi ultrà omnem audaciam progrediuntur, qui impuræ linguæ operâ de ipsomet Deo sermonem movent, ac præsertim cùm, quid sit, anxiè exquirunt? Oportet autem non quid sit exquirere, sed quod sit affirmare. Atque illud taceo, quòd apud Lacedæmonios, qui sermones actionum umbras esse non immeritò definierunt, ei, qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat. » L. 3, Ep. 232.

« Si igitur virtus et probata vitæ ratio pietatem adstruit, ac velut interpositâ sponsione firmat, ut certè facit, danda nobis opera est, ut illam habeamus, per quam pietatis doctrina evadet fide digna. Nam ei qui non benè vivit, nemo fidem adhibebit, vitio quippè et recta dogmata dehonestante, eaque recipi non permittente. Utrumque igitur pari studio retinendum est, tàm virtus quàm sana pietatis doctrina, ut quorum alterum sit fundamentum, alterum corona atque ornamentum. » L. 4, Ep. 20.

Hæc sufficiant. Probant sanè quantâ unanimitate Patres docuerint verum Theologum eum esse qui sit sanctus, pius ac virtutibus universis christianis ornatus; quem verum *gnosticum* dicit Clemens Alex. 6 Strom., seu illuminatum et sanctum. Nunc ad quasdam dotes et virtutes speciali commendatione dignas deveniamus.

68. 2° *Intentio pura.* De illâ intentione quâ primùm Theologus moveri debet, jam verbis suprà adductis ex D. Bernardo hæc addenda sunt : « Sunt qui scire volunt eo tantùm fine ut sciant, et curiositas est; sunt qui scire volunt ut sciantur et turpis vanitas est; et sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, et quæstus est; sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, et charitas est. » Serm. 36 in Cant. Concisa quidem, sed egregia verba, quorum sequentia ex Nicolao de Clemangi L. C. commentarium esse videntur : « Non ergò theologico det eo fine operam studio ut Theologiam sciat : hoc enim quædam curiositas est; non ut vulgi favorem aut plausum populi sibi per hoc acquirat, quia ventus inanis est; non ut famâ celeber et clarus habeatur, quia cassa et sterilis gloriatio est; non ut opes et divitias per eam assequatur, quia cupiditas est; non ut ad honores et dignitates proindè promoveatur, quia ambitio est; non ut Rabbi vocetur, cæteris præcellat, primus honoretur, quia superbia est; non ut in quiete et otio studii speculetur, quia torpor et remissio quædam animi est de quâ servus piger reprehenditur, quòd pecuniam domini sui, in sudario repositam, apud se servaverit, nec de illâ negotiando lucrum fecerit. Sed eâ mente ac proposito Theologiæ aggrediatur studium, ut de talento doctrinæ sibi divinitùs commisso, fideliter Deo serviendo, secum ad salutem æternam, quoscumque poterit, perducat ac lucrifaciat. Hoc enim vera charitas est, quæ, ut definit Apostolus, *finis est præcepti de corde puro, et conscientiâ bonâ, et fide non fictâ.* »

69. 3° *Sincerus veritatis amor.* « Si enim omnes scientiæ, inquit Theologus Lugdunensis, in eum præsertim usum institutæ sunt, ut latens detegatur veritas, id proprio velutì jure sibi vindicat Theologia, quæ circà Deum versatur, qui est summa veritas : *Ego sum,* inquit Christus, *via, veritas et vita.* (Joan. 14, 6.) » Utinàm omnium Theologorum animis insideret tenerrimus ille in veritatem affectus, quo inflammatus Augustinus sic exclamat : *O æterna veritas! tu es Deus meus, ubi suspiro die ac nocte!* (Confess. lib. 7, cap. 10, n. 16.)

Veritatis autem cognitionem, quâ nihil est optabilius, si velis assequi, tria potissimùm præstanda sunt : « 1° Ad eam totis viribus enitendum est. *Si enim veritas*, inquit Augustinus, *non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest ; at si ita quæratur, ut dignum est, subtrahere sese atque abscondere à suis dilectoribus non potest.* (Lib. 1 de Morib. Eccl. cap. 17, n° 31. Tom. 1, page 699.) 2° Requiritur morum integritas, et vita à vitiis quæ animæ tenebras offundunt, expurgata, et maximè sincera Dei charitas. *Errat*, inquit S. Augustinus, *quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat. Non intratur in veritatem, nisi per charitatem* (Lib. de Agon. Christiano, cap. 13, n° 14, et lib. 32 contrà Faustum, cap. 18.) 3° Frequenter orandus est Deus, ut animam veritatis luce illustret. Ipsius enim cognitio Dei donum est, qui *scientiarum Dominus est.* (Lib. 1 Reg. 2, 3.) *Qui docet hominem scientiam.* (Psalm. 93, 10.) Hinc illud Augustini (in Prologo lib. de Doctrinâ Christianâ, n° 8) : *Omne verum ab illo est, qui ait : Ego sum veritas.* Eam igitur quisque à Deo cum Prophetâ sic postulet : *Disciplinam et scientiam doce me.* (Psalm. 118, 66.) »

70. 4° *Vera pacis dilectio.* Hanc millies commendant Scripturæ oracula, ut pergit idem theologus. « Veritatem tantùm et *pacem diligite.* (Zachar. 8, 19.) *Inquire pacem et persequere eam.* (Psalm. 33, 15.) *Idem sapite, pacem habete ; Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* (2 Cor. 13, 11.) *Solliciti servate unitatem Spiritùs in vinculo pacis.* (Eph. 4. 3.) *Pacem sequimini cum omnibus.* (Hebr. 12. 14.) Ad omnes quidem Christianos hæc dicta pertinent, sed præsertìm ad Theologos spectant : 1° Quòd peculiariter Deo sese devoverint, *qui non est dissensionis Deus, sed pacis.* (1 Cor. 14, 33.) 2° Quòd sint Ecclesiæ Ministri. *Si quis autem*, ait Apostolus, *videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* (1 Cor. cap. 11, 16.) »

Ut veram pacem in Scripturis toties præceptam retineat Theologus, firmiter inhærendum est solemni huic effato : *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.* Sapientem hanc regulam egregiè sic commendat Archiepiscopus Lugdunensis, in suo percelebri Documento Pastorali, ann. 1772, pag. 132, in-4°. — « Suivons la règle que saint Augustin nous propose, si nous ne voulons pécher ni par défaut, ni par excès. Sur tous les points clairement enseignés dans l'Ecriture et les monuments de la tradition, il ne saurait y avoir entre nous trop de concert et d'uniformité : *in necessariis unitas.* La moindre hésitation serait une faiblesse, le partage un scandale, l'indifférence un crime. Ces vérités n'ont rien perdu ni de leur prix, ni de leur certitude, parce que des hommes ignorants et présomptueux osent les contester.

« Il y a d'autres questions, ou trop profondes, ou sur lesquelles l'Ecriture et les saints docteurs ne s'expliquent pas d'une manière assez décisive pour réunir tous les esprits ; et c'est à l'égard de ces points obscurs, qu'il est permis à chacun d'abonder en son sens, parce que la doctrine de la foi et la règle des mœurs sont en sûreté : *in dubiis libertas.*

« Mais de toutes les dispositions, la plus essentielle, celle qui s'étend à tous les temps et à toutes les circonstances, c'est de conserver inviolablement la charité : *in omnibus charitas.* Tout zèle qui ne coule pas de cette source divine, de quelque nom qu'on le colore, ne peut être qu'une saillie dangereuse de l'amour-propre, ou un emportement humain. »

71. 5° *Humilitas.* « Eà, dicit Theologus Lugdunensis, nihil est ad veritatem detegendam aptius : Hujus enim, ait, cognitio, donum est Dei gratuitum : *Deus porrò superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (Jacob. 4, 1. Petr. 5.) Hinc Augustinus de viâ quâ perveniturad veritatem disserens : *Ea est prima, humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem.* Epist. 118 ad Dioscorum, cap. 3, n. 22.

« Theologus autem modestè et humiliter de se sentiens, non affirmabit, quod exploratum non habuerit. Si quis error ipsi excidat, ad eum corrigendum semper paratus erit, à quocumque moneatur. Erroris admonitus sibi gratulabitur, et censori gratias aget, nedùm illi succenseat. *Absit*, inquit Augustinus, *ut lædar... imò verò absit ut non cum gratiarum actione lucris meis deputem, si fuero... te emendante correctus.* Tom. 2, pag. 164. Epist. ad Hieronymum, 73, n. 1. »

72. 6° Deniquè *animus ab omni novitate alienus et antiquitatis amans.* « Quam enim asserere et tueri debet, ut concludit idem Theologus, doctrina fidei, hæc verbo Dei scripto vel tradito tota nititur. Hinc veram doctrinam à falsâ ità secernit Tertullianus : *Manifestatur id esse dominicum et verum, quod sit priùs traditum ; id autem extraneum et falsum, quod sit posteriùs immissum.* Lib. de Præscrip. cap. 31. Ed. Rig. 1675, pag. 213. Idcircò Timotheum monet Apostolus, ut devitet profanas vocum novitates. Tim. 6, 20 : Vocum, id est, *dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt vetustati atque antiquitati contrariæ, quæ si recipiantur, necesse est ut fides veatorum Patrum, aut totâ aut certè magnâ ex parte violetur.* Ità Vincentius Lirinensis. (Commonit. cap. 24.)

Tandem, ut ipsi concludamus, totis votis à Deo Patre luminum id efflagitamus, ut universi Ecclesiæ Christi theologi ac viri ecclesiastici studiis, ut par est, dediti, virtutibusque ditati, seu præfatis his dotibus ornati, in seipsis singuli exhibeant sinceram veri theologi imaginem, quam D. Hieronymus in Nepotiano immaturâ morte abrepto sic ipse delineavit : « Sermo « ejus per omne convivium de Scripturis aliquid pro- « ponere, libenter audire, respondere verecundè, « recta suscipere, prava non acriter confutare, dispu- « tantem contra se magis docere quàm vincere, et « ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cujus es- « set simpliciter confiteri. Atque in hunc modum eru- « ditionis gloriam declinando, eruditissimus habe- « batur. Illud, aiebat, Tertulliani, istud Cypriani, hoc « Lactantii, illud Hilarii est. Sic Minutius Felix, ità « Victorinus, in hunc modum locutus est Arnobius. « Me quoque, quia pro sodalitate avunculi diligebat,

« interdùm proferebat in medium; lectioneque assiduâ « et meditatione diuturnâ pectus suum Bibliothecam « fecerat Christi. » Tom. 1 oper. Apud Thomass. Proleg. c. 1, § X.

Pars ij.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Ea pars præcisè absolvitur in sequenti opere Melchioris Cani *De Locis theologicis.* Nullum forsan opus, ejus generis præsertim, nempè *didacticum*, seu præceptivum, tantâ laudum unanimitate ac perseverantiâ cumulatum cùm inter veteres, tùm inter recentiores, reperiemus; adeò ut Cani viam sibi sternentis nonnisi vestigia terendo subsequi ausi sint qui post ipsum de locis theologicis scripsêre. Hinc illi vel solùm ejus doctrinam in compendio contraxerunt, vel simpliciter ad ipsum opus Cani remiserunt lectores. Id verò neutrum debuimus facere, cùm præcisè pro intento habeamus eximia theologorum opera edere, pro singulis theologiæ partibus. Equidem, fatemur, prolixas noster auctor dissertationes habet de pluribus locis qui nunc speciales efformant tractatus, scilicet de Ecclesiâ, de Scripturâ sacrâ, etc. Verùm neque illas ipsas partes de opere eximio removendas esse existimavimus, vel istud ut quid nefas habuimus; cùm aliundè modus de illis disserendi tanto ingenio peculiaris, nonnisi delectamentum afferre, atque lucem eruditionemque mox edendis tractatibus de iisdem objectis parare queat.

MELCHIORIS CANI VITA.

Melchior Canus, ut viris præstantissimis sæpiùs contigit, dies nunc acerrimis detrectationibus, ob magnam dicendi libertatem, nunc laudibus eximiis, ob majorem dicendi peritiam doctrinamque incredibilem, pariter exagitatos duxit. Verùm hodiè silet altùm criticæ vox, Canique vitam scribentibus, luxurians adeò occurrit documentorum honorificorum seges, ut clarissimus unusquisque theologus ad illum vindicandum conspirâsse videatur.

Melchior Canus, vulgò Cano, inquit N. Antonius Hispalensis, Prædicatorum sodalis, oppidum quoddam Toletanæ diœcesis Taracon appellatum patriam sortitus videtur fuisse 1523. Ibi enim edita est Anna ejus soror, Melchioris alterius Cani qui in eàdem dominicanâ familiâ excellentem pietatis famam sustinuit, mater. Dominicanis se aggregavit noster, Salmanticæ ad S. Stephani amplissimam hujus Ordinis domum. Profecit in theologicis maximè, sub summo ætatis suæ et professionis viro Francisco Victoriâ ibi docente; qui Cani ingenio, ut ipse aiebat, egregiè delectabatur; et tamen vereri se adjungebat, *ne hujus insolentiâ elatus et exultans* (verba audis ex principio lib. 12 de Locis) *immoderatè jactaretur, et grandior effectus, non lætè modò, et liberè ingrederetur, sed temerè etiam ac licenter præceptoris vestigia conculcaret.* Quod Victoriæ judicium ne in se comprobaret, sedulam dedisse operam, sibi ipse arrogat; quanquàm illos probare non soleat, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Fabius ait, nefas ducunt à susceptâ semel persuasione discedere. *Theologo quippè nihil est necesse* (utor semper elegantissimis et prudentissimis ejus verbis, eodem loco) *in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus, atque præstantius, ad quod ipse tendit, quàm ut magistri debeat vestigiis semper insistere, siquidem est futurus theologiæ laude perfectus.* Id verò ingenium tantæ expectationis non totum is scholæ dedit, atque ejus conflictationibus : quod ferè alii apud nos solent, nescientes quàm non lauta sibi ea, quâ maximè gloriantur, exindè cùm pedem moverint, apparitura sit supellex. Imò cogitationes suas in id se aliquandò contulisse, initio libri 10 affirmat, ut se quâvis viâ et ratione ab iis liberaret; etenìm animadvertens, verum theologum præstare illum vix posse, qui sine litterarum secularium, et historiæ cognitione, linguarumque orientalium peritiâ, jejunè dijudicandis scholæ quæstionibus horas omnes impenderit, non solùm ab his disciplinis egregia sibi comparavit adjumenta, et ornamenta, sed et insignem eloquentiæ cultum, veluti elegantissimam vestem pulchro corpori adjunxit. Quò magis instructus ad scholam rediit, cùm Academia viros illos summos amisisset, qui huic doctrinæ operam dabant; prudenter existimans honestissimum se in eo exhibiturum officium christianæ reipublicæ, si animum in scholâ suum, ut ipse loquitur libro 10, vel repugnantem contineret. Victoriâ nempè ad 1546, diem suum obeunte, Canus noster docendi locum è cathedrâ principe suscepisse dicitur. Academico isto conspicuus munere, in Italiam ad concilium venit sub Paulo III, Tridentinam ad urbem convocatum, ibique tùm perspicaciæ mentis atque judicii maturitatis, cùm profundæ sapientiæ et singularis facundiæ laudem eximiam, communi omnium collegarum sententiâ reportavit. In Hispaniam reversus, Salmanticæ adhùc docuit, succedentique vice Caroli Philippo filio gratus valdè extitit. Itaque episcopus Canariarum insularum, in

locum Francisci de La Cerda ejusdem Ordinis dominicani, creatus est. Cùm tamen huic honori, ne ab Hispaniâ discederet, renuntiâsset, non diù post electus provinciæ suæ Castellæ præfectus, anno 1560, vitam cum morte Toleti commutavit, immortali præparatâ sibi famâ, in opere illo, quod verè tot laudatores et admiratores, quot lectores habet, Locorum scilicet Theologicorum lib. 12, in quibus non modò vera refellendi universos christianæ religionis hostes, confirmandique sacra dogmata ratio, ac usus exactè ostenditur, verùm etiam omnia ferè, quæ hodie in controversiâ habentur, luculentissimè examinantur.

Id non nisi post auctoris mortem, primùm Salmanticæ publici juris factum fuit 1563, in-f°, editionem promovente D. Ferdinando de Valdes, Hispalensi archiepiscopo, cui Canus edendum legato reliquerat. Venetiis dein prodiit opus 1567, in-octavo, Lovanii 1569, Coloniæ 1574, iterùmque 1585, apud Bitkmam in-octavo, tertiòque 1605, Lugduni, 1704, Pataviique 1727, in-4°.

Præter Locos Theologicos, reliquit etiam *Relectionem* de *Pœnitentiâ* habitam in Academiâ Salmanticensi anno 1548, super decimam quartam distinctionem lib. 4 Sententiarum.

Item *Relectionem* alteram de *Sacramentis* in genere, quæ unà cum superiore ac *Locis Theologicis* vulgò edita est.

PROOEMIUM.

Sæpè mecum cogitavi, lector optime, bonine plus is attulerit hominibus, qui multarum rerum copiam in disciplinas invexit, an qui rationem paravit, et viam, quâ disciplinæ ipsæ faciliùs et commodiùs ordine traderentur. Nam et rerum inventoribus nos debere multùm, negare non possumus, et debemus certè iis multùm, qui ratione, atque arte res inventas ad communem usum accommodârunt. Equidem cùm veterum eruditionem considero, et variam in eis doctrinæ supellectilem animo colligo, non minimam video per eos invectam esse partem commodorum. Cùm autem junioris scholæ operam et curam repetere instituo, plurimas utilitates intelligo novæ hujus artis subsidio, et diligentiâ comparatas. Ac me sanè diù cogitantem ratio ipsa in hanc potissimùm sententiam ducit, ut existimem utrosque de bonis artibus juxtà esse benè meritos. Quoniam, etsi prisci doctrinarum auctores doctissimis quibusque ac diligentissimis magnam divitiarum copiam suppeditavêre; at recentiorum inopia docendi facilitate pensatur, quâ in rudium et inertium animos artificiosiùs influunt, et quæ fusè olim disputabantur ac liberè, ea nunc articulatìm pressèque dicentes, lucem non parvam inventis priscorum obscurioribus afferant. Atque hâc unâ in re, quantùm animi mei conjecturâ colligere possum, juniores vel pares antiquis, vel etiam superiores reperientur, cæteris omnibus longè inferiores. Certè post priores illos, in rerum inventione tribuere sibi posteriores vix quidquam possunt. Ordinem verò, dispositionem, perspicuitatem sibi si assumunt, videntur ea jure suo quodam modo vindicare. Quapropter utrisque legendis efficiet theologus scholasticam disputationem sine dubio pleniorem. Nam ex illis quasi materiam, ex his tanquàm formam disserendi mutuatus, potens nimirùm erit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere. Quod est (ut Apostolus Paulus ad Titum ait) christiani doctoris præcipuum institutum. Cujus explicandi desiderium omninò me movit, ut de locis theologicis disputationem instituerem, viris doctis (nisi me opinio fallit) non prorsùs ineptam, indoctis verò magnoperè necessariam. Id autem eò libentiùs feci, quòd nemo theologorum adhùc, quod equidem sciam, genus hoc argumenti tractandum sumpsit; cùm præter communem illam artem disserendi, quam à dialecticis accepimus, aliam theologus habeat necesse sit, aliosque item ad disputandum locos, undè argumenta non quasi communia et aliena, sed tanquàm propria ducat et suis dogmatibus confirmandis, et adversariorum sententiis refellendis. Hoc verò opus, arduum quidem illud, statìm exordior, si priùs animo demisso atque humili ad opem Jesu Christi supplex, abjectusque confugio. Non enim ego illud aut ingenio, aut eruditione meâ fretus aggredior, sed Spiritûs sancti auxilio atque favore; quem si Pater et Filius mihi ad hunc librum conficiendum impertierint, operæ pretium haud mediocre, ut spero, theologis facturus sum, in quorum gratiam vel maximè opusculum editur.

DE LOCIS THEOLOGICIS

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De totius operis partitione.

De Locis ego Theologicis perpetuam orationem habiturus, totam mox in quatuordecim libros partiri constitui. Quorum primus breviter enumeret locos, è quibus idonea possit argumenta depromere, sive conclusiones suas theologus probare cupiat, seu refutare contrarias. Decem reliqui erunt, qui fusiùs et accura-

tiùs doceant, quam vim unusquisque locorum contineat, hoc est, undè argumenta certa, undè verò probabilia solùm eruantur. In duodecimo et tertio decimo disseretur, quem usum ejusmodi loci habeant, tùm in scholasticâ pugnâ, tùm in sacrarum litterarum expositione. Nam in concione populari quis eorum sit usus, haud sanè difficile dictu est; sed prætereundum tamen, ne ab scholæ instituto aliena videatur oratio. Postremus deniquè liber, quoniam non omnes loci omni disputationi conveniunt, sigillatìm ostendet, quibusnam argumentis propriè adversùm hæreticos, quibus peculiariter adversùm et Judæos et Saracenos, quibus verò tandem adversùm paganos transigenda theologo disputatio sit, quandò sit cum his pro fide catholicâ decertandum. Quæ scilicet cùm, favente Deo, pleniùs absolvero, undiquè apta atque perfecta erit de locis theologiæ disputatio mea, expletaque omnibus suis numeris et partibus.

CAPUT II.

De duobus generibus argumentorum, quibus omnis disputatio transigitur.

Priùs autem, quàm locos theologicos numero, quod pars hujus disputationis prima pollicetur, illud nobis constituendum est, omne argumentum vel à ratione, vel ab auctoritate duci. His enim duobus modis cujusque rei, quæ in controversiam venit, assensionem facimus. Cùm verò in reliquis disciplinis omnibus primum locum ratio teneat, postremum auctoritas, at theologia tamen una est, in quâ non tàm rationis in disputando, quàm auctoritatis momenta quærenda sunt. Etenim locum ab auctoritate adeò sibi proprium vindicavit, ut rationes vel tanquàm hospites et peregrinas excipiat, vel in suum etiam obsequium adsciscat, quasi longè repetitas. Quippè fidei potissimùm innititur, quæ nisi ab auctoritate proficiscatur, non modò fides esse, sed ne intelligi quidem potest. Est namque fides, ut Apostolus tradit, *argumentum rerum non apparentium,* quas si certas certâ velis ratione facere, cum ratione profectò insanies. Principem itaque locum, sicut apud fideles, ità apud theologos auctoritas habet. Ratio deindè veluti pedissequa sequitur. Tit. 1, 9, hoc Apostolus videtur significare, cùm ait, oportere Ecclesiæ doctorem *amplecti eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, et eos qui contradicunt arguere.* Primùm enim stringat fidei sermonem necesse est, quicumque christianæ scholæ magister esse volet, sed, nisi mox doctrinæ rationem adhibeat, fidelis quidem esse poterit, sed fidelium doctor esse non poterit. Nam et homines quàmlibet experientes, quod ex Aristotele, 1 Metaph., rectè colligit D. Thomas, disputare cum adversariis non queunt, nisi experimento ratio artis accesserit. Utraque igitur theologo necessaria est, et auctoritas, et ratio; sed ità tamen, ut auctoritas primas in theologiâ partes obtineat, ratio verò habeat postremas. Quod ergò primæ partis fundamentum erat, præclarè illud jactum est. Nam traditi sunt quidem, è quibus argumenta ducuntur, duplices loci, uni ex auctoritate, alteri ex ratione; sed omnia fermè argumenta theologica à priore illo fonte derivantur. Quam rem, sicut et locorum numerum atque ordinem, index qui sequitur ostendet.

CAPUT III.

De Locorum Theologicorum numero atque ordine.

Quod à Platone priùs et Aristotele traditum præcipit Cicero, omnem institutionem, quæ de re quàcumque suscipitur, debere à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id de quo disseritur, hoc mihi in disputatione, quæ de Locis Theologicis futura est, non erat certè negligendum, ut, quid esset locus theologicus, antè omnia explicaretur, nisi ex iis, quæ diximus, ità esset in promptu, ut res explicatione non egeret. Non enim in hoc opere de locis communibus, qui de universâ re tractari solent, seu de capitibus rerum illustrium, quæ nunc etiam communes appellantur loci, et de justificatione, de gratiâ, de peccato, de fide, deque aliis hujus generis, nos disputaturos pollicebamur, id quod è nostris fecêre plurimi, è Lutheranis non modò Philippus, sed Calvinus etiam fecit: homines non parùm eloquentes, impii tamen, ut Lutheri discipulos possis agnoscere; sed, quemadmodùm Aristoteles in Topicis proposuit communes locos, quasi argumentorum sedes et notas, ex quibus omnis argumentatio ad omnem disputationem inveniretur, sic nos peculiares quosdam theologiæ locos proponimus, tanquàm domicilia omnium argumentorum theologicorum, ex quibus theologi omnes suas argumentationes, sive ad confirmandum, sive ad refellendum inveniant. Quarè, cùm definitio loci theologici antè oculos ex iis esset, quæ in proœmio dicta sunt, non erat hìc nobis accuratiùs explicanda, sed, quod obscurum erat, id statìm aggrediendum, et locorum hujusmodi certus definitusque numerus indicandus. Locorum ergò theologicorum elenchum denario nos quidem numero complectimur, non ignari, futuros aliquos, qui eosdem hos locos in minorem numerum redigant, alios, qui velint etiam esse majorem. Sed de enumerationis figurâ nihil morandum est, modò nullus omninò locus vel superfluus numeretur, vel prætermittatur necessarius.

Primus igitur locus est auctoritas sacræ Scripturæ, quæ libris canonicis continetur.

Secundus est auctoritas Traditionum Christi, et Apostolorum, quas, quoniam scriptæ non sunt, sed de aure in aurem ad nos pervenerunt, vivæ vocis oracula rectissimè dixeris.

Tertius est auctoritas Ecclesiæ catholicæ.

Quartus auctoritas Conciliorum, præsertìm generalium, in quibus Ecclesiæ catholicæ auctoritas residet.

Quintus auctoritas Ecclesiæ Romanæ, quæ divino privilegio et est et vocatur Apostolica.

Sextus est auctoritas Sanctorum veterum.

Septimus est auctoritas Theologorum scholasticorum, quibus adjungemus etiam juris pontificii peritos. Nam juris hujus doctrina, quasi ex alterâ parte, scholasticæ theologiæ respondet.

Octavus ratio naturalis est, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissimè patet.

Nonus est auctoritas philosophorum, qui naturam ducem sequuntur, in quibus sine dubio sunt Cæsarei jurisconsulti, qui veram et ipsi (ut Jurisconsultus ait) philosophiam profitentur.

Postremus deniquè est humanæ auctoritas historiæ, sive per auctores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ, non superstitiosè atque aniliter, sed gravi constantique ratione.

Sunt itaque hi Loci decem, in quibus argumenta omnia theologica delitescunt, eo scilicet discrimine in lucem eruenda, ut, quæ ex septem prioribus locis eliciantur, propria ferè sint ea hujus facultatis; quæ verò ex tribus posterioribus, adscriptitia sint, ac velut ex alieno emendicata. Nam cùm sint, ut suprà dixi, duo genera argumentandi, unum per auctoritatem, alterum per rationem, cùmque illud proprium sit theologi, hoc philosophi, confugiendum theologo est ad posterius, si uti ei non licet superiori. Quanquàm licet aliquandò utrumque simul argumentandi genus adhibere, ut suo posteà loco demonstraturi sumus. De primâ igitur operis parte, quoniam, ut à principio diximus, longâ oratione non egebat, hactenùs dictum sit (1).

(1) *Loci Theologici*, ex more veterum oratorum et philosophorum, sua loca *communia* habentium nuncupati, vulgò definiuntur *promptuaria seu fontes ex quibus sua theologi depromunt argumenta*. Quæ quidem definitio accurata erit apud theologos ad methodum demonstrationis, seu scholasticam, quâ theologia *scientifica* fit, solùm attendentes; haud verò eadem convenit parti theologiæ principia et veritates fidei complectenti, quæ proindè sibi vindicat methodum expositionis. Erit ergò nobis incompleta illa definitio, nisi forsan intelligatur per argumenta, in sensu lato et inusitato, quæcumque theologus adhibet media ad suum objectum implendum, seu ad scientiam theologiæ tractandam. Quidquid sit, sequentem, quæ dictis suprà in Prolegomenis clariùs accommodabitur, trademus definitionem, dicendo locos theologicos esse *fontes ex quibus theologia tùm decreta fidei et testimonia quibus constant, tùm argumenta rationalia sua depromit*. Porrò decreta formulas principiorum et veritatum primariarum exhibentia, testimoniaque illis præstita, ad auctoritatem seu ad theologiam positivam pertinent, dùm argumenta rationalia ad rationem, ad discursivam theologiam, seu scholasticam. Iterùm circa priora versatur methodus expositionis, circà posteriora verò demonstrationis. Hinc reverà, ut aiunt noster Canus, Dens, etc., duo sunt tantùm loci theologici fundamentales, scilicet *auctoritas* et *ratio*, in decem nunc vulgò dispertiti. Ea ultima divisio non videtur quidem accurata, cùm maximè hujus partes aliæ in aliis subincludi possint; sed hìc nihil immorandum in re non adeò momentosâ, quam præterea apud nostrum auctorem stare necesse est. Ea solùm adnotare curabimus, videlicet ex istis locis alios oriri ex auctoritate, alios ex ratione; alios esse certos, alios tantùm probabiles; alios propriè theologicos, alios potiùs philosophicos. 1° Loci omnes, si excipias rationis privatæ argumenta, petita videlicet ex individuali et propriâ evidentiâ, ad auctoritatem revocantur; 2° certi sunt loci qui certam et inconcussam exhibent auctoritatem, quæ sit in theologiâ naturali consensio genuina, directa aut indirecta, ex evidentiâ aut ex traditione habita; in supernaturali verò, consensio Ecclesiæ docentis, vel traditio universalis, vel simpliciter auctoritas Ecclesiæ infallibilitate divinâ pollens; 3° tandem, loci theologici ex fonte supernaturali fluunt, ex naturali autem philosophici, cùm ipsa theologia naturalis de foro sit philosophiæ : quæ satis ex dictis suprà modò et in Prolegomenis liquent.

P. S.

LIBER II.

PROOEMIUM.

Quanquàm plures in illâ sententiâ esse video, qui orationis splendore illustrare cogitationes suas nesciat, eum, si scribat, imprudenter abuti et scientiâ et litteris, ego tamen, si theologus non afferat eloquentiam, tantùm abest, ut asperner, ut ne flagitem quidem. Nam de rebus obscuris, atque ad intelligendum difficilibus dilucidè dicere, nec sententiis solùm argutè, sed verbis etiam ornatè, adeò est operosum et arduum, ut iniquus futurus sit, qui voluerit efflagitare. Atque id quidem paucis adhùc video contigisse, ut iidem utroque in genere laborarent, simulque in theologiæ controversiis sequerentur et elegans illud dicendi, et hoc argutum disputandi genus. Nos autem quantùm in utroque profecerimus, aliorum sit judicium; utrumque certè secuti sumus. Flumen enim nobis inanium verborum displicet, quibus sententia deest; nec sententiarum sublimitate capimur, si orationis est siccitas. Ac de sermonis cultu nostra legens suo quisque judicio liberè utatur, nihil enim impedio; in rerum autem earum tractatione, quas his libris multas et graves, et utiles, accuratè copiosèque disputaturi sumus, magnum, ut videmus, afferemus adjumentum theologis nostris, ut non modò rudes, sed etiam docti aliquantum fortassè adepturi sint et ad disserendum, et ad judicandum. Nec verò hoc arroganter dictum existimari velim : nam eloquendi scientiam concedens multis, quod est scholæ proprium, strictìm, pressèque disserere, et quasi ad vivum omnia resecare, quoniam in eo studio ætatem consumpsi, non sum (ni fallor) arrogans, si id jure quodam meo vindicârim. Nec usquè adeò ineptus ego sum, ut non verear me in rebus quoque ipsis sæpè etiam allucinatum. Sed aliud est nunquàm falsum sentire, quod mihi non tribui; aliud res tùm gravissimas, tùm difficillimas viâ et ratione premere, quod utiquè assumpsi jure, ut mihi videor; at falli possum, condonetur injuria. Etenim quæ dixi, eò pertinent omnia, non ut rerum mihi scientiam arrogem : quid enim à viro modesto alienius esse potest? sed ut nemo politioris litteraturæ candidatus in scholasticâ disputatione orationem à me tersam postulet, nedùm rhetorum phaleris adornatam. Scholam enim ego placare volo, scholæ propria verba, peculiares-

que loquendi formas submovere non audeo. Nam etsi disputare cupio ornatiùs quàm solent nostri, at non debeo tamen labores duos afferre theologis, unum in rerum, alterum in verborum intelligentiâ. Breviter lectoribus ego meæ mentis fateor arcanum; qui per me formam in theologiâ disserendi habiturus est, nolo ut is mea scripta difficulter intelligat, et ad theologum cognoscendum grammaticum quærat interpretem. Sed de his satis. Jam tempus est, ut ea persequamur, quæ sunt deinceps explicanda. Quæ quidem ut magnum negotium nobis, ità quoque prolixam disputationem exhibebunt. Sed prolixitas utilitate pensabitur. Nihil autem utilius scholæ theologorum tradi potest, quàm ut discant, quisnam locus argumenta firma, et quis contrà infirma subministret. Quâ re vel maximè theologiæ nervi atque artus pressi, solidique consistunt (1).

CAPUT PRIMUM.

De sacrarum litterarum solidissimo firmamento, et quatuor machinis, quibus illud impetitur.

Ac primus quidem locus sine controversiâ firmus est, divina eademque gravissima auctoritas. Nam libros sacros et canonicos appellamus, quos, Spiritu sancto dictante, sacri auctores exceperunt. Quos igitur tales esse constiterit, eos dubio procul certissimos ac verissimos esse credemus; quemadmodùm Augustinus lib. de Civit. Dei 11, cap. 3, lib. Confess. cap. 15, et epist. 7, ad Marcellinum, et epist. 19, ad Hieron., et lib. 1 de Doct. Christ. cap. 37, et lib. 2 de Baptis. contrà Donat. cap. 3, et in proœmio 3 lib. de Trinit., docet, resumit, inculcat. Ac rectè ille quidem. Nisi enim fundamentum hoc fideliter jeceris, quidquid in theologiâ superstruxeris, corruet; corruetque adeò civitas illa Dei, cujus fundamenta in montibus sanctis, et in scripturis principum, qui fuerunt in eâ. Quarum Scripturarum auctor non est homo, sed Deus. *Dominus enim narrabit in scripturis populorum, et principum horum, qui fuerunt in eâ*, Ps. 86, 6. Dominus itaque hujus loci auctoritatem tuetur, tuentur et principes. Turris quippè David est, et mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium. Quam omninò rem, quoniam in tertio decimo libro sumus latiùs explicaturi, satis hìc fuerit breviter attigisse. Verumenimverò turris hæc tàm alioquin munita arietibus quatuor concuti solet : primo, quòd homines à Deo aliquandò deceptos sacræ ipsæ litteræ prodidère; fieri igitur potest, ut auctores sacri ab Spiritu sancto fallantur; ità quodcumque ex hujusmodi auctoribus argumentum sumas, incertum erit. Altero, quod nondùm videtur exploratum, quinam libri sint in Canonem sanctarum Scripturarum referendi, cùm ex veteri Testamento septem, ex novo totidem à viris et doctis, et catholicis rejiciantur. Quocircà si argumentum indè theologus promat, imbecillum erit, carebitque divinâ auctoritate. Tertio, quòd, ut certò constaret, quinam essent hujusmodi sacri libri, non tamen adhùc constat, an latini codices græcis hebraicisque concordent; quapropter argumentatio, ex latino exemplari ducta, infirma erit, cùm solius interpretis sensu intelligentiâque nitatur. Quarto, quòd, ut perspicuum esset, quodnam exemplar potissimùm sequendum sit, tamen an Apostoli, vel Prophetæ in testimoniis, quæ videlicet ex ipsis afferuntur, de Spiritu Dei, an de suo loquantur, non perindè certum est, cùm auctores sacri nonnulla humano more circà divinam revelationem scribere videantur. Non itaque omnia librorum canonicorum testimonia Dei auctoritatem habent, ut certam fidem facere possint. Nec verò in his argumentis explicandis eam copiam, quam possumus, persequemur, ne hoc uno in loco tota insumatur oratio; sed quatuor hos arietes, quibus nostræ religionis mœnia nonnulli quatere et diruere conantur, quantâ maximâ brevitate licebit, repellere curabimus. Non enim materiam hùc et farraginem multarum rerum conamur invehere, sed formam theologo disserendi præscribere. Quæ nimirùm quò brevior, eò præstabilior erit.

(1) Plura in hoc loco de Scripturâ sacrâ negligimus, quæ fusiùs hìc tractari non debent, cùm præsertim suum naturalem habeant locum in *Cursu de Scripturâ sacrâ*, atque ibi de illis uberiùs dicatur. P. S.

CAPUT II.

Ubi argumenta referuntur suadere volentium, quòd Deus fallere aliquandò potest.

Controversia. — Ut autem ab illâ controversiâ ordiamur, quæ licèt facillima, tamen caput est cæterarum, prima veniat in medium juniorum (2) opinio, quæ plerisque notissima est, non omnium quidem, sed paucorum, asserentium, aliquandò Deum humano angelicove ministerio homines fefellisse. Nam quòd Spiritus veritatis ipse per se quempiam fallat, ne impietatis invidiam subeant, in dubium vocare non audent. Quòd verò per alium decipere Deus possit, id persuadere se posse arbitrantur.

Primùm, quòd Abraham pueris mentitus est, inquiens, Genes. 22, 5 : *Expectate hìc; ego et puer, postquàm adoraverimus, revertemur ad vos.* Et tamen illa erat prophetia divinæ revelationis ut docet Ambr. lib. 1 de Abraham, cap. 8 (3), in hæc verba : *Prophetavit quod ignorabat; ipse solus disponebat redire immolato filio, sed Dominus per os ejus locutus est. Captiosè autem loquebatur cum servulis, ne cognito negotio aut impediret aliquis, aut gemitu obstreperet, aut fletu.* Hominis ergò ministerio homines Deus fallit.

Alterum quoque ejusdem rei argumentum proferunt, quòd Jacob patrem suum Isaac mendacio etiam de industriâ conficto decepit, dicens, Genes. 27, 19 et seq. : *Ego sum primogenitus tuus Esau : feci, sicut præcepisti mihi; surge, et comede de venatione meâ;* et paulò post, cùm Isaac interrogâsset : *Tu es filius meus Esau?* respondit Jacob : *Ego sum.* Mentitus est ergò Jacob, id quod agnovit pater, inquiens : *Venit germanus*

(2) Per *juniores* intelligit auctor recentes sui ævi theologos, quorum alii ad innovationes hæreticas propendebant, quos haud numerosos hic meritò redarguit; alii plerique non ità temerarii, quos defendit in libro 8, cap. 4. P. S.

(3) Hoc Ambrosii testimonio Gratianus, quæst. 22, § 2, mendacii culpâ liberat Abraham patriarcham.

tuus fraudulenter, etc. At ea omnia Jacob et fecit, et dixit ex divinâ revelatione, ut Innocentius tradit. Deus igitur per alium decipere potest.

Ad hæc, Isaias Ezechiæ, cap. 38, 1 : *Cràs*, inquit, *morieris et non vives.* Isaias autem sine dubio suis ipse verbis assentiebatur, nec verò sine lumine prophetico; agnoscebat enim revelationem illam esse divinam. Lumen ergò prophetiæ causa quandoque prophetæ est, ut decipiatur. Non enim tunc temporis mortuus est Ezechias, sed convaluit.

Prætereà, cùm Dominus aliquandò interrogâsset : *Quis decipiet Achab? Egressus autem spiritus : Ego*, inquit, *decipiam illum*. Cui Dominus : *In quo?* Tùm ille : *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies, et prævalebis; egredere, et fac ità*, 3 Reg. 22, 20 et seq. Subdit verò Michæas : *Nunc igitur eccè dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum, qui hìc sunt, et Dominus locutus est contra te malum.* Deus itaque per cacodæmonem administrum decipit. Id quod Augustinus lib. 83, quæst. 53, confitetur. Quemadmodùm enim judex damnatum percutere, suâ personâ indignum et nefarium judicat, ejus tamen jussu hoc facit carnifex, ità quem Deus per se non falleret, eum fallit, Deo jubente, cacodæmon. Licet namque similitudine eâdem, eisdem penè verbis, quibus Augustinus utitur, hujus rei argumentum facere.

Item Judæi. Domino præcipiente, Ægyptios decepêre, Exod. 12 : *Fecerunt* enim *filii Israel, sicut præceperat Dominus Moysi, et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea. Dominus autem dedit gratiam populo suo coràm Ægyptiis, ut commodarent eis, et spoliaverunt Ægyptios.* Deo igitur auctore homo hominem fallit. Nec mirum, si hostem decipi dignum decipere Deus jubet, quoniam hoc pertinet ad justitiam et veritatem, ut dignis digna distribuantur, quemadmodùm idem Augustinus loco nunc citato argumentatur.

Atque hæc testimonia non perindè urgent; illa difficiliora sunt, quæ quoniam unius modi sunt fermè, simul commemorabuntur. Primum est illud Job, 12, 24 et 25 : *Qui immutat cor principum, et decipit eos, et errare eos facit quasi ebrios.* Secundum illud Ezech. 14, 4 et 9 : *Homo, qui posuerit immunditias in corde suo, et venerit ad prophetam interrogans per eum me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarum; et Propheta cùm erraverit, et locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Tertium illud Isai. 63, 17 : *Quarè errare nos fecisti, Domine, de viis tuis?* Quartum est Apostoli dicentis ad Rom. 1, 28: *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Quintum est etiam ejusdem Apostoli, Epist. 2 ad Thess. 2. 10 : *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ideò mittet illis Deus operationem erroris.* Quibus testimoniis Augustinus, de Grat. et lib. Arbitr. c. 21, manifestè doceri existimat, Deum in cordibus hominum operari ad inclinandas eorum voluntates in malum, nedùm mentes in falsum.

Nec ab his ratio aliena est. Cùm enim error pœna sit, nihil obstat, quominùs Deus, qui pœnarum omnium auctor esse à Prophetis dicitur, errorem ipse efficiat in eo præsertìm, qui antecedentibus culpis commeruit, ut à justo judice in errorem induceretur. *Vita et mors*, inquit Eccles. 11, v. 14, 15 et 16, *paupertas et honestas à Deo sunt; sapientia et disciplina apud Deum; error et tenebræ peccatoribus concreata sunt.*

Confirmat autem illud vel maximè, quòd cujusque motionis Deus est causa : *in ipso enim movemur et sumus*, Act. 17, 28. Errorem itaque, qui hominis errantis motio est, Deus efficere in homine potest, poteritque proindè decipere.

Cujus etiam rei argumentum aliud est, quòd mendacium non est suâpte naturâ malum. Potest ergò Deus cuiquam præcipere, ut mentiatur. Illud verò primùm ex eo ostenditur, quòd Joseph mendacium etiam juramento confirmavit. *Per salutem*, inquit Genes. 42, 16, *Pharaonis*, *exploratores estis.* Non est autem credendum, quòd mendacium juramento firmatum vir justus diceret, nisi divinam haberet revelationem, per quam à mortali peccato excusaretur. Deindè illud etiam probatur ex eo, quod Michæas ait, cap. 2, v. 11 : *Utinam non essem vir habens spiritum, et mendacium potiùs loquerer!* Non ergò est intrinsecus malum, quod Propheta Deo instigante desiderat. Adde hùc, quòd Aristot. Ethicorum 4, cap. 7, mendacium in jactantiam et ironiam partitur, quæ est divisio propria mendacii, auctore divo Thom. 2-2. quæst. 110, art. 2. At usus ejus, quæ dissimulatio latinè dici potest, græcè enim εἰρωνεία dicitur, frequens in sacris litteris est, ut in hoc loco Genes. cap. 33, v. 22 : *Eccè Adam quasi unus ex nobis factus est.* Et alio loco : *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnatis*, ait Paulus, 1 Cor. cap. 4, v. 8. Et 3 Reg. 22, 15 : *Ascende*, ait Michæas, *et vade prosperè*, etc. Si igitur ironia mendacium est, Deus verò per sacros auctores ironicè interdùm loquitur, non est, ut videtur, cur negemus, Deum posse per alios mentiri. His testimoniis atque rationibus opinationem suam suadere poterunt theologi novi, et in sacris litteris parùm exercitati. Nam quibus ipsi argumentis utuntur, ego datâ operâ sileo, ne qui hunc librum legerint, scholasticis illis auctoribus invidiam conflent, vulgique et imperitorum inscitiam academiis præferant, cùm ea audierint, quæ nonnunquàm disseruntur à nostris. Sed de his hactenùs. Jam quæstionem ipsam explicemus, divinamque veritatem (quod erit facile) ab ejusmodi adversariis vindicemus. Deum namque deceptorem credere, nefarium et impium esse, quis non facillimè intelligat?

CAPUT III.

Ostendit Deum, nec per se, nec per alium fallere unquàm posse.

Eâ igitur explicandâ quæstione, quoniam brevis esse cupio, illud statìm ponendum est, divinæ potentiæ descriptionem esse duplicem. Nam et generalem quamdam intelligimus, quæ, quoniam lege nullâ etiam naturali constringitur, à theologis absoluta vocatur; et aliam huic subjectam, quæ spectat in rerum ordinem præfinitum, ideòque potentiam appellant ordinatam.

Atque illa superior definiri solet circà eas res, quas esse non repugnat, quæve non implicant contradictionem; sic enim loquuntur. Quæ autem potentia ordinaria subjecta illi priori quasi generi est, eam definiunt circà ea quæ esse possunt salvâ lege, statutisque divinis. Illud etiam ponere debemus, mentiri nihil aliud esse, quàm asserere falsum animo fallendi. Sic enim August., lib. 1 de Mend. cap. 3 et 4, item, lib. de Mend. cap. 12, ac Gelasius, q. 12, c. 2, *Beatus*, definierunt. Ex duobus itaque mendacium conflatur, si falsum dicitur, et si eo animo dicitur, ut fallantur audientes. Sed et quis propriè dicatur fallere, explicandum est antè breviter, quò faciliùs id, quod docere volumus, intelligi possit. Non enim qui verum dicit, is propriè fallax existimandus est, licèt ille, qui audit, ex pravâ intelligentiâ veritatis in maximos incurrat errores. Impropriè autem res à Deo creatæ dicuntur esse fallaces; dicuntur item esse *muscipulæ*, sed *pedibus insipientium*, Sap. 14, 11. Ecquis igitur alium propriè fallit? nempè qui falsum asserendo, causa alii est ut fallatur. Alioqui si ex alieno errore et ignorantiâ fallacem quempiam definimus, ipsa quoque veritas erit nobis fallacissima.

His positis, sit prima conclusio : Hæreticum est asserere, quòd Deus de potentiâ ordinariâ mentiri possit. *Est enim* Deus *verax; omnis autem homo mendax*, Rom. 3, 4. Et rursùm : *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*, 2 Tim. c. 2, v. 13. Et alio loco tandem : *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur*, Num. 23, 19. Atque hæc quidem conclusio adeò est apud omnes certa, ut eam testimoniis etiam apertis confirmâsse, supervacaneum fuisse videatur. Quarè illâ breviter positâ, pergamus ad reliqua.

Secunda conclusio : Qui existimat, Deum ex ordinariâ potentiâ per administrum posse vel mentiri, vel fallere, errat ille in fide turpissimè. Nam hæreseos notam huic inurere, ad Ecclesiæ auctoritatem pertinebit. Atque hæc quidem conclusio primùm ex eo colligitur, quòd ejusdem est præcipere malum, et facere malum: quisque enim ejus reì causa est, quæ eo imperante fit. At, juxtà fidem catholicam, Deus auctor peccâti esse non potest; ergò ne mendacii quidem, quod juxtà potentiam ordinariam peccatum est. Non itaque Deo auctore, vel angelus, vel homo quempiam fallit. Deindè cùm Dominus per administros, vel angelos, vel homines nobis loquitur, ipse se loqui testatur, ut multis locis sacrarum litterarum constat, ut videre est Exod. 3, Esdr. 1, Jerem. 1, 2, 3, 4, 5; Luc. quoque 1; ad Hebr. 1. (Vide Hilarium in Ps. 118, in illum versum : *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, etc.) Ità si Dei administri mentirentur, Deum quoque mentiri necesse esset. Quod quàm absurdum sit, quis non videt?

Præterea, sic opinantibus non constaret, an Deus nos per Apostolos et Prophetas fefellerit. Et cùm in sacris litteris Deus ipse per se quidem raró fuerit locutus, per angelos autem, et per homines frequentissimè; si his administris falli à Deo possumus, certè sacrarum litterarum firmitas corruet. Atque hæc quidem ratio tàm magnum apud me momentum habet, ut non dubitem, ab Ecclesiâ catholicâ errorem hunc hæreseos notâ damnatum iri, si in consultationem referatur; quippè qui aut prorsùs evertit nostræ fidei fundamenta, aut certè non patitur firma consistere. Porrò sacris auctoribus fidem habere non tenebimur, si semel eam opinionem induerimus, quòd Deus per alios decipere possit. Nec ulla Dei pollicitatio firma erit, nisi quam Deus per se ipse præstiterit. Id quod apertè cum Apostolo pugnat. Nam cùm in Epistolâ ad Hebræos, cap. 6, v. 17 et 18, in eam promissionem incidisset, quæ Abraham per Angeli haud dubiè ministerium facta est, *volens*, inquit, *Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum; ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Non esset autem tuta et firma, si huic opinationi credimus. Efficitur itaque, Deum nullo modo posse fallere. Nec mihi dicas, scriptores sacros justos sanctosque fuisse : *Spiritu enim sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines*, 2 Petr. 1, 21; et rursùm Luc. 1, 70 : *Sicut locutus est per os sanctorum*, etc.; per hujusmodi autem viros Deum nec velle fallere, nec verò posse, sed per improborum ministerium posse. Primùm enim si spiritu Dei inspiratus loquitur etiam impius, Deo verba illa tribuuntur, atque adeò Dei auctoritatem habent. Deindè, si Dei vel consilio vel præcepto mentitur impius, certè eodem consilio præceptove mentiri poterit pius. Non igitur Deus potest per alium fallere, id quod secundâ conclusione dictum est.

Tertia conclusio : Deus etiam ex absolutâ potentiâ nec per se, nec per alium mentiri potest. *Cùm sit*, inquit Augustinus, lib. 1 de Sym., cap. 1, *omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest.* Et rursùm idem, lib. 8 de Civit. Dei, cap. 25 : *Dùm de omnipotentiâ Dei tàm multa dixerimus, si volunt invenire quòd omnipotens non potest, habent prorsùs : ego dicam, mentiri non potest.* Dominus autem id mihi manifestè videtur confirmare, cùm ait, Luc. 21, 33 : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Vel concidat ergò omne cœlum, omnisque natura, divina tamen veritas consistat necesse est. Præterea et illud Apostoli testimonium, quod antè citatum est, idipsum ostendit. *Est*, inquit, *Deus verax, omnis autem homo mendax.* Quo loco Paulus non significat quidem omnes homines mentiri, sed eo esse ingenio, ut mentiri possint. De naturâ quippè agit, non de more. Nam reperire licet viros aliquandò, qui vel rationem ducem sequentes, vel Evangelii gratiâ legeque adjuti ac moniti à mendacio abhorrent, veritatem amplectuntur. Sed quoniam humanitatis ea est imbecillitas, ut veritatem, quam tenet, destituere interdùm possit, idcircò Scriptura omnem hominem dixit esse mendacem. Ex quo intelligitur, in eo sensu Deum appellari veracem, quòd cum divinâ naturâ mendacium pugnet. Id, quod non modò probabili argumentatione, sed etiam necessariâ theologorum ratione concluditur. Nam quæ contrarietas est mali et boni, eadem est ve-

ri et falsi; sed primæ bonitati repugnat facere malum: ergò et primæ veritati dicere falsum. Hinc enim illa sunt Ps. 144, 13: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.* Et Deut. 32, 4: *Fidelis Deus, et absque ullà iniquitate.* Tàm alienus itaque Deus est à falsitate, quàm ab iniquitate; et sicut nec per se, nec per alium iniquitatem facere, ità nec fallere quempiam potest. Quòd si quispiam Deo auctore falleretur, jam à fonte veritatis mendacium emanaret. At non solùm Evangelistà testante, Joan. cap. 1, v. 2, sed naturâ etiam duce cognovimus, omne mendacium non esse ex veritate. At reverà (ut eò, undè egressa est, referat se oratio) utrumque, et malum facere, et falsum dicere, cum naturâ stabili immobilique pugnat. Indè enim cùm Scriptura dixisset, Num. 23, 19: *Non est Deus, ut homo, ut mentiatur,* è vestigio subdidit: *Nec ut filius hominis, ut mutetur.* Mendacium quippè mobilis naturæ nota est. Adde hùc, quòd si per alium Deus decipere homines potest, et per se quoque idem poterit efficere. Cætera siquidem mala, quæ pœnam habent à culpà disjunctam, Deus dare et per ministros, et sine ministris per se ipse potest. Atque ut semel finiam, si Deus mentiri posset, meritò etiam nos formidare poterimus, an fuerit aliquandò mentitus. At nullus est, inquies, formidandi locus, cùm ex potentià ordinarià constet, Deum non posse mentiri. Bellè id quidem; sed, cùm hoc nisi per revelationem constare nequeat, quì scire possumus, an illà ipsà revelatione Deus potentià suà absolutà fuerit abusus? Ut enim apud Augustinum est, lib. cont. Mend. cap. 4, 18, et de Mend. cap. 8, quomodò credendum est ei, qui putet quandoque esse mentiendum? Nam et fortè tunc mentitur, cùm præcipit ut ei credamus. Perit ergò, si ità sit, sacrarum litterarum certitudo. Præterquàm quòd apud philosophos tàm evidens est, Deum non mentiri, quàm esse tùm optimum, tùm sapientissimum, ac proindè nec fallere, nec falli posse: nihil autem interesse, an per se ipse id efficiat, an per administros suos. Etenim nec purissima veritas est, cui quodam modo est vel falsitas, vel fallacia permixta, nec summa intelligitur, quà majorem aliam cogitamus. Veracior autem is esset, qui nec per se, nec per alium, quàm qui per alium fallere posset. Ità divinâ veritate firmiter positâ, ac rationum ac testimoniorum certitudine corroboratâ, non aliud superest, nisi ut adversariorum argumenta diluamus.

CAPUT IV.

Ubi argumenta capitis secundi diluuntur.

Ad primum igitur argumentum non est theologorum una et simplex responsio. Sunt enim qui piè graviterque contendant, Abraham non esse mentitum. Non enim, ut aiunt, contrà id, quod mente gerebat, locutus est; quin filium credidit protinùs suscitandum, quemadmodùm Apostolus ad Hebr. 11, 17, videtur in hæc verba tradere: *Fide obtulit Abraham Isaac, cùm tentaretur, et unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones; arbitrans quia et à mortuis suscitare potens est Deus.* Sunt alii contrà, inter quos Adrianus, quodlibet 2 ad primum princip., quibus ego vehementer assentior, qui admittunt quidem Abraham eâ ratione fuisse mentitum, quòd contrà mentem dissimulandi causà locutus est; prophetàsse autem, quia dixit verum, quod tunc scilicet ignorabat. Id namque Ambrosii verba præ se ferunt. De primo igitur argumento satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, et de reliquis dicamus.

Ad secundum theologi quidem non ignobiles, nempè Scot. 3, d. 38, Cajetanus in Gen. q. 74, respondent utique Jacob mentitum fuisse, sed matre consulente, non Deo revelante. At nos, quibus in animo est sanctorum sensa pro nostrà quidem virili tueri, multò aliter respondere debemus. Augustinus siquidem, in quæstionibus super Genesim, Jacob à mendacio excusat; adducitque in hoc, quod de illo Scriptura dixit, virum simplicem fuisse, hoc est, non fictum et sine dolo, ut 70 Interpretes converterunt. Sine dolo igitur erat, qui dolum fecisse videtur. Quapropter in eo loco, ut ait, spirituale mysterium cogimur intelligere. Et lib. 16 de Civitat. Dei, cap. 37: « Quis est inquit, dolus simplicis, quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis? » Chrysostomus etiam, hom. 6 in Epist. ad Coloss., et hom. 53 in Gen., sicut Abraham et Phinees ab homicidio, ità et Jacob (quoniam Deum illi cooperatum esse credit) à mendacio excusat. Excusant etiam Amb. l. 2 de Jacob et Vità beatà, cap. 2 et 3; Innocent. de divort. cap. *Gaudemus;* Magist. sent. 3, d. 38; Gratian., 22, quæst. 2, cap. *Quæritur;* Alexand. Alen. part. 2, quæst. 139, mem. 6; D. Thom. 2-2, quæst. 110, art. 3, ad 3. Nec verò audiendi sunt, qui putârunt Jacob per revelationem quidem excusari, non ne mentitus sit, sed ne peccârit mentiendo. Quod mendacium, ut aiunt, rectè nonnunquàm dici potest ex familiari consilio Spiritûs sancti. Quos ego auctores non modò redarguerem, verùm etiam quàm plurimis argumentis graviter errâsse monstrarem, nisi Augustinus in eàdem causà adversùm Priscillianistas accuratè elaborâsset, atque ità multa disseruisset, ut, si labor idem rursùm à nobis susciperetur, nihil aliud quàm actum ageremus, quod vetamur veteri proverbio. Hos itaque cum suà istà theologià relinquamus, cùm doctores sancti non modò negent peccàsse Jacob, sed adstruant etiam et verum dixisse, et verbis illis prophetàsse. Quà in re illud equidem animadverto, majores nostros, quod perspicuum et exploratum erat, id latere non potuisse, nempè verba illa Jacob in sensu proprio esse mendacium; nec esse tamen absurdum, si homo quàmlibet justus semel aut iterùm mentiatur.

Quamobrem cùm constanter astruerint Jacob non fuisse mentitum, existimandi sunt peculiares, easdemque graves causas habuisse, quibus in hanc sententiam inducerentur. Porrò, quemadmodùm per legitimas allegoriæ rationes justus figura justorum, iniquus iniquorum est, ità et falsum absurdè in typum veritatis assumitur. Scio quæ contrà hoc dici possunt. Legi enim divi Gregorii commentaria, in quibus huic regulæ non alligat expositionem suam; legi et Hieronymum, qui Habac. 1, cùm spiritum malum per tropo-

logiam convertisset in bonum : *Tropologia*, inquit, *libera est, et his tantùm legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentiæ*. Sed hæc longior pugna est, nec hujus temporis patitur angustias. Equidem abuti hâc libertate nollem, sed mysticos sensus quibusdam potiùs terminis lineisque præscribere. Nec enim consentaneum est, nisi à rebus vicinis, et similibus, ut metaphoram, ità et figuram imaginemque rerum trahi; quippè cùm rem, quæ alterius figura est, ejus similitudinem gerere necesse sit. Nec Salomon in peccatis Christi typus erat, sed in pace; nec Jephte in impietate adversùs filiam typus erat Dei, sed in zelo. At divus Thomas, 2 secund. quæst. 88, articul. 2, ad 2, repugnat; videtur profectò. Verùm jam dixi, hìc me non agere de liberis allegoriis, sed de his, quæ certâ viâ et ratione premuntur. Quo sensu nec Hieronymus, nec Thomas locuti sunt. Quæ enim conventio lucis ad tenebras? quid Christo cum Belial, ut per mysticum sensum, lucem quidem tenebrarum, Christum verò Belial figuram faciamus? Sed de his plura alio loco opportuniùs. Nunc, ut ad propositum revertamur, nobis, ad certam regulam divinæ Scripturæ tractandæ sunt; nec iniquum in eo, quo iniquus est, nec mendacem in eo, quo mendax, aut justi aut veracis typum faciemus. Quia ergò constat, Jacob tùm etiam, cùm præripuit fratri benedictionem, gentium fidem prænotâsse, consequens fit, ex peculiari Dei procuratione ea omnia et dicta et facta futuræ veritatis imaginem habuisse, ac proindè non fuisse mendacia. Quid ergò? verumne illud est : *Ego sum primogenitus tuus Esau?* Nempè verum est. Est enim primogenitus secundùm carnem, primogenitus secundùm jus. Nam et Apostolus duo filiorum genera exprimit, inquiens, ad Rom. 9, 6, 7 et seq. : *Non omnes, qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ; nec qui semen sunt Abrahæ, omnes filii; sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine*. Et statìm : *Non solùm autem illæ, sed et Rebecca ex uno concubitu*, etc. Et : *Quia major serviet minori*, etc. Paulus itaque semen Abrahæ vocat populum gentium, eumdemque fratrem appellat minorem cui major erat serviturus. Ut igitur sine mendacio gentium hic populus in fidem jam et hæreditatem Judæorum suffectus dicere poterat : *Ego sum semen Abrahæ;* ità et Jacob, quoniam jus habebat ad primogenituram, in quam Deo auctore fuerat substitutus verè utiquè dixit : *Ego sum primogenitus tuus Esau*. Quid? cùm Joannes Baptista Elias à Domino vocatus sit, non naturâ quidem, sed præcursoris officio; nùm et non ad eumdem quoque modum Jacob, qui hæreditario jure fratri successit, se esse Esau sine falsitate potuit asserere? Sed ais : Undè jus hoc Jacob intellexit ad se pertinere? Certè vel Deo revelante, vel matre instruente, quam Dei familiare consilium habuisse, Gen. cap. 25, traditur. Atque in secundi argumenti confutationem satis multa diximus.

Tertium autem, quod ex Isaiæ testimonio nobis opponitur, D. Thom. 2-2, q. 171, art. 6, ad 2, confutat. Quæ quidem confutatio, quoniam prolixa est, nos verò brevitati studemus, non est hìc adscribenda. Nam et aliter responderi breviùs potest, ejusmodi prophetias comminatorias esse; sic enim scholastici vocant. Id quoniam prophetæ intelligebant (nam intelligentià opus est in prophetià), minimè fallebantur. Quin potiùs fide quidem bonâ suo ministerio functi, existimabant tamen comminationes mutatis posse moribus commutari. Ob eam enim causam Jonas nolebat Ninive subversionem prænuntiare, quòd divinam putabat misericordiam Ninivitis pœnitentibus esse flectendam. Quocircà in simplicibus ejusmodi denuntiationibus *natura rerum* ususque communis eò nos ducit, ut conditionem tacitam subaudiamus. Cujus rei insigne exemplum legitur Gen. cap. 20, ubi Abimelech regem corripiens Dominus his verbis utitur : *En morieris propter mulierem quam tulisti*. Postquàm autem ille se excusavit, in hunc modum Dominus locutus est : *Nunc redde viro suo uxorem, et orabit pro te, et vives. Si autem nolueris reddere, scito, quòd morte morieris*. Vides ut primo edicto vehementiùs animum ejus concutiat, quo satisfactioni reddat intentum : secundo autem voluntatem liquidò suam explicet, quâ pœnam denuntiando nihil aliud significat, quàm eos se monere, quibus vult parcere; nisi quòd syllabatìm non exprimit, quod intelligere tamen promptum est. Ad tertium itaque argumentum sic responsum esto.

Ad quartum autem facilè respondetur, verbum imperandi non semper aut præceptum, aut consilium secum, sed aliquandò etiam permissionem ferre, ut apud Joannem 13, 27 : *Quod facis, fac citiùs :* et alio loco, Dominus ad Balaam, Num. 22, 20 : *Si vocare*, inquit, *te venerint homines isti, surge, et vade cum eis*. Cui tamen posteà Angelus dixit : *Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua*. D. Thomas, de Malo quæst. 3, art. 1, ad 17 : « Sic igitur dictum est : *Egre-* « *dere et fac;* sicque omninò, Deum dedisse Spiritum « mendacii in ore omnium Prophetarum, concedendo « scilicet, non jubendo. » In quem sensum illud etiam intelligitur. Matth. 5, 13 : *Et ne nos inducas in tentationem;* et illud forsitan, Dan. 2, 37 : *Tu rex regum es, et Deus cœli regnum et imperium dedit tibi*, etc., et illud Joan. 16, 11 : *Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper;* atque illud demùm, quòd Pater dicitur Filium in manus impiorum tradidisse. Quia verò permissionem ipsam divinam (redeundum est enim ad propositum) quâ homo vel in errorem, vel in culpam inducitur, non ministri boni, sed mali exsequuntur; ideò Augustinus asseruit, per administros malos Deum aliquandò decipere. Ac quarto argumento refutan[illegible] æc dicta sint modò; nam posteriùs illud apertiore fortassè viâ et ratione refutabimus.

Argumentationi quoque, quæ quinto loco posita est, ità respondeo : Deum non jussisse quidem filiis Israel, ut circumvenirent Ægyptios, sed ut vasa argentea et aurea peterent commodato. Præcepit verò posteà, ne accepta vasa redderentur. Id quod facere legitimè potuit, tùm propter alia, tùm his præcipuè de causis, unâ, quòd Ægyptii operarum mercedem Judæis non reddiderant. Presserant siquidem eos operibus duris luti et lateris, omnique famulatu, ut Exodi cap. 1, legitur. Itaque vel in pace mercedem ab invitis rapere

poterant, quando res alioqui debitas nulla alia erat via repetendi. Altera autem erat causa, quoniam in bello justo res hostium victoriæ jure auferre poterant. Quemadmodum et Epiphanius in libro Ancoratus explicat, et docuit ante Clemens Alexandrinus lib. 1 Stromat. Certè utramque causam è Sapientiæ cap. 10. colligere licet. Priorem ibi : *Et reddidit justis mercedem laborum suorum;* posteriorem autem ibi : *Ideo justi tulerunt spolia impiorum.* Magister vero Sent. in 3, dist. 37, Judæos affirmat viros optimos nullo modo peccasse; infirmis autem, qui cupiditate quadam Ægyptios decipere, magis esse illud ut facerent permissum, quam jussum. Quod enim Augustinus dixit, Israelitas jussos esse hostem decipere, id ipse eodem prorsùs in ea quæstione correxit, inquiens : *Factum est, ut juberet eos, vel potius pro illorum cupiditate permitteret.* Pertinet vero ad justitiam et veritatem, ut is qui meretur decipi decipiatur a Deo quidem concedente, ab homine autem, vel angelo malo efficiente. Quos justitiæ suæ administros licet Deus severe sane ad vindictam adhibere poterat, non continuo tamen pravi eorum operis causa est. Non enim mox, si quis ab usurario pecunias petit, hominisque perversi culpa utitur, idem usurarum est auctor. Nec verò difficile videbitur eadem opera ad Deum, Satanamque referri, si in uno eodemque motu actionem, et passionem, res planè diversas, inspiciamus. Hæ namque res duæ faciunt, ut in calamitatibus longe alia sit ratio divinæ, diabolicæque actionis. In calamitate porro sua Job non solum dæmonis, sed Dei etiam opus recognoscit, quem ea dicit sibi abstulisse, quæ instigante, impellenteque Satanâ per Chaldæos fuerunt erepta. Etenim, quia passio bona justa erat, consilium quoque Dei optimum, finisque sanctissimus, in promptu viro Dei fuit, ibi inculpatam Dei operationem agnoscere, ubi hominum, Satanæque nequitia cum prava sua operatione se prodidit. Hoc cum breviter voluerim dicere, dictum à me esse paulo obscuriùs; sed experiar, et dicam, si potero, planiùs. In opere illo malo et culpa erat, et pœna, actioque prava rectæ juncta passioni. Deus igitur illic non erat otiosus; sed ejus erat omnino auctor, quod in illo opere erat bonum; ab eo autem erat alienus, quod in illo erat malum. Ita Deus viro sancto eam fortunam abstulit quidem, at non justè solùm, sed benignè; abstulit et Satan, at crudeliter, nedum impie : Chaldæi quoque abstulerunt; at tum avare, tum etiam inique. Nihil ergò est absurdi, si opus idem, quatenùs pœna est, ad Deum, quatenùs est culpa, ad Satanam auctorem referamus : ut Satan et in culpa agat, et in pœnâ, Deus in pœna agat quidem, at in culpa non agat, sed permittat.

Atque hac eâdem responsione sextum quoque argumentum refellitur. Non enim decipit Deus deceptionem faciendo, sed permittendo ut fiat. Qua etiam ratione corda et excæcare dicitur, et indurare, ut Gregorius 13 Moral. lib., cap. 16, et Thom. 3, adversùs Gentes, cap. 162, docuêre. Et Clemens Alexandrinus, lib. Strom. 1, explicans illud Matthæi 13 : *Ideo in parabolis loquor eis*, etc. : « Non Dominus præbet ignorationem, inquit, hoc enim sentire est nefarium, « sed ipsam, quæ inerat, propheticè arguit. » Sic etiam homines tradit Deus in reprobum sensum, et in passiones ignominiæ. *Dimisit eos*, ait, *secundum desideria cordis eorum; ibant in adinventionibus suis.* Atque hoc item sensu reliqua testimonia interpretanda sunt. Nam Augustini verba ipse idem Augustinus in libro de Prædestinatione et Gratiâ, cap. 4, docuit, quomodò accipere debeamus : « Non operatur, inquit, Deus in « homine ipsam duritiam cordis, sed indurare eum « dicitur, quem mollire noluerit; sic etiam excæcare, « quem illuminare noluerit; et repellere eum, quem « noluerit vocare. » Hactenùs ille, et in libro de Articulis sibi falsò per Pelagianos impositis, art. 10, eorum opinionem detestatur, qui Deum pravæ cujusquam aut voluntatis, aut actionis credunt auctorem, sive excitantem, sive suadentem, sive impellentem peccantium cupiditates. *Deus* quippe *neminem tentat*, Jac. 1, 13. Et rursùm, Eccl. 15, 12 : *Non dicas : Ille me implanavit :* Et iterùm, Oseæ 13, 9 : *Perditio tua, Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Et alio loco, Sap. 11, 27 : *Diligis omnia quæ sunt; et nihil odisti eorum quæ fecisti.* At odio habet Deus cæcitatem cordis, errorem, obstinationem; cùm *odio sint Deo impius, et impietas ejus*, ibid. 14, 9. Deus igitur nihil ejusmodi in homine propriè facit, sed tantùm judicio permittit. Nam obstinatio, error animi, ac cæcitas peccata sunt, quæ scilicet in hominibus, si proprietatem verbi sequi volumus, Deus nullo modo operatur. Nisi Melanchtonis stultitia placet, qui in annotationibus Epist. ad Roman., æquè proprium Dei opus Judæ proditionem, ac vocationem Pauli esse ait. Verùm hic error non solùm Scripturæ testimoniis, sed naturæ quoque rationibus manifestè refellitur. Primùm enim illa Augustini ratio expedita est, nullo sapiente auctore aliquem deteriorem fieri. Tanta enim culpa est, quæ in sapientem quemvis hominem cadere nequeat. Multò igitur minùs Deo auctore fiet homo deterior, cùm sit Deus quovis homine sapiente præstantior. Illa item ejusdem Augustini causa non est levis, quòd, quæ me auctore fiunt, ea me volente, et aut suadente, aut consulente, aut imperante fieri necesse est; nullum autem Dei justum, rectumque de culpis judicium futurum esset, si homines Dei voluntate, suasu, consilio, præceptoque peccarent. Plato insuper in secundo de Republicâ libro, modis omnibus pugnandum esse ait, ne Deus, qui bonus est, dicatur esse malorum causa; alioqui secum Deum pugnaturum, qui suis legibus contraria fieri mandaverit. Ità eos civitate extrudi jubet, qui verba illa nefaria dixerint, nobis utique perniciosa, ut inquit, sibique ipsis malè consona. Sed alterius, et loci, et temporis est, hanc sive amentiam, sive insaniam refutare. Nunc reliqua prosequamur. Nam et eis refellendis hujus septimi argumenti testimonia apertiùs explicabuntur.

Cùm itaque septimo loco objicitur, Deum esse omnium pœnarum causam, non certè id negamus; sed earum verè ac propriè causa est, quæ solùm pœnæ sunt, non culpæ. Est autem interdùm, ut ad Romanos, cap. 1, v. 2, et ad Thessalonicenses, cap. 2, tra-

dit Apostolus, una culpa alterius pœna. Quo casu in pœnam incurrit impius, Deo deserente, non efficiente. At verò Cajetanus in illud 2 Reg. 12, 11 : *Eccè ego suscitabo super te malum de domo tuâ* , « est sermo, inquit, non de malo culpæ, sed de malo pœnæ. Deus « enim non est auctor peccati, ut sic, sed quatenùs « pœna est peccantis, vel ulteriùs. » Hactenùs ille Et in illud 2 Reg. 16, 10 : *Dominus præcepit ei, ut malediceret David :* « Agnoscit, ait, maledictionem illam, « quatenùs pœnalem, sibi procedere à Deo. Efficit si- « quidem Deus per Semei maledictionem illam, non « quatenùs erat peccatum, sed quatenùs erat pœna ip- « sius Davidis. Quemadmodùm superiùs etiam per os « Nathan dixerat : *Suscitabo malum de domo tuâ;* « non quatenùs erat malum culpæ, sed pœnæ. Hactenùs etiam ille. At posterior hæc sententia quidem faciliore ratione defendi potest, si ea distinctio repetatur, quæ quinto argumento diluendo posita est, in opere uno, eodemque et actionem considerari et passionem. Cùm autem res temporariæ, salus quoque, et vita auferuntur, passio non modò ex parte Dei justa est, verùm etiam ex parte patientis est bona. Non utilem patienti dico, (nam hoc quis dubitet?) sed honestam ac meritoriam, si æquo animo, patienterque feratur. Quia verò quò passio est, eò pœna est, ritè, ni fallor, dici potest Deus auctor esse operis mali, non quà est malum culpæ, sed quà est malum pœnæ. Cùm enim Aristoteli actio et passio idem motus sint, illud perindè est, ac si Deum auctorem dicamus esse non malæ actionis, sed bonæ passionis. Cæterùm quandò unum peccatum alterius est pœna, res non ità facilè expediri potest. Tunc enim nec actio, nec passio honesta est, sed is, qui plectitur, et agendo, et patiendo peccat; ut cùm gentes, verbi causâ, contumeliis affecerunt corpora sua in semetipsis, et relicto naturali usu, turpitudinem naturæ inimicam operati sunt, mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, nihil omninò illìc distinguere possumus, cujus Deum causam asseramus. Sive enim agentes, sive patientes, et quia agebant, et quia patiebantur, utrinque omninò peccabant. Quamobrem Deus nec actionum ejusmodi auctor erat ullo modo, nec passionum. Illud igitur, quod priore loco Cajetanus ait, dilutius videtur esse, quàm ut consistere in verâ theologiâ possit, quæ an argutias adeò formales recipiat, ignoro. Si enim Deus auctor peccati est, quatenùs est pœna peccantis, omnium pœnarum absolutè causa erit, tùm etiam, cùm peccantis culpa posterior culpæ prioris pœna est. Ità erit causa indurationis, cæcitatis, erroris, earumque passionum, quas ne nominare quidem per verecundiam licet. Et cùm causa moralis, de quâ in præsenti sermo est, non agat nisi per voluntatem movens, Deò certè volente, atque adeò vel jubente, vel suadente, vel instigante, ea peccata provenient, quæ in priorum pœnam accidunt. Quæ nimirùm omnia, et per se sunt falsa perspicuè, et inter se vehementer repugnantia. Intelligo autem D. Augustinum, lib. cont. Julian. 5, longâ oratione contendere, non permissionis tantùm, aut patientiæ divinæ esse peccata, sed etiam potentiæ; quùm priora videlicet per posteriora puniuntur. Adducit verò in hoc non ea modò testimonia, quæ nos in argumentis attulimus, verùm illa etiam Isaiæ 19, 14 : *Miscuit Dominus spiritum vertiginis in medio ejus; et errare fecerunt Ægyptum, sicut errat ebrius.* Et Josue 11, 20 : *Domini sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et non mererentur ullam clementiam, sicut præceperat Dominus Moysi.* Et 3 Reg. 12, 11 : *Non acquievit rex populo, quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum*, etc.; loco autem ejus, quod nostra translatio habet : *Quoniam aversatus fuerat eum Dominus*, 70 transtulerunt : Ὅτι παρὰ Κυρίου ἦν ἡ μεταστροφή. Quæ verba Augustinus ita reddidit : *Quoniam à Domino erat conversio.* Ac rectè ille quidem; nam μεταστρέφω propriè *converto* est. Huic verò illud etiam simile est : *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, et dolum facerent in servos ejus.* Addit deniquè Augustinus et illud, quo uno causam videtur obtinere : *In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam;* ac protinùs : *Quem vult, indurat.* Volens ergò indurat Deus. Et posteriùs : *Quòd si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam*, etc. Potentiæ igitur divinæ sunt ejusmodi peccata : quarè Deus in his agit etiam, nedùm permittit. Confirmat autem hoc vel maximè, quòd cùm David increparet Abisai, qui caput Semei cuperet amputare : *Dimitte*, inquit, *eum; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David;* et paulò post : *Dimitte eum*, ait, *ut maledicat juxtà præceptum Domini.* In eam quæstionem, quam velis equisque, ut dicitur, fugere conabar, volens nolens incurri. Ità enim conjuncta est huic, quæ præsenti loco versatur, ut illam ab hâc non potuerim separare, quamvis in eâ re diù multùmque elaboraverim. Cùm enim considero, quid ferat instituti operis ratio, occurrentes, consequentesque etiam controversias pro meâ certè virili declino; magis adeo eas, quas dignas esse video, ut et tractentur fusiùs, et explicentur accuratiùs. Hinc quippè volumen mihi grande displicet; indè autem molestè fero, res quàm gravissimas minùs accuratâ diligentiâ expendi, quàm earum amplitudo requirat. Id quod in eâ, quæ est nunc in manibus, accidat necesse est. Nam etsi multa dicentur, multa tamen prætereunda sunt, quæ huic argumento plenè absolvendo erant valdè necessaria. Atque veteres Patres, ne fenestram impiis aperirent, duritiem, cæcitatem, erroresque suos, et peccata in Deum referendi, in id genus locutionibus, quæ actionem Dei sonare videntur, solam permissionem agnoscunt (1). Quam sobrietatem ut exosculor, ità minimè periculosam judico, si permissioni nonnihil addamus, quod nec actio propriè Dei sit, nec sola permissio. Ità enim, ut reor, Scripturæ sacræ intelligentiam germanam, solidam, expressamque tenebimus. Principio autem illud intelligendum est, vim Scripturæ et energiam in illiusmodi locis non satis per negationem explicari. Etenim, si eum Deus excæcat, quem non illuminat, eumque indurat, quem non

(1) Videre est Damascenum, lib. 4, cap. 14, ubi ait, « morem esse divinæ Scripturæ, permissionem Dei « actionem ejus vocare. »

emollit, omnes profecto, quicumque in peccato sunt mortui, excæcati à Deo sunt et indurati. Quod nec Scriptura, nec ratio recipit. Quosdam siquidem peculiariter excæcatos à Deo et induratos legimus, in quibus iram, justitiam, ac potentiam suam insigni singularique vindictà Dominus ostenderit. Deindè id quoque certum nobis expeditumque sit, Deum nec propriè excæcare, nec indurare, nec decipere, nec hominum corda in odium convertere, nec ea demùm facere, quæ in litteræ superficie facere asseritur. Illa enim, quemadmodum antè constituimus, à naturâ Dei abhorrent omnia. Itaque Deo impropriè et figuratè tribuuntur, triplici, ut ego sentio, ratione. Primùm enim, cùm sublato ejus lumine, nihil aliud, quàm caligo, et cæcitas supersit; cùm, ablato suavitatis ejus spiritu, corda nostra in lapides obdurescant; cùm cessante ejus directione, in obliquitatem contorqueantur; excæcare eos, indurare, errare facere dicitur, quibus facultatem videndi, liquescendi, ad veritatem rectam ingrediendi adimit. Nam et qui lucem hanc oculis nostris auferrent, et qui columnam, quâ firmatur et consistit ædificium, tollerent, ii verè ac jure et obtenebrare oculos, et diruere ædificium dicerentur. Cùm autem dicimus, Deum facultatem videndi auferre, cæteraque similia, id non ità accipiendum est, quasi homo arbitrii facultate privatus nec videre, nec mollescere, nec recta ingredi ipse possit; sed ità demùm intelligere oportet, ut, quia sine lumine videre homo non valet, nec sine spiritûs suavi oleo emolliri, nec sine Dei directione recta ingredi, idcircò qui illa justo hominibus judicio adimit, hic facultatem quoque ea exequendi quodam modo dicatur adimere. Altera est ratio, quæ propiùs ad verborum proprietatem videtur accedere, quòd ad exequenda judicia sua Satanâ administro utitur, ob idque ea dicatur efficere, quæ minister illius auctoritate roboratus efficit; quemadmodùm quæ judicis administer, dùm justam ejus sententiam exequitur, facit, ea suo modo. à judice quoque fieri sanè intelligimus. Tertiam rationem Hieronymus ad Hedibiam, quæst. 10, reddidit. Sicut enim unus est solis calor, et secundùm essentias subjacentes alia liquefacit, alia indurat, alia solvit, alia astringit, liquatur enim cera, et induratur lutum, et tamen caloris non est diversa natura; sic Deus eodem omninò lumine malè affectum excæcare dicitur, benè institutum illuminare, eodemque prorsùs beneficio indurare illum, hunc mollire. Videlicet miraculis eisdem editis emollitus Israel est, obduruit Pharao; eàdem doctrinæ luce Apostoli viderunt, Pharisæi cæci facti sunt. Quoniam divina lux, tametsi per se quidem ad videndum editur, sed per occasionem tamen in eo cæcitatem efficit, qui pravè affectos habet oculos, in eo duritiem, qui pravo affectus est animo. Atque huic illud simile est, quòd hi seducere decipereque dicuntur, qui oratione dubiâ, vel obscurâ tenebras alicui offundunt. Hâc enim ratione Dominus, in parabolis turbas allocutus, eas excæcâsse dicitur. Ac Jeremias: *Seduxisti*, ait, *me, Domine, et seductus sum.* Quia enim in principio illud audierat: *Prophetam in gentibus dedi te*: et iterùm: *Ecce constitui te super gentes et regna*, arbitratus est, nihil se contrà populum Judæorum, sed contrà diversas in circuitu nationes esse dicturum, undè et prophetiam libenter assumpsit. Cùm vidisset autem aliter sibi, ac existimaverat, accidisse, queritur à Domino se esse deceptum; non falsitate autem deceptus est, sed ambiguitate. Nihil autem refert, an (quod Hieronymus ait) indè Jeremias fuerit seductus, an ex illis potiùs verbis: *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, ut eruam te*, etc.

His igitur tribus rationibus non illa solùm explicantur, quæ retrò citata sunt, sed et illud simul intelligitur, quòd Deus ministros iræ suæ nunc sibilo evocaturum se minatur, nunc eos instar novaculæ sibi fore ad radendum caput, et barbam universam; nunc sagenam et rete ad irretiendos improbos; nunc malleum ad feriendos, virgam deniquè, securim, serram, quam elevet, in quâ secet, quam trahat. Nam quod 2 Reg. 16 legitur, Domini præcepto Semei Davidi regi maledixisse, id per figuratam dictionem usurpatum esse, vel illud satis abundè magno argumento est, quod Ecclesiast. 15, scribitur: *Nemini mandavit impiè agere.* Et reverà cum rectâ ratione pugnat, in eo peccare hominem, quod Deo præcipiente agit. At Semei sine dubio maledicendo peccavit. Præceptum igitur in libris sacris pro lege et ordinatione quandoque accipitur, sive sit lex obligans ex imperio, sive permissio, sive pœna præscripta, seu ordo etiam naturæ præfixus. Sic enim quod Matth. 10 dicitur: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis*, Marc. cap. 10 dictum est: *Scripsit vobis præceptum istud.* Sic etiam Threnor. 3: *Quis est iste, qui dixit, ut fieret, Domino non jubente?* Quem locum alii ità vertunt: *Quis hoc dixerit, aliquid fieri, quod Dominus non præcipiat?* Et iterùm: *Statuit ea in æternum et in seculum seculi, præceptum posuit*, etc. Quod ergò ordine divinæ justitiæ fit, id divino præcepto fieri dicitur. Jam illud fueram oblitus, quod Paulus ait: *Quem vult, indurat.* Sed primùm, voluntas etiam permissionis à theologis ponitur. Undè Augustinus in Enchirid. cap. 95: *Non fit quidquam*, ait, *nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Deindè, volente aliquo ea fieri dicuntur, quæ illo non invito fiunt; sic enim pater volens dicitur filium gignere. Ac de septimo argumento nimis multa dicta sunt.

Octavum autem brevissimè refutabitur. Intelligendum est enim causarum dua esse genera, naturale, et morale. Ut qui imperat, qui consulit, qui suadet, qui impellit, is ejus rei, quæ imperio, consilio, suasione, impulsu ejus fit, causa moralis dicitur (1). Est autem Deus causa naturalis quidem omnium motionum; nam generali naturalique concursu cum omnibus causis agentibus operatur; at causa moralis non est nec erroris, nec pravæ cujusque actionis. Actus igitur ille, qui peccatum est, si in genere rerum naturalium

(1) « Causa moralis est ea quæ non *reali influxu influit* « *in effectum*, sed causam physicam liberam movet ad « ejusmodi effectum producendum. Movet, inquam, suî « positione, suo suasu, consilio, imperio, precibus; « quin et omissione impedimenti, quandò potest et de- « bet impedire. » Ex Breviario theologico Polmani, n° 271, part. 1, 2. P. S.

consideratur, ad causas tantùm naturales referendus est; sin consideratur in rerum moralium ordine, ad causas naturaliter agentes ineptè quidem, et absurdè revocabitur. Stultus quippè erit is, qui in cœlorum motrices intelligentias culpas vel proprias vel alienas retorserit. Quocircà, tametsi res atque actiones universæ, quatenùs effecta naturæ sunt, Deum auctorem habent; sed, cùm de peccatis agitur, quoniam mox in peccati nomine liber et moralis actus intelligitur, ineptissimi profectò erimus, quicumque in Deum errores, peccataque nostra regeremus. Ille enim, quemadmodùm diximus, in moralis causæ modum nec ad errorem movet, nec ad pravam aliam quamlibet actionem, hoc est, nec mentitur omninò, nec suadet, aut imperat malum. Quibus modis, ac similibus et deciperet propriè, et causa peccatorum haberetur. Sed hæc causæ partitio in Relectione de Sacramentis in genere uberiùs explicata est (1). Nunc ad octavi argumenti explicationem diximus satis.

At postremum facilè refellitur. Nego enim id, quod primo loco antecedit, cui scilicet suadendo tota illa argumentatio incumbit. Mendacium namque ità malum naturâ est, ut nullà ratione quisquam justè mentiri possit; quod et Aristoteles 4 Ethic. tradit, et Augustinus in lib. de Mendacio demonstrat. Ad primam verò rationem, quâ hujus contrarium suadetur, sunt qui respondeant, Joseph fuisse reverà mentitum, sed joco tamen. Et si objicias, perjurium omne esse mortale peccatum, argutè respondent, Joseph non jurâsse absolutè eos esse exploratores, sed ex conditione. Ait enim: *Mittite ex vobis unum, et adducat eum, donec probentur ea, quæ dixistis, vera an falsa sint; alioqui, per salutem Pharaonis, exploratores estis vos.* At D. Augustinus in quæst. super Genes., totam assertionem à mendacio liberat, et verbum illud *estis* accipit pro verbo, *habebimini*. Quæ verbi usurpatio non est insolens. Nam 3 Reg. 18, Elias ait: *Qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus*, hoc est, habeatur. In quam sententiam D. quoque Bonaventura ivit, adjecitque, Joseph illa verba tentando, et quasi inquirendo (quod judices solent), sine mendacio dixisse. In judiciis nimirùm enuntiationes loco interrogationum usurpantur. Interrogantes autem non mentiuntur. Nihil enim censentur asserere, sed ut veritatem eliciant, pertentare. Qualis illa interrogatio fuit, Gen. 44, 15: *An ignoratis, quòd non est similis mei in scientià augurandi?* Gratianus tamen docet, joco id esse dictum, quarè non habendum pro mendacio, ut quod non animo fallendi dictum sit.

Ad secundam verò rationem respondeo, sermonem Prophetæ esse figuratum, vel ad exprimendam rei maximam certitudinem, vel ad desiderium vehemens explicandum, ut, si fieri posset, ea mala non acciderent. quod vulgò apud Hispanos inculpatè dicitur, *plega à Dios que yo mienta.* At tertiæ rationi hoc habeatur responsum: Ironiam ab Aristotele ibi accipi pro cavillatione quâdam turpi, ac dissimulatà, astutèque paratà ad decipiendum, Cic. Offic. lib. 1. Verbum enim græcum εἰρωνεύομαι interdùm idem est, atque cavillatoriè decipere. Atqui Socrates in omni oratione simulator, quem εἴρωνα Græci nominârunt, non solùm absque vitio, sed etiam cum laude fuit. Nam et ironia, illusio, seu irrisio, est figura apud Latinos usurpata, ubi nullum mendacium inest. Argumenta igitur omnia, quæ à principio hujus controversiæ posuimus, hoc quidem pacto fuerint refutata.

Occurri autem nobis potest, et quidem à doctis et eruditis, quærentibus, satisne prudenter agere videamur, qui cùm hujus operis in initio Dei veritatem, cui fides innititur, primum theologiæ principium esse docuerimus, nunc tamen longè aliter doctrinam videmur instituere; quoniam divinam veritatem in quæstionem revocamus, et rationibus etiam philosophiæ confirmare nitimur? Absurdum est autem, ut Aristoteles docet, de cujusque disciplinæ principiis velle cum quovis homine disserere. Et Basilius, in Psal. 115: « In quolibet studio, inquit, quod ordine in finem procedit, impossibile est primorum subjectorum demonstrationes inquirere. Sed necesse est, omnium artium, quæ probatione nituntur, principiis sine investigatione aut ratione positis, reliqua, quæ deinceps sequuntur, cum ratione ostendere. Sic et theologiæ mysterium ex fide minimè rationibus probatâ ædificium quærit. » Hactenùs Basilius. Atque Hilarius in lib. ad Constantium Augustum: « Fides, ait non in quæstione philosophiæ est, sed in Evangelii doctrinâ. » Cùm ergò et theologia, et fides eo tanquàm summo principio adnitantur, quòd omnia in Scripturis à Deo revelata vera sint, stultum videtur esse, id aut in dubium vertere, aut philosophiæ argumentis velle finire, quasi fides in quæstionibus philosophiæ sit, et non magis oporteat, cùm in aliis doctrinis, tùm in hâc maximè discipulum addiscentem credere. Ac reverà quemadmodùm prima philosophiæ principia quibusque non omninò rationis expertibus animo antecœpta sunt, nec nisi absurdissimè in quæstionem vocarentur; sic omnes Christiani istam sive anticipationem, sive prænotionem, nullo argumento intercedente, habent animo quasi insculptam, Deum esse naturâ veracem, neminemque proindè ab eo posse falli. Quamobrem imprudentiæ nomine, ut dictum est, accusari à viris etiam eruditis, possumus, qui de re, quæ controversa esse non debet, controversiam fecimus, et primum fidei ac theologiæ fundamentum non testimonio solùm, sed etiam ratione constituimus.

Quibus vellem satis cognita esset nostra sententia. Non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquàm quid sequatur. Quæ enim ista esset theologia, vel quæ disciplina potiùs principiorum ratione sublatâ? Quæ prorsùs tollitur, si perindè atque conclusio, principium quoque in controversiam veniat. Quoniam autem mihi interdùm videor disserere non cum perfectis theologis, plenèque sapientibus, sed cum iis, quibuscum præclarè agitur, si insunt simulacra theologiæ, nonnullos lapides ego moveo, quos scilicet non moverem, nisi quorumdam imprudentiam veritus, qui

(1) Vide Relection., part. 4, et Relect. *de Pœnitentià*, semper ejusdem Melch. Cani, part. 6, quæst. *an sacram. Pœnitentiæ, recedente fictione, suum effectum sortiatur*, ad 2 argument., etc

dàm juniores passìm theologos sine judicio legunt, in eas opiniones incurrunt, quas refellere, ut videtur, necesse est, ut theologiæ fundamenta et doctis et indoctis pariter jaciamus. Ità concedendum nobis est, si imperitorum causâ quædam præter disserendi artem disserimus. Nec prudentiam nostram ibi desiderare oportet, ubi doctor tantò prudentior est, quantò sese magis indoctorum ingeniis et imperitiæ accommodat. Porrò autem (ut viris doctis nonnihil etiam respondeamus) disciplinarum principia non eamdem rationem universa subeunt. Quædam enim sunt tàm nota atque perspicua, ut qui ea in quæstionem vocent, hi non sint verbis, argumentis, et disputatione philosophorum, sed verberibus, vinculis et carcere fatigandi : ut, quodlibet esse, vel non esse, omne totum esse majus suâ parte; alia verò sunt ejusmodi, ut et negari ex ignorantiâ quandoque possint, et rationibus etiam illustrioribus comprobari. Sic enim Aristoteles tradidit, dialecticen ac metaphysicen eos coarguere, qui aliarum disciplinarum principia inficiantur : atque ipse idem sæpè ex effectis manifestis causas rerum minùs manifestas persuadet, quibus causis tamen philosophiæ principia continentur. Sed et duas esse cujusque disciplinæ partes exploratum est, unam, in quâ principia ipsa tanquàm fundamenta ponimus, statuimus, firmamus; alteram, in quâ principiis positis, ad ea, quæ sunt indè consequentia, proficiscimur. Atque in hâc quidem posteriore, si quis principia negârit, quæ nimirùm in scientiâ supponuntur, non est cum eo contentiosâ disputatione certandum. Si enim theologo suas conclusiones ex principiis colligere volenti neget quisquam Deum esse, stultus erit, si adversùm ejusmodi disputationem theologicam velit instituere. In illâ verò, quam priorem esse diximus, licebit utique non solùm obscura perspicuis illustrare, sed etiam minùs nota principia ex his, quæ sunt nobis notiora, ostendere. Ferè autem fit ut causæ rerum, quæ sunt suâpte naturâ manifestæ, sint nobis obscuræ. Quemadmodùm oculo nictycoracis radii solares tenebræ sunt; ità si viro sapienti negaretur Deus esse, licèt primum sit theologiæ principium, daret tamen ille operam, ut viâ aliquâ et ratione Deum esse constitueret. Non igitur mirum esse cuipiam debet, si hoc sanè libro, ubi de principiorum theologicorum firmitudine agimus, ipsa nos principia non modò explicemus, verùm etiam constituamus. Aliter autem urbium fundamenta inimicus concutit, qui conatur evertere; aliter artifex, qui nititur non solùm jacere, sed etiam confirmare. Sed jam ista omittamus, et ad ea quæ propius ac validiùs urgent, festinemus. Nam prima illa quidem machina non erat adeò instructa, ut ad eam deturbandam aut longior, aut acrior futura esset oratio. In illam verò alteram, ut quam adversarii majori arte et viribus instruxerint, majori quoque nos studio, et acriori disputationis vi debemus incumbere.

CAPUT V.

Ubi quatuordecim libri è sacris Bibliis numerantur, quos quidam vel ambigunt esse canonicos, vel certè à canone rejiciunt.

In dubium itaque et olim et nostrâ hâc tempestate vocatum est, an septem illi libri veteris Testamenti, *Baruch*, *Tobias*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, duoque *Machabæorum* sint habendi canonici. Ex novo quoque Testamento, quæstio fermè eadem existit de Epistolâ Pauli ad Hebræos, de Epistolâ Jacobi, de secundâ Petri, duabusque posterioribus Joannis, de Epistolâ Judæ, et libro Apocalypsis. Sunt enim theologi et fuerunt, atque in his quidem et nobiles veteres longèque principes, et quidam juniores docti et graves, qui multis magnisque rationibus adducti, negârint eos libros oportere in canonicis computari. Alii verò auctores, ipsi quoque præstantissimi, contrà asseverant, hos omnes esse canonicos. Atque ad eam rem confirmandam plurimis etiam maximisque argumentis utuntur. Ità addubitare cogit doctissimorum hominum de maximâ re tanta dissensio. Ego autem, quò controversiam hanc manifestiùs explicem, dividam omninò totam istam de libris canonicis quæstionem in quatuor partes. Primùm illud ostendam, ad cujusnam auctoritatem spectet definire, quis liber sit canonicus. Deindè eos libros, qui nunc in dubium veniunt, sacros esse demonstrabo. Tùm adducam argumenta, quæ verisimilitudine homines alioqui et doctos et pios fallere potuerunt. Postremò eadem argumenta diluam. Hæc enim omnia ad hanc quæstionem referenda sunt.

CAPUT VI.

Continet argumenta eorum, qui suadere conantur Scripturam sacram non egere Ecclesiæ approbatione.

Et quidem, quod ad primam partem attinet, Lutherani aliquandò asseruerunt, Scripturam non egere Ecclesiæ, aut alterius cujusque approbatione, sed judicium de Scripturâ ex ipsis Scripturis esse faciendum : seu potiùs per ipsas Scripturas cætera omnia judicanda, eas verò per se quidem cuique habenti Spiritûs sancti et fidei lumen esse manifestas. Quòd si ab illis roges, ecquis nobis fidem faciat, hæc à Deo prodiisse; ecquis salva et intacta ad nostram usquè ætatem pervenisse certiores reddat, ecquis persuadeat, librum hunc reverentiâ excipiendum, illum verò numero expungendum; aiunt, perindè esse ac si quis roget, undè discemus lumen discernere à tenebris, album à nigro, suave ab amaro : non enim obscuriorem veritatis suæ sensum Scripturam præ se ferre, quàm coloris sui res albas ac nigras, saporis suaves, et amaras; sicut etiam apud philosophos per communes animi conceptiones (sic enim vocant) reliqua omnia probantur, cùm ipsæ probatione non egeant. Ità existimant Lutherani, divini verbi cognitionem, quod est doctrinæ catholicæ commune principium, usquè adeò in promptu esse, ut nulla hominum approbatio sit necessaria. Atque hic idem perniciosissimus error olìm apud Wiclefistas invaluit, ut Thomas Waldensis auctor est, lib. 2, doctr. fid. Antiq. c. 19, ne quisquam existimet à Luthero hanc primùm hæresim prodiisse.

Suadent autem in principio ex eo, quod Dominus apud Joan. 5 dicit : *Ego non ab homine testimonium accipio.* At sive summus pontifex, sive concilium, seu etiam Ecclesia tota homines sunt; non igitur ab his

Christi Evangelium, aut reliquæ Scripturæ partes accipiunt testimonium.

Idem rursùm ex illo confirmant, quod 1 Joan. Apost. 2, 17, ait : *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos : sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est.*

Tertio loco argumentantur ex eo verbo Domini, Joan. 7, 17 : *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet ex doctrinâ, utrùm ex Deo sit;* cui simile est illud, 10, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt;* alienum autem non sequuntur. Quo testimonio Lutherus quasi re confectâ gloriatur, et nondùm collatâ manu, tanquàm ferox victor insultat. Apertè enim (ut ait) Evangelium testatur, ipsas per se oves habere idoneam discernendi Scripturas facultatem.

Quarto illud Joannis asserunt, 1, 9, 10 : *Si testimonia hominum accipitis, testimonium Dei majus est; qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* In omnibus igitur quæ ad fidem pertinent, non ad externa hominum testimonia recurrere debemus, sed ad id quod Deus intrà nos testimonium præbet.

Addunt etiam hùc illud ex Deuter. 18, 19, 20 : *Qui verba* (Prophetæ) *quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. Propheta autem, qui voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, interficietur. Quòd si tacitâ cogitatione responderis : Quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum : Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus,* etc. Eccè quemadmodùm discernendis verbis Dei à verbis hominum non remittitur fidelis populus ad pontificem aut sacerdotem, non ad hominum concilium, sed ex ipsâ rerum evidentiâ, ut discernat, instruitur.

Eòdem quoque pertinet illud 1 Joannis 4, 1 : *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei,* etc.

Confirmat prætereà idem ex illo Apostoli testimonio, 1 Cor. 2, 14, 15 : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei; spiritualis autem judicat omnia;* rursùm ex eo, 14, 29 : *Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri dijudicent;* et paulò post : *Si quis videtur esse spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quòd Domini sunt mandata.* Quicumque igitur, in quo est spiritus Dei, cognoscere verba Domini, eaque discernere jure suo potest. Proferunt etiam alia testimonia, quæ quoniam eòdem spectant, eodemque modo refelluntur, non est necesse ea hoc loco proferre, sed rationes illas addere, quibus etiam utuntur in sui erroris confirmationem.

Si Ecclesia, inquiunt, de divinis Scripturis judicium ferret, tùm inferior in superioris legem auctoritatem usurparet. Id quod absurdum planè est. Nam, ut August. inquit, non licet judici de legibus judicare, sed secundùm ipsas, dist. 4, cap. *In istis.*

Prætereà, quæ securitas (aiunt) nobis erit æternæ vitæ, si quæcumque de eâ in sacris litteris extant promissiones, solo hominum judicio fultæ consistant? Rursùm fides nostra quantùm apud homines in suspicionem vocabitur, si credatur hominum beneficio, non secùs [illegible] precariam habere auctoritatem? Et cùm Apostolus asserat, fundamentum Ecclesiæ esse catholicam et apostolicam doctrinam, suam huic certitudinem antè constare oportet, quàm illa extare incipiat. Nam si christiana Ecclesia Prophetarum scriptis, et Apostolorum prædicatione fundata fuit, ubicumque reperiatur ea doctrina, Ecclesiam certè præcessit ejus approbatio, sine quâ nunquàm Ecclesia ipsa extitisset. *Vanissimum ergò commentum est* (1 cap. Institut. Calvinus ait) *Scripturæ judicandæ potestatem esse penès Ecclesiam, quasi ab hujus nutu illius certitudo pendeat.*

Prætereà, si Scripturæ sacræ veritas ab hominum testimonio penderet, ex eoque comprobaretur, tunc ultima fidei resolutio in Ecclesiæ auctoritatem fieret. Credimus enim Christum fuisse filium David, quoniam Deus Prophetis et Apostolis revelavit. Quòd si Deum revelâsse, ex Ecclesiæ auctoritate teneremus, jam fides nostra non in Deum tandem, sed in homines revocaretur. Quocircà ratio fidei formalis non divina, sed humana veritas esset.

Postremò, ut Aristoteles docuit 1 lib. Post. cap. 2: *Propter quòd unumquodque tale, et illud magis.* Si igitur Scriptura canonica Ecclesiæ auctoritate comprobaretur, plus hominibus, quàm Deo crederemus. Constat verò nullam auctoritatem majorem esse divinâ, quâ videlicet sacræ litteræ pollent. Non ergò Scriptura sacra per Ecclesiam confirmabitur, et ab illius approbatione pendebit. His atque aliis argumentis errorem suum hæretici [illegible] re possunt, persuadere non possunt. Errant enim vehementer, cùm in asserendis Scripturis Ecclesiæ auctoritatem labefactare conantur. Quâ de re nunc breviter, et ad hanc solùm de libris canonicis causam disputabimus, propterea quòd et à plerisque viris catholicis contrà hæreticos de Ecclesiæ auctoritate accuratissimè disputatum est, et hanc nos quoque in universum posteà asserere et confirmare debemus.

CAPUT VII.

Docet ad cujus auctoritatem spectat de libris canonicis judicare.

Sit igitur, quod ad præsentem locum attinet, prima propositio : Judicium de Scripturis per Scripturas ipsas nullo pacto idoneum esse potest. — Nam, ut de pluribus aliis taceamus, quorum similis omninò causa est, certè libros *Ruth, Esther, Job,* esse canonicos, nullo modo ex ipsis Scripturis comprobabitur. Ergò si res hæc in controversiam veniat, aliundè quàm ex sacris litteris petenda probatio est. Deindè, quoniam hoc idem ampliùs urgere volumus, si in controversiâ sit, an ambo Testamenta novum et vetus Deo auctore sint edita, per nullam alterutrius Testamenti auctoritatem hæc disceptatio componi potest. Quâ enim ratione de toto volumine dubitabitur, eâdem quoque de quâlibet particulâ voluminis ambigetur. Necesse igitur est, hujus quæstionis aliquem præter sacras litteras judicem constituere. Prætereà Basilides prophetas nescio quos produxit, Barchabam, Barchob, aliosque id genus, qui reverà à prioribus seculis nunquàm extiterint, ut [illegible] est Eusebius, lib. 4 Eccles. histor. cap. 8. At [illegible]

modi prophetarum libri per Scripturas ipsas refelli non possunt. Diceret namque Basilides, præter quatuor majores, et quatuordecim minores, alios item Prophetas in veteri Testamento fuisse, idque ejusdem Testamenti testimoniis confirmaret. Nec his rationibus alia exempla desunt. Nam quidam hæretici rejecerunt Evangelia, quòd Christus Dominus nec scripserit aliquid, nec scribendum præceperit, ut August. 2 Retract. c. 16, refert. Alii omnes Epistolas Paŭli respuerunt, apud Eusebium lib. 3 Histor. Eccles. cap. 27, Iren. lib. 1, cap. 26, et Origen. in Psal. 82, referente eodem Euseb. lib 9, cap. 28, vide Iren. cap. illo 26, 29. Alii universam Moysi legem, atque adeò omnes Instrumenti veteris scripturas abnegârunt, ut August., cùm aliàs sæpè, tùm in lib. cont. Faustum, et Euseb. 5 lib. cap. ult., auctores sunt. Nos verò hos libros in universum recepimus. Item, quæ Nicodemi et Bartholomæi nomine ab hæreticis proferuntur, Evangelia contemnimus, Marci Evangelium veneramur. Ac nos quidem harum rerum causam reddimus; illi verò ejus, quod universa tenet, tenuitque semper Ecclesia, rationem reddere nullo pacto queunt. Imò, vivorum judicum auctoritate sublatâ, nihil illis superest, nisi ut totum sacrorum Bibliorum codicem de medio tollant. Adde, quòd scriptura judex est mortuus, qui nec litigantium utrinque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet. Accedit, quòd, si in humanâ aliquâ republicâ talis judiciorum esset forma præscripta, ut nulli essent judices vivi, sed solis exaratis litteris controversia quæcumque de illius reipublicæ scripturis exorta finiretur, præterquàm quòd forma judicandi stultissima esset, nullus etiam esset litigandi finis. Ei enim, qui neget instrumentum, nulla vis inferri queat, si vivi judices nulli habeantur. Ità Deut. 17, non ad scripturam dissidentes homines referuntur, sed ad vivorum examen judiciumque. Et Malach. 2 cap. *Labia*, inquit, *sacerdotis, custodient scientiam, et legem requirent de ore ejus;* de ore ejus, ait, non de lege ipsâ. Et Actor. 15, non ad Scripturam appellaverunt Antiocheni, ut intelligerent an verba Pauli divina essent, sed ad Apostolos et seniores, qui erant Hierosolymis. Nec Apostoli et seniores Scripturam judicem, sed semetipsos et Spiritum sanctum posuerunt. *Visum est*, inquiunt, non Scripturæ, sed *Spiritui sancto, et nobis.* Sanctus quippè Spiritus non habitat in litterâ, sed in spiritu, non in syllabis, sed in cordibus. Quòd si ii qui Paulo adversabantur, Scripturæ in causâ illâ judicium peterent, quæstio hodiè maneret ambigua.

Judicium de Scripturis canonicis ad privatos reipublicæ christianæ cives non pertinet. —Primò, quia in humanâ republicâ ejusmodi judicia non permitterentur privatis hominibus, nisi legislatores desipuissent. Uterque enim eorum, qui dissidium habent, hanc sibi judicandi pari ratione vindicaret auctoritatem; sicque nullus esset dissidiorum finis. Privatas ergò cujusque vel revelationes, vel opinationes velle sequi, idque in quæstione fidei necessariâ, stultum erit. Pro suâ etenim factione quisque definiet, et quæ ipse existimaverit, ea sibi asseret à Deo revelata.

Quid quòd nullus homo privatus certam habet in Ecclesià auctoritatem, nullus apud reliquos fideles exploratam et solidam veritatem? ità judicium quodcumque ab ejusdem privato cive profectum infirmum erit : et Scripturarum proindè fides incerto et imbecillo fundamento nitetur. Quid quòd Deuter. 17, quæstiones graves non ad privatos jubentur deferri, sed ad eos, qui habent publicam in Ecclesià potestatem? Quid? Nùm Antiocheni privati homines judicium sibi assumpsêre in illâ controversiâ, quâ dubium erat, Pauline verba Dei essent, an non? Minimè verò; sed miserunt ad Apostolos et seniores, qui erant in Hierusalem, Act. 15. Adde hùc, quòd, cùm quidam viri doctissimi negârint Epistolam ad Hebræos esse canonicam, alii auctores quoque ipsi non ignobiles Apocalypsim Joannis exclu-serint, non posset ex cujusque privati hominis sensu ea doctissimorum virorum controversia componi. Vide Origenem homilià 7 in Ezech. Gregor. Nazianzenum in Apol. Hieron. in Ezech. cap. 13, et in Jerem. cap. 23, ut intelligas, quàm parùm sit deferendum in hujusmodi rebus privatorum hominum præjudiciis. Sed de his multa posteriùs. Nunc reliqua persequamur.

Ab Ecclesià est determinandum, quisnam liber sit canonicus, et illius auctoritas certa regula est ad libros vel in sacrorum numerum recipiendos, vel etiam ex eo numero rejiciendos.—Hoc tenuit Irenæus, lib. 3 adversùs Hæreses, cap. 2, 3 et 4; et August. lib. contrà Faustum 13, cap. 4; et lib. 28, cap. 2 et 4; et secundo libro de Doctrinâ christianâ, cap. 8; deniquè in libro contrà Epistolam Manichæi cap. 4, ubì illa est omninò sermone trita sententia : *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas.*

Hæc eadem definiuntur à concilio Toletano primo, in hæc verba : *Si quis dixerit, vel crediderit alias scripturas esse canonicas, præter eas quas Ecclesia catholica recipit, anathema sit.* Ecclesiæ igitur catholicæ auctoritas certum argumentum exhibet ad libros sacros vel recipiendos, vel rejiciendos, id quod multis magnisque rationibus comprobatur.

Primùm enim, si hujusmodi res in contentionem veniat, cùm nec ex Scripturis ipsis, nec ex privatâ cujusvis opinatione sit censura ferenda, ex aliquo hanc loco petere necesse est. Non est autem, undè commodiùs atque constantiùs ejusmodi judicium censuramque petere debeamus, quàm ab Ecclesiâ, quæ est *columna et firmamentum veritatis*, 1 Timot. 30, 15. Ad Ecclesiæ igitur tribunal est hæc quæstio referenda; et ejus decretum lydius lapis erit ad explorandum quis liber canonicus sit.

Item, ut D. Augustinus lib. 33, 6, contrà Faustum Manichæum, argumentatur, in libris Ethnicorum non aliâ ratione magìs veros auctores exploramus, quàm ex communi consensu et testimonio eorum, qui fuerunt antè nos. Undè enim Platonis, Aristotelis, Ciceronis libros novimus, nisi ex eorum, qui nos ætate antecesserunt, continuis testimoniis? Si ergò in cæteris omnibus hæc via tutissima et certissima est ad cognoscendum cujusque libri auctorem, cur hæc eadem non erit certa, et explorata viro catholico ad intelligendum hunc librum esse Matthæi, illum non esse Thomæ, hanc Epi-

stolam esse scriptam à Paulo, illam à Paulo scriptam non fuisse? Ecclesiæ itaque testificatione libri sacri sunt admittendi. Quod videtur Joannes evangelista significâsse, cùm ait, 24 : *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his : et scimus quia verum est testimonium ejus.* Joannes ergò testimonium perhibet Evangelii, et Ecclesia probat, inquiens : *Et scimus*, etc. Alioqui, quorsùm illa numeri tàm subita et inopinata mutatio? Apostolus quoque Paulus id manifestè docet in Epistolâ ad Galat. cap. 2. Nam cùm accepisset Evangelium per revelationem Jesu Christi, et mansisset cum Petro et Jacobo diebus quindecim, ascendit rursùs Hierosolymam secundùm revelationem, et contulit cum Apostolis et fidelibus evangelium, quod prædicabat in gentibus; seorsùm autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vanum curreret aut cucurrisset. Quòd si Ecclesiæ probatio non esset necessaria, certè non fuisset sollicitus Paulus, ut ascenderet ad conferendum evangelium, ne fortè, etc. Atque (ut Augustinus contrà Faustum ait lib. 23, 4), si Apostolus Paulus non inveniret in carne Apostolos, cum quibus conferret evangelium, Ecclesia illi omninò non crederet. Et Hieronym. in epist. ad Augustinum, hæc Apostoli verba pertractans : *Ex his*, inquit, *ostendit, se non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri, et qui cum eo erant, fuisset sententiâ roboratum.* Est autem hæc Epist. etiam in tomo operum Augustini secundo, num. 11. Et Tertull. lib. 4, adversùs Marcionem : *Proptereà*, inquit, *Paulus Hierosolymam ascendit ad Apostolos consultandos, ne fortè in vacuum cucurrisset. Non enim sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrocinio antecessorum. Deniquè, ut cum auctoribus contulit, et convenit de regulâ fidei, dexteras miscuêre. Igitur, si ipse illuminator Lucæ auctoritatem antecessorum et fidei et prædicationis suæ optavit, quantò magis eam Evangelio Lucæ expostulem, quæ Evangelio magistri ejus fuit necessaria?* Hactenùs ille.

Idem quoque habetur Act. 15. Cùm enim apud Antiochiam dubitaretur, an Paulus et Barnabas verè sentirent et docerent de cessatione legalium, statuerunt fideles, ut ascenderent Paulus, et Barnabas, et quidam alii ad Apostolos et presbyteros in Hierusalem. Non ergò unusquisque per se cognoscit, an doctrina ex Deo sit, necne, aut ipsa statim doctrina cuivis sese esse divinam manifestat; sed Ecclesiæ opus est approbatione. Quod Lutherani tandem in comitiis Augustanis confessi sunt, habere scilicet Ecclesiam auctoritatem ad discernendum verba Dei à verbis hominum. Atque Lutherus, in libro de Captivitate babylonicâ, ubi de ordinis Sacramento agit, confitetur quidem, Ecclesiam habere potestatem discernendi verbum Dei à verbis hominum, sed non proindè tamen judicem esse verbi Dei. Quemadmodùm Augustinus ait, quòd veritate ipsâ sic capitur anima, ut per eam de omnibus certissimè judicare possit, sed veritatem judicare non possit, dicere autem cogatur infallibili certitudine, hanc esse veritatem judicata magis, quam judicans; ità et in Ecclesiâ talis, inquit, est sensus, illustrante spiritu, in judicandis et approbandis doctrinis, quem demonstrare non potest, et tamen certissimum habet. Sicut enim apud philosophos de communibus conceptionibus nemo judicat, sed omnes per eas judicantur : ità apud nos de sensu spiritûs, qui judicat omnes, et à nemine judicatur. Sed nos hoc sanè loco de verbis certare nolumus.

Tantùm definimus, id quod jam Lutherani vel inviti concedunt, ex Ecclesiæ auctoritate certum argumentum sumi vel ad libros sacros admittendos, vel ad eos repellendos, qui sacri non sunt.

At verò non parva quæstio se offert, an nomine Ecclesiæ significemus hoc loco Ecclesiam quæ fuit tempore Apostolorum; an fidelium congregationem, qui modò sunt; an potiùs universam collectionem Christianorum à baptismo Christi per Apostolos et cæteros successores eorum usquè ad hæc tempora propagatam. Durandus enim, in 3 Sentent. distinct. 24, quæst. 1; et Gerson. de Vitâ spirituali animæ, lect. 2, coroll. 7, hujusmodi auctoritatem sacros libros approbandi, vel etiam non sacros reprobandi, ad Ecclesiam referunt fidelium, qui cum Apostolis extiterunt. At Joannes Driedonis lib. 1 de ecclesiasticis Scripturis et dogmat., cap. 1; et Thomas Waldensis, lib. 2 de doctrinal. fid. antiquæ, cap. 19 et 20, hanc auctoritatem existimant referendam ad seriem Patrum omnium, et fidelium ab Apostolis succedentium; quæ eadem profectò videtur fuisse sententia Irenæi lib. 3, cap. 3, et lib. 4, cap. 63, adversùs hæreses : et Tertulliani, lib. 4 adversùs Marcionem, et Augustini, lib. 33 contrà Faustum Manichæum, et in lib. 2, cap. 6, contrà Julianum Pelagianum, et lib. 2 de Doctrinâ Christi, cap. 8 ; et Epist. 63. Sed et alii tamen hanc auctoritatem hujus etiam temporis Ecclesiæ tribuunt; quæ videlicet eadem est cum antiquâ, habetque eumdem veritatis Spiritum assistentem.

Ego verò primùm sentio, ad Apostolos pertinuisse libros sacros probare, non sacros rejicere. Nec enim alios libros canonicos habemus sive veteris, sive novi Testamenti, quàm quos Apostoli probaverunt, atque Ecclesiæ tradiderunt.

Existimo deindè, hujusmodi traditionem apostolicam non aliâ ratione meliùs innotescere, quàm per Patres et doctores Ecclesiæ, post Apostolos succedentes; quemadmodùm non alia via certior atque expeditior est ad Christi et Apostolorum reliquas traditiones cognoscendas : quod suo posteà loco demonstrabimus. Atque horum quidem neutrum opus est exquisitis rationibus confirmare : tantùm satis est admonere.

Illud verò demonstrandum est, Ecclesiam fidelium nunc viventium non quidem scribere canonicum librum posse, sed definire, an liber, de quo disputatio est, canonicus sit, an non, quia definitio dubiorum, quæ circà fidem modò exoriuntur, ad præsentem Ecclesiam pertinet. Oportet enim judicem vivum in Ecclesiâ esse, qui fidei controversias decidere possit : siquidem Deus in necessariis Ecclesiæ suæ non defuit. At librum esse canonicum, necne, fidem maximè tangit. Ad Ecclesiam igitur hujus temporis hujus rei judicium pertinebit. Nam si errores, qui sanæ doctrinæ adversantur, Ecclesia, quæ nunc est, condemnare ne-

quit, profectò, judicibus de medio sublatis, hujus seculi hæretici impunè vivere, atque adeò regnare possunt.

Rursùm, tempore Hieronymi dubitare catholico licuit, an Apocalypsis Joannis sacra et canonica esset. Nunc autem, ut suo loco ostendemus, id non licet in dubium vertere. Ergò post tempora Hieronymi Ecclesia auctoritatem habuit illam quæstionem profligandi.

Quamobrem, cùm nostro tempore quidam in dubium vocent, an *Baruch* et *Machabæorum* libri, ac cæteri, de quibus quæstio in manibus est, canonici sint, necne; hanc certè ambiguitatem præsentis Ecclesiæ judicium explanare poterit.

Præterea, Ecclesia, quæ nunc est, in fide errare non potest. Ergò, si crediderit aliquem librum esse canonicum, ex ejus testimonio idoneum firmumque sumetur à theologis argumentum. Nam et Ecclesia præsens docere eos, qui fidem susceperint, suo jure potest, quæcumque fidei sunt, et sacros libros, quos per traditionem veterum accepit, posteris suis ipsa tradere. Qui quidem posteri fidem proximè habeant Ecclesiæ præsenti necesse est; ut præsentes credidimus proximè antecedentibus, et illi superioribus, serie quâdam et ordine usquè ad Apostolos, quibus fideles tunc vivi proximiùs crediderunt.

Sicut enim in disciplinis duo principiorum genera cernimus, unum remotum, alterum proximum, hoc postremum, illud primum, nec conclusiones ad prima initia, nisi per postrema, referuntur; sic nec fides succedentium ad eos, qui nos ætate antecesserunt, nisi per nos referri potest, donec ad Apostolos, et indè ad Christum pervenitur, ubì tanquàm in primo fundamento catholica fides consistit. Quemadmodùm etiam utraque disciplinarum principia firma sunt, utraque item conclusiones certò probant, licèt altera mediata, altera immediata sint; ità et Ecclesia, quæ nunc est, certum argumentum dogmatis christiani exhibet, quamvis ipsius demùm fides ad Christi et Apostolorum sit doctrinam referenda.

Quà de re videtur mihi falsus Thomas Waldensis. Etenim, ut paulò antè indicavimus, aliud est quærere, quid Ecclesia præsens definire possit, et quousquè habeat controversias decernendi auctoritatem; aliud verò investigare, quânam viâ et ratione ad rectam et firmam harum rerum definitionem valeat pervenire. Ac nos quidem ingenuè fatemur, non esse nunc novas revelationes expectandas, sive à summo Pontifice, sive à Concilio, sive etiam ab Ecclesiâ totâ; sed inquirenda potiùs majorum documenta, ac sanctorum scripta, Apostolicas rursùm traditiones, sacras etiam litteras consulendas, atque per hujusmodi conquisita media quæstionem de fide propositam decernendam. Nam et Apostoli et seniores congregati in concilium Hierosolymitanum, magnâ factâ conquisitione, tùm ex rebus antè actis, tùm ex scripturis Prophetarum, sententiam de re propositâ atque in quæstionem vocatâ tulerunt.

Fallitur et in aliâ re, nisi fallor ego, Thomas Waldensis, cùm asserit testimonium laicorum fidelium etiam hùc pertinere; sed ideò ad eos non esse opus recurrere, quia nescierunt, inquit, fidem suam congruis vocabulis, atque ab omni intricatione liberis successorum consignare memoriis. Nam quæ ad fidem spectant, sunt in duplici differentiâ. Altera, quæ omnes fideles explicitè credunt, ut Filium Dei humanam naturam suscepisse; altera verò sunt, quæ videlicet soli majores credere tenentur explicitè, populus autem implicitè in majorum fide, ut Patrem et Filium esse unum principium Spiritûs sancti. A populo igitur rudi in rebus fidei, quæ sub priori genere continentur, jure forsitan testimonium postulaveris, quòd earum rerum fides æquè ad majores ac minores pertinet. At in his quæ ad alterum genus spectant, si qua quæstio exoriatur, ineptissimum erit, ut imperitum vulgus, delirus senex, garrula anus, sutor indoctus consulatur; idque maximè, si non ad Ecclesiam præsentem, sed ad eam, quæ superiorum fuit temporum, hujusmodi quæstiones sint referendæ. Quod fieri oportere, Thomas ipse Waldensis asseruit. Cùm igitur fides de numero canonicorum librorum explicita non popularium sit, sed majorum, ad quos utique spectat, quinam sint sacri libri cognoscere, fateamur necesse est, in hujusmodi quæstione, quam modò versamus, testimonium à plebe non esse requirendum, sed à doctoribus Ecclesiæ, quibus et plebs rudis debet credere, ad quosque similium rerum judicium pertinere, ut justum, ità quoque certum est. Quo fit, ut si omnes sancti et doctores Ecclesiæ asseruerint aliquem librum esse canonicum, id pro certo habendum sit, perindè ac si tota Ecclesia asseruisset. Quod uberiùs alio loco explicandum est. De tertiâ igitur propositione satis est dictum.

Ad concilium universale præcipuè pertinet definire, quis liber sit canonicus.—Quam quidem propositionem æquo animo paterer ab hæreticis non admitti. Sed illud tamen doleo vehementer quòd eam nonnulli fideles inficiantur, in quibus Thomas Waldensis esse videtur, lib. 2 doctrinalis fidei antiq. cap. 19.

Probatur tamen illa manifestè, quia proponere fidelibus ea quæ sunt divinitùs revelata, ad Ecclesiæ pastores maximè spectat, tùm quia tota Ecclesia hujusmodi revelata proponere et docere non valet; tùm quoniam, ut posset, non deceret tamen, ut tota Ecclesia docendi officium assumeret; tùm quia pascere oves in scientiâ et doctrinâ, proprium munus pastorum est, ut Jeremiæ 3 dicitur, tùm quoniam aliquandò inter ipsos catholicos concertatio est, an hic aut ille liber canonicus sit. Ad dirimendam igitur hujusmodi disceptationem, oportet in Ecclesiâ judices esse, quorum sententias fideles debeant sequi. Judices autem in doctrinâ fidei non alios convenientiùs accipimus, atque episcopos et doctores, quibus fidelium instructio demandata est, quosque si de medio tollas, Ecclesiæ universalis judicia protinùs aufers, cùm tota ipsa Ecclesia, hoc est, fideles omnes, convenire ad judicandum de propositâ quæstione nec debeant, nec verò possint.

Prætereà Concilium est certa regula in his, quæ fidei sunt, ut posteriùs ostendemus. Cùm igitur hæc quæstio de libris sacris atque canonicis ad fidem attineat, Concilii testimonio abundè poterit definiri. Id quod Antiochenos intellexisse constat. Non enim quæstionem de

legalibus ad fidelium plebem, sed ad Apostolorum et seniorum synodum retulêre. Nec post Concilii sententiam ullus relictus est dubitandi locus, Actorum 15.

Ad summum Pontificem pertinet definire, quinam liber sit canonicus. Primò, quia majores Ecclesiæ causæ ad summum Pontificem referendæ sunt, ut Innocentius probat de baptismo cap. *Majores*, nosque idem etiam sumus demonstraturi. At hæc de libris canonicis causa maxima est: ad summum itaque Pontificem est referenda. Deindè quia contingit esse dissidium inter Patres in concilio congregatos. Quòd si non esset judex in Ecclesiâ, qui hanc contentionem litemque dirimeret, certè non esset Ecclesiæ à Deo provisum in rebu necessariis.

Præthereà, quia summus Pontifex, quoties de fide pronuntiat, errare nequit: quod suo posteà loco etiam commonstrandum est. Ipsius ergo Pontificis testimonio tanquàm certo judice probare poterimus, quis liber sit canonicus, quis contrà non sit.

Postremò id ostenditur argumento Nicolai Papæ, cap. *Si Romanorum*, 19 dis. Nam quod verè sedes Apostolica probavit, hodiè tenetur acceptum, et quod illa repulit, hactenùs inefficax prorsùs habetur. Ità opuscula doctorum, quæ approbavit, Ecclesia probat; quæ contrà reprobavit, Ecclesia reprobat. Summorum ergò Pontificum de hisce rebus testimonium, ipso etiam perpetuo rerum experimento, firmum ac certum habere compellitur. Nam et evangelium, quod Paulus prædicabat in gentibus, ut antè ex Tertulliano, Hieronymo, et Augustino monstravimus, non fuisset ab Ecclesiâ receptum, nisi Petri auctoritate fuisset roboratum; et, ut idem Hieron. in lib. de Viris illustribus. in Marc., ex Clemente in 6 ὑποτυπωσέων; scribit, Marci Evangelium, cùm Petrus audîsset, probavit, et Ecclesiæ legendum suâ auctoritate edidit. Idem verò Eusebius, libro 2 Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 15, non solùm Clementis, sed et Papiæ testimonio confirmat. Constat autem, qui Petro succedit, hunc eamdem potestatem habere in illis sanè, quæ sunt Ecclesiæ necessaria. Ad summum ergò Pontificem hujusmodi de libris canonicis judicium pertinet. Nam et si qua similis quæstio in veteri lege exoriretur, ad Pontificem ejus definitio pertineret, ut Deut. 17 legimus (1).

Hactenùs quantâ fieri potuit brevitate à nobis ea dicta sunt, quæ præsenti loco satis erant, ut pius lector intelligeret, quibus auctoribus, in libris canonicis constituendis, fidem habere oporteret. Nam si quæ horum majori vi et argumentis indigent, ut in universum probentur omnibus, ea suis posteà locis confirmabuntur. Nunc verò illud agendum esse puto, ut argumentationes hostium veræ religionis, quàm brevissimè etiam possumus, refellamus.

CAPUT VIII.

Ubi confutantur argumenta capitis sexti.

Ad primum igitur argumentum sic respondeo. Si Christus ab homine testimonium non accipit, ubinam illud est Joan. 1, 6: *Fuit homo missus à Deo, ut testimo-*

(1) De his quid opinandum, infrà, lib. 6, cum auctore, dicemus; seu potiùs remittemus ad tractatum *de Ecclesiâ*, in quo de summi Pontificis auctoritate quæstiones nobis occurrent evolvendæ. P. S.

nium perhiberet de lumine? Ubi rursùs illud 15, 27: *Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis?* Ubi deniquè illud Actor. 18 (ne omnia repetamus): *Eritis mihi testes in Hierusalem?* etc. Sensus igitur est: Ego hominis testimonio non egeo quidem, sed affero tamen testimonium Joannis propter vos. Ideòque subjungit: *Sed hæc dico, ut vos salvi sitis.* Quòd autem ipse humanum testimonium non quærat, quo videlicet ipse minimè egere credendus est, probat subjungens: *Ego habeo testimonium majus Joanne*, etc. Et reverà conveniт, ut, qui divinum testimonium habet, ipse quidem propter se non accipiat ab homine testimonium, sed oblatum tamen propter aliorum utilitatem non repudiet. In eumdem quoque sensum deindè subinfert: *Claritatem ab hominibus non accipio*, cùm tamen Petrus dictus sit, Joan. ult. 19, suâ morte Deum glorificâsse. Ac de primo quidem argumento satis.

Ad secundum verò facilè respondetur, Apostolum ibi non cum imperitis, sed cum doctis habere sermonem. Ait enim: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam.* Sapientibus ergò Ecclesiæ magistris unctio interior sufficit ad ea, quæ fidei adversantur, refutanda; at ignorantibus opus est etiam externâ doctrinâ, eorum maximè, quos Deus constituit in Ecclesiâ pastores et doctores. Intelligendum est etiam, doctrinam fidei, singulis hominibus necessariam, unicuique per se fortè innotescere, si spiritum manentem in se habet. At verò, quæ sunt in fide non singulis quidem necessaria, sed ad Ecclesiæ communem utilitatem pertinentia, non ea statìm à bonis viris cognoscuntur, quamlibèt spiritum Dei et unctionem habentibus. Si enim simplici mulierculæ proponatur, an accidentia in Sacramento altaris sine subjecto sint, quamvis sancta sit et justa, non est opus eâ de re ab unctione doceatur. Sed si illud ab eâ inquiras, nùm Christus pro peccatis nostris sanguinem fuderit, id profectò ab unctione docebitur, quoniam præstanti quod in se est, Deus fidem ad salutem necessariam non negat. Porrò autem, cùm quæstio hæc de numero librorum canonicorum non spectet ad singulos, sed ad doctos in Ecclesiâ viros referenda sit, fit consequens, ut ad cognoscendum, an hic liber, an ille sit canonicus, non sit satis unctionem habere. Non enim unctio quemcumque simpliciter docet de omnibus, sed quemque de his, quæ sunt ei propria et necessaria. Atque hæc satis abundè erant, ut secundu argumentum eluderetur (1). Sed, ut iis morem geramus, qui aliud præthereà quicquam in illius testimonii explicatione desiderant, tertia adhuc responsio adjicienda est. Non, si quidam in Ecclesiâ primitivâ tantos habuêre et in virtute et in doctrinâ

(1) In hâc responsione et sequentibus, unctioni Spiritûs sancti nimis tribuit Canus ad intelligentiam seu Scripturæ sacræ interpretationem. — Quippè Spiritus divinus, in mente viri pii docti, vel non ità eruditi, unctione suâ mirisque illustrationibus agere potest; sed id peculiari fiet providentiâ; neque unquàm indè lex aut regula legitimæ interpretationis vel distinctionis librorum sacrorum pro quocumque hominum genere erit traducenda. Auctoritas Ecclesiæ, traditionis, hæc est regula certæ interpretationis admittenda, semper et pro omnibus, ut infrà fusiùs dicetur. P. S.

progressus, ut nullo doctore externo indigerent, quippè qui Spiritu docente nòssent omnia, idcircò gratiam illam Spiritùs sancti nos et ad omnes, et ad hoc etiam tempus referemus. Alioqui, si quis aut linguarum donum, aut alia multa, quæ Spiritus à principio fidelibus impertiebatur, modò non habeat, non se arbitretur Spiritum accepisse, nec unctum sese existimet, nisi uem Antonio, monacho ægyptio, sine ullâ scientiâ litterarum, divinas Scripturas intellexerit. Vid. Aug. in proœmio lib. de Doc. christian. Quòd si etiamnùm unctio docet sine externo doctore de omnibus, non doceant parentes parvulos suos doctrinam Christi, sed ne ad ipsum quidem Evangelium audiendum atque discendum eat populus in Ecclesias; quin etiam codices nullos legat, nec legentem explicantemque hominem audiat, expectet vero rapi se usquè ad tertium cœlum, et ibi omnia christianæ doctrinæ mysteria percipere! «Caveamus, Augus«tinus ait, tales tentationes superbissimas, magisque «cogitemus et ipsum Apostolum Paulum, licèt divini «et voce et spiritu instructum, ad hominem tamen mis«sum esse, ut ab eo disceret, quid se oporteret facere;» Actor. 9. *Et Cornelium cogitemus, quamvis et exauditas orationes ejus, eleemosynasque respectas ei Angelus nuntiarit, Petro tamen traditum imbuendum, à quo, quid credendum, quid sperandum, quid diligendum audiret,* Act. 10. Ac de 2 argumento hactenùs.

Tertium verò eludi primùm poterat eo rerum discrimine repetito, quod in superioris argumenti confutatione posuimus. Concedimus enim liberaliter, doctrinam cuique in suâ vitâ et statu necessariam, illi fore perspectam et cognitam, qui fecerit voluntatem Dei: sicut enim gustus benè affectus differentias saporum facilè discernit, sic animi optima affectio facit, ut homo doctrinam Dei ad salutem necessariam discernat ab errore contrario, qui ex Deo non est; quæ verò Ecclesiæ sunt communia, hæc ad judicium et fidem spectant singulorum, ea non à quovis discerni et judicari possunt, quantumcumquè is Dei faciat voluntatem. Hujusmodi autem sunt, quæ versantur in hâc controversiâ de librorum divinorum numero. Nec illarum etiam rerum judicium adeò perspicuum est cuivis, ut statìm ac sine doctore in promptu sit. Erant enim quidam verbum Pauli cum aviditate suscipientes, et quotidiè tamen scrutabantur Scripturas, si hæc ità se haberent (Actor. 17); et cùm quidam docuissent, sine circumcisione neminem posse salvari, non protinùs cuilibet exploratum fuit, nùm ea vox ac doctrina ex Deo esset, an non; sed relata est potiùs ad Apostolos et seniores quæstio, et, adhibito concilio, magnâque priùs factâ disquisitione, finita, Act. 15. Quod si, quæ in hujus argumenti refutatione dicta sunt, cuipiam adhùc non esse illa satis videatur, habeat et hoc responsum, Christum non dixisse quidem, qui fecerit voluntatem Dei, hunc per se et sine magistro veram omnem Prophetarum, Evangelistarum, Apostolorumque doctrinam posse à falsâ discernere, aut oves sine doctore externo vocem Christi internoscere, contrariamque alieni refutare; sed id docuit, cùm adest fidei magister idoneus, qui rem credendam aptis loco et tempore, solido pondere ac certâ auctoritate proponat, tunc auditorem, si bonus est, Dei doctrinam accepturum, sìn malus repudiaturum. De se quippè Christus suâque doctrinâ peculiariter loquebatur: quem quoniam Pater significaverat Deus, ducem ac præceptorem mundo dederat, omnique testimoniorum genere comprobârat, ei tot tantisque argumentis Evangelium annuntianti, ei vitæ, doctrinæ, miraculorum gloriâ præstanti, et humanâ atque adeò divinâ auctoritate pollenti, fidem non habere nemo sine peccato poterat. Abeat nunc Lutherus, et quasi Ecclesiæ fidem validissimis arietibus concusserit, vanissimâ exultatione bacchetur; nos verò intelligamus potiùs illum, quem diximus, esse verborum Christi sensum, cùm ex aliis Evangelistæ testimoniis, tùm verò præcipuè ex ipso eodem, quod ex cap. 10 Lutherus adversùs nos citat. *Opera*, inquit Dominus, *quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me; sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis;* et statìm: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Nam certè si non audirent, eæ oves Christi non essent, ut quæ ad vocem proprii pastoris tàm exploratam et certam, clausis auribus obsurdescerent. Quâ ex re patet, quàm ineptè à Luthero illa Domini testimonia in hâc causâ, de quâ nunc disserimus, referantur. De 3 igitur argumento tantùm.

Quartò priusquàm respondeo, operæ pretium mihi facturus videor, si strictìm quædam attigero, quò faciliùs non hoc solùm argumentum diluatur, verùm etiam ea, quæ deinceps disserenda sunt, explicari queant.

Primùm ergò id statuo, juxtà communem legem, aliqua exteriora et humana incitamenta necessaria esse, quibus ad Evangelii fidem inducamur. *Quomodò enim credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante?* Ad Rom. 10, 14. Item Joan. 15, 22 et seq.: *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; et, si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, excusationem haberent de peccato suo.* Non igitur solùm necessarium est, ut credituro ea, quæ sunt fidei, simpliciter ab homine proponantur, quasi prima principia discipulo; verùm etiam opus est exteriorem aliquam persuasionem, et humanum incitamentum adhiberi: quomodò principia geometriæ nonnulla à magistro explicantur, et suadentur. Hìnc illud est, quod cùm dixisset Moyses Domino, Exod. 4, 1: *Non credent mihi,* Dominus ei dedit potestatem signa faciendi; hìnc rursùm illud Marc. ult. 20: *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Hùc illa pertinent Joan. 1, 7: *Hic venit in testimonium,* etc., *ut omnes crederent per illum.* Et Sergius Paulus, vir prudens, cùm vidisset factum, credidit, admirans super doctrinâ Domini, Actor. 13. Et Centurio, videns quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: *Verè filius Dei erat iste,* Lucæ 23. Et Joan. 4, 53: *Cognovit pater, quia illâ hora esset, in quâ dixit ei Jesus: Filius tuus vivit, et credidit ipse, et domus ejus tota.* Et paulò antè: *Ex civitate autem illâ multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcumque feci:* Et Joan. 10, 41: *Multi venerunt ad Jesum, et dicebant, quia Joannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem*

quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et Joan. 20: *Introivit ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: et vidit, et credidit. Nondùm enim sciebant scripturam, quia opportuit eum à mortuis resurgere.* Philippus, Actor. 8, deniquè et Petrus, Actor. 10, non utcumque fidem eunucho Cornelioque proposuère, sed et causas etiam adhibuerunt, etc.

Deinde, id quoque statuendum est, auctoritatem humanam et incitamenta omnia illa prædicta, sive alia quæcumque adhibita ab eo, qui proponit fidem, non esse sufficientes causas ad credendum, ut credere teneamur, sed præterea opus esse interiori causâ efficiente, id est, Dei speciali auxilio moventis ad credendum. Docet id divus Thomas ad Rom. 10, Lection. 2, ac divus Augustinus, lib. 8 Retract. cap. 21, et aliàs sæpè. Quin sacræ litteræ id quoque docent. *Quàm speciosi,* inquit ad Rom. 10, 15, *pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est?* Item Joan. 6, 43 et seq. : *Nolite murmurare invicem; nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit à Patre, et didicit, venit ad me.* Et inferiùs, quibusdam discipulis dicentibus : *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Propterea* (inquit Dominus) *dixi vobis, quòd nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Et alio loco Joan. 12, 37 : *Cùm autem tanta signa fecisset coràm eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiæ impleretur : Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est?* etc. Externæ igitur omnes et humanæ persuasiones non sunt satis ad credendum, quantùmcumque ab hominibus competenter ea, quæ sunt fidei, proponantur; sed necessaria est insuper causa interior, hoc est, divinum quoddam lumen incitans ad credendum, et oculi quidam interni Dei beneficio ad videndum dati. *Viderunt,* inquit Moyses, Deut. 29, 3, *oculi tui signa illa, portentaque ingentia : et non dedit tibi Dominus cor ad intelligendum, et aures ad audiendum, nec oculos ad videndum.* Hoc quoque suâ voce dilucidè confirmavit Christus Petro inquiens, Matth. 16, 17 : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Certè Petrus audierat Joannis Baptistæ testimonium, Joan. 1, 34, quo apertâ voce clamaverat Christum esse filium Dei; multa insuper Christi miracula viderat : et tamen ost hæc pomnia non aut testimonio, aut auctoritati Joannis, non miraculis visis, fidei confessionem Christus assignat, sed divinæ revelationi. Et ad Thessalonicenses 2, 13 : *Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditùs fidei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.*

Sunt et alia pleraque sacrarum litterarum testimonia in hujus rei confirmationem, ut ad Corinth. 12, 3 : *Nemo potest dicere : Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto,* et cætera quæ sequuntur. Et rursùm inter Spiritûs charismata Paulus 1 ad Cor. 13, enumerat fidem; et alibi 2 ad Cor. 3, 5 : *Non sumus sufficientes,* etc. Et apud Lucam Actor. 16, 14, quædam mulier colens Deum audivit Paulum, *cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Et illud Isa 50, 4 : *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum; Dominus Deus aperuit mihi aurem.* Dies me deficiet, si omnia velim commemorare, quibus secundum hoc fundamentum stabilitur.

Cui et tertium subjiciendum est, rationem formalem nostræ fidei non esse Ecclesiæ auctoritatem, hoc est, fidei ultimam resolutionem non fieri in Ecclesiæ testimonium. Ipsæ scholasticæ res formas dicendi scholasticas rapiunt, et quæ vocabula scholarum consuetudo diuturna trivit, ea Latini nobis condonare debent. Nec enim tàm sermonis ornatum, quàm disputationis lucem sequimur. Sed ad rem. Eorum hìc errorem dissimulare non possum (1) qui asserunt, fidem nostram eò, tanquàm in ultimam credendi causam, reducendam esse, ut credamus, Ecclesiam esse veracem, cui priùs (inquiunt) assentimur per fidem acquisitam, quàm per infusam. Quod si verum esset, prima ratio formalis infusæ fidei non esset veritas increata, sed creata. Quarè fides nostra non inniteretur tanquàm suo fundamento divinæ veritati, sed humanæ. Deindè, cùm assensus conclusionis non sit certior principiorum assensu, ut Aristoteles, 1 Post. lib. demonstrat, si fides infusa fide acquisitâ niteretur, tùm Deum esse trinum, cui assentimur per infusam fidem, non esset nobis aut infirmius, aut certius quàm Ecclesiam esse veracem, cui juxtà horum sensum assentimur per fidem acquisitam, et per humanarum causarum incitamenta.

Præterea, nunquàm hominem quemvis ità per fidem acquisitam existimamus esse veracem, quin formidemus, eum posse vel falli, vel fallere. Quapropter, si assensus catholicæ fidei ex acquisitâ fide penderet, firmus omninò esse non posset.

Ad hæc, si omnes hi, qui me docuerunt, imò adeò angeli cœlorum mihi astruerent oppositum ejus quod fide teneo, non ex eo fides mea labefactaretur, juxtà Pauli apostoli præscriptum illud ad Galat. 1, 8 : *Licèt nos, aut Angelus de cœlo, evangelizet vobis,* etc. Nostræ igitur fidei assensio humanis causis et incitamentis non innititur, quæ scilicet fides acquisita sectatur. Quarè ne mens nostra vacillet, altiùs petenda, quàm ab hominis vel ratione, vel auctoritate Scripturæ divinæ, auctoritas est.

Præterea, Apostoli et Prophetæ resolvebant ultimò fidem suam in divinam et auctoritatem et veritatem. Ergo nos in humanam Ecclesiæ auctoritatem fidem nostram non resolvimus. Eadem enim fides est, idemque proindè habet objectum, rationemque formalem.

Confirmat autem hoc vel maximè, quòd ea, quæ per accidens contingunt objecto alicujus habitûs, non variant illius objecti formalem rationem; sed articulos credendos proponi per hos, aut illos homines, per accidens omninò contingit. Cùm ergò Prophetæ et Apostoli assentirentur articulis fidei, quia Deus revelavit,

(1) Vide Scot. 3 d. 23, quæst. unic., et Durand., d. 24, quæst. 1, et d. 25, quæst. 3, et Gabr., d. 23, quæst. 2, art. 1 et 2, qui videntur esse in hoc errore.

eamdem quoque nos credendi rationem habebimus. Nisi fortè fides nostra non est virtus theologica, cujus videlicèt prima et formalis ratio, si his credimus, non divina, sed humana veritas est.

Nec desunt sacrarum testimonia litterarum in hujus rei confirmationem, ut illud Exod. 14, 31 : *Crediderunt Domino et Moysi, servo ejus*. Non dixit, Moysi et Domino, sed, Domino et Moysi. Item Joan. 12, 45 : *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, et cætera quæ sequuntur : et ad Thessalon. 2, 13 : *Gratias agimus Deo, quoniam cùm accepissetis à nobis verbum auditus fidei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum Dei.*

His verò tribus certis stabilibusque sententiis illa etiam conjuncta est, ultimam fidei nostræ resolutionem fieri in causam interiorem efficientem, hoc est, in Deum moventem ad credendum. Verbi gratià, huic articulo, Deus est trinus, et huic, Ecclesia non potest errare, et cæteris universis doctrinæ christianæ principiis assentior per infusam fidem, non quòd Joannes dixerit, aut quivis alius homo, sed quòd Deus revelaverit; huic autem Deus revelavit, immediatè credo, à Deo motus per instinctum specialem. Itaque ex parte objecti ratio formalis movens est divina veritas revelans; sed illa tamen non sufficit ad movendum, nisi adsit causa interior, hoc est, Deus etiam movens per gratuitum specialemque concursum, divus Thomas, 2, 2, qu. 2, art. 9 ad 3, August. 2 Confess., cap. 3. Et licèt fundamento in hoc secundo jam jacto firmiter hæreat, subsistit tamen eo etiam testimonio, quod in argumento refertur. Hunc enim sensum habet, quod Joannes Apostolus dicit : *Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei majus est.* Atqui, undè credimus, Apostole, id esse Dei testimonium? *Qui credit*, inquit, *in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Quòd si rem hanc à capite arcessere, et undè omnia manant, videre volumus; illud tamen intelligamus oportet, habitum fidei in ordine ad theologiæ disciplinam se habere ut habitus intellectûs se habet ad humanas scientias, et facultates. Quemadmodùm itaque intellectus noster in discursu disciplinarum naturalium, primò cum principiis congreditur, deindè ad reliqua cognoscenda proficiscitur, quæ videlicèt à principiis positis derivantur; sic in cognitione supernaturalium rerum, quædam sunt principia supernaturalia, ex quorum fide fidelis animus ad cætera investiganda procedit. *Accedentem* (inquit ad Hebr. 11, 6,) *ad Deum, oportet credere quia est, et quòd inquirentibus se remunerator sit*; et iterùm ad Hebr. 5, 12 : *Cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursùm indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei*, et statìm docet quænam sint ejusmodi elementa, inquiens, ibid., 6, 1 : *Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum pœnitentiæ, fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, resurrectionis mortuorum et judicii æterni* Quibus rebus expositis, facilè (ut opinor) intelligi potest vera esse, quæ paulò antè sunt dicta, hoc est, oportere humana quædam et exteriora adminicula intervenire ad credendum; nec tamen ea esse idonea per se, nec fidei nostræ resolutionem in ejusmodi fieri, sed in interiorem causam divinam, quæ excitet, et moveat, ut credamus. In assensum siquidem principiorum geometriæ et arithmeticæ, multa veniunt, quasi præambula et antecedentia, ut cognitio sensitiva, explicatio, et suasio præceptoris, qui eadem principia non utcùmque proponit, sed explicat etiam, vel per exempla sensibus manifesta, vel per effecta notissima. At ratio assentiendi formalis non est quicquam illorum, sed sunt illæ quasi determinationes, et veluti conditiones, sine quibus ejusmodi principia à discipulo non intelligerentur. Ratio autem formalis lumen naturale est inexistens, quo videlicèt evidens ille assensus efficitur, ut et lumen hoc exterius ratio formalis est, quæ colores efficit evidentes. In hunc ergò modum, proponere credenda, suadere, miracula facere, determinant quidem intellectum, ut credat, quasi conditiones, sine quibus vix unquàm intellectus determinatur; at ratio formalis assentiendi lumen fidei est, quod Deus infundit credenti.

Jam si hæc quæ diximus, sacris litteris accommodaveris, invenies profectò, ea esse usquè adeò consentanea, ut obtinere à quovis adversario debeamus. Hùc enim pertinet illud Joannis 4 : *Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est verè Salvator mundi;* ut alia prætereamus, quæ retrò sunt nobis commemorata. Nam quarto argumento refellendo satis superque dictum est; undè tamen tria postrema argumenta facillimè diluantur, quamvis enim, respectu unius aut alterius hominis sacras videlicèt litteras rejicientis, prior sit Ecclesiæ auctoritas, quoniam jure probamus illi hanc esse Epistolam Pauli, illam Jacobi, per Ecclesiæ auctoritatem; non tamen indè colligitur, quòd absolutè Ecclesiæ auctoritas sit ratio credendi formalis : quomodò si neganti principia philosophiæ naturalis ex effectis notissimis nitamur ea suadere, non quærimus causam, à quâ principia philosophiæ pendeant, sed argumentum aliquod vel indicium certum ejus rei, quæ in controversiam venit. Ac ferè in omnibus disciplinis contingit, ut adversùs ignorantem causam utamur effectu; et adversùs negantem effectum utamur causâ propter utriusque mutuam connexionem. Atque id quidem copiosè variis multarum disciplinarum exemplis monstrare possem, sed, quæ perspicua sunt, longa esse non debent. Adhibebimus ergò exemplum unicum generis ejus, quod et facilè intellectu sit, et positum in unâ re transferri per multas possit. Terram interjici inter solem et lunam, ex lunæ defectu, suadet astrologus, nec affert tamen genus argumentationis ineptum. Præclarè enim est hoc usurpatum à doctissimis, quorum auctoritate non uterer, si mihi apud aliquot agrestes habenda esset oratio. Cùm verò ad eos scribam, quibus hæc inaudita non sunt, cur ergò simulem, me, si quid in his studiis operæ posuerim, perdidisse? Usurpatum est igitur ab eruditissimis viris quoddam argumentandi genus, quod *à posteriori* juniores vocant, Aristoteles, juxtà veterem interpretum demonstrationem, quia est, nos ab effectis vocamus. Quæ quoniam suis sæpè causis notiora sunt, ad eas commonstrandas identidem inferuntur; nec illicò tamen effecta hæc causa-

rum suarum formales rationes erunt. Non enim, ut in eodem versemur, si terram interjici ex lunæ defectu suademus, idcircò defectus ipse ratio est interjectionis formalis; quin è contrario, si rerum natura spectetur, ipsa terræ interjectio ratio est formalis, cur luna defectum patiatur. Quod igitur in cæteris artibus, idem quoque in theologiâ contingit, ut rerum ordo interdùm humani ingenii causâ permutetur : ità fit, ut contrà negantes novum Testamentum aptissimè argumentemur ex veteri, atque è diverso contrà negantes, vetus ex novo. Etenim ab his, quæ notiora sunt nobis, ad ea, quæ minùs nota sunt, quodam quasi naturæ ductu homines ferri non solùm philosophus auctor est, sed nullo etiam philosopho auctore experimur. Quamobrem Judæo, cui vetus Testamentum certius est, novum ex veteri suademus. *Habemus*, inquit 2 Petr. 1, 19, *firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris.* Et Act. 17, ii qui cum aviditate verbum Pauli susceperant, scrutabantur quotidiè Scripturas, an hæc ità se haberent. Contrà verò oportet, ut adversùs eum, qui novum Testamentum recipit, ac rejicit vetus, ex novo veteris auctoritatem colligamus. Ad eumdem quoque modum auctoritas Ecclesiæ cum sacrarum litterarum auctoritate connexa est, et per legem connexorum utramque in alterius probationem sumimus. At si generaliter quæratur, undè fideli constet, ea, quæ fide tenet, esse à Deo revelata, non poterit Ecclesiæ auctoritatem inducere, quia unum de revelatis est Ecclesiam errare non posse, ut 1 ad Tim. cap. 3, habetur. Nec verus catholicus, quod nonnulli fingunt, assentitur huic, Ecclesia est verax, solùm per conjecturas humanas, quibus acquisita fides innititur : ad quem modum et Saraceni suis præceptoribus, et Judæi suis rabbinis, et gentes suis philosophis, et omnes deniquè suis majoribus inhærent. Non sic, inquam, christiani, sed per interius lumen infusum à Spiritu sancto quo firmissimè atque certissimè moventur ad credendum, Ecclesiam christianam errare non posse, Saracenorum, Judæorum, Paganorum errare posse. Deindè responderi potest, quòd etiamsi in universum opus esset, ut Ecclesia ea, quæ sunt credenda, proponeret, non tamen proindè colligeretur, ultimam fidei resolutionem in Ecclesiæ auctoritatem fieri. Non est enim Ecclesiæ auctoritas ratio per se movens ad credendum, sed causa sine quâ non crederemus. Quippè ut nos credamus, juxtà præscriptam à Paulo legem, oportet, ut illa, quæ credere debemus, nobis per hominem proponantur. Providit autem Deus, ut Ecclesia esset, quæ certo ac firmo judicio ea, quæ verè nobis sunt credenda, proponeret. Proponit enim Ecclesia (ut rem exempli causâ illustremus) Evangelium Matthæi esse à Deo revelatum; nec mihi proponere nisi verum potest. Ego igitur non credo, Evangelistam dicere verum, quia Ecclesia eum dicat verum dicere, sed quia Deus revelavit. Et tamen Ecclesia proponens est causa, sine quâ ego non admitterem illud Evangelium esse Matthæi. Spiritu itaque sancto Ecclesiam afflatam certò credo, non ut veritatem, auctoritatemve libris canonicis tribuat, sed ut doceat, illos, non alios, esse canonicos. Nec si nobis aditum præbet ad hujusmodi sacros libros cognoscendos, protinùs ibi acquiescendum est; sed ultrà oportet progredi, et solida Dei veritate niti. Quâ ex re intelligitur, quid sibi voluerit Augustinus, cùm ait : *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moveret auctoritas;* et rursùm : *Per Catholicos Evangelio credideram.* Videlicet negotium Augustino erat cum Manichæis, qui absque controversiâ suo cuidam Evangelio, credi volebant, et Manichæo fidem astruere. Rogat igitur August. ecquid facturi sint, si in hominem incidant, qui ne Evangelio quidem credat, quove genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi. Certè se affirmat non aliter potuisse adduci, ut Evangelium amplecteretur, quàm Ecclesiæ auctoritate victum. Non itaque docet fundatam esse Evangelii fidem in Ecclesiæ auctoritate, verùm simpliciter nullam esse certam viam, quâ, sive infideles, sive in fide novitii, ad sacros libros ingrediantur, nisi Ecclesiæ catholicæ unum eumdemque consensum. Id quod ejusdem Epistolæ c. 4, et in libro de Utilit. cred. ad Honorat., satis ipse explicavit. Certum itaque argumentum in controversiâ de unoquolibet libro sacro ex Ecclesiæ auctoritate sumitur, idque Augustinus tradit; sed non ad hanc, sed ad divinam auctoritatem fides librorum divinorum referenda est (1).

(1) In hâc prolixâ responsione, auctor noster in eo totus est quòd resolutio fidei ultimò in motu interiori gratiæ aut Spiritûs sancti sit reponenda, nihil in externâ traditione, seu Ecclesiæ auctoritate, nisi conditionem necessariam agnoscens : quod non satis communi sententiæ Catholicorum consentire nobis videtur. Quippè solent per *resolutionem fidei* intelligere præsertìm primum principium, seu ultimum motivum quo nostra stabiliatur fides, in quo proinde mens nostra, cùm fidei suum assensum præbeat, quiescere videatur. Est igitur illud motivum ultima ratio quam de suâ fide præstare queunt fideles : illud proindè est quid externum et omnibus commune, sufficiens ad fidem externè explicandam et probandam ut necessariam; quod non impedit quin insuper auxilium requiratur ut in singulis fiat actus internus et supernaturalis fidei, quatenùs est virtus theologica. Protestantes tollunt medium externum; idem minuit Melchior Canus, in cujus opinione fidelis diceret se credere *quia* Deus eum ad assentiendum Ecclesiæ docenti moveret, dùm in sententiâ communi debet credere *quia* Deus revelavit, ità docente infallibiliter Ecclesiâ, dùm simul agnoscit se non posse absque gratiâ actum fidei supernaturalem elicere. Quamvis leve discrimen inter utramque doctrinam primo intuitu, vel nullum appareat, adest tamen, nec sine periculo alicujus detrimenti in sanâ doctrinâ opinio Cani permitteretur, cujus eâ de re vestigiis audaciùs, credo, insistentes fuère plurimi inter recentiores theologi, quos satis vehementer redarguit Holden. « Hi etenim, inquit, theo« logi, fidei divinæ certitudinem petendam esse exis« timant à peculiari quodam Spiritûs sancti instinctu, « seu gratiâ Dei internâ, Christianis singulis commu« nicatâ et concessâ, quâ veritatibus revelatis fidem « adhibent. In hanc etiam privatam Dei inspirationem « cuilibet credenti seorsùm donatam fidei christianæ « firmitatem resolvendam esse opinantur; et ab hoc « solo capite et principio desumendam esse eam, « quam vocant supernaturalem et divinam certitudi« nem, etc. » Vide quæ sequuntur apud Holden, in opere de *Analysi*, seu *Resolutione fidei*, lib. 1, cap. 3,

P. S.

Nec post hæc in postremis illis tribus argumentis eluendis lectorem ampliùs morari volumus, sed ad ea, quæ in medio relicta sunt, explicanda properare. Testimonium igitur ex Deuteron. illud, quo deinceps adversarii utuntur, pro eis nihil omninò facit. Quemadmodùm enim, cùm Dominus fideles monuit, ut à lupis attenderent, eosque ceu arbores, non ex foliis, sed ex fructibus internoscerent; non statìm excluditur nec canum fida custodia, et ad discernendum lupos naturæ mira sagacitas, nec pastorum vigilans cura et diligens omnium providentia; nam si isthæc desunt, ipsæ per se oves sibi cavere non possunt, quàmlibet signum à Christo habeant, undè lupi internoscantur: sic Moses discernendis prophetis falsis per rerum quidem eventa populum instituit, sed non proindè tamen sacerdotum in his judicium negligit, ad quos scilicet causas omnes dubias ipse idem paulo antè referri jusserat. Sæpè autem usu venire poterat, ut difficile esset et ambiguum de prophetâ quopiam judicium, et variæ, ut fit, discrepantesque sententiæ.

Testimonium verò, quod affertur ex Joanne, quoniam simile est, simili quoque ratione convellitur. Aliud verò ex primâ ad Corinthios Epistolâ non ità facilè refelli potest: sed id constat verba Pauli mirificè à Lutheranis torqueri. Nam si spiritualis homo, id est, in quo est spiritus Dei (sic enim illi interpretantur) judicat in universum omnia, quomodò Elisæus: *Anima*, inquit, *ejus, in amaritudine est, et Dominus celavit à me?* 4 Reg. 4. Quomodò Job, cùm multa se ignorare argumentis certis cognovisset, ignorationem suam fatetur, inquiens: *Insipienter locutus sum, et quæ ultrà modum excedunt scientiam meam?* Job 38, 39, 40, 41, 42. Quomodò Apostoli non intelligebant quæ dicebantur? Lucæ 18. Quomodò Petrus et Joannes nondùm sciebant Scripturam? Joan. 20. Quomodò aperuit Scripturas discipulis suis Christus, quæ illis anteà erant clausæ? Luc 24. Quomodò Petrus non judicavit simulationem suam esse Evangelio contrariam? Quomodò rursùs idem: *Absit, Domine*, inquit, *quia nunquàm manducavi omne commune et immundum?* Hæsitavit enim intrà se, quidnam esset visio, quam vidisset, Act. 10. Expediant mihi, si possunt, Lutherani, cur eunuchus, in quo sine dubio spiritus Dei erat, locum Isaiæ sine externo doctore expedire non poterat, Actor. 8. Explicent et id quoque, quamobrem fideles, qui erant in circumcisione, disceptabant adversus Petrum, quòd ad Cornelium accessisset, si omnia viri justi dijudicare possunt. Exponant item, id quod paulò antè in hâc causâ retulimus, quidnam Antiochenis impedimento fuit, ut non discernerent doctrinam Pauli veram esse, aliorum verò falsam; sed in senatum hierosolymitanum retulerunt, ut seniorum, Apostolorumque concilio illa quæstio dijudicaretur. Adderem à sacris libris hujuscemodi non pauca, nisi in promptu essent; et ea etiam, quæ posuimus, satis sunt ad evincendam causam. Paulus itaque non vult quemvis hominem justum posse de omnibus judicare. Erant enim inter Corinthios ipsos parvuli quidam et imperfecti, quibus etsi spiritus ad justitiam non deerat, deerat tamen ad ea discernenda mysteria, quæ Apostolus perfectis communicabat. *Non potui*, inquit, *vobis loqui quasi spiritualibus; tanquàm parvulis in Christo lac potum vobis dedi*, etc. Per viros igitur spirituales, perfectos intelligit, inter quos sapientiam ipse loquebatur, qui similes Paulo spiritum apostolicum acceperant, ut scirent, quæ ipsis donata essent, qui loquebantur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, qui breviter sensum Christi peculiaris spiritûs dono possidebant. Sed ne ii quidem simpliciter omnia dijudicabant, nisi velimus eos per spiritum et geometras, et physicos, et astrologos fuisse. Atqui nec spiritualia universa cognoscebant. Nam quædam sibi Spiritus reservavit, quædam privatìm uni, alia alii revelavit. Est ergò distributio accommoda, ut ibi: *Ille docebit vos omnem veritatem*, et ibi etiam: *Unctio docet vos de omnibus.* Spirituales igitur et apostolici viri omnia discernunt, hoc est, supernaturalia et naturalia, spiritualia et corporalia, non singula, sed ea omnia, quæ ad salutem fuerint necessaria. Quibus rebus intellectis, nihil est opus respondere ad alterum ejusdem Epistolæ testimonium. At verò prima ratio hoc modo eluditur. Non decet veros gravesque theologos verborum ambiguitate ludere. Non itaque hoc loco judicium usurpamus pro ejus sententiâ, qui re ipsâ, quam judicat, superior est. Alioqui, si ea semper esset vocis hujus significatio, cùm juxtà Paulum prophetæ duo aut tres loquantur, et cæteri dijudicant, oporteret hos, qui judicium ferunt, et prophetis, et prophetiâ esse superiores. Asserimus ergò Ecclesiam de Scripturis earumque sensu judicrae, id est, discernere humanum à divino, verum à falso. Atque Ecclesia sine usurpatâ auctoritate, quemadmodùm antè constituimus, hanc habet à Christo facultatem. *Spiritus*, inquit, *meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis tui usque in sempiternum.* De quâ re quoniam alio loco sumus fusè disputaturi, nihil est nunc prætereà dicendum. Rationes autem, quæ sequuntur, omnes jam sunt in quarti argumenti responsione confutatæ. Pergamus itaque ad reliquas controversias, et institutum ordinem persequamur.

CAPUT IX.

Ostendit, illos libros, de quibus erat controversia, habendos esse sine dubio pro canonicis.

In secundâ hujus controversiæ parte polliciti sumus, nos quidem ostensuros, quatuordecim illos libros, qui in dubium sunt vocati, canonicos esse. Id ut fiat quàm brevissimè, sit prima conclusio.

1 Baruch à Canone sanctarum Scripturarum eximere, non solùm temerarium, sed etiam erroneum est (1).

(1) Non solùm dicendum id esse erroneum, sed et hæreticum. Idem in sequenti conclusione pro aliis libris veteris Testamenti, quos omnes à Canone rejicere tàm prohibetur sub anathemate à concilio Tridentino, quàm novi libros. « De fide est, ponit Theologus Pictaviensis, libros omnes (in canone catholico recensitos), cum omnibus suis partibus esse verè sacros et canonicos. Ità expressè definivit concilium Tridentinum, sess. 4, *de canonicis Scripturis*, ubi, recensito sacrorum librorum Canone, sic pronuntiat: « *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis*

Erroneum verò hìc appello (quoniam varia et ambigua est hujus nominis significatio) id, quod hæresi proximum, hæresim non audeo vocare.

Hoc primùm patet ex concilio Florentino sub Eugenio IV, in decreto super unione Jacobinorum et Armeniorum, ubi Baruch inter Prophetas et sacros auctores annumeratur.

Deindè synodus Tridentina, sub Paulo III, apertè librum Baruch in canonicis censet. Erroneum igitur est, illum à canonicis excludere; nam et Eusebius libro de Demonst. Evangel. c. 19, prophetiam Baruch divinam esse non dubitat affirmare; affirmat quoque idem Clemens Alexand. lib 2 Pædag. cap. 3.

Deniquè in vigiliâ Pentecostes, nomine Prophetæ, toti populo christiano per omnes Ecclesias legitur, quâ in re si Ecclesiæ Christi fallerentur, perniciosissimè fallerentur. Quid ita? Nempè simul atque populus intelligeret se in re ejusmodi à sacerdotibus ludificari, nullam deinceps certam fidem haberet aut prophetias, aut etiam Evangelia proponentibus, ut qui in simili causâ atque negotio jam et essent falsi, et fefellissent. Quòd si in his plebis christianæ fides vacillat et claudicat, certè ego non video, quo alio in loco possit firma consistere. Eorum autem, qui volunt plebem rudem non à sacerdotum auctoritate pendere, sed per seipsam exquirere, an liber qui legitur canonicus sit, jampridem explosa sententia est.

Fateamur ergò, ne in Ecclesiæ doctrinâ graviter erremus, librum Baruch, quem illa nomine Prophetæ à multis annorum centuriis legit, inter canonicos esse censendum. Nec enim viro cuiquam pio persuaderi potest, Deum passurum fuisse, ut populus christianus tot seculis in re adeò gravi deluderetur.

2° Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque Machabæorum libros à Canone rejicere, multò magìs erroneum est, ne dicam hæreticum. Augustinus in primis hos etiam sex inter alios canonicos enumerat, lib. 2, de Doctrin. christian. cap. 4, ubi divinarum Scripturarum catalogum intexuit, ex communi Ecclesiæ procul dubio sententiâ.

Isidorus quoque, 6 Etymolog. cap. 1, de his libris loquens, ait, quòd, licèt Hebræi intrà suum canonem eos non recipiant, sed Ecclesia christiana inter divinos honorat, et prædicat libros.

Hanc prætereà conclusionem definit Innocentius I, in Epist. ad Exuperium, Tolosanum episcop., cap. ultimo, quo loco sanctarum Scripturarum libros inseruit.

Gelasius etiam Papa, cum concilio 70 episcoporum, id decrevit, asseruitque, hos quoque libros sanctam et catholicam romanam Ecclesiam in ordine veteris Testamenti suscipere ac venerari.

Hanc eamdem conclusionem docet concilium tertium Carthaginense. Quod tametsi provinciale fuit, confirmatum est tamen et à Leone IV, 20 distin. cap. *de libellis*, et à synodo in Trullo celebratâ. Nec movere nos debet, quòd Trullana illa synodus concilium Carthaginense probâsse legitur, non concilia; quoniam apud Græcos Carthaginense unicum est, quod Græcum vocatur, in cujus 24 c. hæc habetur sacrorum librorum annumeratio. Tametsi Patres Trullanæ synodi non concilium Carthaginense probent numero singulari, ut Gratianus accepit, sed canones editos in novâ Carthagine.

Postremò, hanc eamdem conclusionem habes apud duo concilia jam citata, et Florentinum sub Eugenio IV, et Tridentinum sub Paulo III.

3° Hæreticum est Epistolam ad Hebræos inter canonicas non reponere. Primò, quoniam adversatur definitioni omnium Pontificum et conciliorum sacros libros annumerantium, ut cap. 59, cap. 2, distinct. 16, c. *quoniam*, Innocentii I, atque Gelasii, concilii tertii Carthaginensis, Florentini insuper ac Tridentini, denique Laodicensis, quod utique concilium manifestè confirmatum est à synodo Trullanâ.

Deindè probatur hæc conclusio, quoniam Epistola ad Hebræos recepta est in concilio Nicæno, ut auctor est D. Thom. in commentariis super eamdem. Rem verò adeò gravem vir S. non astrueret, nisi compertum habuisset.

Prætereà manifestè id ostenditur ex concilio Ephesino, cujus verba sunt, cap.10 : *Pontificem et Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum divina Scriptura commemorat. Si quis ergò Pontificem et Apostolum nostrum negat esse factum Dei Verbum, anathema sit.* Hactenùs concilium. Id autem non alio loco, nisi in Epistolâ ad Hebræos Apostolus dixit. Divina igitur Scriptura est, ex cujus etiam solius auctoritate efficax argumentum trahitur ad hæresim revincendam.

Quòd si post tàm præclara summorum Pontificum et conciliorum testimonia, sanctos auctores in hujus sententiæ confirmationem citare voluero, vereor, ne mihi illud objiciatur, quòd afferam in re non dubiâ testes minimè necessarios. Atqui non est leve argumentum, quod ex communi omnium sanctorum consensione ducitur. Atque ut græcos scriptores præteream, quorum omnium (ut Hieronymus ad Dardanum ait) manet ad unum firma consensio : utque latinos omittam reliquos, præter unum Hieronymum (de quo, quid sentiat, posteà disseremus), D. Augustinus constantissimè ubique tenet, hanc Epistolam esse canonicam. Nam in lib. 2, cap. 8, de Doctrinâ christianâ, in Canonem sanctarum Scripturarum refert; et tertio de Trinit., cap. 11, ità solidam credit hujus Epistolæ auctoritatem, ut ab eâ (sicut ne ab aliis quidem divinis Scripturis) aberrare non liceat, lib. 1 de Baptism., cap. 27. Cùmque post Augustini tempora omnes sancti, omnes theologi, omnes Catholici pro canonicâ eam epistolam habuerint, quid est, quòd juniores isti in meridianam lucem tenebras inferre conentur? Nisi volunt universam Ecclesiam abhinc mille annos in summo errore, inque magnâ hujus quæstionis ignoratione ver-

« *partibus, prout in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt et in veteri vulgata latinâ editione habentur,* « *pro sacris et canonicis non susceperit, ... anathema* « *sit.* » Comp. Inst. Theol. T. 1, de Script. sacrâ quæst. 2, art. 2. P. S.

satam : cujus videlicet usu cunctis gentibus nomine Apostoli hæc Epistola legitur.

4° Hæreticum est, Epistolam Jacobi in Canonicas non referre. Primò, quoniam Hieronymus in lib. de Viris illustribus asserit, hanc (licèt aliquandò fuerit dubitatum) paulatim tamen procedente tempore, meruisse auctoritatem ; jam ergò vel D. Hieronymi ætate hanc Epistolam Ecclesia receperat.

Item quoniam Innocentius et Gelasius, conciliaque omnia, Carthaginense, Laodicense, Florentinum, Tridentinum, cam inter sacras reposuerunt. His adde sanctos antiquos, quos nominatìm etiam posteà commemorabimus, omnesque juniores cum veteribus theologis scholasticis, breviter omnes Catholicos. Usu quippè Ecclesiæ legitur ubique gentium pro sacrà et apostolicâ. Abeat igitur Lutherus, et relictis gravissimis testimoniis, sibi fidem habeat, testi scilicet integro atque incorrupto. Nos autem solido fundamento innixi, teneamus illam esse canonicam.

Atque, si super hoc Ecclesiæ fundamentum sanè ædificare volumus, secundam Epistolam Petri, duas posteriores Joannis, et illam aliam Judæ in canonicis numeremus, hujusque contrarium dogma hæreticum censeamus. Causæ enim omninò subsunt eædem, quas dixi paulò antè.

Prima, quòd hujus sententiæ fuit Hieronymus in Epistolà ad Paulinum, Augustinus, 2 de Doctr. Christ. cap. 8, Isidorus, 6 lib. Etymologiarum, cap. 1, Damascenus, 4 lib. cap. 18, ne omnes commemorem antiquos : è quibus nullus ex his Epistolis tanquàm divinis testimonia non refert.

Altera, quòd Innocentius, Gelasius, concilium Laodicenum, Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, illas communi consensu in canonicis supputant. Id quoniam constat inter omnes, fateamur opus est, has esse canonicas.

Postrema, quòd diversis anni temporibus has Ecclesia universalis nomine Apostolorum proponit et legit. Quâ in re (ut eumdem locum frequentiùs urgeam) si populus à sacerdotibus ludificaretur, nullâ posteà ratione posset adduci, ut suis pastoribus etiam in eamdem sententiam concurrentibus fidem indubitatam haberet, quo malo non aliud gravius in Ecclesiam posset invadere.

5 Librum Apocalypsis à Canonicis excipere hæreticum est. Patet inprimìs, quoniam D. Hieronymo auctore in lib. de Viris illustribus, et in epistolâ ad Dardanum, et in epistolâ ad Paulinum, et aliis quoque locis, D. quoque Augustino referente, 2 de Doctr. Christi, Ecclesia librum Apocalypsis pro canonico habet.

Item Epiphanius, hæresi 51, quæ fuit Alogorum, tanquàm hæreticos eos refellit, qui Joannis sive Evangelium, sive Apocalypsim scripturam sacram esse negant. Et Clemens Alexandrinus, lib. 2 Pædag. c. 12, inter Scripturas Apocalysim censet. Et Dionysius libro Eccles. Hierarch. cap. 3, Evangelistæ Joannis esse comprobat. Et Orig. apud Eusebium, 6 lib. Eccl. Histor., cap. 18. Ipse quoque idem Euseb. in Chronicis. Ac Dionys. Alex. per Dei spiritum sine dubio Apocalypsim esse scriptam affirmat, Eusebio auctore, 7 lib. Eccl. Hist. cap. 25. Et Justin. Mart. apud Euseb., lib. 4 Eccl. Hist. cap. 18 ; extat locus in Dialog. cum Thryphon. Et Irenæus, lib. 4 adversùm hæreses. Et Chrysost. Suidâ referente. Et Damasc. 4 lib. c. 18. Nam recentiores prætereo, qui hunc etiam librum suis commentariis illustrârunt, Bedam, Cassiod., Rabanum, Rupertum, Ricard. à Sancto Victore, et alios benè multos. Quamobrem verissimè Tertullianus, lib. 4 adversùs Marcionem, astruit ordinem episcoporum ab Apostolis succedentium hunc eumdem librum Joan. Evangelistæ tribuere. Scriptura igitur sacra est, si ordini episcoporum ab Apostolis succedentium credimus.

Præterea, Innocentius, Gelasius, concilium Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, inter libros canonicos habendam esse Apocalypsim definierunt.

Præterea, concilium Toletanum quartum : « Apocalypsim, inquit, multorum conciliorum auctoritas, « et præsulum romanorum synodica decreta inter divinos libros recipiendam esse constituerunt, et quia « plurimi sunt, qui ejus auctoritatem non recipiunt, « si quis deinceps non receperit, excommunicationis « sententiam habebit. » Hactenùs concilium.

Tandem, cùm usu ecclesiastico nomine Joannis Evangelistæ, hoc est, tanquàm sacra populo legenda proponatur, dubitare non licet, quin sit canonica. Quibus rebus et apertissimè expositis, et firmissimè corroboratis, satis docuisse videor, id quod secundâ quæstionis hujus parte promiseram, quatuordecim illos libros veteris ac novi Testamenti honore divino cum sacris reliquis afficiendos, habendosque posthàc citrà controversiam pro canonicis.

CAPUT X.

Continet argumentationes adversariorum contrà ea quæ capite superiori definita sunt.

Nunc tertia pars argumenta subjiciet, quibus permoti esse videntur, qui adversa dogmata temerè et inconsultè tenuerunt. Nam, quòd Lutherus argumentatur, nullum librum veteris Testamenti à christiano recipiendum, quia, si accipimus Moysen in uno mandato, oportet Moysen totum accipere, circumcidi, et sabbatum observare, nihil est cur sollicitari debeamus ; cùm et Tertullianus, libris quinque adversùs Marcionem, et Augustinus, triginta tribus libris contrà Faustum Manichæum, non hoc solùm Lutheri argumentum, sed et multa alia copiosè doctèque refutaverint. Præterquàm quòd multas multorum objectiones deditâ etiam operâ in hoc libro dissimulamus, partim quòd frivolæ sint et nugatoriæ (docuit autem prudenter Aristoteles, quolibet stulto proferente contraria, non decere sollicitum esse sapientem), partìm, quòd sint aut curiosæ, aut inutiles, nec in opere, quod ego et gravissimum et utilissimum fore cupio, expectandum est, dùm de remo inflexo et de collo columbæ respondeam.

Primum itaque argumentum primam conclusionem præfinitam labefactare conatur, quòd Baruch libellum illum nec Augustinus, nec Damascenus, nec Innocentius, nec Gelasius, nec concilium Laodicenum, nec Carthaginense in numero librorum canonicorum sup-

putàrunt. Imò Augustinus, cùm totum Canonem Scripturarum divinarum texere se profiteretur, libellum Baruch in numeratione prætermisit; et Innocentius, cæteris præter hunc unum supputatis, reliquos asseruit esse damnandos.

Confirmat autem hujus argumenti vim proœmiolum in hunc librum, ubi, quoniam in hebræo canone non habetur, propter notitiam solùm legentium adscribi dicitur. Est autem desumptum ex proœmio D. Hieronymi in commentaria Jeremiæ. Ob quam etiam causam, cùm Hieronymus reliquos omnes Prophetas commentariis illustràsset, in hunc nihil prorsùs commentatus est.

Secundum verò argumentum secundam conclusionem infirmare nititur, quòd D. Hieronymus in prologo Galeato, qui præmittitur libris Regum, et in epistolâ ad Chromatium et Heliodorum, quæ Proverbiorum proœmium est, sex illos libros veteris Testamenti excipit à canone. Quos autem libros rejicit Hieronymus, Ecclesia rejicit, ut c. *sancta Romana*, 15 dist., Gelasius tradit. Non igitur sunt canonici. Confirmatur quoque idem aliâ argumentatione non levi. Nam Cyprianus in Expositione Symboli eosdem sex libros Patrum auctoritate, à quibus se accepisse ait, à numero sacrorum eximit. Quod idem fecit Melito : qui quidem ad Orientem hujus rei sciscitandæ causâ perrexit, ubi scilicet prædicationis nostræ cœpit exordium : cùmque diligenter de omnibus exploraverit, omni investigatione comperit, hos libros esse à veteris Instrumenti canone rejiciendos, ut auctor est Eusebius, 4 Ecclesiasticæ Historiæ libro, cap. 26. Origenes etiam in Psalmum primum, hos sex libros cum Hebræis à Canone rejicit, quod Eusebius refert lib. 6, cap. 18. Sed et idem Eusebius lib. 6, cap. 11, hos libros à sacris videtur eximere. Nec ab hâc sententiâ alienus est Damascenus, 4 lib., cap. 18; nec D. Thomas, 1 part., q. 89, art. 8, ad 2, de Ecclesiastico certus est; sed ne D. quidem Augustinus in libro de Curâ pro mortuis gerendâ. Epiphan. quoque in libello de ponderibus et mensuris, libros Sapientiæ et Ecclesiastici à canone rejicit. Eadem autem est ratio de aliis quinque. Non est igitur tàm explorata ista conclusio, quàm volumus.

Confirmatur deindè hujus argumenti robur, quoniam in concilio Laodiceno, cap. ult., ex veteri Testamento ii solùm enumerantur, quos Hieronymus numerat, nec ulla prorsùs mentio de sex illis habetur.

Confirmatur præthereà idem, quoniam à Trullanâ synodo probantur octoginta quinque capita canonum Apostolorum; at capite 84, non numerantur inter canonicos nec Tobias, nec Judith, nec Ecclesiasticus; non ergò sunt canonici. Nam hujusmodi libros Apostoli Ecclesiæ tradiderunt; nec alios sacros habemus, quàm quos ab ipsis accepimus.

Confirmat autem id postremò, quòd Synagoga in fide errare non poterat (erat quidem eadem tunc Ecclesia, quæ in gentes deinceps propagata est; quocircà eodem divino Spiritu continebatur, eumdemque Deum assistentem et gubernatorem habebat); sed Hebræi omnes sex illos libros à canone rejecerunt, et constantissimè non Hieronymus modò, et Josephus (1), verùm etiam Origenes in primum Psalmum, et auctores reliqui perhibent : non igitur illi sex libri sunt canonici.

Tertium autem argumentum contrà ambas conclusiones insistit. Si enim esset erroneum libros illos veteris Instrumenti à canone rejicere, profectò viri pii juxtà ac docti, post Pontificum conciliorumque definitiones, in damnatum errorem neutiquàm incidissent. Nec enim verisimile est, ejusmodi viros latuisse, quid de hâc re summi Pontifices et concilia præscripserint. Constat autem plurimos eosdemque doctissimos in contrariam sententiam iisse; qui tamen semper in Ecclesiâ catholici sunt habiti. Nam glossa in proœmium Hieronymi super omnes divinæ Scripturæ libros, Joannes item Driedonis, primo lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus, negant Baruch esse canonicum. At Nicolaus Lyranus, super Esdram cap. 1, D. Antoninus, 3 part., tit. 18, Cajetanus, cùm aliis locis, tùm maximè in fine commentariorum super libros historicos veteris Testamenti, alios etiam sex sacros esse inficiantur. Quos omnes si daremus à fidei definitione exorbitàsse, non in ipsos modò, verùm in reliquos etiam fideles essemus contumeliosi; ut in quibus zelus Christi ità obdormierit, ut nullus contrà præscriptos auctores proclamaverit. Quod certè, ut nullum esset aliud, satis magnum argumentum est, cur eos libros non esse canonicos confiteamur.

Porrò quartum argumentum peculiare est, ut Machabæorum libri è numero canonicorum expungantur. Nam Gelasius Papa rejecit secundum librum, uti suprà commemoravimus; D. autem Greg. lib. Moral. 19, cap. 17, rejicit ambos; rejicit Eusebius in lib. de Temporibus : et Richardus lib 2 Exceptionum, cap. 9; et Ocham., 4 parte Dialogorum, tractatu primo, lib. 3, cap. 19; ac D. August. contrà secundam Gaudentii epistolam, cap. 23, docet, ab Ecclesiâ quidem esse receptos, sed non certâ fide.

Nec deest hoc loco copia rationum, quibus idem suaderi post.

Prima est, quòd priori libro, cap. 1, dicitur Antiochus Illustris regnàsse anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum; quem tamen anno centesimo quinquagesimo tertio regnum tenuisse, compertum est tùm ex annalibus Græcorum, tùm ex Eusebio in suâ Chronographiâ. Item eodem libro et capite abominationem desolationis, quæ prædicta est à Daniele, ad idolum Antiochi detorsit auctor libri ejus; quâ in re falsus est, ut Cajetanus, in cap. Matthæi 24, ostendit.

Secunda ratio est, quòd in 2 lib. cap. ult., auctor culpam à lectoribus deprecatur : quod alienum est à divinâ auctoritate. Certè qui scripta sua indigere veniâ fatetur, is Spiritûs sancti oracula non esse clamat, ut etiam Calvinus, cap. 9 Institutionis, argumentatur.

Tertia ratio est, quòd eodem libro, cap. 7, statim à

(1) *Joseph*, *lib.* 1 *ad Appionem*, ubi quæ volumina apud Hebræos in auctoritate habeantur, secundùm majorum traditionem docet, ut auctor est Euseb. *lib.* 3 *Hist. Eccl. c.* 9 *et* 10.

principio in epistolâ, quæ priori loco ponitur, fit mentio de alterâ, quæ è vestigio subditur; dicitur autem scripta anno centesimo sexagesimo nono, cùm tamen scripta fuerit anno centesimo octogesimo octavo, quemadmodùm in ejusdem epistolæ initio videre licet.

Quarta ratio, quòd in eâ, quæ secundo loco ponitur, cujus videlicet in superiori commemoratio fit, Judas refertur esse vivus; qui tamen non solùm anno centesimo octogesimo octavo, verùm etiam anno centesimo sexagesimo nono jam erat vitâ functus, ut primo Machabæorum libro, cap. 9, cernere est.

Quinta ratio, quòd eodem libro secundo, cap. 3, dicitur Antiochus membratim divisus; at posteà mors ejus longè diversa describitur.

Sexta ratio, quòd eodem libro secundo, cap. 9, quædam apocrypha referuntur de Arcâ Domini, probanturque ea ex descriptionibus Jeremiæ; quæ tamen ne per somnium quidem Jeremias adumbravit, quin etiam contraria scripsisse videtur, cap. 3 suæ Prophetiæ, inquiens : *Non dicent ultrà : Arca Domini*, etc.

Postrema ratio, quòd utroque libro referuntur Machabæi duces fuisse super Judam et Jerusalem, quos tamen de tribu Judâ non fuisse, sed de tribu de Levi notius est, quàm ut à me sit in præsentiâ confirmandum. Philo siquidem, libro 2 de Temporibus (1), ob eam causam, inquit, inimicitias, et simultates ortas id temporis fuisse, quòd Machabæi ducatum à domo David subripuerint; id autem manifestè pugnat cum illâ Jacob Prophetiâ, Genes. 49, 10 : *Non auferetur sceptrum de Judâ, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Quæ singulæ rationes si non movent, at simul omnes movere possunt, non solùm indoctos, sed etiam doctos, ut libros Machabæorum non esse arbitrentur in Canone. Atque hæ rationes universæ quarti argumenti appendices sunt, ut secunda conclusio labefactetur.

Nam quintum præcipuum argumentum cum conclusionibus quidem non pugnat; rationem tamen eam, quæ à nobis affertur, non satis firmam esse contendit. Nam concilium Carthaginense et Innocentius numerant quinque libros Salomonis, Proverbia, Ecclesiastem, Cantica, Sapientiam, Ecclesiasticum. At hos duos posteriores non esse Salomonis, inter doctissimos quosque ferè convenit, ut Augustinus etiam tradit de Civitate Dei, lib. 17, cap. 20. Erravit igitur Innocentius, erravit quoque concilium. Quocircà nolebant quicquam de fide pronuntiare, sed ex opinione loquebantur. Ità nullum aut ex Pontificibus, aut ex conciliis certum argumentum sumitur ad id, quod volumus, confirmandum.

Sextum etiam argumentum invehitur in eas rationes, quæ duabus istis conclusionibus confirmandis constitutæ sunt. Nam canonicus liber latinè dicitur regularis. Id verò bifariàm esse potest. Vel enim regularis intelligitur ad firmandam fidem, vel ad instruendos mores. Ergò licèt illi libri à Pontificibus et conciliis definiantur esse canonici, non cogimur protinùs credere Canonicos esse, ad fidei dogmata confirmanda; sed sat est, si canonicos posteriori significatione fateamur. Sancti quoque auctores eâdem religione testimonia ex quarto libro Esdræ referunt, quæ ex his septem, qui à nobis approbantur, ut patet apud Ambrosium, libro de Bono mortis, cap. 10, et super Lucam, cap. 1. At quartum Esdræ librum certum est non esse canonicum. Non igitur ex eo, quod sancti ex hujusmodi libris testimonia tanquàm sacra referant, satis ostenditur, eos esse divinos.

Septimum argumentum contrà tertiam conclusionem est, quòd D. Hieronymus ambigit, an Epistola illa ad Hebræos sit canonica; imò asserit Latinos eam non recipere, ut patet ex lib. de Viris illustr. in Caio, et ex commentariis super Isaiam, cap. 6 et 8. Eusebius item libro 6, cap. 16 : « Caius, inquit, vir disertissi-« mus, Pauli Apostoli tredecim esse Epistolas asserit, « eam, quæ ad Hebræos scripta est, non commemo-« rans, quæ et nunc apud Latinos putatur non esse « Pauli Apostoli. » Non igitur certum est eam esse canonicam. Dubitat etiam idem Hieronymus, cap. 31, de auctoritate hujus Epistolæ in lib. de Viris illustr. in Paulo, et in epistolâ ad Paulinum, et in commentariis Jeremiæ.

Ac ne omnia ad divi Hieronymi auctoritatem revocentur, ratio hoc idem ipsa suadet. Prima Lutheri est, in Prologis dicentis : « Ad Hebræos Epistola nec Pauli est, nec ullius Apostoli. Nam durum habet nodum, quòd in 6 et in 10 capite simpliciter denegat pœnitentiam peccatoribus post baptismum; et cap. 12, ait Esau non invenisse pœnitentiæ locum, quanquàm cum lacrymis inquisiverit eam. Quod est contra omnia Evangelia et Epistolas Pauli. » Hæc Lutherus.

Alteram quoque rationem adjiciunt viri quidam haud mediocriter in Ecclesiâ catholicâ celebres, quòd si Pauli hæc Epistola fuisset, procul dubio ad Hebræos ab Hebræo, sermone fuisset hebraico conscripta. At non esse multis argumentis suadent, tùm quoniam auctor ejus epistolæ, *Melchisedech*, inquit, *interpretatur rex justitiæ* : quod si hebraicâ linguâ diceret, absurdum esset, non aliter ac si dixisset : Melchisedech interpretatur Melchisedech; tùm quoniàm idem auctor hebraica testimonia citat, cap. 8, 9 et 10, non juxtà veritatem hebraicam, sed juxtà translationem Septuaginta : non erat igitur Hebræus hebræâ linguâ scribens ad Hebræos; tùm quoniam epistola hebraica nusquàm gentium reperitur; non est autem probabile, ex omnibus epistolis apostolicis hanc unam periisse : nam reliquæ in idiomate, quo ab Apostolo sunt scriptæ, apud nos servantur.

Tertiâ insuper ratione suadent, auctorem hujus Epistolæ non fuisse Paulum, quoniam ad probandum Hebræis Christum esse Filium Dei, illo testimonio utitur, cap. 1 : *Ipse erit mihi in filium, et ego ero illi in patrem.* Quod tamen in germano litteræ sensu de Salomone intelligitur, ut patet in lib. 2 Reg., cap. 7, et in 1 lib. Paralipomenon cap. 28. Dedecet autem tantum Apostolum in tantâ re, idque in principio Epistolæ, He-

(1) An Philonis liber hic sit, incertum est. Euseb. certè, *lib. Eccles. Hist.* 2, c. 18, cùm indicem librorum Philonis diligentissimè scripserit, hujus libelli non meminit : ità à plerisque rejicitur.

bræis pertinacibus loquentem, argumento imbecillo uti.

Quartam adhùc rationem addunt, quoniam auctor hujus Epistolæ asserit, cap. 2, se in doctrinâ evangelicâ ab his, qui Dominum audière, confirmatum. At Paulus ad Galatas clamat, cap. 1, se non didicisse Evangelium ab homine, sed sine homine per revelationem Jesu Christi.

Quintam rursùm apponunt, quòd hujus Epistolæ auctor loquens, cap. 9, propriè de testamento, quâ, ratione à pacto distinguitur, probat vetus quoque Testamentum morte ac sanguine confirmatum, probatque Exodi testimonio cap. 24, ubi tamen Moyses non de testamento propriè, sed de pacto loquebatur. Non est igitur ille Paulus, ut qui minùs aptè referat sacrarum testimonia litterarum.

Postrema ratio est, quoniam ejusdem epistolæ auctor astruit, cap. 9, in arcâ fuisse urnam mannæ, virgam Aaron, et tabulas; cùm tamen tertio libro Reg., cap. 11, expressè dicatur in arcâ nonnisi tabulas fuisse. Nec igitur Pauli est, nec Epistola canonica, utpotè quæ cum libro canonico evidentissimè pugnet. Ecce quibus rationibus Erasmus Roterodamus, et hunc secutus Cajetanus tertiam conclusionem moliuntur evertere.

Quartam verò conclusionem infirmare conantur argumentis ejusmodi.

Salutatio Epistolæ, quæ Jacobi inscribitur, nihil Dei, nihil Jesu Christi, nihil gratiæ pacisve sonat, sed profano more salutem dicit. Non ergò sapit apostolicum usum et auctoritatem. Quare non videtur Jacobus auctor ejus Epistolæ, atque adeò ne alius quidem apostolus. Cujus rei alia conjectura est apud Euseb. lib. 2 Hist. Eccles., cap. 23, de hâc Epistolâ disserentem his verbis: « Sciendum tamen est, quòd à nonnullis non « recipiatur, nec facilè quis antiquorum meminerit « ejus. » Nam quod Lutherus pingui Minervâ argumentatur, hanc Epistolam nullius apostoli esse, quia contrà Paulum tribuit operibus justificationem, et à viris doctis prorsùs contemnendum est, et à nobis dissimulandum, ne de fide et operibus παρέργως disseramus.

Nonum argumentum adversùs eamdem conclusionem intenditur, quòd stylus Epistolæ secundæ, quæ Petro tribuitur, longè alius sit ab stylo primæ, ac proindè non sint ab eodem auctore conscriptæ. Certum est autem, auctorem primæ fuisse Petrum apostolum. Non igitur secunda à Petro apostolo scripta fuit. Ob hoc enim argumentum de illâ secundâ Epistolâ in epistolâ ad Cyprianum Hieronymus dubitat; atque Eusebius, libro tertio, cap. 3, *de secundâ Petri multis*, inquit, *incertum est*, etc.

Decimum argumentum in eamdem conclusionem est, quòd Eusebius, libro tertio Eccles. Histor., cap. 8, eorum sententiæ subscribit, qui asserunt duas posteriores Joannis Epistolas non esse Evangelistæ, sed cujusdam Joannis cognomento Presbyteri; undè et salutatio harum epistolarum hujusmodi est: *Senior Caio*, *Senior Electæ*. Est autem idem senior, qui presbyter. Sed etiam Hieronymum in hanc Eusebii opinionem liquet descendisse, in libro de Viris illustribus cùm et Joannis Evangelistæ, et Papiæ vitam operaque texeret.

Undecimum eamdem item conclusionem labefactare contendit, quòd Epistola Judæ testimonium refert ex libro Enoch apocrypho. Quamobrem multi eam meritò rejecerunt. Nam plerosque rejecisse Hieronymus auctor est; Eusebius item, 3 Ecclesiast. Hist. lib. cap. 25.

Postremum argumentum contrà quintam conclusionem multis conjecturis nititur, quas omnes congessit Erasmus in annotationibus in Apocalypsim. Igitur, quantùm complector animo, novem causas reperit, cur Apocalypsis non esse Joannis Apostoli et Evangelistæ videatur; unam, quòd Eusebius, libro 3 Hist. Eccles., cap. 39, asserit, Apocalypsim non esse Joannis Evangelistæ; alteram, Euseb. lib. 7, cap. 23, quòd Dionysius Alexandrinus, gravis inprimis auctor, et qui candidissimè de hoc libro judicavit, suspicatur opus ab alio quopiam Joanne conscriptum; tertiam, quòd Dorotheus, Tyri episcopus ac martyr, prodidit Joannem Evangelium suum scripsisse in insulâ Pathmo, de Apocalypsi autem nullam omninò facit mentionem lib. 3, cap. 25; quartam, quòd Caius, vir sanè orthodoxus, apertè negat, Apocalypsim esse Joannis Evangelistæ, apud Eusebium libro septimo, capite vigesimo primo; quintam, quòd Anastasius in suo catologo, ubi sine controversiâ de hujuscemodi rebus accuratissimè disputavit, non audet affirmare, hoc opus esse Joannis Evangelistæ; sextam, quòd Joannes Evangelista nomen suum per modestiam in Evangelio tacet, auctor verò Apocalypseos suum contrà nomen frequenter inculcat; septimam, quòd Græci hunc librum non receperunt, ut auctor est Hieron. ad Dardanum; imò multi eruditissimi viri totum librum ceu fictum insectati sunt, quasi nihil haberet apostolicæ gravitatis, nec in sententiis quicquam esset, quod apostolicâ majestate dignum videretur; octavam, quòd stylus Evangelii et hujus libri magnoperè discrepant; nonam, quòd in græcis codicibus non erat titulus Joannis Evangelistæ, sed Joannis Theologi, qui aliàs Presbyter cognominatus est. His conjecturis Erasmus utitur, ut hunc librum Joanni Evangelistæ adimat. At Lutherus nec apostolicum, nec propheticum æstimat, quòd beatos dicat eos, qui servant quæ in eo scripta sunt, cùm tamen nemo sciat, an felix sit an non sit; et præthereà cùm humana intelligentia scripturam illam penitùs non assequatur, tantùmdem (inquit) est, ac si eam non haberemus. Quippè divini libri, quoniam ad populi utilitatem accommodantur, ab humanâ intelligentiâ non sunt prorsùs remoti. En argumenta quibus fidei veritas impugnari quidem ab hominibus potest, vinci certè aut superari non potest. Quod parte hujus quæstionis ultimâ palàm fiet, ubi eorum argumentorum quantùm quodque valeat, quantùmque idoneum sit, unumquodque videbimus.

CAPUT XI.

Ubi confutantur argumenta capite nunc proximo posita.

Non ego catholica dogmata crassis istorum circumfunderem tenebris, nisi lumen possem accendere, quo quasi sole ex oriente fugarentur. Alioqui in hæretico-

rum argumentationibus recitandis digitos ad fontes solum intendere, ne videlicet lutulentæ illorum aquæ in nostra scripta deriventur, consilium est amicorum quidem, sed (nisi me fallit amor) timentium ubi non est timor. Existimarent namque imperiti, argumenta esse majora, quàm ut à nobis refelli possent, si aut summatim et breviter perstringeremus, aut certè omninò dissimularemus. Mucronem itaque adversariorum ipsi, qui acuimus, retundemus.

Nam ad primum argumentum tametsi respondere possumus, non omnes libros canonicos esse simul ab universâ Ecclesiâ receptos, quò fieri potuisset, ut quem priora concilia minimè recepissent, cum posteriora confirmarent; respondemus tamen (idque veriùs) Baruch prophetiam tanquàm partem quamdam Jeremiæ fuisse à veteribus computatam. Quod (ne nostrum videatur esse commentum) testimoniis antiquitatis roborandum est. Augustinus inprimis tradit hoc 18 de Civit. Dei lib., cap. 33, hæc in verba : *Prophetans autem de Christo Jeremias, hic Deus meus*, inquit, Baruch 3, *et non æstimabitur alter ad eum : posthàc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Atque è vestigio Augustinus : *Hoc testimonium*, ait, *quidam non Jeremiæ, sed Baruch scribæ ejus attribuunt : sed Jeremiæ celebratiùs habetur.* Et auctor. lib. Qu. vet. et nov. Testam. q. 102, sive Augustinus, sive quicumque tandem alius is fuerit, Cassiod. etiam in Psalm. 81. Chrysostomus quoque idem testimonium nomine Jeremiæ citat, in homil. quadàm de Trinitate. Sexta etiam synodus sess. 8, refert ex ejusdem Chrysost. alterâ homiliâ, cujus, initium est : *Profundam sectionem*, nomine Jeremiæ illud idem testimonium. Clemens item Alex., lib. 1 Pædag. cap. 10, illud : *Audi, Israel, mandata vitæ*, etc., quod Baruch 3 nos habemus, Jeremiæ assignavit; et l. 2, c. 3, referens illud : *Ubi sunt*, etc., divinam scripturam vocat. Et Basil. 4 lib. contrà Eunomium, super illud : *Ut cognoscant te solum verum Deum.* Ambrosius item, lib. 1 de Pœnitentiâ, cap. 8, et lib. 3 Exameron, cap. 14, et lib. 1 de Fide, cap. 2, ex eodem lib. sub nomine Jeremiæ testimonia referunt. His adde Sixtum Papam in epist. suâ primâ ad omnes Christi fideles; Felicem in Ep. ad Petrum, episcopum Antiochenum, in 5 synodo condemnatum; Pelagium deniquè in epistolâ ad Vigilium. Ecce qui libellus Baruch nomine nunc legitur, eum olim antiqui Jeremiæ tribuebant : essetque difficile credere, nisi testes hujus rei certissimos haberemus, quorum auctoritate primum illud argumentum difficulter quidem, sed abundè tamen elusimus.

Ad confirmationem autem faciliùs responderi potest. Fatemur enim tempore D. Hieronymi, quod nunc tenemus, id non fuisse adeò certum. Sed quemadmodum ante tempora Hieronymi, licèt quidam asseruerint Epist. Jacobi ab alio sub nomine ejus editam, tamen paulatim (ut item ait), procedente tempore, obtinuit auctoritatem, et Epistola Judæ, quam à plerisque Hieronymus testatur fuisse rejectam, auctoritatem usu meruit; ita et liber iste Baruch, quanquàm olim à quibusdam non fuerit receptus, modò tamen dignus est habitus, qui ab Ecclesiâ et conciliis universalibus reciperetur.

Secundum quoque argumentum facilè diluitur. Nec enim verum est, in libris canonicis decernendis Ecclesiæ regulam esse Hieronymum, quod Cajetanus perperàm, ne dicam perniciosè, existimavit. Hieronymus quippè (ut Joan. Cochlæus verè dixit, in princ. Ep. ad Heb. et in resp. ad 16 artic., Parisiis damnatos, art. 4, in prologo Galeato, Hist. Eccles.), in enumeratione canonicorum librorum veteris Testamenti Josephum secutus est; qui in 1 lib. adversùs Appionem, ex majorum suorum traditione, ut inquit, 22 lib., enumerat. Auctor est Euseb. lib. 3, c. 9 et 10. At August. non Judæos, sed Christianos in eâ re sequitur, et rectè hic quidem. Nam Ecclesia gentium columna est et firmamentum veritatis. Probatur verò à Gelasio sententia Hieronymi non in canone sanctarum Scripturarum constituendo, sed in his auctoribus condemnandis, quos Hieronymus zelo Dei et fidei religione reprehendit. Atque ad secundum argumentum hæc satis dicta sint.

Nam ad primam ejus confirmationem respondeo (id quod doctiores ferè credunt) librum illum non esse Cypriani, sed Ruffini. Certè D. Cyprianus in epistolâ ad Rogatianum, Ecclesiasticum, et in libro de Habitu virginum, Sapientiam, ut divinos libros citat : quod verò Ruffinus asserit, ex Patrum traditione eos libros à canone rejiciendos (pace lectoris dictum sit), Patrum traditiones ignoravit. Tertium namque Carthaginense concilium, quod hos inter canonicos numeravit, dicit se à Patribus accepisse; et Augustinus, lib. 1 de Prædest. Sanctorum, proximos Apostolorum affirmat librum Sapientiæ tanquàm divinum citavisse; atque Dionysius ex eodem libro magno præfationis honore testimonium allegat, inquiens, cap. 4 de div. Nom.: « *In primis Scripturarum institutionibus quemdam de* « *divinâ sapientiâ dixisse comperies : Amor factus sum* « *formæ illius.* » Quid omnes commemorem? Hieronymus in primum caput Jeremiæ, cap. 4, ut librum prophetæ citat; Ambrosius autem 1 lib. de Fide, Gregor. 18 Moralium, et concil. Sardicense in epistolâ ad omnes episcopos, ut divinum librum Sapientiæ referunt; concilium demùm Toletanum undecimum, cap. 1, in confessione fidei sanctam esse scripturam asseverat.

Quid Ecclesiasticum? Ut divinum citat Clemens Alexand., 7 lib. Strom., cap. 4, Ambros. serm. 31, et lib. 4 de Fide; Evaristus Papa in epistolâ primâ ad episcopos Africanos; Sixtus secundus in epistolâ ad Gratum episcopum. Utrumque autem lib. divinam scripturam esse tanquàm rem certam in fide tradit Epiphanius hæresi 76, Anomæorum. Non igitur Patrum traditione eos libros Ruffinus, sed suo potiùs sensu refutavit, at eo tempore, quo res nondùm erat definita. Quâ etiam ratione et reliquos excusamus. Nam quòd D. Thom. in eam sententiam advocatur, id ferendum nullo modo est, ut ex 1 parte, q. 1, art. 3, colligere licet, et ex commentariis in quartum caput de divinis Nominibus. Sed in illâ q. 89, nihil de suo dixit; quin ad verbum retulit Augustinum; qui tamen

quam haberet constantem firmamque sententiam, lib. 2 de Doct. christianâ, cap. 8, et lib. 17 de Civitate Dei, c. 8, et ad Horosium contrà Priscillianistas, cap 11; imò eo ipso libro de Curâ pro mortuis gerendâ, c. 17, manifestè declaravit.

Secunda autem confirmatio, quæ ab auctoritate concilii Laodiceni sumitur imbecilla est. Non enim concilium negat esse canonicos, licèt inter canonicos noluerit annumerare, quòd nondùm ea res satis erat explorata. Videlicet, quod sæpè jam diximus, non omnes libri canonici ab Ecclesiâ sunt communi consensu recepti (1).

Ad tertiam verò confirmationem (quoniam nihil in præsentiâ de auctoritate canonum, qui dicuntur Apostolorum, disputare volumus; nam hæc quæstio ab eâ, quæ nunc in manibus est, separatur), dupliciter respondemus. Priùs, ne quis ejusmodi argumento nos velit urgere, intelligat eodem cap. 84, tres Machabæorum libros inter canonicos supputari. Quòd si Apostolorum hos octoginta quinque canones recipere cogimur, respondeant hìc ipsi nobis, qui Machabæorum libros rejiciunt; sin autem, ne confiteantur, hos esse canonicos, testimonium hujus capituli contemnunt, jam profectò non est, cur pondere illius nos velint obruere. Sed hanc disputationem (ut diximus) in aliud tempus reservantes, quod ad præsentem locum satis est, alteram responsionem subjicimus, Clementem, qui eos canones dispersos in unum volumen congregâsse dicitur, non omnes libros canonicos collegisse, quos Apostoli verbo tenùs Ecclesiæ tradiderunt. Non enim aliundè vel concilia, vel Patres Apostolorum proximi, hos esse sacros, quàm ab Apostolis didicerunt. Ait tamen Iren. lib. 3, c. 3, referturque ab Euseb. lib. 5, cap. 6, Clementem, quoniam cum Apostolis vitam semper egerit, atque ab Apostolis institutus fuerit, recentem gessisse traditionis eorum memoriam, et eorum formam semper in oculis habuisse. Ità si hæc responsio non placet, detur alia : non omnes illos canones à Clemente editos, sed nonnullos à Græcis adjectos esse.

Ad postremam deniquè confirmationem, hujusmodi habeto responsum. Ut cum iis liberaliter agamus, donemusque eis, Synagogam in fide errare non posse (quod tamen non perindè ut de Ecclesiâ catholicâ certum est), negamus, hos libros à Synagogâ esse rejectos. Aliud est enim non recipere, aliud verò rejicere. Judæi ergò intrà suum canonem hos quidem libros publicâ auctoritate minimè receperunt; tametsi nonnulli etiam ex eis divinos et sacros esse crediderunt. Quâ de re vide Cochlæum in libello de canonicæ scripturæ et catholicæ Ecclesiæ auctoritate, cap. 2. De secundo igitur argumento hactenùs.

(1) Ibi peccat Canus, saltem in terminis. Equidem nonnulli libri sacri non eodem consensu primis in temporibus recepti fuêre : hinc divisio librorum divinorum in *protocanonicos* et *deuterocanonicos*; sed ille consensus unanimis non tardus fuit in illis omnibus admittendis, nec ullus, præsertim à concilio Tridentino, inter Catholicos reperiri posset, qui ex nostro canone quidquam vellet detrahere. P. S.

Ad tertium autem præcipuum argumentum respondetur, antè id temporis nec rem fuisse tàm expeditam, nec conciliorum lectionem tàm assiduam, nec hæreticorum impudentiam tàm procacem in libris canonicis vel infirmandis, vel etiam rejiciendis. Quorcicà non fuerunt perindè solliciti fideles de hujusmodi quæstione, cujus definitionem sine jacturâ pietatis poterant ignorare. Quòd si argumentum idem contorquere in adversarios volumus, nihil est, quod faciliùs efficere possimus. Nam (ut ex concilio primo Toletano didicimus) « si quis dixerit, vel crediderit, alias scripturas præter eas, quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas esse, vel venerandas, anathema est. » Cùm ergo plerique (quod retrò nos ostendimus) hos libros tanquàm divinos venerentur, certè, si Ecclesia non reciperet, in anathema concilii Toletani pariter omnes incurrerent. Ne igitur hos audaciæ et temeritatis condemnemus, illos potiùs ignorantiâ laborâsse concedamus. Imò cùm perniciosius Ecclesiæ sit libros recipere pro sacris, qui reverà non sunt, quàm librum rejicere, qui aliàs verè sacer est (ut D. Thomas, primâ parte, q. 88, art. 5, et de Potentiâ q. 4, art. 1, latiùs explicat), cùm concilium Carthaginense, Florentinum, Tridentinum, Innocentius, Gelasius, ac ferè sancti omnes (1), hos libros tanquàm sacros Ecclesiæ tradiderint, profectò si ii non essent, perniciosissimè falleremur. De tertio igitur argumento satis dictum est.

Ad quartum verò argumentum primò dicitur, quòd Gelasius forsitan unius libri nomine ambos complectitur; quod etiam in Esdrâ non ipse modò fecit, sed et Isidorus, 9 Etymol. cap. 1, et Hieronymus, qui Esdram interpretatus unicum edidit, sequens Hebræorum consuetudinem, quâ Esdræ primus et secundus liber in uno est, ut Origen. in primum Psalmum docet, et Eusebius lib. 6, capitulo 18. Hanc autem mentem fuisse Gelasii vel illud abundè magnum argumentum est, quòd idem ipse probat lectionem Scripturarum, quæ per anni circulum distribuuntur, librum autem Machabæorum pro dominicis octobris, in quibus ambos Ecclesia legit; deindè respondetur, Gelasium de secundo libro ambiguam fortè sententiam tenuisse, eoque consilio in enumeratione eum librum prætermisisse. At August. 18 de Civitate Dei, cap. 36, et Isidorus, 6 Etymologiarum, cap. 1, utrumque Machabæorum ab Ecclesiâ recipi asseverant : quod et in procemio horum librorum asseritur. Nec id modò in dubium vocare licet, quod D. Gregorio, Eusebio atque reliquis licuit aliquandò dubitare.

Jam ad primam rationem, quæ in hujus quarti argumenti confirmationem affertur, Joannes Annius in commentariis super secundum librum Philonis de Temporibus (2) tradit, libros Machabæorum, qui absque temporibus scripti erant, Josephum adjectione temporum apocryphos reddidisse. Ostendit verò id argumento, quo nos usi sumus, quo eodem Joannes quoque

(1) Non dicendum *ferè* sancti omnes, sed absolutè omnes, præsertim à concilio Tridentino, ut liquet ex notis superioribus. P. S.

(2) [illegible] hos libros Philoni tribuit; at docti negant.

Lucidus permotus est quarto suæ Chronographiæ libro. Unde autem Annius noster acceperit, aut sine temporibus Machabæorum olim libros haberi, aut Josephum adjecisse tempora (ingenuè fateor) me præterit. Sed si id verum est, quemadmodùm mendum, quod in numeris facillimum est, non auctoribus, sed librariis imputatur, ità menda, quæ Josephi per incuriam inducta sunt, non auctori libri Machabæorum, sed Josepho tribuemus; nec ob id libros hos apocryphos existimabimus. Tametsi Josephum germanam veramque catholicorum lectionem vitiâsse, viris ecclesiasticis omnibus dissimulantibus, atque adeò conniventibus, mihi quidem non sit verisimile. Nisi volumus, mille quingentos annos, et eo amplius Ecclesià in utramque aurem dormitante, inimicum hominem zizania superseminâsse. Quamobrem multò meliùs Euseb. Cæsariensis, licèt hos libros non crediderit in sacrorum numerum referendos, asserit tamen auctorem illorum non supputare Græcorum regnum ab Alexandro, sed à Seleuco Nicanore, qui regnavit in Syrià anno à morte Alexandri exacto undecimo. Cui numero si addas quinque annos (1) quibus Alexander tanquàm monarcha imperavit Græcis, conficitur numerus annorum exactus sexdecim, quibus minor erat supputatio monarchiæ Græcorum juxtà rationem hebraicam. Nam Græci ab Alexandro supputabant. Igitur quòd juxtà annalia græca Antiochus regnâsse dicitur anno centesimo quinquagesimo tertio, et juxtà primum Machabæorum anno centesimo trigesimo septimo, verborum, non rerum dissensio est. Quippè, si centesimo trigesimo septimo sexdecim adjicias, numerus centesimus quinquagesimus tertius conficietur. Joannes verò Lucidus in eo discrepat ab Eusebio, quòd scribit, lib. 4, Alexandrum post adeptam monarchiam annos septem regnâsse, Seleucum verò anno octavo post mortem Alexandri jam exacto. Sed quod ad præsentem attinet quæstionem, non admodùm refert, utrum ex his verum sit, cùm supputatio præcipua, de quà hìc agimus, minimè varietur.

In hujus verò confirmatione argumenti, Ambrosius Catharinus Cajetanum affirmat tot peccata admisisse, quot verba penè effudit. Sic enim ille loquitur. Nec advertit homo ad carpendum promptulus, se quoque in reprehendendo Cajetano sæpè ac multùm errâsse. Hoc certè loco ter erravit. Sed istius errores coarguere nec meum est, nec hujus temporis. Quid ergò? Nonnè hìc peccavit Cajetanus? Peccavit sanè. Primùm in eo, quòd temerè et inconsideratè, ne superbè dicam et arroganter, auctorem libri Machabæorum ait in intelligentia Danielis esse deceptum, quem constat Spiritùs sancti afflatu eum librum scripsisse. Deindè falsò existimat Cajetanus, si auctor libri Machabæorum verba Danielis usurpat, idcircò Danielem interpretari. Quasi non licuerit Bernardo verbis Scripturarum passim uti : quasi si quis arguat ab ipso malè intelligi, quòd verba non in eum afferat sensum, qui Scripturarum erat germanus et proprius, is stultus esse videatur. Certè poetæ recentiores veterum versus etiam integros usurpârunt elegantissimè, nec tamen priorum illi versus à posterioribus in eamdem sententiam capiuntur. Fallitur prætereà Cajetanus in eo, quòd putat Danielis prophetiam non potuisse ad idolum Antiochi referri, quia Dominus ad futura tempora referendam declaravit. Eadem quippè scriptura et ad Luciferum pertinet, et ad Nabuchodonosor, et ad Antichristum. Vanissimum ergò fuit, auctorem libri Machabæorum reprehendere, quòd in idolo, abominatione, et desolatione Antiochi ad verba Danielis alluserit, vel ea certè in simili causà usurpârit. Nam etsi in illum sensum Danielem adduxisset, id fecisset egregiè, quod et Paulus, et Apostoli cæteri sæpè fecerunt.

At secunda ratio duobus modis refellitur. Priùs enim nihil impedit, ut Spiritus S. scriptori assistat, qui in quibusdam tamen humano more ex modestià loquitur. Sic enim Paulus ait 2 Cor. 6 et 23 : *Etsi imperitus sermone, sed non scientià;* et rursùm : *Ut minùs sapiens dico, plus ego;* et iterùm 2 Cor. 12, 13 : *Donate mihi hanc injuriam.*

Posteriùs, aliud est loqui de ipsius historiæ veritate, aliud de interpretatione in aliam linguam. Interpres ergò veniam petit, non falsitatis, quæ nulla erat, sed elocutionis, quæ ab homine erat. Secunda igitur illa ratio hàc duplici responsione convellitur.

Sed et tertia bis quoque confutari potest; et quia non est opus confiteri, epistolam, cujus in priori fit mentio, eam esse, quæ è vestigio subditur; et quòd si esse quis contendat, habet in promptu quid dicat, puncta librariorum incurià esse malè distincta. Illa enim verba, *anno centesimo octogesimo octavo,* non sunt initium epistolæ sequentis, sed finis antecedentis; ut subsequens epistola hoc principium habeat : *Populus qui est Hierosolymis.* Cujus rei illud est argumentum, quòd diem, annumve, quo scribitur epistola, non ab initio statìm, sed à fine ponere solemus; salutationem verò statìm à principio. Tametsi utrumque Constantinus et in epistolà ad Donum Papam, et in epistolà ad Georgium Constantin. patriarcham, conjunxerit. Quæ igitur secundo loco ponitur, hæc scripta est anno centesimo sexagesimo nono, ut in priori epistolà dicitur : quæ verò ordine quidem scripturæ antecedit, sed reipsà tamen posteriùs missa est, ea scripta fuit anno centesimo octogesimo octavo.

Ità ad quartam rationem facilè dici poterat (quod antè monuimus) illam epistolam non esse, cujus prior meminit. Quarè nec necesse est fateri, eam esse scriptam anno centesimo sexagesimo nono. Quin compilator illius secundi libri, sive is fuerit Josephus, ut Annio placet, sive quisquam alius, quascumque epistolas invenire potuit à Judæis scriptas, nullo servato ordine, in initio libri forsitan collocavit.

Quòd si secundam illam esse admittimus, quam commemorat prima, dicere oportet, numerum non secundùm hebraicam computationem haberi, sed secundùm græcam. Potuit enim (nec id incommodè) fieri, ut qui eas litteras dederint, ii græcam monarchiæ supputationem fuerint secuti, quam tamen is, qui librum

(1) Quinque annos integros : nam regnavit prætereà et aliquot menses.

illum dicitur in compendium redegisse, noluit immutare, sed exscribere numerum, ut scriptum reperit. In aliis verò secutus est semper supputationem hebraicam. Judas itaque mortuus est, juxtà Hebræorum rationem, anno centesimo quinquagesimo secundo expleto, hoc est, anno centesimo quinquagesimo tertio. Quibus si apponas sexdecim annos græcæ supputationis, constat numerus centesimus sexagesimus nonus, qui idem est cum priori. Nam, quo anno Judas mortuus est, scripsit Epistolam. Ità non est necesse cum Ruperto, libro 10 de Victorià verbi, alium à Machabæo Judam divinare, qui eam Epistolam dederit.

Ad quintam, non desunt, qui existiment non Antiochum membratìm divisum, sed ducem ab eo missum : sic enim videtur, capite 1, significari; illum verò fugâ elapsum morbo pestilenti interiisse, capitulo 9 dicitur. Sunt etiam, qui contendunt, in cap. illo 1, particulam, *et*, adjectam esse librariorum vitio, lectionem autem veram hanc esse : *Percusserunt ducem, et eos, qui cum ipso erant, diviserunt membratim*, etc Scio autem, verbum *percutere* interdùm significare idem, quod occidere, ut eo loco : *Percussit Philistæum*, etc.; et ibi : *Percussit Saül mille*, etc. Sed non cogimur hìc, vocabuli proprià significatione desertà, ad dictionem confugere figuratam : præsertìm cùm Danielis cap. 11, de Antiocho scriptum sit : *Venient super eum Romani, et percutietur;* quo loco Hieronymus : *Percussus*, ait, *dicitur esse, non quòd interierit*, etc.; et 2 Reg. 2 : *Servi David percusserunt de Benjamin* 360, *qui et mortui sunt.* Sed ne illud quidem huic expositioni repugnat, quod Lyranus objicit, Antiochum (ut hìc dicitur) cecidisse. Non enim semper eo verbo mors significatur; sed, qui victus est, cecidisse verè asseritur. *Ceciderunt*, inquit Josue 7, 5, *per prona fugientes;* sed ne illud quidem obstat, quod ibi legitur : *Cùm ingressus esset intrà ambitum fani, clauserunt templum; cùm autem intrâsset Antiochus*, etc., ubi videtur designari, Antiocho concluso nullum fuisse locum fugiendi relictum. Non enim intelligendum est templum clausum post ingressum ducis, sed cùm milites essent intrà fani ambitum : ut, si, exempli causâ, dicamus, in atriis sacerdotes clauserunt januas templi. At contrà, cùm milites Antiochi aditum templi occlusum aperuissent, ut cognita res est, lapidibus sunt à Judæis obruti. Potuit ergò dux ipse percussus, si ducis nomine Antiochus intelligitur, quo aditu aperto intraverat, exire atque fugere; ob quam fugam, cap. 9 dicitur, inhonestè ac turpiter de Perside rediisse. Sed ne rimulas quærere ad elabendum videamur, illa responsio et planior et verior est (cui historicorum gravium consentit auctoritas) non eumdem esse Antiochum, de quo primo capite, et de quo capite nono perhibetur; sed ibi Antiochi Magni mortem scribi, hìc verò Antiochi Epiphanis, cujus etiam finis primi libri capite sexto texitur. Nam illum Strabo libro 16, ait templum Beli exspoliare conatum, finitimos Barbaros interemisse.

Ad sextam, licet Rupertus omnia ea figuratè velit intelligi de arcà novi Testamenti, id est, humanitate Jesu Christi; ad litteram tamen miraculum illud vel jam factum est, cùm expulsis gentibus à Judæâ, Hebræi ex diversis locis, ubi erant dispersi, convenerunt, vel fortè etiam in conversione Judæorum antè diem judicii futurâ, fiet.

Nec nostris conjecturis divina promissio debilitanda est. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.

Postremâ demùm ratione solvendâ variè torquentur auctores. Alii namque fingunt, Machabæos per matrem à tribu Judâ originem ducere, eâque ratione defendunt, sceptrum de Judâ non esse translatum. Alii, sequentes traditiones Thalmud, adstruunt, Machabæis quoque existentibus ducibus, fuisse judices quosdam ex tribu Juda, penès quos summa decernendi atque imperandi potestas resideret, qui hebraicè *Zanedrin*, latinè senatus, ut apud Romanos, appellabatur. Unde illud est : *Populus qui est Hierosolymis, senatusque et Judas*, etc. Hos itaque cùm Herodes, qui primus ex alienigenarum genere ortus regnum judaicæ gentis obtinuit, in odium Davidici regni de medio sustulit, tunc verè sceptrum de tribu Judâ dicitur abstulisse. Alii hunc nodum solvunt, affirmantes illam Jacob Prophetiam, promissionem fuisse ad legem comminationum intelligendam, quæ scilicet mutatis moribus commutetur : et quemadmodùm sententia adversùs Ninivitas post pœnitentiam translata est, ità quoque divina promissio filiis Juda peccantibus fuerit commutata. Quam quidem normam in explicandis tùm comminationibus, tùm promissionibus ex Ezechiele 33 desumunt, apud quem Dei et comminatio et pollicitatio pro conversis, aut aversis hominum moribus, transferuntur. Nos verò, quibus consilium est alienas expositiones non inimicè aut insectari, aut repellere, faciliùs hunc locum expediemus, si ex primo Machabæorum libro intelligamus, populum Judæorum ducatum Machabæis tradidisse, non tanquàm proprium et hæreditarium, sed ad legem depositi conservandam : ut videlicet israeliticam plebem intereà tuerentur, donec surgeret Propheta fidelis, vel qui eos instrueret, vel quem de tribu Judâ venturum exspectabant. Quâ ex re sceptrum de tribu Judâ non auferebatur eo præsertim, quòd ipsa quoque tribus in hoc populi condictum sententiamque à principio saltem creditur consensisse. Quartum ergò argumentum cum suis confirmationibus hoc modo fuerit confutatum. Nam quod argumentum Cajetanus in Matthæi cap. 24 ponit, auctorem libri Machabæorum errâsse in interpretatione Prophetiæ Danielis, quam ad Antiochum ille refert, cùm Lucas ad exercitum Romanorum perspicuè retulerit, id nullius momenti est. Eadem quippè littera et ad Nabuchodonosorem et ad Antichristum spectare potest. Sic eadem et ad Antiochum, et ad idolum Romanorum, et ad Antichristum pertinet. Quæ omninò res, quoniam nihil obscura est, nostrâ explicatione non eget.

At quintum argumentum refellamus. Non modò concilium Carthaginense, et Innocentius, sed plerique alii, inter quos Hilarius in Ps. 128, Cassiodorus in Ps. 88, 89 et 91, Sapientiam et Ecclesiasticum Salomoni assignaverunt. Nam librum quidem Sapientiæ nomine Salomonis citat Tertullianus de Præscriptionibus hæreticorum; Origenes super Epist. ad Romanos lib. 8, Cy-

prianus sermone quarto de Immortalitate; Basilius, lib. 5 contrà Eunomium; Ambrosius, sermone 8, in Ps. *Beati immaculati*, et lib. 5 Examεron, cap. 15, et lib. 4 de Fid., cap. 6, et Euseb. lib. 11 Præparationis evangelicæ, cap. 5. Quin Eusebius ipse lib. 4 Eccl. Hist. cap. 22, asserit, Egesippum, Irenæum, et omnes antiquos, librum Sapientiæ Salomoni tribuisse. Tribuerunt certè Evaristus in Epist. ad episcopos africanos; Felix primus ad omnes episcopos Galliæ; Felix secundus ad Athanasium et cæteros episcopos Ægypti; Epiphanius hæresi 76, Anomæorum; Damascenus, quarto suæ Theologiæ libro, cap. 18, ubi Jodocus Clichtovæus multis argumentis contendit, librum illum non fuisse Philonis, sed Salomonis : in quibus illud maximum est, quòd verba, quæ auctor cap. 9 ejusdem libri de se dicit, non alii quàm Salomoni congruere possunt.

Ecclesiasticum quoque auctores nobilissimi Salomonis nomine retulerunt, Clemens Alex. lib. 7 Strom., Gregorius Nazianzenus oratione octavâ; Basilius quarto libro contrà Eunomium; Chrysostomus, sive quis alius fuerit, homil. tertiâ Imperfecti operis in Matthæum; Ambros. super 7 caput prioris ad Corinth., Hieronymus in cap. 10 Ecclesiastis; Cyprianus ad Rogatianum, et lib. 3 ad Quirinum, et serm. 1 de Eleemosynâ; Cassiodor. in Ps. 55, et 66, et 93; Gregorius lib. 10 Moralium, cap. 14, et quæst. 1, cap. 1, *Non est putanda;* Sixtus primus in epist. ad omnes fratres; Marcellinus ad Salomonem episcopum, Fabianus epist. ad omnes orientales episcopos; Sixtus secundus ad Gratum; Damasus ad episcopos Italiæ; Joannes Papa ad Valerium episcopum. Quòd si post tot tàmque graves auctores libros illos Salomonis esse asseveremus, nihil erit profectò cur timere debeamus.

Deindè librum esse hujus aut illius scriptoris non admodùm interest catholicæ fidei, dummodò Spiritus sanctus auctor esse credatur. Quod Cregorius in procemio super Job, c. 1, eruditè et tradit et explicat. Nec enim refert, quâ pennâ rex epistolam scripserit, si verè scripsit. Undè nihil obstaret, ut in eâ re, quæ ad fidem non pertinet, Innocentius, et concilium Carthaginense communem antiquorum opinionem sequerentur. Nec proindè tamen in libris canonicis enumerandis errare potuêre, quippè quòd ad finem attinere certum sit.

Deniquè, ut has duas responsiones prætermitteremus, habemus aliam multò potiorem, quam ex Euseb., lib. 11 Præparationis evangelicæ, cap. 5, Joannes Driedonis expressit. Cùm enim Salomon, juxta Scripturam, 3 Reg. c. 4, locutus fuerit tria millia parabolarum, et carminum quinque millia, quæ non sunt in unum aliquod volumen à Salomone coacta, fuerunt alii atque alii, qui sententias Salomonis sparsas collegerunt, ut patet Proverbiorum c. 25. Ità Augustinus Eugubinus, in Comment. super Gen., secutus Rabbi Moysen, et Thalmudistas, credidit Isaiam libros Salomonis scripsisse : quod quidem incertum habeo; illud verò exploratum, sententias librorum, qui sapientiales vulgo nuncupantur, à Salomone quidem fuisse primùm excerptas, sed non ab eodem auctore collectas. Undè et Jesus Sirach in Ecclesiastico, cap. 50, non ait, se protulisse, sed renovâsse Sapientiam de corde suo. Hujus ergò rei Innocentius et concilium Carthaginense non ignari, optimâ ratione hos omnes libros Salomoni dederunt. Ac de quinto argumento hæc dixerimus.

Sextum verò argumentum Cajetani est in fine commentariorum super libros historicos veteris Testamenti. Pudet autem virum alioqui ingeniosum et doctum, virum pium, ac nostræ familiæ columen, vano distinctionis novæ commento argumentum firmissimum eludere voluisse, atque, ut leviorem plagam repelleret, graviorem accepisse. Cùm enim nomen libri canonici apud scriptores omnes, uno excepto Cajetano, pro sacro atque divino sumatur, non modò comprehendi animo, sed ne suspicione quidem potest attingi, pontifices et concilia omnia aliter vocabulum usurpâsse, quàm erat in usu universorum. Deinde, concilium Carthaginense, ne quis aliter inverteret, quid nomine Scripturarum canonicarum intelligeret, declaravit inquiens : *Præter Scripturas canonicas, nihil in Ecclesià legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ*, etc. Et Innocentius : *Hi libri*, ait, *recipiuntur in honorem sanctarum Scripturarum.* Et in concilio Florentino eodem Spiritu inspirante, illi omnes libri, quos suscipit, et veneratur Ecclesia, et de quibus præsens disputatio instituitur, scripti à sacris auctoribus asseruntur. Præstereà, cùm sub eodem contextu omnes illi libri nullo facto discrimine definiantur esse canonici, ridiculum est, ut partìm in unâ significatione, partìm in aliâ, libros canonicos habeamus. At si hanc semel distinctionem admittimus, auctoritate conciliorum atque pontificum nullus liber sacer constare potuerit. Nam pari causatione, si id quidem lubitum esset, hæretici dicerent, unum quemlibet de cæteris non esse canonicum ad firmandam fidem, sed ad instruendos mores. Id quoniam absurdum omninò est, retineamus potiùs eam rationem oportet, quam Cajetanus voluit evertere, vir (ut sæpè jam dixi) cum primis eruditus et pius, sed qui in libris sacris constituendis Erasmi novitates ingeniumque secutus, dùm alienis vestigiis voluit insistere, propriam gloriam maculavit. Ac de sexto argumento hactenùs.

Ad confirmationem autem faciliùs responderi potest, non Ambrosium modò, sed et Cyprianum ad Pompeianum, et Augustinum, 18 de Civ. Dei, referre ex 3 et 4 libro Esdræ testimonia, sed non tanquàm ex Spiritu divino edita, quibus scilicet nefas sit refragari.

In septimo principali argumento molestè fero, non alienos modò, verùm etiam nostrates (bonâ veniâ legatur) in tàm novam, ne dicam levem, sententiam incidisse, ut Epistolam ad Hebræos Apostoli Pauli esse negaverint (1). Sed id multò molestius, ut, si Pauli non sit, protinùs non sit canonica. Nam, auctore incerto, poterit Epistola certò esse canonica. Sive enim Lucas, seu Barnabas (quod quidam sunt opinati) eam Epist. scripserint, canonica erit. Nam et per Lucam et per Barnabam Spiritus sanctus loquebatur. Sed ad

(1) Arius negavit hanc Epistolam esse Pauli, ut auctor est Epiph. hær. 69.

rem. Cùm hæreticum sit, hanc Epist. à sacris Scripturis excludere, certè temerarium est (ne quid ampliùs dicam) de hujus Epistolæ auctore dubitare, quem Paulum fuisse certissimis testimoniis confirmatur. Origenes inprimis lib. 1 Commentariorum super Matthæum, et refertur ab Eusebio lib. 6 Ecclesiasticæ Historiæ, cap. 18 : « Ego dico, ait, quòd ipsa manifestissimè est Pauli Apostoli, et semper omnes antiqui majores nostri eam ut Pauli Apostoli susceperunt : et opinio usquè ad nos pervenit, quòd sermo ejus est græco sermone compositus, vel per Clementem romanæ urbis episcopum, vel per Lucam. »

Clemens item Alexandrinus apud Eusebium, Ecclesiasticæ Historiæ libro 6 : *Manifestè*, inquit *est Pauli, scripta quidem hebræo sermone tanquàm Hebræis, sed à Lucâ in græcum interpretata.*

Eusebius quoque in eamdem sententiam ivit, libro 2 Historiæ ecclesiasticæ, cap. 37. Ubi cùm dixisset, Clementem romanum episcopum in Epistolâ ad Corinthios nomine Pauli testimoniis hujus Epistolæ usum, continuò subjicit : « Undè constat, quòd Apostolus hanc Epistolam tanquàm Hebræis mittendam, patrio eam sermone conscripserit; et (ut quidam tradunt) Lucam Evangelistam, alii autem Clementem, interpretatum esse : quod et magis verum est, quia et stylus ipse Epistolæ Clementis cum hâc concordat, et sensus nimirùm utriusque scripturæ plurimam similitudinem ferunt. » Hactenùs Eusebius. Et cap. 3 ejusdem libri : *Pauli manifestè sunt* 14 *Epistolæ*. Dies me deficiet, si velim enumerare auctores græcos, qui hanc Epistolam Paulo tribuerunt. Nec minùs si commemorem etiam latinos. Quid enim referam Athanasium, in epistolâ ad episcopos Africanos, lib. 11, de fide Trinitatis? Quid Cyrillum, lib. 12 Thesauri? Quid Chrysostomum infinitis propè locis? Quid Ignatium? Quid Irenæum? Quid Damascenum? Quid Anacletum, in epistolâ de ordinatione episcoporum? Quid Higinium, in epistolâ ad omnes Christi fideles? Quid concilium Laodicenum? Quid tandem concilium Ephesinum (1)? cùm omnes græci scriptores (ut auctor est Hieronymus ad Dardanum) hanc Epistolam Apostoli Pauli esse unâ voce fateantur. Theophylactus certè miratur eorum impudentiam, qui hanc Epistolam Pauli esse inficiantur, affirmatque eos non secùs peccare, quàm si à Paulo abesse Christum negarent. Quid Latini? Nempè fatentur etiam; fatetur Ambrosius super Psalmum : *Beati immaculati*, et libro *de his, qui mysteriis initiantur*, cap. 8; Augustinus insuper, lib. 2 de Doctr. christian. cap. 8, et sæpè aliàs. Item Gregor. lib. 5 Moralium, cap. 3; Gelasius cum concilio septuaginta episcoporum; Innocentius Papa; concilium Carthaginense, Florentinum, Tridentinum. Quid moror? mille quingentos abhìnc annos Ecclesia legit hanc nomine Pauli Apostoli, et audemus nos in dubium vertere, quod omnes catholici tot retrò seculis sine ambiguitate tenuerunt? Omitto quòd Petrus, nisi me valdè opinio fallit, testatur Paulum Hebræis Epistolam scripsisse. Nam primam Petri Hebræis scriptam esse, salutatio ipsa adeò apertè docet, ut ne Cajetanus ipse quidem negare potuerit. At secunda Petri eisdem quoque scripta est. Ait enim : *Eccè jam vobis hanc secundam scribo Epistolam :* in hujus verò fine, sic Petrus inquit: *Sicut et charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis ;* etc., vobis, scilicet Hebræis, ad quos scribebat Petrus. Undè factâ distinctione subjungit : *Sicut et in omnibus epistolis :* ut non obscurè intelligeres, quod Paulus Hebræis de longanimitate et salute Christi, idem et in aliis epistolis scripsisse. Non est ergò cur de auctore hujus Epistolæ quisquam dubitet.

At Hieronymus dubitat. Certè, ut dubitâsset, non proindè nostram hanc certam indubitatamque fidem ambiguam efficere potuisset. Sed negamus, Hieronymum ancipitem hoc loco (quod illi falsissimè impingitur) habere sententiam. Nam, ut innumera loca silentio prætereamus, quibus refert Hieronymus ex hâc Epistolâ nomine Pauli testimonia; ut illud etiam dissimulemus, quòd de Viris illustribus in Paulo, cùm quorumdam contrarium sensum expressisset, eorum argumenta refellit; ille profectò loco Hieronymianæ sententiæ clarissimus testis est, qui habetur in epistolâ ad Dardanum de terrâ promissionis, in hæc verba : *Vas electionis loquitur ad Hebræos, fide, qui vocatur Abraham*, etc.: « Nec me fugit, quòd perfidia Judæorum hæc testimonia non suscepit. Illud nostris dicendum est, hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, non solùm ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli, suscipi; et nihil interesse cujus sit, cùm ecclesiastici viri sit, et quotidiè Ecclesiarum lectione celebretur. Quòd si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum Ecclesiæ Apocalypsim Joannis eâdem libertate suscipiunt; et tamen nos utramque suscipimus, nequaquàm hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui utriusque testimoniis utuntur, non ut interdùm de apocryphis facere solent, sed quasi canonicis et ecclesiasticis. » Hactenùs Hieronymus. Et in Epistolam ad Titum, cap. 8 : « Lege, inquit, ad Hebræos Epistolam Pauli Apostoli, sive cujuscumque alterius eam esse putas, quia jam inter ecclesiasticas est recepta. »

Ad primam igitur rationem, quoniam in Relectione de pœnitentiâ accuratè sanè ac diligenter illa Apostoli loca explicata sunt, non est necesse modò respondere (1).

(1) Concilium Ephesinum expressè docet Apostoli testimonio probari, quòd Christus est factus pontifex et Apostolus confessionis nostræ. Concilium Ephesinum dixi, quia illa ep. licet Cyrilli sit, præsidebat tamen synodo, et est à synodo approbata (Cassiod. in Psal. 102; Adrian. in epist. ad Const. et Irenem.)

(1) Porrò in eâ Relect. respondet Canus, textus objectos D. Pauli interpretando : « Non de pœnitentiâ quæ post baptismum fit, inquit, sed de pœnitentiâ quæ fit in baptismo, qui videlicet semel duntaxat percipi potest. Nam pœnitentiam baptismum appellari, habes apud Lucam capitulo ultimo : *Oportebat*, inquit, *prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes*. Ubi quæ Mat-

Ad secundam respondere necesse est, et quidem eo ordine, quo adversùm constitutam veritatem objectionis singulæ particulæ fuère propositæ. Nam, quòd prima particula objiciebatur, facilè diluitur, cùm contingere potuerit, ut interpres reliquerit quidem in textu verba hebraica, sed in margine, quod fieri solet, addita fuerit interpretatio, quam librarius textui deinceps inseruerit. Quod etiam idem in Matthæo usu fortassè venit in verbis illis cap. 27, v. 46: *Eli, Eli*, etc. Quòd autem, quæ expositor fortassè quispiam in margine opposuerit ea scriptorum vitio textui nonnunquàm inserantur, Nicolaus Liranus rectè, 2 Reg. 8, animadvertit; illa enim verba: *De quo fecit Salomon omnia vasa aurea in templo, et mare æneum et columnas, et altare*, in hunc modum et adjecta, et inserta esse constat.

Potuit et aliâ ex causâ proficisci, ut Apostolus vel Evangelista hebraicè scribens, quorumdam vocabulorum interpretationem adjecerit, quòd apud Judæos erant verba quædam vel chaldaica, vel syriaca, quæ potuerunt commodè in linguam hebraicam verti, ut (1) *Golgotha*, et *Ephphetha*.

Ecce duas causas, quibus interim argumentum illud Cajetani posset eludi, quo ne librum quidem Geneseos hebraico sermone scriptum sibi Cajetanus suaderet. Nam ibi legitur, cap. 35, 18, Rachel vocâsse filii sui nomen Benoni, id est, filium doloris mei; nomen verò ei à patre inditum Benjamin, id est, filium dextræ; et in Exodo, cap. 12, 11: *Est enim phase, id est, transitus Domini*. Respondeant nobis isti, qui simili argutiâ negotium nobis exhibere volunt; et si non valuerint, tertiam causam nos reddemus. Videlicet, sunt nomina composita ex multis simplicibus, quæ nonnunquàm integra in compositione manent, interdùm corrupta: ea si aliis verbis eàdem etiam linguâ explicare voluero, nihil absurdum orietur: ut si, verbi causâ, dicam: Deicola, interpretatur Dei cultor; paterfamilias, hoc est, domûs gubernator et parens. Quod idem in nominibus Benoni et Melchisedech evenire potuit.

Sed ne ad hæc tanquàm in aram confugiamus, illa causa et præstantissima et verissima est, interpretem id jure suo facere potuisse, cùm videlicet necessarium fuit hebraica verba manere. Si enim interpres transtulisset: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* non fuisset à Latinis perceptum, quorsùm astantes dixerint: *Eliam vocat iste*. Quarè verba hebraica retinere coactus, eorum interpretationem apposuit, quod facere æquè poterat verbis hebraicis non retentis. Certè Geneseos 35, et Exodi 12, in hebræo nominum interpretatio non habetur; sed interpres adjecit de suo.

Quòd si objicias illam particulam non esse sacram scripturam, si hoc verum est, ut quæ ab officinâ interpretis prodierit, primùm conceditur conclusio; nec ego video cur perhorrescere debeamus. Deindè, negatur illa collectio: si ab interprete proficiscitur, extrà sacras litteras est. Nam particula quæ ad servandam vel congruitatem, vel intelligentiam in sacrarum litterarum interpretatione additur, non censetur à sacris litteris aliena. Undè Hieronymus in Commentariis Epistolæ ad Galatas, cap. 4, in illud: *Abba Pater*: « Hanc consuetudinem, inquit, in pluribus locis Scriptura conservat, ut hebraicum verbum cum interpretatione suâ ponat: Bartimeus, filius Timei, Aser, divitiæ, Tabita, Dorcas, et Mesech, vernaculus. » Ecce Scripturam Hieronymus vocat etiam eam particulam, quam interpretem addidisse compertum est. Atque id in Epistolâ ad Hebræos vel maximè locum habet: cujus interpres fuit vel Lucas, vel Clemens; quod Apostolo et vivente et vidente factum esse, ad veritatis similitudinem videtur esse propensius. Verum esse asseverarem, nisi Academiæ temperamentum in causâ conjecturali placeret. Nihil ergò prima illa causa movere nos debet, ut credamus hanc Epistolam hebraicè scriptam non fuisse. Sed ne secunda quidem causa movet; eadem enim in Apostolum torqueretur, qui in Actorum lib. cap. 12, Judæis loquens, citat scripturam veterem juxtà translationem Septuaginta. Itaque interpres aut

« thæus de baptismo dixit, Lucas nomine pœnitentiæ, « ac remissionis peccatorum, tradidit. Hanc expositionem Chrysostomus et Theophylactus, sequuntur in eadem loca. Item D. Ambrosius, libro secundo de « Pœnitentiâ, cap. 2, et D. Augustinus, libro de verâ « et falsâ pœnitentiâ, cap. 3. Colligunt autem ex multis conjecturis, hanc esse eorum testimoniorum intelligentiam. Quas ego conjecturas referrem, nisi ad « metam hujus disputationis festinaret oratio.

« Potest tamen uterque locus intelligi etiam de Pœnitentiæ sacramento, ut videlicet intelligamus, impossibile esse per Pœnitentiæ sacramentum rursùm renovari, id est, priorem novitatem, quam per baptismum accepimus, iterùm accipere. Undè Gregorius « Nazianz. orat. 3 in sanctum Lavacrum: *Non superest*, inquit, *regeneratio secunda, nec reformatio, sed in pristinum statum restitutio; etiamsi perquàm vehementer illam lacrymis, et multis quæramus suspiriis, ex quibus vix quidem cicatricum obductio venit.*

« Nec te moveat, quòd Apostolus ait, esse impossibile; nam per excessum loquitur, atque hyperbolicè « ingentem rei difficultatem impossibile vocat, non ut « desperent audientes, sed ut terreantur. Idcircò enim « subdit Apostolus: *Confidimus tamen de vobis, dilectissimi, meliora, et viciniora saluti, tametsi ità loquimur;* « quasi dicat Apostolus: Locutus sum ità, ut vos à peccatis retraherem, et desperationis metu facerem cautiores; cæterùm confido de vobis, et reliqua quæ « sequuntur. Quæ quidem hujus loci interpretatio mea « non est, sed D. Hieronymi, libro adversùs Jovianum « secundo, referturque à Gratiano de Pœnitentiâ, dist. « 2, c. *Si enim*. Nec modus hic loquendi à sacris litteris alienus est. Nam Matth. 16, quod antè Dominus « dixerat, difficile esse divitem intrare in regnum cœlorum, è vestigio dixit, esse impossibile, quemadmodùm exposuit D. Hieronymus super caput Isaiæ sexagesimum. Sed et Aristoteles, primo libro de Cœlo, « cap. 11, inter reliquas significationes hujus vocabuli, « *impossibilis*, eam annumeravit, ut quod non facilè, « neque citò, nec benè fieri potest, impossibile dicatur. « Et ad eamdem formam, per hyperbolem, cap. 10 « ejusdem Epistolæ, Apostolus locutus est, ut ostenderet, quà animadversione peccata nostra digna sint, « post acceptam notitiam veritatis, si ad justitiæ rigorem examinentur. Sed aliud tamen est, quod justitia postulat, aliud quod clementia et misericordia « suggerit. » P. S.

(1) Joannes, cap. 19, videtur astruere vocem hebræam esse. Sed quia voces chaldææ erant Hebræis quasi propriæ, ideò Evangelista dixit: *Hebraicè autem Golgotha*; quemadmodùm si ego dicam: *Hispanè autem Javali*. Quam vocem punicam esse certum est pro apro ab Hispanis usurpatam.

Lucas, aut Clemens, licèt Hebræos hebraicè Paulus fuerit allocutus, versionem tamen septuaginta Interpretum magis reddere voluit, ne Græci litteræ novitate turbarentur. Quam etiam ob rem Apostolus Romanis scribens, cap. 1, 17, abutitur testimonio Habacuc juxtà translationem Septuaginta, ne romanis auribus insuetam orationem afferret, ut Hieronymus auctor est in commentariis super Habacuc cap. 2.

Jam verò tertia illa causa, quæ in postremà hujus rationis parte nobis opponitur, nulla est. Audivi equidem ab Hebræo, cui Hebræi Carpentoratenses primas ex suis hominibus deferebant, epistolam hanc hebraicam hodiè etiam, Matthæique Evangelium exstare. Sed ut Judæus ille nos irridere voluerit, aut etiam ex alicujus Hebræi versione illi habeant nunc hebraicam Epistolam Pauli, Evangeliumque Matthæi, perierint verò legitimum Matthæi ad Hebræos Evangelium, et Epistola Pauli ad Hebræos, Judæorum curà id verisimillimum est accidisse.

Ad tertiam rationem, quà etiam id agitur, ut Paulus auctor hujus Epistolæ non credatur, priùs respondetur, testimonium illud in sensu litterali ad Christum referri. Nec obstat, sensum etiam litteralem ad Salomonem etiam pertinere, cùm eadem littera plura simul litteralia sensa contineat, ut D. Thom. in part. 1, q. 1, ad 10, et antè hunc D. Augustinus, lib. 2 de Doctr. christ. cap. 29, et lib. 12 Conf., cap. 26, 31 et 32, tradidère. Quemadmodùm igitur nomine David Christus interdùm ad litteram significatur, ut Ezech. 34 : *Suscitabo super ea pastorem unum, servum meum David* ; et Jeremiæ 30 : *Servient Domino Deo suo, et David regi suo*, etc., sic et per nomen Salomonis Christum Dominum eo loco Scriptura signavit. Id ne nos præteriret, adjecit : *Stabiliam thronum ejus usquè in sempiternum.* Quod apud Lucam, cap. 1, v. 32, Angelum ad Christum retulisse, notius est, quàm ut explicandum sit : *Filius*, inquit, *Altissimi vocabitur, et super domum David sedebit.* Augustinus porrò auctor est, de Unit. Eccl. cap. 8, Psalm. 71, licèt in Salomonem inscribatur, Judæos tamen de Christo esse prophetiam invictissimè defendere, quia nonnulla ibi dicta sunt, ut in Salomonem convenire non possint. Quæ eadem profectò causa, ut de Psalmo 44 idem sentiamus, cogit.

Posteriùs, ut in sensu allegorico hoc testimonio Paulus abuteretur, nihil à suo more faceret alienum ; qui cùm sæpè aliàs, tùm maximè in priori ad Corinth. Epistolà, cap. 9, ex sensu allegorico argumentatur. Aliud est enim ex sensu spirituali certum et efficax argumentum trahi, quod Augustinus, in epist. 48, ad Vincent. Donatistam, Dionysius, in epist. ad Tit., Hieronymusque in Matth. cap. 13, negàrunt ; aliud verò argumentum indè probabile duci, id quod nemo sanè doctus negare potest. Quòd enim rhetores argumenta verisimilia certis et exploratis adjungunt, id Apostolus quoque facit. Potuit autem hoc loco multò et commodiùs et vehementiùs facere, ubi Hebræi intelligebant ea quæ David in Salomone Deus promiserat, in Christo esse complenda. Intelligebant autem eisdem sacris litteris sæpiùs admoniti, ut Mich. 4, Dan. 7, patet.

Ad quartam rationem non oporteret respondere, si oratio Pauli colo et commate aptiùs distingueretur. Itaque lectio in hunc modum habere debet : *Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est* ; ut illa verba, *ab eis qui audierunt*, non ad participium sequens, sed ad infinitivum antecedens referantur. Sed cui hæc displicent, is talè habeat responsum : quod Paul. ait : *In nos confirmata est*, non ad se peculiariter refert, sed ad Judæos generaliter, ut glossa interlinearis admonuit. Præterquàm quòd Paulus non ait se accepisse doctrinam ab eis, qui audierunt, sed salutis confirmationem : accepit enim et Sacramenta ab illis, et doctrinæ confirmationem, tùm quia Ananias dixit illi, quid oporteret eum facere, tùm quia ascendit ad antecessores Apostolos, ne fortè in vanum curreret, etc.

Ad quintam verò respondere oportet in hunc modum, nomen Testamenti apud Latinos interdùm significare pactum et promissionem, ut Hieronymus in Jerem. cap. 31, et in Malac. cap. 2, scripsit, et Innocentius, in capite *Cum Marthæ, de celebratione missæ*, eruditè posteà docuit. In quam significationem illud tradidit accipiendum quod in canone dicitur : *Hic est calix novi et æterni Testamenti*, id est, novæ et æternæ promissionis ; et illud etiam ad Hebræos, cap. 9, 15 : *Novi Testamenti mediator est, ut repromissionem accipiant, qui vocati sunt, hæreditatis æternæ.* Illud etiam exploratum est, apud Græcos nomen διαθήκη interdùm propriè testamentum, nonnunquàm pactum, fœdus et pollicitationem significare, ut ex Actorum Apostolicorum capite tertio Budæus in Commentariis probat. In quà etiam posteriori significatione et Geneseos 9, et Psalm. 54, 88 et 105, nomen διαθήκη legitur.

Vocabulum quoque hebraicum *Berith*, quod Exodi 24, et Jerem. 31, habetur, licèt frequenter pactum fœdusque significet, quandoque tamen ad testamenti significationem flectitur. Nam et Hieron., Zachariæ 9, et Psalmorum interpres, Psalm. 44, nomen *Berith* in testamentum vertit. Imò licèt Aquila nomen illud semper pactum interpretetur, at 70 tamen ferè testamentum, ut Hieron. in cap. 2 Malach. testatur. In nomine igitur hebraico Paulus ludere potuit rhetorum more, et vocem à proprio ad improprium significatum flectere : quod idem, si aut græcè, aut latinè loqueretur, facere potuisset. Idque eò magis, quòd instrumentum, à sanis obsignatum, testamentum dicitur, quamvis codicillo posteà vel mutentur aliqua, et aliqua inducantur, vel etiam totum omninò, quod testamento semel cautum erat, antiquetur. Quocircà et vetus illud legatum, testamentum quidem erat signatum à vivo, sed apertum moriente Christo, ut velum scissum ostendit, ac per evangelicam legem velut per codicillum abolitum. Id quod Lactantius, de verà Sapientià cap. 20, videtur mihi intellexisse. Nihil igitur obstat, quominùs Exodum loquentem de veteri fœdere, loquens etiam propriè de testamento Paulus adducat. Quinimò consentaneum argumentum est, ut perfectum testamentum, scilicet novum, sanguine confirmatum sit et morte testatoris, quandoquidem imperfectum illud vetus non

sine sanguine firmatum est, ut figura figurato congrueret. Atque hæc quidem responsio argumento Cajetani satisfacit; etiamsi nomen hebraicum non testamentum propriè, sed fœdus solùm significet; quod et Hieronymus in cap. 13 Jerem., et Hebræi docti contendunt.

Ad postremam verò rationem is ipse, qui posuit, respondet, illa tria quidem in arcâ fuisse omnia, ut Paulus dicit, sed urnam et virgam foris pendentes à latere; tabulas verò intùs, ut lib. 3 Regum, cap. 8, habetur. Rursùm etiam fortè post illa Salomonis tempora sacerdotes cupientes, virgam et manna, in secretiori tutiorique esse custodiâ, intrà arcam cum tabulis posuerunt. Cujus rei Paulus non erat inscius: nos sumus, qui Hebræorum traditiones ignoramus. Theoph. in Epist. ad Hebræos, cap. 9, asserit Paulum optimè institutum in rebus judaicis à Gamaliele ex traditione hoc habuisse, hodièque Pharisæorum sectam asseutiri, rem ità se habere. Admonuerat ferè idem prior Chrysostom. hom. 18. De septimo itaque argumento, et huic adjunctis rationibus satis est dictum. Nam quod ex illis verbis : *Celerius autem videbo vos*, Cajetanus argumentatur, alienum à ratione videri, ut, postquàm appellaverit Cæsarem, spondeat se Paulus daturum Judæis, adeò leve est, ut referre pigeat, nedùm refellere.

In octavo verò principali argumento, quo quarta conclusio coarguitur, Cajetanus quidem non negat Epistolam Jacobi esse canonicam, sed auctorem asserit incertum esse. Erasmus addit, eam non sapere apostolicam auctoritatem. At cùm Hieronym. de Viris illustr., Urbanus Papa in epistol. de communi vitâ, Alexand. quintus à Petro in epist. ad omnes episcopos, Anacletus in epist. de oppressione episcoporum, Marcellus Papa ad episcopos Antiochenæ provinciæ, Gelasius cum concilio septuaginta, Innocentius I, concil. Milevitanum c. 7, conc. Laodic. Carthag. Florent. Trid. hanc Epistolam Jacobi Apostoli, Jacobi, inquam, Apostoli esse affirmaverint, idque Ecclesiæ universalis usu confirmante, temerarium est, ne dicam erroneum, hujus Epistolæ certitudinem velle aut ex incerto auctore, aut ex stylo salutationis infirmare; idque argumento leviori, quàm cui respondere debeamus.

Ad nonum argumentum sic respondeo : Erroneum est, ne dicam hæreticum, secundam illam Epistolam Petri Apostoli esse, negare. Adversatur enim inprimis omnibus sanctis; deindè Innocentio et Gelasio; præterea conciliis Laodiceno, Carthaginensi, Florentino, Tridentino; deniquè usui catholicæ Ecclesiæ, quæ legit eam in festo Transfigurationis nomine Petri Apostoli.

Contineret etiam aliquid falsi, si Petrus Apostolus ejus auctor non fuisset. Nam licèt argumentum ex salutatione ipsius Epistolæ forsitan eluderetur, quòd à falsario quopiam esset adjecta; at, quod capite primo illius Epistolæ legitur, eludi nullâ ratione potest : *Hanc vocem*, ait, *nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus in monte sancto cum ipso*. Quòd si Petrus non scripsit Epistolam (Joanni autem Jacobove tribuere, stultitiæ manifestariæ est), falsum Epistola continet; quod est hæreticum. Argumentum verò illud, quod Erasmum movit, imò plerosque olìm antè Hieronymum (ut refert idem de Viris illustribus in Petro) infirmum est, cùm eumdem auctorem sæpè contingat non aliam modò, verùm eamdem quoque sententiam stylo scribere differenti. Quod (ut reliquos prætereamus) in D. Gregorio videre licet; cujus epistolas si cum aliis ejusdem operibus conferas, judiciumque feras ex diverso dicendi charactere, ab alio auctore scriptas esse judicaveris. Hieronymus tamen ad Hedibiam, quæst. 11, aliter respondet, inquiens : « Duæ epistolæ, « quæ feruntur Petri, stylo inter se et charactere dis« crepant, structurâque verborum; ex quo intelligimus, « Petrum pro necessitate rerum diversis fuisse usum « interpretibus. » En Hieronymus ex dissimili stylo non diversos auctores colligit, sed interpretes differentes (1). Apostoli enim in alienâ linguâ malebant per interpretem scribere, quàm dono linguarum abuti, quod non ad elegantiam et luxum, sed ad usus necessarios acceperant. Nec me fugit, quòd Erasmus hunc locum Hieronymi detorquet; sed more suo facit, ut pro suâ libidine interturbet omnia.

Propter decimum argumentum Erasmus et Cajetanus duas illas posteriores Epistolas negant esse Joannis Evangelistæ. Quam ego sententiam non temerariam modò, sed etiam erroneam esse crediderim. Quoniam si Joannis, cognomento Senioris, asseruntur, non sunt profectò canonicæ. Nec enim quisquam Joannem Presbyterum auctorem sacrum existimavit. Sunt autem sine dubio, ut anteà nobis demonstratum est, Epistolæ canonicæ : non ergò sunt Joannis Presbyteri, sed Evangelistæ. Quod Origenes in Psalm. 1, apud Eusebium, lib. 6 Ecclesiast. Hist. cap. 18, Clemens, lib. 2. Strom. cap. 18, Damasc. lib. 4, cap. 1, Isidorus sexto Etymolog. August. 2 de Doctrinâ christianâ, cap. 8, dist. 95, c. *Legimus*, Hieronymus ad Evagrium, Innocentius primus, Gelasius, concilium Laodicenum, Carthaginense, Florentinum, Tridentinumque testantur. Sed tempore Paschali universalis Ecclesia duas has Epistolas nomine Joannis Apostoli populo legit; Ecclesiæ autem, conciliis, et sanctis antiquis tutiùs nos committemus, quàm novitiis istis auctoribus, quorum argumentum cùm imbecillum sit, aliâ consultatione non eget.

Undecimum verò argumentum indignum esset, quod in aliorum numerum censeretur, nisi ob illud Cajetanus asseruisset, hanc Epistolam minoris esse auctoritatis, quàm alias quæ sunt certò scripturæ sacræ. Nam hujus Epistolæ auctoritatem expressè negare non audet, ne quid invidiæ subeat, aut criminis. Cùm autem Hieronymus asserat, auctoritatem jam vetustate et usu meruisse, et inter canonicas computari, miror equidem, cur Cajetanus aliorum opinionem sub Hieronymi censuram non redegerit, quem pro certâ regulâ sacrorum librorum habendum existimavit. Cajetani igitur assertio hoc loco periculosa est, si vis comparativi teneatur : « Minoris (inquit) auctoritatis est iis, quæ

(1) Clemens Alexandr., lib. 7 Stromat., Glauciam tradit fuisse Petri interpretem.

« sunt certò scripturæ sacræ. » Non est igitur certò scriptura sacra, quod est erroneum. At quidam antè Hieronymum hanc epistolam non probârunt. Fateor; sed fuerunt nonnulla antè Hieronymum in controversià, quæ modò in dubium vertere hæreticum est. At citat librum apocryphum. Forsitan apocryphus apud Hebræos non erat. Quòd si esset, ut et Hieronymo, et plerisque aliis placet, nihil mirum, si ab Apostolo Judâ referatur, cùm testimonia referat Paulus ex Arato, Act. 17, 18, Menandro, 1 Cor. 15, 33, Epimenide, ad Tim. 2, 12, ethnicis prophanisque poetis. Vide Hieronymum in Epist. ad Ephes. c. 5, et ad Tit. 1. At coarguit hoc responsum Catejanus : « Non abs re, inquiens, hæc epistola à multis refutata est; quoniam « etsi citare apocrypha multò magis licet, quàm poetas, « auctoritati tamen sacræ Scripturæ derogat, ut apo- « crypha prophetia, ut simpliciter et absolutè prophe- « tia inducatur. » Hæc ille. Verùm aliud est, totum librum apocryphum esse, quod Hieronymus ait, quia scilicet quædam in eo libro continerentur, quæ essent ambigua; aliud particulam illam, quam Judas excitavit, apocrypham esse, quod nec Hieronymus, nec alius ex catholicis dixit. Nam licèt ex alio loco non haberemus eam esse prophetiam, at auctoritas Judæ satis est, ut illam verissimè à Spiritu sancto exstitisse sentiamus, sicut credimus illa verba : *Beatius est magis dare, quàm accipere,* Jesu Christi esse, quia Paulus dixit. Sed stultus ego sum, qui hujusmodi argumenta conor refellere.

Ad postremum argumentum, ubi Erasmi Lutherique conjecturæ ponuntur, ut Apocalypseos auctoritas infirmetur, post ea, quæ diximus, non fuerit opus respondere, tantùm satis fuerit admonere discipulos. Manifesta enim percurrimus, ut in obscurioribus immoremur, atque Franciscus Titelmannus in hâc causâ accuratissimè laboravit, ediditque peculiarem controversiam, undè lector petere ea poterit quæ huic responsioni nostræ deesse videbuntur. Nam ratio postulat, ut secundæ hujus controversiæ finem aliquandò faciamus.

CAPUT XII.

Ubi eorum argumenta ponuntur, qui suadere volunt, in sacrarum intelligentiâ Scripturarum, ad fontes hebraicum et græcum recurrendum.

In tertiâ verò quæstione magna dissensio est, eaque nisi dijudicetur, in summo errore necesse est nos, atque in maximarum rerum ignoratione versari, an in sacrarum litterarum intelligentiâ ad hebraicum græcumque fontem sit recurrendum; an potiùs editio ipsa latina tàm magnæ sit auctoritatis et ponderis, ut nec ab originali scripturâ pendeat, nec per eam aut corrigi oporteat, aut limari.

Prior autem hujus controversiæ pars suadetur antè omnia D. Hieronymi testimonio, qui in libro adversùs Helvidium hujus assertionis primus auctor esse creditur, eâ ratione vel maximè, quòd multò purior credenda sit manare fontis unda, quàm rivi. Idem etiam in epistolâ ad Marcellam, cujus initium : *Post priorem*, cùm fateretur, aliqua sese in vulgatâ editione Evangeliorum latinorum emendâsse, atque ad græcam originem revocâsse latina, obtrectatores suos contemnens : *Si displicet* (inquit) *fontis unda purissimi, cœnosos rivulos bibant, et diligentiam, quâ avium sylvas, et concharum gurgites nôrunt, in scripturis legendis abjiciant.* Idem confirmat in epistolâ ad Damasum de verbo Hosanna, cujus initium est : *Multi;* et in commentariis super Zachariam cap. 8, dicens : « Cogimur « ad Hebræos recurrere, et scientiæ veritatem de « fonte magis, quàm de rivulis quærere : nempè « ut Cicero de oratore etiam ait : Tardi ingenii est « rivulos consectari, fontes rerum non videre. » Et in epistolâ ad Vitalem, docet, se ad hebraicam veritatem, tanquàm in præsidium et arcem, solitum esse confugere.

Hùc addo Augustini testimonium ex lib. 2 de Doctr. Christ. cap. 15, et 18 de Civit. Dei, quibus locis Hieronymi sententiæ subscribit.

Præterea, Damasus coegit Hieronymum ut novum Testamentum ad græcam reduceret veritatem, quemadmodùm Hieronymus idem in præfatione super quatuor Evangelia testatur. Id verò Damasus non jussisset, nisi intellexisset novi Testamenti veritatem à græco fonte petendam.

Hieronymus quoque ipse in commentariis veterem interpretem sæpè vellicat, ut qui interpretando frequenter errârit. Non igitur veteri editioni latinæ fidem habere necessum est, nisi Hieronymum aut malevolentiæ velimus arguere, si deditâ operâ, aut imperitiæ, si ignorans ea, quæ benè conversa erant, reprehendit. Aliundè igitur quàm ab editione latinâ, quærenda est sacrorum litterarum firma intelligentia. Quid quòd Laurentius Faber, Erasmus, Eugubinus, aliique nonnulli juniores veteris interpretis nunc oscitantiam, nunc negligentiam, nunc imperitiam, nunc superstitionem coarguere idoneis causis rationibusque videntur? Nec animus est tamen omnia eorum argumenta referre, qui latinam editionem, quâ Ecclesia utitur, solent reprehendere. His enim argumentis refutandis aliud et temporis, et operis dandum est. Illas solùm reprehensiones afferemus, quibus veterem editionem falsitatis accusant. Primùm autem Num. ultim. cap., latinum aiunt interpretem sensum reddidisse non hebraicæ modò veritati, verùm etiam sacris omninò litteris repugnantem. Illius enim editio præceptum non obscurum habet, ut nullus vir feminam ducat, nisi de tribu et familiâ suâ; nec ulla femina viro nubat alterius tribûs et familiæ. Id autem tantùm abest à Scripturæ fide, ut nihil illi magis possit esse contrarium. Moyses quippè primus hoc neglexit, nec usquè de suâ ille tribu duxit uxorem. Aaron uxorem accepit Elisabeth, de tribu Judâ, Exod. 6. Soror regis Judæ nupsit Joaidæ pontifici, 2 Paralip. 22, et 4 Reg. 11. Elisabeth, cùm esset de filiabus Aaron, cognata erat Beatæ Mariæ, quæ sine dubio erat è tribu Judâ; David Michol duxit, filiam Saülis, de tribu Benjamin. Undecim tribus non legem, sed juramentum prætexunt, quominùs filias suas Benjaminitis collocent, cùm interim tamen eos, qui non jurârant, nullâ lege

prohiberi apertissimè præ se ferant, Jud. 21. Subdititium ergò est, adulterinum, et falsum, quod interpretis solùm auctoritate redditum est. Deindè Michææ 5, latina vetus editio hunc in modum habet : *Et tu, Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Judæ, ex te mihi egredietur*, etc. At Matthæus contrario penitùs sensu verba eadem allegavit, inquiens : *Et tu, Bethlehem, nequaquàm minima es*. Præterea Psalm. 7, vers. 12, nostra editio habet : *Numquid irascitur per singulos dies?* ubi hebraica veritas contrarium sensum habet, cui Hieronymus omninò consentit. Contendit etiam Calvinus, locum illum Ecclesiastes 9 : *Nemo scit, utrùm odio vel amore dignus sit*, mendosè esse ab interprete redditum, falsamque esse sententiam interpretis, cùm plerique sciant, se odio dignos esse, et nonnulli scierint, se fuisse amore dignos. Ac sunt, qui credant interpretem Matth. 24, falsam reddidisse lectionem, dùm pro *Fulgore*, reddidit *Fulgur*, quod utique non pertingit ab oriente in occidentem sed solis fulgor est, qui pertingit. Atque illud quoque urgent, quod Jonæ cap. 4, vertit interpres, Dominum hederam præparàsse, ut esset umbra suprà caput Jonæ, etc., cùm, ipso quoque Hieronymo auctore, *kikaion*, nec hedera sit nec cucurbita, sed quoddam genus fruticis, Latinis et Græcis incognitum, quod Syris familiare est. Non ergò Dominus hederam præparavit, nec Jonas sub umbrâ hederæ requievit, quod interpres falsò transtulit.

Ad hæc, si veteris latini interpretis editioni addicti esse debemus, compellemur adeò historiam Susannæ recipere, atque etiam Bel draconis narrationem; quam quoniam hebraica veritas non habet, Hieronymus fabulam vocat, non eam sacris libris additurus, nisi apud imperitos (ut ipse ait) videretur magnam partem voluminis detruncàsse; item cogemur etiam Marci postremum caput accipere, quod Hieronymus ad Hedib. quæst. 3, non credit esse necessarium, cùm in raris feratur Evangeliis, et omnibus penè Græciæ libris hoc capitulum non habeatur : necessarium quoque erit historiam adulteræ mulieris venerari, quæ Joannis cap. 8 nunc habetur, cùm eam tamen nec Eusebius cognoscat, nisi in Evangelio secundùm Hebræos; nec Hieronymus eam prorsùs agnoscat; sed ne Chrysostomus quidem eam interpretatione suâ dignatus sit, quamvis illius aliàs fecerit mentionem. Atque Euthymius, licèt eamdem enarret, paulò tamen superiùs ait, in exactioribus exemplaribus non haberi, eò quòd illegitima videatur.

Rursùm, si latini interpretis sequenda esset editio, fateri oporteret, omnes esse resurrecturos, ac proindè morituros, juxtà id, quod in priore ad Corinthios Epistolâ, cap. 15, 51, dicitur : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*. At huic sententiæ stare non cogimur, ut D. etiam Thomas in commentariis super eumdem locum adstruit : quin probabilissima opinio est, homines, qui reperientur in die judicii vivi, nullâ interveniente morte vivos esse judicandos, quod Apostolus certè videtur asserere in priore ad Thessalon. epistolâ, cap. 4, 14 et seq. Adde hùc, quòd interpres non erat propheta, auctorve sacer, sed humano spiritu et intelligentiâ sacras litteras ex alienâ linguâ in propriam transferebat. Errare igitur fallique interpretando potuit. Quamobrem interpretis sensum non tenemur amplecti, sed ipsum textum, quemadmodùm ab auctore sacro vel hebraicè, vel græcè traditus est. Aliud quippè fuerit, ut Hieronymus ait, in Præf. super Pentateuch., vatem esse, aliud interpretem; ibi enim spiritus ventura prædicit, hìc eruditio et verborum copia, quæ intelligit, transfert.

Prætereà, si non licet ab interpretis latini translatione discedere, damnamus juniorum omnium in vertendis sacris litteris diligentiam, linguarumque peritiam, tanquàm videlicet otiosam ad sacras litteras intelligendas. Nimirùm, etiamsi ali m sensum habeant verba vel hebraica, vel græca, hic scilicet contemnendus esset, ille verò omni ratione tenendus, quem latina vetus littera præferat. Nec his argumentis satisfieri eà responsione potest, quòd Hieronym., hujus editionis auctor (1), multò fuerit linguarum peritior, quàm alius quisquam, ac proindè illius auctoritas, ingenium, et eruditio majora sint, quàm cujusquam alterius interpretis junioris. Hæc (inquam) responsio non facit satis. Primùm, quoniam præstat oculis tuis videre, quàm a ienis, satius igitur erit, ut quisque linguas ipsas calleat, et videat ipse potiùs, quàm credat interpreti. Deindè etiam, quoniam, cùm septuaginta Interpretes, viri doctissimi, atque hebraicæ græcæque linguæ peritissimi, interdùm lapsi interpretando fuerint, non est cur existimemus, unum Hieronymum nusquàm à vero, dùm interpretaretur, erràsse. Ut illud prætereamus, quòd editio hæc vetus an Hieronymi sit, an alterius, summâ virorum doctissimorum dissensione certatur : novum certè Testamentum (ut de veteri taceam) aut Hieronymus non vertit, aut si vertit, ejus versio non exstat. Quòd si exstaret, manet semper integrum argumentum, quod modò posuimus, Hieronymi utique sensum, ut qui sacer auctor non fuerit, non oportere semper amplecti.

Prætereà in Clementinâ primâ, titulo *de Magistris*, Viennense concilium statuit, in Universitatibus Bononiensi, Parisiensi, Salmanticensi, parandos esse trium linguarum doctores, qui earum peritiam studiosâ instructione in alios transfundant; quod nisi esset ad sacras litteras intelligendas magnoperè necessarium, nullâ ratione synodus statuisset.

Insup r non videtur hoc divinæ Scripturæ negandum, quod humanis scripturis omnibus concedere necesse est, ut, cùm de aliquâ scripturâ scilicet ambigitur, ad archetypum, undè translata est, recurratur.

His argumentis, et iis quidem non levibus, sed (ut plerique judicant) sanè firmis, novarum rerum studiosi sibi primùm persuaserunt, ad veritatem novi ac veteris Testamenti cognoscendam duarum linguarum græcæ et hebraicæ, peritiam esse necessariam : indè rursùm in eam opinionem descenderunt, ut non se

(1) Hieronymus, in Epist. ad August. cujus initium : *Tres simul*, et de Viris illustribus, in fine, emendationem agnoscit, non interpretationem.

existiment sacras litteras exponere, si interpretationem latinam vulgatam sequantur; id enim, inquiunt, est non auctorem Scripturæ sacræ, sed ejus interpretem explicare : denique et eò progressi sunt, ut asserant non oportere latini interpretis auctoritatem amplecti, sed ipsius textùs hebræi in veteri Testamento, græci autem in novo : quo fieri, ut latina editio nostra per exemplaria hebraica et græca sit omninò limanda ac corrigenda.

Hanc verò persuasionem, lector optime, si forsitan induisti, exue, rogo, tantisper, dùm tibi, quæ sunt veriora certioraque, proponimus, nos siquidem hanc sententiam à plerisque receptam refellere tentabimus. Refellemus autem, ut spero, illo ferente opem, cujus tueri causam cupimus adversùm impugnatores veritatis. Ego enim si aut ostentatione aliquâ adductus, aut studio certandi ad hanc potissimùm disputationem me applicui, non modò stultitiam meam, sed etiam mores et ingenium condemnandum puto. Nam si in minimis rebus pertinacia reprehenditur, calumnia coercetur, ergo ne de maximis, et quæ ad Ecclesiæ unitatem continendam magnoperè pertineant, aut certare cum aliis pugnaciter, aut frustrari cùm alios, tùm etiam me ipsum velim? Causà igitur veri reperiendi disputare cupientes, controversiam hanc quatuor conclusionibus brevissimè definiemus.

CAPUT XIII.

In quo veteris vulgatæ editionis auctoritas demonstratur, et quòd non est nunc ad Hebræos Græcosve recurrendum.

Prima conclusio, quæ maximè rem causamque continet, nam cæteræ sunt quasi consectariæ : « Editionem hanc veterem atque vulgatam, quam post « tempora D. Hieronymi latina Ecclesia usurpavit, « fidelibus esse retinendam in his omnibus quæ ad « fidem et mores spectabunt. »

Secunda : « Si qua morum et fidei quæstio inter « Catholicos exoriatur, eam definiri oportet super latinam hanc veterem editionem; cujus videlicet si « aliquod testimonium alteram quæstionis partem « confirmaverit, ea sit Catholicis amplectenda : sin « contrà reprobaverit, rejicienda. »

Tertia : « In fide ac morum disputatione non esse « nunc temporis ad hebraica græcave exemplaria provocandum; nec iis certam controversiarum fidem « esse faciendam. »

Quarta : « In his, quæ ad fidem et mores pertinent, « non esse latina exemplaria per hebraica vel græca « corrigenda. »

Primum, sive axioma, sive pronuntiatum, sive propositionem scholastico more vocare velis, concilium Tridentinum, sessione 4, in hæc verba definit : « Sacrosancta synodus, considerans non parùm utilitatis « accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex multis latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, « quænam pro authenticâ habenda sit, innotescat, « statuit et decrevit, ut hæc ipsa vetus et vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, « prædicationibus aut expositionibus, pro authenticâ « habeatur, et quòd eam nemo rejicere quovis præ« textu audeat vel præsumat. » Hactenùs concilium.

Ne autem concilii solùm auctoritate adversarios obruamus, causas cur id definierit, subjiciemus; nec enim synodo rationes deesse potuerunt, quibus ità judicaverit.

Primùm enim, vel in hàc scripturà latinà aliquod falsum continetur, quod ad fidem moresque pertineat; vel è contrario verum est, quod nobis ubique tradit. Si verum est, id confirmare nitimur : sin falsum, jam Ecclesia romana atque latina, in quà vel solà nunc temporis fides catholica perseverat, circa ea quæ fidei sunt, graviter aberraret : falsam enim aliquam scripturam, tanquàm ab Spiritu sancto revelatam nomine Prophetæ, vel Apostoli, vel Evangelistæ proponeret. Quà unà re auctoritatem sibi adimeret in reliquis proponendis; quo nihil aut absurdius, aut incommodius posset accidere.

Deindè (ut exempli causà ponatur aliquid, quod latiùs pateat), si fortè modò vocetur in dubium an historia mulieris adulteræ vera sit, neget autem quispiam veram esse, tunc aut hic error satis exploditur ex codicum latinorum unanimi consensione, et id profectò est, quod quærimus; aut non satis exploditur, impunèque licet eam historiam contemnere, quæ Latinorum omnium consensu celebratur, quæque nomine Joannis Evangelistæ quotannis in Ecclesià legitur; et jam romanæ latinæque ac catholicæ Ecclesiæ fides et auctoritas infringitur, violatur, enervatur, dùm errare in cæteris, posse simili ratione existimabitur. Quod quoniam absurdum penitùs erat, jure idem concilium Tridentinum eàdem sessione decernit, ut *si quis libros ipsos canonicos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesià catholicà legi consueverunt, et in veteri vulgatà latinà editione habentur, pro sacris non susceperit, anathema sit.* Conficitur itaque, editionem latinam tot annorum centenariis usu Ecclesiæ comprobatam in his quæ ad fidem et mores attinent, esse inconcussè tenendam.

Præterea, cùm scholastici auctores abhinc ferè quadringentos annos in dogmatis theologicis confirmandis, aut etiam in hæresibus refellendis solùm latinam editionem tenuerint, id peto, an quidquam in suis disputationibus confecerint, necne? Quòd si nihil certi confectum est, ò miseros homines, qui tercentum annos, atque eo ampliùs, et oleum et operam perdiderunt! Quippè linguæ græcæ atque hebraicæ non habuerunt peritiam, sed, solo interprete latino contenti, scholæ quidem dogmata confirmabant, rejiciebant autem universa, quæ illis adversarentur, romanà atque adeò latinà Ecclesià tacente, vidente, probante. Sin verò confectum est à theologis scholasticis quippiam, credendum est certè, in suis stabiliendis conclusionibus tutò sese latinæ editioni commisisse. Ea igitur editio est à fidelibus retinenda.

Postremò hæreticæ pravitatis inquisitores in refutandis hæreticis atque puniendis, rogo, an hanc editionem latinam sedulò tenere debeant? an potiùs ne-

cesse est illis, ad græcam et hebraicam, quam minimè noverunt, recurrere veritatem? Quòd si indignum est, à re prorsùs incognità gravissimi tribunalis pendere judicium, si absurdum, è nostratibus ad alienos, id est, Hebræos et Græcos appellare, si impium, ad Judæorum et schismaticorum senatum referre catholicæ fidei consultationem; haud equidem intelligo, quorsùm theologus huic errori consentiat, ut non existimet, editioni latinæ certam fidem habendam. Intelligo autem, nostra hæc dilemmata versutos homines et imprudentes cum plausu etiam elusuros. Nam et irrident scholæ universos auctores, et totum negotium cognitionis fidei cavillantur (1). Sed nos his argumentis sanè nolumus hæreticos petulantes tanquàm adversarios convincere, sed theologis modestis veritatem suadere.

Enimverò, qui hanc nostram editionem infirmare cupiunt, videntur mihi nihil aliud moliri, nisi quoddam occultum hæreticorum patrocinium. Nempè inquisitores despicient, qui scripturam latinam tanquàm certam regulam teneant, cùm veritatis græcæ atque hebraicæ ignorantià teneantur; scholasticos auctores despicient, qui vulgari latino interpreti fidem suam alligàrint, cujus tamen, ut aiunt, intelligentiam sequi non cogimur; despicient sanctos etiam priscos, qui hebraicæ linguæ peritià caruère. Nam, ex Græcis Dorotheum, Origenem et Eusebium hebraicas litteras legimus calluisse; ex Latinis autem, præter Clementem et Hieronymum, vix alius quispiam hebræas litteras novit. Quocircà ferè sanctos in veteri Testamento allucinari necesse erat, imò adeò ejusdem Instrumenti sacramenta omnia cæcis oculis attrectare. Ea si christianæ aures meritò perhorrescunt, consentiamus, prorsùs latinam vulgatam editionem à fidelibus esse tenendam. Sanè (quod frater Franciscus Titelmannus, vir litteris et eruditione præcipuus, moribus et pietate insignis, præclarissimè dixit) dùm providam Dei dispensationem advertimus, facilè videmus, quemadmodùm cum fidei rectitudine connexa semper fuerit Scripturæ veritas, et cum illà solita fuerit emigrare. Donec enim apud Judæos solos firmitas perstitit rectæ fidei, apud eos quoque solos Scripturarum soliditatem cognoscimus latitàsse. Posteà verò quàm veritas à Judæis repulsa à gentibus suscepta est, digna Ecclesia gentibus est habita, quæ proprio suo idiomate, id est, græco, quod et vulgatissimum erat inter eos, qui ex gentibus crediderant, et latissimè cognitum, Scripturam novi Testamenti acciperet in stabilimentum fidei salutaris. Porrò autem, cùm ad Latinos devolvi jam fidei veritas cœpit, Græcis maximà ex parte vel ob innatam levitatem, vel ob contentionis studium ab Ecclesiæ corpore disjunctis, certè dignam aliquam, divino munere, Scripturæ stabilitatem Latinos accepisse consequens fuit. Nec quoquam pacto illud fieri verisimile potest, latinam Ecclesiam, apud quam jam indè à multis annis christianæ fidei veritas fuit, nullam adhùc Scripturam latinam habuisse, cui suis stabiliendis dogmatis tutò inniti, suæque fidei adversarios condignà posset auctoritate revincere.

Aliud quoque gravissimum incommodum in Ecclesiam mihi videntur inferre, qui latinà editione postposità, aliundè censent puram firmamque veritatem hauriendam, quòd latini fideles, græcas videlicet hebraicasque litteras ignorantes, cùm Scripturam sacram in suo idiomate latino legerint, semper ancipiti sententià pendebunt. Siquidem nesciunt, nùm, quæ latinè legunt, sic, an aliter apud Græcos et Hebræos habeantur. Vacillabit itaque omni loco legentium fides, nec poterit alicubi firma consistere. Quo quid perniciosius esse potest? Latinam igitur vulgatam editionem tutam esse legentium fidelium anchoram, sine dubio teneamus; eisdemque argumentis etiam secundam conclusionem, quæ ut (antè diximus) hujus primæ, quam modò confirmavimus, corollaria est.

Tertiam verò primùm ostendimus ex eo, quòd plures Scripturæ particulæ nobis subtrahentur, quæ scilicet in græcis aut hebraicis hujus temporis exemplaribus non leguntur; ut historia puerorum et Susannæ apud Danielem, cap. 3 et 13; et historia mulieris adulteræ apud Joannem, cap. 8. Imò et illud egregium de Trinitate testimonium, 1 Joan. 5, 7: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, et Spiritus sanctus*, etc., ex Græcorum mendis antè aliquot annos nobis fuerat detractum; ut et Marci extremam coronidem (1), atque alia item multa ex latino exemplari novi isti interpretes expunxerunt. Non igitur in græca vel hebraica exemplaria fidei controversia resolvenda est; alioqui eas Scripturæ partes rejiciamus oportet, quas concilium Tridentinum atque adeò Ecclesia unà voce et consensu recipit.

Deindè tertia illa conclusio hoc etiam argumento monstratur, quòd, si est ad græca exemplaria veritas expendenda, in Psal. 13, octo versus nos habemus, quos hebraicus textus minimè habet. Ità meritò à nobis expungerentur, cùm eos tamen auctoritate Apostoli, ad Rom. 3, nos habeamus.

Huic verò argumento nec Origenem, nec Hieronymum fecisse satis, Ecclesia demonstravit, quæ usquè ad hoc temporis octo illos versus in Psal. 13, servandos credidit, non servatura, si quod illi asserunt (2), errore ignorantium fuissent inserti.

Item Hebræorum doctores, nostri videlicet inimici, multo studio contenderunt textum hebraicum corrumpere, ut vetus Testamentum nostris exemplaribus facerent esse contrarium, ut Euseb. lib. 4 Eccles. Hist., cap. 18, refert. Græci quoque eàdem contentione multis locis, ut Scripturam ad suum sensum traherent, novum Testamentum violàrunt, ut Tertul. lib. 5 adversùs Marcionem testatur, et Eusebius lib. 5 Eccl.

(1) Lutherani, de peritià linguarum superbientes, mox veteres theologos contempsere. Quod si quis novitatibus eorum contradiceret, prætendebant statim lectionem græcam vel hebraicum, et continuò in græcarum et hebraicarum litterarum ignaros plenis conviciorum plaustris invehebantur. Cochlæus auctor est.

(1) Hieronymus ad Hedibiam, q. 3, asserit hoc caput in raris exemplaribus haberi.

(2) Cajetanus, in illum Psalmum, homo, ut solet, ad scribendi licentiam liber, nos omnes tanquàm ignorantes et confidentes damnat.

Hist. cap. ult., et Iren. advers., hær. lib. 1, cap. 29, et Basil., l. 2 contrà Eunom., D. quoque Ambros. in comment. super Ep. ad Rom., et in proœmio libri super Lucam, et Hieron., in proœmio super Epist. ad Philemonem, et Origenes in commentariis super Epistolam ad Romanos. Nam in plerisque græcis exemplaribus deest tota illa clausula : *Ei autem qui potens est*, etc., quam ne Theophylactus quidem habuit. Nec in sacris litteris solùm, sed in sanctorum codicibus fecère idem. Nam et in 6 concilio Constantinopolitano, action. 8, Macarius, ejusque discipuli convicti sunt, quòd in confirmationem sui erroris sanctorum testimonia aut truncârint, aut depravârint. Et in 7 syn. act. 4, ostenditur, Iconomachos ex testimonio beati Nili depravato nonnullis imposuisse, et act. 5, ostensi sunt synodo libri quidam ab hæreticis depravati. Quin sub nomine Vigilii, romani pontificis, duos libellos productos, et epistolam, nomine Mennæ ad eumdem Vigilium scriptam, titulos ementitos et supposititios habuisse, eodem concilio palàm factum est. Et Leo in epistolà quâdam ad Palæstinos queritur epistolam, quam ad Flavianum scripserat, à Græcis depravatam. Atque hunc Græcorum morem fuisse, in epistolâ ad Michael imperatorem testatur. Existimat Gregorius, epistolâ decimâ quartâ, lib. 5, Chalcedonensem synodum, sicut et Ephesinam, esse à Græcis depravatam. Undè monet Narsum, ut non novis codicibus passìm credat; romanos autem codices veriores esse affirmat, quàm græcos. Dionysius quoque Corinthiens. episcop. apud Euseb. lib. 4, cap. 23 : « Quid autem mirum, inquit, « si dominica verba sanctæ Scripturæ falsare conati « sunt, qui vilia hæc, quæ nos scripsimus, corrupe- « runt? » Hæc Dionysius, cùm quereretur, suas epistolas esse ab hæreticis adulterinis detractionibus additionibusque, corruptas. Exstat epist. Cyrilli ad Successum Diocæsariens. episcopum, ubi refert se sciscitatum à Budo, Emesenæ civitatis episcopo, an consentiret epistolæ Athanasii ad Epictetum, Corinthiorum episcopum, respondisse : « Si hæc apud vos scripta « non sunt adulterata, nam plura ex his ab hostibus « Ecclesiæ deprehenduntur esse depravata. Et cùm « contulissent epistolam cum antiquis exemplaribus, « depravatam invenerunt, » etc. Quo loco admonendi sunt omnes boni, ut à Calvini, Philippi, ac cæterorum similium fraude cavendum intelligant, quoties sanctorum veterum sententias ad causam suam accommodabunt. Id verò tùm magis, cùm nec librum, nec locum annotaverint; ibi enim eorum fides in veterum sententiis proferendis suspectior est. Proferrem autem multa hujusmodi loca, nisi esset lectori molestum, nec nunc alias res nos ageremus. Non igitur ad hebraica et græca exemplaria, ut quæ depravata sint, est recurrendum. At Hieronymus in Isai. cap. 6, non credit esse verisimile, ut Hebræi scripturam suam depravârint. Quid Hieronymi ætate fuerit, ego non disputo, quamvis Justinus Tryphonem evicerit, quòd à Judæis multa Prophetarum loca detruncata fuissent; illudque inter cætera refert : *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit à ligno*. E quo versu illa verba, *à ligno*, detracta fuisse contendit. Post ea certè tempora à Judæis Scripturas contaminatas Hieronymus, si viveret, non negaret. Præterea, qui hebraicis exemplaribus adhærescunt, necesse est eos sequi Rabbinorum expositiones, et non Catholicorum. Nam Catholici vel septuaginta Interpretum, vel latinam editionem exposuère. Indignum autem est, ut nunc denuò ab Hebræis nostræ fidei oracula petantur : christiana quippè veritas ab Ecclesiæ viris quærenda est, non à Rabbinis Synagogæ.

Ad hæc, ut ex multis unum aut alterum exemplum in medium proferatur, Geneseos octavo capite nostra editio latina habet, quòd corvus à Noe dimissus egrediebatur, et non revertebatur. Sic Hieronymus habet in dialogo contrà Luciferianos, et in epistolà ad Oceanum; sic Cyprianus in epistolà ad Novatianum hæreticum, *quòd lapsis est non est spes veniæ deneganda;* sic Ambrosius de Noe et Arcâ, cap. 17; sic Augustinus, tractatu sexto in Joannem; sic Isidorus et Chrysostomus in Commentariis super Genesim; sic Eusebius in Chron.; sic breviter omnes doctores catholici tàm græci, quàm latini, tùm vetusti, tùm juniores ex 70 Interpretibus habuère. Contrà nunc Judæi legunt, corvum egredi et reverti, quos sequuntur novi interpretes lutherani, Pelicanus et Munsterus. Quibus ergò putas potiùs credendum esse? Nùm Judæis, hostibus Christi? Nùm hæreticis, inimicis Ecclesiæ? Nonne magis septuaginta Interpretibus? Nonne magis Hieronymo? Nonne magis sanctis antiquis viris ecclesiasticis? qui omnes inter se concinentes eadem asserere nullo modo possent, nisi uno divino spiritu continerentur. Symmachi, Theodotionis, Aquilæ translationes, quòd vel Judaismo infecti, vel hæreseos notâ essent infames, parùm auctoritatis habere Hieronymus non semel testatur. Irenæus etiam apud Euseb. lib. 5 eccles. Hist. cap. 8, hoc argumento Theodotionis et Aquilæ translationem infirmat, quòd Judæi essent ambo, et proselyti, eosque Ebionitæ sequerentur. Et nos Judæos atque hæreticos Judæorum interpretes, et in errore socios admittemus? itàne omnia exemplaria nostra tàm græca, quàm latina, tàm antiqua, quàm nova à librariis corrupta sunt, sicque mille annis permanserunt? minimè verò gentium. Quòd si recentiores aliud sentiunt, quàm veteres Hebræi, quis non malit veterum sententiæ subscribere, quàm horum magis adhærere? præsertìm cùm tot exiliis agitati, tantàque cæcitate sint percussi, ut amissâ suæ linguæ et omnium bonarum disciplinarum cognitione, nullam in Deum fidem, hominum verò vix communem sensum obtineant. Quo loco mirari satis non possum, Augustinum Eugubinum, virum alioqui egregiè doctum et pium, maluisse Judæis et hæreticis, quàm catholicis consentire (1). Nam Cajetanus eisdem semper vestigiis inhærendo, per omnia in veteri Testamento hebraicos, in novo græcos codices prorsùs amplectitur, vix ullà latini interpretis habitâ ratione. Non est autem vel à seipso admonitus, qui cùm in Luc. cap. 3 scriberet, consentaneum rationi esse dixit, ut potiùs novi textus hebræi manci

(1) Pagninus quoque Judæos novos secutus est.

et corrupti sint, quàm ut 70 Interpretes, viri boni et insignes, studuerint commento et mendacio fingendo. Hoc nimirum apud viros doctos vehemens idoneaque ratio est. Nam quas illi ratiunculas addunt ad compurgandam incredibilem novitatem, non est quidem diei hujusque refutare. Satis enim modò est, adversarios suis quoque argumentis refellere : quoniam his de gradu dejectis, abundè sententiæ nostræ veritas comprobatur. Ut igitur eò, undè digressa est, recurrat oratio, si vocetur in quæstionem, an corvus reversus fuerit ad Arcam, rogo, an impunè liberèque à Catholico negari possit, etiamsi in hebraicis omnibus exemplaribus (quod illi dicunt) contrarium habeatur. Si negari potest, profectò evicimus hebraica exemplaria nec firma, nec apta esse ad catholicas controversias finiendas. Si non potest, jam dicito, si ità libet, nec Hieronymum, nec Ambrosium, nec Cyprianum, nec Augustinum, nec Chrysostomum, nec reliquos hujus ordinis viros catholicos esse, nos verò hæreticos etiam dicito : corvum namque ad arcam reversum inficiamur. Hoc dicere quoniam insolentissimæ vesaniæ est, illud dicamus potiùs, Hebræorum nova ista exemplaria in theologiæ quæstionibus nihil virium habere ad faciendam fidem.

Præterea magna est dissensio sæpenumerò græcorum codicum, qui nunc habentur in manibus ; undè et qui nostris temporibus ad græca dicunt se expendere latina, haud rarò inter se dissident, non in verbis modò, sed in sententiis quoque. Quid, quòd interim eadem exemplaria novi isti interpretes non eodem sensu interpretantur? Nam versum quartum Psalmi 109, aliter Lutherus, aliter Pomeranus, aliter Pelicanus, aliter Bucerus, aliter Munsterus, aliter Zuinglius, aliter Felix, aliter Pagninus duxerunt, ut jam mihi videantur Theodotionis, Symmachi, Aquilæ, Quinta, item Sexta et Septima editio, ac Vulgata quoque Septuaginta numero paucissimæ, si ad horum innumeras conferantur. Quid, quòd Erasmo cum seipso non convenit? Exstat enim Quinta, exstaret et Sexta editio, nisi aut inconstantiæ notam inurendam sibi metuisset, vel morte fuisset interceptus. At certè hæc varietas versionum semper fuit hæreticis quasi gentilis et propria. Id enim Artemonitis olim à viris ecclesiasticis objectum est, quòd ne ipsa quidem exemplaria sibi ipsis concordarent, si priora cum posterioribus conferrent : « Semper, inquit Eusebius, Hist. eccles. lib. « 5, cap. ult., emendant, quibus semper displicet quod « emendant, et nova quæque perquirunt, cùm eis, quæ « in usu sunt, videbuntur adversa. » Et Lutherus primum quidem novi Testamenti veterem editionem germanicà suà versione mutavit, quò persuaderet, populo scilicet, majores nostros usque ad id temporis verum Bibliorum textum non habuisse. Ipse tamen idem non post multos annos suam editionem ità correxit, ut ex solo Matthæi Evangelio annotaverint viri docti triginta, et eo ampliùs locos immutatos. Itaque homines leves non tam ex fontibus sacras litteras vertunt, quàm circà fontes ipsi vertuntur, doctrinisque variis et peregrinis abducti, parvuli fluctuant, et circumferuntur omni vento doctrinæ. Et reverà, cùm novitas quælibet quasi novus ventus ebullit, statìm cernitur frumentorum gravitas, et levitas palearum ; tunc sine magno molimine id excutitur ab areà, quod nullo pondere intrà aream tenebatur. Quorsùm hæc, inquies, tàm longo repetita principio? Nempè, ut intelligamus, novitios istos interpretes, vel exemplarium, vel interpretationum discrepantià, varietatem in Ecclesiam inducere magnoperè suspectam, et piis omninò mentibus formidandam. Ac novitas ipsa quidem primùm timenda est, quæ sine reipublicæ perturbatione esse non potest ; ob eam causam Hebræis regem petentibus, si Gregorio credimus, Dominus succensuit, quòd omnem in republicà novitatem habeat exosam. Metuenda quoque rerum mutatio est; nam et parva momenta tantùm valent ad communem statum civium perturbandum, ut mutatis, quod Plato ait apud Ciceronem, 2 de Legib., musicæ modis, et reipublicæ morumque necesse sit mutationem fieri. Quamobrem qui gravissimos legis divinæ modos novis aliis, acutis illis fortassè quidem, sed levibus tamen commutare pergunt, videant illi, ne religionis cæremonias, sacramenta, sacerdotium, versionum prætextu, simul invertant. Adeò hæc enim inter se connexa copulataque sunt, ut ex his nullum à cæteris nec divelli, nec distrahi possit. Ità qui unum horum quodlibet versàrit, reliqua etiam verset oportet ; id quod Lutheranorum exemplo didicimus, qui novis inventis universa illa pariter mutaverunt. Porrò autem varietatem, ut antè dixi, ac multò etiam magis respuere ac formidare debemus, quæ nimirùm constantiæ atque unitatis inimica est. Quas Ecclesia virtutes habere nequit, si Scripturæ non est unitas eadem et consensus. Quâ in parte feliciora nostra secula sunt, quàm antiqua. Nam olìm tot penè vulgabantur exemplaria, quot codices. At verò nunc sancti Spiritûs sine dubio peculiari providentià, Damasi sollicitudine, Hieronymi summis laboribus, Ecclesia sancta concordem Scripturarum unitatem accepit ; omnisque sublata de medio varietas est, unicà latinà editione omnium consensione receptà. Quapropter, qui ad græca exemplaria nos revocant, eamdem varietatem inferre volunt, à quâ olìm Hieronymus libros nostros asseruit, imò eamdem falsitatem, à quâ ille codices nostros expurgavit. Nam varietas codicum facilis depravationis occasio esse solet. Atque ut nulla depravatio sit, ipsa tamen varietas noxia est. Nec enim potest unquàm verum asseri, quod diversum est, ut Hieronymus ad Domnionem et Rogatianum scripsit, et ad Damasum : « Verum, inquit, non « esse quod variat, etiam maledicorum testimonio « comprobatur. Si enim latinis, ait, exemplaribus fides « est adhibenda, respondeant ii, quibus tot sunt exemplaria penè, quot codices. » Varietas igitur exemplarium latinorum, quæ tunc erat, fidem ejusmodi exemplaribus derogabat. Atque hujus quidem argumenti tanta vis et efficacia fuit, ut vel refractariam illam Lutheri procacitatem retuderit. Is quidem, referente Cochlæo in libro de canonicæ Scripturæ auctoritate, cap. 11, sic ait : « Si diutiùs steterit mundus, « iterùm erit necessarium, ut propter diversas Scrip-

« turæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem concilii decreta recipiamus. » Providentissimè igitur à sacrâ synodo Tridentinâ constitutum est, ut ex multis latinis editionibus sacrorum librorum, una vetus et vulgata editio, longo tot seculorum usu recepta, in publicis disputationibus pro authenticâ habeatur. Non est itaque nunc temporis in fidei ac morum disceptatione ad hebraica græcave exemplaria provocandum : quippè cùm fidei dogmata per discrepantes aut Hebræorum aut Græcorum codices malè confirmari possint, aut Ecclesiæ unitas contineri.

Atque eisdem ferè argumentis quarta illa postremaque conclusio persuaderi potest. Nec enim sunt Hebræorum aut Græcorum codices modò emendatiores quàm latini; imò plerumque aliter habent, quàm ratio ipsa et veritas postulant; quemadmodùm frater Franciscus Titelmannus et in Collationibus super Epistolam ad Romanos, et in Apologiâ pro veteri interprete doctissimè copiosissimèque disseruit. Undè duo solùm ex innumeris loca desumere placuit, ut in his theologi discant, quàm parùm novis istis interpretibus sit fidendum.

Unus locus est ad Rom. 12. Ubi enim nostra editio habet : *Domino servientes*, novi ferè interpretes reddunt : *Tempori servientes*; et tamen nostra littera præferenda est, quam et olìm græci emendati codices habuêre. Chrysostomus siquidem, et Theophylactus non legunt τῷ καιρῷ δουλεύοντες sed τῷ κυρίῳ. Quam etiam lectionem habuit Origenes. Atque adeò Hieronymus in epistolâ ad Marcellam, cujus initium est : *Post priorem epistolam*, cùm lectionem aliam reprehendisset, asseruit, secundùm græcam veritatem legendum esse : *Domino servientes.*

Alter habetur prioris ad Corinthios cap. 7. Nam ubi nos legimus : *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est*, isti ex græco, ut aiunt, fonte, sic vertunt : *Qui cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori; divisa est uxor et virgo.* Quam posteriorem lectionem D. Hieron. in priori adversùs Jovinianum libro docet, non esse apostolicæ veritatis : quanquàm fatetur se aliquandò illum locum in eum sensum edisseruisse, etc. Sic igitur quædam exemplaria, tùm hebraica, tùm græca, olìm Hieronymus nactus est, multò emendatiora, quàm ea, quibus juniores interpretes et expositores fidem suam alligârunt. Cùmque nobis opponunt codices quosdam antè annos sexcentos aureis litteris descriptos (hos enim fontes appellant), Hieronymus pro nobis illis respondet, inquiens in Præfat. super Job. : « Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgò aiunt, litteris, onera magis exarata, « quàm codices, dummodò mihi meisque permittant « pauperes habere schedulas, et non tàm pulchros codices, quàm emendatos. » Quamobrem hominibus his, qui novandis rebus student, illud sæpè accidit, ut dùm codicum vel hebraicorum vel græcorum, quos penès se habent, exempla sequuntur, nihil aliud agant, quàm ex non correctis emendata corrigere.

Quo quidem in loco Isidorus Clarius ferendus non est, cujus emendatio nihil est aliud, quàm interpretis veteris reprehensio. Pollicetur enim in operis fronte veterem editionem correctam; posteà verò quàm pollicitatione hâc depellit invidiam novitatis, multa inserit, adjicit quædam, nonnulla mutat, ut lector non aliud possit in locis mutatis intelligere, quàm aut veteris interpretis errorem aut veterum codicum depravationem. Quàm bellum erat potiùs novam editionem confiteri, quàm veterem emendatam, ne lectores simplices verbis ambiguis deciperentur. Nota sunt ejusmodi plurima loca apud Isidorum Clarium et in veteri et in novo Testamento; proferremque illa, nisi ad alia properaret oratio. Illud tantùm admoneo, hujusmodi vel mutationes vel detractiones, vel additiones, quæ curiosos homines sæpè delectant, parentibus nostris, si nunc viverent, futuras esse molestissimas. Id quod ex primo libro Historiæ, quam vocant Tripartitam, colligere licet : « Cùm enim, ut ibi dicitur, multi episcopi convenirent, et quidam eorum rogatus esset, ut faceret sermonem populo, vir scilicet eloquio et sapientiâ præditus, ille locus venit in medium : *Tolle lectum tuum, et ambula*, ubì pro *lecto*, *cubile* dixit. Tunc Spiridion, « Cypriorum episcopus, vir sanctissimus, indignatus « in eum, et exsiliens de cathedrâ sacerdotali : *Tu melior es*, inquit, *eo*, *qui lectum dixit, quia ejus verbis uti confunderis?* Hoc autem fecit populo conspiciente, « mediocritatem docens eum, qui eloquii supercilio « præsumebat. Erat enim idoneus ad pudorem incutiendum, cùm esset venerandus, et operibus gloriosus simulque presbyter ævo atque sacerdotis officio. » Quid hic faceret, si Isidori Clarii, quid si Erasmi, quid si Cajetani, quid si reliquorum tàm varias et multas versiones et inversiones audiret? Quo putas animo ferret, cùm in aliis libris, tùm maximè in Davidicis Psalmis, Cajetani lectionem et textum usquè adeò à nostro discrepantem, ut vix possis agnoscere, an idem liber sacer, an alius sit? Quid Hieronymus? Psalmosne ad verbum translatos pateretur, qui in libro de ratione interpretandi, Horatianum præceptum illud : *Nec verbum verbo curabit reddere fidus interpres*, etiam in sacris litteris interpretandis magnoperè commendat? Et in epistolâ ad Augustinum asserit Hieronymus sensuum potiùs veritatem, quàm verborum se ordinem conservâsse; et ad Suniam et Fretellam boni interpretis regulam ponit, ut non verba verbis quasi paria et demensa respondeant, sed sensus sensui. Quid, quod Cicero, in lib. 3 de Finibus, ait verbum è verbo exprimere indisertos interpretes solere? Fallitur ergò præ cæteris Cajetanus, qui hujus præcepti immemor, Psalmorum versionem dùm fidam voluit reddere, reddidit ad Ecclesiæ quidem usum prorsùs inutilem.

CAPUT XIV.

In quo argumenta capitis duodecimi refutantur.

Ac primùm quidem, cùm Hieronymi auctoritas nobis objicitur, haud difficile erit respondere. Duabus enim ex causis tunc erat ad fontes recurrendum; una quòd non tàm turbidi fontes erant, nec primariæ

Scripturarum scaturigines conturbatæ; altera, quòd tunc varietas latinorum codicum et dissonantia magna erat, nec tolli commodè poterat, nisi ad exemplaria græca atque hebraica latina referrentur. Has verò causas fuisse Hieronymo, ut in eam sententiam induceretur, manifestè patet ex procemio super quatuor Evangelistas ad Damasum, et ex epistolâ ad Suniam et Fretellam. At modò cùm exemplarium latinorum una apud omnes concordia sit, potiùs græca variantia per nostram latinam editionem sunt limanda, atque in pristinam unitatem reducenda; saniorisque consilii est, limpidam aquam è lacunulis defæcatis, quàm ex turbato fonte liquorem obscœnum bibere. Porrò, ut ab scholasticâ disputationem interim excurrere, annuente lectore, liceat, nos, qui Abraham secundùm promissionem filii sumus, puteos fodimus in alienâ Palæstinorum regione; at verò Palæstini alienæ felicitati invidentes, puteos inventos conantur obstruere, juxtà Genes., cap. 26. Quos tamen Isaac multâ diligentiâ refodit ac repurgavit, donec aqua viva reperta est. Ibi pastores Geraræ cum pastoribus jurgantur Isaac, dicentes: *Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei Isaac ex eo, quod acciderat, vocavit Calumniam. Profectus indè fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus Latitudo.* Fodit in hunc omninò modum Ecclesia romana atque latina puteos aquarum viventium, hoc est, sacrarum litterarum; invenit autem aquam sapientiæ salutaris; venas vitæ, inquam, invenit, sed in alienâ veluti regione Judæorum et Græcorum. At illi puteos oblimare, obstruereque nituntur; quin etiam jurgantur contrà nos, et inquiunt: *Nostra est aqua;* fons noster est, qui Hebraicus Græcusque non fuerit, in alieno solo fodere non debet. Nostro idiomate, aiunt, locutus est Christus, locuti Prophetæ, Apostoli et Evangelistæ. Vos Latini hospites estis, et has litteras à nobis emendicare debetis; nostrâ operâ, nostrâque castigatione restituendi sunt in genuinam veritatem vestri codices. Sic puteos nostros Judæi hæretici, curiosi novarum rerum amatores, humo opplere contendunt, certantque nobiscum, sed mera calumnia est. Qui enim sunt alieni à corpore, quo pacto illustrabunt ipsum? Qui sensum Christi non habent, quomodò sensa Christi interpretabuntur? Qui adversùm nos pugnant, nùm arma nostra sunt instructuri? nequaquàm. Fodiamus igitur alium puteum, quem Latitudinem nuncupemus: Ecclesiam scilicet longè latèque dispersam, pro quo nulla controversia excitetur. Est enim Ecclesia *columna et firmamentum veritatis*, ait Paulus, 1 ad Tim. 3, 15, est civitas Dei, *quam fluminis impetus lætificat*, Ps. 45. Hæc potavit filios suos mille abhinc annis hujus fluminis aquâ. Hanc nos aquam et probare et tenere debemus, nec alios fontes veritatis exquirere.

Sed prima argumenta vidimus, jam reliqua videamus. Nam, quòd Augustini ac Damasi auctoritas objicitur, post ea, quæ dicta sunt, nihil ponderis habet. Sive enim Augustinum, seu Damasum nobis opponas, de suo tempore ambo loquuntur. Innocentius verò distin. 20, cap. *De quibus*, quem nonnulli etiam nobis adversum esse volunt, quid sibi velit, equidem non intelligo, nisi locus depravatus sit. Existimo enim non græca, sed canonica esse legendum. De quâ re alio libro fortassè latiùs.

Nam illud quidem, quod Erasmus gravissimè urgere existimavit, levissimum est. Multa siquidem, quæ Hieronymus primùm et in novi Testamenti editione veteri et translatione 70 errata esse crediderat, ea post, majori diligentiâ perpendens, aut etiam vel ab amicis, vel certè ab inimicis admonitus, comperit non esse corrigenda: id quod Franciscus Titelmannus in Apologiâ declaravit. Certè Hieronymus in hebraicis Quæstionibus, 70 Interpretes notat, quòd contrà hebraicam veritatem pro *amico*, *opilionem* verterint. Et ipse tamen posteà 70 secutus est. Nec me præterit Augustini Eugubini sententia, sed eam esse commentitiam patet. Quid enim ineptius dici potest, quàm 70 Interpretum errorem vitio librariorum in Hieronymi editionem irrepsisse? Quid rursùm improbabilius, quàm 70 Interpretes, viros clarissimos, in re apertissimâ, quæ vel vulgo facilis erat, fuisse allucinatos? Jam verò quàm indignè à Laurentio, Fabro, Erasmo vetus editio passìm reprehendatur, in unâ Ep. ad Romanos, Franciscus Titelmannus liquidò ostendit. Ex quâ re satis intelligitur, quantùm fidei Aristarchis istis sit habendum.

At illud primum, quo falsitatis nostra vetus editio insimulatur, Osiandri est in Harmoniâ Evang. argumentum. Atque eamdem antè notam veteri interpreti inusserant Nicolaus Lyranus, Judicum 10, et Burg. Num. 36. Sed Hieronymus secutus est 70. Quibus consentiunt Damasc. lib. 4, cap. 15, Euseb., lib. 1 Eccl. Hist., cap. 6, Epiphan. Hæres. 78, Ambr. lib. 3 comment. in Lucam, Nicephor. libr. 1, cap. 11; Beda lib. 1 in Lucam, cap. 10. Quorum libentiùs ego æmulor negligentiam, quàm istorum obscuram diligentiam. Igitur, cùm in lege ratio finis habeatur, lex intelligenda est de feminis illis, quæ ex defectu masculorum paternam hæreditatem sortiuntur. Quæ causa fuit D. Thomæ 1-2, q. 105, art. 2, ad secundum, et 4 Sent. dist. 30, q. 2, art. 1, q. 3, ad quartum, ut filiabus Aaron liberum matrimonium concederet; in quibus scilicet ratio hujus legis deerat. Et Levitici 21, jubetur pontifex ducere uxorem virginem è populo suo, non de familiâ aut tribu suâ. Et Judicum 10, constat, Tholaa et Abimelech consanguineos fuisse, quorum alter fuit ex tribu Issachar, alter ex tribu Manasses. Et vir Levites de sorte Ephraim uxorem duxit de tribu Judâ, Judic. 19, Josephus, libro quinto Annal., cap. 6. Non ergò falsa est editio nostra, sed est tamen littera sanè interpretanda. Quid ergò (nam hoc dicet aliquis) pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usquè ad Joseph? Certè pertinet multùm. Nam quandò Evangelista scribebat, Judæis erat exploratum, Joseph ex eâdem tribu esse; ideò enim ambo in Bethlehem censentur, ut de unâ videlicet stirpe generati. At beatam Virginem nullos fratres habuisse, historiæ omnes consentiunt. Itaque viro contribuli nupserat. Quod ergò populo tunc judaico notum erat, non erat opus, ut Evangelista scriberet; id

docuit, Joseph à David descendisse. Quâ unâ re et servavit consuetudinem Scripturarum, quâ mulierum in generationibus ordo non texitur, et verè docuit id, de quo poterat esse controversia. Nam quòd Maria ex eâdem familiâ esset, quod eo tempore plebi notissimum erat, non putavit Evangelista admonendum.

Argumentum etiam alterum ejusdem Osiandri est in Harmon. Evangel. ubi tradit, « Hebræos in dictio« num inflexionibus neutrum genus non habere, ex « quo effici, ut voce masculinâ, vel femininâ pro neu« trâ abutantur. Ut ubi nos dicimus : *Non est bonum « hominem esse solum*, imperitus interpres redderet : « *Non est bonus esse Adam solus.* Ad eumdem quoque « modum, loco ejus, quod Hieronymus vertit : *Parvu« lus es*, perspicuè et verè convertendum est : *Parùm « est, ut sis inter chiliarchos, seu principes Judæ.* Cujus « axiomatis causa aptissimè redditur : *Ex te enim*, etc. « Quæ ratio ineptissima est, si ad præcedens pronun« tiatum juxtà Hieronymi versionem accommodetur. « Quòd autem posterius membrum prioris ratio sit, « sermonis natura prodit, sensus communis indicat, « et Spiritus sanctus per os Evangelistæ testatur. » Hactenùs Osiandri verba retulimus. Sed miranda est hæretici insolentis impudentia. Chaldæa paraphrasis, recentiores Judæi omnes, septuaginta Interpretes cum Hieronymo consentiunt, et hic unus sibi solus sapit. Sed cùm hebraicus textus conjunctionem non habeat, potest quidem sic tota oratio accipi, ut secundum membrum causa sit primi. Quem sensum pontifices et scribæ habuerunt, quorum verba, fide quâ oportuit, Matthæus retulit. Potest autem sic etiam accipi, ut posterior pars quasi adversativè intelligatur, quo sensu accepit Hieronymus, ut patet ex commentariis in Michæam. Ac si rem ipsam diligentiùs animadvertas, parùm certè interest, utro modo accipiatur oratio. Quocircà ridiculus est Osiander, qui in re nihili tantas tragœdias excitet.

Illud est facile, quod tertio loco additur. Nam codices 70 Interpretum interrogandi notam habuêre, et ità converterunt : *Numquid irascitur per singulos dies?* Et Augustinus quidem, licèt sine interrogatione legerit, nostrum tamen sensum expressit, inquiens : *Longanimis, et non iram adducens per singulos dies.* Itaque 70 Interpretes optimè sensum illius versiculi videntur expressisse, si antecedentia consequentibus hærere debeant. Quod verò Calvinus, cap. 5 Instit. objicit, frigidum id languidumque est, tùm quoniam, ut quibusdam placet, de amore et odio prædestinationis et reprobationis loquitur Salomon, idque suaderi putant ex eo quod subjungitur : *Sed omnia in futurum servantur incerta;* tùm quoniam secundùm communem legem loquitur, atque ad communem etiam loquendi formam orationem accommodat, quâ cùm ignoret homo an amore dignus sit, verè dicit : *Nescit homo, utrùm odio vel amore dignus sit;* tùm quoniam, ut aliàs in eo libro sæpè, argumentantis locum assumit atque personam, non definientis. Itaque eo capite argumentatur à principio statim, multa mala consequi ex eo, quòd omnia æquè eveniant justis et impiis in hoc mundo. Unum autem ex absurdis, quæ proponit, est, quòd sint in domo Domini servi differentes, alii boni, alii pravi, et tamen Dominus non declaret, quem amet, quem odio prosequatur; sed ità benignè se ergà impium, ut ergà pium gerere videatur; nec minùs gravis et severus sit ergà bonos servos, quàm ergà improbos. Omnia enim bona malaque hujus vitæ utrique sunt communia. Nihil ergò falsi nostra editio continet, sive primum, sive secundum, sive tertium hunc sensum amplectamur.

Nam quod suspicantur quidam, Matth. 24, interpretem falsò pro *fulgore*, *fulgur* reddidisse, ideò, quòd non fulgur exit ab oriente, et protenditur usquè in occidentem, sed fulgor, perridiculum argumentum est. Primùm enim, si quis hoc in loco error inest, hunc non interpretis, sed librariorum fuisse, ad veritatis similitudinem videbatur esse propensius. Voces quippè illæ, *fulgur* et *fulgor*, usquè adeò similes sunt, ut proclive sit unam pro alterâ substituere (1). Quarè parùm æquè ea in interpretem culpa rejicitur, quam librariis assignare æquius erat. Deindè interpretis peccatum hìc nullum omninò esse potuit, ubi græca omnia exemplaria et vetera et nova consentiunt, nec aliud, quàm ἀστραπὴ legunt, quæ utique vox non fulgorem, sed fulgur sonat. Sed ne de fulgore quidem accipi potest, etiamsi græca vox utrumque sonaret. Sol namque paulatim oritur, ejusque adventus diù præsentitur, antequàm appareat. Illius itaque fulgor non inexpectatus advenit. Dominus autem sine dubio significat, adventum suum subitum, et inopinatum fore. Id quod fulguris similitudine aptissimè exprimitur, quod priusquàm expectes, jam emicuit et abiit. Et quanquàm fulgur non pertingit ab oriente usquè in occidentem, si ad philosophiæ rationem expendas, sed ad exprimendum subitum et inexpectatum quidem, sed conspicuum omnium oculis adventum Christi, satis est accommodare id, quod oculis nostris apparet. Alioqui arguatur D. Thomas, quasi perspectivæ facultatis indoctus, qui explicaturus quemadmodùm res divinæ in humanis eluceant, exemplum ponit speculi, in quo, ut ait, rei imago conspicitur: quod licèt reverà ità non sit, nobis tamen ità videtur; quin etiam arguatur Moyses tanquàm astronomiæ imperitus, quòd duo luminaria magna posuit, cùm sint alia multò majora. Sed sensui nostro illa duo maxima apparent : nec alienum est à sacræ Scripturæ auctoribus sese populo rudi attemperare, loquique, ut vulgus solet. Hisce verò rebus exempla plura ego adjungerem, nisi de hoc argumento satis superque esset dictum. Heliu certè juxta hanc rationem illud dixit : *Ab inferioribus egreditur tempestas, et ab arcturo frigus*, Job trigesimo septimo. Similiter Propheta ait : *Qui fundavit terram super aquas;* quasi aquæ inferiores sint, cùm tamen emineant, ut decimo tertio libro ostendemus. Simili quoque lege tres Angeli, qui Patriarchæ apparuerunt,

(1) Origenes à fulgure, de quo primùm locutus est, ad fulgorem deinde labitur. At nec græcum nomen idem utrumque significat, nec voces, quæ Græcis fulgur, fulgoremque designant, similes cognatæque sunt, sed valdè diversæ.

comedisse dicuntur, non quòd reverà comederint, sed quòd comedere visi sint. Quanquàm Justinus figuratè accipit, perindè ut ignis devorare et exedere dicitur, quia consumit. Est autem locus in Dialogo cum Tryphone. Jam verò illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimarent interpretes, non oportere semper easdem omninò res, quæ in hebræo sunt significatæ sermone, in græcum latinumque transferri; sed satis esse quandoque, si proximæ, atque simillimæ ponerentur. Illud enim in sacris etiam litteris convertendis præ se tulerunt, quod de lege interpretandà est à Cicerone dictum, verba non numeranda esse, sed ponderanda, sensumque sensui ità reddendum, ut quoad fieri posset et liceret, verborum quoque interdùm neglectà curà, lectoris intelligentia juvaretur. Id verò tùm vel maximè licere sibi arbitrati sunt, cùm hebræi auctores similitudine unaquàlibet aut animalis, aut arboris, aut fruticis, aut herbæ, aut rei deniquè alius usi essent, quæ esset Græcis ac Latinis incognita; ut Isaiæ, 1, ubi latina editio habet: *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis*, hebraicè habetur *Ela*, quæ vox, si 70 Interpretibus ac Hieronymo etiam ipsi in commentariis credimus, terebinthum magis, quàm quercum sonat. At quia terebinthus est arbor peregrina et incognita, soloque apud Latinos nomine celebrata, non incongruè terebinthi loco, quercus posita est, arbor omnibus et linguis, et gentibus manifesta. Psalmo item 101, pro pelicano, in hebræo habetur *Lika*, pro nictycorace autem *kokom*. Illud alii monedulam, alii onocrotalum, alii pelicanum; hoc partìm bubonem, partìm cuculum, partìm noctuam reddiderunt. Ac 70 Interpretes quidem vocem hebræam, quam Hieronymus in onocrotalum perpetuò vertit, nunc in pelicanum, nunc in avem, nunc etiam in leonem transtulerunt. Nec verò ità id factum est ab illis, quòd voces essent multiplices et ambiguæ, sed quòd cùm apud Hebræos animantium præsertim, plantarumque vocabula penitùs ignorata sint, nihil referre existimàrunt unamquamlibet ex rebus similibus poni, si idem omninò sensus remaneret. Similitudo enim ibi quæritur, in quà res omnes illæ conveniunt, non alia quævis propria, specialisque natura. Quemadmodùm etiam cùm apud Latinos proverbialiter dicitur: *In præsepio canis*, si hispanè quispiam verteret: *En perro del ortolano*, olitoris canis, optimè profectò interpretaretur, quoniam sub re et voce diversà unus idemque sensus esset lectori insinuatus. Quamobrem illa Cajetani religio nimia fuit, qui Isaiæ 1, vocem *ela* noluit in latino exemplari mutari; quasi periculum esset, si aut quercum, aut terebinthum, aut aliam quamvis similem arborem legeremus. Ex eàdem quoque re illorum error coarguitur, qui, quoniam ibi Hieronymus onocrotalum reddit, ibi ferè Septuaginta reddunt pelicanum, eamdem esse avem existimàrunt. In quo errore auctor etiam Commentariorum fuit, quæ Hieronymi titulo in Psalmos circumferuntur. Ea verò divo Hieronymo tribuere, manifestariæ ignorantiæ esse vel ex hoc uno loco apertè convincitur (1). Ait enim hic auctor, pelicanum latinè dici onocrotalum. Ecqua autem ignoratio major esse potest quàm vocem onocrotali latinam existimare? Sed de his hactenùs. Nunc illud etiam atque etiam asserimus, in hujusmodi comparationibus transferendis nihil omninò interesse, an res eædem in easdem, an in similes et proximas convertantur, si sensus non diversus, sed idem est.

Quid quòd cùm Latinis res ipsa hebræa et nomenclatura deest, si interpres ex re agnatà et vicinà rem nobis aliàs incognitam nominavit, nihil prorsùs absurdi fecit? Quin rem tentavit interpretibus universis aut ex auctoritate, aut ex vicinitate concessam, ut aut nomen latinum ad significandum imponeret, aut certè ad rem similem vel proximam insinuandam transferret. Cùm itaque Jonæ cap. 4, alii cucurbitam, alii hederam converterunt, usi sunt illi quidem jure suo, nec verborum religione astricti debuerunt committere, ut illo in loco nullam omninò rem nec Græci intelligerent, nec Latini. Non est autem huic illud dissimile, quod Danielis Prophetiæ objecit Porphyrius, confictam esse scilicet, nec haberi apud Hebræos, sed græci sermonis esse commentum, quia in Susannæ historià contineatur, ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, καὶ ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι. Quam etymologiam græco magis sermoni convenire, quàm hebræo. Cui quoniam id, quod Eusebius, Apollinaris, atque Hieronymus responderunt, ab Ecclesià reprobatum est; multò nos veriùs respondemus, hoc interpretem græcum facere potuisse, aut jure potuisse quidem quod latinus interpres reformidavit. Non enim necesse erat, easdem arbores eo loco reddi, quas lingua haberet hebræa, quoniam si eædem redderentur, non solùm etymologia servari non poterat, sed nec prophetiæ festivitas, nec ratio sententiæ. Alias ergò vel similes, vel proximas vertit, in quibus judicii prophetici et acumen servaretur et causa. Præterquàm quòd arbores illæ à prophetà chaldæo sunt nominatæ sermone; nec opus est, sollicitos nos esse, si in hebræo nec illæ, nec similes habeantur.

Argumentis igitur, quibus editionis nostræ veritas impugnari solet, abundè, nî fallor, responsum est. Quanquàm nonnulla de industrià prætermisi, quæ scilicet faciliora visa sunt, quàm quibus refellendis deberem aut oleum, aut operam consumere. Quale illud est, quod Faber Stabulensis ait, Ecclesiam interpretis errore versatam impiè pro Deo angelos legere. Nam lectionem illam impiam credit: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*. Quà in re quàm indoctè et inconsultè, quàm temerè et insipienter erràrit, non esset difficile ostendere, nisi antè nos Erasmus magnà argumentorum vi eamdem causam evicisset.

Certè interpres Epistolæ ad Hebræos vel Clemens, vel Lucas fuit, quemadmodùm auctores gravissimi prodidère. Horum utrumlibet impietatis insimulare, piaculum erit. Ecclesiam quoque accusare, quæ eam probàrit Epistolam, in quà error impius est, an sine impietate fieri possit, ignoro. Sed de his satis. Jam reliqua persequamur.

(1) Non nego omnia illa esse Hieronymi. Credo enim in quosdam Psalmos eum Commentaria edidisse.

Enimverò, cùm historiam Susannæ post ea tempora ecclesiastici s usus approbârit, et Danielis prophetæ nomine populo legerit, cùmque Tridentinum concilium suâ quoque id definitione firmaverit, ea certè historia nunc à fidelibus recipienda est. Africanus quidem Origeni objecit, quod historia Susannæ ficta videatur, et aliena à scripturâ propheticâ, ut Eusebius testis est, lib. 6, cap. 23. At illi tamen, ut idem Eusebius ait, « Origenes manifestissimè rescribens asserit, nequaquàm Judæorum commentis, et fabulis auscultandum, sed hoc solùm pro vero habendum in Scripturis divinis, quod 70 Interpretes transtulissent; nam id esse solùm, quod auctoritate apostolicâ confirmatum sit. » Hæc Eusebius Idem verò refert Hieronymus in Catalogo de Julio hoc Africano loquens; et Hieronymus ipse, lib. 1 Apol. adversùs Ruffin., quæ in præfationibus dixerat, ea purgat, inquiens : « Quod autem refero, quid adversùs Susannæ historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis draconis fabulas, quæ in volumine hebraico non habentur, Hebræi soleant dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantem probat; non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contrà nos dicerent, explicavi. » Hactenùs Hieronymus.

Ad aliud ergò argumentum, quoniam nolumus esse longi in singulis explicandis, breviter respondetur, eum locum ex priori Epistolâ ad Corinthios bifariàm apud Græcos legi, et, ut vulgata habet editio, in hunc modum : *Omnes quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur.* Cujus rei auctor est Didymus, et Hieronymus in Epistolâ ad Minerium et Alexandrum. Neutra autem lectio à viris Ecclesiæ reprobata est. Quin admonuêre semper, lectionem dubiam et variam esse, nec alterutram ex eis ut certam et exploratam amplexi sunt. Neutram igitur lectionem recipere cogimur, quia neutram partem doctores Ecclesiæ tanquàm exploratam et catholicam asseruêre. Quod idem in aliâ particulâ quâlibet latinæ editionis fieret, si idem penitùs contigisset. At ubi doctores catholici unam et eamdem lectionem sine varietate tenuerunt, nec ancipitem assertionis libravêre sententiam, nobis non licet latinam editionem in quæstionem vertere. Sed ne in hoc quidem loco Erasmi, Fabri et Cajetani sententia probari potest, qui in re, ubi nihil intererat utro modo diceretur, eam lectionem deligere maluerunt, quam novitatis ratio redderet plausibiliorem. Id quod gentile his est, qui curiosa sectari volunt magis, quàm solida. Nos autem Origenem, Didymum, Athanasium, Augustinum, lib. 10 de Civ. Dei, cap. 20, Cyprianum, Tertullianum, communemque Latinorum consensum sequi malumus. Nam et Acacius, Cæsareæ civitatis episcopus, apud Hieronymum, in pluribus græcis exemplaribus lectionem nostram haberi dicit, aliam verò in paucioribus. Nec me tamen illud præterit, quod Chrysostomus et Theophylactus in commentariis, et Hieronymus quoque in Epistolâ quâdam ad Marcellam (cujus initium est : *Magis nos provocas*), scripsêre. Sed, quod antè dixi, me malè habet : in rebus quæ in utramque partem controvertantur, nova delectare theologos magis, quàm vetera, eaque usu parentum nostrorum comprobata. At de quinto argumento satis.

Ad id verò, quod sequitur, hoc habeto responsum. Magnus error eorum est, qui sine Spiritûs sancti peculiari dono Scripturam sacram existimant se posse vel intelligere vel interpretari (1). Quod utique donum quantò magis sacris Litteris intelligendis atque interpretandis opus est, tantò rariùs difficiliùsque contingit. Nam eruditionem, verborum copiam, multarum linguarum peritiam hominum diligentia præstat. At si spiritus quidem peculiaris, non tàm ob ipsius, qui percipit, quàm ob Ecclesiæ utilitatem, gratuitâ Dei miseratione donatus sacrorum librorum interpreti desit, jejuna erunt et frigida omnia, quàmlibet elaborata, et diù antè excogitata et inventa fuerint; imò falsa erunt in interpretatione pleraque humano sensu intelligentiâque traducta. Nam interpretationem Scripturæ prophetiam et inspirationem Dei credit Clemens Alexandr. lib. 1 Strom., et Apostolus in priori ad Corinthios Epistolâ inter reliqua Spiritûs sancti dona commemorat, nec philosophiam, sed prophetiam vocat : videlicet quòd sacris Litteris explicandis eodem Spiritu opus sit, quo ipsæ sunt conditæ, divino utique atque prophetico. Id quod Petrus posteriori suâ Epistolâ, cap. 1, 19, confirmat, inquiens : *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes tanquàm lucernæ lucenti in caliginoso loco; hoc primùm intelligentes, quòd omnis prophetia scripturæ propriâ interpretatione non fit; non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Hoc autem, quemadmodùm antè nos viri clarissimi intellexerunt, eum habet sensum : Benè quidem facitis prophetiis attendentes; sed id primùm intelligite, divinas prophetias humanâ et propriâ interpretatione non intelligi. Spiritu enim sancto locuti sunt sancti Dei homines, et animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritûs Dei. Quis enim cognovit sensum Domini? Atque idipsum Isaias significavit, inquiens, cap. 50, 4 : *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum*; et apud Lucam, ult., 45 : *Aperuit Dominus discipulis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Quo testimonio probat Hilarius in Psal. 115, Scripturarum intelligentiam donum Dei esse. Quòd si Scripturarum intelligentia donum Dei est, Scripturas autem interpretari, nemo, nisi qui intelligit, potest, conficitur utique, sacrarum litterarum in aliam linguam versionem sine Dei peculiari gratiâ nemini posse contingere. Alioqui, si D. Hieronymus sufficere existimat verborum copiam, eloquentiam secularem, trium linguarum peritiam, rerum multijugam cognitionem, cùm his omnibus abundè se noverit instructum, cur in Epistolâ ad Desiderium deprecatur alienarum orationum adjutorium, ut eodem Spiritu, quo scripti sunt libri, in latinum eos possit transferre sermonem? Cur item in Epistolâ ad Paulinum Scripturas sanctas inter-

(1) Jamblicus Pythagoræ doctrinam ait, quoniam divinitùs tradita fuerit, nonnisi quodam deorum interpretante intelligi posse. Itaque invocandum esse Deum à discipulo, cùm deorum auxilio egeat.

pretaturus : « *Revela*, inquit, *oculos meos; et considerabo mirabilia de lege tuâ?* Lex enim spiritualis est, et revelatione opus est, ut intelligatur; » et rursùm : « Quanti, inquit, hodiè putant se nòsse litteras, et tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reserârit, qui habet clavem David? » Et in illud ad Galat. 1 : *Sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi.* « Omnis, ait, qui Evangelium alio interpretatur Spiritu, quàm scriptum est, credentes turbat, et convertit Evangelium Christi, ut id, quod in facie est, post tergum faciat, et ea, quæ post tergum sunt, vertat in faciem. Si quis tantum litteram sequitur, posteriora ponit in faciem; si quis Judæorum interpretationibus acquiescit, post tergum mittit ea, quæ ex naturâ suâ in faciem constituta sunt. » Et posteriùs eodem quoque cap. in illud : *Notum vobis facio Evangelium, quia non est secundum hominem*, et cætera : « Marcion et Basilides, ait, et cæteræ hæreticorum pestes, non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit evangelium quod docetur. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medullâ; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. » Hactenùs Hieronymus, qui si vera dicit, cogit nos profectò credere, aut veterem interpretem Spiritûs sancti peculiari dono sacras Litteras convertisse, aut Ecclesiam latinam multis retrò seculis non Dei habuisse Evangelium, sed hominis. Cùm igitur objicis, interpretem non fuisse prophetam; sanè verò propheta non fuit, habuit tamen (ut Titelmannus rectè asseverat) Spiritum quemdam prophetico vicinum et proximum, qualem necessarium esse ostendimus sacris Litteris interpretandis; imò qualis erat necessarius, ut Ecclesia latina editionem sacrorum librorum haberet, quam tutò in fide et moribus sequeretur (1).

Jam ad postremum argumentum facilè respondemus. Quòd si latinorum ad græca hebraicaque collatio à nobis negligeretur, exemplo D. Ambrosii tueri nos utcumque possemus, qui cùm græcè sciret, et commentarios in sacras Litteras ederet, sæpè tamen non est dignatus græca consulere, etiam ubi diversitatem aliquam lectionis esse constabat. Videre hoc est in Commentariis super caput duodecimum Epistolæ ad Romanos. Quòd si interpretum etiam magis varietate turbaremur, quàm juvaremur, Sophronii nos excusaret exemplum, qui id de se apud Hieronymum in epist. ad Sophronium fatebatur : « Nos verò nec versiones novorum interpretum, nec linguarum peritiam, nec ad Græca et hebraica exemplaria latinorum collationem damnare volumus; quin potiùs magnoperè commendamus. » Nam si Augustinus, de Doctrinâ Chrit. lib. 2, cap. 11, vulgarium etiam et parùm doctorum interpretum versiones plus adjuvare inquit intelligentiam, quàm impedire, ego varias doctissimorum hominum editiones jure reprehendere nec possum, nec debeo. Atque ut invidiam eorum deprecer, qui nos aut miseros et barbaros, bonarumque litterarum expertes, aut etiam laborum alienorum invidos reprehensores calumniari possunt; ego in linguarum cognitione plura etiam commoda ad sacras Litteras intelligendas esse fateor, et id quidem peringenuè, tantùm abest ut linguarum veritiam insecter.

(1) Hæc intellige sanè de merâ assistentiâ Spiritûs sancti, ne interpres Scripturæ sacræ in quemlibet contrà fidem moresve errorem incumberet, invigilantis. P. S.

CAPUT XV.

De linguarum hebraicæ et græcæ utilitate.

Principio enim sunt linguæ utilissimæ, ubi disseritur cum infidelibus; vel etiam ubi infideles alienæ linguæ ad fidem instituuntur. Quæ causa vel sola redditur in illâ Clementinâ 1, *de Magistris*, propter quam linguæ sunt in academiis perdiscendæ. Alioqui, quorsùm attinebat arabica lingua, quæ ibi doceri præcipitur? Quâ de re, leviter motus videtur Erasmus, in Præfat. super Laurentii Annotat., ut Clementinæ hujus argumento assereret, ad sacras litteras intelligendas hebraicam græcamque linguam esse necessarias. Altera linguarum harum commoditas est in his dictionibus explicandis, quæ magnam emphasim habent, aut aliquam innatam proprietatem apud Hebræos et Græcos, quam latinus sermo exprimere non valet. Hujusmodi dictiones multas cùm in hebraicis Quæstionibus, tùm in Commentariis adnotavit Hieronymus. Nos unam aut alteram exempli causâ ponemus. Ut Marc. 6, interpres reddidit : *Et cùm dimisisset eos;* ubi verbum tamen græcum ἀποτάσσεσθαι non significat simpliciter dimittere, sed dimittere benignè ac gratiosè, quemadmodùm amicis, celebrato convivio, benevolè valedicimus. Quâ in re Evangelista græcè scribens, Jesu Christi etiam ergà rusticos summam comitatem et gratiam commendavit. Id quod latinâ voce exprimi vix potest. Et in Epist. ad Ephes., pro eo quod nostra editio habet : *A constitutione mundi*, græcè habetur καταβολή, cujus vocis emphasim Hieronymus in Commentariis explicare volens : « Non idipsum, inquit, καταβολή, quod constitutio sonat; undè et nos propter paupertatem linguæ et rerum novitatem, et (sicut quidam ait) quòd sit Græcorum sermo latior, et lingua felicior, conabimur non tàm verbum transferre è verbo, quod impossibile est, quàm vim verbi quodam explicare circuitu : καταβολὴ propriè dicitur cùm quid deorsùm jacitur, vel cùm aliqua res sumit exordium. Undè et hi, qui ædium futurarum jaciunt fundamenta, καταβεβληκέναι dicuntur. Volens itaque Paulus ostendere, quòd Deus universa sit machinatus ex nihilo, non conditionem, non creaturam atque facturam, sed καταβολήν, id est, initium fundamenti ad eum retulit. » Hactenùs Hieronymus. Et lib. 1 adversùs Jovinianum, tractans illum locum 1 Corinth. 7 : *Non ut laqueum vobis injiciam, sed et proprietatem*, ait : « Græcum latinus sermo non explicat; quibus enim verbis quis possit dicere, » etc.; undè et in latinis codicibus ob translationis difficultatem hoc penitùs non invenitur. Cujusmodi sunt et alia exempla plurima, quæ nos causâ brevitatis omittimus. Legat multa qui volet apud Hilarium in Expositione Psalmorum, pluribus in locis

asserentem (1), latinum sermonem plenam græcæ litteræ intelligentiam non reddere. Ambrosius quoque, in explanatione Psalmi 118, Latinos ait non posse in omnibus vim græci sermonis exprimere, quòd in græco plerumque major sit vis et pompa sermonis. Quà in re plurimùm theologos juvare possent Erasmi in novum Testamentum Annotationes, nisi eas tàm multis erroribus aspersisset.

Est alia quoque utilitas ad accipiendos plures sensus catholicos ex eàdem Scripturà, præsertim cùm apud Græcos et Hebræos est æquivoca. Sic enim dictiones polysemas et ambiguas dialectici nostri vocare solent. Nam interpres unam solam vocabuli significationem reddere potuit. Ut Eccles. 2, ubi nostra editio habet : *Cogitavi abstrahere à vino carnem meam*, alii vertunt : *Trahere in vinum carnem meam;* alii : *Attrahere in vino carnem meam.* Cujus quidem contrariæ omninò versionis contrarius verbi hebraici significatus causa fuit. Quod et Hieronymus ipse in Commentariis admonuit. Atque, lib. 1 Apologiæ adversùs Ruffinum, tractans illud Psal. 2 : *Apprehendite disciplinam,* pro quo ipse interpretatus est : *Adorate filium,* vel etiam : *Adorate purè :* « Nisi, inquit, prolixum esset, et redoleret gloriolam, jam nunc tibi ostenderem quid utilitatis habeat magistrorum limina terere, et artem ab artificibus discere; et videres, quanta sylva sit apud Hebræos ambiguorum nominum atque verborum, quæ res diversæ interpretationi materiam præbuit, dùm unusquisque inter dubia, quod sibi consequentius videtur, hoc transfert. » Hactenùs Hieronymus. Ambrosium item vide, in Psal. 2, de verbo, *beresith.* Ambiguitas etiam in alienâ linguâ festivum quandoque vocis usum lusumque præbet, qui in nostrâ non solùm conservari nequit, sed ne sensum quidem germanum sine magnâ licentiâ reddit. Ut Jerem. cap. 1, pro eo, quod nos habemus, *vigilantem*, in hebræo est vocabulum, *soced*, quod ambiguum est, nucemque et vigilias significat; ut Hieronymus ibidem et in Ecclesiastis cap. ult. disserit. Cùm itaque Prophetæ in visione virga nucea seu amygdalina fuisset ostensa, rogatus à Domino quid videret, hebræâ linguâ virgam, *soced*, se videre respondit. Tunc ergò Dominus sermonis occasione ludens : *Benè*, inquit, *vidisti, quia vigilabo ego*, etc. Ità quanquàm Jeremias in unâ significatione nomen acceperit, at Dominus ad alteram flectens, fecit ex sermonis ambiguitate concentum sententiæ elegantissimum, ut si sidus quoddam cœleste quis videns, canem se videre diceret, scitè illi diceretur : *Benè vidisti, canis enim lacerabit te*, etc. Jam verò si interpres latinus *soced* in nucem transtulisset, quod 70 fecerant, absurdè sanè subjungeretur : *Benè vidisti, quia vigilabo*, etc.; undè coactus fuit novâ quâdam insolitâque interpretandi licentiâ, *virgam vigilantem* latinis auribus reddere. Quæ ego asserere non auderem, nisi auctor gravissimus Hieronymus, in 12 cap. Eccles., et in 21 cap. Jeremiæ astruxisset.

Quarta utilitas in linguarum eruditione est ad cognoscenda idiomata, phrases et proverbia linguæ alienæ, ut sunt illa Gen. 19, 17 : *Ne respicias post tergum;* et Luc. 10, 4 : *Neminem salutaveritis in viâ;* quibus maxima quædam itineris celeritas quasi proverbialiter et figuratè significatur. Illud etiam per proverbialem figuram apud Hebræos atque Hispanos dicitur (1) : *Omni habenti dabitur; ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferetur ab eo.* Sic apud Ecclesiasticum, cap. 37, 9, de consiliario infido et traditore dicitur : *A consiliario serva animam tuam, ne fortè mittat sudem in terrâ, et dicat tibi : Bona est et via tua.* Sic hebræâ phrasi, *filii excussorum* robusti et expediti dicuntur. Quâ de re Hieronym. lege in Epistolâ ad Marcellam, cujus initium : *Beatus Pamphilus.* Sic *filiæ carminis,* Eccles. 22, *aures* intelliguntur. Sic Saül *filius unius anni* dicitur, cùm regnare cœpisset, id est, *innocens.* Nisi (quod Eucherio visum est) ità intelligas, Saülem electum à Samuele uno anno domi latuisse, et expleto anno cœpisse regnare. Sed de hoc exemplo aliàs. Nam vitio scribentium fortè, pro 21 anni, unius anni inducitur. Sic Nembrod, *robustus venator coràm Domino*, id est, sub cœlo, quasi robustissimus omnium hominum, qui sub cœlo erant. Scio quosdam ità interpretari, ut venator coràm Domino dictus sit, quasi *Dei venator :* quo significaretur civilem unius monarchiæ potestatem vindictam, esse à Deo approbatam, ut quæ Dei administra sit. Sed id, quod priùs dixi, Hebræorum doctissimis placet. Vel certè venator coràm Deo vocatur, id est, sub dio. Homines enim ferarum more palantes in agris ad civilem societatem coegit.

Sic pluisse Dominum à Domino, Hebraismum esse quidam existimant, id est, desuper : sed *Filium à Patre* intelligunt Euseb. lib. 1 Ecclesiast. Hist., cap. 1; Hieronym. Oseæ 1; Irenæus lib. 3, cap. 6; Basilius lib. 5 contrà Eunom.; Marcellinus ad Salomonem episcopum; concil. Sirmiens. canon. 15. Ac certè, ut alios libros veteris Testamenti prætermittamus, Salomonis Proverbia, nisi habità ratione hebraicæ consuetudinis et sermonis, vix ullo pacto explicari queunt. Nam quod apud Hebræos proverbiali figurâ dicitur, id apud Latinos nullum quandoque proverbium est; quod plerique ignorantes, in Proverbiorum expositione, aut ad allegorias confugiunt, aut varia etiam deliramenta confingunt; multòque meliùs fuerat, simpliciter inscitiam confiteri, quàm imperitiæ suæ alios hæredes facere. Horum ego Latinorum errata facilè commemorarem, nisi aliud hujus temporis ratio postularet; et nos aut reverentiæ, aut benevolentiæ causà neminem hìc certo nomine volumus lacerare. Illud constat, Parabolas aliud in medullâ, aliud in superficie polliceri, neque hoc sonare, quod scriptum est. Ex quo, ut Hieronym. in Ecclesiast. cap. ult. ait, manifestum fit, Proverbiorum librum non, ut simplices arbitrantur, pa-

(1) In Ps. 65, in illum versum Psalmi 118 : *Omnis consummationis vidi finem;* et in illum : *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatâsti cor meum;* et in illum : *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.*

(1) Hispanè : *No sees ogdoni visto :* id est, nullam moram facias. *Al rico todos le dan*, etc., *al pobre aun lo que tiene le quitan. Habla con vos y coge piedras con los pies.*

tentia habere præcepta, sed quasi in terrâ aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castaneorum operculis absconditus fructus inquiritur, ità in eis divinum sensum altiùs perscrutandum. Id quod sine hebrææ linguæ peritiâ difficulter, ne quid ampliùs dicam, faciemus. Juvaret autem Hieronymus vehementer latinam intelligentiam, si Commentarios in libros Proverbiorum edidisset. Nam, qui circumferuntur, quanquàm Hieronymo in Decretali tit. *de Constit.* tribuuntur, Hieronymi tamen non esse liquidò deprehenditur.

Quinta commoditas est ad menda ea corrigenda, quæ ex incuriâ videlicet typographorum, aut eorum qui exscripsère imperitiâ obrepserunt, ut Josue cap. 11 : *Non fuit civitas, quæ se non traderet* : ubi secunda negatio superfluit, ut ex consequentibus manifestè colligitur. Sed quia fortassè 70 Interpretes negationem illam in exemplari habuerunt, coacti sunt verbum, *tradidit*, ad suppositum aliud referre, et pronomen *se* vel expungere, vel omittere. Item Psal. 2 : *Ut videam voluntatem Domini*, pro, *voluptatem*, græcè τερπνότητα ; et in tit. Psal. 62 : *Idumææ*, pro, *Judææ*, ut græca omnia hebræaque exemplaria demonstrant. Et Psal. 65 : *Et exultavi sub lingua meâ*, pro *exaltavi*, id quod tàm ex græcis quàm ex hebræis manifestum est. Sunt qui putent, etiam subesse mendum Psal. 19 : *Ipsi obligati sunt, et ceciderunt*, pro, *obliquati sunt* : sic enim Hieronymus vertit, *incurvati sunt*, et consentiunt cæteri interpretes. Ac Psalm. rursùm 124 : *Declinantes autem in obligationes*, pro *obliquationes*, Hieronymus reddidit *pravitates*; Felix *perversa*; alii *iniquitates*. Consentit hìc Titelmannus. Verùm hæc duo loca incorrupta sunt. In priore siquidem græcè habetur, συνεποδίσθησαν. Συμποδίζω autem est, obligo, nexus impedio et implico. In posteriore verò græcè legimus στραγγαλιάς, quæ vox Latinis est obligatio, nodus et nexus implicatus, quemadmodùm et Nazianzenus in Orat. usurpavit. Ac Hieronym., in Isaiæ cap. 58, obligationes nobiscum legit. Undè et nodus gutturis, et locus strangulationis, στραγγαλιὰ Græcis dicitur, et στραγγαλόω, strangulo, suffoco. Illud sanè corruptum est in Psalm. 106 : *Effusa est contentio super principes*, pro *contemptio*, græcè, ἐξουδένωσις. Quam eamdem vocem, Psalm. 122, in *despectionem* vertit interpres. Ruffinus autem lib. 8 Hist. Eccl., cap. 1, illud ità convertit : *Effusa est contumelia super principes*. Et Job. 19 : *Vel celtè sculpantur in silice*, pro *certè*, Job 12 ; et Lucæ 10, *suspiciens*, pro *suscipiens*, ὑπολαβὼν, tametsi auctor libelli de verâ et falsâ Pœnitentiâ, qui nomine Augustini circumfertur, communem errorem secutus est ; et Lucæ 15 : *Evertit*, pro *everrit*, σαροῖ ; et primæ ad Corinthios 2 : *Spiritualiter examinatur*, pro *examinantur*, ἀνακρίνεται, et capitulo 10 : *Omnes, qui de uno pane*, pro, *omnes quidem* ; et cap. 15 : *Quotidiè morior propter gloriam vestram*, pro *per gloriam*. Jurat quippè ibidem Apostolus, et particula νὴ adverbium jurantis est apud Græcos. Et ad Hebræos cap. 5 : *Interpretabilis sermo*, pro *ininterpretabilis*, hoc est, ineffabilis, explicatuque difficillimus, quemadmodùm ex Hieronymo in Epist. ad Evagrium liquet. Atque idem Hieron. in Quæstion. Hebr. Genes. 3, legendum ait : *Ipse conteret caput tuum*, non *ipsa*. Cùm enim apud Hebræos neutro genere ad semen referatur, interpres rem significatam perpendens, in masculino genere transtulit, *ipse*. Quod imperiti non intelligentes, vitiumque scriptoris existimantes, substituerunt *ipsa*. Ut illa prætereamus, quæ Augustinus Eugubinus commemorat : *Sicut cervus desiderat umbram*, Job 2. 7, pro *servus*; et, *solis ardore*, Deuter. 27, 25, pro *salis*; et, *sitivit anima mea ad Deum fontem*, Psalm. 41, 3, pro *fortem*; et, *interfecta est terra à sanguinibus*, pro *infecta*. Nam et Psalm. 10, pro eo, quod nos habemus : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*, divus Hieronym. legendum credit, *anima sua*, hoc est, ipsius : refertur enim *anima sua* ad Deum, non ad peccatorem. Sensus autem mirificè convenit, ut Deus scilicet intelligatur utrumque quidem interrogare, et justum et impium, sed impium tamen reprobare ; odium enim Dei reprobatio est. Nos autem græca 70 Interpretum exemplaria, quæ nunc quidem extant, sequi possumus. Non enim illa habent τῆς ψυχῆς, sed τὴν ψυχήν. Atque fortassis hìnc illud apud Tobiam acceptum est, cap. 12, 10 : *Qui autem faciunt iniquitatem, hostes sunt animæ suæ*. Similiter et in Epistolâ ad Suniam et Fretellam, pro eo, quod in Psalm. 5 legitur : *Dirige in conspectu tuo viam meam*, legendum contendit : *Dirige in conspectu meo vitam tuam*. Sic enim ipse verterat : *Dirige antè faciem meam viam tuam*. At in hoc etiam nos Græcorum exemplaria sequimur, et vulgatam lectionem, cùm fieri sanè potest, approbamus. Simile illud est ad Philippenses 3 : *Qui spiritu Deo servimus*, ubi *spiritui* legendum esse credidit Ambrosius lib. 2 de Spiritu sancto, cap. 6. Nec solùm in latinâ linguâ hujusmodi errores accidunt, sed eos etiam in hebraicâ et græcâ deprehendimus. Deprehendit Cajetanus, ac verè ille, meo judicio quidem, 2 Regum 21, vocem *Michol* falsò ab Hebræis pro *Merob* fuisse substitutam, ut patet 1 Reg. 12. Deprehendit quoque Hieronym. in Psalm. 131, septuaginta Interpretes non χήραν, id est, *viduam*, sed θήραν, id est, *venationem* transtulisse, sed propter vocum similitudinem pro, θήρᾳ, id est, *venatione*, χήραν, id est, *viduam*, esse suppositam, maximè quia in sequenti versiculo *pauperes* sequebantur. Nisi fortè Latinus interpres *victum*, aut *venationem* reddidit, et error obtinuit, ut *vidua* legeretur. Nam vox hebraica nullo modo viduam, sed venationem, victum, viaticumque significat. Hujusmodi menda gravi ratione, prudentique consilio corrigi possunt. Nam illos quis ferat, qui sicut est apud Quintilianum, dùm librariorum insectantur inscitiam, produnt suam, et dùm libros sacros mendis (ut aiunt) scatentes purgare volunt, contaminant? Fateor siquidem proclive fuisse et facile indocto et negligenti librario, præsertìm in verborum et rerum nonnullâ similitudine, ea quæ recta erant, explodere, et quæ erant depravata, substituere ; fateor etiam, tantam fuisse olìm in sacras Litteras reverentiam, ut, quæ menda quàmlibet dilucida semel irrepserant, religio fuerit attingere ; sed video quoque hujus temporis improbam temeritatem, quæ adeò nihil non audet sacris

codicibus corrigendis, ut Manichæi olim parùm in hàc re immodesti fuisse videantur, quos August. ad Hieron. scribit de Doctr. Christ. c. 12, multa divinarum Scripturarum loca vitiata esse contendere solitos, non ab scribentibus Apostolis, sed à quibusdam (nescio quos) codicum depravatoribus. Verùm hæc hactenùs, vid. August. de Bono persev. c. 11. Illud tamen non est prætereundum, quod D. Hieron. in 40 c. Ezechielis scribit, omnia propè verba hebraica et nomina, quæ in latinà translatione sunt posita, nimià esse vetustate corrupta scriptorumque vitio depravata. Ut igitur hæc emendentur, hebraicæ linguæ cognitio necessaria est. Nam etsi nomina adhùc integra et illibata manerent omnia, sed ipsæ tamen nominum interpretationes, quibus multa Scripturæ sacræ mysteria aperiuntur, sine hujus linguæ peritià non habentur, ut August. 2 de Doct. Christ. cap. 16, auctor est. Quo etiam loco illud agnoscit, non parùm beneficii eos latinis hominibus contulisse, qui hebraica nomina separatim interpretati sunt.

Sexta utilitas fuerit ad intelligenda quædam loca, scilicet quæ vel apertiùs ab interprete reddi poterant, vel etiam quæ sine linguarum cognitione nequeunt explicari, ut apud Joannem, cap. 4, 46 : *Erat quidam regulus*, pro quo græcè, βασιλικός, hoc est, de aulà regià, seu palatinus, ut Hieron. in Isaiam, cap. 65, annotavit. Videtur interpres græcè legisse, βασιλίσκος. Græca verò exemplaria habent omnia βασιλικός, id est, regalis seu regius. Quà ex re conjectura fit, interpretem *regalem* vertisse, sed à sciolo *regulum* esse suppositum. Et Joannis primo : *Qui post me venturus est, antè me factus est*, quod evidentiùs verteretur : *Mihi præpositus*, seu *antè latus est*, ut August. super Numeros, quæst. 51, et super Joannem homil. 3, subnotavit : et Actor. 27 : *Cùm non esset tuta navigatio, eò quòd jejunium jam præteriisset*, pro *eò quòd ultrà tempus sustinuissent inediam*; et ad Rom. 12 : *Non vosmetipsos defendentes*, pro *ulciscentes*. Nam numerum bestiæ, qui Apoc. c. 13 scribitur, sine alphabeti, secundùm ordinem arithmeticum, intelligentià, aut vix, aut certè nullo modo exponere possumus. De quà re 13° libro (1) fusiùs disseremus.

Septima utilitas, ad evitandum errorem ex latini sermonis amphibologià. Ut, *filius hominis* in Evangelio dicitur Christus, ubi cùm genitivus apud Latinos communis generis sit, apud Græcos articulo masculino definitur : ut non filius virginis, sed filius Adam intelligatur. Filius siquidem hominis juxtà hebraicam phrasim dicitur, ut filius terræ, homo obscurus et contemptibilis : quà utique nomenclaturà Dei Filius identidem in Evangelio gloriatur. Tanta fuit Verbi incarnati modestia! Quanquàm, ut Augustinus ait, commendat Christus frequenter nobis, quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Hujusmodi etiam exemplum est ad Romanos ultimo : *Salutat vos Caius hospes meus, et universæ Ecclesiæ*, ubi, *universæ Ecclesiæ* casus gignendi est, non nominandi, ut Caius intelligatur, non Paulum modò, verùm etiam totam Ecclesiam hospitio excipere. Et Lucæ 11 : *Quod superest, date eleemosynam* : ubi latinus sermo anceps est. Potest

(1) Vide not. in in fine libri 12.

enim intelligi, *quod superest*, pro eo, quod unum illud vobis restat, seu reliquum est : vel, *quod superest*, id est, quod superfluum est. Quam utramque intelligentiam latinus quidem sermo recipit, græcus tamen excludit. Habetur enim τὰ ἐνόντα, id est, quæ insunt, seu quæ habetis, ut et Theophylactus et Cyrillus, lib. 2 in Leviticum, et Augustinus super Psal. 125, et Chrysost., hom. 53 ad populum, et super Epist. ad Hebræos, hom. 9, exponunt. Nam hunc postremum sensum græca lectio habet, primum et secundum non videtur habere, tametsi secundus ille D. Thomæ placuerit, qui quidem in eà re et Bedam sequitur super Lucam, et Gregorium in Epistolà ad Augustinum, Anglorum episcopum, referturque 12, quæst. 1, cap. *Quia tua*.

Alia deniquè utilitas est, ad quædam vocabula vel græca percipienda, quæ in editione latinà remanserunt, vel propter sanctiorem antiquitatis servandam auctoritatem, vel quia in linguam alienam transferri commodè non potuerunt, quod Augustinus lib. 18 de Civitate Dei, c. 11, tradit, ut Matthæi 11 : *Pauperes evangelizantur*, id est, bonum accipiunt nuntium. Cùm enim in humano principatu regum mysteria secreta ad pauperes per divites deriventur, in Christi regno è contrario nuntia cœlestia ad divites per pauperes sunt delata; et 1 ad Corinth. ult. : *Anathema, Maran Atha*, quorum illud prius græcum, hoc posterius non tàm hebræum, quàm syrum est. Quà de re Hieronymus disserit in Epistolà quâdam ad Marcellam, cujus initium est, *Nuper*, et in Epistolà ad Damasum, de verbo *Osanna*, in quà Hilarium notat, quòd ob linguæ hebraicæ imperitiam, verbum illud malè fuerit interpretatus. Sunt et aliæ forsitan in peritià linguarum utilitates. Nec enim ego omnes enumerare potui, sed quæ satis erant, ne hujus rei invidià labefactaretur disputatio mea. Isthæc autem meliùs ab aliis copiosiùsque tradentur, qui linguarum patrocinium fortè susceperint. Quà in causà quæ volent, omnia poterunt dicere, ac nos quidem libenter audiemus, si intrà præscriptos modò religionis modestiæque terminos se contineant; nec aut veras linguarum utilitates fallaci vanitate, aut etiam veterem latini interpretis editionem novis aliis quasi elegantioribus melioribusque permutent. Sunt enim nonnulli, quibus, quoniam novi Testamenti antiqua versio parùm elegans et culta est, placeret maximè, ut, illà submotà, in illius locum latinior alia succederet. Scilicet artis coloribus Dei volunt sapientiam pingere, et quasi puellam rhetorum flosculis exornare. At illa modesta cùm sit, non ambit ornatum; cùm sit gravis, fucum ignorat; cùm virilis, mundo muliebri non capitur. Sine phaleris est, ait quidam, omne quod dictat affectio. Amor itaque phaleras nescit. Dicendi ornamenta, alius inquit, non sunt negotii, sed otii; nec militiæ sunt picta verba, sed quietis. Igitur quæ bellicum canit, quæ exaltat quasi tuba vocem suam, quæ irruentes hostes, mortem præsentem intonat, ea horridum nescio quid et barbaricum sonat : non tanquam lyrà citharàve carmen musicum suavi dulcique sono canit. Quid Theopompo acciderit in Scripturà sacrà rhetorum more ludenti, memoriæ

proditum est, Euseb. de Præparat. evangel. 8, 1. Sed dimittamus externa, ad nostra veniamus. *Non in persuasibilibus*, ait 1 Cor. 2, 4, *humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs et virtutis.* Et rursùm, 1 Tim. 6, 20: *O Timothee*, *devita*, inquit, *profanas vocum novitates.* Si ergò vitanda est vocum etiam novitas, tenenda est antiquitas; et, si profana novitas est, vetustas sacrata est, quemadmodùm Vincent. Lirinens. dixit. Item: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum.* Scilicet ab spiritu puro et simplici pura simplexque oratio expectanda erat. Nec feminam gravem, honestam, seniorem decebat, nisi castus ornatus; vide Aug. lib. de Doct. Christ. 4, cap. 6. Quamobrem, ingenuè dicam: ne illos quidem probare unquàm potui, qui paraphrases quaslibet latinas et elegantes in sacras Litteras ediderunt. Cùm enim personam Christi Paulive loquentis assumunt, quò elegantiùs nitidiùsque eloquuntur, eò minùs illorum spiritum et majestatem servant, atque adeò rei quodam modo fiunt læsi spiritûs et majestatis. Certè, quod olim puer magno assensu virorum sapientium dixit, si aut Christus, aut Paulus, istorum mihi linguâ loquerentur, nec Christus mihi, nec Paulus essent. Non est nitidulus Christus, mihi crede, non est comptulus, non elaboratè ornatus; Paulus verò non scientiâ ille quidem, sed sermone imperitus est tamen. Permitte Christo igitur linguam suam, linguam suam permitte Paulo: utraque enim *calamus est scribæ velociter scribentis,* non ad singula verba et apices elaborantis. Novi ergo Testamenti vetus editio (id namque agebamus), quamvis simplex et inculta sit, non est propter hoc minoris facienda. De tertiâ igitur quæstione satis dictum est.

CAPUT XVI.

Ubi ponuntur argumenta eorum, qui sunt opinati, sacros auctores in libris canonicis non semper divino Spiritu fuisse locutos.

Quartò consequens sit, an auctores sacri in libris canonicis spiritu interdùm humano sine divinâ et supernaturali revelatione loquantur. Fuerunt enim viri ecclesiastici nonnulli (ut Hieronymus in proœmio super Epistolam ad Philemonem testatus est) qui crederent, non semper auctores sacros Spiritum in se loquentem habuisse.

Quia nec humana imbecillitas unum tenorem sancti Spiritûs tàm longo orationis decursu ferre potuisset; nec dignum est, inquiunt, ut ad hujus corpusculi naturales et evidentes necessitates Spiritûs sancti majestatem sine causâ deducamus. Adhibent verò hujus rei exempla ex Epistolâ ad Timotheum 2: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum;* et illud: *Lucas est mecum solus, et Throphimum reliqui infirmum;* et alia hujusmodi, quæ passim in Epistolis Pauli humanitùs scripta inveniuntur. Non igitur scriptores sacri Spiritum sanctum semper manentem et in ipsis loquentem habuère. Nam et hoc Christo Domino peculiare fuit, ut Joannis 1 cap. dicitur: *Super quem videris*, inquit, *Spiritum descendentem, et manentem super eum*, etc. Confirmatur autem idem hoc argumento, maximè quòd sicut Deus non deficit in necessariis, ità non redundat in superfluis, quemadmodùm Aristoteles demonstravit. Ad ea verò, quæ naturali lumine nota erant, non erat supernaturalis revelatio necessaria. Quæ igitur Scriptores sacri viderant, et manibus attrectaverant, non divino lumine infuso, sed humano locuti sunt.

Deindè, Apostolus in priori ad Corinthios Epistolâ quædam ponit, de quibus asserit, quòd Domini sunt mandata. *Præcipio*, inquit, *non ego, sed Dominus.* Mox verò subdit: *Cæteris ego dico, non Dominus.* Quòd si Paulus ex internâ revelatione Spiritûs sancti omnia scriberet, profectò non diceret: *Ego dico, non Dominus;* quoniam ejusmodi consilia, quæ Deo revelante dantur, Domini sunt, quemadmodùm quæ à prophetis per revelationem dicebantur, Dei verba erant. Non enim Propheta asseruisset: *Hoc ego dico, non Dominus.*

Hanc verò argumentationem non leviter, sed haud scio an gravissimè, Basilius confirmat lib. 5 contrà Eunomium, capite penultimo, in hæc verba: « *Quæcumque Spiritus loquitur, Dei verba sunt;* et proptereà omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est, quam locutus est Spiritus. Nam verè id monstrat, Spiritum non esse creaturam; quoniam omnis rationalis creatura est, quando ea, quæ Dei sunt, loquitur, ut cùm dicit Paulus: *De virginibus autem præceptum non habeo, consilium autem do, tanquàm misericordiam consecutus; his autem, qui matrimonio conjuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus.* Et propheta: *O Domine, judicia loquar ad te: Quid, quoniam impii prosperantur?* Et rursùs: *Heu me, mater, ut quid me peperisti?* Nonnunquàm autem dicit: *Hæc dicit Dominus.* Et nonnunquàm Moyses: *Ego sum tenuis voce, et tardæ linguæ.* Aliquandò verò is ipse: *Hæc dicit Dominus, emittas populum meum, ut mihi sacrificet.* Spiritus autem non sic. Non enim aliquandò sua, aliquandò quæ Dei sunt, loquitur (id namque creaturæ est) verùm omnia Spiritûs verba, Dei verba sunt. » Hactenùs Basilius. Sed et Origenes, homiliâ 16 super Numeros (1). « Sermo, ait, qui apud Jonam scriptus est, et non est factus, à Jonâ potiùs, quàm à Deo prolatus esse videtur. Non enim semper ea, quæ per prophetam dicuntur, quasi à Deo dicta suscipiantur oportet. Nam per Moysen multa quidem locutus est Deus, aliquandò tamen et Moyses propriâ auctoritate mandavit. Quod Dominus in Evangeliis evidentissimâ distinctione secernit, cùm dicit de repudio mulieris interrogatus, Matth. 19, 8: *Ad duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic*, etc. Ostendit hæc et Paulus in litteris suis, cùm dicit de quibusdam: *Dominus dicit, et non ego;* et de aliis: *Hæc autem ego dico, non Dominus;* et iterùm in aliis, 1 Cor. 7, 25: *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do;* et iterùm, 2 Cor. 11, 17: *Quæ loquor, non loquor secundùm Deum.* Undè similiter etiam in cæteris Prophetis aliqua quidem Dominus locutus est,

(1) Nititur Origenes illo Deut. testimonio: *Quòd si in nomine Domini propheta quicquam prædixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.*

« et non prophetæ ; alia verò Prophetæ, et non Domi- « nus. » Hactenùs Origenes; qui eamdem quoque sententiam in prooemio Commentariorum in Joannem amplexus est. Et Ambros. lib. 8 in Lucam, c. 60, explicans illud : *Ad duritiam cordis vestri*, etc. : « Ostendit, « ait, locus hic, quæ propter fragilitatem humanam « scripta sunt, non à Deo scripta. Undè et Apostolus : « *Denuntio*, inquit, *non ego, sed Dominus, uxorem à* « *viro non discedere ;* et infrà : *Cæteris*, inquit, *ego* « *dico, non Dominus : Si quis*, etc. Hic Apostolus ne- « gavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque « solvatur. » Tantùm Ambrosius. Cùm igitur Basilius, Ambrosius et Origenes, viri clarissimi, non in eâ modò sententiâ fuerint, verùm etiam Scripturæ sacræ testimoniis confirmaverint, nihil erit absurdi, si nos etiam asseramus, non omnia quæ sacri auctores scripsère, Spiritûs sancti afflatu scripta fuisse.

Adde quòd Apost. in posteriore ad Corinth. Epistolâ cap. 2, 3, affectum se pœnitentiâ dicit, quòd illos prioris Epistolæ reprehensione vexârit. Rei autem semel scriptæ non alium pœnitere potest, nisi eum, qui scribendo crediderit se errâsse. Non igitur Paulus, quæcumque ad Corinthios scripsit, divino ea Spiritu se scripsisse existimavit. Adde rursùm quòd in hâc etiam Epistolâ posteriore, cap. 11, 21 : *In quo quis audet*, inquit, *in insipientiâ dico, audeo et ego. Ministri Christi sunt (ut minùs sapiens dico), plus ego.* At blasphemum est, verba Spiritûs sancti in insipientiâ dicta affirmare. Spiritu igitur hominis Paulus ibidem locutus est. Adde etiam quòd in eâdem Epistolâ, cùm dixisset Apostolus, se plus omnibus laborâsse, correctione mox adhibitâ, docet parùm se cautè fuisse locutum. *Non autem ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum.*

Præterea, si quæcumque Apostoli præscripserunt, ex divinâ auctoritate ac revelatione existunt omnia, certè illud Pauli præceptum, quo jubet, ut episcopus sit unius uxoris vir, divinum esset, non humanum. Ità fieret ut summus pontifex in eo dispensare non posset. Nam, ut Aug. ad Januarium ait, epist. 118, quæ Christus præscripsisset, ea nemo auderet variare. At, ut qui bigamus fuisset, is fieret episcopus, summus pontifex, orbe etiam probante, aliquandò fecit. Non ergò Apostoli decreta omnia Spiritu sancto auctore præscripta sunt.

Matthæus insuper memoriâ lapsus est ; nam pro Zachariâ Jeremiam posuit, 27, 9; et Marcus item, 1, 2, cùm in Isaiâ scriptum affirmet, quod in Malachiâ scriptum est ; et cùm rursùm horâ tertiâ narret Dominum crucifixum, qui horâ ferè sextâ à Pilato judicatus est, ut Joan. c. 19 dicitur. Quâ ex re fit, ut non semper in omnibus Evangelistæ scribenti Spiritus sanctus affuerit.

Præterea, Lucas, capite Evangelii 3, dicit Caïnam filium fuisse Arphaxad, Sale autem filium Caïnam. Constat verò Genes. cap. 11, Sale non Arphaxad nepotem fuisse, sed filium, nullamque inter hos mediam generationem intercessisse. Superflua igitur est in genealogiâ Christi una generatio, atque adeò non est instinctu sancti Spiritus apposita

Lucas deniquè idem Act.. 7, multa refert, quæ Spiritu afflante referri non poterant, ut est illud primum, quòd Joseph accersivit omnem cognationem suam in animabus 75. At benè 46, et Exod. 1, septuaginta solùm animæ enumerantur. Nec verò dici potest, Stephanum Josephi eos etiam filios supputare, qui nati sunt posteà, et per anticipationem aut prolepsim hos cum illis simul 75 dicere. Eos enim Josephus accersire non potuit. Dicit autem Lucas, Joseph 75 animas accersisse. Illud gravius est, quod deindè subjicitur, Jacob et Patriarchas translatos fuisse in Sichem, cùm Josephus, 2 Antiq. lib. c. 8, fratres Joseph affirmet conditos esse in Hebron. Quâ in re non aliud scribere credendum est, quàm quod à majoribus per manus traditum vulgò etiam tenebatur. Præterquàm quòd Lucas hìc apertè dicit, Patriarchas sepultos esse in sepulchro quod emit Abraham. Atqui certum est, Abraham in Hebron emisse sepulchrum, Genes. 23. Tertiùm verò multò difficilius est, quod rursùm addit, Abraham sepulchrum emisse à filiis Emor filii Sichem. Jacob siquidem à filiis Emor partem agri emit, ut Gen. cap. 33 scribitur. Abraham autem non à filiis Emor, sed ab Ephron filio Sohac speluncam emit duplicem, quod Gen. cap. 33 non obscurè traditum est. Quid, quòd Emor Lucas dicit filium fuisse Sichem, cùm Genes. 33, contrà dicatur, Emor patrem Sichem fuisse, non filium? Frustrà ergò, ut videtur, asserimus, nihil in sacris esse libris, quod non idem Spiritûs afflatu scriptum sit. Verùm à contrariâ parte illud facit, quod si in libris canonicis aliqua humano more et spiritu vel scripta, vel commemorata fuissent, nihil obstare videretur, quominùs in iis aliquod mendacium esset. Jam si errorem aliquem in Scripturis sacris agnoscimus, earum auctorem Spiritum sanctum esse quis credet?

CAPUT XVII.

Ubi ostenditur, singulas particulas librorum canonicorum Spiritu sancto assistente scriptas fuisse.

In hâc quæstione et controversiâ non defuisse, qui priorem illam partem amplecterentur, auctor est D. Hieron. in annot. in c. 2 Matth. et 1 Marc., et rursùs in cap. 27 Matth., non in eo solùm loco, quem paulò antè retulimus, sed in commentariis etiam super quintum Michææ caput. Cujus erroris nota Erasmo quoque, ut alios dissimulem, inusta est. Is autem error quàm sit impius, illo primùm argumento demonstro, quòd sacrarum Scripturarum magnâ ex parte labefactatur auctoritas, si hæc opinio vera est. Nam, ut Augustinus ait, epist. 8 et 13 ad Hieron., dist. 9, c. *Si ad Scripturas*, et cap. *Ego solis*, si in sacro quovis libro una quælibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit. Quo uno argumento Augustinus de Consens. Evang. lib. 2, cap. 12, satis ostensum ac patefactum esse credit prophetarum et apostolorum scripta nullam omninò habere falsitatem, non solùm eam, quæ mentiendo promitur, sed ne eam quidem, quæ obliviscendo. Levibus, inquiunt, in rebus, et nihil ad salutem nostram pertinentibus, auctores sacri et fallun-

tur et fallunt. Ea igitur in dubium vocare possumus, quæ maxima et gravissima sunt. Non eadem, aiunt, causa est, quoniam, si Ecclesiam, cujus erudiendæ gratia Spiritum sacri auctores habuère, Spiritus ipse in parvis destituit, non mox destituit in magnis. Consentiunt enim theologi gravissimi, Ecclesiam errare in minimis posse, in maximis non posse. Quid igitur obstat, inquiunt, cur non ad eumdem quoque modum asseramus, Apostolos et Evangelistas in rebus parvi momenti interdùm lapsos, cùm in rebus necessariis lapsi non fuerint? Nam, si superis placet, hujusmodi errores in Apostolis maximè et Evangelistis agnoscunt; quòd si dicimus: Spiritus suggessit Apostolis et Evangelistis omnia, aiunt, non omnia simpliciter, sed quæcumque Christus dixit illis. Hæc autem erant maxima. Si addimus: Docuit Spiritus eos omnem veritatem, respondent, non absolutè omnem quidem, sed quæ esset ad salutem necessaria. Sic elabi conantur isti. Sed frustrà conantur tamen. Principio enim, ecquid, rogo, isti facturi sunt, si cum homine disserant, qui multa Evangeliorum miracula commentitia esse, Evangelistasque, Herodoti, Xenophontis ac Platonis exemplo, confictis narrationibus abusos dicat, aut Christi illustrandi gratiâ, aut fidelium in Christum affectus excitandi? Nempè hoc facere, ut homines, sine Dei Spiritu potuère.

Deinde quàm facile erit cuique res vel graves, vel leves, pro suo arbitratu ingenioque æstimare? Jam hic dicet tibi, tres unius substantiæ prædicari personas leviculum esse, nec ad salutem nostram pertinere; jam contendet alius, duas in Christo et operationes et voluntates è rebus esse non gravibus. Nam et Spiritùs à Patre et Filio procedentis unicum esse principium, tanquàm rem levem quidam contemnendam arbitrabitur. Quin, quòd tertiâ die an quartâ Christus resurrexerit, cùm non valdè ad salutem attineat, pro nihilo quispiam habebit: in his itaque Evangelistas, Apostolos, Prophetas errore labi, allucinari potuisse. Porrò, ut reliquas Scripturæ partes prætereamus, in sacris historiis distingui discernique non posset, quid ex Deo, quid ex homine sit, quid auctor ex revelatione divinâ, quid contrà ex spiritu humano et ingenio proferat. Quocirca fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dùm ignorarent quonam spiritu, hominis, an Dei, unaqualibet chronicorum sanctorum particula fuisset scripta. Quis est autem tàm perfrictæ frontis (ut pro Evangelistis nonnihil humano more loquamur), ut, si quid in publicum scribere velit de rebus, quarum memoria sit recentissima, quasque lectores ferè suis non auribus audierint, sed conspexerint oculis, eas spontè inserat, quæ cùm ad rem nihil faciant, tùm narrationem totam falsam et incertam efficiant? Adeòne stulti erant Evangelistæ, ut ea quæ omittere sine periculo poterant, aut affingerent, aut etiam pro certis assererent cum manifesto discrimine causæ quam persuadendam acceperant? Quòd si tales fuissent, certè Judæi, quibus tanto erant opere invisi, omni vi et arte contenderent, atque adeò efficerent ut hujusmodi vel figmenta vel errata deprehenderentur. Sed humana loquimur. Nam si in subitis concionibus Spiritus sanctus Apostolorum linguas attemperabat, quid in scriptis quæ futura erant æterna? Et si novi Testamenti idonei administri Apostoli et Evangelistæ facti sunt, illorum profectò sufficientia non ex illis, sed ex Deo est; illorum proindè error Dei est, non illorum. Nos enim ab Apostolis Christi Testamentum accepimus; et cùm illos audimus, Christum audimus; cùm eorum Evangelium legimus, Christi legimus Evangelium. At cùm lex Moysis, quod est ministerium mortis, tàm exactâ diligentiâ scripta sit, ut iota unum aut unus apex ex eâ præteriri non possit, multò certè magis Evangelium Christi, quod est ministerium spiritùs ac vitæ, scriptum erit tantâ curâ et Dei assistentis afflatu, ut non modò verbum, sed ne apex quidem nullus sit, qui non sit à Spiritu divino suppeditatus. Quid, quòd Apostolus officiosum mendacium, quodque ad Dei laudem maximè pertinere videretur, penitùs horret, inquiens: *Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra. Invenimur autem et falsi testes Dei; quoniam testimonium diximus adversùs Deum, quòd suscitaverit Christum, quem non suscitavit, si mortui non resurgunt.* Quòd si falsitas hæc, quæ cùm Dei potentiam commendaret, tùm populum in officio contineret, à sacris auctoribus excluditur, certè quæcumque alia ac multò etiam magis rejicitur. Nulla enim in sacris Litteris levis, sed gravis esset, per quam Scripturæ auctoritas elevaretur.

Jam si in hujus rei confirmationem arcanarum litterarum nos testimonia referre velimus, verendum sanè est, ne, qui oppositum errorem tueri cupiunt, illâ se ratione tueantur, quòd auctor Scripturæ sacræ eo etiam loco, qui à nobis affertur, non de spiritu divino, sed de suo fuerit locutus. Ità fieret, ut vix ullum è sacris litteris testimonium adversùm hæreticos firmum esset. Quamobrem hos quidem ab hoc sermone removeamus, qui erroneâ sententiâ omnem Scripturæ et vim minuunt, et elevant auctoritatem. Ipsi verò fateamur singula quæque sive magna, seu parva à sacris auctoribus Spiritu sancto dictante esse edita. Id à Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est; id itaque et nos, Ecclesiâ præsertìm ipsâ magistrâ et duce, retinere debemus.

CAPUT XVIII.

Ubi refelluntur argumenta capitis decimi sexti.

Confirmandæ atque tuendæ veritati ea rationum ac testimoniorum præsidia satis sint, quæ capite superiore sunt posita. Nunc verò argumenta ea confutanda sunt, quibus adversarii contrà pugnàrunt. Atque à primo quidem argumento, quo veritas impugnabatur, facilis est et expedita defensio. Fateor enim, non singulas Scripturæ particulas, ut à sacris auctoribus scriberentur, propriâ et expressâ revelatione indiguisse; sed singulas tamen scriptas ex peculiari Spiritùs sancti instinctu afflatuque, verè et jure contendo. *Ille* (Christus), ait Joan. 14, 26, *vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Aliàs etiam oblita suggeret, aliàs etiam vestris auribus audita sug-

geret, quæ aliàs naturâ sponteque suâ in mentem venire poterant, ea quoque suggeret, non supernaturalia modò, sed et naturalia suggeret, et quæ aliàs humano more scriberentur; *omnia*, inquit, *quæcumque dixi vobis.* Atque Apostolus : *Nos*, ait 1 Cor. 2, 12, *non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis : quæ et loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrinâ Spiritûs, spiritualibus spiritualia comparantes. Spiritualis enim judicat omnia, sicut scriptum est : Quis cognovit sensum Domini? Nos autem sensum Christi habemus.* Eccè Apostoli, in quorum nomine Paulus loquitur, ad doctrinam Spiritûs edendam Spiritum accepêre, per quem in Christi sensu omnia judicabant. Nimirùm animalia illa oculis undique plena ad expressionem quatuor Evangelistarum posita, per scriptores omnes sacros transferre meritò et optimo jure possumus. Nihil ergò auctores sacri cæcis oculis scribebant; sed scribentium calamum Spiritus ipse attemperabat, ne scribendo laberentur. Indè enim, cùm in secundâ ad Cor. Epistolâ, cap. 13, quædam dixisset Apostolus, quæ humano more ab Ecclesiæ præfecto dici possent, subjecit protinùs : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus?* Spiritu igitur sancto inspirati, quasvis Scripturæ partes scripsêre sancti Dei homines. *Nolite*, inquit, Matth., 10, 19, *cogitare, quomodò, aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini.* Quod idem profectò sacris auctoribus præceptum erat, ut non cogitarent scilicet, quomodò aut quid scriberent; dabatur enim illis in illâ horâ quid scriberent. Hoc verò Spiritûs sancti donum toto vitæ decursu non habebant; sed tantisper dùm lingua eorum calamus erat scribæ velociter scribentis. At Christus nullum unquàm verbum locutus est, quod non idem ab Spiritu sancto extiterit. Erat enim, ut scholæ verbis utar, Christi Jesu sacratissima lingua perpetuum divinitatis instrumentum. Et hinc apparet ejus argumenti certa ruina, quo deindè contrariam partem confirmabimus. Non enim asserimus, per immediatam Spiritûs sancti revelationem, quæ quidem propriè revelatio dicenda sit, quamlibet scripturæ sacræ partem fuisse editam. Quin Lucas, quæ ab Apostolis accepit, ea scripto ipse mandavit, ut in Evangelii sui prooemio testatur : et Marcum, quæ à Petro didicerat, rogatum à discipulis scripsisse, auctores sunt Clemens in 6 Dispositionum libro, apud Eusebium, lib. 2 Eccles. Hist. cap. 15; Papias apud eumdem lib. eod. et c., et l. 8, cap. ult., et Orig., lib. 1. Comment. in Matth., eodem Euseb. referente, lib. 6, cap. 18, et Euseb. quoque ipse lib. 3, cap. 4, et Hieronymus, de Viris illustribus, in Marco, et Irenæus, lib. 3 adversùm hæreses, cap. 1. Sive ergò Matthæus et Joannes, sive Marcus et Lucas, quamvis illi visa, hi audita referrent, non egebant quidem novâ Spiritûs sancti revelatione, egebant tamen peculiari Spiritûs sancti directione. Primæ igitur argumentationi hoc modo satisfecerimus.

Secundæ verò sic responsum esto, Paulum Domini seu præceptum, seu consilium eo sanè [illegible] quod Christus Dominus ore proprio vel præcepit in Evangelio, vel consuluit. Nam, quòd consilium suum Paulus Spiritûs sancti consilium existimaret, satis ipse indicat, dicens, 1 Cor. 7, 40 : *Beatior erit, si sic permanserit, secundùm meum consilium : puto autem quòd et ego Spiritum Dei habeam.* Hujus verò argumenti confirmatio ex iis maximè elicitur, quæ primæ sunt argumentationi responsa. Etenim, quæ sacri auctores scripsêre, hæc in duplici sunt differentiâ. Quædam, quæ supernaturali solùm revelatione cognoscebant, et ea Basilius tradit à Spiritu sancto esse; alia verò naturali cognitione tenebant, quæ scilicet aut oculis viderant, aut manibus etiam attrectaverant. Atque hæc quidem, ut paulò antè diximus, supernaturali lumine et expressâ revelatione, ut scriberentur, non egebant, sed egebant tamen Spiritûs sancti præsentiâ et auxilio peculiari, ut, licèt humana essent, et naturæ ratione cognita, divinitùs tamen sine ullo errore scriberentur. Hæc verò illa sunt, quæ juxtà Basilium Paulus et Prophetæ de suo loquebantur. Solent etiam nonnulli veterum Origenis non sententias modò, sed verba referre, non aliter certè accipienda, quàm Origenes ipse acceperit. At Origenes eam rem significavit potiùs quàm asseruit. Nec enim in eâ sententiâ persistit. Sed et Ambrosius, in priorem Epistolam ad Corinthios, cap. 36, ubi locus proprius erat, nobiscum apertissimè sensit.

Ad illud verò, quod tertio loco objectum est, brevis et non difficilis est responsio. Non enim ibi, pœnitere, resipiscere est, sed tristari. Tristatur autem pater, cùm filios dolentes videt; sed lætatur, cùm dolorem ad salutem fuisse intellexit. Nam quod additur, id facillimum etiam est. Quo enim modo Paulus sit intelligendus, Paulus ipse explicat, inquiens : *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed quasi in insipientiâ;* et paulò antè : *Iterùm dico, ne quis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me;* et capite ejusdem Epistolæ duodecimo : *Si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam;* et paulò post : *Factus sum insipiens, vos me coegistis.* Quid ergò, sapiens, et insipiens? Nempè sapiens reverà, sed quasi insipiens, qui tanquàm insipientis personam assumere, et seipsum jactare videretur. Laudare quippè se insipientis hominis nota est. Verùm hæc, quæ stultitia esse videbatur, Dei erat sapientia, ut Apostolus non spontè, sed coactus, non ex vanitate, sed ex charitate gloriaretur. Ab Spiritu igitur sancto erat hujusmodi quasi stulta gloriatio. Sed ne illud quidem est difficile, quod deindè subjicitur : non enim, quod ait quidam, incautè Paulus uerat locutus; sed ne quis in eâ laude aut arrogantiam, aut vanitatem aliquam subesse interpretaretur, docet se non in se, sed in Domino gloriari : *Non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum.* Simile ferè illud est, quod, cùm Dominus doctrinam Evangelii suam appellâsset, subjecit protinùs : *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me, Patris.* Hunc igitur in modum cùm Paulus verè dixisset, se plus omnibus laborâsse, addit, et verè etiam addit, se non plus omnibus laborâsse, etc.

Ad quartum verò argumentum sunt qui respondeant, Ecclesiæ auctoritatem tantam esse, ut quædam etiam

de Scripturis sacris immutârit. Hujus generis exempla ponunt, sabbatum, esum suffocati et sanguinis, Baptisma in nomine Jesu; et quòd Christus cœnatis dedit Eucharistiam, Ecclesia jejunis; Christus sub ambabus speciebus, Ecclesia laicis sub unà: quòd Paulus deniquè permisit dispares in fide conjuges, Ecclesia improbavit. Ità, quamvis lex Scripturæ sit, ut is non ordinetur episcopus, qui duas habuerit uxores, Ecclesia tamen eam legem poterit vel ex parte solvere, vel etiam omninò abrogare. Hoc autem responsum hanc quidem habet viam, quæ deducit ad convenientiam conservationemque ecclesiasticæ auctoritatis, quam si sequemur, nunquàm aberrabimus, sequemurque et id, quod certum et tutum est, et id, quod ad fidelium consociationem accommodatum, et id, quod vehemens atque forte. Sed cavendum sanè est, ne si in argumentorum confutatione ad Ecclesiam tanquàm in aram confugimus, rustici potiùs quàm theologi esse videamur. Mihi itaque aliud responsum multò et doctius videtur, et verius, quod duplici partitione subnixum est. Una est hujusmodi: Scripturæ præcepta quædam temporaria erant, id est, ad tempus, ex loci, temporis, personarum, aliarumve rerum et causarum ratione servanda: atque hujusmodi ipsa ex se in præfinito tempore antiquabantur, nullâ etiam Ecclesiæ interveniente auctoritate. Quod enim pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate, debet cessare pariter quod urgebat, 1 q. 1, *Quod pro necessitate.* Ejus generis fuit sabbatismus et reliqua omnia, quæ propriè ad legem veterem pertinebant: talis etiam lex illa fuit de immolatis, sanguine et suffocato: talis quoque usus apostolicus de baptismo in nomine Jesu, Act. 2, 38. Alia verò præcepta æterna sunt, quorum servandorum ratio non brevis et temporalis, sed perpetua et sempiterna est. Sempiternum autem Scripturæ more voco quod semper erit, non quod semper fuit. In hoc genere sunt omnia naturæ præcepta, quæ tàm in veteri, quàm in novo Testamento continentur: in hoc etiam lex illa: *Nisi quis renatus fuerit*, etc. Et altera similis de Pœnitentiæ sacramento. Præcepta rursùm Apostolorum, quæ in sacris Litteris scripta sunt, quædam à Christo ipsi acceperunt gentibus evulganda, juxtà illud Matth. ult. 19: *Baptizate omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis:* altera verò non fuerunt quidem à Christo Apostolis injuncta; sed ipsi post Christum in cœlos assumptum ea populis tradiderunt. Quæ tamen Christi Deique præcepta dicuntur, non ob eam modò causam, quòd per acceptam à Domino potestatem lata sunt; verùm etiam quia Dei Spiritu peculiariter suggerente edita fuêre. *Visum est,* inquiunt, *Spiritui sancto et nobis, nihil ultrà imponere,* etc. Quæ verba Basil. 5 lib. contrà Eunomium referens, « Spiritui, ait, visum est quidem, à quo ut Domino Ecclesiæ leges datæ sunt; Apostolis verò tanquàm ministris, per quos decreta sunt edita. » Quòd autem præcepta hæc Christi quoque dici possint, Christus ipse docet, inquiens: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit.* Inter hæc autem Scripturæ mandata non leve discrimen est, quòd priora illa à Domino Apostolis tradita, ut propria sunt legis novæ præcepta, ità ea Ecclesia nec solvere, nec remittere ulli potest, sicut ne legem naturæ quidem. Cujus rei causam nos in Relectione de pœnitentiâ dedimus, quòd legis auctor evangelicæ Christus Dominus non alia præcepta per se ipse edidit, quàm quæ essent summoperè ad salutem necessaria. At posteriora mandata propriè quidem humana et ecclesiastica fuêre, quæ videlicet ab Apostolis Ecclesiam gubernantibus edita sunt, non aliter atque alia fuêre posteà à præfectis Ecclesiæ subsequentibus, dispari tamen auctoritate. Nam Apostolorum nemo in præceptis suis errare poterat; sed à Spiritu sancto peculiarissimè eorum quisque dirigebatur in ferendis Ecclesiæ legibus. Posteriores verò antistites hanc peculiarem Spiritûs sancti præsentiam non habent, nisi cùm in nomine Christi et Ecclesiæ congregantur. Quod utique fit in conciliis generalibus. Quâ de re libro posteà quinto fusiùs disseremus. His autem præceptis, licèt apostolica fuerint, et in sacris etiam litteris scripta, summus pontifex subditos suos liberare, vel ex parte, vel omninò potest: quâ etiam ratione, ut alia non esset, lex illa apostolica de abstinendo à sanguine et suffocato per Ecclesiæ potestatem abrogari potuit. Quanquàm, ut diximus, eâ lege admonitæ sunt gentes, ne suâ libertate in fratrum offensionem abuterentur. Præscribunt autem Apostoli quatenùs pro tempore expediebat, quibus illa rebus in fratrum offensionem possint incurrere. Quia igitur lex à fine suo æstimanda est, tunc hæc intelligitur abrogata, cùm ab illis offensionibus ac dissidiis, quibus occurrere voluerunt Apostoli, nihil ampliùs periculi fuit. Quibus positis, facilè, ut opinor, quartum illud argumentum refelletur, vid. D. Thom. in Addit. q. 66, art, 5 ad 2. Nam Pauli præceptum de non ordinando episcopo, qui bigamus fuerit, secundi generis est, id est, humanum et ecclesiasticum; cujus proindè vinculum solvere Ecclesia jure suo potest. Sed id tamen, nisi semel aut iterùm, et gravi etiam urgente causâ, non fecit. Nec id nisi summo Pontifici permissum in Ecclesiâ est: nam episcopis contrà Apostolum dispensare cum bigamis non licet, ut Lucius et Innocentius tradunt, de Bigam. non. ordin. cap. *Super,* et cap. *A nobis.* Divus verò Augustinus de legibus primi generis loquebatur, quas si Christus ipse tulerit, ut quæ verè et propriè divinæ et Evangelicæ sunt, nemo aut possit, aut ausit immutare. Quarto igitur argumento diluendo satis dixisse mihi videor. At quintum sic refellitur.

Primùm, sunt qui velint, aut impiorum malitiâ, aut librariorum errore pro Zachariâ Jeremiam scriptum esse. Cujus sententiæ fuit Eusebius, lib. 10 Demonstr. Evangel. 4. Id quod nec Origeni displicuit, et Cajetanus vero simile existimavit. Nec Hieronymus certè ab hâc opinione alienus est: quin in Psal. 77, errore scriptoris dicit pro Zachariâ Jeremiam esse suppositum. Sunt alii, qui opinentur, eamdem sententiam et apud Jeremiam olim scriptam reperiri, sed non omnia Jeremiæ vaticinia nunc extare. Opinatur quoque Augustinus, libro de Consens. Evangelist. 3, cap. 7, quoniam eodem spiritu Jeremias et Zacharias scripsêre,

nihil referre, si unius sententiam alteri tribuas; imò peculiari Spiritûs sancti consilio id factum esse, ut ab eodem auctore scripti libri omnes sacri credantur.

Illud verò, quod Marco Evangelistæ objectum est, frivolum his videri solet, qui latinam editionem passìm ad græca exemplaria expendunt. In quibus quoniam non legitur : *Sicut scriptum est in Isaiâ*, sed : *Sicut scriptum est in prophetis;* argumentum esse infirmun aiunt, ut quod librorum depravatione nititur. Huic verò sententiæ Theophylactum subscripsisse, facilè profectò suaderi potest. Non enim *in Isaiâ*, sed *in prophetis*, legit. Atque Hieronymus in Comment. super 3 Matthæi caput, huic quoque opinioni subscribit, inquiens : « Nos nomen Isaiæ putamus additum scriptorum vitio, quod et in aliis locis probare possumus; aut certè de diversis testimoniis Scripturarum unum corpus effectum. » Existimat ergò Hieronymus, sive hoc, sive illud accipias, locum esse depravatum. Id quod et de Psalm. 13 credidit. At Erasmus, tametsi fatetur græca exemplaria omnia, quæ videre quidem ipse potuit, ἐν πρόφη ταις habere; lectionem nostram probat tamen, græcamque asserit à Græcis fuisse immutatam. Hieronymus etiam ipse, in Epistolâ ad Pammach. de opt. Gen. interp. solam hanc, quam habemus lectionem, probat; alterius autem eo loco ne meminit quidem. Et Porphyr. lib. 14, Marcum Evangelistam eo nomine accusat, quòd homo imperitus et rudis vel suas litteras nesciat, idque quasi ab uno eodemque prophetâ scriptum referat, quod non ab uno, sed à duobus scriptum est. Cui calumniæ Chrysostomus, in hom. de Initiis Evang. secundùm Marc. respondens, non causatur, aut codices mendosos esse, aut certè ab impio locum depravatum; sed planè consentit, eo prorsùs modo lectum iri, quo Porphyrius in objectione legit. Quâ ex re perspicuum fit, antè Chrysostomi et Hieronymi tempora in objectionem nostram omnes et græcos et latinos codices consensisse. Ubi non possum novitios istos interpretes non ridere, qui tantâ facilitate et confidentiâ è pravis græcis latina emendant non prava! Nimirùm enim patientur hi, si de ipsis ludimus, quibus in usu est ludere de nobis; imò patientur potiùs, ut, quod hoc loco eorum antesignanus Erasmus summo jure magnâque ratione facit, idem nos aliis quoque locis faciamus, et, græcis exemplaribus posthabitis, latinam editionem veneremur. Sed ut eò revocetur, undè hùc declinavit oratio, cùm argumentum illud non sit tàm facile quàm istis est visum, majore omninò vi et arte refellendum est. Illa igitur verba : *Sicut scriptum est in Isaiâ*, non referuntur ad omnia ea quæ sequuntur, sed ad id tantùm : *Vox clamantis in deserto*, etc. Illa verò : *Eccè ego mitto Angelum meum*, etc., tanquàm de suo Evangelista addidit, quod facere jure potuit, quamvis eadem in alio prophetâ reperiantur. Non enim, si Aristotelem refero, opus est sequentia verba omnia Aristotelis esse; quin licet mihi nonnulla de meo adjicere, præsertìm si ad explicationem Aristotelis conducunt maximè. Sic, quoniam Evangelistæ illa verba : *Eccè ego mitto Angelum meum*, etc., verborum Isaiæ erant expositio quædam, nihil Marci derogat fidei, si Isaiæ testimonium verbis ejusmodi adjectis et exposuit, et ornavit. Nisi infidelis servus est, qui apposito verborum ornatu heri sui munus amplificat. Hoc respondet Chrysostomus. Hieronymus, de opt. Gen. interp., Evangelistas fuisse ait non de verbis, sed de sensu sollicitos : omnia verò illa quæ in Marco sequuntur, ab Isaiâ scripta, non secundùm verba quidem, sed secundùm sensum esse. Qui enim vocem clamantem, etc., apertè dixit, is Angelum eumdem esse sensit, qui viam Domino præpararet. Atque hæc responsio à Bedâ vel maximè probatur in Comment. super Marcum. Jam, quòd falsitatis etiam Marcus arguitur, qui Christum scripserit horâ tertiâ crucifixum, de hâc re quatuor video sententias ferri, quarum nulla est, in quâ non major adhùc probabilitas desideretur. Prima eorum est, qui animadvertunt, Joannem non scribere, Pilatum horâ fermè diei sextâ pro tribunali sedisse, sed parasceves horâ ferè sextâ. Aliundè verò diem, aliundè parasceven initium sumere. Nam Judæos antè diei principium, hoc est, antè solis ortum præparationi paschali operam dare solitos, rationi consentaneum est. Si enim Christiani in hujusmodi festorum vigiliis multò antè diluculum incipiunt quædam necessaria præparare, Judæi, ac multò etiam magìs idem fecisse credendi sunt, qui non modò azyma in multos dies, verùm complura quoque alia erant paraturi, non solùm ad festum diem, sed ad vesperam etiam Paschæ. Sunt et alii, qui Augustinum secuti, putant, Marcum non de crucifixione militum locutum esse, sed de crucifixione Judæorum. Hi enim vel maximè Christum crucifixerunt, quemadmodùm Actorum cap. 4, illi Petrus edixit. Ut ergò ostenderet Evangelista, Dominum Jesum non tàm à militibus, qui simplex ministerium præsidi præbuêre, quàm à Judæis crucifixum, posteà quàm militum ministerium expressit, inquiens : *Et crucifigentes eum, diviserunt*, etc., tùm verò ad vocem, quæ sanguinem justi petiit, auctoresque flagitii crucem Domini revocavit in hæc verba : *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum*. Horam quippè crucifixionis militum, ut quæ vulgò nota erat, non credidit exprimendam. Alii credunt huic se absurditati satis occurrere, si dicant, Christum intrà horam tertiam et sextam crucifixum; et ab utroque extremo, quemadmodùm media solent, horam mortis Christi esse nominatam, ab uno videlicet tertiam, ab altero sextam. Sed hæc responsio patentem habet scrupulum. Quod enim horâ quintâ fiat, hoc si quis vel quartâ, vel sextâ fieri ab utroque extremo dicat, quamvis impropriè id quidem dicat, sed fieri tamen utcumque potest. At quod in quintâ horâ fit, hoc in tertiâ vel secundâ fieri, nec usus profectò, nec ratio fert. Ponunt igitur alii hoc, quòd, quemadmodùm nox in quatuor vigilias, ità dies in quatuor stationes et partes divisus à Judæis est. Quarum prima incipiebat à diluculo, et durabat usquè ad horam diei tertiam, vocabaturque prima, eò quòd ab horâ primâ initium sumeret; secunda autem incipiebat ab horâ tertiâ, et durabat usquè ad horam sextam, vocabaturque hora tertia, quòd ab horâ tertiâ principium

haberet; tertia verò diei pars incipiebat ab horâ sextâ, et durabat usquè ad horam nonam, appellabaturque similiter ab horâ, undè principium acceperat, hora sexta; quarta demùm statio parsque diei, incipiebat ab horâ nonâ, et durabat usquè ad occasum solis, vocabaturque vel hora nona, vel vespera. Quæ si vera sunt, jam pulchrè consentient Evangelistæ. Nam in secundâ statione, quæ hora tertia dicebatur, circà finem Christus crucifixus est, horâ scilicet illâ nondum elapsâ. Aliquantò verò priùs, in eâdem horâ tamen stationeque diei, Pilatus pro tribunali sedit, nempè horâ quasi sextâ. Verè siquidem tertia erat, sed erat proxima sexta. Quæ nimirùm opinio longè erit probabilissima, si probetur ad eum modum diem à Judæis dividi solitum. Atque in historâ passionis quidem nominatim diluculi, tertiæ, sextæ et nonæ horarum mentio fit; de reliquis autem interfluentibus omninò tacetur. At parabola de patrefamilias operarios in vineam suam conducente, quam isti etiam afferunt in hujus rei confirmationem, non solùm nihil juvat, sed etiam officit, quoniam ibi Dominus non tantùm primæ, tertiæ, sextæ, et nonæ, sed undecimæ meminit. Id quod absurdum esset, si quarta diei pars, hoc est, hora nona, reliquum omne ejusdem diei tempus complecteretur. Ac reverà, ut breviter simpliciterque dicatur, qui undecimæ horæ, quæ inter nonam et duodecimam interfluxit, expressam mentionem fecit, cùm certo certiùs constat diem non ad eum modum in stationes et horas quatuor, sed, ut moris est nostri, in partes et horas duodecim divisisse. Verùm ut hæc cumque habeant, huic nos responsioni libentissimè subscribemus, si illa diei in stationes quatuor partitio, illæque rursùm ab initio denominationes quatuor, aut idoneo testimonio, aut probabili ratione constant.

Nec etiam desunt, qui existiment, hæc à recentioribus Judæis esse conficta omnia. Nam secunda diei statio, cùm tres solùm horas complecteretur, quartam, quintam, et sextam, non hora tertia, à fine scilicet stationis proximè elapsæ, sed hora quarta ab initio stationis ejusdem nominanda erat. Ecquis autem ferre possit stationem, quæ à decimâ usquè ad duodecimæ finem protenditur, nonam horam appellari? Certè, sicut prima hora, si verum est quod isti dicunt, à principio suo nomen accipit, sic et stationes cæteræ à suis propriis principiis nominarentur. Mihi simplicissima ratio hujus loci explicandi esse apparet, si cum Theoph. (1) et Cajet. dixerimus, Marcum ità scripsisse, ἦν δὲ ὥρα ς, id est, *erat autem hora sexta*; sed indoctos, oscitantesve librarios notam illam senarii ς in γ, quæ est nota ternarii, mutàsse. Quod et hoc loco ob nonnullam litterarum similitudinem factu proclive fuit, et in his auctoribus, quorum libri hujuscemodi numeros et notas habent, sæpè fieri notius est, quàm ut indicandum sit. Nec Theoph. solùm et Cajet. auctoritas, sed ratio quoque me, ut ità tenerem, impulit. Nam sextâ horâ Dominum verè ac propriè crucifixum, ut omittam quod et vulgò Christianorum persuasum est, et passìm in crucis officio ac precibus celebratur, rectè ex Joannis Evangelio colligitur. Tradit enim, Pilatum horâ fermè sextâ pro tribunali sedisse. Erat igitur propemodùm elapsa quinta. Alioqui falsò hora ferè sexta diceretur. Incredibile autem est id, quod reliquum erat horæ quintæ, cùm esset breve, et perexiguum, in sententiâ ferendâ, in suscipiendo Jesu et educendo, in cruce u què ad Calvariæ locum bajulandâ, non esse insumptum. Etenim nec locorum intercapedo parva erat, nec tantùm fuit celeritatis i viâ ut non potuerit intereà et Simon angariari Cyrenensis, et à Christo oratio haud momentanea ad mulieres haberi. Itaque sine dubio, si propriè et verè Marcus loqui voluit (cur autem noluerit, nulla est causa) non scripsit horâ tertiâ, sed sextâ Dominum crucifixum. Id quod Hieronymus, si is tamen horum commentariorum est auctor, in Psalm. 77, apertè docet. Sed quisquis illum Psalmum exposuit, si non fuit Hieronymus, certè eruditus fuit. Atque Erasmus in annotationibus super hunc Marci locum nomine Hieronymi hunc commentarium refert. Accedit, quòd non alia ferè scribit Marcus, quàm Matthæus, idque maximè in historiâ passionis Christi. Itaque dùm considero Marcum in historiâ passionis non solùm eadem, eodem ordine cum Matthæo, sed eisdem etiam penè verbis scripsisse, facilè adducor in sententiam, ipsum non notam ternarii, sed senarii, ut est apud Mathæum, posuisse. Quod autem huic sententiæ objicit auctor Commentariorum in Marcum, quæ Hieronymi titulo circumferuntur, hoc facillimè refellitur : « Si sextâ, inquit, « horâ Dominus fuit crucifixus, cùm à sextâ, usque ad « nonam tenebræ suffuderint terram, non potuissent « prætereuntes in eum movere capita, quem per tene- « bras omninò non cernerent. » Cui ego respondeo brevissimè, Christum in sextæ horæ principio crucifixum. Horâ autem eâdem labente, convicia in eum jacta sunt. Sed circà ejusdem horæ finem tenebræ orbem circumfuderunt. Quod Marcus appositissimè significare videtur his verbis, *et factâ horâ sextâ*. Quid enim expeditius est quàm factam intelligere, non incipientem, sed expletam? Id quippe factum et vulgo, et philosophis verè dicitur, non quod inchoatum, sed quod consummatum est. Quâ ex re, velit nolit Osiander, satis planè intelligitur, omnia Evangelistæ dicta cohærere, si legamus : *Erat autem hora sexta, et crucifixerunt eum*. Quâ horâ interfluente quoniam ea gesta sunt, quæ Evangelista subjicit, idcircò ait tandem : *Et factâ horâ sextâ tenebræ*, etc., ut expletâ jam hora, nisi valdè essemus tardi, tenebras factas acciperemus. Ac de quintâ objectione satis abundanter, ut arbitror, disputatum est.

Eam verò objectionem, quæ sexto loco posita est, quâ viâ Cajetanus noster repellere tentaverit, invitus quidem facio, ut dicam, sed dicam tamen, ne in Evangelii veritate tuendâ nostris videar pepercisse. Significat certè ille primùm (nam deindè in eâ opinione non perstat) Lucam Evangelistam 70 Interpretum errorem in hâc parte, sine proprio tamen errore, secutum. Id quod non solùm intelligere, sed ne cogitatione quidem informare possum. Si enim Evangelista imprudens 70 Inter

(1) Refertur à D. Th. in Caten. Joan. 19.

pretes errantes in historiâ Evangelii sequitur, licèt imprudens, sed errat tamen. Sin autem videns prudensque, ut dicitur, fictam à 70 narrationem suo Evangelio inserit, errat quoque, et eò magis, quòd deditâ operâ Evangelii sinceritatem fabulâ commentitiâ contaminat. Breviter, si Cainam non fuit filius Arphaxad, nec Sale filius Cainam, falsa est profectò evangelica historia, in quâ non obscurè dicitur Cainam filius Arphaxad fuisse, Sale verò filius Cainam. Quòd autem Lucas auctores habuerit gravissimos, quos in errore sequeretur, id Evangelistam culpâ liberare fortassè poterit, Evangelium certè errore non poterit. Quò magìs Eugubinum reprehendendum censeo, qui apertè, constanter, et sine ullo aut modestiæ aut reverentiæ temperamento asserit errâsse 70, eosque Lucam in errore secutum. Jam, quod Hieron. adversùs Helvidium ait, Evangelistas opinionem vulgi quandòque exprimere, quæ, ut inquit, vera historiæ lex est, rectè dicitur, si ad voces spectes. Non solùm enim historici, sed omnes omninò sapientes, ut Aristot. monuit, licèt aliter ac vulgus sentiant, cum vulgo sæpè loquuntur; nec loquuntur falsò tamen. Sic Scriptura eos fratres appellat, qui juxtà philosophiæ regulas propriè et verè fratres non sunt, sed qui vulgò, ac sine falsitate id quidem, fratres vocantur; sic etiam Evangelistæ Joseph patrem Domini vocaverunt, nec re tamen ipsâ falsam opinionem vulgi secuti sunt, quamvis sint locuti cum vulgo. Pater namque Christi Joseph sine mendacio dicebatur, et quia nutritius erat, et quia vir matris Christi erat : utrique enim patres vocari solent. Quid ergò facturi sumus, qui, ut in proverbio est, lupum utrâque aure tenemus? Si enim veteris Testamenti versionem, quâ Ecclesia utitur, asserere et vindicare nitimur, arguimus non solùm 70 Interpretes commenti frigidissimi, sed apertissimi etiam erroris Evangelistam. Sin Lucam defendere tuerique volumus, versionem Scripturæ sacræ Ecclesiæ usu decretoque probatam improbamus. Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Nobis autem illud inprimis vitandum est, ne Lucam Evangelistam, atque adeò Christi Evangelium suâ, hoc est, divinâ, auctoritate fraudemus. Tueamur itaque illam in genealogiâ Christi generationem, quam Lucas ex 70 Interpretum editione posuit. Etenim hanc quoque editionem Ecclesia suo usu probavit. Græci certè scriptores omnes hanc generationem cum 70 Interpretibus agnoscunt, et Augustinus, 16 de Civitat. Dei, cap. 10. Nec quoquam pacto fit verisimile, 70 Interpretes, viros probos, vanè frigidèque generationem illam unam confinxisse. Quid quòd, ut Origenes ait, Euseb. lib. 6 Eccl. Hist., c. 23, hoc pro vero habendum in Scripturis divinis est, quod 70 Interpretes transtulerunt? nam id est quod auctoritate apostolicâ confirmatum sit. Nostra igitur Testamenti veteris editio imminuta est. Exemplaria verò, quæ Hieron. nactus est, non fuerunt integra (1). Itaque sine culpâ et errore potuit unam generationem omittere. Nam et Evangelista Matthæus plures omisit, et sine errore omisit, cùm Christi genealogiam texeret. Alioqui nostram nos editionem à falsitate quidem omni, sed non ab omni imperfectione vindicamus. Nec me illud latet, quod ab Hermanno, Joanne Nauclero et Lucido dictum est, Lucæ Evangelium esse depravatum, ac pro verbo *fuit* particulam *et* substituendam hoc modo : *Qui fuit Sale, qui et Cainam;* ut Sale binomius intelligatur. Sed hi non videntur editionem 70 legisse, undè Cainam nomen ab Evangelistâ acceptum est. In editione quippè 70 Interpretum eumdem fuisse Sale et Cainam, nec fingi quidem potest. Sed et aliter, ac fortassè meliùs hæc controversia dirimitur, si dicamus exemplaria hebraica vera et emendata non habere quidem generationem illam Cainam, sed à septuaginta Interpretibus fuisse adjectam. Nec adjecta est falsò tamen; quin vel ex majorum traditione, vel ex historiis fide dignis habitum est, Arphaxad genuisse Cainam, Cainam verò genuisse Sale. Septuaginta igitur Interpretes non verè solùm, sed fortè etiam prudenter illam unam generationem posuêre; id videlicèt metuentes ne Ethnici aut Hebræorum antiquas traditiones, aut sacras certè litteras falsitatis arguerent, si in his legerent, Arphaxad genuisse Sale, ex illis acciperent, non Arphaxad, sed Cainam Sale genuisse. Spiritus autem Dei occultâ nobis ratione Moysis mentem manumque permovit ut in eâ patrum serie unam illam generationem prætermitteret; quemadmodùm divino consilio Matthæus plures etiam in Christi genealogiâ prætermisit. Eamdem verò causam Moysi Matthæoque fuisse, non absurdè hâc conjecturâ assequemur. Matthæus, ubi primùm Christi majores recensuit : *Omnes*, inquit, *generationes ab Abraham usquè ad David*, etc., ut ne quis suspicaretur, aliquem ex majoribus memoriæ lapsu, et non potiùs de industriâ fuisse silentio prætermissum. Et quamvis multas rei hujus fortassè causas Evangelista posset reddere, eam magis tamen in epilogo videtur præ se ferre, quæ tessaradecadis commendationem habet. Ob id quippè tres generationum ordines numero æquales esse voluit, ut numerus 14, ter etiam in Domini stemmate consecraretur. Quod Moyses ut fecerit, subest omninò causa eadem. Ab Adam enim ad Noe decem generationes attexuit; à Noe autem ad Abraham decem item alteras : ut in denario numero, in quem majorum utramque seriem redegerat, mysterium aliquod subesse intelligeremus. Cur autem numerus quartus decimus ad legem evangelicam, decimus verò ad naturæ legem referatur, non est hujus diei locique disserere. Ubi id tantùm dicimus, nec sine causâ, septuaginta Interpretes Cainam generationem addidisse, nec sine mysterio eamdem Moysen prætermisisse; utrumque verè, utrumque prudenter dictum esse : alterum et verè et prudenter Lucam esse secutum. Nec verò quis tragœdias nobis excitare debet, quòd editionem nostram imperfectam esse in quibusdam locis dicimus. Possunt enim verba hebraica nonnulla in medium adduci

(1) Id verisimilius esse credit Cajetan. in cap. 3 Luc. atque Hier. in comment. ad Galat. 3, non censet esse absurdum, si dicatur aut libros hebraicos aliter antè passionem Christi habuisse, aut Hebræos post passionem aliqua vel detraxisse, vel addidisse.

quæ Hieronymus ipse in commentariis (1), fatetur significantiùs et meliùs potuisse transferri. Quin etiam in Isaiæ cap. 19 : *In eo*, inquit, *quod nos transtulimus*, Incurvantem et refrænantem, *possumus dicere*, Incurvum et lascivientem. *Nos autem verbum hebraicum Akum (agmen), dum celeriter quæ scripta sunt vertimus, ambiguitate decepti*, Refrænantem *diximus. Quod significantius* Aquila *transtulit* στρεβλοῦντα, *id est, qui nihil rectè agit, sed omne perversum.* Hactenùs Hieronymus; qui et cap. 9 ejusdem Prophetæ, vocabulum idem in *depravantem* verterat. Ac certè nec sensus, nec verba hebraica patientur, ut *refrænantem* admittamus, quod alio loco explicandum erit. Nam de sexto argumento dictum est satis, ut arbitror, diligenter.

Ad illud verò quod septimo demùm loco sequitur, multa quidem et varia sunt virorum doctissimorum responsa, sed adeò tamen improbabilia, ut nec doctis nec piis faciant satis. Nam primam objectionis particulam Augustinus Eugubinus ità repellit, ut in editione 70 Interpretum, et Genes. 46, et Exod. 1, librariorum vitio dicat pro 70 animabus scriptum esse 75. Eamdem quoque corruptelam à librariis Actor. 7. accidisse, vel etiam Lucam, ut qui hebraicè nescierit, locum, ut se haberet eâ tempestate, corruptum citâsse, aut certè si 70 Interpretes ità converterint, Evangelistam eorum editionem, quæ ubique erat receptissima, fuisse secutum. At Hieronymus in quæstionibus hebraicis librariorum negligentiæ nihil imputat, sed docet reclamare quidem hebræam veritatem, 70 autem Interpretes per prolepsim 75 animas posuisse; Lucam verò non debere contrarium aliquid scribere adversùs eam scripturam, quæ jam fuerat gentibus divulgata. Majoris enim opinionis illo duntaxat tempore 70 Interpretum habebatur auctoritas, quàm Lucæ, qui ignotus, et vilis, et non magnæ fidei in nationibus ducebatur. *Licèt plerique*, inquit, *tradant Lucam Evangelistam, ut proselytum, hebræas litteras ignorâsse.* Tantùm Hieronymus. Principio autem, ut à capite exordiamur, omnia exemplaria, tùm nova, tùm vetera, græcaque et latina tribus simul locis fuisse corrupta, vix credibile est, nullum verò auctorem antè Eugubinum, cùm et in ea loca, et in hanc quæstionem incurrissent plurimi, rem apertissimam animadvertere potuisse, mihi quidem non fit verisimile. Atque si hujusmodi solvendis nodis librariorum incuriâ pro libidine abutimur, verendum sanè illud est, ne dùm alienam prodere conamur inscitiam, prodamus nostram. Alioqui si ità placet, omnes ambiguas quæstiones, et quæ in Scripturâ sacrâ videntur esse pugnantia, ad istum modum explicemus. Id quod passim Eugubinus facit. Nam et ad postremam objectionis partem pellendam affirmat, scribentium vitio pro *Jacob* positum esse *Abraham*, et *Patris* positum esse pro *Filii*. Certè si Div. Hieronym., cùm ipsi 70 Interpretum objiceretur auctoritas, hâc se defensione tueri posset, eâ libentissimè abuteretur. Sed, cùm videret exemplaria universa mirificè consentire, expositoresque omnes unum idemque sonare, non mendosos codices causatus est, sed confessus est planè 70 Interpretes ità vertisse, quos Lucas Evangelista sequeretur. At enim Lucam locum ex veteri Testamento, ut eâ erat ætate, depravatum citâsse, multò absurdius invenio, cùm ad veritatem cœpi revocare rationem. Aut enim ignorantem facimus Evangelistam, si eum latebat depravatio; aut timidum facimus, si divinâ auctoritate pollens, non est ausus depravata restituere, quod sine ullâ auctoritate Eugubinus est ausus. Impium est autem, quod Spiritûs sancti consilio scripsit Lucas, id hebraicarum litterarum ignorationi tribuere. Cùm ergo singulas Scripturæ particulas divinâ inspiratione et afflatu scriptas esse causis necessariis dixerimus, nulla earum profectò potest à linguarum ignorantiâ proficisci, nisi Spiritus sanctus, qui Evangelistæ regebat et mentem et manum, hebraicas litteras ignorârit. Dicamus igitur id, quod præsenti loco satis est, 70 Interpretes 75 animas Genes. 46, et Exod. 1, posuisse, id quod ex contextu manifestè colligitur. Cùm enim Genes. 46, filios Manasses et Ephraim, hoc est, Nachir, Galaad, Sutalaam, Taam, Edem, Interpretes 70 annumeraverint, necesse fuit, ut numerus 75 conflaretur. An verò hebraica exemplaria, quæ 70 Interpretes converterunt, nepotes illos Josephi in illâ genealogiâ supputârint, an potiùs ipsi 70 Interpretes per anticipationem addiderint, incertum est. Illud certum, quæ detraxerint, bonâ fide hæc, et prudenti fortassè consilio detraxisse; quæ adjecerint, ea sine dolo adjecisse. Constat enim, eos nonnullis locis magis paraphrasim quàm interpretationem edere. Lucas verò, ac cæteri Apostoli et Evang., 70 Interpretum editione usi sunt, quoniam eo tempore illa erat præstantissima. Nec alienum sequuntur errorem, quod nonnulli imprudenter affirmant, sed in eo, quo illi verè locuti sunt, eorum testimoniis utuntur. Nec me illud terret, quod quidam objiciunt, historiæ hujus veritatem nonnisi per figuratam dictionem defendi posse. Nam et editio nostra eâdem defensione eget. Cùm enim 70 animæ ingressæ in Ægyptum dicuntur, necesse est quoque Ephraim et Manassem ad explendum numerum supputari, qui tamen ipsi in Ægyptum non sunt ingressi. Nec mirum est, si in 70 Interpretum editione anticipatio sit, cùm etiam in nostrâ admittamus postpositionem. Geneseos siquidem cap. 12, post mortem Thare, præceptum Domini scribitur, quo jubet Abraham exire de terrâ ac cognatione suâ. At Actor. 7 Stephanus non obscurè docet, præceptum illud datum esse in Chaldæâ, priusquàm Thare moreretur, et veniret in Charran. Id quod et Div. Aug. acutè vidit, 16 lib. de Civit. Dei, et ratio quoque ipsa demonstrat. Cùm enim jubeatur Abraham exire de terrâ et cognatione suâ, Chaldæam cogimur intelligere, quæ propria erat terra Abraham, ubi etiam habebat cognationem suam. Si autem de Charran juberetur exire, certè nec de terrâ suâ exiret, nec de cognatione. Nam licèt Charran pars Mesopotamiæ esset, non erat tamen Chaldææ pars, quod qui-

(1) In Zachar. cap. 11 : *Pro plaste*, Hieron. ait, *atque fictore, statuarium olim interpretatus sum, verbi ambiguitate compulsus : cum melius certè figulum transtulissem, quemadmodum apud Matth. 27, interpres verè convertit.*

dam parùm doctè asseruerunt. Nec clàm me est, Hieron. in Ezech. 20 cap., scripsisse in libris historicis præposteram narrationem nullam reperiri, sed in Psalmis et Prophetis. Quod mirari magis equidem, quàm refellere debeo, cùm in Evangeliis, Matth. 10, constet anticipationes usurpari. Quâ de re alio loco diligentiùs. Sed ne illud quidem movet, quòd Joseph dicitur 75 animas accersisse; eadem enim difficultas esset, si 70 solùm animas posuisset, cùm Ephraim et Manassem nusquàm omninò accersierit. Non igitur (ut Hieron. ad Pammach. de opt. Gen. interp. rectè dixit) in Scripturis verba non sunt consideranda, sed sensus. De primâ ergò 7 argumenti particulâ hactenùs.

Jam secunda, licèt difficilior esse videatur, faciliùs tamen refelletur. Nam 12 Patriarchas sepultos esse non in Hebron, sed in Sichem, non solùm ex Stephani narratione, sed etiam ex Hieronymi testimonio cognoscimus. In epitaphio namque Paulæ ad Eustachium, quùm Paulæ peregrinationem scriberet, sic ait: *Transivit Sichem, et circà puteum Jacob extructam intravit ecclesiam. Atque indè divertens, vidit 12 Patriarcharum sepulcra.* Ad Pammac. autem, de opt. Gen. int.: *Duodecim*, inquit, *Patriarchæ, non sunt sepulti in Hebron, sed in Sichem.* Quam eamdem sententiam Beda sequitur, aliique viri ecclesiastici. Quantùm verò fidei Josepho sit in historiâ habendum, undecimo posteà loco demonstrabimus. Atque de 7 arg. 2 parte tantùm dictum sit.

Tertia verò, eademque postrema, indissolubilem videtur habere quæstionem (1). Nam quod Aug. Eugubinus, et hunc secutus Aloysius Lippomanus dicunt, locum esse depravatum, et pro *Abraham*, legendum esse *Jacob*, pro *Filii*, esse substituendum *Patris*, consistere hoc nullo modo potest; tùm quoniam omnia exemplaria græca atque latina jam indè ab Apostolorum ætate fuisse corrupta, non vero simile quidem est; tùm quoniam non est probabile, Hieronymum, Rabanum, Bedam, aliosque item Ecclesiæ auctores, qui in hunc locum et quæstionem incidère, hujusmodi defensionis præsidium neglecturos, si vel tantillùm probabilitatis in eâ inesse existimâssent. Nec viri prudentes et graves difficillimam quæstionem esse dixissent, quæ minimo quidem negotio, ut junioribus istis visum est, explicaretur. Quid quòd in vocibus adeò dissimilibus nulla depravationis occasio erat? Si enim librarii pro *everrit* scribant *evertit;* pro *fortem*, *fontem*, vocum scilicet magnâ similitudine fallentur. At pro *Jacob*, *Abraham*, pro *patris*, scribere *filii*, in tantâ nimirùm nominum discrepantiâ, nullæ depravationis causæ fingi possunt, nisi librariorum aut ebrietas, aut amentia. Quid quòd in exemplari græco, nec filii, nec patris expressum est, sed post vocem *Emor*, solus genitivus τοῦ Συχέμ scriptus legitur? Ubi latinus interpres, quoniam propensius id erat, filium subintellexit, non patrem. Ad quem omninò modum Sanctes quoque Pagninus interpretatur. Nec me fugit in epistolâ ad Pammach. de opt. Gen. int., *patris* legi, non *filii*. Sed Erasmi fortassè lectio illa est, non Hieronymi. Verùm de voce patris nihil moror. Nam si græca phrasis permittit, quod permittit certè, ut vel filii, vel patris nomen subintelligatur, Stephanus, qui græcè locutus est, nihil patietur in hâc parte calumniæ. At in voce Abraham locum non habet Eugubini responsum, in recog. Genes., pro quâ si Lucas Jacob scripsisse dicitur, nihilò seciùs accusabitur. Jacob enim non pretio argenti sepulcrum emit, sed centum novellis ovibus, ut Josue cap. ult. scriptum est. Scio autem, quæ novitii interpretes hoc loco disserant; sed scriptura, quam Ecclesia probat, editio quoque 70, *Centum novellas oves* habet, non, *Nummos argenteos centum*. Maneat igitur, exemplaria non esse corrupta. Et quoniam eâdem facilitate reliquæ aliorum responsiones coargui possunt, nihil video esse causæ, cur eis refellendis immoremur. Sed ne libenter quidem aliorum sententias reprehendimus.

Hoc igitur loco mihi Bedæ opinio placet, cui et Rabanus assensus est. Verba illius in hunc modum habent: « Beatus Stephanus, vulgò loquens, vulgi magis in dicendo sequitur opinionem. Duas enim pariter narrationes conjungens, non tàm ordinem circumstantis historiæ, quàm causam, de quâ agebatur, intendit, » etc. Eadem ferè Rabanus. Quibus verbis verecundè quidem ac modestè significârunt, Stephano, id quod vulgò ferè solet, accidisse, ut in longâ videlicet narratione, eâdemque præsertìm subitâ, confuderit nonnulla et miscuerit, in quibusdam etiam memoriâ lapsus fuerit, in his duntaxat, quæ ad rem parùm aut nihil omninò attinerent. Nam causæ de quâ potissimùm agebatur, erat intentus. Lucas verò historiæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutavit, sed rem, ut à Stephano narrata erat, exposuit. Nos autem non Stephanum ab omni lapsu, sed Evangelistam vindicare debemus. Solis quippè Apostolis, Prophetis, et Evangelistis hunc honorem referre catholicâ fide docente didicimus, ut nullum eorum vel memoriâ lapsum esse credamus, nullum nec in magnis, nec in parvis errâsse. At Stephanus plenus erat Spiritu sancto. Fateor. At Spiritus loquebatur in eo, et id equidem fateor. Sed aliter in Christo Spiritus loquitur, aliter in Prophetis et Apostolis, aliter in Stephano et Ambrosio. At certè per hos omnes loquebatur. Per concilium generale Deus Ecclesiæ loquitur; per Ecclesiæ pastores Deus Ecclesiæ loquitur; per veteres sanctos Deus Ecclesiæ loquitur. Et hi omnes tamen in parvis labi possunt, memoriâ præsertìm, ubi lapsus facilior est. Scriptorum ergò sacrorum hoc privilegium est ut nullus eorum in scribendo erret. Stephano privilegium hoc nec ratio concedit, nec auctoritas. Nec verò à sacris auctoribus alienum est, errantium quoque verba referre. Sic enim Jephte, Judic. 11, trecentos annos possessionis prætendit, cùm reverà trecenti non fuissent. Et sacer tamen historicus trecentos retulit. Sic etiam Matthæus, cap. 2, si Hieronymo credimus, prophetiam Michææ, non ut à Michææ scripta erat, sed, ut à scribis erat enuntiata, retulit. Scribere autem, quàm vanis et frivolis argumentis hanc Hieronymi sententiam Erasmus, in annot. in Matthæum, reprehenderit, non est hujus aut loci aut temporis. Illud dicendum est, Hieronymi et Augustini verba in

(1) Hieron. de opt. Gen. int. proponit, et non solvit.

eum torquere sensum, ut credantur asserere Evangelistas esse aliquandò lapsos, nisi parùm prudenter fieri non posse. Dùm enim Hieronymus in epistola de opt. Gen. interp. quædam loca à sacris auctoribus retulisset, quæ lapsui memoriæ assignari possent, subdit : « Hæc replico, non ut Evangelistas arguam falsitatis. « Hoc quippè impiorum est Celsi, Porphyrii, Juliani. » Id tamen ità Erasmus accipit ut falsitatis crimen abominetur in Evangelistis Hieronymus, memoriæ lapsum non item. Quasi falsum non sit, nisi quod mendacio de industriâ conficto scriptum est. Certè sive memoriâ, seu ignorantiâ lapsi Evangelistæ à veritate discesserint, jure falsitatis arguentur. Cùmque etiam Augustinus, libro de consensu Evangel. 3, cap. 7, non lapsui memoriæ, non errori tribuerit, quòd Evangelista Matth. cap. 27, nomine id Jeremiæ citaverit, quod apud Zachariam reperitur, sed tribuerit Spiritûs sancti consilio, directioni, constitutioni, præcepto, quamobrem contenderit illud sine falsitate esse factum ; at Erasmus errorem et lapsum Evangelistæ ex Augustini sententiâ interpretatur. Ea quàm falsò viris sanctissimis impingantur, facillimè judicari poterit, cùm ex iis ipsis locis diligenter evolutis, tùm ex aliis eorumdem auctorum testimoniis, quæ nos capite superiore citavimus. Nam quartæ controversiæ jam tempus est ut finem faciamus. Hic autem primus etiam locus concludetur, non paucis ille quidem (nam id fieri non poterat, quòd amplissimum esset, et justi voluminis copiosam materiam suppeditaret), sed quàm paucissimis fieri licuit, ut loci firmissimi auctoritas eo statu esset, quem neque humani ingenii temeritas, neque hæreticorum labefactaret injuria (1).

(1) Priusquàm finem huic libro cum auctore faciamus, aliquid de interpretatione Scripturarum esset dicendum. Id verò complecteretur duplicem methodum interpretandi, alteram *traditionalem*, doctrinam catholicam ex variis præsertìm traditionis monumentis eruentem; alteram *rationalem*, variis utentem regulis ad scientiam exegeticam pertinentibus, et quidem ad priorem confirmandam, elucidandam, amplificandam, necnon et ad ipsas Scripturas variis sub respectibus evolvendas et tractandas. Porrò interpretatio, seu methodus *rationalis*, ad tractatus de Scripturâ sacrâ (quos vide in *Cursu*) pertinet; *traditionalis* verò magis theologica suum habet locum in libro sequenti *de Traditionibus*. P. S.

DE TRADITIONIBUS APOSTOLICIS,

QUÆ SECUNDO LOCO POSÎTÆ SUNT.

LIBER III.

CAPUT PRIMUM.

Ubi eorum argumenta referuntur, qui Apostolicas traditiones impugnârunt.

Benè habet. Scripturæ divinæ auctoritatem primo jam loco constituimus. Ad secundum deinceps aggrediamur, apostolicarumque traditionum quanta sit et vis et auctoritas, viâ et ratione explicemus; et quidem hunc locum Lutherani imbecilliorem esse credunt, quàm ut ductis indè argumentis dogmata fidei confirmentur. Nam, quòd Ecclesiæ traditiones à Christo et Apostolis descenderint, existimant nullo modo posse probari. Non enim adeò sunt stupidi, ut verba Christi, quæ modò Christi esse constaret, infirmare pergant, quòd non fuerint ab Evangelistis scripta. Sed quoniam quid Christus, quidve Apostoli fuerint locuti, eos solùm nôsse putant, qui Christum et Apostolos audière, colligunt, apud nos nunc ne unum quidem dogma posse traditione probari; quin oportere omnes fidei et religionis controversias sacrarum litterarum testimoniis componere; finire verò nihil, nisi quod sacris litteris sit expressum. Erasmus etiam, cùm sæpè aliàs, tùm in epistolâ nuncupatoriâ operum Hilarii, hoc demùm asserit eruditionis verè theologicæ esse, nihil ultrà quàm sacris libris proditum est, definire; cætera omnia esse problemata in illud rejicienda tempus, quùm sublato speculo, videbimus Deum de facie. Nec hi tamen aut primi, aut soli pestem huic loco afferre tentârunt. Tentaverat idem prior Wicleffus, ut Thomas Waldensis scribit lib. Doctr. fid. antiq. 2, cap. 19. Tentârant hoc aliis ante seculis hæretici quidam, quos Bernardus homil. 66 in Cantica commemorat. Sed et Arianis hanc hæresim tribuit Augustinus in conflictu contrà Maximinum, Thomâ Waldense referente, libro de sacramental. Doctr. 2. Ariani certè, qui in synodum Seleucianam convenerunt, non obscurè testati sunt, se in fidei quæstione præter divinas Scripturas nihil omninò recepturos, ut auctor est Epiphanius, hæres. 73, qui et ipse Arianis hunc errorem assignat, hæres. 75; Basilius Eunomium dicit in eodem errore versatum. Tertullianus, lib. de Præscript. hæret., et Irenæus, lib. 3 adversùs hæreses, cap. 2, his adjungunt Valentinum ac Marcionem; Basilius verò quidam, Ancyranus episcopus, in confessione, quam exhibuit septimæ synodo, anathematismo septimo, non solùm Iconomachorum, sed Arii, Nestorii, Eutychis, Dioscori sententiam hanc communem fuisse confitetur. Quanquàm autem error hic communis fuit hæreticis penè omnibus, Lutherani tamen quasi proprium usurpârunt, quantâque maximâ potuère vi astruere nisi sunt, nihil præter Scripturas sacras apostolicam habere auctoritatem.

Infidelis, inquiunt, est, et incerta illa per manus traditio, quòd is, qui accipit, vel non satis accuratè auscultat, vel morbi, ætatis naturæque injuriâ nonnunquàm obliviscitur, vel certè interdùm moritur, ante-

quàm trad·t accepta. Ea etiam, quæ de aure in aurem transeunt, aut in dies majora fiunt, aut non eadem profectò perseverant, sed mutatis auribus permutantur. Quin etiam pereunt, nisi ea litterarum monimenta conservent. Pythagoræ quàm pauca extant! Druidarum ecquid est reliqui? Nempè traditionibus illi confisi, nihil ad memoriæ æternitatem litteris prodiderunt. Quamobrem quæ Christus Dominus ad salutem fidelium vidit esset necessaria, et quæ in Ecclesià certa esse voluit, atque perpetua, ea litteris consecrari vel jussit, vel suggessit.

Augustinus item testis est, in Joan. tract. 4, 9, multa quidem Dominum et fecisse, et dixisse, quæ scripta non sunt; electa verò esse, quæ scriberentur, quæ credentium saluti sufficerent. Augustinus etiam idem docuit in lib. 2 de Pec. mer. et rem. cap. ult. et in epist. ad Optat. de orig. an., « quòd ubi de re « obscurissimâ disputatur, non adjuvantibus divi« narum Scripturarum certis clarisque documentis, « cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in « alteram partem declinando. » Et mox : « Illud credo, « inquit, quòd divinorum eloquiorum etiam hinc « clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dis« pendio promissæ salutis ignorare non posset. » Nihil ergò creditu necessarium extrà sacras litteras est.

Paulus quoque, 2 Tim. 3, Scripturam idoneam esse docet, ut per eam perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Si igitur quæ erant satis, ut fideles essent ad omne opus bonum instructi, ea scripta sunt omnia, quorsùm istæ non scriptæ traditiones moribus formandis necessariæ finguntur?

Quid quòd non jubemur credere quæcumque nos docuerint sacerdotes, sed quæ docuerint juxtà legem Domini, ut habet Deut. 17? Si ergò quidquam illi præter legem docent, fidem eis habere non est necesse. Cùm enim ex ipsis veris Ecclesiis frequenter exeant seductores, quod auctor Imperfecti operis in Matthæum argutè dixit, « ne doctoribus quidem credendum est, « Ecclesiarum traditionem quamlibet præferentibus, « nisi ea dicant quæ Scripturarum congruant veritati. » Nam et Papias, mille illos suos post resurrectionem futuros annos tanquàm Apostolis tradentibus inferens, Irenæum aliosque multos Ecclesiæ viros non tàm veritate disputationis, quàm apostolicæ traditionis auctoritate commovit. Et Irenæus quoque ipse Joannis Evangelistæ aliorumque Apostolorum traditione docet, lib. 1, cap. 39 et 40, Christum Dominum, quo die mortuus est, annos quadraginta fuisse natum, quod tantùm abest à veritate, ut nihil veritati magis possit esse contrarium.

Ità Theophilus Alexandrinus, lib. Pasc. 2, scripsit dæmoniaci spiritûs esse aliquid extrà Scripturarum auctoritatem putare divinum. Et Hieronymus, in Agg. cap. 1, dogmata condemnavit, quæ absque auctoritate et testimoniis Scripturarum ex traditione apostolicâ præferuntur. Et rursùm alibi : « Sine auctoritate, ait, « Scripturarum, garrulitas non habet fidem. » Et iterùm : « Eorum sententiam, qui traditione veteris his« toriæ tenuerunt Zachariam illum qui occisus fuit « inter templum et altare, patrem fuisse Joannis Bap« tistæ, ea solùm ratio reprobat, quòd de Scripturis « non habet auctoritatem. Undè eàdem facilitate con« temni potest, quà probatur. » Atque Origenes in Jer. hom. 1 : « Necesse est, inquit, nobis, Scripturas « sanctas in testimonium vocare. Sensus quippè nostri « et enarrationes sine his testibus non habent fidem. »

Confirmat autem hoc maximè oratio illa, quâ in Nicænâ synodo usum fuisse Constantinum refert Theodoretus lib. Hist. eccles. 1, cap. 7 : « In disputatio« nibus, inquit, rerum divinarum, habetur sancti Spi« ritûs doctrina præscripta. Evangelici enim et Apo« stolici libri cum Prophetarum antiquorum oraculis, « plenè nobis ostendunt sensum Numinis. Proindè su« mamus ex dictis divini Spiritûs explicationes quæ« stionum. » Cui orationi, Calvinus ait, nemo tunc fuit qui refragaretur. Quod silentium perfidià non carebat, si verum est, præter Scripturas sacras Evangelistarum, Apostolorum et prophetarum, traditiones esse tenendas in fidei ambiguis quæstionibus. Cùm igitur Theodoretus scribat episcopos libenter amplexos esse id quod dixit imperator, constat novum esse traditionum dogma, illisque seculis omninò incognitum. Traditiones igitur istæ seniorum parùm valent ad dogmata fidei comprobanda; quin cùm humanæ sint, non divinæ, non sunt nobis magni faciendæ, ne quod Pharisæis, idem nobis objiciatur quod habet Matthæus, cap. 15, v. 19 : *Sine causâ colunt me, docentes doctrinam et mandata hominum.*

Quid quòd hæreticis semper gentile fuit mysteriis et traditionibus suos discipulos imbuere? Id quod à Christi doctrinâ alienum est, *qui palàm locutus est mundo, et in occulto locutus est nihil*, ait Joannes, cap. 18, v. 20. Ac si quid in tenebris dixit, profectò jussit Apostolis, ut dicerent ipsi in lumine (1), et quod in aurem audierunt, ut prædicarent super tecta. Non ergò hab·mus Christiani occultas mysteriorum traditiones.

Quòd si veterum traditionibus fidem et religionem nostram asserimus, id Pagani, id Judæi, id Saraceni faciunt, eoque præsertìm nomine sectas suas retinent, quòd quemadmodùm nos, ità ipsi quoque majorum institutis inhærent, eaque longissimi temporis possessione tuentur, justumque pro illis bellum suscipiunt. Non est autem disciplina nostra Pythagorica, ut traditionibus quasi vestigiis insistamus; litteris est Christi doctrina prodita; illas in omni fidei et religionis quæstione amplecti debemus. Hæc Lutherani argumentantur.

CAPUT II.

Supervacaneam videri cum Lutheranis non de hoc solùm loco, sed de quibusque aliis disputationem.

Ego verò cum Lutheranis quotiescumque me comparo ad disserendum, repentè à me avertitur oratio mea, et omnis statìm mihi disputandi ratio tollitur. Quo namque consilio adversùm hos disputare aut de-

(1) Irenæus, lib. 1, cap. 33, scribit hæreticorum præceptum esse, non oportere mysteria eorum effari, sed in abscondito contineri.

beam, aut possim, cui cùm omnia theologiæ principia tollunt, tùm unà fere solà asseverandi audacià utuntur, quæ illis perpetua est pro locis dialecticis theologicisque omnibus? Quid ego contrà hos scribam, qui nullam in Ecclesià legem esse volunt, per quam Scripturæ sensa finiantur, sed suo cuique ingenio esse utendum, nec id sentire oportere, quod alii senserint, sed quod ratio propria præscripserit? Quid autem stultius quàm cum eo disputare, qui nihil admittit nisi Scripturæ verba, sed hujus interpretationem sibi uni reservans, reliquos omnes existimat miris modis allucinari? Mahumetus, ne, si res esset vià et ratione explorata, in malè susceptâ causâ cedere cogeretur, omnem disputationis aditum lege suis editâ præclusit, et Lutherus disserendi principia suis universa tollens, si disputationem instituat, nec aditum, nec exitum poterit reperire. Perindè enim est, Scripturas solas sine lege et pro cujusque interpretatas arbitrio accipere, ac si nullum fixum certumque disserendi principium acceperis. Quapropter miseri Lutherani, haud secùs atque Saraceni, nec suas, nec magistri possunt ineptias deprehendere; nec nos cum iis disserendo aliud possumus, quàm tempus et operam ludere. Qui tamen haberent jus suum disputandi, si principiorum aliquem delectum reliquissent, ut ad veritatis inventionem aditus esset. Nunc autem nulla principia relinquunt. Vana igitur cum eis erit et futilis disputatio. Omninò enim meminisse debemus, id quod ab scholasticis sæpissimè usurpatum, jam quasi in proverbii consuetudinem venit: « Contrà negantem principia, quoniam frustrà id fiat, non esse disputandum. »

Accedit eòdem, quòd paradoxa cum communi sensu pugnantia asserunt, quæ si vis argumentando refellere, res minimè dubias argumentando dubias facis. Cùm enim illa quæ in syllogismo antecedunt, ut fidem aliquam faciant, certiora notioraque esse oporteat his, quæ ex antecedentibus consequuntur, verendum sanè est, quando Lutheranorum placita coarguimus, ne res maximè absurdas minore evidentià refellentes peccatum hoc ratiocinationis vitiosæ ineptæque peccemus.

Nec verò hujus rei explicandæ gratià longè exempla petenda sunt, cùm habeamus in manibus: etenim ut hanc, quam modò dixi, opinationem Lutherani tueantur, ponunt primò sacras litteras non habere plures sensus. Falsò autem illud ponunt; sed demus hoc eis liberaliter. Assumunt deindè in Scripturis sensum illum unum certissimè familiarissimèque doceri, nec esse eas velut cereum quemdam nasum, in sensum omnem flexibiles, sed potiùs esse per se expositas, et in promptu cuique sine magistro et docente patere. Quibus egregiè scitèque positis, jam facilè conficiunt, sacris libris intelligendis nec veterum traditionem, nec Ecclesiæ judicium expectandum. Quæ omnia cùm et per se sint falsa perspicuè, et Scripturis ipsis vehementer repugnantia, si contendam ego ex adverso refellere, aqua mihi, ut dicitur, hærebit; qui scilicet intelligam, quam sit ridiculum confutare velle vanas commentitiasque sententias, portenta non disserentium theologorum, sed hominum somniantium, quàm stultum cuilibet opponenti contraria respondere, quàm inutile faces in meridianam solis lucem inferre, quàm denique otiosum in re manifestâ periclitari. Petrus ait in Paulinis Epistolis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti homines et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem; hi verò contrà aiunt omnes Pauli Epistolas esse intellectu facillimas. Paulus perfectis sapientiam loquitur in mysterio absconditam, parvulis autem lac potum dat, quoniam ferre aliud non possunt: isti sine discrimine omnes, ac, si Deo placet, inter pocula universa Scripturæ sacramenta devorant, et solidum etiam cibum struthineum more concoquunt. Sapientibus et prudentibus quædam Pater abscondit; istis omnia revelavit. Filius discipulis suis aliquandò in parabolis est locutus; his palàm semper loquitur, et proverbium nullum dicit. Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur quem cùm dederis homini scienti litteras ut legat, respondebit tibi: *Non possum; signatus est enim;* at his librum Agnus aperuit, aperuit item oculos, ut videant quæ nos miseri et cæci videre non possumus, imò quæ Origenes, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Hilarius, non viderunt (1). Eunuchus ille Actorum Apostolorum tàm religiosus, ut relictà aulà regià de extremis mundi finibus veniret ad templum, tàm divinæ legis amator, ut etiam in vehiculo sacras litteras legeret, non poterat Isaiam intelligere, nisi aliquis eum doceret: et ab istis Prophetæ omnes sine magistro et interprete intelliguntur. Breviter, ut Hieronymus ait, nulla ars sine præceptore percipi potest; sola Scripturarum scientia est quam hi passim sibi omnes vindicent, præsumant, doceant, antequàm discant. Sunt in libris sacris loca plurima, in quibus tanta difficultas et obscuritas inest, ut post veterum omnium interpretum vigilias, studia, operas, adhùc vix à doctissimis et optimis quibusque intelligi posse videantur. Et multitudo imperita, in quà nec ratio inest, nec judicium, universos Scripturæ locos facilè expediet atque interpretabitur! Itàne facile est expedire, ut reliqua taceam, hebræi sermonis ambiguitatem, tropos vel vetustate obscurissimos, phrases alienas ab hisce linguis quibus assuevimus, nostris inaudita proverbia, parabolas peregrinas, translationes interdùm etiam longissimè petitas? Expone mihi facilè, si potes, Proverbia Salomonis et Cantica; Ezechielis, Danielis, Isaiæ, Jeremiæ prophetias; Davidicos Psalmos expone: et si exposueris, tùm verò libri sacri nec sunt difficiles, neque obscuri. *Quis sapiens,* ait Oseas, *et intelliget ista? intelligens, et sciet hæc?* et Salomon: *Quis talis, ut sapiens est?* et: *Quis cognovit solutionem verbi?* Atqui sapientes sunt omnes isti, et summâ facilitate difficillimas Scripturæ quæstiones solvunt. Quòd si Scripturæ in varium sensum torqueri flectique non queunt, quomodò hæreses omnes ex pravâ intelligentià Scripturarum ortæ sunt (2)? At hoc non solùm tradentibus Hi-

(1) Vide Hieronymum ad Paulin., et Augustinum in Proœmio libri de Doctrinâ christianâ.

(2) « Hæreses esse non possunt, si non et perpe-

lario, lib. 2 de Trinit, Hieronymo ad Galat. 1, Irenæo lib. 1 advers. hæres., cap. 1, Augustino in Joannem, tract. 18, Vincentio Lirinensi contrà prophanas novitates, septimâ synodo, act. 6, sed manifestè etiam experimento cognovimus. Undè verò inter ipsos quoque Lutheranos de rebus maximis controversiæ, si Scripturæ in varios sensus non flectuntur? Nam illa verba : *Hoc est enim corpus meum*, alii propriè, alii per tropum accipiunt. Quæ cùm ità sint, aliâ ratione, atque isti dicunt, Scripturæ divinæ investiganda tenendaque intelligentia est. Si enim ad privatam hæc regulam dirigatur, undè evincetur Helvidius de perpetuâ Mariæ virginitate? undè Arius de verâ Dei in Christo naturâ? imò verò undè constabit, hujusne, an illius intelligentia vera sit, si Scripturas cuique licet pro suo ingenio interpretari? Cùm enim variæ erunt, ut fit, de eodem Scripturarum loco sententiæ, quæ certa sit, eam nemo præstabit. Ii enim omnes, qui inter se dissentient, pari ratione suum quisque sensum tuebuntur. Hoc enim morbi ferè innatum est hominum ingeniis, ut cedere nesciant, simul atque res in contentionem vocata est; quæ postquàm incaluit, hoc cuique videtur verissimum, quod temerè etiam tuendum susceperit. Aut igitur sensum quisque suum certum habet, et redibit insania veterum, quam Aristoteles, Metaph. lib. 4, manifestis argumentis explosit; aut nullius sententia certa erit, et præterquàm quòd dissidiorum nullus erit finis, nullum habebimus certum fidei christianæ judicium, sed ex suâ opinione quisque suam fidem sibi affinget. Ità fides catholica nulla erit. Ac re verâ ridiculi Lutherani sunt qui postulent, ut ipsis sacras litteras interpretantibus, ac novo quidem mirabilique more interpretantibus, certa fides habeatur. Non est creditum Apostolis, ut falsè ridet Erasmus, donec multa magnaque miracula fidem adstruxissent doctrinæ, et nunc quilibet sibi postulat credi, quòd affirmet se habere spiritum intelligentiæ, cùm nullus eorum tamen ne equum quidem claudum sanare potuerit. Multa prætereunda sunt, ne quid habeat injucunditatis oratio; et tamen multa dicuntur, quæ apertè horum insaniam refutent.

Sanè, nisi Cochlæus in epistolis ad Germaniæ principes et ad Bernenses antevertisset, exemplis positis periculum facerem, et in illis variè in utramque partem luderem, ut vel hoc ipso periculo compertum esset omnibus, quàm non sit difficile unumquodlibet thema è sacris litteris aut probari, aut improbari, si pro suo eas quisque ingenio interpretetur. Quanquàm, fateor, nonnulla sunt Scripturæ loca, quæ in alium atque alium sensum trahi, ne à contentiosis quidem possunt. Quis enim illud torqueat, quod Paulus ad Corinthios scripsit, alii per Spiritum dari sermonem sapientiæ, alii sermonem scientiæ, alii interpretationem sermonum? At isti omnia ecclesiastici corporis munia confundunt, istis totum corpus est oculus. Omnes siquidem Spiritu doctore, intelligunt Scripturæ universa mysteria; sed benè habet, quòd vel Lutherus ipse quædam in Psalmis loca se non intelligere confitetur. Benè habet, quòd doctores in Ecclesiâ Christus dedit, non omnes, sed *quosdam ad consummationem sanctorum, in opere ministerii*, Ephes. 4. Verùm de his et multa in secundo libro disserui, et plura adhùc in septimo disserentur, non quòd adversùm Lutheranos pugnam inire velimus, qui clausis, ut dicitur, oculis, more Andabatarum pugnant, sed quò videant catholici, cùm omnes locos ratione animoque lustraverint, nullum esse certiorem, nullum stabiliorem, nullum deniquè sacris litteris exponendis magis necessarium, quàm is est, quo Ecclesiæ traditio continetur. Quò est detestabilior Lutheranorum impudentia, qui hunc locum labefactare ac funditùs delere nituntur. Sed ut hæc omnis quæstio semel hìc, ubi proprius est locus, constituatur, aliquot fundamenta jacienda sunt, quæ theologiæ fideique simul nervos ac vires continent.

ràm Scripturæ intelligi possent. » (Tertull. de Resurr. carnis.)

CAPUT III.

In quo quatuor fundamenta ponuntur, ad traditiones Christi et Apostolorum constituendas.

Primum fundamentum. — Ecclesiam esse antiquiorem Scripturâ, fidemque proindè ac religionem sine Scripturâ constare. Nam vetustissimi illi primorum seculorum Patres, qui in lege naturæ antè Moysen veri Dei cultores sunt habiti, sacrificiorum ritum, veramque de rebus divinis sententiam non scriptis legibus, sed more et instituto majorum servavêre (1). Circumcisionem quoque à Deo primùm acceptam, Abraham deinceps familiæ prodidit. Proles verò illa hominum hebræorum ejusmodi sacramentum non aut membranis, aut tabulis inscriptum, sed in animis consuetudine imbutis quasi impressum conservavit; multosque annos in Ægypto, citrà ullam scriptam legem, unius Dei veram fidem et religionem tenuit. Christus etiam Dominus librum nullum scripsit, imò, quantùm legimus, ne præcepit quidem ut scriberetur. *Euntes*, non ait, *scribite*, sed, *prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. ult. Et per Jerem. cap. 30 : *Dabo*, inquit, *legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Et Apostolus, 2 Corinth. 3 : *Epistola*, ait, *estis Christi, ministrata à nobis et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Lex ergò evangelica, quæ lex spiritûs est, non litteræ, non est à principio litteris exarata, sed in animis fidelium insculpta. Nam et cæteri Apostoli priùs vivâ voce Evangelium docuerunt, deindè mandârunt litteris, ut testes satis graves et idonei sunt, Iren. adversùs Valentinum libro 3, Euseb., cùm aliis locis non obscurè, tùm luculentiùs in 3. histor. Eccles. lib., cap. 24, Chrysost. Homil. 1 in Matthæum, Theophilactus in initio comment. in Matth., Hieron. in ca-

(1) Josephus, lib. 1 Antiquit., cap. 4, tradit Seth et posteros duas columnas edidisse, unam lateritiam, alteram lapideam, in quibus disciplinam rerum cœlestium insculpserunt, ne quæ ab ipsis inventa erant, deperirent. Sed de inventis loquitur, non de iis, quæ à majoribus acceperant, sed ne de his quidem quæ ad mores pertinerent. Has fortè vocat Jamblicus antiquas Mercurii columnas, quas Plato quondam et Pythagoras cum lectitassent, philosophiam constituerunt.

talogo scrip. Eccles. in Matth. et in Joan., breviter, ne omnes sigillatim enumerem, universi ecclesiastici auctores. Nolo enim in apertis rebus multus lectori videri, eò maximè quòd Lucas Evangelista hujus rei certissimum testimonium præbet, inquiens : *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt, rerum; sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis; visum est mihi assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Constat igitur, doctrinæ fidei jam vulgatæ scriptionem Evangeliorum accessisse, inquam, non præcessisse. Constat item, christianam Ecclesiam et religionem non litteris primùm, sed traditione substitisse. Constat rursùs, fidei doctrinam in Ecclesiâ primitivâ non à Scripturis habuisse auctoritatem, sed contrà Scripturas à traditione. *Sicut tradiderunt*, ait, *nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Constat denique aliquandò in Ecclesiâ Christi fuisse catholica dogmata, quæ sacris nullis litteris continerentur. Quâ re permotus Irenæus, ait : « Quòd etsi Apostoli nullas nobis scripturas reliquissent, tamen et oportebat nos sequi ordinem traditionis Ecclesiæ, quùm fideles scilicet scriptum Evangelium sequebantur. »

Secundum fundamentum.—Non omnia, quæ ad doctrinam christianam pertinent, esse etiamnùm in sacris litteris expressa. Nam perpetuam beatæ Mariæ Virginitatem, descensum Christi ad inferos, baptismum parvulorum, conversionem panis et vini in corpus et sanguinem Christi, processionem Spiritûs sancti ex Filio, trium personarum in unâ substantiâ æqualitatem, earumdemque per relativas proprietates distinctionem, non ità expressa in libris canonicis invenies, sed adeò tamen certa in fide sunt, ut contrariorum dogmatum auctores Ecclesia hæreticos judicârit. Quemadmodùm igitur articulus resurrectionis continebatur in illo : *Ego sum Deus Abraham et Isaac*, quod posteà Christus Dominus minùs intelligentibus exposuit, ità nonnulla per Spiritum veritatis explicuit Ecclesia, quæ in sacris litteris habentur obscura (1).

Tertium fundamentum. Multa pertinere ad Christianorum doctrinam et fidem, quæ nec apertè nec obscurè in sacris litteris continentur. Id primùm Innocentius probat de celebr. Missæ, c. *cùm Marthæ*. Verba enim, quibus in calicis consecratione utimur, quibusque Christum Dominum usum esse profitemur, scilicet : *Mysterium fidei et æterni Testamenti*, in evangelistis non habentur. Ac ne illud quidem : *Elevatis oculis ad Deum Patrem suum.* Sententiam quoque illam : *Beatius est multò dare, quàm accipere*, Christum dixisse nesciremus, nisi Paulus in Actis, cap. 20, 25, docuisset. Quemadmodùm ergò non omnia gesta Jesu evangelica Scriptura complexa est, juxtà Joan. ult. 25, ità ne omnia verba quidem, sed quædam per traditionem accepta sunt. Rursùm, sanctorum martyrum auxilium precibus implorandum, eorumque memorias celebrandas, imagines venerandas esse, in sacrificio Eucharistiæ simul cum corpore sanguinem sacerdotibus esse et conficiendum et sumendum, sacramenta Confirmationis et Ordinis non iteranda, sacræ litteræ nusquàm fortè tradiderunt. At ejusmodi atque alia pleraque id genus ità firmiter Ecclesia catholica retinet, ac si sacris codicibus fuissent inscripta. Quatuor demùm Evangelia, quæ nunc Ecclesia recipit, quatuordecim Epistolas Pauli, breviter, ut in summâ dicam, utrumque et vetus et novum Testamentum firmissimè retinemus, nec tamen ea tenere possumus Scripturæ auctoritate. Multa igitur sunt fidei catholicæ dogmata, quæ in sacris litteris non habentur.

Quartum fundamentum.—Apostolos maximis de causis alia quidem litteris, alia autem vivâ voce prodidisse. Sed quæ illæ causæ sint, repetendum altiùs videtur. Morem porrò hunc tradendi quædam discipulis non scripto, sed verbo, olìm quoque scimus à philosophis observatum. Pythagoram certè hunc in modum discipulos instituisse, posteriorum omnium scripta testantur; qui et ipse, ut 1 Strom. Clemens Alexandr. refert, circumcisus fuit, ut adyta ingrediens, Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam. Galenus, libro 2 de anatomicâ Admin., veteres physicos ait artes à majoribus quasi per manus traditas conservâsse. Cicero, lib. 1 de Legibus, serendos in republicâ mores existimat, nec scriptis omnia sancienda; et eodem rursùs libro, sacra putat meliùs in republicâ conservari, si à patribus accepta deinceps familiis prodantur. Cæsar, de Bello Gallico lib. 6, Druidas scribit disciplinæ præcepta nefas existimâsse, ut litteris mandarentur. Scribunt item, non modò celebres Hebræorum doctores, sed ex nostris Hilarius et Origenes, Moysen non legem solùm, sed secretiorem legis enarrationem in monte divinitùs accepisse; præceptum autem ei à Deo, ut legem quidem populo scriberet, legis autem occulta mysteria ipse ministro suo Josue, hic deinceps succedentibus sacerdotum primoribus magnâ silentii religione revelaret. Anatolius quoque, apud Eusebium, lib. 7 Eccl. hist. cap. 28, 70 Interpretes refert Ptolemæo regi percontanti multa ex Moysis traditionibus respondisse. Atque illud etiam auctor Libri 4 Esdræ, cap. 14, non obscurè testatur. *Enarravi*, inquit, *Moysi, mirabilia multa, et præcepi ei dicens : Hæc in palàm facies verba, et hæc abscondes.* Quod idem præceptum Dominus Esdræ de lege instaurandâ dedit, inquiens : *Quædam palàm facies, quædam sapientibus absconsè trades.* Ad hujusmodi verò traditiones Propheta videtur spectâsse, cùm ait Ps. 43 : *Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis;* et rursùm, Ps. 77, 3 : *Quanta mandavit patribus nostris, nota ea facere filiis suis!* Ad similes quoque veterum traditiones Moyses ipse revocat, Deut. 32, ubi dicit : *Inter.*

(1) Ex illis dogmatibus plura nullatenùs Scripturâ sacrâ constant, sed verbo Dei tradito, verbi gratiâ, Virginitas perpetua B. Mariæ. Quippè dogmata non minùs in Scripturis existunt, quamvis obscurè, modò id constet ex traditione seu ex definitione Ecclesiæ ità Scripturam interpretantis. Quæcumque verò ad textus divinos non referuntur infallibili auctoritate Ecclesiæ, et tamen ut revelata à Deo ab ipsâ proponuntur, hæc, sed hæc sola, ad traditum seu orale verbum Dei pertinent. S.

roga patres tuos, et dicent tibi; majores tuos, et annuntiabunt tibi. Quædam igitur non scripto, sed verbo tradere, non philosophorum modò, verùm Moysis, imò Dei etiam consilium fuit. Hujus ergò optimi consilii rationem Jesus Christus vitæ magister habuit, habuerunt Apostoli. Multa enim à Domino illis tradita scribere noluerunt. Quibus verò rebus adducti idipsum fecerunt, breviter explicandum est. Cæsar, de Bello Gall., lib. 6, duabus de causis Druidas instituisse dicit, ne disciplinæ præcepta litteris proderentur : quòd neque in vulgus disciplinam efferri velint, neque eos, qui discunt, litteris confisos, minùs memoriæ studere; quod ferè plerisque accidit, ut litterarum præsidio diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Nimirùm, ut Joanni Pico in Apologiâ placet, prior illa causa Pythagoræ ac Platoni præcipua fuit, ut mysteria quædam occulta verborum traditione discipulis commendarent. Nec enim aliter existimârunt philosophiæ dignitatem se posse tueri. Ægyptios Clemens Alexand., 5 Stromat., refert, non quibuslibet mysteria commisisse, nec rerum divinarum cognitionem ad profanos deferre solitos, sed ad eos solos qui erant ad regnum perventuri; et ex sacerdotibus iis, qui judicati fuerant probatissimi et educatione, et doctrinâ, et genere. Exstat Lysidis Pythagorei epistola, in quâ Hipparchum reprehendit, quòd publicè, contrà ac magister instituit, philosopharetur. Nec enim fas esse ea omnibus porrigere, quæ paucis et iis quidem disertis et laborantibus communicanda sunt. Qui autem Pythagoræ præcepta passìm vulgo traderent, æquè eos impios haberi, ut qui profanis hominibus Eleusinarum dearum arcana patefacerent. Eis etiam esse similes, qui in præaltum puteum cœno plenum aquam puram atque nitentem effuderint, quos nihil aliud, quàm cœnum turbare et aquam amittere. Nec solùm à Lyside Hipparchus reprehensus est, sed accusatus à discipulis aliis, et expulsus è scholâ, et propter ipsum tanquàm propter mortuum facta columna est, quemadmodùm Clemens Alex. 5 Strom. scripsit. Non licet, inquit quoque Pindarus, apud omnes veterem aperire orationem, præterquàm fidelissimis silentii viis. Amat enim natura celari, ut Porphyrius, lib. 7 Hist. c. 2, scripsit, nec divina mysteria Deus patitur in aures vulgi introire pollutas. Aurum et gemmas in altissimas terræ latebras natura condidit : ità magno habentur in pretio; vilescerent, si essent exposita. Basilius, in lib. de Spiritu sancto, cap. 29, et Origenes, homil. 5 in Num., ob id asserunt Moysen non esse passum, ut omnia, quæ erant in templo, omnibus essent pervia; quòd sciret res usu tritas expositas esse contemptui : quod verò sepositum est et rarum, huic conjunctam esse summam admirationem et reverentiam.

Plato, scribens Dionysio de quibusdam sacris mysteriis, monet, ut epistolam è vestigio concerpat, ne in manus indigni vulgi perveniat; tantæ fuit olim vel ethnicis curæ, disciplinarum mysteria et à contemptu et à profano abusu defendere; id verò maximè si ad res sacras mysterium pertineret. Tarquinius rex Marcum Tullium duumvirum, quòd librum secreta sacrorum continentem, suæ fidei custodiæque commissum, Petronio Sabino scribendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit (Valer. Maxim. de Serv. relig. lib. 1); quod supplicii genus multò post parricidis irrogatum est. Ac justissimè quidem, ut Valerius ait, quia pari vindictâ parentum ac Dei violatio expianda est. Quæ videlicet causa Apostolis fuit ut secretò quædam ex animo in animum solo intercedente verbo transfunderent. Consentaneum enim erat mysteria quædam, præsertìm sacra, clàm populo rudi habere, perfectis et majoribus seorsùm communicanda. *Non judicavi*, inquit Paulus, 1 Cor. 2, 2 et 6, *me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Sapientiam autem loquimur inter perfectos.* Et rursùm, 2 ad Tim. 1, 13, et 2, 2 : *Formam*, ait, *habe sanorum verborum, quæ à me audisti. Bonum depositum custodi, et quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Quòd si Apostoli, quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta, passìm vulgò tradidissent, quid esset aliud, quàm adversùs Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas? Imò verò quid esset aliud, quàm omnia mysteria christianæ religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. Hæc itaque prima ratio est cur Apostoli quædam sine scripto traderent; nempè ne aut ab ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum (1). Secunda est, quoniam habet nescio quid latentis energiæ viva vox, et in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortiùs sonat, quemadmodùm Hieronymus ad Paulinum ait. Indignum ergò erat, ut tota Evangelii doctrina, quæ lex est spiritûs et vitæ, mortuis ubique litteris committeretur, nec ullâ ex parte committeretur cordibus, cùm de eâ peculiariter scriptum esset : *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam.* Servorum et rudium est, omnia ex præscripto agere. Judæorum ergò sit scripta hæc lex, quâ universa, etiam minima præfiniantur. At filii perfecti jam viri, et in libertatem gratiæ vocati, habeant legem insculptam in cordibus. Quamobrem, qui Evangelium omni ex parte in characteribus et membranis includunt, nihil illius verbo, nihil cordibus (2) relinquentes, hi Evangelio multùm adimunt et

(1) In hâc primâ ratione auctor certè exaggerat cùm secretum quo mysteria christiana tegebantur, tùm rationes quibus ea occultare Christiani inducebantur. Non enim, sicut veteres philosophi vel pagani suæ disciplinæ quamdam ex mysterio arcanisque venerationem conciliare tentabant, ità et Christiani sacræ doctrinæ. Mysteria non coràm omnibus exponebantur, ne ab ethnicis ob ignorantiam vel odium in contemptum et irrisionem venirent; nec tamen apologistæ etiam priores eadem evolvere coràm principibus, ut vindicarentur à calumniis, hæsitaverunt. A fortiori, non occultabantur plebi, seu vulgo fidelium; sed illa sensìm, ut par erat, edocebantur neophytæ et catechumeni, usquè dùm baptismo consecrati, jam portare pleniora documenta valerent, quibus singuli pro suis facultatibus, ut nunc fit, imbuebantur (vide prætereà Bergier, in Dictionar. theol. verbo *Mystères*). P. S.

(2) Quòd lex nova in cordibus insculpta sit, id non

dignitatis et virium. Papias apud Eusebium : « Si quandò, ait, advenisset aliquis ex iis qui secuti sunt Apostolos, ab ipso sedulò expiscabar quid Andræas, quid Petrus dixerit, quid autem Philippus, vel Thomas, quid verò Jacobus, Joannes, Matthæus. Nec enim tantùm mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantùm vivæ vocis præsentisque magisterium. » Hactenùs Papias. Ubi verò gentium est verbum, quod tantoperè Lutherani jactare solent? Nam scriptum verbum, si verè ac propriè loqui volumus, non est verbum. Apud nos autem, qui Christi et Apostolorum oracula vocesque tuemur, verbum Domini verè et propriè manet in æternum; verbum, inquam, vivum, quod ex doctorum ore in discipulorum transfusum aures fortiùs resonat : *Verba*, inquit, *mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore seminis tui amodò et usquè in sempiternum*.

Adde quòd ad confutandos hæreticos, major vis in traditione, quàm in Scripturâ est. Egesippus apud Eusebium refert, virginem mundam et immaculatam Ecclesiam permansisse, donec discipuli Domini exstiterunt, corruptoribus veritatis, si qui fortè fuerunt, in occultis terræ hiatibus delitescentibus; ut verò omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat vivæ vocis auditum, de hâc lùce discessit, tùm hæreticos, nudato, ut aiunt, capite, apostolicam veritatem oppugnâsse. Et Ignatius apud eumdem ea maximè ratione docet, hæreticorum vitari contagia, si diligentiùs ac tenaciùs Apostolorum traditionibus inhæreatur (1). Tertullianus quoque adhùc apertiùs monet ut adversùm hæreticos magis traditionibus quàm Scripturis disseramus. Scripturæ enim in varios sensus facilè trahuntur, traditiones non item. Nemo hæreticorum est, ut Hilarius ad Constantium Augustum tradidit, qui se non secundùm Scripturas prædicare ea quibus blasphemat, mentiatur. Omnes Scripturas sine sensu loquuntur. Et Irenæus lib. 1, cap. 1 : « Illi tali, inquit, Scripturis nituntur sua dogmata confirmare, ne sine teste esse videantur. Sed deformant eloquia Dei, atque ex figurâ hominis vulpis aut ursi figuram reddunt. » Hactenùs ille. Faciunt porrò hæretici quod patrem suum fecisse vident, ut Vincentius Lirinensis eleganter ait, et auctoris sui callida machinamenta sectantur. Nam quid ille non faciet misellis hominibus, qui ipsum Dominum majestatis Scripturarum testimoniis appetivit? *Si filius*, inquit, *Dei es, mitte te deorsùm; scriptum est enim*, etc Ità, quodcumque dogma hæreticus proferat, statìm ait : *Scriptum est enim*, et non unum, sed mille testimonia, mille exempla parat de Lege, Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo more interpretatis sententiam suam approbare conatur. Quorsùm hæc tàm longo sermone repetita? Nempè ut intelligas non modò adversùm hæreticos plùs habere traditionem quàm Scripturam virium, sed etiam omnem fermè cum hæreticis disputationem ad traditiones à majoribus acceptas esse referendam. Nam cùm utrique et Catholici, et hæretici, pro suâ sententiâ, quisque sacras litteras referant, in sensu et interpretatione discrimen est. Quis autem verus ac legitimus Scripturæ sensus habendus sit, nisi Ecclesiæ traditione cognosci certò non potest? Quemadmodùm et paulò antè docuimus, et libro 7, sumus multis magnisque argumentis demonstraturi. Atque hìnc patet causa gravissima, cur traditiones apostolicæ fuerint necessariæ. Sensus enim Scripturarum apostolicarum non erat ab Apostolis Scripturis aliis explicandus, nisi ipsi in opera sua ederent commentarios, quod à viris gravissimis semper alienum fuit. Intelligentiam ergò Scripturæ sacræ discipulis suis vivâ voce tradiderunt, ut illud Deus omni tempore in suis Ecclesiis impleret : *Dabo legem meam in visceribus eorum*. « Lex siquidem evangelica, ut Hieronymus in commentar. ad Galat. 5, 1, scripsit elegantissimè, non in Scripturis est, sed in sensu; non in superficie, sed in medullâ; non in verborum foliis, sed in radice rationis. » Ex quo magis emergit, per hujuscemodi traditiones ecclesiasticos ordines suo quemque loco divinitùs contineri; dùm et majores, qui regni cœlorum claves habent, sacrosancta Scripturæ sacræ mysteria, quibus quoque et tempore et loco dignum visum fuerit, aperiunt, et minores ab Ecclesiæ magistris libri clausi sacramenta percipiunt. Alioqui nulli essent Ecclesiæ doctores, sed quivis, quàmlibet plebeius et rudis, earum per se rerum sine præceptore quæreret intelligentiam, quas Apostolorum interpretatione, et litteris obvias expositasque haberet. Nunc autem traditiones apostolicæ non quibuslibet commendatæ sunt, sed, juxtà Paulum, *sapientibus et prudentibus, fidelibus quoque ac religiosis depositi sacramenti custodibus, qui etiam idonei sint et alios docere*. Quâ de re Dionysius, de cœlest. Hierar. cap. 1, Timotheum diligentiùs admonet, ne sancta sanctorum efferat, ea passìm rudibus exponens, sed sanctis solis sacrarum rerum intelligentias secretiùs pandat; ob hanc enim causam primos illos nostros duces necessariò summa et supersubstantialia partìm scriptis, partìm non scriptis institutionibus, juxtà quod sacræ definiunt leges, tradidisse. Quid quòd, ut Cicero ait, suaviùs mores in republicâ traditione seruntur? ne si scripto sanciantur omnia, et molesta illa fiant, et legum ac doctrinæ codex suâ mole et magnitudine terreat. Quid quòd hâc viâ vel maximè Ecclesiæ commendatur auctoritas, quam ut sponsæ charissimæ, Christus tantoperè commendavit? Cùm enim sponsi sui non verba modò, sed sensum etiam in corde servat, verè, quod Apostolus dixit, *columna est et firmamentum veritatis*. Et æquum erat, ut aliquis quasi lydius lapis in manu Ecclesiæ relinqueretur, quo falsas verasque doctrinas exploraret, verumque item

opponitur ejus scriptioni : sive enim scriptum, sive ore traditum, verbum divinum semper fidelium animis suâ gratiâ Spiritus sanctus inserit. Id solùm dicendum, quòd orale documentum, naturæ humanæ conformius, saltem in suis initiis ac primis institutionibus, ità fuit Apostolis et ipsi Christo pretiosius; item, labentibus seculis, semper prævaluit, utpotè statui sociali accommodatum ac essentiale. P. S.

(1) Montanus primus traditioni contraria nova quædam ingessisse dicitur apud eumdem Eusebium, Hist. ecclesiast. lib. 5, cap. 16, et ibidem, lib. 3, cap. 36; insuper in libro de Præf. hæret.

Scripturæ sensum à falso discerneret. Sed de causis hactenùs.

Nunc fundamentum illud confirmandum est, ostendendumque Apostolos Evangelii doctrinam partìm scripto, partìm etiam verbo tradidisse. Cujus rei primùm testes sunt Dionysius lib. de ecclesiast. Hierar. cap. 1; Clemens Alexandrinus in lib. de pasch. apud Eusebium, lib. 6 eccles. Hist. c. 11, et in lib. Strom. 1 et 5; Justinus martyr. quæst. 128, à gentibus positâ; Origenes, hom. 5 in Num.; Papias apud Eusebium, lib. 5 ecclesiast. Hist., cap. 39; Egesippus, eodem Eusebio auctore, lib. 4 eccl. Hist., cap. 8; Ignatius, eodem Eusebio referente, lib. 3, cap. 36; Irenæus, lib. 3, cap 3 et 4, quem etiam Eusebius retulit, lib. 4 eccl. Hist. cap. 14, et lib. 5, cap. 6 et 20; Tertullianus in libro de Coronâ militis; Cyprianus de Ablutione pedum; Epiphanius de Hæresibus, cùm aliàs sæpè, tùm ibi maximè, ubi Arianorum et Apostolicorum dogmata coarguit; Hieronymus adversùm Luciferianos; Augustinus, lib. 2 de Bapt. contrà Donatistas, cap. 7, et lib. 4, cap. 24, et lib. 5, cap. 23 et 26; Damascenus, lib. 4, cap. 13 et 17; Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 27 et 29. Refert autem ex his unum et item alterum Gratianus, dist. 11, cap. *Ecclesiasticarum*, et distinct. 12, cap. *Illa autem*. Potest igitur quidquam verum esse, quod sit huic talium virorum choro contrarium? Sed si tanta nubes testium hæreticorum corda non movet, vel divinis testimoniis moveantur. Quanquàm quod uno eodemque consensu tot tantique viri testati sunt, id non humanum, sed divinum est. At suppetunt etiam Scripturæ divinæ præclara testimonia : *State*, inquit Paulus, 2 Thess. 2, 14, *et tenete traditiones quas accepistis, sive per epistolas, sive per sermonem;* et rursùm, 1 Cor. 11, 12 : *Laudo autem vos, fratres, quòd, sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis;* et eodem cap. posteà : *Ego accepi à Domino quod et tradidi vobis;* et paulò post : *Cætera, cùm venero, disponam;* atque ad Timotheum 1, cap. 1, v. 1 : *Formam habe sanorum verborum*, ait, *quæ à me audisti; bonum depositum custodi;* et deindè, ibid. 2, 2 : *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Ac Joannes in Epist. 2 : *Plura*, inquit, *habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim me futurum apud vos, et ore ad os loqui.* Quid multa? Duas Petri Epistolas habemus, et credimus mutum annis septem Antiochiæ sedisse, elinguem Romæ annis viginti quinque? Nùm nihil aliud verbo docuit, quàm quod Epistolis duabus scriptum reliquit? Quid? Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus, nonne sine scripturâ, solo intercurrente verbo, Ecclesias sibi destinatas, et fundàrunt in fide, et in religione continuerunt? Consentiamus igitur, quod negari non potest, fidei doctrinam non scripto totam, sed ex parte verbo ab Apostolis esse traditam.

CAPUT IV.

Ubi sternuntur viæ ad traditiones Christi et Apostolorum investigandas.

His igitur cognitis, restat illud explicandum, ubi totius orationis cardo versatur, quonam modo theologo constare possit, hoc aut illud dogma ab Apostolis esse traditum. Verbi causâ, ponamus aliqua quæ pateant latiùs. Si in quæstionem veniat, nùm minores ordines, Jejunium quadragesimæ, Baptisma parvulorum, Imaginum venerationem, Symbolum fidei ex traditione Apostolorum habeamus, id nunc explicandum esse dicimus, anne sit via aliqua plana et expedita, quâ ad certam earum rerum intelligentiam possit perveniri. Non enim sumus ii, qui Pharisæorum instar, traditiones nostras velimus quasi divinas et apostolicas venditare, sed ubique gentium cupimus, ut vera à falsis, ità, ab humanis divina secernere; eo verò in loco maximè, ubi de dogmatibus fidei catholicæ agitur. Quo in loco quidem rerum illiusmodi permixta confusio perniciosissima est. Sunt igitur viæ quatuor apertæ, quas si sequamur, traditionibus Apostolorum vestigandis minimè aberrabimus.

Prima via ab Augustino aperitur, cùm aliis locis, tùm lib. 4 contrà Donatist., in hæc verba : « Quod universa « tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper « retentum est, non nisi auctoritate apostolicâ tradi« tum rectissimè creditur. » Est autem ratio hujus in promptu. Si enim consuetudinis cujusquam diù in totâ Ecclesiâ observatæ originem et principium, nec ad summos pontifices, nec ad concilia episcoporum referre possumus, sed ea consuetudo ad Apostolorum usquè tempora retrò trahitur, conficitur planè illam ab Apostolis esse profectam. Ut si in dubium vocetur, an minores Ordines, subdiaconatus, lectoratus, et cæteri, ex Apostolorum traditione in Ecclesiâ sint, hunc in modum pervestigabitur. Si horum Ordinum initium vel à Damaso sit, vel à Symmacho, vel ab ullo alio seu pontifice, seu concilio, certè Apostolorum traditio non fuit. Sin antè quemcumque pontificem, antè quodcumque etiam concilium mentio hujus rei apud priores habetur, donec ad Apostolorum tempora perventum est, tunc demùm intelligimus minores Ordines ex apostolicâ traditione fuisse, ut et reverà fuerunt, quoniam non posteriores modò, sed Ignatius, epistolâ 8 ad Antioch., Dionys., cap. 3 eccles. Hier., Clemens in Epist. ad univers., Anaclet. in Decretis suis, ejus rei tanquàm in Ecclesiâ jam acceptæ meminerunt. Eâdem quoque ratione docebis jejunii legem traditionis apostolicæ fuisse, cujus videlicet mentionem fecisse constat Augustinum ad Casulanum, epist. 86, et ad Januar. epist. 118 et 119; Hieronymum ad Lætam de Institutione filiæ, et lib. 2 advers. Jovinianum, et in Isaiam cap. 58; Ambros. serm. 25 et 38; Chrysost. ad popul. Antioch. hom. 3 et 16; Basil. cùm in aliis concionibus, tùm in ejus initio quam in ebriosos habuit, et in posteriore de Jejun.; concil. Nicæn., referturque distinct. 18, cap. *Habeatur;* concil. Loadic., multis capitibus; Sozomenum, Hist. Tripart., lib. 1, cap 10; Origenem, hom. 10 in Levit.; Irenæum apud Eusebium, ecclesiastic. Hist. lib. 5, cap. 24; Telesphorum in Epist. ad universos, qui jejunii nostri auctor falsò à quibusdam existimatur (1); quoniam Ignatius

(1) Vide Eusebium *De Temporibus*. Fortè antè hæc

in Epist. 4 ad Philipp., ejus rei prior meminit, atque habemus etiam canonem apostol. 68, probatum etiam a Trullan. synod. canone 9 et canone 20. Quamobrem verè ac jure Theophil. Alexandr. lib. Paschali 1 et 3, non solùm legem jejunii à majoribus traditam esse præscribit, sed affirmat fuisse evangelicam traditionem. Et Epiphanius, hæresi 80, ubi doctrinam Ecclesiæ docet, et fidem quæ traditione ecclesiasticâ servatur, cùm meminit jejunii quadragesimæ, tùm dixit apertè Apostolos tradidisse jejunia 4 et 6 feriæ. Atque Leo Papa, in concione de Pentecost., cujus initium, *Plenissimè*, jejunium quatuor temporum Trinitatis ab Apostolis dicit esse institutum. Hieronymus autem ad Marcellam adversùs Montanum non obscurè tradit quadragesimam nos secundùm traditionem Apostolorum jejunare. Quod verò in hoc exemplo fecimus, id facere per multa possumus; et hâc eâdem ratione parvulorum baptisma, consecrationem virginum, monasticam professionem, lucernam in templis cereosque lucentes, imaginum venerationem, et alia id genus multa, ab Apostolis tradita comprobare. Sanè quod in moribus diximus, idem in fidei dogmate servandum est, si unumquodlibet novum esse hæretici calumnientur. Hujus rei illustre exemplum habes apud Eusebium lib. ecclesiast. Histor. cap. 5, ultim. Sed nos pergamus ad reliqua.

Secunda itaque via huic proxima, et ea quidem expeditior est. Si quod fidei dogma Patres ab initio secundùm suorum temporum successionem concordissimè tenuerunt, hujusque contrarium ut hæreticum refutârunt, quod tamen è sacris litteris non habetur, id nimirùm per apostolicam traditionem habet Ecclesia. Exempla sunt, perpetua B. Mariæ virginitas, descensus Christi ad inferos, ut animam Adæ et reliquorum patrum, qui ibi tenebantur, erueret; certus Evangeliorum numerus, et cætera id genus quæ, ne longum faciam, non sunt annumeranda. Omnia siquidem fidei dogmata ab Apostolis accepit Ecclesia vel scripto, vel verbo, quoniam ii ministri fuêre sermonis; nec ullas in fide novas revelationes Ecclesia habet, sed eas servat quas Apostoli per Spiritum sanctum fideli populo reliquerunt, quemadmodùm posteà sumus demonstraturi.

Tertia via. Si quidquam est nunc in Ecclesiâ communi fidelium consensione probatum, quod tamen humana potestas efficere non potuit, id ex Apostolorum traditione necessariò derivatum est. Ut vota dissolvere et remittere juramenta, non erat humanæ potestatis, tùm quia jure naturæ vota nuncupata Deo reddere, et juramenta servare tenemur, humana verò facultas ea, quæ jure naturæ debita et constituta sunt, condonare ac tollere non potest, ut Gratianus, distinct. 13, statim à principio docet; tùm etiam, quia in his quæ superiori ex conventione debentur, inferioris potestas nulla est. Eademque est ratio de matrimonii rati direptione per monasticum solemne votum. Cùm enim matrimonium etiam non consummatum antè evangelicam legem jure esset naturæ indissolubile, nec esset in republicâ humanâ facultas ulla hujusmodi matrimonii dirimendi, consequens fit, hunc Ecclesiæ morem ex Christi et Apostolorum instituto descendisse. Nec enim credi potest Ecclesiam Dei aliquam sibi potestatem generaliter usurpâsse in his quæ ad jus naturæ pertinerent, nisi quam Christo et Apostolis tradentibus accepisset. Jam enim hic error esset gravis in moribus, in quibus Ecclesiam errare non posse, suo loco ostendemus. Nec me clàm est, quòd Alexander III aliter in postremo illo exemplo docere videatur. Cùm enim illi esset objectum, non posse per solemne religionis votum matrimonium dirimi, quoniam scriptum esset, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, respondit, hoc Scripturæ testimonium de matrimonio consummato esse interpretandum. Quo videlicet responso significavit, matrimonium ratum, si consummatum non esset, licere humanitùs separari. Verùm, ut omittam quòd verba illa Adæ: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne meâ*, etc., è quibus Dominus collegit, quod conjunxisset Deus, id hominem separare nec debere, nec verò posse, eo tempore fuerunt in Paradiso dicta, quo nondùm erat matrimonium consummatum; utque illud etiam prætéream, quòd matrimonii ipse contractus adeò naturâ suâ firmus ac perpetuus est, ut ne voluntate quidem contrahentium dissolvi possit, quæ tamen hominum conventionibus dirimendis valere solet plurimùm; certè theologis gravissimis semper absurdum visum est, matrimonium ullum per hominem separari. Quantò graviùs Innocentius III aliorsùm quidem, sed ad hunc etiam locum appositè dixit, non hominem, sed Deum id solvere quod summus pontifex non humanâ, sed divinâ auctoritate dissolveret! Nimirùm quod Dominus Petro dixit: *Quodcumque solveris super terram*, etc., quousque et quatenùs vel amplificandum esset, vel etiam constringendum, id ab Apostolis Ecclesiam accepisse consentaneum est, qui ejusmodi res ad Ecclesiæ gubernationem necessarias sine dubio tradidêre. Atque tradunt nonnulli, nempè in Prooemio in Joannem Evangelistam, quod Hieronymo nonnulli tribuunt, Joannem Evangelistam jubente Christo à sponsâ suâ Evangelii gratiâ fuisse sejunctum. Hieronymus certè, advers. Jovinian. libro 1, Joannem affirmat et virginem fuisse, et maritum. Theclam quoque Epiphanius, Hær. 78, tradit à Paulo nuptiis exsolutam, cùm sponsum haberet primarium urbis formosissimum, et virginem sanctam contempsisse terrena, ut cœlestium potens efficeretur. Sed contrà Alexandrum dicimus, nam hoc fortè dicet aliquis. Minimè verò gentium. Nec enim statìm pontifici contrarius est, qui argumento quo Catholici urgentur, aliam responsionem parat. De tertiâ igitur viâ dictum est satis.

Quarta via eadem et mollior, et tritior, est hujusmodi. Si viri ecclesiastici aliquod dogma, vel unam quamlibet consuetudinem uno ore testentur nos ab Apostolis accepisse, sine dubio certum argumentum est, ut ità esse credamus. Ut imagines ab Apostolis esse traditas, Patres in septimâ synodo generali, ac-

tempora jejunium more ab Apostolis accepto servatum est; à Telesphoro autem primùm lege præscriptum et præceptum est.

tione sextâ, dixerunt. Et symbolum fidei, quo vulgus fidem suam profitetur, Ecclesiam Apostolis tradentibus habuisse, auctores sunt Ruffinus in expositione Symboli; Hieronymus ad Pammachium de erroribus Joannis Hierosol.; Ambrosius in serm. 38 de Jejunio et Quadragesimâ; Cassianus, lib. 6, ad Leonem imperatorem; Isidorus, lib. 6 Etymol., cap. 18; Leo Papa, in epist. 8 et 13 ad Augustam; Clemens, in epistolâ primâ ad Jacobum, si Clemens tamen illius epistolæ auctor est. Sed de his hactenùs. Nam plura exempla ponere longum esset, nec ad rem, quam instituimus, necessarium. Satis autem fuerit, quatuor vias demonstrâsse, quibus traditionem aliquam esse apostolicam investigetur.

CAPUT V.

De variis generibus traditionum apostolicarum.

At verò, priusquàm hujus loci auctoritatem confirmo, illud animadvertendum censeo, præcepta et instituta Apostolorum esse in duplici differentiâ. Quædam enim temporaria fuêre, quorum ratio brevis et ad tempus fuit; alia fuêre perpetua, utpotè quæ causam habuêre sempiternam, ut in Ecclesiâ servarentur. Illius generis exempla sunt, de baptismo in nomine Jesu, de abstinentiâ à sanguine et suffocato; hujus autem posterioris exemplum est, de aquâ permiscendâ calici. Atque etiam alia divisio est apostolicæ traditionis. Nam alteras Apostoli à Christo Domino acceperunt, ut Matrimonium, Confirmationem, Extremam Unctionem, esse sacramenta novæ legis, quæ ipse quidem instituit Christus, suorum sacramentorum primus idemque solus auctor, sed Apostolis tradidit christiano populo administranda; alteras verò traditiones Apostoli ipsi, Spiritu sancto suggerente, ad Ecclesiæ utilitatem ediderunt, quas tamen eis Christus Dominus, dùm in terrâ degeret, nusquàm edidit, ut quadragesimæ jejunium; quod licèt Hieronymus in secundum Jonæ caput, Ambrosius, conc. 36, Chrysostomus, hom. 1 in Genes., ad Christum auctorem referre videantur, at reverà, ut equidem sentio, apostolicum institutum fuit. Quod Christo tamen assignatur, vel quia ad Christi jejunantis exemplum ab Apostolis institutum est, vel quia apostolica edicta Christi esse censentur, qui per Apostolos Ecclesiæ loquebatur, atque adeò per Spiritum sanctum Apostolis, juxtà illud, quod Joannis cap. 16, scriptum est : *Adhùc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Et Apost. cùm quoddam de suo consilium dedisset : *Puto autem*, ait, 1 Cor. 7, 40, *quòd et ego Spiritum Dei habeam*, et rursùm, 2 Cor. 13, 3 : *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus? In* his autem traditionum generibus illa eadem consideranda sunt quidem, quæ in superiore libro de Scripturæ etiam legibus, admonuimus; sed discrimen illud maximè, quod de Scripturarum præceptis ibi positum, transferri hùc ad traditiones debet. Ex traditionum quippè vinculo, quas à Christo acceptas Apostoli fidelibus servandas reliquêre, Ecclesia fideles eximere non potest, nec illas contrariâ aliquâ consuetudine abolere. Si enim, exempli causâ, materias et formas sacramentorum Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis à Christo Apostoli, nos ab Apostolis accepimus; si ad eumdem quoque modum matrimonia non consummata per solemnem castitatis professionem dirimi, consummata verò per conversionem ad fidem, conjuge infideli discedente, Christus Dominus Apostolis, illi nobis edixerunt, in his tanquàm in divinis institutis Ecclesia nihil habet potestatis.

In quem sensum explicanda sunt duo illa capita : *Sunt quidam*, et : *Contrà statuta*, 25, qu. 1. Nec hujusmodi traditiones possunt per contrariam consuetudinem antiquari; sed tali adversæ consuetudini jure objiciuntur cap. *Veritate*, et cap. *Si consuetudinem*, et cap. *Frustrà*, distinctione 8. In aliis verò, quæ videlicet Apostoli constituerunt tanquàm Ecclesiæ pastores, poterit quidem summus pontifex, ut in cæteris Ecclesiæ legibus dispensare (sic enim schola loquitur), poteritque item contrarius populi mos instituta hujus generis abrogare. Ut trina immersio quam ex apostolicâ traditione in Baptismi sacramento Ecclesiam habuisse, canon apostolorum 49 ostendit, per contrariam consuetudinem abolita est. Ejusdem quoque ordinis est quadragesimæ jejunium, ac pœnæ rursùm ab Apostolis pro criminibus præfinitæ, quæ distinctionè 82, cap. *Presbyter*, ex concilio Gangrensi referuntur. Ad hoc genus illud refertur, quod ex Anacleti primâ epistolâ hæretici urgere solent : « Peractâ consecratione omnes « communicent, qui noluerunt ecclesiasticis carere li« minibus; sic enim Apostoli statuerunt. » Quanquàm de ministris, qui episcopo sacrificanti in diebus solemnioribus inserviebant, Anacletus loquitur. Quarè indè colligi non potest, omnes eos, qui missæ intererant, oportere etiam tunc communionem Eucharistiæ sumere, in his præsertim diebus qui solemniores non essent; nam, ut antiquo more et Apostolorum instituto, communio totius etiam populi à principio statìm nascentis Ecclesiæ exigeretur, ætate tamen Chrysostomi, præceptum relaxatum esse constat, et communionem adstantium voluntati permissam, ad quam eos diaconus altâ voce invitabat, non cogebat. Hæc enim et alia hujusmodi tametsi ab Apostolis tradita sunt, non sunt tamen ità fixa, ut moveri non queant; cùm Christi ipsius præcepta et instituta, quemadmodùm diximus, adeò stabilia rataque sint, ut convelli nullius hominis auctoritate liceat. Cujus ratio loco superiore reddita, frustrà hic à nobis resumeretur. Atque illud de institutis ad gubernationem populi pertinentibus intelligi volo. Nam dogmata fidei sive Christus ipse per se Apostolis revelârit, seu Spiritus sanctus post Christi Ascensionem in cœlum, mutari non possunt; sed firma hæc in veritate remanent, perindè atque illa quæ Christi sunt ore prodita.

CAPUT VI.

De firmitate et certitudine traditionum apostolicarum.

Quibus rebus expositis, non erit difficile ostendere,

id quod in hâc parte maximè quæritur, ex Christi et Apostolorum traditionibus certissima posse argumenta elici, et ad Ecclesiæ consuetudines, et ad fidei dogmata comprobanda. Si enim Apostolus Paulus Ecclesiæ consuetudinem Corinthiis contentiosis opponit, cur nos itidem Ecclesiæ morem ab Apostolis usquè receptum, totque seculorum usu ac gentium consensione probatum, non opponemus hæreticis, cùm à nobis Scripturam in cujusque rei confirmationem efflagitant? Certè Paulus, cùm et per Scripturas, et per naturæ rationem satis dixisse videretur ad ejus rei fidem faciendam quam Corinthiis persuasam esse cupiebat, considerans tamen inter Corinthios fore quosdam qui illiusmodi fortè et testimoniis et rationibus repugnarent, non aliud potius argumentum ad causam evincendam habuit quàm si eos ad Ecclesiæ morem revocaret: *Si quis, ait, videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Quod dicit, tale est: Si quis adeò est durus et pertinax, ut argumentis positis non adducatur, sed adhùc contendat feminam aperto capite orare oportere, hunc ego non aliter refello, quàm quòd Ecclesiæ Dei talem consuetudinem non habent. Tanta vis in traditione est, ut quos nec Scripturæ, nec naturæ ratio movisset, eos Paulus existimârit Ecclesiarum more et instituto refellendos. In priore rursùm ad Timoth. Epistolâ, cap. 6, 3: *Si quis*, ait, *aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus;* non dicit, Scripturis. Et ad Galat., 1, 9: *Si quis*, inquit, *vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Quibus ex locis rectè Origenes, in commentariis Epistolæ ad Titum (1), definit hæreticum eum, qui se Christo credere profitetur, et aliud de veritate fidei christianæ credit, quàm habeat traditio ecclesiastica. Et lib. 1 Periar.: « Sicut multis, « inquit, apud Græcos et Barbaros pollicentibus veri« tatem, desuevimus apud omnes eam quærere, qui « eam falsis opinionibus asserebant, postquàm credi« dimus Filium Dei esse Christum, ab ipso hanc dis« cendam esse persuasi sumus; ità, cùm multi sint, « qui se putant scire quæ Christi sunt, et nonnulli « eorum diversa à prioribus sentiunt, servetur verò « ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab « Apostolis tradita, et usquè ad præsens in Ecclesiis « permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in « nullo ab ecclesiasticâ traditione discordat. » Hactenùs Origenes. Ignatius quoque in epistolâ ad Heronem: « Omnis, ait, qui dixerit præter ea quæ tradita « sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi jejunet, tametsi « virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi pro« phetet, lupus tibi appareat. » Si igitur anathema, hæreticus et lupus habendus est, qui ecclesiasticæ traditioni repugnat, ex illâ profectò certissima argumentatio promitur ad fidei dogmata et Ecclesiæ mores comprobandum. Præterea auctores gravissimi apertè confirmant hujusmodi instituta etiam sine litteris accepta eamdem vim habere, ac si scripta ab Apostolis fuissent. Irenæus, lib. 3 advers. hæreses, cap. 4, et lib. 4, cap. 45; Tertullian. item, quamvis ipse posteà ab Ecclesiæ traditione discesserit, in lib. tamen de *Coronâ militis*, eamdem sententiam habet. Cujus verba libet in præsentiâ referre; nec enim solùm quid sentiat tradit, sed cur etiam sentiat: « Antiquas, inquit, ob« servationes Ecclesiæ, si nulla scriptura determina« vit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio « de traditione manavit. » Et statìm, cùm quarumdam traditionum meminisset, quarum in Scripturis mentio nulla est: « Istarum, ait, et aliarum disciplinarum si « expostulas legem, nulla tibi legis traditio prætende« tur. Auctrix est consuetudo, confirmatrix est, et fi« dei observatrix, idonea est testis traditionis vete« ris. Consuetudo autem etiam in civilibus rebus « pro lege suscipitur; nec differt, scripturâ, an ra« tione consistat. » Hactenùs Tertullianus. Ac præclarè ille quidem, quoniam si legem ratio commendat, mos, qui ratione constet, non minùs quàm lex habet commendari, dist. 1, cap. *Consuetudo*. Basilius insuper, in libro de Spiritu sancto, cap. 27, ac magno quidem argumento eamdem rem confirmat, inquiens: « Do« gmata, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habe« mus è doctrinâ scripto proditâ, quædam rursùs ex « Apostolorum traditione in mysterio occulto recepi« mus. Quorum utraque parem vim habent ad pieta« tem, nec in his quisquam contradicit, qui sanè vel « tenuiter expertus est. Nam si consuetudines, quæ « scripto proditæ non sunt, tanquàm non multùm ha« bentes momenti, conemur rejicere, et ea damnabimus, « quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur; « imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum no« men contrahimus. » Hactenùs Basilius. Cujus ratio, si auctoritas negligitur, certissimam rei hujus facit fidem. Cùm enim Scripturas ipsas Ecclesiæ auctoritate recipiamus, nec certiore argumento Evangelium Matthæi nomine inscriptum ipsius verè esse probemus, quàm quòd sic à Patribus accepimus; simili profectò ratione ex reliquis institutis, quæ videlicet ab Apostolis retinemus, firma argumenta derivabimus. Quòd si quis novum librum sacrum ingerat, quem patres nostri minimè receperunt (ut Basilides, qui prophetas sibi nuncupavit atque constituit, juxtà Eusebium, lib. 4 Hist. eccl.), is non alio certiore argumento refelli potest, quàm traditione majorum, ut secundo jam libro latiùs explicatum est. Sic quippè apud Eusebium lib. 6, cap. 10, Evangelium nomine Petri ab hæreticis prolatum, Serapion gravissimè exclusit. Atque, ut Basilius argumentatur, etiam in reipublicæ judiciis, ubi Scripturæ deest instrumentum, testibus habetur fides; et sicut in rebus humanis oculatos testes, ità in fide auritos accipimus, quia fides ex auditu est. Esset autem ridicula respublica, quæ in judiciis scripto omnia, nihil sine scripto probaret. Scripturas enim propter litigiosos facimus. Alioqui boni viri, solo verbo in veritate et officio continentur.

Præterea multa ad christianos mores et doctrinam pertinent, quæ è sacris litteris non habentur, ut ante à nobis constitutum est; stultum ergò fuerit in omnibus Scripturam postulare. Traditione itaque opus ali-

(1) His Commentariis caremus, sed refertur locus in Apologiâ Pamphili.

quandò est ad fidei dogmata comprobanda. Rursùs, cùm traditiones non scriptas Polycarpus, Tertullianus, Irenæus, Marcioni ac Valentiniano: Epiphanius Melchisedechianis, Apostolicis, Aerianis; Hieronymus Vigilantio, Augustinus Donatistis; deniquè (ut in summâ dicam) omnes sancti adversariis catholicæ fidei fidenter objecerint, earumque vi, perindè ac si fuissent scriptæ, hæreses sui quisque temporis deturbaverint; certè non minori efficaciâ per hujusmodi traditiones nos hæreticorum, qui aut nunc sunt, aut etiam sunt futuri, quæcumque dogmata refellere ac deturbare poterimus. Absurdissimum quippè fuerit, ut Hieronymus adversùs Vigilantium colligit, unum Lutherum, aut Œcolampadium, in Ecclesiæ angulo obloquentem audire, universos autem majores nostros usquè ab Apostolis contemnere; quorum traditiones si negligamus, difficile dictu est, quantùm religio detrimenti sit latura, quemadmodùm distinct. 11, cap. *Ecclesiasticorum*, dicitur. Qualis enim rerum omnium facies erit, qualis præsertìm ergà Deum pietas, cultus, cæremoniæ, non in Ecclesiâ dico, cujus et mysteria, et sacramenta, maximâ ex parte traditione constant; sed in unàquâlibet republicâ vel mediocriter institutâ, si mores illi, qui à principio statìm cum republicâ adoleverunt, contemnantur, labefactentur, evertantur?

Longiores hoc loco sumus, quàm necesse est. Quis enim est cui non perspicua sint illa quæ pluribus verbis à quibusdam commemorantur? Commemoratur ab his Augustinus in epistolâ ad Januarium, et in alterâ quoque ad Casulanum, in quibus scripsit insolentissimæ insaniæ esse disputare an ejusmodi consuetudines servandæ sint; nec minùs esse eos coercendos, qui has contempserint, quamvis humanæ aliquæ illarum sint, quàm si divinas leges prævaricarentur. Commemorare et alios auctores possemus, sed uteremur in re non dubiâ testibus non necessariis. Paulus enim unus abundè rei hujus facit fidem in 2 ad Thess. Epistolâ, cap. 2, inquiens: *Tenete traditiones, quas accepistis sive per epistolam, sive per sermonem.* Parem ergò vim habent apostolica dogmata, pariterque retinenda sunt, sive scripto, seu verbo ad Ecclesiam pervenerint, ut D. Basilius in lib. de Spir. sancto, cap. 20, ex hoc ipso Apostoli testimonio argumentatur. Quin Apostolus ipse ad Hebræos, et ex Scripturis, et ex traditione argumentatus est, quemadmodùm Chrysostomus homiliâ 18 in Epistolâ ad Hebræos admonuit.

Ex quibus omnibus multisque aliis perspicuum est, qui traditiones contempserint, eos tanquàm hæreticos jure ac meritò ab Ecclesiâ fuisse semper explosos. Ità enim hæretici illi sunt habiti, qui solemnia quadragesimæ jejunia ab Apostolis accepta pro nihilo habuère, ut apud Augustinum, de hær. cap. 53, et apud concil. Gangrens. in epistol. ad episcopos Armeniæ videre licet; ità, qui distinctionem episcopi et presbyteri negârunt, etiam hi hæreseos sunt damnati, ut apud Augustinum, eodem lib. et cap., et apud Epiphanium, lib. 3, cap. 75, et apud concilium Constantiense reperies; ità breviter, sive Wicleffistas, sive Lutheranos, sive alias quascumque antiquiores pestes non minùs exhorruit Ecclesia in eo quòd hujusmodi traditiones inficiati sunt, quàm in eo quòd scripta dogmata rejecerunt, indè adeò venit, ut septima synodus generalis, action. 7, doctrinam nostræ orationi maximè consentaneam ediderit in hæc verba: « Fatemur nos ecclesiasticas traditiones sive scripto, sive consuetudine valentes retinere velle, quarum de numero est imaginum effiguratio. Catholicæ igitur Ecclesiæ traditionem observantes, definimus sanctas imagines venerandas. Qui ergò ausi fuerint aliud sentire, aut more impiorum hæreticorum ecclesiasticas traditiones contaminare, si episcopi fuerint, deponuntur; si laici, communione privantur. » Et in fine ejusdem sessionis: « Si quis, aiunt Patres, traditiones Ecclesiæ sive scripto, seu consuetudine valentes non curaverit, anathema sit. » Et concilium Tridentinum sessione 4, idem definit his verbis: « Sacrosancta Tridentina synodus, prospiciens veritatem Evangelii salutarem et morum doctrinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus ipsius Christi, quæ ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usquè pervenerunt; traditiones ipsas tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquàm vel ore tenùs à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas et continuâ successione in Ecclesiâ catholicâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ cum libris sacris suscipit, ac veneratur. » Et posteriùs: « Si quis autem traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit. » Ne plura. Reverti enim decet ad ea, quæ capite tertio posui fundamenta, ex quibus ut nihil aliud adjiceremus, id ipsum, quod hoc nunc capite persequimur, satis exploratum esset. Verùm ut singula persequi est operis infiniti, ità quædam explicare fusiùs est necessarium. Nec tamen quæ huic loco explicando dedimus nimis multa videri debent. Quò enim huic loco vis ab hæreticis major infertur, eò nobis magis elaborandum erat, ut is quàm diligentissimè et expliearetur et muniretur. Atque, quemadmodùm suprà diximus, ex decem partibus, in quas loci theologici naturam vimque divisimus, secunda hæc quæ in traditione consistit maximè theologiam et fidem attingit; et res tanta paucis solvenda non erat. Sed jam argumenta ea tandem diluamus quæ capite primo adversùm traditiones opposuimus (1).

CAPUT VII.

In quo refelluntur argumenta capitis primi.

Illud verò argumentum, quod est à principio positum, non est difficile refutare. Ridiculum est enim credere apostolicas traditiones non eâdem fide ac diligentiâ posse in fidelium cordibus asservari, ac si in papyro scriberentur. Nam nec in Scripturâ Spiritus Dei vivi faciliùs quàm atramentum deletur, et sunt pleræque traditiones quas more et usu facillimè videas retineri. Quòd si Christi providentia Ecclesiæ Chris-

(1) Plura ibi adderemus ad pleniorem traditionum distinctionem, nisi infrà, ad finem hujus tertii libri remissa, cum aliis utiliùs exponerentur. P. S.

tianæ deest, tùm verò nec traditiones asservatas ego defendo, nec certam Scripturæ auctoritatem; utraque enim justa res sine Dei procuratione non constat, quam si tollas, neque traditio, nec Scriptura vindicatur. Sed si Christo curæ Ecclesia sua est, jam non erit ambiguum quin, quemadmodùm Evangelium illa in sensu potiùs, quàm in litterâ custodit, ità et cæteras custodiat traditiones, quas ei Apostoli tantoperè commendârunt. *O Timothee*, inquit Paulus, *depositum custodi, devitans prophanas vocum* (1) *novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ*. Quem locum miror à Cajetano de gregis commissi deposito, non de commissâ doctrinâ esse intellectum; præsertìm cùm alterum simillimum in posteriore ad Timotheum Epistolâ non de grege, sed de doctrinâ interpretetur. Debuerat autem Cajetanus admoneri Paulum de verbo Dei fuisse locutum, ex iis quæ è vestigio subdit: *Devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ;* utraque enim harum traditioni apostolicæ adversa est, vocum prophana novitas, et falsi nominis scientia. Traditio quippè vetustate commendatur; et, si quid audieris in Ecclesiâ novi, tùm verò id scias esse, ut antiquitati, ità quoque apostolicæ fidei contrarium. Cùm autem legis voces esse vitandas, non tibi vocum sonus veniat in mentem, sed vocum significatus. Dogmata enim sententiasque novitias vitare jubet Apostolus, non verborum sonitus inanes aut novos. Tametsi novitia quoque verba, quoad licebit, vitare in fidei morumque disciplinâ debemus. Scientiam verò falsi nominis vel sophisticam, vel artem cabalisticam intellige. Nam traditionibus apostolicis occultæ illæ cabalistarum traditiones non aliter opponuntur, ac fabulosa veris, sacris superstitiosa. Quanquàm adversùs Gnosticos Apostolus disserens, ut verè Theophylactus affirmat, falsam illorum scientiam traducit, quam tamen illi rudi plebi magno pretio vendebant. Quòd si nihil est tàm contrà tradita ab Apostolis antiqua dogmata, quàm opiniones in Ecclesiâ tùm novæ, tum prophanæ (vetera enim eademque sacra mysteria fides apostolica probat, aspernaturque contraria), nihilque tàm est secundùm Apostolos, quàm non recedere ab his, quæ olìm accepimus (nimirùm de verbi, non de gregis deposito Apostolus loquitur), itemque si falsi nominis scientia vel sophistica intelligitur, ut quibusdam placet, vel cabalistica, ut etiam Cajetano est visum, vel illa Gnosticorum, ut Theophylacto, mihique etiam probatum est; necesse est, cùm veræ falsa scientia adversetur, contrariorum eumdem esse sermonem. Quæ quanquàm ità sunt in promptu, ut res confirmatione non egeat, sunt tamen nobis Vincentii Lirinens., viri gravissimi, auctoritate confirmanda: « Depositum, inquit, id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitâsti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non privatæ usurpationis, sed traditionis publicæ; rem ad te perductam, non à te prolatam; in quâ non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. Aurum accepisti, aurum redde; nolo mihi pro aliis alia subjicias. Custodi propter inimicos, propter fures; custodi etiam diligenter, sedulò, fideliter, ut suo tempore, cùm oportuerit, quibusque oportuerit, reddas, devitans prophanas vocum novitates, id est, sententiarum, dogmatum, rerum, quæ sunt vetustati contrariæ. Nulla quippè hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore emersit; nec quisquam hæresim instituit, nisi qui se priùs ab Ecclesiæ catholicæ et antiquitatis consensione discreverit. Hoc ergò apud omnes hæreses legitimum fuit atque solemne, ut prophanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant. Contrà verò Catholicorum hoc proprium, deposita sanctorum Patrum et commissa servare, damnareque prophanas novitates. Ità enim in concilio Ephesino omnium Patrum una fuit vox, ut, quod erat antiquitùs traditum, teneretur; quod adinventum nuper, exploderetur. » Hactenùs Vincentius. Hujus verò apostolici testimonii tanta vis adversùm hæreticos fuit, ut Clemens Alexandr. 2 Strom. lib., scribat, hæreticos, quoniam eo testimonio evincebantur, Epistolas Pauli ad Timotheum explosisse. Ut eò igitur, undè digressa est, se referat oratio, non fuerunt majores nostri in re tàm necessariâ negligentes; sed quod Apostolus Timotheo, et in illo magnâ curâ commisit omnibus, id magnâ etiam illi curâ servârunt. Itaque in primo illo argumento Lutherani haud secùs ratiocinantur, ac si non divinitùs res ecclesiasticæ gererentur. Quòd si ità pergunt, pari ratione suadebunt, nec canonicos libros quidem eosdem mansuros semper, sed si placet, etiam perituros. Nam quot libri tineas pascunt blattasque diserti? Quot auctorum monumenta hominum incuriâ interciderunt? Nimirùm enim Pythagoras quoque ipse, ut Lysias Pythagoricus ad Hypparchum scribit, commentariolos quosdam Damæ filiæ testamento reliquit; qui tamen, ac multò etiam magis quàm traditiones interière. Quæ dùm ità sint, verendum non est, ne Apostolorum instituta, quæ digito Dei non in tabulis lapideis, sed in Ecclesiæ visceribus scripta sunt, humanâ oblivione deleantur. Ac de primo quidem argumento satis multa diximus; vereor etiam ne nimis multa.

At secundò ità respondeo: Non vult Augustinus, dicta factaque Jesu ab Evangelistis scripta, ad salutem fidelium et doctrinam esse satis. Alioqui Epistolæ apostolicæ, Apostolorum Acta, liber Apocalypsis, totum etiam legis veteris Instrumentum, supervacanea esse, non necessaria viderentur. Sed hoc vult, non fuisse opus ad fidelium salutem, ut ex dictis, factisque Jesu alia scriberentur, quàm quæ scripta sunt. Hæc enim scribere satis fuisse, reliqua ab Evangelistis sine culpâ prætermissa. Nam quòd rursùm nobis Augustinus objicitur, facilis est et prompta defensio. Quæ enim usu et more Ecclesiæ tenemus, ea non modò non sunt obscura, sed adeò sunt aperta, ut de iis disputare insolentissimæ insaniæ esse idem Augustinus existimâvit. Cùm ergò ait: *Ubi de re obscurissimâ disputatur*, etc.

(1) Καινοφωνίας noster legit interpres, quemadmodùm et Ambrosius et Chrysostomus legisse videntur. Certè latina Ecclesia *novitates* legit, non *inanitates*. Sic etiam Basilius ubique legit, ut auctor est Theophylactus.

satis indicat, se de his loqui nullo modo, quæ Ecclesiæ instituto et traditione constant. Alioqui illud nobis adversarii expediant velim, quod Augustinus idem lib. contra Cresc. 1, cap. 33, disertè tradit in hæc verba : « Quamvis hujus rei certè de Scripturis canonicis non « proferatur exemplum, earumdem tamen Scriptura- « rum etiam in hâc re à nobis teneretur veritas, cùm « hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, « quam ipsarum Scripturarum commendat auctori- « tas ; ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, « quisquis falli metuit, eamdem Ecclesiam consulat, « quam sine ullâ ambiguitate sancta Scriptura demon- « strat. »

Jam verò Apostoli testimonium perversè nobis opponitur. Nam hominem Dei Ecclesiæ doctorem hìc Paulus appellat, qui per litteras sacras ad omne ministerii sui opus instruitur. Quatuor quippè sunt res, quas verbi sacri administer præstare debet : nempè docere, arguere, corripere, erudire. Quæ utique omnia doctoribus Evangelii Scriptura divina suppeditat. Quòd si quisquam contendit, generaliter hunc locum intelligendum, huic non maximo equidem opere repugnaverim ; concedat mihi modò, Scripturas non singulatìm et in specie semper de rebus universis præcipere. Si enim specialiter scripta sunt omnia, quid illud est quod ait Paulus, ad Cor. 11, 34 : *Cætera, cùm venero, disponam?* Quid illud rursùm Joannis Epist. 2, v. 12 : *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum : spero enim me futurum apud vos, et ore ad os loqui.* Scriptura itaque divina non de iis solùm instruit, quæ scripta sunt ; sed de iis etiam, quæ non sunt scripta. *Tenete,* inquit Paulus ad Thessalonicenses, 2 Epist. 2, 14, *traditiones quas accepistis, sive per epistolas, sive per sermones.* Et in hoc ipso cap. 3 posterioris ad Tim. epist., cujus nos testimonio impetimur, cùm dixisset Apostolus : *Tu autem assecutus es meam doctrinam et institutionem* (quibus verbis utrumque genus disciplinæ complexus est, quod scripto, et quod instituto continetur), mox subjungit : *Tu verò permane in his, quæ didicisti, et credita sunt tibi.* Didicerat enim sacras litteras Timotheus, ut ibidem tradit Apostolus, et prætereà mysteria evangelicæ doctrinæ concredita acceperat, ut cap. 2 dictum erat, et cap. 6 prioris ad eamdem epistolæ. Non ergò eo loco traditiones excludit Apostolus, sed potiùs commendat.

Sanè verò quod argumentum ex Deuter. 17 cap. Lutherus addit, hoc nullius propemodùm est momenti. Legem enim nos non in chartis solùm papyraceis scriptam accepimus, sed eam magis, quæ in visceribus inscripta est. Nec adeò rudes sumus, ut apud nos lex verbo tenùs tradita legis nomen minùs habeat, quàm ea, quæ litteris editur. Fatemur ergò sacerdotes non esse audiendos, nisi docuerint juxtà legem Domini. Sed qui instituta apostolica Ecclesiæ tradunt, ii vel maximè docent nos juxtà legem Domini ; qui verò contrà ecclesiasticas traditiones pugnant, hos cum lege Domini pugnare contendimus. Quâ ex re Calvini calumnia facilè obteritur. Accusat enim Ecclesiam, quasi traditiones contrà sacras litteras invexerit. Dicitur enim Deuter. 12, ne requiramus alias in colendo Deo cæremonias præter eas, quæ lege præceptæ sunt, nec his quidquam vel addamus, vel minuamus. Et Salomon : *Ne addas,* inquit, *quidquam verbis Dei, et arguaris inveniarisque mendax.* Prov. 30, 6. At verò quamvis traditiones Ecclesiæ quædam essent Scripturæ sacræ additamenta, non tamen sunt illæ verbo Dei additæ ; quin potiùs divina verba sunt, non aliter ac illa quæ in sacris libris scripta sunt. Non enim in præsenti de traditionibus disserimus, quæ à posteris Ecclesiæ præfectis prodiderunt, quas alterius loci et temporis est defendere ; sed de Christi et Apostolorum traditionibus disputatio est, quas, hìc nos ut divina oracula, jure verèque tuemur. Nec traditiones etiam hujusmodi divinarum Scripturarum sunt additamenta, sed complementa sunt potiùs, et earum quasi commentaria. Alioqui accusentur prophetæ, quòd legi Moysis quidpiam adjecerint ; accusentur Apostoli, qui epistolas addiderint Evangeliis, asinæque et pulli simplicitatem suis appositè vestimentis ornârint ; accusa item, si placet, eosdem, qui decretum de idolothytis, sanguine et suffocato sanxerint, ac canones quoque aliquot ediderint, qui in sacris libris scripti non sunt. At non sunt istæ, ut diximus, Scripturæ additiones, sed interpretationes, quemadmodùm adversùs Græcos in concil. Florentino sess. 4, 5, 6 et 7, latiùs explicatum est. Quâ etiam ratione ecclesiasticas, et doctrinam et leges, institutaque salutaria defendimus. Non enim Ecclesia his edendis aut nova fundamenta jacit, aut novas fabricas addit ; sed superædificat super fundamentum Apostolorum et Prophetarum aurum, argentum et lapides pretiosos ; regnique cœlorum semina reddit non alia, sed eadem auctiora, ut Eus. 3 lib. eccl. hist., c. 37, dixit. Atque nos itidem hanc eamdem doctrinam lib. 7. capite postremo, si vita superest, locupletabimus. Nunc de 4 argumento dictum est satis.

Ad quintum respondeamus. Chysostomus porrò, sive quis alius est auctor, non ait, *Scripturarum veritati* quod hæretici citare solent, sed *nisi ea dixerint, quæ convenientia sunt veritati.* Quanquàm, qui traditiones apostolicas docent, ii reverà ea dicunt, quæ congruunt Scripturarum etiam veritati. Quod verò de Papiæ traditione nobis opponitur, id ab Eusebio refellitur, lib. 3 Ecclesiast. hist., cap. ultimo, ubi ait Papiam, ut qui exigui sensûs vir et minùs capacis esset, spirituales et mysticas Apostolorum traditiones corporaliter et secundùm litteram suscepisse. Non ergò si unus aut item alter traditionum apostolicarum prætexerit auctoritatem, fidem nos statìm habere debemus. Nam et nonnulli sacras litteras præferunt, quos jure ac meritò explodimus, quoniam sacrarum litterarum testimoniis abutuntur. Eodem quoque modo Irenæus potuit à Papiâ et aliis discipulis Joannis decipi in ætate Domini salvatoris ; credidit enim, nec discussit, an vera dicentibus crediderit. Sed de hâc re disseremus posteà diligentiùs.

Theophili autem, Hieronymi Origenisque testimoniis non est cur pluribus respondeamus. Nam adversùm eos loquuntur, qui vel humana commenta sacris

etiam litteris adversa, vel historias quasdam apocryphas, tanquam res divinas et certas, posteris venditabant. Atqui si Hieronymus hujus etiam testimonium urgentes premunt, non existimabat quidquam esse credendum, nisi quod sacris litteris esset proditum, quâ fronte adversùs Luciferianos, Vigilantium, Helvidium traditionum auctoritate argumentatur?

Calvini porrò confirmatio quàm frivola sit et planè ridicula, facilè [illegible] intelligant ii, qui mecum eam expendere volent. Equidem eum quoque hortarer, ut hæc animum seriò adverteret, si quid docendo proficere me apud illum posse considerem. Sed quando [illegible] veritatis ratione, hoc unum propositum est, quacumque possunt viâ rem suam agere, pauca tantùm dicam, quibus sese boni ac veri theologi ab eorum captionibus expedire queant. Primum autem Joachimus Camerarius, non *plenè*, sed *planè*, habuit in hunc modum : *Evangelia enim*, etc., *planè instruunt nos de sensu numinis*. Deindè ut quem in modum Calvinus citat, nos quoque legeremus, nihil adferret tamen. Nam cùm Scripturæ ipsæ et Ecclesiæ magisterium, et traditionum auctoritatem non obscurè commendent, profectò *de sensu numinis plenè nos instruunt*. Docent enim sensum numinis sive scripto, seu verbo traditum, juxta esse tenendum. Quid quòd concitatæ et [illegible] esset, statìm in proœmio verba dicentis retundere, ejus præsertìm, qui bonâ fide loqueretur? An mox cieri turbas æquum esset, et id impudenter antevertere, quod erat in concilio magnâ vi et contentione transigendum? Illud enim Ariani præscripserant, ut capite primo ostensum est, sese in fidei quæstione præter Scripturas nihil omninò recepturos. Consueverunt autem synodi Patres, quæ obiter ab uno quolibet dicuntur, qui non sit fidem facturus concilio, ea prudentissimè dissimulare, quò res, de quâ potissimùm agendum est, suo et loco et tempore commodiùs agatur, quemadmodùm nobis libro posteà quinto explicandum est. Nec Nicæni Patres omnia ea, quæ Constantinus dixerat, amplexi sunt; sed cùm monuisset, ut hostili positâ discordiâ quæstiones explicarentur, et omnes cuperet confiteri apostolicorum dogmatum unitatem : « His, inquit Theodoretus, assensus maximæ partis accessit, interque se concordiam et sanitatem dogmatum constituerunt. Pauci tamen, » etc. Ex Constantini igitur testimonio, synodi [illegible] silentio nihil omninò conficitur. Præterquàm quòd etsi litteris sacris disputatio esset instituenda, sensum earum tamen non ex ipsis litteris mortuis, sed ex vivæ vocis traditione oporteret accipere; ità traditionis semper usu et auctoritate indigeremus. De octavo igitur argumento hactenùs.

Traditiones autem Apostolorum, de quibus agimus, humanæ non sunt, sed divinæ. Itaque qui eas docent, hi non docent doctrinas hominum, quæ omninò doctrinæ vel Dei præceptis contrariæ intelliguntur, juxtà illud, quod Dominus Marci decimo quinto dixit : *Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras?* vel otiosæ quædam, et vanæ traditiones, qualis erat illa de manibus a prandio abluendis, quæ ad manuum quidem purificationem utilis esse fortassè poterat, ad Dei certè cultum non poterat. Quam ob causam rectè per Isaiam Dominus dixerat : *Sine causâ autem colunt me*. At Cyprianus in eâ epistolâ eos reprehendit, qui morem novum Christi instituto repugnantem inserere conabantur.

Decimum verò argumentum instantiùs equidem pressi, ut in hâc responsione explicaretur, inter hæreticorum et Catholicorum traditiones maximum esse discrimen. Hæretici enim mysteria sua mulierculis et idiotis homunculis produnt; at Catholici mysticas, et sacras Ecclesiæ traditiones mulierculdrum, homunciorumque vulgo prodere, piaculi loco habent. Cujus rei causæ quoniam capite tertio sunt redditæ, illinc lector assumet, quæ ad hunc locum pertinebunt. Hæretici rursùm secretas illas traditiones suas à viris doctis, præsertìm iis, qui Ecclesiis catholicis præsunt, abscondere solent; Catholici contrà, juxtà quod Apostolus præcipit, christianæ disciplinæ mysteria iis solùm committunt, qui idonei sunt et alios docere. Quarè doctrinæ depositum publicum est, utpotè quod reipublicæ magistratibus commendatur. *O Timothee*, inquit Paulus, ô episcope, qui Ecclesiæ et præfectus, et doctor es, *depositum custodi;* et rursùm : *Quæ audisti à me, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere*. Atque illud animadvertendum est diligentiùs, quòd non clàm in angulo et privatìm, hoc depositum Timotheo commissum est, sed coràm multis testibus, ut res non privatæ usurpationis, non clandestinæ furtivæque doctrinæ, sed publicæ traditionis, disciplinæ manifestæ, sineque dolo intelligeretur. Quod qui parùm perspiciunt, hi non satis expediunt, quemnam sensum locus ille habeat : *Ego in occulto locutus sum nihil*. Doctrinam quippè Christi, in quâ nihil fucatum, nihil fictum, nihil fraudulentum est, sed omnia sincera, vera, simplicia, nihil habet omninò tectum, penetrale, tenebricosum. Hoc quoniam hæretici habent, eorum doctrina occulta rectè dicitur; quemadmodùm civis quisque tùm quidquam reipublicæ occulere dicendus est, quùm quæ magistratibus revelanda sunt, ea non illis planè, sed privatis hominibus furtìm prodit. Nam qui, quæ populo vulganda sunt, ea populo invulgat, quæ contrà solis reipublicæ magistratibus expedit aperiri, solis quidem magistratibus, sed apertè tamen manifestat, hic nihil prorsùs occultè gerit. Non itaque nos hæreticorum more mysteria occulimus, sed Apostolorum instituto ea vulgo celamus, majoribus aperimus, , quæ majores scire decet, vulgus scire non decet. Quid igitur sibi vult, inquies : *Quæ in aure auditis, prædicate super tecta?* Quod enim super tecta prædicatur, id in vulgus effertur. Enim verò quo tempore Dominus hoc discipulis præceptum edidit, nondùm eis aperuerat sensum, ut intelligerent Scripturas; nondùm per dies quadraginta locutus illis fuerat de regno Dei, id est, de reipublicæ christianæ administratione; nondùm Spiritum miserat, qui doceret ea, quæ vivente Christo portare non poterant; eam partem evangelicæ disciplinæ tradiderat, quæ ad omnes fideles pertineret, easque leges, quas vulgo etiam notas

esse expediret. Hujusmodi igitur præceptum dominicum est : Quod audistis in mysterio, apertiùs prædicate ; quod didicistis absconditè, publicè loquimini ; quod vos erudivi vel in monte, vel intrà domum, in urbibus audacter dicite. Sed temporis rerumque ratio habenda est. Nam habeo multa vobis dicere, quæ non potestis portare modò. Ea cùm vobis edixero, alia videlicet lex erit. Nolo illa prædicetis super tecta ; nolo vulgo annuntietis. Eadem enim vobis celandi causa tunc erit, quæ mihi nunc est : quòd vulgus portare non poterit. Scio Clem. Alexandr. Strom. 1 lib. de arcanis traditionibus quæ in aurem editæ sunt, hunc locum intelligere, quas exponit super tecta prædicandas, id est, excelsè et excellenter. Sed mihi id quod dixi, multò probabilius apparet. Nam et nostrum hunc sensum illud habet : *Ego semper docui in Synagogâ et in templo, quò omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.* Decimum igitur argumentum confutatum est satis.

At undecimum, quoniam tertio decimo hujus operis libro est nobis diligenter explicandum, non est animus in præsenti refellere. Tantùm sunt lectores admonendi, id quod Lucianus martyr apud Euseb., lib. 6 eccles. hist. cap. 6, fusè eruditèque persequitur, nos Christianos non humanæ alicujus persuasionis errore constringi, nec indiscussâ, ut alios, parentum traditione decipi, sed auctorem nobis institutionis et doctrinæ Deum esse, quo magistro jure ac verè gloriamur. Sed de his plura aliàs. Nunc postremum argumentum diluendum est.

Sed et ejus argumenti confutatio, ut quæ ad 13 quoque librum referenda est, brevissima hoc loco erit. Sanè Julianus apostata Christianis objecit irrationabilitatem et rusticitatem, sapientiamque, ubi nihil esset aliud, præterquàm credere. Huic verò objectioni Greg. Nazianz. respondet in primâ advers. Julianum Stelitenticâ, « non alienum esse à suis philosophis, quos « ille tantoperè admiratur, ut hâc specie doctrinæ « utantur. Siquidem primum, et maximum Pythagoræ « præceptum erat, ut si quis discipulos suos de dogmatibus interrogâsset, aut eorum rationem aliquam « exegisset, nihil aliud responderent, quàm quòd ità « visum fuisset Pythagoræ, essetque illa dogmatis « ratio inculpabilis. Ità ergò, ac multò etiam magis, « exigit ratio, ne fidem nos denegemus iis, quæ à divinis dicta sunt hominibus, habeaturque pro rationis demonstratione fide dignâ illorum relatio omni « vi rationabili et irrationabili validior (1). » Hactenùs Gregorius. Ubi certè non videtur Gregor. horrere, id quod in argumento quasi absurdum refellitur, disciplinam nostram esse similem Pythagoricæ, aut hanc potiùs nostræ esse similem. Sed esto, dissimillima sit, cur magis argumentum illud contrà doctrinam verbo traditam, quàm adversùm eam pugnet, quæ litteris

(1) Illud Platonis in Timæo : *fieri non potest, ut deorum filiis fides non habeatur, etiamsi absque necessariis dicant demonstrationibus*, hæc etiam refert Clemens Alexandr. *in Strom.* Ac certè à Plat. videtur Gregorius hanc sententiam deprompsisse.

prodita est? Nimirùm enim utramque credimus, et utriusque, si possumus, conabimur reddere rationem. Reddemus autem, si Dominus vitam concesserit, multas, maximas, atque gravissimas, quo sumus loco polliciti. Nam locus hic concludi jam potest. Ac de secundo quidem argumentorum fonte diximus. De octo autem reliquis latissimè patet disputandi ratio ; sed nos, quoad poterimus, et licebit, in breves angustias contrahemus (1).

(1) Cùm permagni res sit momenti, quæ de traditione versatur, siquidem de regulâ catholicâ fidei ac de certitudine doctrinæ catholicæ simul moveatur quæstio, jam dictis haud sufficientibus ab auctore nostro, plurima hìc addenda sunt.

Notandum est caput octavum hujus prioris libri unicum esse de traditione ; cætera ad quosdam alios locos theologicos, nimirùm Scripturam sacram, conciliaque et summum pontificem spectant, proindè ad libros de iisdem apud Canum sunt referenda. His tàm eximiis operibus lectis, nihil supererit, fatemur, desiderandum : sequentia tamen, ad accuratiorem atque strictiorem puncti adeò momentosi tractationem, hìc superaddere nos permittet lector.

Omnis traditio usquè ad Apostolos retrò ascendens, propriè dicenda est *apostolica*, sive ex Deo, Christo exteriùs revelante, vel interiùs Spiritu Sancto, per Apostolos ad fideles transmissa fuerit, sive ex ipsis Apostolis, velut Ecclesiæ pastoribus, derivetur. In priori casu, *divina* traditio est, in altero *ecclesiastica*.

Traditio divina potissimùm ad doctrinam spectat ; sed illa doctrina vel jam in scriptis canonicis continetur, et ejus sensum divinum exhibet velut interpres ; vel nullatenùs inspiratione divinâ scripta fuit, et est verbum Dei non scriptum, quod traditiones divinas propriè constituit. Itaque, in traditione doctrinali, ubi vera est et infallibilis, semper divina reperiuntur dogmata, quorum alia in scriptis sacris existunt jam revelata, alia solùm in ipsâ traditione, quasi in originali. Priorum dogmatum traditio sensum Scripturæ divinum præstat ac transmittit ; posteriorum, ipsum verbum divinum et ejus interpretationem secum et in se importat. Eâ autem regulâ secernitur : *quidquid in Ecclesiâ traditione apostolicâ transmissum ut ad fidem pertinens creditur, vel in scriptis sacris jam consignatur, et traditio est merè interpres sensûs Scripturæ divinæ; vel non, et traditio est verbum Dei non scriptum, cum sensu divino simul transmissum.* Hìnc videre est traditiones doctrinales, quales hìc intelligimus, omnes æquè relatè ad objectum fidei nostræ nobis dogmata credenda ministrare. Verbum igitur Dei, tùm scriptum, tùm non scriptum, est fons doctrinæ catholicæ ; traditio autem, quasi hujus vehiculum, eam ad nos certò perducit. At verò solius Ecclesiæ est eamdem doctrinam in traditione certò et infallibiliter nobis exhibere, atque credendam proponere. Ne concludas tamen indè semper requiri definitionem expressam ; namque fides Ecclesiæ publica, vel symbolis receptis, vel consensu unanimi Patrum doctorumque catholicorum, seu etiam omnium Ecclesiarum particularium, eminere potest, absque concilii vel summi Pontificis decreto formali ; quod adeò verum est, ut nonnisi ad controversiam vel quamlibet oppositionem finiendam, plerùmque interveniat definitio. Notandum insuper Ecclesiam, sic dogma definiendo in conciliis, non solùm speciali divinâ assistentiâ adjuvari in recognoscendis veris et genuinis traditionibus, atque in illis sensum divinum, sed etiam posse textus sacros interpretari, independenter à traditione, in quâ sensus eorum divinus forsan lateret. Hìnc regula adæquata fidei erit verbum Dei ab Ecclesiâ interpretatum ; sive illa interpretatio solâ traditione, sive definitione speciali prodeat.

Ex quibus videre est, ut ad traditiones catholicas redeamus, quanti sit momenti ostendere eas certò, et

quidem facili negotio nobis constare. Id porrò, præter historicas investigationes, fit potissimùm percelebri argumento præscriptionis, quod evolvitur apud Vincentium Lirinensem, quodque sic formâ strictiori ipsi nos exponimus : Tale dogma manifestè nunc in Ecclesiâ ubique et ab omnibus catholicis ut de fide divina per Apostolos receptum creditur : ergò semper retrogrediendo à tempore nostro usquè ad apostolicam ætatem, ità fuit creditum. Vel enim sic res se habet, vel, labentibus seculis, ab aliquo novatore fuit in doctrinam catholicam introductum. Atqui posterius repugnat, seu nullum assignari potest tempus quo hujusmodi innovatio possibilis fuisset. Non quidem Apostolis adhùc viventibus, ut liquet; neque proximè labente seculo, cùm recens vigeret Apostolorum memoria, quorum doctrina ceu ipsa vox in eorum discipulis propè resonans in novatorem vehementer reclamâsset, præterquàm quòd jam latè diffundebatur fides catholica, atque ex adverso multiplicari incipiebant hæretici, undè ea ex duplici ratione conspiratio in fraudem communem evadebat prorsùs impossibilis. Non deniquè tertio aut quarto seculo, cæterisve sequentibus, cùm in prioribus traditio vividior, in remotioribus verò temporibus, ob multiplicationem tùm Ecclesiarum particularium cum numero fidelium, tùm sectarum hostilium, impossibilior fieret conspiratio, adeò ut in genere ponendum eò difficiliorem fieri erroris insinuationem, quò propiùs ad Apostolorum ætatem accedimus; eò verò impossibiliorem consensum in fraudem, quò propiùs in decursu temporum ad nostram pervenitur tempestatem. Ergò dogma probandum ad apostolicum documentum verè pertinet. — Eccè illud præscriptionis celebre argumentum, suam vim ex morali hominum constitutione mutuans, quâ fit ut non ità facilè fraude apertâ ac sine emolumento decipiantur, maximè si de fide atque de sacris eorum institutionibus quæstio moveretur. Quippè idem argumentum æquè vel magis probat in gratiam institutionis publicæ quàm alicujus dogmatis, proindèque pari successu adhibebitur pro traditionibus apostolicis ecclesiasticis institutiones et consuetudines communes plerùmque inducentibus, quàm pro divinis. A fortiori validiùs atque efficaciùs opponetur præscriptio, si sit in gratiam dogmatis cum institutione publicâ intimè connexi, v. g., præsentiæ realis, quâcum sacrificium, liturgia ac penè totus cultus catholicus essentialiter alligatur : idem etiam argumentum eò efficaciùs erit, quò institutio vel doctrina minùs rationi superbienti arridebit, ut altiora mysteria, vel naturæ humanæ repugnantia, ut confessio auricularis, etc. Ex quo videre est argumentum præscriptionis, minùs valens pro dogmate secundario ac parùm vulgari, ut ità dicam, specialem ex naturâ institutionis vel doctrinæ in cujus gratiam invocatur, vim mutuari.

Dicitur autem illud argumentum *præscriptio*, quia ex actuali et antiquâ possessione petitur; atque ità appellatum à more forensi, quia Ecclesia catholica pacificè dogmata apostolica possidens, eo ipso secura absque controversiâ removere potest solâ præscriptione quamlibet novatorum actionem, ut aiunt, seu eorum opiniones doctrinæ antiquæ oppositas; neque ideò tantâ mole argumenti in adversarios agere necesse foret, ut suprà; sed illis antiquam seu actualem et pacificam opponere possessionem, simulque ab ipsis titulos primùm exigere, et quidem genuinos suæ petitionis, sicut jam olim sui temporis hæreticos Tertullianus his verbis prorsùs egregiis alloquebatur : « Qui estis? Quandò et « undè venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo, « deniquè, Marcion, jure, sylvam meam cædis? Quâ « licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? Quâ po- « testate, Apelles, limites meos commoves? Quid hìc « cæteri ad voluntatem somniatis et pascitis?.......... « Mea est possessio; olim possideo, habeo origines fir- « mas ab iis auctoribus quorum fuit res : ego sum hæ- « res Apostolorum. » Sed eâ de re legendum infrà integrum Tertulliani opus, præclarum sanè, *de Præscriptionibus*, ex quo verba hæc deprompta sunt, cap. 37. Vide etiam ad calcem hujus voluminis *de Controversiis tractatus generales*, non minùs commendandos, fratrum Wallemburgensium, seu potiùs compendium eorumdem tractatuum, per ipsos auctores, librum quidem mole parvum, sed rebus magnum.

Hùc usquè de naturali traditionis infallibilitate, per argumentum præscriptionis atque ex principiis philosophicis habitâ, diximus. At verò sub hoc præcisè respectu, nempè certitudinis moralis, traditio catholica, specialis providentiæ curis, longè præstat quibuslibet aliis traditionibus vel testimoniis historicis. 1° Quidem existit in Ecclesiâ continua pastorum successio, qui ministerio publico atque ex officio in singulis Ecclesiis ubique disseminatis, doctrinam catholicam fidelibus suisque successoribus debent transmittere; 2° aliâ successione, scilicet Patrum et doctorum, qui singuli suis temporibus doctrinam curant mandare scriptis atque illustrare, traditionibus catholicis Deus providit; 3° deniquè, traditio in Ecclesiâ non solùm successione pastorum fit ipsa quasi pater a transmissio; non solùm jam à prioribus seculis ac deinceps, Patrum doctorumve fixa scriptis, historiæ nacta est stabilitatem; sed insuper ipsa quasi in consuetudinem dogmaticam transiens, rei christianæ regimen christianosque afficit mores, atque inter institutiones catholicas ipsa eminet ut sacra institutio cæterarum via et tutamen. Hìnc commendationes Apostolorum de more traditionali servando ad integram et quasi vivam et animatam fidei et cultùs perpetuitatem; hìnc frequens in Ecclesiâ seu potiùs continuus et universalis traditionis usus; hìnc proindè iterùm atque iterùm, nedùm perire vel corrumpi queant traditiones in Ecclesiâ generales, è contrà in dies cum ipsâ doctrinâ debent convalescere.

P. S.

DE ECCLESIÆ CATHOLICÆ AUCTORITATE,

QUÆ TERTIO LOCO CONTINETUR.

LIBER IV.

CAPUT PRIMUM.

Quibus argumentis Ecclesiæ auctoritas impugnetur.

Tertia hujus operis pars perfecta est, quam Theologis cupio esse potissimam. In quarto nunc libro auctoritatem Ecclesiæ explicare ac tueri debemus : de quâ ità copiosè à viris ecclesiasticis disputatum est, ut unà hâc de re magna etiam volumina ediderint. Quorum consilium quale fuerit, nihil sanè ad hoc tempus. Illud autem est hujus institutæ scriptionis ac temporis, de Ecclesiæ auctoritate in fidei judicio disserere, atque adeò id docere breviter, an ex fidelium communi sensu firma duci argumenta possint ad dogmata theologiæ comprobanda. Ac Montanus quidem discipulis suis primus suasit, ut nihil reverentiæ deferrent Ecclesiæ, quæ per orbem terræ est, quemadmodùm Apollinaris Eusebiusque testati sunt. Nestorius dein-

dè totam Ecclesiam errare affirmavit, *quæ ignaros* (sic enim aiebat) *erroneosque doctores sequeretur, ut Vincentius Lirinensis* retulit. Et Iconomachi post asseruêre, Ecclesiam adorandis imaginibus diù ac multùm in turpi errore versatam, quod synodus septima in actione sextâ tradidit. Nam et Donatistas et Rogatianos Ecclesiæ catholicæ auctoritatem non voce illos quidem, sed re ipsâ tamen contempsisse, Augustinus scripsit cùm aliàs sæpè, tùm in epistolis, 48 ad Vincentium, 50 ad Bonifacium, 161 ad Honoratum. Et, ne omnes commemorem, Lutherus demùm suum Wicleffum secutus est, Ecclesiamque cùm in aliis, tùm in eo errare dixit, quòd sub unâ specie, contrà Christi legem, communionem tribuit laicis. Quin astruxit aliquandò, si vera Cochlæus perhibet, erràsse illam mox ab initio, ut quæ Paulo repugnante senserit, Act. 15, legem et opera esse necessaria ad salutem. Breviter, hæreticis omnibus hoc gentile est, simul atque sese Ecclesiæ auctoritate urgeri vident, aut illam spernere, aut Ecclesiæ rem ad se nomenque transferre, et eam in illis esse negare, in quibus reverà est. Utrumque horum, quoniam ambo in unum idemque recidunt, plurimis argumentis hæretici persuadere conantur.

Primum est hujusmodi: Aaron summus ipse Sacerdos, aliique ex plebe, sive majores, sive minores, vitulum conflatilem adorârunt, eique obtulerunt hostias pacificas et holocausta, Exod. 23; Ecclesia ergò Christi ad eumdem modum poterit sculptile et imagines adorare. Id si faciat, ut facit, errabit sine dubio in fide ac religione turpissimè.

Rursùm, Ecclesia, Isaiæ Jeremiæque temporibus, in unius veri Dei cultu lapsa est : quid igitur prohibet, quominùs et nunc in Deo uno veroque colendo erret? Eadem quippè Ecclesia est, nec in hâc re ullum reperitur populi novi veterisque discrimen. Quod verò est hujus argumentationis antecedens, id eorumdem Prophetarum clarissimis testimoniis existimant se ostendere. *Cognovit bos*, prior ille inquit, 13, *possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit*, etc. *A plantâ pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Et posterior, 2, 26, *Confusi sunt*, ait, *domus Israel, ipsi, et reges eorum, principes et sacerdotes, et Prophetæ, dicentes ligno : Pater meus es tu, et lapidi : Tu me genuisti;* et paulò post : *Quid vultis mecum judicio contendere? Omnes dereliquistis me, dicit Dominus;* item, 5, 1 : *Circumite vias Hierusalem, et quærite, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem, et propitius ero ei. Ego autem dixi : Forsitan pauperes sunt et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates; ipsi enim cognoverunt viam Domini. Et ecce magis hi confregerunt jugum*, etc. Tota igitur Ecclesia eo tempore errabat.

Præterea, Ecclesiam non oportet digito demonstrari; quin nullâ apparente formâ, consistere in occulto potest. Frustrà autem ejus judicium expectes, quam quæ sit, penitùs ignores. Illud suadent, quoniam in populo Judæorum sic sæpè Ecclesia deformata est, ut nulla ejus species extaret. Quam enim putamus formam eminuisse, cùm Elias solum se relictum deploraret 3 Reg. 19? Quam, cùm populus ille apud Babylonios, Persas, Ægyptiosque dispersus sine sacerdotio, sine templo, sine sceptro, gentibus ac diis alienis in terrâ alienâ serviret? An Christi ergò adventu deformis etiam latere Ecclesia poterit, bellisque, seditionibus et hæresibus ità opprimi, ut nullâ parte refulgeat?

Et sanè suo jam seculo Hilarius latentem Ecclesiam potiùs credebat, quàm cernebat : adeò Ariana factio omnia miscuerat. « Malè, inquit, cont. Auxentium, « vos parietum amor cepit; malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini; malè sub his pacis nomen ingeritis. Annè ambiguum est, in iis Antichristum esse sessurum? Montes mihi, et sylvæ, et lacus et carceres, et voragines sunt tutiores; in his enim Prophetæ aut manentes, aut demersi prophetabant. » Quibus ille verbis modestè ac verecundè significat, Ecclesiam Christi non in episcopis, non in sacerdotibus, non in templis, non in populi frequentiâ, sed in piis esse quærendam : qui interdùm Prophetarum more vel in agro locisque desertis errant, vel in sylvis abstrusi sunt, in speluncis et in cavernis terræ.

Quid quòd sub diversis pontificibus, diù schismate perdurante, nulla interim Ecclesiæ facies apparuit? Manifestam porrò Ecclesiam si ejus seculi fideles requisissent, nec aliam crederent, quàm quæ oculis cerneretur humanis, nullam profectò invenissent. An verò tunc nulla fuit, quoniam occulta fuit?

Atque ut antehàc Ecclesia dilucidè clarèque resplenduisset, quî scimus tamen, an posthàc veram semper genuinamque formam sit habitura? Nimirùm enim si præteritis seculis ità Dominus populi sui facinora vindicavit, ut eum et absurdissimis mendaciis ludi, et altissimis tenebris offundi passus sit, cur non timeamus, Ecclesiam Christi etiamnùm cæcâ nocte, crassâque caligine adeò occultari et circumfundi posse, ut nulla ejus vera facies effulgeat? Quasi verò jam nulla sint Domini judicia, ut eodem pœnæ genere mundum hòdiè puniat, quo populi veteris ingratitudinem aliquandò ultus est; nempè, ut pastores atque oves stupore ac cæcitate percutiat, Ecclesiæque suæ exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat. Hìc videlicet hæretici quasi re confectâ insultant, nosque miris modis irrident, qui gloriemur in verbis illis Jerem. 7, 4 : *Templum Domini, templum Domini est.* Translata, inquiunt, Samaria est; et cùm Hierusalem externis larvis inhærens templum, cæremonias, sacerdotium, sacramenta, scripturasque jactaret, et ipsa quoque translata est. Ità, quod de orientali Ecclesià accidit, idem occidentali poterit, ut forma ejus vel in fumos abeat, vel certè omninò delitescat. Ecquis autem fidem fecit, aut peccata nostra, quàm illorum esse leviora, aut Deum in nos, quemadmodùm in illos, non esse animadversurum? Præsertim cùm non obscurè vaticinetur Apostolus venturam in Ecclesiâ defectionem, quæ utique venire non potest, dùm vera Ecclesiæ forma et facies exstiterit. Qualis autem hæc illo erit tempore, de quo Dominus ait : *Verumtamen filius hominis veniens, pu-*

tas, inveniet fidem in terrâ? Qualis, inquam, erit, cùm *deficiet hostia et sacrificium?* Qualis demùm cùm, ut Joannes scribit, putei fumus solem et aerem obscurabit? Quâ ex re nihil sanè aliud intelligitur, quàm Ecclesiam usque adeò nostrâ hâc ætate obscurandam, ut nisi in tenebris inveniri non queat. Quid autem externam Ecclesiæ faciem fulgoremque defendimus, cùm *omnis gloria filiæ regis ab intus?* Ps. 44. Quòd si invisa et occulta Ecclesia est, inexploratum quoque et incertum erit, quod sumetur ex ejus auctoritate argumentum.

Præterea Ecclesia ex solo prædestinatorum numero constituitur; soli autem Deo notus est numerus electorum in supernâ felicitate locandus : Ecclesia igitur nobis abdita omninò et incognita est. Prior illa propositio, in quâ difficultas tota inest, suadetur inprimis Augustini testimonio, disertis verbis asserentis, contrà Donatistas, ex numero solùm prædestinatorum, qui in occulto sunt intùs, constare hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquæ vivæ, paradisum cum pomorum fructibus. Nemo verò fidelium dubitat, Ecclesiæ Christi hæc propriè esse attributa omnia. Sed ne ambigi quidem potest, quamvis non ità Augustinus exponeret, in horto concluso et fonte signato non alios intelligi, atque eos, de quibus scriptum est, 2 Tim. 2, 19 : *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc : Novit Dominus, qui sunt sui.* Probat quoque eamdem rem Augustinus ex eo, quòd Petrus arcam Ecclesiæ typum esse dixit, *in quâ octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.* Non ergò nisi ii, qui servantur, intrà arcam esse existimandi sunt. Nam Christus non est alterius Ecclesiæ caput, nisi ejus, cujus salvator est, et quam sibi exhibet gloriosam, ut ad Ephesios docet Apostolus. Ii ergò, qui nec salvi, nec gloriosi futuri sunt, non sunt ejus Ecclesiæ partes, cujus Christus caput est. Deindè, à filiis Dei Ecclesia conficitur, utpotè cùm non aliorum sit Ecclesia mater ac eorum, quorum Deus pater est. Hos autem verè filios Dei esse liquet, qui paternam hæreditatem percepturi sunt. *Si filii*, inquit Rom. 8, 17, *et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ovile item Christi nonnisi ex Christi ovibus constituitur; at oves Christi illæ modò sunt, de quibus ipse ait Joan. 10, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego vitam æternam do eis, et non peribunt in æternum.* Joannes deniquè Evangelista de quibusdam, qui ab Ecclesiâ exiisse videbantur, cùm reverà nunquàm fuissent in Ecclesiâ : *Ex nobis*, ait, *prodierunt; sed non erant ex nobis.* Quid ità? Quia *si fuissent*, inquit, *ex nobis, permansissent utique nobiscum*, 1 Joan. 2, 19. Non igitur ex Ecclesiâ sunt, nisi qui in susceptâ gratiâ permanent. Atque hunc locum, quoniam in promptu est, August. in lib. de correp. et gr. cap. 9, et de bono persev. cap. 8, de prædestinatis intelligit, scilicet Hieronymum secutus in dialogo adversùm Luciferianos.

Ad hæc, veram Christi Ecclesiam perfectam esse et immaculatam oportet. *Tota* enim *pulchra est, et macula non est in eâ*, Cant. 4, 7. Et rursùm, ibid. cap. 6, 8 : *Una*, ait, *est columba mea, perfecta mea.* Et Apostolus ad Ephes. 5, 28, ipse quoque sine maculâ eam ac rugâ describit. Et Isaias : *Non adjiciet*, inquit, 52, 1, *ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.* Ecclesiam verò immaculatam censere, cujus membra nonnihil impuritatis habeant omnia, quàm inane, ac fabulosum est! Nulla igitur ejusmodi nunc temporis exstat Ecclesia. Illo solùm tempore exstitisse videtur, cùm verè à Joanne scriptum est in Epist. 1, cap. 3, 6 et seq. : *Omnis, qui peccat, non cognovit eum;* et : *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit;* et : *Non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.* Quòd si universos, qui Ecclesiasticæ societatis participes sunt, necesse est sine peccato et maculâ existere, aut nulli profectò sunt, aut occulti nobis et incogniti sunt. Quod Apostolus videtur affirmare, cùm Ecclesiam Christi à Synagogâ discernens, non eam sensibilem et tractatam, sed spiritualem intractatamque describit, nempè ex solis perfectis prædestinatisque constantem. *Non accessistis*, ait ad Hebræos, *ad tractabilem montem, et accessibilem ignem, sed ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, et spiritus justorum perfectorum.*

Adde, quòd Ecclesiam non quamlibet, sed sanctam fideles, tenentur credere. At in sanctâ congregatione non nisi sancti intelliguntur. *Filii sapientiæ*, inquit Sapiens, *Ecclesia justorum.* Quòd si homines aliquot demonstres, quorum vel unus iniquus sit, falsò dixeris hos esse æquos, quemadmodùm si ex decem viris unus sedeat, cæteris licet currentibus, decem currere falsum est. Est quoque altera causa ejusdem rei vehementissima, quòd si mali membra Ecclesiæ sunt, membra etiam Christi erunt; sunt autem haud dubiè membra diaboli. Quarè et iidem cives Hierusalem ac Babyloniæ simul erunt, et membra quoque simul Christi et diaboli. Quo quid absurdius aut dici, aut excogitari potest? Nisi fortè *societas est lucis ad tenebras, conventio Christi ad Belial?* 2 Cor. 6, 15. Membra certè corporis ejusdem sibi vicissim contraria esse non queunt; at *contrà bonum malum est*, contrà vitam mors, *et contrà virum justum peccator*, ut Sapiens etiam ait : non ergò justus et peccator ecclesiastici sunt corporis membra. Docet item Aristoteles, de Anim. lib. 2, c. 9, auctor sentiendi gravissimus, cui etiam divus Thomas assentitur, membra mortua non aliter esse membra, atque ea, quæ picta et figurata sunt. Peccator ergò, cùm mortuus sit, membrum Ecclesiæ, et pars verè ac propriè non est, sed æquivocè ac figuratè. Præterea *unus panis et unum corpus multi sumus*, quemadmodùm in priore ad Corinthios Epistolâ Apostolus tradidit; constat autem, ut acutè Cyprianus ad Magnum argumentatur, panem ex multorum granorum adunatione congestum; peccatores ergò, qui paleæ sunt, sicut nec in panis, ità nec in corporis Ecclesiæ compositionem veniunt. Id quod Augustinus non obscurè testatur; atque ita multis in locis, ut de judicio ejus dubitari non possit, quin hanc habuerit firmam perpetuamque sententiam. Libro enim contrà Petilianum secundo, capite ultimo : « Nec putandi sunt mali, ait,

« in Christi corpore esse, quod est Ecclesia, quamvis « sacramentorum ejus corporaliter participes fiant. » Item libro contrà Cresconium secundo : « Qui mente, « inquit, perversâ videtur intùs esse, cùm foris sit, ab « ipso Christo jam judicatus est. » Et posteriùs : « Etiam nesciente Ecclesiâ propter malam pollutam- « que conscientiam damnati à Christo jam in corpore « Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non « potest habere Christus membra damnata. Proindè « et ipsi extrà Ecclesiam baptizant. Omnia quippè ista « monstra absit omninò, ut in membris columbæ il- « lius unicæ computentur. » Loquitur autem dubio procul de fidelibus peccatoribus, ut ex antecedentibus et consequentibus liquidò apparet. Item libro de unitate Ecclesiæ, cap. 10, affirmat malos in Ecclesiâ minimè deputari. Item libro quarto de baptismo, contrà Donat. et libro sexto, disertè etiam affirmat, qui contrà Christi mandata faciunt, eos ad illam Ecclesiam non pertinere, quam Christus mundat lavacro aquæ, et de quâ scriptum est : *Una est columba mea.* Et libro septimo, ait, malos non pertinere ad compagem domûs, quæ est Ecclesia, atque haud secùs in domo esse, quàm palea dicitur esse in frumento. Sed et in eodem libro, Cyprianum refert in Epistolâ ad Magnum, hujus sententiæ non solùm auctorem, sed etiam confirmatorem. Confirmat autem eam illo prophetico testimonio : *Qui habitare facit unanimes in domo.* Quibus igitur nec una anima, nec unum cor in Domino est, hi in Ecclesiâ, quæ domus Dei est, nullo modo habitant. Et Hieronymus : « Ecclesia, ait, Chri- « sti non habet maculam, nec rugam. Qui ergò pecca- « tor est, et aliquâ sorde maculatus, de Ecclesiâ Chri- « sti non potest appellari. Possibile est autem, ut pec- « cator currat ad medicum, et curentur vulnera ipsius, « et fiat de Ecclesiâ, quæ corpus est Christi. Quòd si « Ecclesiam, cujus auctoritati deferimus, sanctam es- « se necesse est, atque adeò ex piis solùm justisque « constare; nusquàm porrò faciet certam in theolo- « giâ fidem, quousquè certo indicio demonstret se san- « ctam esse. Id quod nullo modo potest, siquidem *so- « lus Deus novit corda filiorum hominum,* 2 Paral., 6, « 30. »

Quærunt etiam à nobis, cur in censendâ Ecclesiâ insaniamus, cùm eam minimè dubio symbolo designârit Christus? *Ego,* inquit Joan. 10, 14, *sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ. Oves meæ meam vocem audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me.* Qui ergò vocem Christi non audit, is ad Christi ovile non pertinet, ac proindè ne pars quidem Ecclesiæ Christi est.

Prætereà, si Ecclesiam boni simul ac mali constituerent, quâ ratione propter justos pauculos sancta dicitur, eâdem, ac multò etiam majore, propter iniquos plurimos iniqua Ecclesia diceretur. Quamobrem idem omninò cœtus et Christi esset Ecclesia, et synagoga Satanæ. Non igitur nisi boni Christi Ecclesiam conficiunt. Quocircà invisa hominibus illa est, atque adeò minùs cognita, quàm ut ejus testimonium certam et exploratam faciat fidem.

Duæ insuper Ecclesiæ sunt, **græca, et latina**; quarum ut ei credendum sit, non satis, ut aiunt, expeditum est. Responderi solet, Græcos esse schismaticos; idcircò apud eos Ecclesiam periisse. Quo jure? Quia à romano pontifice desciscendo, privilegium ecclesiastici nominis amiserunt. Quid verò? An non multò magis amittunt, qui à Christo vero Ecclesiæ capite deficiunt? Atqui antè Christi nativitatem una priorum omnium Ecclesia fuit, nec in eâ tamen fuit unus pastor aut rector. Non ergò ex uno pontifice Ecclesiæ nomen ac veritas pendet. Ecclesia igitur græca erit, quamvis episcopo romano non pareat : quo videlicet mortuo, nihilo seciùs una Ecclesia est, eademque et columna, et firmamentum veritatis. Non ergò ex hoc capite Ecclesiæ veritas unitasque existit. Sed si unum Dominum habet, unam Christi fidem, unum baptisma, si unum filium agnoscit, unum Spiritum colit, unum Deum et patrem omnium suscipit, una Christi Ecclesia erit. Iis enim rebus unam Christi Ecclesiam definit Apostolus ad Ephesios, cap. 4. Nihil itaque causæ est, cur Græci, in quibus ea omnia insunt, in quibusque multi etiam boni sunt viri, Ecclesiam Christi non faciant. Arroganter igitur Ecclesia latina in fidei judicio Ecclesiæ catholicæ sibi nomen usurpat. Quapropter nisi idem cum græcâ sentiat, Ecclesiæ universalis auctoritate caret, non tenemurque perindè ejus judicium revereri, ac si catholica verè esset.

Prætereà catholica Ecclesia ideò vocatur, quia per omnes gentes, perque totum orbem diffusa est, ut Augustinus lib. 2 contrà Petilian. patefecit : hæc verò sola est, quæ suo nos judicio ligat et astringit, quoniam hanc et non aliam quamlibet sacræ nobis litteræ commendârunt, quemadmodùm plurimis in locis idem Augustinus ostendit : non ergò Ecclesia, quæ modò est, si quà demùm est, certam auctoritatem habet, ut quæ catholica, id est, universalis esse desierit.

Prætereà ex universalis Ecclesiæ sententiâ nullum omninò argumentum sumi potest. Quomodò enim fidelium omniùm sensum in fidei quæstione requiremus? Vanum est igitur ab Ecclesiâ catholicâ velle argumentum ducere. Forsitan quispiam dixerit : Pastores Ecclesiam repræsentant, atque adeò ipsissima Ecclesia sunt. Eorum itaque sensum quærere satis esse, quippè cùm idem omninò sensus Ecclesiæ sit. At erat Isaiæ temporibus Ecclesia Hierosolymis; de pastoribus verò sic loquitur, cap. 56 : *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et amantes somnia. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam. Omnes in viam suam declinaverunt à summo usquè ad novissimum.* Durabat quoque Ecclesia ad tempus Jeremiæ; audiamus quid de pastoribus dicat, cap. 8 : *Quomodò dicitis : Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis. A minimo usquè ad maximum omnes avaritiam sequuntur : à prophetâ usque ad sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* Cur autem secundùm hanc rationem Ecclesiam non referrent 400 prophetæ illi,

qui Achab mentiebantur omnes, 3 Reg. 12? At Ecclesia Dei vera, id est, quicumque in populo erant pii, à partibus Michææ stabant. Certè, si res ad eum modum se habet, Ecclesiæ imaginem præ se ferrent prophetæ et sacerdotes, cùm adversùs Jeremiam omnes ad unum fidenter sanè jactarent, non posse fieri, ut periret *lex à sacerdote, consilium à sapiente, verbum à prophetâ.* Adversùm omnes tamen unus Jeremias mittitur, qui à Domino denuntiet fore, ut lex pereat à sacerdote, consilium à sapiente, verbum à prophetâ. Quòd si sacerdotes et pastores Ecclesiam Dei constituunt, cujus revereri testimonium oporteat, sequitur, ab Ecclesiâ Dei alienos fuisse, cumque illâ etiam pugnâsse, in Israele quidem Eliam, Michæam, et similes, in Judâ autem Isaiam, Jeremiam, et reliquos ejus notæ, quos sui seculi sacerdotes, pastores, et prophetæ non à se modò abalienârunt, sed diris etiam execrati sunt. Illud si absurdum et impium existimandum est, ut ne dicam etiam stultum, maneat, sacerdotes et pastores Ecclesiam Dei non fuisse, sed impiam adversùs Deum conspirationem, cœtumque hominum pessimorum, à quorum necesse fuit consensione desciscere. Cùm itaque pastores etiamnùm similes veterum esse possint, nec Christi Ecclesiam profectò referunt, nec ex eorum judicio dogmata fidei probantur. Atque si ex pastoribus et episcopis Dei Ecclesia constat, ubinam gentium Ecclesia residet, ex quo Basileense concilium Eugenium Pontificatu dejecit, subrogato in ejus locum Amedæo? Concilium siquidem, quantùm ad externos ritus attinet, legitimum fuit; nec ab uno solùm pontifice, sed à duobus indictum. Damnatus est illìc Eugenius schismatis, rebellionis, pertinaciæ, cum toto cardinalium, et episcoporum grege, qui concilio refragabantur. Ex illorum schismaticorum, rebellium, pertinacium gremio prodiit, quidquid posteà Paparum, cardinalium, episcoporum, abbatum, presbyterorum fuit. Utram igitur in partem Ecclesiæ nomen conferetur? Negabimusne generalem synodum eam fuisse, quæ præsidente romanæ Sedis legato consecrata est? An fatebimur schismaticum Eugenium cum totâ suâ cohorte, à quâ omnes succedentes episcopi sanctificati sunt? Aut ergò pastores in concilium etiam generale coacti Ecclesiam Dei minimè repræsentant, aut quotquot sunt, ab hæreticis et schismaticis ordinati sunt. His potissimùm argumentis Lutherani abutuntur. Nam, quod Calvinus addit, duo esse Ecclesiæ symbola, verbi sinceram prædicationem, et sacramentorum administrationem rectam; in Catholicorum verò cœtu pro verbi ministerio mendaciis conflatam regnare doctrinam, in locum cœnæ Domini fœdissimum sacrilegium subiisse, publicos in templa conventus idololatriæ et impietatis scholas esse : quamobrem veram apud nos, et germanam Christi Ecclesiam non esse, sed Satanæ exitialem et sacrilegam conjurationem, id quoniam imprudenter, turpiter et maledicè objicitur, non est in præsentiâ refellendum.

CAPUT II.

Quid Ecclesiæ voce significetur.

Ego verò pergam, et id faciam, quod in principio feci, cùm in omnibus disputationibus, tùm in hâc magis oportere censeo, ut quid illud sit, de quo disputatio fit, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligent. Ecclesia ergò græcum nomen est, et, si verbum verbo reddas, latinè convocatio dicitur, sive quòd omnes ad se vocet, ut Julio et Rabano visum est, sive quòd quicumque in eam conveniunt, hi non meritis et justitiâ suâ, sed Dei gratiâ et vocatione conveniant. Nam et hanc nominis etymologiam spero lectoribus placituram. Ecclesiæ quippè romanæ scribens Paulus : *Omnibus*, ait, *qui sunt Romæ, vocatis sanctis*; atque in priore ad Corinthios Epistolâ : *Ecclesiæ Dei*, inquit, *quæ est Corinthi, vocatis sanctis;* et paulò post : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi.* Quæ sine dubio societas cùm Christi Ecclesia sit, qui titulum sibi illum arrogant, hi videant, an hæreticorum more penès se Ecclesiam existere mentiantur. Verùm de nominis ratione nihil moror, Ecclesia certè concio est; undè ecclesiastes, concionator. Et licèt generaliter vox illa quandoque usurpata sit pro quâcumque concione sive impiorum, sive piorum infidelium atque fidelium; sed in novo Testamento, quantùm memoriâ repetere possum, nusquàm infidelium concio Ecclesia vocata est. Qui quidem usus adeò in Christianis invaluit, ut in nullâ nunc multitudine Ecclesiæ nomen agnoscant, nisi quæ Christi fide et vocatione coaluerit. Est autem Ecclesia, et locus ipse, quò multitudo confluit, et ipsa propriè multitudo. Cujus utriusque rei exempla sunt in sacris litteris plurima. Illud verò discrimen inter Synagogam et Ecclesiam scriptores sancti observârunt, quòd populus ille verus æquè et Ecclesia à Synagogâ nuncupatus est; at Christianam plebem nec Scriptura sacra, nec ullus unquàm probatus auctor Synagogam appellavit. Id porrò aut discernendæ utriusque reipublicæ causâ factum est, aut quòd inter congregationem, quod Synagoga notat, et convocationem, quod sonat Ecclesia, nonnihil intersit. Congregari enim pecora solent, undè et greges dicimus, non hominum propriè, sed pecudum et bestiarum; at convocari nisi homines non solent. Tantùm Christi Ecclesia Synagogam excellit. Et quamvis societas Angelorum et hominum interdùm vocetur Ecclesia, Ephes. 1, 22, nonnunquàm verò regnum cœlorum, quod ex hominibus comprehensoribus viatoribusque conficitur, Ephes. 5, 27; nobis tamen in præsentiâ non est animus disserendi, nisi de Ecclesiâ militante, hoc est, cœtu fidelium viatorum. Nec necesse est, hos vocis significatus exemplis adhibitis ostendere, cùm ea passìm et in litteris sacris, et in sanctorum hominum libris occurrant. Sanè verò, quemadmodùm infideles nondùm baptizatos in Ecclesiæ Christi voce intelligere, non cum veritate solùm, sed cum sensu etiam communi pugnat : ità hæreticos partes Ecclesiæ non esse, constituendum est. Id quod commune est quidem omnium theologorum, non eorum modò, qui nuper scripserunt, sed eorum etiam, qui vetustate ipsâ habentur nobilissimi. Testantur hoc Cyprianus, Augustinus, Gregorius, duoque concilia, La-

teranense et Florentinum. Rectè igitur Nicolaus papa definit, Ecclesiam esse Catholicorum collectionem. Certè nervosiùs qui Ecclesiam finiunt, illi non dubitant eam fidelium tantùm numero conflari; qui autem remissiùs, hi tamen non audent, quos catholicos esse non vident, eos Ecclesiæ homines appellare. Absurdum est enim, qui catholicæ Ecclesiæ Christi partes non sint, hos Ecclesiæ Christi partes asserere.

At Papa etiam hæreticus, aiunt, donec ab Ecclesiâ deponatur, cùm suam retineat semper auctoritatem, caput adhùc Ecclesiæ erit; hæretici itaque in Ecclesiæ partibus numerabuntur. Apostolus quoque cùm dixisset Hymenæum et Philetum à veritate excidisse, et subvertisse quorumdam fidem, subjunxit, 2 Tim. 2 : *In magnâ domo non solùm esse vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, alia verò in contumeliam.* Quibus verbis, ut Augustinus ait lib. 3 et 4 de Baptismo, eos etiam qui à fide aberrârunt, in magnâ domo esse significat, scilicet non ut vasa in honorem, sed ut vasa in contumeliam. Quam omninò sententiam Cypriani quoque ad Antonianum testimonio confirmat. Sed enim ad ea, quæ promisimus, exsolvenda properantibus non est consilium scrupulos omnes, qui in viâ objiciuntur, excutere. Quid enim illud hoc loco expendamus, an Papa hæreticus esse possit? Quid illud rursùm, an simul atque in hæresim lapsus est, Ecclesiæ caput esse desierit? At horum utrumque tamen propriè argumento diluendo necesse erat explanare. Quod nec brevitatis nostræ est, nec ad opus institutum pertinet; et si quid de hisce rebus dicendum erit, alio loco opportuniùs dicetur. Atque illam quæstionem quidem in libro sexto nos explicaturi sumus; de hâc autem in libro de Auctor. Pap. et Conc. Cajetanus noster longè latèque disseruit.

Ne autem argumenti hujus difficultate deterriti dare terga videamur, intelligendum est, dupliciter Ecclesiam posse dici. Primùm eam, quam fidelium omnium ab initio mundi usquè in finem congregatio conficit, quomodò divus Thomas de Ecclesiâ loquitur, parte 3, quæstione 8, articulo 3, illique omnes, qui esse nunc eamdem Ecclesiam dicunt, quæ fuit et in populo Judæorum sub lege Moysi, et in hominibus piis sub lege olim naturali. In quem sensum Catechumeni sunt membra Ecclesiæ verissima. Non enim hæc Baptismi sacramento secernitur, sed fide, quæ omni tempore populum Dei ab infidelium cœtibus discriminavit. Deindè et ea Ecclesia dicitur, quæ in Christi nomine per Baptismum cogitur, qui et fidei sacramentum est, et propriè Ecclesiæ membra partesque facit, et Christi Ecclesiam à Synagogâ distinguit. Hujus Ecclesiæ nec Catechumeni partes sunt, et illi omnes sunt partes, qui à Baptismo Christi characterem habent, nisi post hæresim exteriorem publico Ecclesiæ judicio fuerint excisi. Quamdiù enim aliquis reipublicæ minister est, ejusque auctoritate et potestate fungitur, tamdiù illius pars dici et potest, et debet. In hoc igitur sensu, quemadmodùm Ecclesia, hoc est, respublica christiana, non interiore solùm fide constituitur, sed Baptismi etiam exteriore sacramento; sic ejus partes non interior modò infidelitas, sed schisma, externique judicii divisio separat. Itaque si in illâ Nicolai definitione Ecclesia hoc secundo modo accipiatur, fideles dicantur oportet non à Christi, sed à fidei sacramento. Verùm de hoc in capite hujus libri postremo plura. Argumento verò posteriori ità respondeo : Apostolus si ad Hymenæum et Philetum verba illa retulit, non ad id tempus spectavit, quo jam de domo fidelium communi per sectam privatam exierant, sed ad illud potiùs, quo per susceptam fidem ac baptismum in magnâ domo continebantur. Quæ sententia est Augustini, his ipsis, quos attulimus locis. Quanquàm propter Cyprianum, cujus se dicit auctoritate urgeri, fatetur etiam hæreticos in magnâ domo quodam modo esse, propter eadem sacramenta, quibus administrandis cum Ecclesiâ conveniunt. Verùm id Augustinus, ut dixi, invitus addidit; nam illud libenter sequitur. Ego verò, ut, quemadmodùm sentio, loquar; non intelligo, quid causa Augustino fuerit, ut verba Cypriani in eum sensum acceperit, qui mihi sanè tàm apparet à Cypriani mente alienus, quàm cœlum à terræ naturâ alienum est. Nam, ut omittam quod in locis paulò antè à me citatis Cyprianus ipse hæreticos non obscurè ab Ecclesiâ excludit, certè in epistolâ ad Antonianum, cujus Augustinus testimonio abutitur, non solùm non ab eâ sententiâ discedit, sed eamdem apertiùs confirmat, inquiens : « Quod verò ad Novatiani personam pertinet, scias « nos curiosos esse non debere, cùm foris deceat. « Quisquis ille est, et qualiscumque est, Christianus « non est, qui in Christi Ecclesiâ non est, » etc. Nec alia Cypriano causa fuit hæreticorum baptisma negandi, nisi quia eos extrà Ecclesiam et esse, et baptizare, perpetua illi fuit firmaque sententia. In his verbis autem, quæ Augustinus refert, nihil aliud Cyprianus significat, quàm Novatianorum arrogantiam et tumorem, qui putarent se posse facere id, quod ne Apostolis quidem concessum est, ut zizania à frumento discernerent, paleas separarent à tritico, vasisque ligneis et fictilibus ejectis, aurea argenteaque seligerent. Ubi per vasa lignea et fictilia non eos Cyprianus accepit, quorum sermo ut cancer serpserat, sed eosdem prorsùs, quos et zizania, et paleas vocaverat, hoc est, fragiles, et imbecilles, qui firmis perfectisque erant, suntque semper in Ecclesiâ permixti. Quos Novatiani quoniam ferre non poterant, humilitatis ac lenitatis obliti, ab Ecclesiâ antè tempus ejicere conabantur. Quanquàm vasa lignea fictiliaque ad solos improbos referre, quod Cyprianus facit, non Augustino solùm, sed mihi etiam parùm probatum est. Sensus igitur Apostoli planus est. Cùm enim dixisset, quosdam à veritate excidisse, etc., ne omnes fragiles existimarentur, ac proindè Ecclesiæ fidei timeremus, subjicit : *Sed firmum fundamentum Dei stat,* etc. Quia verò quæreret fortassè quispiam, cur Deus in Ecclesiâ suâ alios firmos, alios infirmos haberet, hos stare, illos excidere pateretur, huic respondet Apostolus, *in magnâ domo non solùm esse vasa aurea et argentea, sed lignea et testacea,* etc.

Est et altera hujus apostolici testimonii intelligentia,

ex quâ Manichæorum, Pelagianorum, Catharorum, Donatistarum, Beguardorum et Beguinarum pariter eluuntur errores, in quos Hymenæus fortè et Philetus incurrerunt. Non enim verisimile fit, in eam hos dementiam incidisse, ut astruerent corporum resurrectionem esse jam factam. Sed quoniam falsâ absolutæ sanctimoniæ persuasione imbuti, vitam in carne mortali asserebant similem ei, quam justi cum angelis post resurrectionem immortales habituri sunt, ab omni scilicet fragilitate et imperfectione alienam; idcircò vas electionis Apostolus eos asseruisse ait resurrectionem esse jam factam. Horum igitur vanam futilemque sententiam paucis refutat Paulus, inquiens: *Sed firmum fundamentum Dei stat*, etc. Quæ verba, nî fallor ego, hunc sensum habent: Electio fidelium ex parte Dei quidem certa atque immutabilis est. Hanc enim ille vocat fundamentum, quoniam primum est humanæ salutis initium. Nam *quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit*, ad Rom. 8, 30. Firmum igitur fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: *Novit Dominus qui sunt sui*. Electio quippè nostra, nobis ipsis obscura et incognita, solius Dei notitiâ quasi signaculo quodam obsignata clauditur, ut hìc et apud nos incerta et occulta sit, et apud Deum stata et fixa. Sed quia salus nostra à nostro quoque arbitrio pendet, nemo ex electione Dei certam sibi stabilemque justitiam polliceri debet, nemo sensu inflatus carnis suæ angelorum religionem in carne mortali prædicare, nemo impeccantiam et virtutem omnibus numeris absolutam sibi assumere, nemo reliquorum fidelium aspernari consortium, in quibus humanum adhùc aliquid subesse cernat. Hoc est autem, quod subjungit: *Discedat ab iniquitate*, etc. Satagat, inquit, 1 Petr. 2, 30, in primis per *bona* ipse *opera certam facere vocationem suam*, nec tantùm munditiæ suæ fidat, ne timeat iniquitate se posse contaminari et pollui. Intelligat deindè, in magnâ domo non solùm esse vasa aurea et argentea, sed lignea et fictilia; ac quædam quidem in honorem, alia autem in contumeliam. Ità, si vasa aliqua frangi cognoverit, reformet ea pro suâ virili et consolidet considerans seipsum, ne fortè et ipse frangatur. Atque si vas in honorem sibi videtur esse, ferat patienter vasa in contumeliam, nec horum abominatione à magnâ domo discedat. Nam et vasa ista inhonorata et ingloria, quemadmodùm libero arbitrio versa sunt in contumeliam, sic verti eâdem libertate poterunt in honorem. Quibus ex rebus non modò argumentum illud eliditur, verùm etiam id constat, quod in hâc definitione vel maximè quæritur, Ecclesiam omnium fidelium, et fortium et imbecillium, et justorum et iniquorum collectione constitui. In quod si planè ac breviter confecerimus, nec nos industriæ nostræ, nec sui lectorem laboris pœnitebit.

CAPUT III.

Quinam sint fideles illi, è quibus verè et propriè Ecclesia conflatur.

Enimverò in partibus Ecclesiæ censendis tres errores fuisse animadvertimus. Primus eorum fuit, qui non utàrunt illic Ecclesiam habere partem, ubi non est solida vitæ puritas et integritas, Aug., lib. 3 contr. Parm. cap 2. Tales olìm fuère Cathari, et, qui ad horum vesaniam accedebant, Donatistæ; hodiè sunt ex Lutheranis Anabaptistæ, qui cum Pelagianis perfectam omninò in hâc etiam mortali vitâ fidelium esse justitiam volunt; cum Catharis et Donatistis nullam in Ecclesiâ infirmitatem ferunt. Fuère alii, qui solis prædestinatis ad gloriam locum in Ecclesiâ concessèrunt, cujus erroris auctores præcipui reperiuntur Joannes Wicleffus, et Joannes Hus, damnati in concilio Constant. Postremi solos probos ad Ecclesiam pertinere arbitrati sunt, improbos autem nullo modo. Id quod post veteres quosdam modò asserunt Lutherani non omnes, sed qui in eis habentur nobilissimi. Verùm non est animus, quæ adversùm hos errores à Catholicis disputata sunt, ea hìc exquisitè resumere. Summatìm ergò argumenta referemus, quibus singuli confutantur.

Primus itaque error antè omnia refellitur eisdem omninò testimoniis, quibus Pelagiani olim et Donatistæ refutati sunt: *Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*, 1 Joan. 1, 8; item: *Dimitte nobis debita nostra*, Matth. 6, 12; quam orationem Christus Apostolos suos docuit, qui Ecclesiæ nimirùm partes erant; item Jac. 3, 21: *In multis offendimus omnes;* item, Hebr. 5, 1: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat sacrificia pro peccatis, qui condolere possit iis qui errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, et propterea debet, quemadmodùm pro populo, ità etiam pro semetipso offerre pro peccatis;* item, Ps. 142, 2: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur coràm te omnis vivens;* item, 3 Reg. 8, 46: *Non est homo qui non peccet;* item, Prov. 20, 9: *Quis potest dicere, mundum est cor meum, mundus sum à peccato?* item, Eccl. 7, 21: *Non est homo justus in terrâ qui faciat bonum, et non peccet;* cæteraque similia, quæ ex Job et Daniele referri solent. Si igitur Ecclesiam in singulis etiam membris omni prorsùs labe et culpâ vacare oporteret, nulla profectò in terris esset Ecclesia, quoniam nemo usquàm mortalium est, ut prædicta testimonia comprobant, qui omni ex parte perfectus et immaculatus sit. Prætereà Cephas Ecclesiæ sine dubio pars erat, qui Ecclesiæ columna erat; at ei tamen in faciem Apostolus restitit, Gal. 2, 11, quia reprehensibilis erat, nec rectè ambulabat ad veritatem Evangelii. Non ergò opus est Ecclesiæ membra adeò pura esse, ut nulla in eis macula, nullus nævus resideat.

Ad hæc, in Thessalonicensibus Ecclesiam agnoscebat Apostolus: in his verò iisdem quosdam etiam notabat *ambulantes inquietè, et curiosè agentes*, quos docet non quasi alienos et inimicos existimandos, sed corripiendos ut fratres. Christi igitur confraternitas et societas aliquos habet fratres et socios imperfectos. Quid plura? Nonne Apostolus parvulos quosdam et imbecilles in Ecclesiâ esse affirmat? *Tanquàm parvulis in Christo*, ait, 1 Cor. 3, 1, *lac vobis potum dedi, non*

escam; et rursùm, Rom. 14, 1 : *Infirmum in fide assumite.* Quid illud, Ephes. 4, 11 : *Quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuantes?* Et statim : *Crescamus,* inquit, *in illo, ex quo totum corpus compactum et connexum, augmentum corporis facit in mensuram uniuscujusque membri.* Non igitur omnia Ecclesiæ membra undique consummata sunt, expletaque suis omnibus numeris et partibus. Sed otiosum erit ampliùs in erroris hujus confutatione versari, præsertìm cùm Augustinus, lib. de perf. just., et lib. 1 et 2 adv. Pelag. et Hieronymus, lib. 2 contr. Jovin., in hâc fermè eâdem causâ diligentissimè elaboraverint. Pergamus itaque ad reliqua.

Secunda porrò hæresis à nostris majoribus primùm explosa est, quoniam nexu necessario illi cohærent aliæ pestilentissimæ in eodem concilio Const. damnatæ : « Si papa fuerit præscitus, non habet potestatem « super fideles, nisi fortè à Cæsare. » Item : « Nullus « sine revelatione potest rationabiliter de se asserere, « quòd sit caput particularis Ecclesiæ. » Item : « Præ« sens justitia, et gratia non facit aliquem esse aut « Christi membrum, aut Ecclesiæ. » Item : « Prædesti« nati etiam infideles semper sunt Christi Ecclesiæque « membra. Quarè nec Paulus unquàm fuit membrum « diaboli, nec Judas Christi. » Quæ omnia et per se sunt falsa perspicuè, et catholicæ fidei vehementer repugnantia. Res certè Christi publica fuisset insipientissimè constituta, si magistratuum in eâ potestas tantis esset tenebris circumfusa, ut nulli prorsùs fidelium eluceret. Cùm enim universi fideles dubitent, an summus pontifex, episcopi, sacerdotes, ac cæteri Ecclesiæ ministri prædestinati sint, necne, dubitent etiam oportet, nùm decretis judiciisque eorum astringantur. Ità fiet, ut Ecclesiæ ac conciliorum dogmata ambigua sint omnia, et leges cunctæ imbecilles, sineque vi ad coercendum idoneâ. Quid autem stultius dici potest, quàm civem civitatis suæ magistratus cognoscere, qui sint, omninò non posse? Qui igitur ità sentiunt, ii cùm stultum christianæ reipublicæ auctorem faciunt, tùm omnia scita, præcepta, sanctiones evertunt, omnemque funditùs Ecclesiæ potestatem; quæ apud eos sanè vacillet et cadat necesse est, quibus occulta, incerta atque infirma est. Nec argumentis à ratione ductis opus est irrationalem, non opinionem dicam, sed insaniam coarguere, cùm ad eam refellendam manifestissima sint Scripturæ testimonia. *Vos,* inquit Matth. 5, 14, *estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita, nec accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio,* etc. Item Matth. 13, 25 : *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit,* etc. Ecclesiam igitur manifestam et cognitam fidelibus esse necessum est. Item, ad regnum cœlorum familiamque suam Christus eum quoque servum pertinere docuit, qui, quoniam conservi sui non est misertus, tortoribus traditus est. Non ergò in Christi familiâ, quæ Ecclesia est, soli servi prædestinati continentur. Item, Matth. 22, 2 : *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, in quas intravit etiam ille, qui missus est in tenebras exteriores.* Item, Matth. 25, 1 : *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quarum quinque erant fatuæ, et quinque prudentes.* Non ait, quinque simile esse, sed decem. Et tamen quinque ex illis clausa est janua. Item Ecclesiam esse ex prædestinatis præscitisque permixtam, illa Christi parabola Matth. 13, 47, demonstrat, in quâ reti comparatur, quo pisces omne genus colliguntur, nec seliguntur, donec in littore sint expositi, ubi angeli separabunt de medio justorum malos, et mittent eos in caminum ignis.

Illa quoque idem ostendit, in quâ agro dicitur similis, Matth. 13, 25, qui bonâ fruge consitus, zizaniis inimici fraude inficitur, quibus non expurgatur, donec in aream advecta fuerit messis, cùm colligenda zizania sunt, et alliganda in fasciculos ad comburendum : quam parabolam Augustinus contr. Parm. insigniter explicat. Et quoniam omnia persequimur, Ecclesia area illa est, in quâ sic collectum est triticum, ut sub paleâ delitescat, donec vanno et cribro repurgatum in horreum tandem recondatur; paleæ autem comburuntur igni inextinguibili. Prætereà non ex præscientiâ, sed ex præsenti justitiâ Dei populum, civitatem, familiam nominari, illud demonstrat 1 Petr. 2, 10: *Qui aliquandò non populus Dei, nunc autem populus Dei;* illud item, Ephes. 2, 12 : *Eratis illo in tempore alienati à conversatione Israel, et hospites testamentorum; jam autem non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei,* etc. Quod nisi ità sit, beatus et justus est omnis ille, qui est prædestinatus ad gloriam, tùm etiam cùm miser et impius est. Non igitur à præscientiâ, sed à præsenti justitiâ propriè denominatur. *Dedit eis potestatem,* ait, Joan. 1, 12, *filios Dei fieri.* Quibus? Nùm iis, quos præscivit esse credituros? Non, sed his, *qui credunt in nomine ejus.* Item, Ephes. 5, 8 : *Eratis aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate.* Item, 1 Cor. 6, 15 : *An nescitis, quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis?* Item, Joan. 3, 7 : *Qui facit justitiam, justus est; qui facit peccatum, ex diabolo est. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli.* Item, Rom. 14, 5 : *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Quod nisi secundùm justitiam præsentem nullo modo sumus. Item, Joan. 3, 7 : *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.* Per Baptismum ergò, et non per prædestinationis gratiam in Christi corpus transimus. Sed in hujus erroris confutationem satis multa diximus. Jam tertium eumdemque postremum refutemus.

Id quod in primis eædem omninò Evangelii parabolæ conficiunt, quibus antè usi sumus : è quibus hoc idem Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, argumentantur. In agro quippè dominico inter nitentia culta, lappæque, et tribuli et steriles dominantur avenæ. In areâ paleæ frumentum operiunt. In rete pisces et boni concluduntur et mali. In magnâ domo vasa sunt lignea,

et fictilia, honorata quoque, et inhonorata. In regno cœlorum cum sapientibus virginibus fatuæ sunt. In Christi familiâ servus nequam invenitur; non ille solùm, qui conservo negavit misericordiam, sed is etiam, qui super familiam constitutus, cùm moram Domini causaretur, pristinumque timorem abjiceret, cœpit percutere servos et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari. Quid? Annon Ecclesias in Apocalypsi legimus, quarum angelos et ministros Deus ad pœnitentiam admissi criminis cohortatur? Nonnè Apostolus ad Galatas eas etiam Ecclesias vocat, quas ipse idem errore arguit depravatas? Inter Corinthios quoque non una erat peccati species, sed plurimæ; neque levia erant errata, sed flagitia. Et tamen Apostolus eos non solùm Ecclesiam, sed sanctam Christi societatem et agnoscit, et prædicat. Si inter Corinthios manet Ecclesia, ubi fervent contentiones, sectæ, æmulationes; ubi lites vigent et jurgia; ubi favetur sceleri, quod gentibus ipsis foret execrabile; ubi proscinditur Pauli nomen, quem ceu patrem colere debuerunt; ubi divina dona ambitioni, non charitati serviunt; ubi quidam mortuorum resurrectionem ludibrio habent; ubi permulta demùm indecenter et inordinatè geruntur: ecquis audet Ecclesiæ titulum eripere iis, quibus decima pars istorum criminum impingi non queat? Qui tantâ morositate sæviunt in præsentes Ecclesias, quid, quæso, Galatis Corinthiisque fecissent, tantùm non Evangelii desertoribus? Habet igitur Ecclesia carnales suos, quos non esse à spiritualibus deserendos monet Apostolus ad Galat. 6, 1; habet suos ægrotos et infirmos, quibus parata à Christo Sacramentorum remedia medici administrant. Iis quippè, qui intùs sunt, pœnitentiæ sacramentum paratum est. Quod frustrà esset in Ecclesiâ, si nulli essent in eâ peccatores. Atque Lutherani, quoniam eludere Ecclesiæ judicia volunt, ne fateri cogantur, improbos habere ecclesiasticam potestatem, hos Ecclesiæ partes esse negant, sibique proindè Ecclesiam fingunt, quam nullus hominum videre potest, ut quæ tenebras habitat inaccessibiles: Ecclesiam certè, quam ego non intelligo. Puderet me dicere non intelligere si ipsi intelligerent, qui defendunt. At involvere isti, et obscurare id volunt, quod in clarâ luce à Christo positum est, ne à catholicæ Ecclesiæ unitate recessisse videantur. Nulla est autem, ut Augustinus ait, securitas unitatis, nisi apud Ecclesiam, quæ suprà montem posita abscondi non potest, et ideò necesse est, ut omnibus terrarum partibus nota sit. Rectè etiam est ab eodem Augustino dictum, ubi Ecclesia manifesta non est, ibi ne Christum quidem manifestum esse posse: qui per Ecclesiam non solùm hominibus, sed principibus, et potestatibus in cœlestibus innotescit. Nobis itaque Ecclesia lucerna est, super candelabrum posita, quam videant omnes qui in domo sunt. Qualis nimirùm Antiochenis fuit cùm disceptationis causâ finiendæ Hierosolymam ascenderunt. Qualem præscripsit Dominus, ubi ait, Matth. 18, 17: *Dic Ecclesiæ*, etc. Alioqui, quibus Ecclesia occulta est, quid habent illi facere, cùm in graves incidant de lege ac religione controversias? Nùm animi pendere usquè, et nullo firmo loco consistere? Incerta nempè erunt omnia, si apud solos pios Ecclesia est. In quocumque enim Ecclesiæ judicio, excipiet is, contrà quem sententia dicitur, quòd judices non sunt pii. Quamobrem qui Ecclesiam justorum solùm numero definiunt, ii cùm à malis Ecclesiæ pastoribus omnem potestatem auferunt, tùm judiciorum ecclesiasticorum vires infirmant, nec ulla habere possunt Ecclesiæ firma dogmata. Ac nisi Christus intelligeret, malos Ecclesiæ suæ non partes quaslibet, sed primas etiam aliquandò futuros, nusquàm illud profectò admoneret, Matth. 23, 2: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi: quæcumque dixerint vobis facite, secundùm autem opera eorum nolite facere.* Quid verò Paulus? *Hic jam quæritur*, ait, 1 Cor. 4, 2, *inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer*, etc. Quòd si necessarii essent boni mores, ut quis Ecclesiæ pars et administer esse posset, non utique pro minimo haberet Apostolus ab hominibus judicari: quippè ejusmodi judicium cum apostolicæ potestatis ruinâ cernebat esse conjunctum. Nunc autem videns ad dispensatoris potestatem illud non esse necessarium, quod Corinthii nonnulli requirebant, *Mihi*, ait, *pro minimo est*, etc. Jam quot quàmque vehementes scrupuli, quanta confusio atque perplexitas ipsis etiam dispensatorum animis injicerentur, si ex peccato ab Ecclesiâ fierent protinùs alieni, omnemque adeò Ecclesiæ potestatem amitterent! Benè igitur subdit Apostolus: *Sed nec meipsum judico*, etc. Humanorum autem judiciorum quanta temeritas, si ab animi virtute Ecclesiæ partes officiaque penderent! Ea propter adjunxit: *Itaque nolite antè tempus judicare*, etc. Quantùm verò schismatum quotidiè in Ecclesiâ videremus, dùm unus alteri diceret: *Tu non es de Ecclesiâ, quia malus es; ego de Ecclesiâ sum, quia sum bonus!* Dùmque etiam quem hic damnaret, eum ille defenderet, quantam putas fore litium jurgiorumque materiam? Præclarè itaque concludit Apostolus: *Hæc autem transfiguravi in me, et Apollo, ne unus adversùs alterum infletur pro alio*, etc. Maneat igitur, Ecclesiæ nomen fideles universos, probos, improbosque complecti. Quod in hoc capite suscepimus explicandum.

CAPUT IV.

Quænam sit Ecclesiæ catholicæ in fidei dogmate auctoritas.

De Ecclesiæ nomine ea dicta sunt quæ, cùm necessaria viderentur, præteriri à nobis nec poterant nec debebant. Nunc ad rem ipsam quæ est in manibus, aggrediamur, ostendamusque Ecclesiæ auctoritatem tantùm habere ad faciendam fidem virium, ut firmissima etiam theologis argumenta suppeditet. Hoc priusquàm facio, admonere operæ pretium est, Ecclesiam non ipsam modò catholicorum concionem esse, quæ per baptismum Christo et nomen dedit, et peculiaris, novaque respublica consecrata est, verùm etiam principes ac præfectos ipsos ecclesiasticos, in quibus scilicet reipublicæ hujus auctoritas potissimùm residet.

Nec id nos aut recenti opinione confingimus, aut sine Scripturæ testimonio asserimus. Præclarum est Aristotelis illud, Ethic. lib. 9, civitatem id maximè esse quod est in eâ principale. Indè enim, quæ principes ac gubernatores civitatis faciunt et sentiunt, ea civitas facere, sentireque dicitur. Cujus rei in sacris illud exemplum, 3 Reg. 8, 1 : *Congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum in Jerusalem.* Et inferiùs : *Convertitque rex faciem suam et benedixit omni Ecclesiæ Israel : omnis enim Ecclesia Israel s'abat.* Illud est etiam simile huic, Exod. 19, 7 : *Venit Moyses, et convocans majores natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus. Responditque omnis populus simul : Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* Non est igitur, cur in hâc significatione Ecclesiæ vocabulum fideles perhorrescant, quod hæretici facere solent in odium ecclesiasticæ potestatis, quam Christus non penès populares, sed penès Ecclesiæ sacerdotes, ac pastores esse voluit, ut alio et loco, et tempore, si facultas erit, explicabitur. Nunc scholæ more rem totam, quæ hujus libri caput est, quatuor conclusionibus absolvemus.

Sit ergò prima conclusio. Ecclesiæ fides deficere non potest. Est enim sponsa Christi per fidem, sicut scriptum est, Oseæ 2, 20 : *Desponsabo te mihi in fide.* Quòd si Ecclesiæ fides deesset, jam sponsi sponsæque matrimonium dirimeretur : quorum tamen est indissolubilis, perpetuaque conjunctio. *Sponsabo*, ait Oseæ 2, 19, *te mihi in sempiternum :* et sponsa : *Tenui*, inquit Cant. 3, 4, *eum, nec dimittam.* Et ille rursùm : *Ecce ego vobiscum sum*, ait Matth. ult. 20, *omnibus diebus, usquè ad consummationem seculi.* Quo testimonio ad id probandum utitur Leo ad Augustam et Theodorum. Probat etiam Julius in decretis suis illo Psalmi 47 testimonio : *Circumdate Sion, et complectimini eam, quoniam hic est Deus noster in seculum : ipse reget nos in secula.* Quod de Ecclesiâ Christi intelligi oportere, quicumque Psalmum leget, etiam me non demonstrante, intellecturus est. Idem quoque ostenditur ex eo Luc. 1, 32 : *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.* Si ergò in æternum Ecclesia Christi manu sustinetur, Christi præsidio armatur, Christi virtute fulcitur, Christi sapientiâ regitur, fides profectò in eâ permanebit, sine quâ regnum Christi in terris nullum est. Confirmat autem hoc clarissima illa Isaiæ, cap. 59, vaticinatio : *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodò, et usque in sempiternum.* Huic et illa Ps. 88 similis est : *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usquè in æternum præparabo semen tuum.* Item Ps. 131 : *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in seculum seculi.* Illa verò Jeremiæ, cap. 31, est longè simillima : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus*, etc. Præterea vir sapiens describitur à Domino is, *qui ædificavit domum suam super petram*, Matth. 7, 24 ; Christus igitur domum suam super petram fundavit. Quarè nec pluvia, nec flumina, nec venti obruere illam possunt. At fide stamus, ut ait Paulus 2 ad Cor. 1, 23. Ecclesia igitur fidem semper habebit. Nam aliàs non stabit, sed ruet. Quid quòd apertis verbis hanc fidei firmitatem Ecclesiæ suæ Dominus pollicetur, inquiens Matth. 16, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam?* Ecclesiæ igitur fidem non poterit vel infernus adimere.

Secundò, Ecclesia in credendo errare non potest. Nonnulli enim Ecclesiæ perpetuam fidem sic interpretantur, ut intelligant, Deum Ecclesiæ esse præsentem usquè ad seculi consummationem, ne unquàm vera illi fides et charitas desit ; sed posse tamen probabiliter ignorare rem unamquamlibet, quâ scilicet ignoratâ, non proindè Ecclesia fidem amitteret. Faciamus enim disputationis gratiâ, non esse à Deo revelatum, divam Virginem ab originali peccato immunem exstitisse. Nihil enim prohibet rem fictam exempli loco ponere, quo faciliùs res intelligatur : quanquàm exemplum verum est, ut posteriùs ostendemus.

Aiunt ergò, quòd quamvis Ecclesia crederet, Sanctam Virginem fuisse sine peccato conceptam, idemque definiret ab omnibus esse credendum, non tamen in eo fidei jacturam facere existimaretur. Nam licèt falleretur, at error probabilis et inculpatus fidem Ecclesiæ non excluderet. Cujus sententiæ, si de facto consideres, videntur esse Glossa interlinearis (sic enim vocant) in illud : *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam ;* D. Thom. in 4, dist. 6, quæst. 1, artic. 3, quæst. 2, ad 3, et cardinalis Turrecremata, lib. Summæ Ecclesiæ 2, cap. 91, et Alphonsus à Castro Zamorens. de justâ hær. punit. lib. 1, cap. 5.

At reverà id nos superiore propositione constituimus, nempè Ecclesiam semper fidem habituram. Verum est hoc ; quis negat? Sed prætereà Ecclesiam in fide errare non posse, sic à fidelibus accipiendum est, ut quicquid Ecclesia tanquàm fidei dogma tenet, verum sit, nec quidquam falsum, quod illa aut credit, aut docet esse credendum. Cùm enim Corpus Christi sit, ut ad Ephesios, cap. 5, docet Apostolus, à suo certè capite movetur, ac regitur. Ecclesiæ igitur error ad Christum auctorem referetur. Nullo itaque pacto errare in fide potest. Nam Spiritus veritatis est hujus corporis anima. *Unus*, inquit, ad Ephes. 4, 4, *spiritus, et unum corpus.* Quòd si spiritu veritatis Ecclesia agitur, ad nullum errorem ne insciens quidem moveri poterit. Præclaram deindè promissionem habet Ecclesia, quòd nunquàm sit à Christo deserenda ; quin ejus spiritu in omnem ducatur veritatem. *Ego rogabo Patrem*, ait in Joan. 14, 16, *et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem vos cognoscetis, qui apud vos manebit.* Et posteà, 14, 26 : *Paracletus autem Spiritus sanctus ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Item : *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Nec me fugit, quòd hæretici argumentum hoc duobus modis eludere conantur. Primùm enim, ejusmodi verba, aiunt, de solis Apostolis intelligenda, neque ad posteros in Ecclesiâ pertinere ; mox affirmant, Christum non tantum nu

mero duodenario conjunctum, sed Apostolis quoque seorsum singulis Spiritum veritatis promisisse; imò aliis similiter discipulis, vel quos jam assumpserat, vel qui posteà accessuri erant. Nam si ejusmodi promissiones sic interpretemur, quasi nemini Christianorum datæ sint, sed universæ simul Ecclesiæ, nihil nos aliud, quàm Christianis omnibus consolationem tollere, quæ indè ad ipsos redire eximia debuerat. Sed utraque juxta in re rusticè indoctèque nugantur. Principio enim, verba illa non modò ad Apostolos, sed ad successores etiam referri oportere, ex eo antè omnia patet in Joan. 14, 16 : *Qui manet vobiscum in æternum.* Quod illi simile est ex Matth. ult. 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem sæculi.* Rursùm ex eo quoque patet Joan. 17, 17 : *Sanctifica eos in veritate, sermo tuus veritas est. Pro eis ego sanctificabo meipsum : ut sint et ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis autem ego rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Atque promissionis hujus Isaias mihi videtur illustris non vates modò, sed interpres. *Spiritus meus*, ait, cap. 59, v. 21, *qui est in te, non recedet de ore tuo, et de ore seminis tui amodo et usquè in sempiternum.* Quem igitur Spiritum veritatis Christus promisit Apostolis, Ecclesiæ item post eos futuræ promisit; nisi velimus Ecclesiam defunctis Apostolis fuisse à Domino destitutam; imò vero ad eam nec concilia, nec præcepta Evangelii pertinere. Siquidem quæ Dominus Apostolis loquebatur, hæc ad illos duntaxat, non ad futuros in Ecclesià post eos spectare dicuntur. Quo quid stultius dici potest?

Jam secunda illa tergiversatio quàm vana etiam, et ridicula est! Si enim hoc ità communiter fidelibus dictum esse volunt, ut seorsùm quadret in singulos, sequitur, cuicumque fideli Spiritum veritatis sempiternum adesse, qui eum doceat omnem veritatem, suggeratque ei omnia quæcumque dicta in Evangelio sunt. Sed esto. Spiritu sapientiæ, intelligentiæ, lucis, veritatis omnes polleant, num inficias ire possumus, quidquid particulatim membrorum unicuique tribuitur, id penitùs, et ad plenum corpori convenire? Quid ad hoc respondeat Calvinus, audiamus. *Hoc*, ait, *tametsi habet nonnullam veri speciem, verum tamen esse nego.* O stultum hominem et repugnantem manifestæ veritati! An ignorat, quæ Spiritus sancti dona singulis membris distribuuntur, in commune conferri omnia? An videt oculus, et non magis homo videt? An non lucerna corporis est oculus? Quid verò absurdius, quàm membrum posse quidquam quod corpus nequeat efficere, partem habere quod non habet totum? *Unicuique nostrûm*, ait Paulus ad Ephes. 4, 4, *data est gratia secundùm mensuram donationis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, etc., ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Et posteriùs : *Crescamus in illo, qui est caput Christus; ex quo totum corpus compactum et connexum secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Membrum igitur quoniam id, quod est, totius corporis est, nihil sibi vindicat proprium, sed ità in corpus omnia confert, ut magis corporis, quàm membri actiones, perfectionesque esse videantur. Quocircà illud absurdum est, quòd ii scilicet, quibuscum nunc disseritur, eam curam, quam debent capere, non capiunt; eam capiunt, quâ debent carere. Non enim probant, verba Christi minimè ad Ecclesiam attinere, probant attinere ad singulos : quod contrà oportebat, si propositum illis erat argumenti vires infirmare. Nos sanè, quemadmodùm scimus animam actum et perfectionem esse maximè quidem corporis physici organici, secundo autem loco membrorum etiam singulorum, in quibus varias licèt edat functiones, sed omnes illæ et corporis propriæ sunt, et propter corpus ipsum membris à naturâ tributæ; ità Spiritum veritatis ad corpus primùm Ecclesiæ referimus; deindè propter Ecclesiam ad singulas etiam Ecclesiæ partes non ex æquo, sed analogià, et proportione quâdam, juxtà mensuram uniuscujusque membri. *Unum corpus*, inquit ad Ephes. 4, 4, *et unus spiritus. Unicuique autem nostrûm data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Quænam verò hæc mensura Christi est? *Secundùm operationem*, ait, *in mensuram uniuscujusque membri.* Spiritus ergò suo quidem modo singulis promissus est, ut magnos doceat, doceat et parvulos; at parvulis lac potum dat, ait Apostolus, majoribus solidum cibum; illis Christum loquitur, et hunc crucifixum, 1 ad Cor. 2, 2; his loquitur sapientiam in mysterio absconditam. Verùm singulis membris sic Spiritus veritatis adest, ut non solùm corpori universo non desit, sed corpori, quàm membris priùs potiùsque intelligatur adesse. Quin etiam, si veritas omnium membrorum donum est, tunc nimirùm illa erit et firmior et certior, cùm in eam omnia simul membra concurrerint. Quamobrem, si quid falsi haberet Ecclesia tanquàm fidei catholicæ dogma, nec Spiritus Christi æternùm cum fidelibus permaneret, nec eos omnem doceret veritatem : quæ, nisi Christi pollicitationes vanas et irritas facimus, vera rataque esse non possunt. Ac si dogma falsum Ecclesia crederet, credendumve proponeret, quamlibèt ex ignorantià id faceret, quomodò *columna et firmamentum esset veritatis?* Certè si veritas in Ecclesiæ humeris innixa est, deesse illi omninò non potest, nisi et Ecclesiæ suæ Christus, et Christo ipsa veritas desit. In summâ, si Ecclesia posset in fidei quæstione falli, librum quoque ut divinum recipere posset, qui tamen à Deo non fuisset, cùm sit eadem ratio de uno libro ac de unoquolibet dogmate. Quarè non valeret argumentum : Ecclesia habet Evangelium Matthæi pro canonico, ergò canonicum est. Quod quoniam impiissimè et absurdissimè diceretur, illud nos dicamus potiùs, rectè fideles Ecclesiam catholicam credere, non solùm in eo sensu, ut Ecclesiæ catholicæ fides deficiat nunquàm, sed in eo etiam, ut nihil ipsa credere aut docere possit, quod sit veræ fidei contrarium. Subdolè autem atque versutè mentem nostram Calvinus Bucerusque interpretantur. Quasi in eum sensum Ecclesiam negemus errare posse, quòd Spiritûs favore, ac præsentià freta, quocumquè volet pergere, tutò etiam sine verbo incedat. Proindè si quid præter Dei verbum crediderit, statue-

rit, finierit, id habendum esse non alio loco, quàm certum Dei oraculum. In hoc igitur discrimen esse aiunt, quòd nos Ecclesiæ auctoritatem extrà verbum Dei collocamus : ipsi verbo annexam volunt, nec patiuntur ab eo separari. Laborat autem Calvinus vehementer in iis locis colligendis, in quibus Prophetæ, Apostoli, atque adeò Christus ipse nihil ex se attulisse, sed de ore Domini locuti fuisse memorantur. Conficit multò æquiùs esse Ecclesiam Christi discipulam, ab ejus ore assiduè pendere, nec ex se sapere, et cogitare quidquam, sed statuere sapientiæ suæ terminum, ubi loquendi finem ille fecerit. Sanctissimè enim Chrysostomus, de sancto et adorando Spiritu : « Multi, inquit, « Spiritum sanctum jactant, sed qui propria loquun- « tur, falsò illum prætendunt. » Ut Christus non à seipso loqui se testabatur, ità si quid præter Evangelium sub titulo spiritûs obtrudatur, ne credamus. Sanè Christus nihil plus de suo Spiritu denuntiat expectandum, quàm ut mentes illuminet ad percipiendam doctrinæ suæ veritatem. *Spiritus*, ait, *ducet vos in omnem veritatem.* Sed quomodò? *Quia suggeret omnia, quæcumque dixero vobis*, Joan. 24, 26. Hæc omnia Calvinus. Nam Bucerus dixit multò etiam indoctiùs, tunc esse Ecclesiæ credendum, cùm pronuntiat secundùm Scripturas rectè intellectas. Sed hoc cùm dicit, omnia facit ambigua, quæ sint ab Ecclesiâ definita. Si enim aliter potest pronuntiare quàm Scriptura sanè intellecta exigit, excipiemus semper, Ecclesiam in eo falli, quòd falsò Scripturam intelligit. Ecquis verò judex erit, an Ecclesia Scripturam ritè, an secùs interpretetur? Nihil igitur afferunt, qui Ecclesiæ auctoritatem non absolutè, sed ex conditione ponunt. Si namque ad eum modum res se habet, et mihi quoque fides habenda est, quandò pronuntiavero secundùm Scripturas rectè intellectas. Id enim est non mihi, sed Scripturæ credere. At absolutè, non ex conditione, populus Domino credidit, et Moysi servo ejus. Absolutè etiam Prophetis et Apostolis populi crediderunt. Quale verò esset Prophetis Apostolisque loquentibus fidem eâ exceptione detrahere, quòd perperàm Dei verba intellexissent? Quale item esset, si illa quoque exceptio adderetur Jerem. 43, 2 : *Mendacium tu loqueris, non misit te Dominus Deus noster?* Ac valdè mirum est, tàm nihil esse frontis istis nebulonibus. Quid enim tandem auctoritatis in Ecclesiâ erit, si in omni dogmate, lege, definitione dupliciter eludi potest, quòd aut sermonem ipsa suum efferat, aut, si sermo Domini sit, non sanè intellectum? Sed redeo ad Calvinum, qui cùm sibi vulgatum illud Domini testimonium objecisset Matth. 18 : *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, fatetur demùm Ecclesiam audiendam esse, ut quæ nunquàm nisi in veritatem Dei consentiat, nihil nisi ex verbo Domini pronuntiet. In hoc se insistere, non licere Ecclesiæ novam doctrinam condere et plùs pro oraculo tradere, quàm quod Dominus verbo suo revelavit.

Verumenimverò inter suos hic mirificè garrit, et vel stultè ignorat, vel malitiosè mentitur, cùm dicit, nos id pro oraculo fidei habere, quod homines sine Dei revelatione censuerint. Nos sanè fidem nostram individuo nexu cum verbo Dei conjunctam esse volumus, nec ullum Ecclesiæ assensum fidenter firmèque sustinemus, nisi quem à Deo exstitisse habemus cognitum, et firmo conceptum animo. Sed illud quoque certò nobis persuasum est, Dominum Ecclesiæ suæ perpetuò ac continenter adesse, et eam Spiritu suo regere, ne quidquam pro fidei doctrinâ tradat, quod non idem fuerit Apostolis à Deo traditum. Ità omnes prophanas novationes execramur, omnesque illud in fidei judicio respuimus, quod non Apostoli Ecclesiæ tradiderint. Non ergò in hoc, sed in eo potissimùm cardine quæstio versatur, quòd Lutherani negant Ecclesiam quidquam sine scripto ab Apostolis accepisse; nos contrà plura esse accepta asseveramus. Quà de re multa aliàs sæpè diximus, et dicemus multa posteriùs, lib. 7, quanquàm in superiore libro adeò plenè ac copiosè quæstio hæc explanata est, ut nihil prætereà desiderandum esse videatur. Ipsa mihi veritas manum injecit, et paulisper consistere, et commorari coegit, dùm priores conclusiones explico. Celeriùs proindè in posteriores incurrendum.

Sit igitur tertia conclusio : Non solùm Ecclesia antiqua in fide errare non potuit, sed ne Ecclesia quidem, quæ nunc est, quæve futura est usquè ad consummationem seculi errare in fide aut potest, aut poterit. Hæc conclusio partìm ostensa est in libri secundi capite septimo, partìm ex his, quæ dudùm diximus, comprobatur. Nam pollicitationes Christi de præsentiâ suâ, de Spiritu veritatis, de regno ipsius sempiterno, de corpore, cujus ipse erat futurus caput, non ad Ecclesiam modò, quæ fuit tempore Apostolorum, verùm etiam ad Ecclesiam catholicam, quæ futura erat in seculi finem, pertinere necessum est. Id quoniam ex argumentis, quæ prioribus conclusionibus confirmandis posita sunt, manifestè colligitur; vanum profectò erit, aut acta agere, si eadem argumenta repetimus, aut, s nova ponimus, uti in re non dubiâ rationibus minimè necessariis. Certè qui Ecclesiæ præsenti Spiritum veritatis negare prætenderit, is negabit eidem potestatem ligandi atque solvendi, negabit sacramenta et sacerdotium, omniaque adeò Spiritûs sancti charismata. Ità nunc Ecclesia Christi ad nudum nomen contrahetur, eritque sine re vocabulum commentitium. Verùm de tertiâ conclusione hactenùs.

Quartò, non solùm Ecclesia universalis, id est, collectio omnium fidelium hunc veritatis Spiritum sempiternum habet, sed eumdem habent etiam Ecclesiæ principes ac pastores (1). Diximus enim, Ecclesiæ vo-

(1) In hoc libro quarto, pluribus in locis, Melchior Canus videtur fidelibus nimis attribuere, eisdem partìm promissiones infallibilitatis, assistentiamque Spiritûs sancti concedendo. Hæc autem christianæ plebi concedit in articulis fidei primariis ac facilioribus, dum solis doctoribus altiores ac remotiores attribuerentur. Verùm promissiones in gratiam quidem universæ Ecclesiæ factæ, ad pastores primarios, seu ad Ecclesiam docentem quoad infallibilitatem diriguntur, nec proindè in vulgo fidelium alia agnoscenda est infallibilitas, quàm certitudo fidei universalis, seu communis, essentialiter connexa cum infallibili pastorum documento. P. S.

cem et pro populo fideli, et pro Ecclesiæ pastoribus usurpari. Priores itaque conclusiones illud astruebant, quidquid Ecclesia, hoc est, omnium fidelium concio teneret, id verum esse; hæc autem illud affirmat, pastores Ecclesiæ et doctores in fide errare non posse, sed quidquid fidelem populum docent, quod ad Christi fidem attineat, esse verissimum. Hanc conclusionem mox ostendam, si priùs admonuero, pastoris unius et alterius, item errorem pastorum omnium fidei non derogare, sicut ne paucorum quidem fidelium error fidei derogat populi Christiani. Pastores igitur ac doctores omnes à fide nunquàm posse aberrare contendimus. Sic est sanè.

Id primùm, meâ sententiâ quidem, manifestè demonstrat illud Apostoli testimonium ad Ephes. 4, 11: *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Sanè si pastores ac doctores hùc atque illùc errarent, à rectoque fidei tramite discederent, oves profectò ipsæ etiam errarent, nec aliter quàm sine pastore dispersæ vagarentur. Cùm enim pastor per abrupta graditur, necesse est, quod Gregorius ait, ut per præcipitium grex sequatur. Nec fieri potest, ut membra reliqua eò non deferantur, quò et oculi suam vim atque aciem intenderint, et caput sese inclinaverit atque deflexerit. Benè ergò Paulus, ne populus variis doctrinæ ventis circumferatur, divinæ procurationis esse, astruit, doctores et pastores Ecclesiæ dare; quorum videlicet auctoritate plebs suâ naturâ concitata atque mutabilis in fidei constantiâ superno munere contineatur. Quòd si nullum Ecclesiæ suæ pastorem daret Christus, jam sine dubio ovile suum pastor bonus ille desereret. Atqui multò melius Ecclesiæ est nullos habere, quàm errantes habere. Si igitur pastores ad unum omnes à veritate discederent, oves suas Christus vel maximè destitu sset. Prætereà, si pastores omnes in errore aliquo versarentur, iidem omninò populum aut de statu suo et sede moverent, aut certè nutare facerent, vacillare, fluctuare. Ità domus Christi non esset *columna et firmamentum veritatis*. Faciamus insuper omnes simul episcopos in eamdem sententiam convenire, hancque populo rudi credendam proponere; tunc rogo an populus hoc sequi debeat, an non? Si debet, cum errantibus ergò sacerdotibus et episcopis plebs quoque erret necesse est. Quarè sacerdotum omnium error totius erit error Ecclesiæ. Sin autem populo omnium pastorum doctrinam levem existimare licet, vide, quæso, an hâc sententiâ absurdior alia dici, aut existimari possit. Si enim hìnc pastores, indè oves in contrarias partes separentur, corporis compacti ac per omnem juncturam connexi disjunctio omnem Ecclesiæ distrahet unitatem; et non solùm inter optimates et populum constitutam à Christo societatem evertet, sed communem etiam inter se fidelium consociationem dirimet, cujus consociationis arctissimum vinculum fidei est conspiratio eadem et consensus partium non divulsus. Divulsus autem omninò erit, si populorum membra à suis capitibus divellantur. Atque ubi semel plebs rudis à doctorum suorum communi sententiâ declinaverit, quorum doctrinam posteà secutura est? Si salem abjecerit, in quo salietur? Matth. 5, 13. Si à luce mentis aciem abduxerit, quid nisi tenebras intuebitur? Si oculus est malus, nonnè et corpus tenebrosum erit? Luc. 11, 34. Ubi verò illud Matthæi 23, 2: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi; quodcumque dixerint vobis facite?* Anne meliore statu et conditione scribæ et pharisæi erunt, quàm Ecclesiæ Christi pastores ac doctores? Certè si præsentibus solùm, et non item futuris Dominus loqueretur, ut auctor Imperfecti argumentatur in homil. 42 in Matth., dicta illa fuissent, non scripta. Dicta sunt autem propter illos, scripta propter istos. Ad hæc veritas fidei in catholicorum controversiis, quemadmodùm in secundo libro constituimus, librisque etiam quinto et septimo confirmandum est, non est à populo quærenda: tùm quoniam id esset operis infiniti, ut ad quæstionem unamquamlibet discernendam omnium sententia fidelium rogaretur; tùm etiam quoniam, ut fieri id commodissimè posset, non deceret tamen aut cerdonum, aut muliercularum sigillatìm inquirere et expectare judicium. Sive enim unumquemque seorsùm interroges de quæstione, quæ in dubium venit, seu universò velis in concilium cogere, ridicula sanè futura sit hujus generis inquisitio. Ità per Ecclesiæ auctoritatem nulla penitùs controversia finiretur, si ad eam finiendam totius consensum plebis requirere deberemus. Addendum eòdem est, quod jampridem diximus, quædam ad doctrinam fidemque Ecclesiæ pertinere, quæ populares prorsùs ignorant, ut Patrem et Filium esse unum principium Spiritûs sancti, animam intellectualem esse formam substantialem humani corporis, librum Esther esse canonicum, aliaque similia, in quibus sententiam populi requirere tàm est absurdum, ut non in sapientium modò animos, sed ne in stultorum quidem casurum sit; nec enim placere cuipiam potest, tantas res imperiti vulgi calculis judicari. Prætereà in Epistolâ Ephesini concilii ad Nestorium, id à Nestorio, si facere satis Ecclesiæ velit, exigitur, ut jurejurando fateatur, sentire se et docere, quæ universi per orientem et occidentem episcopi præsidesque populorum crederent ac docerent. Quæ eadem Epistola comprobata etiam est à sextâ synodo, action. 11; in concilio item Trident., sess. 3, definitum est, Ecclesiæ esse judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum. At totam fidelium congregationem de re ejusmodi velle judicium ferre, insanum esset. Pastores igitur Ecclesiæ ac doctores illi sunt, ad quos id genus judicia pertinent. Atque Egesippi diligentissima fidei inquisitio Eusebii Cæsariens. Eccl. Hist. lib. 4, c. 20, litteris celebrata est, qui cùm Romam pergeret, non popularium sententiam de fide requisivit, sed satis sibi fecisse ad fidei suæ confirmationem visus est, si cum episcopis per loca singula in sermone congressus, omnes ejusdem fidei præ-

dicatores doctoresque reperiret. Irenæus rursùm, cùm Ecclesiæ auctoritatem hæreticis objicit, episcoporum tantùm sententiam objicit, secundùm seriem ab Apostolis succedentium; horumque sensum et fidem Ecclesiæ sensum et fidem existimat, et illis qui refragetur, eum Ecclesiæ refragari. Cyprianus item in lib. de simplicit. prælat.: « An esse sibi, inquit, cum Christo videtur, qui adversùs sacerdotes Christi facit? qui se « à cleri societate secernit? Arma ille contrà Ecclesiam « portat, contrà Dei dispositionem repugnat, etc., qui « contemptis episcopis, et Dei sacerdotibus derelictis, « audet, » etc. Et in Ep. ad Pupianum: « Christus dicit « ad Apostolos, ait, ac per hos ad omnes præpositos, « qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt: *Qui vos « audit, me audit, et qui vos rejicit, me rejicit.* » Et posteriùs asserit, Ecclesiam non esse multitudinem contumacium, sed plebem sacerdoti adunatam, et gregem suo pastori adhærentem, quæst. 1, *Scire debes.* Undè qui cum episcopis non sint, eos in Ecclesiâ non esse, frustràque sibi eos blandiri, qui pacem cum sacerdotibus non habuerint; cùm Ecclesia, quæ catholica una est, scissa non sit, sed connexa, et cohærentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata, etc. Augustinus demùm, lib. 28 cont. Faustum, cap. 2, et lib. 33, cap. 6, quoniam longum est omnes commemorare, cùm adversùm hæreticos Ecclesiæ auctoritate nititur, episcopos Apostolis ad sua usquè tempora succedentes planè intelligit.

CAPUT V.

Adversùs hanc postremam conclusionem objectiones quædam.

Atque in harum conclusionum et explicationem et confirmationem abundè hæc dicta sufficerent, nisi huic postremæ illud à quibusdam theologis objiceretur, quòd tempore dominicæ passionis Apostoli omnes Christi fidem amiserunt, quo fieri, ut et episcopi omnes Apostolis succedentes possint Christi fidem amittere. Nam quòd eo tempore in solâ Beatâ Virgine fides permanserit, candela, inquiunt, illa significat, quæ in officiis eorum dierum solùm non exstinguitur, undè discipuli lumen, quod amiserant, receperunt. Quoniam autem ratio hæc infirma illis etiam videbatur, eamdem omninò rem et sanctorum veterum, et Scripturæ sacræ testimoniis confirmant.

Primum ergò argumentum ex illo trahitur, quòd per Matthæum, cap. 26, Dominus dicit: *Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis,* id est, ab unitate fidei solventur. Sic enim Glossa interlinearis exponit.

Secundum ex eo, quòd apud Lucam, cap. 24, legitur, verba mulierum nuntiantium Christi resurrectionem, visa Apostolis esse quasi deliramenta.

Tertium ex eo, quòd Marcus tradit, cap. 16, Christum exprobràsse omnibus Apostolis incredulitatem, et duritiam cordis.

Quartum ex August. in illud Psalmi 68: *Defecerunt oculi mei:* « Omnes, inquit, discipuli desperaverunt « quòd ipse esset Christus. A latrone Apostoli victi « sunt, qui tunc credidit, quandò ipsi defecerunt. » Refert etiam cardinalis Turrecremata in hoc idem Ambrosium, Hieronymum, Gregorium, Isidorum.

Verùm difficile est, de eorum facilitate, perindè ut causa postulat, dicere, qui hujusmodi argumentis permoti, Apostolos in universum omnes fidem perdidisse aiunt. Id quod non cum ratione solùm, sed etiam cum sacris litteris pugnat. Nam, ut de Petro taceamus, cujus fidem non defecisse, posteriùs, lib. 6, demonstraturi sumus, adhùc opinio illa de cæteris Apostolis non modò non certa, sed ne probabilis quidem est. *Discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus; et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt,* Matth. ult. 16. Quidam, ait, non omnes. Video autem hanc dubitationem à nonnullis non ad Apostolos, sed ad alios nescio quos discipulos referri; sed mihi semper Theophylacti magis ac Remigii sententia placuit, qui illam docent ad tempus, quo Christus antè discipulis apparuerat, referendam. Id quod Marcus, ut opinor, intellexit, cùm ait: *Increpavit incredulitatem et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.* Sive enim apparitio hæc, quam Marcus scribit, in die Ascensionis fuerit, ut multis placet, sive anteà, quemadmodùm nonnullis etiam videtur, dubitandum non est, quin eas increpationes hic Marcus recapitulando perstrinxerit, quas sparsìm alii Evangelistæ conscripserunt. *Quia iis,* inquit, *qui viderant eum resurrexisse, non crediderant.* Constat autem ex aliis Evangelistis, incredulitatem et duritiam cordis ex eâ scilicet causâ, quia his, qui viderant Christum surrexisse, non est creditum, non ad omnes Apostolos pertinere. Petrus namque et Joannes, audito nuntio, cucurrerunt ad monumentum; ac Jacobus, juxtà Hebræorum Evangelium, ab horâ quâ biberat Domini calicem, juravit se non comesturum panem, donec Christum videret resurgentem, ut auctor est Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum. Non igitur omnes Apostoli fidei jacturam fecisse credendi sunt, nisi, quod absurdum est, omnes infideles fuisse credideris (1). Non enim fides semel à christiano suscepta, nisi per infidelitatem tollitur. Illud absurdius, hæreseos notam Apostolis universis inurere. Quod qui faciunt, idque sine idoneis et urgentibus causis, hi non solùm illis, sed Christo etiam et Ecclesiæ injurii sunt. Jam argumenta illa infirma esse quis non videt, quæ auctores illius opinionis subjecerunt? quæ quidem partìm à nobis antè confutata sunt, partìm uno nunc verbo confutabuntur. Si enim quidquam probant, id solùm probant, Apostolos in fidei confessione defecisse, aut etiam in fide vivâ, quæ per dilectionem operatur. Hùc verò referri potest consuetudo illa ecclesiastica exstinguendi omnes cereos præter unum. Quanquàm Rupertus, libro de divinis Officiis 5, asserit exstinctos cereos priores significare Prophetas à Judæis interemptos, ac cereum illum, qui ad breve tempus absconditur, significare Christum. Sanè verò, etiamsi Apostoli tunc temporis fide caruissent, nihil tamen contrà conclusionem ha-

(1) Apostolos omnes fuisse infideles Turrecremata concedit, lib. 5 Summ., cap. 61.

beretur. Nam, ut Augustinus, in Ps. 114, admonuit, tunc Apostoli defecerunt, cùm nondùm erant duces Ecclesiæ, nec illud impletum fuerat : *Ego confirmavi columnas ejus*. Unus ergò tunc erat pastor Jesus Christus. At Petrus ac reliqui Apostoli posteaquàm à Christo pastores constituti sunt, sine controversià fidem semper catholicam tenuère. Cæterùm, quod hæretici calumniantur, pastores Ecclesiæ homines esse, fallereque proindè ac falli posse, argumentum exiguum sanè atque mendicum est. Aliud quippè fuerit de humanæ naturæ imbecillitate disputare, aliud de divinâ gratiâ et providentiâ, quâ homines in veritate fidei continentur. Tota namque simul fidelium concio homines sunt. Prophetæ item, Apostoli et Evangelistæ, homines erant, sed quoniam Spiritum veritatis accepère, in falsam fidei doctrinam venire non poterant. Sic ergò et Ecclesiæ doctores universi homines quidem sunt, sed quoniam divino Spiritu gubernantur et aguntur in vera dogmata, nequeunt in falsa declinare.

Illud autem quàm ineptum, quàm frivolum, quàm ridiculum, quod quidam interpretantur, ideò nos in Ecclesiam non credere, quia homines sunt, omnis verò homo mendax? Non est hæc illa profectò causa, quæ gravissimos viros adduxerit, ut in Ecclesiam credendum esse negarent. Sed antiquior et pulchrior, et ab auctoribus ipsis profecta alia causa est. Augustinus quippè, in Ps. 77 : « Credimus, ait, Petro, credimus Paulo, in Paulum « aut Petrum non credimus : credere in eum, est cre« dendo amare, credendo in eum ire. » Hactenùs Augustinus. Et Ruffinus : « Non dicitur, inquit, in san« ctam Ecclesiam, sed sanctam Ecclesiam credendam « esse, non ut Deum, sed ut Ecclesiam Deo congrega« tam. Hæc itaque præpositionis syllabâ Creator à crea« turis secernitur. » Hæc ille. Ob id igitur auctores hi non admittunt, ut in Ecclesiam credamus, quia Ecclesia fidei nostræ finis non est.

Exstitit autem hoc etiam loco quædam quæstio subdifficilis. Cùm enim ab Hieronymo, in Comm. ad Galat. 1, dupliciter Ecclesia dicatur, et ea quæ non habet maculam aut rugam, et verè corpus Christi sit, et quæ in Christi nomine, absque plenis virtutibus, imò cum vitiis quibusdam admixtis, congregatur; undè nobis constare poterit, utronam modo nomen Ecclesiæ capiatur, cùm dicitur columna et firmamentum veritatis? Hæretici siquidem quidquid in Scripturis proditum est, quod ad Ecclesiæ vel auctoritatem spectet, vel veritatem, id totum non in posteriore sensu, sed in priore accipiendum cavillantur. Concedunt itaque Spiritum veritatis Ecclesiæ sanctorum; Ecclesiæ, quæ malos habeat permixtos, non concedunt. Nec eâ se solùm ratione tuentur, quòd in voce ambiguâ liberum est utramlibet significationem eligere; sed argumentis aliis in id etiam incumbunt, ut hoc loco et quæstione Ecclesiæ nomen non aliter usurpandum esse persuadeant. Illud primum est, quod Hieronymus sentit, Ecclesiam in secundo significatu abusivè dici : « Ut fortis, inquit, « prudens, castus, justus et temperans, interdùm plenè « pro his qui perfectæ virtutis sunt, interdùm abusivè « pro his, qui sunt insipientes, accipiuntur. » Si ergò prior significatio propria est, posterior impropria, commodiùs sine dubio Ecclesiæ vocem in illâ priorem, hoc est, pro justorum concione usurpabimus. Rursùm, cùm Apostolus illa dicit : *Ecclesia subjecta est Christo*, et : *Christus dilexit Ecclesiam*, etc., et : *Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus;* vox illa pro sanctorum congregatione accipitur, ut Hieronymus Augustinusque interpretati sunt. Quid igitur causæ erit, cur aliter accipiamus, cùm Ecclesiam scribit Apostolus columnam esse ac firmamentum veritatis? Prætereà encomio illo nobilitavit Paulus non Ecclesiam quamlibet, sed eam quæ esset domus Dei. At domus Dei soli justi esse creduntur, ut etiam Augustinus ait in lib. 7 contrà Donatistas, cap. 51, q. 24, 1, *Omnibus;* non ergò columna veritatis est, nisi Ecclesia sanctorum. Prætereà Augustinus disertè docet ibidem, domum Ecclesiamque Dei, quæ in bonis solùm fidelibus est, et sanctis Dei servis, eam esse quæ ædificata est suprà petram, quæ etiam claves accepit ac potestatem solvendi et ligandi. Eadem ergò domus Dei est, quæ est columna et firmamentum veritatis. Quamobrem, si pastores, qui Ecclesiæ sibi nomen vindicant, mali sunt, non ad eos hæc et alia similia pertinent. Quod et Augustinus idem multis aliis locis confirmat, nempè in libro 5 contrà Donat., cap. 20 et 21, et lib. 6, cap. 3, quæst. 1, 1, *Remissionem de cond. 4*, *Quomodò exaudit.* Quæ si vera sunt, non solùm conclusio illa postrema, quæ nunc expenditur, sed reliquæ omnes funditùs evertuntur, et quidquid omninò hoc nobis loco constitutum est. At verò quanquàm in eam sententiam hæc et alia plura ab hæreticis disputantur, nos tamen Ecclesiam sequi oportet, et ab omni, quod abhorret ab ipsius approbatione, fugere. Primùm autem hoc intelligendum puto, quæ nunc ab illis defensionis ratio viaque tentatur, eam non modò nostras rationes evertere, sed ad id etiam deducere, quòd fidei catholicæ rerumque omnium publicarum naturæ dissonum atque inimicum sit. Si enim Spiritus veritatis solùm bonis à Christo est in Evangelio promissus, cæteræ quoque promissiones ad Ecclesiam, quæ ex solis justis constituitur, pertinebunt. Quocircà (dicendum est enim sæpiùs) nec legum ferendarum auctoritas, nec clavium potestas, nec peccatorum remissio, nec doctrinæ vis, nec sacerdotii religio, nec ulla omninò publica Evangelii facultas, nisi in Ecclesiâ omni ex parte bona invenietur. Cùm verò in Ecclesiâ catholicâ, quæ indè ab Apostolis fuit, semper fuerint mali bonique permixti, in eâ nimirùm nulla fuisset firma fides, nulla certa veritas, nulla expressa potestas, nulla solida auctoritas. Ità omnia quæ vel pontificum, vel conciliorum, vel totius etiam Ecclesiæ consensione decreta ac definita sunt, nullas omninò haberent vires. Sive enim excipias eos non esse justos, sive, ut justi sint, esse tamen nobis incognitos; utràlibet viâ et modo illorum dogmata, scita, leges eludes, eritque, quemadmodùm suprà diximus, res Christi publica omnium quæ fingi possunt stultissimè atque absurdissimè constituta.

Itaque sit verum illud, quod initio dixi, Spiritum veritatis, fidei catholicæ fulcimentum, cæteraque Spiritûs sancti charismata ei Ecclesiæ esse et promissa

et data, quam Apostoli suâ doctrinâ miraculisque fundârunt, ad quam iidem suas conscripsère Epistolas, quam in terris semper habuit Christus, quam sacræ litteræ aptè prudenterque describunt ex bonis ac malis piscibus, ex frumento et zizaniis, ex tritico et paleâ, ex fatuis sapientibusque virginibus, è servis probis improbisque constantem. Hæretici ergò Ecclesiæ nomen sibi habeant invidiosum et obscurum, eamque Ecclesiam interpretentur, quam adhùc nemo est mortalium intuitus; nos autem Ecclesiam ex consuetudine tùm divini sermonis, tùm etiam vitæ nostræ interpretemur. Nec metiamur eam, ut superbi et arrogantes, verborum magnificentiâ; sed Ecclesiam eam quæ habetur existimemus, illam autem omittamus, quæ omni ò nusquàm reperitur. Homines enim sumus, remque proindè publicam, quæ est in hominum usu vitâque communi non eam quæ fingitur, sperare debemus. Quæ omnia sic à me dicta existimari velim, non ut nulla in terris sit coràm Deo bonorum multitudo atque collectio, quæ et Ecclesia, et sponsa, et amica Dei in sacris litteris nuncupetur; sed ut eos nos à malis in domo et Ecclesiâ Dei minimè separemus, ubi vasa aurea et argentea sunt, lignea quoque et fictilia; non in honorem omnia, sed quædam vel in contumeliam. Verùm hæc explanata sunt antè satis, ut arbitror, diligenter. Jam argumentis illis respondeamus, quæ modò suggessimus: nam iis, quæ à principio libri hujus sunt posita, capite sequenti eodemque postremo respondebimus.

In voce, inquiunt, ambiguâ, licet è multis unumquodlibet significatum accipere. Minimè, inquam, gentium; sed antecedentia primùm et consequentia spectanda sunt; deindè considerandum, quæ natura rerum sit, quid cohæreat, quid repugnet, multaque omninò alia, quæ nos in tertio decimo libro accuratiùs et exquisitiùs prosequemur. Quòd si, ubi dona Ecclesiæ Christus pollicetur, continendis in officio ac veritate fidelibus necessaria, ea nos ad latentia solùm et invisa membra referimus, inania profectò essent dona illa, parùmque ad communem utilitatem accommodata. Quin, ut suprà ostensum est, noxiæ essent, ac perniciosa valdè, quippè quæ perditissimis quibusque civibus et dissidiorum præberent perpetuas causas, et in omnibus omninò flagitiis impunitatem ac licentiam sempiternam. Jam verò si ratione duce ac magistrâ eum injurium principi bono et sapienti censemus, qui illius privilegia sic interpretatur, ut non solùm frustrà, sed in perniciem concessa esse videantur; quantò magis ille erit Christi iniquus, pravus, et malitiosus interpres, qui gratias et favores, quos reipublicæ suæ promisit Christus, in eum sensum acceperit, qui non modò vanitatem præ se ferat, sed afferat vel exitium? De Ecclesiâ igitur, quæ bonos simul, malosque complectitur, locus ille Pauli, cæterique similes intelligendi sunt. At talis concio ac cœtus abusivè Ecclesia dicitur. Id primùm nego. Nec enim de forti, prudenti, justo, ac temperanti eadem est causa. Fateor siquidem cum Hieronymo, ejusmodi virtutum vocabula ad incipientes atque imperfectos non posse nisi per abusum traduci; quoniam vera virtutis definitio non illas inchoantes, et, ut ità dicam, informatas dispositiones, sed habitus planè absolutos atque perfectos, exprimit, quemadmodùm Aristoteles, D. Thomas, ac reliqui viri philosophi tradiderunt. At Ecclesiæ vox nihil tale indicat, quale isti fingunt, undè malos ab eo cœtu excludamus, qui Ecclesiæ sibi nomen propriè vindicat. Quamobrem nulla est improprietas, nullus abusus, si Ecclesia etiam ea nuncupetur, quæ in uno baptismo, unâ fide, unâ religione improbos habeat probis admixtos.

Quanquàm aliter deindè respondere possumus. Hieronymum de Ecclesiâ Christi in eum sensum ferè loqui, in quo populum Dei, domum Dei, servos Christi propemodùm usurpamus (1). Fit enim nescio quomodò, ut casus gignendi additus ab bonos potissimùm vocum illarum intelligentiam deducat. Ità si ad Ecclesiam vitio depravatam referantur, abusus fortassè nonnullus est, qui mente magis concipi, quàm verbis significari potest. Nam et populus Dei ille in sacris litteris dicitur frequentissimè, qui Deo peculiariter dicatus est, in quo scilicet Dei fides viget, ac cultus, quamvis in eo sint aliqui peccatores. Sed ad Hieronymi testimonium satis.

Ad id verò quod subjunctum est capite sequenti respondebimus, ubi explicabitur, quonam sensu ad Ephes. 5, Apostolus Ecclesiam nominârit. Quòd autem domus Dei etiam illa sit domus magna in quâ sunt vasa aurea et argentea, lignea quoque et fictilia, non est necesse demonstrare. Id tamen, etsi perspicuum est, ad futurum tempus reservamus, cùm primi capitis argumenta diluentur. Jam, quod postremo loco ex verbis Augustini objicitur, id cautè et legendum et audiendum est, quemadmodùm antè nos viri ecclesiastici admonuerunt. Possunt enim verba illa duplicem sensum ingerere, unum, ut soli justi intelligantur Christi et Ecclesiæ administri esse, soli remittere peccata, soli ecclesiasticam habere et auctoritatem et potestatem. Quem sensum constat non rationi solùm, sed Ecclesiæ fidei, sacrisque etiam litteris repugnare. Sed de hàc re non est hujus aut loci aut instituti disserere. Alter ergo sine dubio Augustini sensus est, ut soli justi dicantur, claves regni cœlorum, potestatem ligandi ac solvendi, Spiritum veritatis, et reliquas spirituales gratias accepisse, quòd universa dona hæc non propter malos, sed propter bonos Ecclesiæ et promissa et collata sint. Sic enim quæ œconomis ac dispensatoribus paterfamilias tribuit in familiæ commoditates distribuenda, non œconomis hæc, sed familiæ ipsi tributa esse intelligun ur.

Si quæ episcopis et clericis populus dedit in pauperum expendenda usus, ea non episcopis et clericis, sed pauperibus dicitur contulisse; sic etiam, si princeps homini ignoto, quidquam ob amici sui preces meritumque donàrit, id jure ac verè dicet se non homini ignoto, sed amico donâsse. Ad quam omninò legem illa quoque explicanda sunt quæ ex Augustino contrà Petri et successorum ejus auctoritatem afferuntur: « Claves non unus homo Petrus, sed unitas accepit Ecclesiæ. » Item: « Potestatem ligandi ac

(1) Dupliciter homo Dei dicitur. S. Thom. 3 p., q. 48, art. 4, ad 1.

« solvendi Petrus cum omnibus tanquàm personam « gerens ipsius unitatis accepit. » Item : « Ecclesiæ cla- « ves datæ sunt, cùm Petro datæ sunt; et cùm ei di- « citur : *Pasce oves meas.* » Quæ omnia, ut opinor, nihil aliud significant, quàm Petrum, ac cæteros Ecclesiæ ministros, nec sibi, nec ob sua merita, sed Ecclesiæ, obque Ecclesiæ causam, claves reliquaque Evangelii publica munera accepisse. Quanquàm priora illa scio aliter ab aliis interpretari. Sunt enim qui ea referant ad usum potestatis, quem mali, quia legitimum habere non possunt, dicuntur non habere. Alii referunt omninò ad gratiam, non illam sacramentalem, quæ etiam per malos ministros dari solet, sed quæ precibus ministri respondet, ut de consec. dist. 4, quo modo Augustinus videtur significare, cont. Donat. l. 5, c. 22. Alii tandem existimant Augustinum de publicis raptoribus, usurariis, concubinariis, sacrilegis loqui, à quibus olim, perindè ut si essent ab Ecclesiâ præcisi, non licebat sacramenta percipere. Ideòque illius modi ministri gratiam sacramentorum non dabant. Verùm hoc disputare, ut sæpè jam diximus, non est hujus diei ac temporis. Et Valdensium insania jampridem explosa est, nec in eo negotio nos nunc oportet elaborare. Itaque de his dictum est satis. Nunc argumenta, quæ à principio contrà Ecclesiæ auctoritatem posita sunt, quàm brevissimè possumus, refellamus.

CAPUT VI.

In quo argumenta primi capitis confutantur.

Primum verò argumentum promptissimum est refellere : nec uno tantùm, sed multis etiam modis; tùm, quòd nec Moyses, nec Josue, in quorum gubernatione tempus illud erat positum, in populi furorem et insaniam inciderunt; tùm, quòd ne certum est quidem, eos, qui in castris remanserint, in flagitium omnes consensisse : quin verisimillimum est, nonnullos etiam repugnàsse. Nam ubi primùm Moyses illam vocem edidit : *Si quis est Domini, jungatur mihi, congregati sunt ad eum omnes filii Levi, consecràruntque manus suas Domino, unusquisque in filio et in fratre suo.* Ex quo intelligitur, qui ad unam Moysi vocem se illi conjunxerint, qui à Domino steterint, quos Dominus justitiæ suæ administros in ultione fecerit, hos in eo scelere cæterorum socios et consortes non fuisse. Quid quòd Aaron nondùm sacerdotio fuerat initiatus, nec adhùc ei fuerat superhumerale impositum, rationalique adstrictum et aptatum, *in quo erat doctrina et veritas?* Levit. 8, 8. Nihil ergò mirum, si Aaron, filiique ejus, nec pastores populi constituti, nec sacerdotes consecrati, in fide ac religione errârunt. Quanquàm Aaron, quod et Petro et Marcellino posteà accidit, metu peccavit, non infidelitate. Nihil ergò contrà nos affertur, qui asserimus, sacerdotes pastores jam Ecclesiæ à Christo institutos errare omnes in fide ac religione non posse. De argumento itaque primo tantùm.

Secundum autem videtur esse gravius, quo non Calvinus modò, sed Donatistæ etiam adversùm Catholicos usi sunt, quemadmodùm in libro de Unit. Ecclesiæ, cap. 12. Augustinus tradit. Sed non est necesse nova nunc responsa meditari, quandò huic argumento egregiè ab Augustino responsum est : « Plerumque, ait, « sermo divinus impias turbas Ecclesiæ sic redarguit, « tanquàm omnes tales sint, et nullus bonus omninò « remanserit. Indè quippè admonemur, in suo quodam « numero eos dici omnes, id est, omnes filios gehennæ « Isti ergò vel imperitè, vel fallaciter agentes, colli- « gunt de Scripturis talia, quæ vel in malos bonis us- « què in finem permixtos, vel de vastatione prioris po- « puli Judæorum dicta reperiuntur; et volunt ea de- « torquere in Ecclesiam Dei, ut tanquàm defecisse ac « periisse de toto orbe videatur. » Hactenùs Augustinus. Hujusmodi ergò Prophetarum oracula hunc inprimis sensum habent, ut, quoniam in comparatione malorum adeò pauci boni sunt, ut nulli esse videantur, Scriptura totum unâ comprehensione populum reprehendat, quamvis in eo nonnulli sint boni. Deindè prædictiones propemodùm illæ erant, non reprehensiones. Describitur enim populus ille non qualis tunc erat, sed qualis post Messiæ adventum futurus erat. Uterque sensus, ne hæretici nostrum esse causentur, exemplis Scripturæ manifestis comprobandus est. Ezechiel eodem, quo et Jeremias, tempore vaticinatus est. Quid dicat ei Dominus, audiamus : *Domus Israel nolunt audire te, quia nolunt audire me. Omnis quippè domus Israel attritâ fronte est, et duro corde*, Ezech. 3, 7. Et putas in totâ hâc depravatâ domo partem aliquam superesse, cui generalis illa sententia non conveniat? Audi quid etiam dicat Dominus, Ezech. 9, 4 : *Signa Thau super frontes virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Non ergò omnes in populi flagitium consenserant, non omnes attritâ fronte et duro erant corde. Esto aliud exemplum : *Salvum*, inquit, *Ps.* 11, *me fac, quoniam defecit sanctus. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.* En unus totius generis humani culpas voce magnâ et queribundâ deplorat, perindè ac si relictus sit solus. Sed quid dicit illi divinum responsum? *Propter miseriam inopum, et gemitum pauperum nunc exurgam.* Intelligens ergò jam suæ querimoniæ se plures habere consortes : *Tu, Domine*, inquit, *servabis nos à generatione hâc in æternum.* In libro autem contrà Donatistas, post collationem, cap. vigesimo, idem quoque Augustinus : « Ne fortè, ait, arbitrentur Prophetarum « tantummodò moris fuisse, non ad novum Testamen- « tum, sed ad veteris consummationem pertinere, sic « arguere reprehensibiles, quasi omnes in eo populo ar- « guantur, et sic alloqui laudabiles, quasi omnes ibi lau- « dentur, eccè sic ad Corinthios Apostolus loquitur : « *Paulus Ecclesiæ, quæ est Corinthi, sanctificatis in* « *Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus, qui invocant* « *nomen Domini, gratia vobis et pax à Deo Patre nostro,* « *et Domino Jesu Christo. Gratias ago Deo meo semper pro* « *vobis in gratiâ Dei, quæ data est vobis in Christo, quia in* « *omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, et in* « *omni scientiâ*, etc. Quis hæc audiens credat in Eccle- « siâ Corinthiorum esse aliquos reprobos, quandoqui- « dem verba ista sic sonant, velut ad omnes directa sit « ista laudatio? Et tamen paulò post dicit : *Obsecro au-* « *tem, fratres, ut non sint in vobis schismata*, etc. Et in

« hoc horrendo vitio tanquàm omnes increpans dicit : *di-* « *visus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro* « *vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* etc. » Hactenùs ille. Poterat et ea commemorare, quæ in eàdem Epistolà subjecta sunt : *Tanquàm parvulis in Christo lac potum vobis dedi, non escam : nondùm enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis, adhùc enim carnales estis. Cùm enim sit inter vos zelus et contentio*, etc. Item : *Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrùm, qui hoc opus fecit.* Item ex Epistolà ad Galatas : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* etc. Et postea tamen ait : *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujuscemodi instruite spiritu lenitatis*, etc. Item ad Philippenses : *Omnes quæ sua sunt quærunt, et non quæ sunt Jesu Christi.* etc. Quas res in eà disputatione, et multas alias similes à summo theologo prætteritas arbitror, quòd essent faciles; sunt certè ad præsens institutum utiles, easquè ferè in epistolà ad Vincentium attigit. Jam quòd pleraque ejusmodi prophetarum testimonia ad populi judaici statum et mores post Messiam referenda sint, et sequenti libro ex multis exemplis cognoscetur, et nunc satis in uno exemplo demonstrabitur. Aggæus Zorobabelem, ac Jesum sacerdotem magnum, totumque omninò populum, ut domum Dei ædificarent, his verbis admonuit : *Et nunc confortare, Zorobabel, dicit Dominus, et confortare, Jesu, sacerdos magne, et confortare, omnis populus terræ, et facite; quoniam ego vobiscum sum, et Spiritus meus erit in medio vestrùm, nolite timere.* At eodem posteà capite subjunxit Aggæus : *Si tetigerit pollutus in animà ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes : Contaminabitur. Et respondit Aggæus : Sic populus iste antè faciem meam, dicit Dominus, et sic omne opus manuum eorum; et omnia, quæ obtulerunt ibi, contaminata erunt.* Quem omninò locum convenientiùs de populi statu post Testamenti veteris consummationem intelligimus, tametsi Augustinus, libr. cont. Donat. post. collat. c. 20, ad formam quoque superiorum hoc exemplum interpretatus est; sed, ut dixi, et ad populi conditionem post Messiæ adventum aptiùs hoc congruentiùsque refertur, et plura alia præsertìm apud Isaiam huic proposito inservire, lib. proximo ostensuri sumus. Itaque de Isaiæ Jeremiæque testimoniis dictum est satis.

Illud verò, quod tertio loco subjicitur, Ecclesiam occultam esse posse, Donatistæ etiam posuère. Quibus tamen Augustinus, de Unit. Eccl. c. 14, occurrit in hæc verba : « Non est Ecclesia nobis operta, quia non « est sub modio, sed super candelabrum, ut luceat « omnibus, qui in domo sunt. Et de illà dictum est : « *Non potest civitas abscondi super montem posita.* Do- « natistis operta est, » etc. Tantùm Augustinus.

Primùm autem illud falsum est, veterem populum aliquandò nullam Ecclesiæ speciem habuisse. Nam cùm se solum relictum quereretur Elias, septem millia virorum Scriptura commemorat genua sua non curvàsse antè Baal; quibus sanè illud perspectum et exploratum erat, non fidem et unitatem, sed regnum esse divisum, extareque proindè in Hierusalem templum Dei, summum sacerdotem, veram de lege ac religione doctrinam. Ejusmodi Tobias erat, qui, cùm tribules reliqui irent ad vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam, ipse pergebat ad templum Domini, et ibi adorabat Dominum Deum Israel, decimas fideliter offerens, et cætera his similia secundùm legem Dei puerulus etiam observans.

Deindè non sequitur, si populus ille ità vacillavit, ut penè cecidisse videatur, si ità dispersus est, ut propemodùm formam et speciem amiserit, Christi quoque Ecclesiam usquè adeò obscurari posse, ut nulla ejus species effulgeat. Plebs enim illa vetus, ut quæ casura esset, ruinam sæpè minabatur. Et quoniam futurum erat ut illi reipublicæ tanquàm sempiterna nox esset offusa, nihil mirum, si sensìm obscurata est et evanuit. Quid autem si quandoque etiam vix apparuit, cùm tàm parva lux tenuisque noctis splendor affulsit? nempè lucerna lucens in caliginoso loco. Sed hæc explicabuntur in sequenti libro diligentiùs; nunc respondeamus ad quartum argumentum.

Hilarii auctoritatem, quâ nos Calvinus urgendos existimat, Vincentius Augustino quondàm opposuit; sed hic loca omnia quæ ille ex Hilario collegerat, tanquàm meras calumnias contudit et obtrivit ferè in hæc verba : « Ecclesia aliquandò obscuratur quidem multi- « tudine scandalorum, sed etiam tunc in suis firmis- « simis eminet. Aliquandò tentationum fluctibus ope- « ritur atque turbatur; et tale tunc erat tempus, de « quo scripsit Hilarius, undè putàsti insidiandum contrà « testimonia tot divina, etc. Potes hoc modo dicere, « nec Ecclesias Galatiæ tunc fuisse, quandò dicebat « Apostolus : *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit?* Sic « enim calumniaris docto viro, qui tardicordes et ti- « midos graviter increpabat. Quis enim nescit, illo tem- « pore obcuris verbis multos parvi sensûs fuisse de- « lusos, ut putarent hoc credi ab Arianis quod etiam « ipsi credebant; alios autem timore cessisse, et si- « mulatè consensisse? Quanquàm et illi qui tunc fir- « missimi fuerunt, et verba hæreticorum insidiosa in- « telligere potuerunt, pauci quidem erant in compara- « tione cæterorum; sed tamen etiam ipsi quidem pro « fide fortiter exulabant, quidam toto orbe latitabant. « Hilarius ergò decem provinciarum Asianarum aut « zizania, non triticum, arguebat, aut ipsum etiam tri- « ticum quod defectu quodam periclitabatur, quantò « vehementiùs, tantò utiliùs arguendum putabat. Ha- « bent enim etiam Scripturæ canonicæ hunc arguendi « morem, ut tanquàm omnibus dicatur, et ad quosdam « verbum perveniat. » Hactenùs Augustinus.

Ac Hieronymus, adversùs Luciferianos : « Ingemuit « totus orbis, inquit, et Arianum se esse miratus est. « Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, « fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei : « Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia mo- « ritur, tranquillitas redit. Manifestiùs dicam : Omnes « episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, « ad Ecclesias redeunt. Tunc triumphatorem suum « Athanasium Ægyptus excepit; tunc Hilarium de prælio « revertentem Galliarum Ecclesia complexa est; tunc

« ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit. » Hæc Hieronymus, multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo. Sed hæc satis sunt, ut omnes intelligant, navem Ecclesiæ in alto hæresum, seditionum discordiarumque procellis fluitantem, fuisse jactatam quidem, ac penè opertam fluctibus, Matth. 8, 24, sed non fuisse tamen in tantâ etiam tempestate demersam. Quin in suis licèt paucis fortissimis eminuit, qui quò magis in remigando laborârunt, eò aspectabiliores clarioresque fuerunt. Nec hoc loco opus est Ecclesiæ romanæ fidem lucemque proferre, quæ nunquàm omninò ipsa latuit, sed toti semper orbi manifesta fuit, quemadmodùm sexto posteà libro accuratiùs ostendetur.

Nec verò sub diversis pontificibus fides Ecclesiæ aut solvitur, aut occultatur : quin eo etiam tempore Ecclesia catholica fidei suæ manifestum argumentum edit. Judicia tunc pastorum periclitantur, quæ sine certo Ecclesiæ capite infirma atque incerta erunt. De quâ re alio libro disseremus.

Jam in sexto argumento Calvinus et multùm operæ ac verborum sumit, et vano se labore frangit. Poterat breviùs ac faciliùs dicere, quoniam Synagoga exstincta omninò et deleta est, Ecclesiam quoque Christi funditùs esse delendam. At discessio quam prædixit Apostolus, venire non potest, dùm vera Ecclesiæ facies extiterit. Id Calvinus dicit, non probat, itaque falsum est. Quin posteaquàm Germania non solùm à romano pontifice, sed à romano eodemque suo imperatore majore ex parte defecit, illa fortassis Pauli prædictio impleta est, instantque proindè Antichristi infelicissima tempora. At Filius hominis veniens fidem non inveniet in terrâ. Sed huic argumento respondet Hieronymus in dialog. adv. Lucifer., illam hìc fidem nominari, de quâ Dominus aiebat : *Fides tua te salvam fecit ;* et alibi, de Centurione : *Non inveni tantam fidem in Israel ;* et rursùm ad Apostolos : *Quid timidi estis, modicæ fidei ?* necnon et in alio loco : *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis*, etc. Nec enim Centurio, aut illa muliercula in Trinitatis sacramenta crediderant, sed simplicitas mentis et devota Deo suo anima commendata est. Hæc est fides quam raro inventam Deus pronuntiavit ; hæc est fides quæ etiam apud eos qui benè credunt, difficilè perfecta invenitur. Eodem quoque modo Augustinus respondet, de Unit. Eccl. c. 13, Dominum de perfectâ fide loqui, quæ ità difficilis est in hominibus, ut in ipsis admirabilibus sanctis inveniatur aliquid, ubi trepidaverint. Addit rursùm, propter iniquorum abundantiam et paucitatem bonorum, quæ illâ potissimùm ætate erit, Dominum ità locutum. Propterea enim non dixit : Filius hominis veniens non inveniet fidem in terrâ, sed quasi dubitans : *Putasne*, ait, *inveniet fidem?* non quòd ille cuncta sciens de aliquâ re dubitaret, sed ut suâ dubitatione figuraret nostram ; quia propter multa scandala circà finem seculi pullulantia hoc erat infirmitas humana dictura. Illorum autem error eripiendus est, qui vanissimis argumentis adducti sunt ut putarent fidem in solo uno manere posse. Cùm enim Ecclesia nomen collectivum sit, si unus tantùm crederet, non crederet Ecclesia. Adde quòd Dominus per Matthæum dicit, cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè ad consummationem seculi.* Et per Joannem, cap. 14 et 16, cùm pollicetur Spiritum veritatis fidelibus sempiternum, pluribus illum pollicetur, non tantùm uni. Adde etiam quòd corpus non est unum membrum, sed multa, ut Apostolus ad Corinthios docet. Sed corpus Christi, quod est Ecclesia, ut idem ad Ephesios ostendit, usquè in finem permanebit. Non ergò unquàm multi fideles in Ecclesiâ deerunt.

Prætereà triticum simul cum zizaniis in agro, bonique pisces cum malis in rete usquè ad consummationem seculi durabunt. Non ergò solùm in uno manebit fides. Sed deficiet hostia et sacrificium. Equidem hanc Danielis vaticinationem non ad finem seculi, sed ad Synagogæ consummationem existimo referendam. Quòd si quis ad tempus Antichristi referre velit, cum hoc ego non magnoperè contenderim, modò sic interpretetur, ut propter crudelissimi tyranni sævitiam sacerdotes à publico et solemni sacrificio desistant. Quod verò ex Apocalypsi Joannis objicitur, quoniam valdè obscurum est, nihil contrà nos habet ad faciendam fidem virium, tametsi hoc oraculum in Luthero fateor esse completum, cui data est clavis putei abyssi, ut errores penitùs demersos atque defossos eruendo tantâ caligine orbem obduceret, ut vel lucem ipsam tenebris circumfudisse videretur. Sed affulget adhùc Ecclesiæ lumen his qui oculos habent ad videndum. Nam Lutherani cæci sunt, et duces cæcorum. Si autem omnis gloria filiæ regis ab intùs, nihilque in eâ externi splendoris est, quî fieri potest ut illa cohæreant : *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate ?* Item : *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona ?* Et : *Non potest civitas abscondi super montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant ?* cæteraque similia, quæ sunt, ne longum faciam, prætereunda. Planum est igitur, in sponsâ Christi, in quâ nihil fictum, nihil fucatum, nihil simulatum est, sed omnia vera, sincera, solida, omnem etiam externam gloriam ab interiore virtute et splendore procedere. Ac de sexto argumento nimis multa diximus.

Reliquis verò argumentis diluendis illud admonere operæ pretium est, per figuratam dictionem multa, quæ parti conveniunt, in totum solere transferri. Id nobis in usu est, cùm persæpè fiàs, tùm magis cùm de civitate, populo, regno omnique omninò cœtu loquimur, de quibus ea in universum dicimus, in quæ non omnes reipublicæ partes, sed interdùm paucæ etiam concurrunt. Populum enim robustum, gentem bellicosam appellamus, non quòd omnes in eâ republicâ aut robusti aut bellicosi sint, sed quòd viri ex eâ ad rem bellicam selecti ejusmodi soleant esse. Nec enim aliter de humanâ republicâ ac de humano corpore loquimur. Dicitur autem homo agere vel pati, quæ manus pesque vel agit, vel etiam patitur. Dicitur mundus immundusve, si facies aut munda aut immunda sit : eodemque omninò modo similiter in reliquis.

Indè adeò venit, ut vocabula, quæ quibusdam Ecclesiæ partibus convenire videmus, Ecclesiæ ipsi attribuantur. Ad hanc enim legem Ecclesia dicitur amica, pulchra, immaculata, sancta, videlicet ratione bonorum; hortus conclusus, fons signatus, ratione electorum. Qui cùm prima atque optima pars sint Ecclesiæ christianæ, imò verò regni cœlorum cùm sint principes, quamvis in terris à republicâ despicatissimi ac contemptissimi, verè ac jure ea, quæ in eos conveniunt, in totam Ecclesiam transferuntur; quoniam, ut ex Aristotele etiam antè docuimus, id civitas aut esse aut facere dicitur, quod in eâ primarii aut optimates aut esse dicuntur, aut facere. Neque hoc loco, ubi à Lutheranis vel maximè petimur, Lutheri testimonium negligendum est, quò intelligant hi rem esse tàm apertam atque dilucidam, ut eam ne Lutherus ipse quidem negare potuerit. Is igitur, cùm in concione quâdam ad populum explicaret quemadmodùm Ecclesia sancta diceretur, per synecdochen docet Matthæum scripsisse latrones blasphemâsse, cùm unum eorum id fecisse Lucas scribat. Sic unus et idem populus, ut ait, arguitur in prophetis, cùm multi sint inter eos boni; rursùs laudatur, cùm multi sint inter eos mali. Et pulcherrimæ charitatis ea est figura, quæ communia faciat omnia bona, communia item omnia mala, ut alter alterius onera portet, et sic impleat legem Christi. Sic civitas, vel regio, vel domus fecisse aut passa esse dicitur, quod aliquot in eâ fecerunt aut passi sunt. Hactenùs Lutherus. Hìc ego hæreticos universos appello, ut jam vel ipsi sint judices nùm prudenter nobis opponant Ecclesiam hortum conclusum esse, fontem signatum, puteum aquæ vivæ, paradisum cum pomorum fructibus, sanctam, pulchram, perfectam, sine maculâ et rugâ gloriosam, ut in eâ nullum præscitum, nullum infirmum, nullum improbum esse conficiant. Sed respondeamus ad singula.

In septimo argumento Canticorum de Ecclesiâ encomium ponitur, cui abundè, ut reor, satisfecimus. Additur deinceps, in arcâ solos eos fuisse qui salvi facti sunt, arcam autem Ecclesiæ imaginem extitisse. At ne quis in hunc errorem incideret, ut putaret omnes qui per baptismum in Ecclesiam transeunt, esse salvos, idcircò Petrus cautè et sapienter adjecit: *Quòd et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*, etc. Alioqui etiam, quod Hieronymus adversùm Luciferianos ait, ut in arcâ omnium animalium genera, ità et in Ecclesiâ universarum gentium et morum homines sunt; ut ibi pardus et hœdi, lupus et agni, ità et hìc justi et peccatores, id est, vasa aurea et argentea cum ligneis et fictilibus commorantur. Arca igitur in eo potissimùm Ecclesiæ typus est, quòd extrà eam nullus servatus est, non in eo quòd omnes intrà illam facti sunt salvi. Sed arcæ sacramenta ex Hieronymo in dialogo illo petantur. Nos pergamus ad reliqua.

Christus, aiunt, non est alterius Ecclesiæ caput, nisi ejus cujus salvator est. Hoc primùm non est adeò expeditum. Est enim caput Angelorum Christus, nec constat tamen an eorum sit propriè salvator. Certè ego non puto, quamvis contrà sit à nonnullis disputatum. De quâ re non est hìc locus disserendi. Deindè ea connexio infirma est: Christus est Ecclesiæ salvator, ergò omnes qui sunt in Ecclesiâ servat. *Est* enim *salvator omnium hominum, maximè fidelium*, 1 Tim. 4, 10, nec omnes tamen reipsà salvos facit; atque ut Christus corpus suum quod est Ecclesia, servet, servet, inquam, rei efficientiâ et exitu, adhùc non sequitur eum omnes qui sunt in Ecclesiâ servare. Tùm quoniam jam satis ostensum et patefactum est, quædam de Ecclesiâ verè dici, quæ ei non omnium, sed quarumdam partium ratione conveniunt; tùm quoniam totius partiumque vocabula latiùs fusa sunt quàm voces corporis atque membrorum, quemadmodùm paulò post explanaturi sumus. Ità non fit, ut si corpus Christi omniaque ejus membra servantur, partes Ecclesiæ serventur omnes. Nec verò Paulus ait Christum exhibere sibi gloriosam Ecclesiam; solùm adstruit seipsum tradidisse, ut eam exhiberet gloriosam. Quemadmodùm autem mortuus ille est, ut omnes viveremus, nec vivunt omnes tamen, sic se tradidit pro Ecclesiâ, ut eam mundaret et glorificaret, nec tamen omnes, qui in Ecclesiâ sunt, mundantur et glorificantur. Tametsi verè Ecclesiam suam sibi exhibet gloriosam; sed nec in omnibus partibus, nec in hoc fortassè tempore.

Porrò id, quod sequitur, facillimum est. Nam quanquàm filii Dei aliquandò secundùm prædestinationem nominentur, at propria eademque frequens denominatio à præsenti justitiâ fit, ut capite tertio explanatum est. Videmus autem verè filios exhæredari, ac justè aliquandò quidem. Non itaque colligitur: Filius est, igitur percipiet hæreditatem; nisi illud simul ponas: Et jus quod accepit, non amisit. Quoniam autem Filius Dei non semper probus intelligitur, sed is quoque interdùm, qui paterna bona prodegerit, etiam hoc distinguendum puto, Ecclesiam è Dei solùm filiis constare. Nam si filios voces, qui per baptismum sunt Christo et Ecclesiæ geniti, id nos asserimus. Sed in his sunt improbi quidam et stulti filii, quos patris matrisque cura parturire iterùm gestit, donec formetur in eis Christus. Sin filios Dei juxtà frequentiorem Scripturæ usum eos tantùm appelles, qui probi, et sapientes sunt, certè Ecclesia non ex his modò constituitur, sed ex illis etiam, qui paternæ et probitatis et sapientiæ effigiem eluerunt. Nam et in hos nomen filii quandoque diffunditur. *Nonne*, inquit Deut. 32, 6, *ipse est pater tuus?* At generatio perversa erat, et infideles filii. Item Isaias, 1, 2: *Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Item Jerem. 3, 22: *Convertimini, filii revertentes, et sanabo aversiones vestras.* Item Cant. 2, 2: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quod de sanctis Ecclesiæ viris dictum esse omnes Christi fideles agnoscunt. Undè autem appellat spinas, nisi, ut Augustinus ait, de Unit. Eccl. cap. 13, propter malignitatem morum? et easdem undè filias, nisi propter communionem sacramentorum? Bona ergò filia in medio malarum est, in eâdemque paternâ domo. Sed ovile Christi nonnisi ex Christi ovibus constituitur. Quid tùm, quasi non alias pecudes habeat pastor? Ha-

bet sanè capras, habet et hædos. Pastori itaque non modò ovile est, sed et caprile, et hædile. Hædi porrò, et agni in Dei cognitione intelligentiaque discreti sunt, in hominum scientiâ et cogitatione confusi. Dum hic vivitur, diversi licet greges, in unâ tamen congregatione sunt, adeòque permixti, ut segregari non possint, donec ille veniat qui separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, et statuet quidem oves à dextris, hædos autem à sinistris, Matth. 25, 23.

Sed ut argumento huic scholæ more pressiùs distinctiùsque respondeam, illud considerandum censeo, quòd ut nomen ovis non in eo solum loco, sed in sacris fere litteris, ut Joan. 2, pro bonis ac justis accipitur, sic ovile Ecclesiam in bonis justisque designat; quales sunt, quemadmodum suprà diximus, voces aliæ nonnullæ, ut, exempli causâ, amica, columba, immaculata, hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum pomorum fructibus, quæ nimirùm voces Ecclesiæ vel propter justos, vel etiam propter electos tribuuntur. Quocircà non fit, ut si in ovili non sunt nisi oves, in Ecclesiâ non sint hædi, quos sponsa pascere jussa est, quoad eos ab agnis pastor ille summus segregaverit. Nomen etiam ovis malos nonnunquàm in Ecclesiâ significat, nedùm probos. Hinc enim illa sunt Ps. 118, 176 : *Erravi sicut ovis quæ perierat.* Et Isa. 53, 6 : *Omnes nos quasi oves erravimus.* Et Ps. 48, 15 : *Sicut oves in inferno positi sunt.* Et Ps. 73, 1 : *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Et in Evangeliis ovem errantem legimus. Et Matth. 10, 6 : *Oves, quæ perierunt, domûs Israel.* Atque cùm Dominus Petro commisit oves, si nomen hoc pro solis bonis usurpatum censeamus, verendum est utique, ne mali à Petri curâ existiment se exemptos. Sanè verò quicumque fidei sacramentum habent, Petro intelliguntur esse commissi; nec ab eo modò requirendum, si gregem bonorum paverit; sed illa etiam, an quod infirmum fuit consolidàrit, et quod ægrotum, sanàrit, et quod confractum, alligàrit, et quod abjectum reduxerit, et quod perierat, requisierit. In quem sensum ovile Christi non est angustius quàm Ecclesia; sed perinde ut illa cum sanis morbosas etiam oves continet. Dominus autem Joannis capite decimo in illum alterum sensum vocem ovis usurpavit. Jam quod in hoc septimo principali argumento demùm objicitur, id in promptu est refellere. Nam si ex discipulis pseudoprophetæ exierunt, intùs ergò priùs domique erant : nec enim aliter exire potuissent. *At non erant*, inquit, *ex nobis*. Hoc duobus modis exponitur. Initio significat Joannes fictos illos et simulatos Christi discipulos fuisse, qui quasi amici ad tempus, et socii mensæ, in die necessitatis recesserint, Eccles. 6, 10. Inter nos versabantur, ait, eamdem nobiscum mensam cæteraque omninò sacramenta habebant communia, sed simulatio virtutis erat, venditatio, ostentatio; ideòque, quòd non erant ex animo, et verè nostri, non erant ex nobis; nam si fuissent tales, quales nos sumus ex animo Christiani, permansissent utique nobiscum. Deinde de viris ferè apostolicis loquitur, cùm ait : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.* Nonnulli siquidem statim a principio nascentis Ecclesiæ nomine se Apostolos venditàrunt, cùm non essent Apostoli Christi veri, sed pseudoapostoli, 2 Cor. 11, 13. Quod igitur dicit, tale est : *Ex nobis exierunt*, hoc est, à nostrâ scholâ, et societate : *Sed non erant ex nobis*, id est, non verè erant Apostoli; si enim ii fuissent, nobiscum profectò permansissent. Veri enim Apostoli, quos ad Evangelii munus delegit Christus, non tùm hoc, tùm illud, sed idem dicebant semper, eratque illis constans ac perpetua ratio et veritatis et vitæ. Hoc enim ad auctoritatem Evangelii pertinebat, ut ejus primi administri, quibus scilicet illud est creditum, odorem saporemque Christi semper et in omni loco servarent. Contrà verò operarii subdoli, quamvis aliquandò se transfiguràssent in Apostolos Christi, sed insipientia tandem eorum manifesta erat omnibus, et finis secundùm opera ipsorum. Quanquàm, si de prædestinatis, ut Hieronymo et Augustino visum est, Joannes loqueretur, nihil adhùc hæretici conficerent. Nam quæ rerum consequentia est : Non sunt ex nobis, id est, non sunt ex electis; non igitur sunt in domo Dei, quæ est Ecclesia? Quasi verò in domo Dei non sint cum vasis electis in honorem vasa etiam non electa, nempè in contumeliam! Sed ad argumentum septimum diximus multa. Nunc octavum diluamus.

Et ad testimonia quidem ex Canticis post ea quæ dicta sunt, nihil est necesse respondere. Illud autem, quod ex Apostolo objectum est, divus Augustinus in libro secundo Retractationum cap. 19, ità interpretatur, ut Ecclesiam describat Apostolus, non quæ jam sit, sed quæ præparatur ut sit, quandò apparebit etiam gloriosa. Et in libro de Perfectione justitiæ : « Cùm « enim, ait, non tantùm Apostolus dixerit, ut exhibe« ret sibi Ecclesiam non habentem maculam, aut ru« gam, sed addiderit gloriosam, satis significavit quan« dò erit sine maculâ, aut aliquid hujusmodi, tunc « utique, quandò gloriosa. Non enim modò in tantis « malis, in tantis scandalis, in tantâ permixtione ho« minum pessimorum, in tantis opprobriis impiorum, « dicendum est eam esse gloriosam. Nam si Dominus « ipse non fuit glorificatus, nisi resurrectionis gloriâ, « quomodò dicenda est antè resurrectionem suam Ec« clesia ejus esse gloriosa? Mundat ergò eam lavacro « aquæ abluens peccata præterita; deinde perficiens « ejus sanitates, facit eam occurrere in illam glorio« sam sine maculâ et rugâ. » Hactenùs Augustinus. Cujus sententiæ fuit non solùm D. Thomas, sed etiam Hieronymus ac Bernardus. In quem omninò sensum Isaiæ testimonium idem Augustinus interpretatus est in lib. cont. Donatist. post collat. cap. 8. Quanquàm altera est ejus loci commodior intelligentia, ut incircumcisus et barbarus populus non sit Ecclesiam Dei oppressurus, quemadmodùm opprimit qui pede calcat. Et cap. 9, docet distinguenda esse tempora Ecclesiæ, et pro diversitate varia Scripturæ loca, quæ partìm Ecclesiæ puritatem, partìm malorum permixtionem enuntiant, esse concilianda. Memini me tamen sic Pauli verba aliquandò exponere, ut ad efficientiam baptismi etiam præsentem illa omnia referantur. Quod

enim ait : *Ut eam sibi exhiberet sine maculâ*, hoc planum et expeditum est, cùm sine controversiâ omnes omninò maculas baptisma deleat : quod verò subjungit : *Sine rugâ*, id certum est ad baptismi novitatem attinere, qui veterem hominem sustulit et absumpsit. Renovatur quippè, ut aquilæ, juventus nostra per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti, quam effudit in nos abundè, etc. At quomodò Ecclesia per baptismum gloriosa? Nempè tunc gloriosa sponsa sponso suo exhibetur, cùm illi virgo genere ac virtute clara, pulchra, munda, veste pretiosâ, auro gemmisque ornata exhibetur. Non autem regina illa, quæ adstitit à dextris regis in vestitu deaurato, circumdata varietate; non Esther, regio fulgens habitu, et circumdata gloriâ suâ; non in omni gloriâ suâ Salomon, ità gloriosi descripti sunt, quin gloriosior Ecclesia sua Christo sit recens baptismi initiata sacramento. Nec enim minùs in Ecclesiam quàm in Synagogam illa quadrant Ezech. 16, 9 : *Lavi te aquâ, et emundavi sanguinem tuum ex te; et unxi te oleo, et vestivi te discoloribus, et calceavi te hyacintho, et cinxi te bysso, et indui te subtilibus. Et ornavi te ornamento; et dedi armillas in manibus tuis, et torquem circà collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, et circulos auribus tuis, et coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro, et argento*, etc. Quæ singillatìm in baptismi efficientiâ explanare, erat facile id quidem, sed hujus temporis non est. Non ergò cogimur ad futurum tempus ea effecta referre, quæ in præsentiâ baptismus Ecclesiæ præstat (1). Omnia siquidem illa in duo hæc Apostolus contulit, ut Ecclesia sit sancta et immaculata. *Ut exhiberet*, inquit, *sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata;* qualem certè nunc etiam credimus esse, non in omni suâ parte quidem (nam id, quemadmodùm antè diximus, non est necesse), sed in multis membris, quorum sanctitas et puritas facit, ut Ecclesia ipsa sancta verè immaculataque dicatur.

Sanè in parvulis adultisque nunc primùm per baptismum lotis, nulla prorsùs quæstio est, quin Ecclesia sancta et immaculata sit; sed esse sine maculâ, ut Augustinus docuit contrà Cœlestinum, non absurdè etiam ille dicitur, qui et criminibus caret damnabilibus, et ipsa peccata venialia non negligit mundare eleemosynis. Hos enim immaculatos Scriptura vocat. *Ero*, ait, *immaculatus cum eo*. Quomodò? *Observabo me ab iniquitate meâ.* Item : *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.* In his ergò, qui ab iniquitate et crimine mundi sunt (sunt autem plurimi), Ecclesia immaculata est, quamvis impuritatis nonnihil, hoc est, culpæ venialis ex levi inconstantique naturâ contrahant omnes.

Secundùm hanc interpretationem, quæ mihi et verbis et sententiæ Pauli magis consentanea videtur, patet, Ecclesiam etiamnùm exstare in quibusdam suis membris quidem prorsùs immaculatam, hoc est, sine omni omninò maculâ, in quibusdam verò ità puram, ut quiddam maculæ, levis illius tamen, possit habere. Sic in quibusdam columba est, in quibusdam perfecta. Perfectos autem pingui, ut aiunt, Minervâ appellamus eos, quibus vita mortalis contenta est, qui assequuntur, quantùm homines possunt, et optimam in terrâ vivendi rationem et viam, tametsi in rebus minimis quandoque deficiunt. At *omnis qui peccat, non cognovit Deum; et omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit.* Hunc locum D. Bernardus in concione de Septuagesimâ, cujus initium, *Magna mihi consolatio*, accipit de filiis Dei secundùm prædestinationem, quos interpretatur non peccare, id est, non permanere in peccato. Divus autem Augustinus homiliâ quartâ in hanc Joannis Epistolam, et secundo libro de Baptismate parvulorum, cap. 8, et lib. 2 contrà Parmenianum, cap. 7, et multò fusiùs in lib. de Perfect. justit., exponit filios Dei non peccare ex hoc, quòd filii Dei sunt; eos verò, qui peccant, non cognoscere Deum, quâ ratione peccant. Peccatum enim non à fide et scientiâ, sed ab ignoratione proficiscitur. Fides contrà et charitas, quibus filii Dei sumus, non agunt perperàm, sed refutant omne peccatum. Quam sententiam Divus Thomas cum familiâ suâ sequitur, secundâ secundæ, quæstione vigesimâ quartâ, articulo undecimo, ad primum. Eamdem secuti sunt cum Augustino alii episcopi Africani, ut patet in epist. quinque episcoporum ad Innocentium.

Quemadmodùm enim Paulus dicere potuit, Rom. 7, 20 : *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* ; ità homo justus, si ex lege aliàs naturæ repugnanti leviter aliquandò deficiat, illud quoque verè dicet : *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quam interpretationem, quoniam ei et hujus epistolæ quædam loca, et viri clarissimi consentiunt, non audeo equidem improbare. Sed ut dicam ex animo quod sentio, mihi magis Hieronymi (1) sententia placet, qui non putat Joannem in genere de peccato loqui, sed tantùm de mortali. Id quod in toto quasi contextu epistolæ facilè cernitur. Hoc enim Apostolus ibidem agit, ut ostendat nullam esse communicationem lucis ad tenebras, Christi ad Belial, nec misceri posse justitiam et iniquitatem, crimina et charitatem, Christum et Antichristum, non plus certè, quàm noctem et diem. Nam fuère quidam hæretici, quales nunc sunt ex Lutheranis plurimi, quibus satis fuit, si semel baptismo suscepto fidem haberent etiam sine operibus. Quem

(1) Ad Ecclesiam in præsentiâ hoc omninò referre videntur Fabius papa, epist. 5 ad Hilarium, Gelasius in decret. de apoc.; conc. Tolet. 6, cap. 1; Sixtus III, epist. unic. cap. 5; Hieronymus, in epist. ad Eph. cap. 5.

(1) In libro 2 advers. Jovinian., de Pœn., dist. 2 : *Si enim*. Simon Selenen quamdam quæstuariam sibi conjunxit, et discipulos suos docuit liberè agere quæ vellent; secundùm enim gratiam salvari homines, et non secundùm opera justa. Irenæus auctor est, lib. 1, cap 26. Gnostici quoque in cognitione et scientiâ, quam mortalibus falso pollicebantur, beatitudinem constituebant, cùm tamen opera charitatis negligerent : adversùm quos Epistolæ ad Timotheum scriptæ sunt, Epist. Judæ, Petri 2 et 1 Joann.

errorem à primo statim capite Joannes cœpit depellere in hæc verba : *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ. Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur.* Item cap. 2 : *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observamus. Qui dicit se nôsse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* Item eodem cap. : *Qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est.* Item : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo, etc.* Item cap. tertio : *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit.* Scilicet, ne quis putaret de quolibet peccato etiam levi futurum esse sermonem. Iniquitas enim grave peccatum est. Tunc ergò subjungit : *Omnis qui in eo manet, non peccat : et omnis qui peccat non vidit* (1) *eum, nec cognovit eum.* Nam est cognitio quædam scientiaque de Deo iis familiaris, et propria, qui spiritum intellectûs, scientiæ, sapientiæ, consiliique habent : quo nimirùm spiritu omnes improbi carent. Itaque nec vident, nec cognoscunt Deum, quamlibèt visiones et revelationes Dei habere se prædicent. Item : *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam justus est. Qui facit peccatum* (*nempè mortale*) *ex diabolo est. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit :* videlicet quamdiù filius Dei est, quoniam semen ipsius, hoc est, charitas, in eo manet ; et ut arbor bona, nisi vitietur, non potest malos facere fructus, sic filius Dei crimen et flagitium committere non potest, nisi filius Dei esse desierit. *In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.* Qui justus est, filius Dei est ; qui non est justus, nec diligit fratrem suum, filius est diaboli. Item in fine Epistolæ : *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat,* hoc est, non violat charitatem, sed servat mandata, quoniam *generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum.* Nimirùm quamdiù semen illud conservat, generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. At si volens semen illud abjecerit, ex quo semine natus est, tunc profectò filium diaboli effectum jam malignus non solùm tanget, sed utetur eo etiam pro suo. Quem Hieronymi sensum Augustinus etiam amplectitur, homiliâ in hanc Epistolam quintâ. Atque utinam hæc Apostoli doctrina nostri seculi hominibus non esset necessaria ! Sed videmus esse multos, qui curâ fratrum suorum et charitate neglectâ, aliisque Evangelii et naturæ præceptis omissis, preculis, meditatiunculis (non enim contemplationes dicam) die noctuque vacantes, mentiuntur se et nôsse, et diligere Deum. At in hoc scimus quòd cognoscimus eum, si mandata ejus observamus. Qui enim non diligit, non novit Deum. Hæc est autem charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus. Sanè qui tùm secundam, tùm maximè tertiam Epistolam ejusdem Apostoli legerit, intelliget evidentiùs, totum Apostoli sermonem eos coarguere, qui bonos, justos, amicos, et filios Dei se esse sine proximi charitate mentiebantur, id verò graviùs, quò majori simulationis artificio fingebant se cognitioni Dei, et contemplationi vacare. Verùm de hoc argumento plura dicta sunt, quàm fortassè ratio instituti operis postulabat.

(1) Præteritum pro præsenti.

Itaque ad illud ex Epistolâ ad Hebræos testimonium, ne molestum sit plura dicere, dicemus nihil. Nec necesse est tamen aliquid dicere, cùm in ejusmodi argumentis diluendis nostra opera et studium minimè desiderentur.

Illud etiam est facile, quod in nono argumento primùm opponitur. Jam enim demonstratum est, ut Ecclesia sancta sit, non oportere omnes eos sanctos esse, qui illius partes esse dicuntur. Non autem, quamvis id Hieronymus fecerit in Comm. Ep. ad Galat., Ecclesiam dupliciter usurpamus, et eam, quæ undique sancta et tota corpus Christi sit, et eam, quæ cum sanctis malos habeat permixtos ; sed id docemus, populum christianum verè sanctum dici, licèt non omnes, qui in hoc populo numerantur, sancti sint. Nam argutias illas elegantissimas, quibus hoc impugnatum est, consilium est negligere : sophistarum quippè sunt meræ nugæ, gerris, ut aiunt, Siculis vaniores. Præterquàm quòd forsitan Ecclesiam sanctam credimus, quia populus est Deo per Baptismum dicatus, consecratus, sanctificatus ; hos enim Scriptura sanctos appellare solet. Illud verò, quod statim additur, diligenter expendendum est. Aliud porrò est partes Ecclesiæ esse, aliud esse Ecclesiæ membra. Nomen siquidem partis latiùs diffunditur, nomen membri contractius est. Pars ad totum refertur, membrum ad animantis corpus. Ità pars sine vitâ invenitur, ut in lapide, ligno, ac cæteris ejusmodi ; membrum autem verè et propriè sine vitâ ne intelligi quidem potest. Quamobrem improbi partes quidem Ecclesiæ sunt, membra Ecclesiæ aut Christi non sunt : sunt autem diaboli membra ; at in Ecclesiâ esse censentur, cives-que civitati huic et annumerati et adscripti ; cives mali et flagitiosi tamen. Quo verò pacto probi atque improbi eumdem omninò populum conflent, nec sit tamen societas lucis ad tenebras, conventio Christi ad Belial, D. Augustinus egregiè explicat contrà Donatist. post coll. cap. 6. Quâ unâ ex re cæteræ hujus argumenti confirmationes extremis, quod aiunt, digitulis evertuntur. Sive enim dicas corpus, sive panem, sive granum, sive triticum, seu alia similia quævis, nomina sunt, quæ bonis per se conveniunt quidem, sed per bonos illi etiam populo, cujus boni primariæ sunt partes. Hunc verò sensum omnia quoque Augustini verba, in lib. 3 de Doctr. christ., præ se ferre notius est, quàm ut indicandum sit. Negat enim malos in corpore Christi esse, nec posse habere Christum membra damnata. Negat in columbæ membris computari. Negat ad illam Ecclesiam pertinere, quæ non habet maculam nec rugam. Negat spectare ad compagem domûs Dei, aut in eâ etiam habitare, in quâ unanimes solùm habitant. Etenim hæc universa, ut persæpè dictum est, tantùm probis ex se attribuuntur, et horum ratione attribuuntur Ecclesiæ : quemadmodùm ratione partis in toto ipso insignis atque præcipuæ quædam de toto enuntiari solent, quæ partibus singulis non perindè conveniunt. Quanquàm Augustinus illam fortassè Hieronymi partitionem secutus est, ut Eccle-

siam bifariàm distribueret; et eam, quæ omni ex parte bona Christique corpus sit, et eam quæ ex bonis malisque confletur. Quâ verò fronte nobis Augustinum objiciunt, qui in libro Retract. 2, cap. 18, et in Psalmum 24 ac 25, et libro contrà Petil. 3, cap. 12, et de Unitate Ecclesiæ, cap. 13, et contrà Donatist, post collat., à 4 usquè ad undecimum cap., nostram habet apertissimè constantissimèque sententiam? Nec dubium est, Cyprianum atque Hieronymum eadem nobiscum concinuisse : illum in Epistolâ ad Maximum, hunc in comment. Epistolæ ad Galatas et in dialogo adversùm Luciferianos. Ac de nono argumento hactenùs.

Decimo verò argumento ex his, quæ in septimo dicta sunt, satis, ut arbitror, responsum est.

At undecimo argumento hoc habeo responsum. Non abhorret à sacrarum litterarum consuetudine, si eumdem omninò populum nunc propter justos felicem beatumque dicamus, nunc propter improbos miserum et infelicem. En Moyses Israelem modò vocat populum electum, beatum, gentem sanctam, populum Dei peculiarem; modò durissimæ cervicis, populum stultum et insipientem. Atque Isaias interdùm populum Gomorrhæ, interdùm etiam populum Dei appellat. Et reverà, si Scripturæ usus est, quemadmodùm in confutatione secundi argumenti multis exemplis patefecimus, perindè populum reprehendere, ac si omnes mali essent, atque ità consolari, ut si omnes essent boni, consectarium est quoque, ut populus idem et in reprehensione vituperationeque vocetur iniquus, et in consolatione ac laudatione sanctus. Nec Augustinus dubitavit, Ecclesiam nigram in malis, formosam in bonis interpretari, in lib. 3 de Doct. Christ. cap. 32. Quin Origenes Ecclesiam propter eos qui columbas in illâ vendunt, speluncam latronum appellavit, tract. in Matth. 15. Quòd si hoc nobis præsidium deficeret, habemus alterum, quòd in hujusmodi major quædam vis boni, quàm mali est, plusque omninò valent pauci boni, ut plebs bona sit, quàm multi mali, ut nominetur mala. Ecclesiam præthereà sanctam dicimus, quòd Deo peculiariter sacra sit; quâ ratione, quamvis mali in eâ sint plurimi, synagoga Satanæ appellari nec debet, nec potest. Hìnc enim in concilio Constantiensi ejus impudens maledicentia damnata est, qui romanam Ecclesiam synagogam Satanæ appellavit. De undecimo autem argumento dictum est satis.

Duodecimum verò infirmum et nugatorium est, tametsi Calvinus indè exultare non dubitet, undè erubescere debuisset. Ratiocinatur ille quidem interdùm argutè, sæpiùs eleganter; sed quandoque adeò ineptè, insulsè, frigidè, ut vix eum credas, non dico eruditionem acumenve, sed aut rationem omninò ullam, aut sensum etiam communem habuisse. Tantùm hæreticus error et cæca pertinacia potest, ut omnem prorsùs doctrinam adimat, intelligentiæ lumen extinguat, et universam ingenii retundat aciem! Sed ad rem. Illud est verum, Græcos esse schismaticos, ideòque apud eos Ecclesiam non esse. Credimus enim unam catholicam Ecclesiam. Quarè necesse est, ut qui ab unitate se separat, quoniam non est in unâ Ecclesiâ catholicâ, ne in Ecclesiâ quidem ille sit. Nec Græci solùm schismatici sunt, sed sunt etiam hæretici, tùm propter alia, tùm hâc præcipuè de causâ, quòd negant unum totius Eccesiæ pastorem esse à Christo in B. Petro institutum. Sed hæc importunè hoc loco; alibi opportunè disserentur. Quòd si qui à Christo vero Ecclesiæ capite ità deficiant, ut ei abrogent fidem, hos fateor, ac multò etiam magis, privilegium ecclesiastici nominis amittere. Mortuo autem summo pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, et manet in eâ Spiritus veritatis, sed manca et imminuta sine Christi vicario et Ecclesiæ catholicæ uno pastore relinquitur. Quocircà licèt veritas tunc etiam in Ecclesiâ sit, at si controversiæ fidei et religionis oriantur, Ecclesiæ judicia sine capite in terris non adeò certa erunt. Quæ persequi, hujus loci non est. Atqui Apostolus, cùm eo loco deditâ operâ Ecclesiæ unitatem definire vellet, ejus rei prorsùs oblitus est, à quâ re nos dicimus unitatem Ecclesiæ pendere. Sed mirari satis non possum istorum hominum futilitatem, qui cùm non servârint unitatem spiritûs in vinculo pacis, sed ab Ecclesiæ se corpore sejunxerint, Paulum eo loco nobis objiciunt, qui illis vel adversissimus est. Nam si unum corpus, et non duo Christus habet, quomodò nos duas Ecclesias admittemus? Et si una est fides, qui in fide et religione discrepat, hic quomodò in unâ Ecclesiâ est? Qui autem Christi vicarium contemnit, isne unum filium agnoscit? Certè qui cultum Dei pro suo sibi arbitrio fingit, is nec Spiritum unum colit, nec Patrem unum suscipit, nec in unâ proindè Ecclesiâ est, quæ sine rectâ et catholicâ fide Deum unum nec colere, nec habere potest. Verùm isthæc, quæ extrà causam præterque institutum invitis occurrunt, paucis refellenda sunt. Reliqua itaque persequamur. In Græcis, aiunt, viri boni sunt aliqui. Sanè, si sunt aliqui, hi tantùm erunt, qui cum catholicâ fide consentient, qui ab schismate alieni sunt, qui unum unius corporis tenent caput, Coloss. 2, 19, unumque unius ovilis pastorem, non in cœlis solùm, sed etiam in terris (1). Sic enim Christo capiti nostro ac pastori visum est, unum loco suî Ecclesiæ relinquere, quem simul atque fidelis abjiceret, et corporis et ovilis desereret unitatem. Quemadmodùm in Israel, sub Jeroboam quidam erant viri pii, sed illi tantùm, qui in divisione regni nullam fidei, religionis, sacerdotii divisionem meditabantur. Verùm hæc aliàs. Nunc illud admonendum puto, Apostolum eo loco Ecclesiæ perfectam unitatem communionemque describere, nimirùm qualis in bonis sanctisque viris reperitur. Meminisse enim opus est, corporis nomen proprium esse Ecclesiæ justorum. Unum igitur corpus uno primùm spiritu definitur, qui illud non modò quasi anima vivificet, sed tanquàm spiritus membra ejus singula ad finem suum quoque agat, moveat, instiget. Deindè unum corpus unam quoque spem vocationis requirit, ubi spei vox pro re gloriâque speratâ usurpatur, ut illo etiam loco : *Spes autem, quæ videtur, non est spes.* Unum igitur finem, sicut cætera, hæc etiam respublica habet, ad quem omnes ejus cives vocati ac des-

(1) Sunt boni etiam inter Græcos qui, verè bonâ fide suæ Ecclesiæ schismati exteriùs adhærentes, ad unitatem vero ex animo ad animamque Ecclesiæ pertinent.
P. S.

tinati sunt, in quem proindè spectant omnia hujus corporis membra. Tertio loco, una respublica unum Dominum, unum regem, unum caput desiderat. Nam si duo habeat capita, monstrosa erit. Exigit prætereà unam fidem. Nisi enim hujus reipublicæ cives fideles sint, Dei populum non conficient. Populus autem Dei intelligitur divino cultui ac religioni dicatus. Quòd nisi una sit omnium communis fides, ne una quidem religio erit, atque adeò nec una Dei Ecclesia. Quid quòd si diversa credimus, cùm fides sit quasi hujus corporis oculus, eumdem scopum et finem habere non possumus? Una ergò fides necessaria est. Necessarium est deniquè, præter hæc, baptisma unum, in quo inest cæterorum sacramentorum communicatio. Plebs quippè christiana non interiore solùm fidei communione ac charitatis vinculo, sed externâ etiam fidei testatione, sacramentorumque consociatione constat. Ex quo fit, ut nisi in eodem Baptismo, eisdemque omninò sacramentis membra exteriùs colligata sint, in unum Christi corpus quod est Ecclesia, coire non queant. Fecit autem Apostolus solius Baptismi mentionem, tùm quoniam inter omnia sacramenta vel maximè est unum; tùm quoniam hoc sacramentum christianæ gentis proprium signaculum est, quo videlicet non consignamur modò, sed etiam sacramur : id quod Synagogæ circumcisio præstabat. Jam in verbis, quæ addit Paulus : *Unus Deus, unus Pater*, etc., eò, ut mihi videtur, respicit, ne in uno hujus reipublicæ domino tyrannidem ac dominationem subesse putaremus. Unum itaque Dominum cùm dixisset, blandioribus vocibus dominatum mollit ac mitigat. Ne te, inquit, terreat unus Dominus; unus enim Deus idem est, unusque etiam Pater. In Dei porrò nomine bonitatem, suavitatem, providentiam numinis intellige. *Beatus*, ait, *populus, cujus Dominus Deus ejus*, sed ille multò beatior, cujus Dominus parte ejus. In patre siquidem singularis amor et cura minimè vulgaris designatur, ut non tàm regnum, quàm patris unam filiorumque familiam intelligas. Sed nescio quo pacto, dùm Pauli verbis institit atque hæsit oratio, à proposito longiùs excurri, institutique mei penè immemor factus sum. Dicebam Apostolum perfectam corporis Ecclesiæ unitatem causis suis omnibus definire. Ecclesiæ verò unitas latiùs extensa est, et in eis invenitur, qui non servant unitatem spiritûs in vinculo pacis, nec inter se per amorem adhærescunt, nec alii alios apprehendentes capiti suo connectuntur. Quin etiam partes quædam in hoc toto sine fide insunt, ut hæreticio cculti, quamdiù ab Ecclesiâ non sunt exclusi. In quibus satis est unum Baptisma, sacramentorumque eadem societas et communio, ut in unâ Ecclesiâ esse dicantur. Nam summum pontificem, episcopos, cæterosque Ecclesiæ ministros potestate ac jurisdictione per hæresim abditam interioremque privari, non modò non certum, sed ne probabile quidem esse, maximâ auctoritate theologi affirmant. Rectores verò ac magistratus, et reipublicæ omninò administros illos esse, qui reipublicæ hujusmodi parte non sint, ne cogitatione quidem informari potest. Ex quibus magna significatio fit, non esse æquam in omnibus Ecclesiæ partibus unitatem, sed in quibusdam valdè imperfectam. Id si minùs intelligitur, ex corpore naturali percipi potest, in quo sic spiritus et anima existit, ut partibus quibusdam vim sentiendi tribuat, quibusdam vim crescendi, aliis, ut videtur, ne ullam quidem aut animalem, aut spirabilem facultatem, perindè ut si partes illæ nec animam, nec spiritum in se haberent. Quin etiam videmus, cùm membrum aliquod sensu et vitâ carens arescit in corpore, quoniam reliquis omninò partibus continuatur, motum quemdam externum ab spiritu participare : quanquàm spiritus illi nihil interius vitaleque communicat. Quem profectò modum spiritus Christi in corpore Ecclesiæ tenet ac servat. Quasdam enim partes ità animat et vivas facit, ut nihil illis deesse vitalium motionum videatur ; in quasdam sic influit, ut non vitam eis quidem, sed interiorem quamdam spirationem quasi vitalem conferat; aliis autem externam vim suam facultatemque dimittat, ut quamvis mortua prorsùs et arida membra sint, quia non sunt tamen à corpore excisa, à spiritu cum corpore moveantur. Quæ partium affectarum mirabilis continuatio ac series, licèt tenuis illa quidem et modica sit, at tantùm in Ecclesiâ valet, ut propter locum, quem habent in corpore, nonnullæ partes vel capita ecclesiastici corporis appellentur, *Væ*, inquit Amos, 6, 1, *vobis, qui opulenti estis in Sion, optimates, capita populorum;* membra videlicet aliquandò, non ex vitâ, quam suâ sponte et naturâ vindicant, sed ex situ, quem sortita in corpore sunt per metaphoram transferri solent. Ità qui locum primum in Ecclesiæ gubernatione tenet, caput Ecclesiæ ille dicitur, tametsi propriè ac verè membrum corporis Ecclesiæ non est. Sed de his, quæ ad Ecclesiæ unitatem spectabant, quantùm huic loco satis erat, dixisse videmur. Nunc de universitate Ecclesiæ dicamus; nam id in tertio decimo argumento quæritur.

Καθ' ὅλου græcè, si verbum verbo reddas, *secundùm totum* interpretabere : ὅλον enim totum est. Undè catholica, ut Augustinus ait, nomen accepit, quòd in toto orbe juxtà prophetarum prædictiones (1) diffusa est. Quia verò in toto orbe universæ etiam gentes intelliguntur, indè adeò venit, ut Ecclesia catholica, id est, universalis nominetur, quoniam in omni gente, populo, natione, sexu, conditione longè latèque patet. Cujus utriusque rei exstat insigne illud oraculum Ps. 2, 8 : *Postula à me, et dabo gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*. Atque hoc discrimine non solùm à Synagogâ, sed ab hæreticorum etiam conventiculis congregationibusque distinguitur. Sunt etiam qui dicunt, Ecclesiam propter communem fidem, universalemque doctrinam, catholicam appellatam. Fides autem Ecclesiæ atque doctrina multifariàm communis et universalis est. Primùm ratione hominum, juxtà illud Marc. 16, 15 : *Prædicate Evangelium omni creaturæ ;* deindè ratione loci, quemadmodùm scriptum est, Marc. 16, 20 : *Prædicaverunt ubique* ; et ad Rom. 10, 18 : *In omnem terram*

(1) De hoc videre est præsertim Malach. 1, 11; Daniel, 2, 44; Isai 54, 5; Ps. 18, 5, et 71, 8; Marc. ult. 15; Act. 1, 8; Genes. 26, 4; Ps. 21, 28, et 116, 1; Luc. 24, 47; Apoc 5, 10; Coloss. 3, 11, etc.

exivit sonus eorum. Præthereà ratione temporis; quoniam Apostoli non tùm hoc, tùm illud, sed idem dixêre semper. *Fidelis*, inquit 2 Cor. 1, 18, *Deus; quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo : Est, et Non; sed : Est, in illo fuit.* Item, Ps. 118, 85 : *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. Omnia mandata tua veritas.* Et posteriùs : *in æternum, Domine, permanet verbum tuum, in generationem et generationem veritas tua.* Quod igitur ab omnibus in omni et loco et tempore certò atque constanter creditur et docetur, id verò dogma catholicum nuncupatur; et quæ hujusmodi dogmata ac disciplinam habet, ea verè Ecclesia catholica. Nam hæreticorum conciones privatas habent, peregrinas, inconstantes, clandestinasque doctrinas. Benè ergò et prudenter Vincentius Lirinens. de profan. Novat. : « In ipsâ, inquit, catholicâ Ecclesiâ, ad quam non una natio, non unus angulus, sed maris multitudo convertitur, id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè proprièque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat; quæ omnia hæc verè universaliter comprehendit. Quæ cùm ità sint, ille est verus germanusque catholicus, qui quidquid universaliter antiquitùs Ecclesiam catholicam tenuisse cognoverit, id solùm sibi tenendum credendumque decernit; quidquid verò ab aliquo deinceps uno præter omnes vel contrà omnes novum et inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligat pertinere. » Hactenùs Lirinensis. Scio causas proferri alias solere, cur Ecclesia catholica sit; sed hæ nihil visæ sunt cognominis hujus asserendi gravissimæ. Quibus positis, illud argumentum facilè diluitur. Primùm enim Ecclesia non ità modò contracta est et adducta in angustum, ut in orbe diffusa non sit; quin nostrâ memoriâ novus orbis apparuit multò maximus, atque latissimus, in quem discipulorum Christi sonus exivit, ne quisquam dicat, Hispanos, Gallos, Italos, Germanos, cæterasque nationes, in quibus Christi nomen aut vivit, aut non omninò deletum est, minorem partem orbis occupare. Deindè satis est, Ecclesiam semel in totum mundum esse fusam, ut etiamnùm verè catholica dicatur. Nempè eadem Ecclesia est, eamdemque fidem tenet, quam Apostoli in universâ terrâ vulgârunt. Sanè verò fidei præsentis universitas ad eam universitatem referenda est, quæ tempore anteacto in Ecclesiâ fuit; et hæc ad illam tandem, quam Apostoli in totum orbem ediderunt, quemadmodùm in secundo libro demonstratum est. Ex quo efficitur, ut quamvis christiana fides in unius fortè provinciæ augustias redigeretur, nihilominùs catholica esset, et provincia item, quæ eam fidem haberet, Ecclesia esset etiam catholica. Nam et Ecclesiæ singulæ sub universali comprehensæ catholicæ vocitantur, quoniam eam fidem habent, quam universalis tenet, tenuitque semper Ecclesia. Sed hæc, et ea quoque quæ restant, perspicua sunt omnia. Breviter itaque expedienda sunt.

Objicitur ergò in quarto decimo argumento, frustrà omnium fidelium sensum expectari. Cui ergò argumento hæc brevissimè retulerim. Duo sunt rerum genera, ut aliàs dictum est, quæ ab Ecclesiâ creduntur. Unum est earum, quæ ad omnes æquè pertinent, ut Deum esse hominem, animum nostrum esse immortalem. Et in hoc genere non est valdè difficile, omnium fidem sensumque cognoscere. Non dico autem, ut seorsùm rogentur singuli, quod et permolestum esset, et oppidò quàm ridiculum, sed singulorum fidem in hujusmodi rebus statìm sese prodere; satisque mediocri adhibitâ diligentiâ cognitam nobis et perspectam esse posse, præsertìm si res in contentionem veniat, et vulgus suo more calescat. Alterum est genus earum rerum, quas cognoscere non rudium et imperitorum in Ecclesiâ, sed majorum et sapientium interest, ut Epistolam ad Hebræos esse canonicam, ac reliqua similia quàm plurima. Quo in genere si vulgarem plebis sententiam roges, perindè erit, ut si à cæco sensum colorum postulares. Cautè igitur atque prudenter, cùm hujusmodi fortassè res in sermonem popularem incidunt, qui in vulgo paulò modestiores sunt, nihil omninò affirmatè asseveranterque pronuntiant; sed id se credere ac sentire in hisce rebus profitentur, quod Ecclesia credit ac sentit. Quo profectò nomine sapientes Ecclesiæ majoresque designant. Porrò sive in hoc, sive in illo genere quæstio versetur, populus quasi de tribunali sententiam dicere nec debet, nec verò potest : quoniam, ut hìc pro certo, et probato sumimus, ligandi, solvendi, judicandique potestas in singulis fidelibus non est, sed in Ecclesiæ præfectis, atque pastoribus. De quâ re alio loco disseremus. Nunc illud dicimus, in communi omnium controversiâ certum argumentum ex communi fidelium sensu depromi; quamvis non oporteat sigillatìm omnium sensum perscrutari. In fide autem earum rerum, quæ propriæ sunt doctorum atque sapientum, solam horum sententiam expetendam, vulgi ne expectandam quidem. Nam illi certam fidem faciunt catholici dogmatis, hi faciunt nullam. At verò in utrarumque rerum decretis ac legibus nec vulgus, nec sapientes omnes habent locum; sed ii tantùm, qui sint Ecclesiæ pastores, quemadmodùm libris sequentibus explicaturi sumus. Ea verò argumenta, quibus pastorum veritas atque auctoritas impugnata est, in librum huic proximum differantur, ubi hæc multaque id genus alia longè opportuniùs refutabimus.

Cæterùm quòd duo symbola Ecclesiæ internoscendæ Calvinus ponit, nempè ordinem in verbo et sacramentis à Christo commendatum, ad quas omninò notas ceu ad lydium lapidem omnis congregatio exigenda sit, quæ Ecclesiæ nomen obtendat; benè profectò haberet, nisi hunc lydium lapidem in manu habere ipse vellet, cæteris negaret omnibus. Nos asserimus Lutheranos nec sinceram Evangelii doctrinam, nec legitimam sacramentorum administrationem retinere. Illi contrà nobis utramque notam inurunt. Ecquis erit judex? Negant apud nos Ecclesiam esse; apud se, ut nos dicimus, existere mentiuntur. Ecqui sunt ii tandem, quibus lapis iste lydius est certus, solidus, germanus ad veram Ecclesiam explorandam? Arius, Nes-

torius, Macharius, Donatus, Pelagius, cæterique omnes hæretici, tùm etiam cùm Ecclesiæ bellum facient, eàdem omninò insolentiâ se habere præferent duas illas Ecclesiæ quasi tesseras. Quapropter in quâcumque de fide cum hæreticis controversiâ Ecclesiæ notio periclitabitur. Excipient enim protinùs, nos aut in fidei errore versari, aut Christi sacramenta non perindè gerere, ut à Christo nobis institutum, atque præscriptum est.

Notior est Ecclesia, mihi crede, notior est quàm ut quibuslibet motis quæstionibus ejus non solùm auctoritas, sed res omninò et nomen in dubium revocentur. Verùm hoc loco Calvinus sic insulsus exstitit, ut nihil aliud ejus, nisi ipsa insulsitas rideatur. Ecclesiam enim apud nos esse modò ait, modò negat; nunc Ecclesiam dicit nunquàm fuisse intermortuam, nunc contra verbi puram prædicationem asserit aliquot jam seculis evanuisse; tùm affirmat sub romano pontifice, quem Antichristum vocat, non esse Ecclesiæ nomen abolitum, sed sub ejus quoque tyrannide Ecclesias manere; tùm adstruit, præsentes omnes Catholicorum cœtus idololatriâ impiâque doctrinâ contaminatos esse, claviumque proindè non habere potestatem. Quod si ità est, Christi Ecclesiæ qui sunt? Nempè, si Christi Ecclesiæ sunt, Ecclesiæ catholicæ membra erunt. Porrò si membra sunt veræ catholicæque Ecclesiæ, nequeunt vel idololatriæ probare scelus, vel errores Evangelio contrarios docere. Item nisi stultum mihi quoque ipsi videretur, exigerem ex illo, cogeremque ut responderet, nùm viros aliquot probos in Catholicorum concione esse arbitretur. Si nullos, quoniam, ut ait, omnes ad unum sunt idololatræ, et in impietate esse pius nemo potest; eâdem profectò causâ antè Lutherum vir bonus in catholicis nemo esset; quippè cùm ejusdem criminis rei essent omnes, in eodemque errore versarentur. Ecclesia ergò Christi catholica jam antè Lutherum nulla in orbe erat. Et ubinam sunt illæ de æterno Christi regno promissiones, quas, quoniam apertæ, claræ, perspicuæ sunt, nullâ iste interpretatione potuit eludere? Sin autem verè pii inter nos sunt aliqui, non est certè apud nos Ecclesia impia, sed pia; à quâ cùm se contentionis studio Lutherani separaverint, exploratissimum est, à verâ eos Christi Ecclesiâ descivisse.

Quid? anne ambiguum est, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Basilium, Chrysostomum, cæterosque optimos, ac præstantissimos viros, quos Catholici et veneramur et agnoscimus, vera Ecclesiæ Christi membra fuisse? At illi stant à nobis universi, Lutheranis universi repugnant; quod facillimum est ostendere. Sed quid ego stultus, qui suadere velim, Lutheranos hæreticorum more cum Ecclesiâ Christi bellare? Quasi verò difficile esset, causis evidentibus, ac necessariis addicere, hos neque in apostolicâ, neque in catholicâ, neque in sanctâ, nec in unâ Ecclesiâ esse. Nihil sanè facilius esset, nihil explicatius, nihil promptius, si hujus esset aut loci aut temporis. Nimirùm, quibus omninò rebus cum Donatistis Augustinus egit, ut eorum animos ad veram notionem Ecclesiæ unius, sanctæ catholicæ, atque apostolicæ revocaret, iisdem nos Lutheranos vincere nullo negotio et labore possumus. Atque si res ipsæ, quæ tamen in manu nostrâ sunt, in hâc nos pugnâ desererent, at cognomina Catholici ac Lutherani apertissimè planissimèque demonstrant veram germanamque Ecclesiæ notam et characterem habere nos, illos non habere, quamvis Ecclesiæ nomen fingant, simulent, obtendant. Sicubi, ait Hieronymus adv. Luciferianos, audieris eos, qui dicuntur Christi, à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Pelaganios, etc., scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam. Quo eodem discrimine Augustinus, lib. 1 cont. Crescon., atque Epiphanius, hæres. 70, hæreticos à Catholicis distinguendos esse docuerunt. Cùm itaque Lutherani cognomen ex Luthero traxerint, planum et expeditum est, eos à communi fide, atque Ecclesiâ catholicâ, in privatam et singularem hæresim abiisse. Nobis autem super terram nullus fidei magister est; unus cœlestis est Christus, à quo Christianorum cognomen est, quod habemus ex illo hæreditarium. In Christi igitur Ecclesiâ sumus, de quâ hæc ut brevissimè dici potuerunt, ità à me dicta sunt. Nunc ad reliquos locos ex ordine instituto progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo (1).

(1) Plura in hoc libro, sicut in tribus sequentibus adnotare, alia superaddere, poteramus: sed hæc remittenda esse censuimus ad Tractatum de Ecclesiâ, ad quem pertinent. — P. S.

DE AUCTORITATE CONCILIORUM,

QUÆ QUARTO LOCO EST POSITA.

LIBER V (1).

CAPUT PRIMUM.

Argumenta continet, quibus hæretici utuntur ad hujus loci auctoritatem labefactandam.

Post Ecclesiæ auctoritatem auctoritas conciliorum sequitur, quam hæretici plurimis argumentis oppugnant. Illud primum est, quòd Ecclesia columna est et firmamentum veritatis. At in synodum soli cardinales et episcopi veniunt, qui et numero pauciores sunt, nec auctoritatis pondere, hoc est, nec virtute, nec sa-

(1) Quæ de conciliis hìc disseruntur, ad Tractatum de Ecclesiâ spectant, ubi opiniones tùm Ultramontanorum, tùm Gallicanorum exponentur: ex quibus enucleabuntur quæ aliter in hoc libro essent notanda.

pientiâ graviores; non ergò synodus regula credendi Ecclesiæ est, sed contrà, Ecclesia synodo.

Deindè pontifices et Pharisæi collegerunt concilium, cujus sententia impia fuit, ut Joannis capitulo 11 legitur; non ergò semper synodi sacerdotalis judicium probandum est. Sicut enim principes sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contrà Jesum, Matth. 26, et omnes principes sacerdotum, et seniores populi adversùm Jesum consilium inierunt, Matth. 27, ità et episcopi ac pontifices nostri contrariam Jesu Christo sententiam ferre possunt.

Præthereà, si veritatem episcopi tenent, et falli non queunt, id ex divino aliquo pacto proficisceretur. At pactum hoc nusquàm apparet, atque ut appareat, haud aliter interpretandum est, quàm illud, quod cum Levi olìm et posteris ejus Dominus iniit: *Pactum meum,* inquit, Malach. 2, 5 et seq., *cum Levi. Lex veritatis fuit in ore ejus, et iniquitas non est inventa in labiis ejus; in pace et æquitate ambulavit mecum, et multos avertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de viâ, et scandalizâstis plurimos in lege; irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum.* Item, Dan. 9, 4: *Obsecro, Domine, custodiens pactum custodientibus mandata tua.* In quæ verba Hieronymus: « Non ergò, ait, quod pollicetur Dominus, statim futurum est, sed in eos sua promissa complet, qui custodiunt mandata illius. » Undè constat, pactum retinendæ veritatis quondàm cum sacerdotali tribu initum per posterorum culpas irritari. Quo fit, ut at eumdem quoque modum, si Apostolis, et succedentibus omninò pontificibus veritas à Christo promissa est, eamdem tamdiù sint servaturi, quamdiù id non suis peccatis egerint, ut veritate destitui mereantur. Alioqui, ut Hieronymus in hunc Malachiæ locum ait: « Ad sacerdotem quidem pertinet disciplinam, interrogatos respondere de lege, sed si ignorantiam in cæteris diligentem in Scripturis sanctis obtenderint negligentem, frustrà jactant dignitatem, cujus opera non exhibent. » Atque idem etiam Hieronymus scribit, falsò sacerdotes illa jactare, Jerem. 18, 18: *Non peribit lex à sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Prophetâ*, cùm Scriptura dicat: *In perversam animam non intrabit sapientia.* Et per Ezechielem, cap. 7, 26, Dominus: *Quærent*, ait, *visionem de Prophetâ, et lex peribit à sacerdote, et consilium à senioribus.* In quæ verba idem ipse Hieronymus: « Hæc autem, non solùm eo tempore, quandò Babylonius contrà Hierusalem veniebat exercitus, à prophetis, sacerdotibus et senioribus quærebantur, sed quotidiè in Ecclesiis requiruntur. Quæ si visionem, legem, consiliumque perdiderint, frustrà prophetas, et sacerdotes, et seniores habere se jactant. » Adde hùc illud Jeremiæ, cap. 2, 8, testimonium: *Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus? et tenentes legem meam nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal.* Quibus verbis utendum esse adversùs nostri ordinis magistros, Hieronymus in Commentariis auctor est. Adde illud etiam Isa. 56, 10: *Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. Ipsi pastores ignorârunt intelligentiam, omnes in viam suam declinaverunt.* Quibus ex rebus facilè intelligitur, non esse fidendum pastorum sacerdotumque judiciis, præsertìm si illis Dominus iratus est. Si ergò illi solùm in concilium coguntur, concilium profectò errare potest.

Præthereà conciliorum auctoritas illo potissimùm testimonio probari solet, Matth. 18, 19: *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* At hoc testimonium probaret æquè, provincialium synodorum certa esse judicia, quod à rectâ fide alienum esse cùm ex aliis, tùm verò magis ex concilio Carthaginensi sub Cypriano constat, in quo non duo vel tres, sed octoginta episcopi congregati, contrà orthodoxam de unico Baptismo doctrinam erravêre (1); synodorum ergò veritas infirmo, aut nullo potiùs fundamento nititur. Atque in eo testimonio his tantùm conciliis se affuturum promisit Christus, quæ in nomine ipsius convenirent. Primùm ergò fidem faciant se coire in Christi nomine: nam fieri potest, ut improbi episcopi adversùs Christum conspirent. Deinde nihil verbo Dei addant, aut detrahant; illis enim hæc lex præscripta est.

Ad hæc, concilium Ariminense sexcentorum episcoporum erravit cum Ario, Ephesinum secundum etiam frequentissimum cum Dioscoro, Constantinopolitanum verò trecentorum pontificum cum Leone imperatore. Concilia igitur quàmlibet generalia nullum argumentum firmum theologis subministrant.

Sexta item synodus apud Trullum celebrata non unum, sed multa peccavit, ut videre est canone secundo, tertio, decimo tertio, quinquagesimo quinto et sexagesimo septimo. Errare igitur in fide et moribus concilia possunt.

Albertus insuper Pighius, vir doctus et pius, multis argumentis ostendit, acta, quæ nomine sextæ, et septimæ synodi circumferuntur, varios errores continere. Non igitur conciliorum etiam generalium fides adeò certa est, ut in dubium vocari non debeat.

Præthereà, concilium Constantiense definiit concilium esse suprà papam, Florentinum autem sub Eugenio IV, et Lateranense sub Leone X, contrarium dogma

Id solùm animadvertimus, Canum pluribus in locis non satis attendisse ad efficaciam consensûs Ecclesiæ dispersæ; eumdem etiam auctorem pluriès annotâsse, et meritò, ut factum insigne, videlicet, nihil unquàm admissum fuisse ab Ecclesiâ, nihil in eâ invaluisse, quod summi pontificis confirmatione caruerit. Quandoquè etiam dicit auctor concilium *generale* posse errare, quod intelligit, ubi caret summi pontificis confirmatione. Sed id malè sonat auribus catholicis. Potiùs dicendum esset, in sensu ultramontano, concilium nullum *generale* dici posse, absque summo pontifice consentiente. — Vide potissimum Salmon: *Traité de l'étude des conciles*, etc. P. S.

(1) Quæ quidem constant ex August. de Bapt. contr. Donat., lib. 1, cap. 18; Ruffin. lib. 10 eccles. Hist., cap. 21; Leon. epist. 12, 13, 21, 22, 23, 24, 26.

finierunt; conciliorum ergò auctoritas infirma est.

Rursùm concilium Basileense definit esse hæreticum qui negaverit, concilium esse suprà papam, aut asseruerit papam transferre in alium locum posse concilium, aut in aliud tempus prorogare. Et tamen nemo tàm insanus post ea tempora fuit, ut sententiæ contrariæ auctores hæreticos existimaverit; conciliorum ergò judicia incertiora sunt, quàm ut certam fidem facere possint.

Præterea Augustinus, lib. 2 de Baptismo contrà Donatistas, cap. 3: « Plenaria concilia, inquit, sæpè « priora à posterioribus emendari. » Id quod certè non fieret, si semper veritatem assequerentur. Sed et Isidorus, quinquagesimâ distinctione, capite *Domino*: « Quotiescumque, inquit, in gestis conciliorum discors « sententia invenitur, illius sententia concilii magis « teneatur, cujus antiquior et potior exstat auctori« tas. » Non igitur conciliorum decreta certa sunt omnia, sed interdùm varia sunt, atque adeò inter se pugnantia.

Præterea, cùm concilium dicitur errare non posse, aut intelligitur mutilum sine capite, aut integrum interveniente etiam capitis auctoritate. Si mutilum, erravit aliquandò, ut Catholici ultrò ipsi fatentur; sin integrum, frustrà ad fidei quæstionem finiendam congregabitur, cùm romanus pontifex sine generali concilio ritè de fide pronuntiet, quemadmodùm loco proximo sumus demonstraturi. Aut igitur conciliorum dogmata incerta sunt, aut vanè profectò congregantur. Id quod Gregorius Nazianzenus in epistolâ ad Procopium, quæ est numero centesimo secundo, planè testatur in hæc verba: « Quodcumque episcoporum con« cilium fugio, propterea quòd hactenùs nullius omninò « synodi finem aliquâ utilitate præditum, et undè res « malè habentes non magis exacerbatæ, quàm curatæ « fuerint, videre licuit. »

Postremò, Œcolampadius argumentatur ex concilio Romano sub Nicolao, ubi Berengarius, ut inquit, coactus est adjurare in verba falsissima, quæ nec Roffensis libro tertio contrà Œcolampadium, cap. 12, nec Cajetanus in libello de Cœnâ Domini ab errore liberare potuerunt. His atque aliis argumentis contrà hujus loci auctoritatem hæretici pugnare solent. Lutherus autem more suo rem nullâ argumentatione, sed solâ assertione conficit, inquiens in lib. de Capt. Babyl.: « Sæpiùs « erraverunt concilia, præsertim Constantiense, quod « omnium impiissimè erravit. » Et in quâdam ad populum concione, concilium primum, cui Apostoli et eorum discipuli interfuerunt, errâsse ait, eò quòd senserint legem et opera necessaria esse ad salutem. Sed enim hunc nos locum et confirmare, et tueri semper oportet, nec ex verâ Ecclesiæ sententiâ falsâ ullâ ratione moveri.

CAPUT II.

Docet quidnam nomen aut synodi, aut concilii hoc sanè loco significet.

Nihil dubium erat, quin synodi vel concilii nomine, eadem quippè res est, patres semper nostri intellexerint sacerdotes, præsertim episcopos, in locum unum congregatos, ut causas eas scilicet definirent, quæ ad Ecclesiæ sive fidem, seu mores pertinent. At Lutheran novum concilium volunt, omnibus retrò seculis inauditum, ubi de fidei quæstione judicent non episcopi et sacerdotes, sed rhetores, et laicorum turba, qui non vià et ratione, sed verbis et clamore prævaleant. Verùm hujusmodi errorem facillimum est eripere.

Tota enim fidelium Ecclesia congregari non potest, et, ut posset quidem, non expedit tamen, ut ad indisciplinatum vulgum disciplinæ nostræ controversiæ referantur. Quòd si ad rempublicam vel in pace, vel in bello continendam stultum esset concitatæ et ineruditæ plebis consilium requirere, stultum quoque est, ac multò etiam magis, velle ut in gravissimis de fide quæstionibus populi consensionem atque judicium requiramus. Ac si populus in rebus temporariis tutò et prudenter magistratuum curæ, diligentiæ, consilio sese tradit, nec ferendis legibus quidquam sibi aut consilii aut auctoritatis vindicat, cur plebem hi Christianam incitant, ut suis nolit rectoribus se committere, sed pergat in consessum illum admitti, ubi causæ omninò publicæ non à privatis hominibus, sed à publicis Ecclesiæ magistratibus transigendæ sunt? Non sumus, inquiunt, adeò rudes et tardi, ut velimus aut totam plebem in concilium cogi, quod esset amentiæ, aut doctrinæ quæstiones ad indoctum vulgus referri, quod esset stultitiæ; sed id cupimus, quod et meritò et optimo jure cupimus, ut nec sacerdotes imperiti in concilium veniant, et si qui laici sacrarum litterarum periti sint, sunt autem plurimi, hi ad synodum evocentur; et sive sacerdotes, sive laici, deligantur viri prudentià ac sapientià celebres, quorum consilio res omnes Ecclesiæ, publicaque negotia gerantur. Quoniam non decet, ut in his, quæ religionis sunt, irreligiosus episcopus laico pio anteferatur: aut in his, quæ sunt doctrinæ, laico docto antestet sacerdos indoctus.

Sed quod de ignaris episcopis calumniantur, id in confutatione argumentorum explicabimus: nam et hoc primo jam capite inter cætera objectum est. Quod verò dicunt, selectos è plebe viros in synodum cogendos esse, errant in eo turpissimè, nec intelligunt, qualis sit reipublicæ christianæ facies et forma à Christo instituta. Quà de re satis abundanter multis voluminibus ab Alberto Pighio, aliisque Catholicis disputatum est. Nunc verò cum Lutheranis ego non pugno, utrùm omnes fideles sacerdotes sint; non, utrùm feminæ à Christo sint ad Ecclesiæ munia et sacrorum administrationem admissæ; quoniam hujusmodi quæstiones non sunt præsentis operis instituti. Tantùm dico, non feminas, non laicos, sed solos sacerdotes et episcopos oportere in concilium cogi: *Veniam*, inquit Dominus Moysi, Exod. 19, 9, *ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, et credat tibi in perpetuum. Descende, et contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos, et pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, et ascendes tu, et Aaron tecum*, etc. In hanc ergò formam Christus per episcopos et sacerdotes populum christianum instituit; nec plebeii ascendere ad consultandum

cum sacerdotibus debent, sed præscriptis terminis contineri.

Sed ais : Moyses sacerdos non erat, et tamen ille docebat populum, religionisque quæstiones finiebat. At primùm nego Moysen sacerdotem non fuisse. *Moyses*, inquit, *et Aaron in sacerdotibus ejus*, Psalmo nonagesimo octavo. Item non modò obtulit Deo munera et immolavit, verùm etiam Aaron et filios ejus consecravit. Sacerdos igitur erat. Illud Levitici octavo disertè explicatum est. Deindè dato mihi legislatorem alium, dato ducem et prophetam à Deo constitutum, dato hominem, cujus verbis Deus tantùm auctoritatis dederit, et tunc ego fortassè dicam, ejusmodi virum, etiamsi laicus sit, cum sacerdotibus consulendum. Sed illud uni Moysi concessum est. Transferri itaque passìm in alios non debet. Nam quod propriè in controversiis finiendis legislator ipse præscripserit, planum in lege et expeditum est : *Si difficile*, ait Deut. 17, 8, *et ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad sacerdotes Levitici generis*, etc., *sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram nec ad sinistram.* In ambiguis ergò quæstionibus ad sacerdotes populus habet currere, in eorumque judicio requiescere. Adde hùc illud Aggæi, cap. 2, 12 : *Interroga sacerdotes legem.* Adde etiam illud Malachiæ, cap. 2, 7 : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Nec in veteri Testamento solùm ea præscripta forma est in controversiis finiendis præcipiendâque doctrinâ, sed in novo etiam asservatur, ut in utrâque juxtà re populus ab episcoporum sacerdotumque labiis et judicio pendeat. Nam, quòd ab episcopis percipienda Evangelii doctrina sit, testis est Paulus ad Ephes. 4, inquiens : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores.* Quo loco Paulus, cùm Apostolos, Prophetas, Evangelistas quasi in tres classes distribuisset, pastores tamen et doctores severè sanè atque prudenter re ipsâ confusos, solâ cogitatione distinxit, ut iidem esse in Ecclesiâ, qui et pascerent, et docerent, intelligerentur. Sed in his verbis lapsa consuetudo deflexit de viâ, sensìmque eò deducta est, ut alios pastores, alios doctores intelligeret, quâ nulla pernicies major Christianorum vitæ potuit afferri. Apostolus autem penès episcopos ut regendi, ità quoque pascendi ac docendi auctoritatem esse voluit : *Attendite*, inquit, Act. 20, 28, *vobis et universo gregi, in quos vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et rursùm ad Timotheum Epist. 1, 2, 3, et Titum 1, 9, non alios episcopos, alios doctores, sed eumdem episcopum doctoremque præscripsit. Ac per Jeremiam, cap. 3, 15, Dominus : *Dabo*, inquit, *pastores, qui pascent vos scientiâ et doctrinâ.* Doctrina igitur evangelica à pastoribus Ecclesiæ expectanda est, quos et episcopos esse, et doctores tradidit Paulus. At verò, quòd episcoporum ac sacerdotum etiam sit fidei de contròversiis decernere, Act. 15, tradit Lucas. Cùm enim venissent Paulus et Barnabas, et quidam alii, Hierosolymam, suscepti quidem sunt ab Ecclesiâ, quæ erat Hierosolymis, sed cùm proposita esset quæstio, *convenerunt*, ait, non feminæ, non juvenes, non laici, sed *Apostoli et presbyteri videre de verbo hoc.* Quòd si Petrus, ut mentes Antiochenorum dubitantium synodi auctoritate firmarentur, non fideles omnes, sed solos presbyteros cum Apostolis congregandos existimavit, quid est, quòd nos in Ecclesiæ gravissimum cœtum mulierculas, lanios, coquos, sartores convenire cupiamus? Scimus enim, apud Luthera os hujusmodi multos sacrarum sibi litterarum scientiam assumere. Præthereà, cùm in dubium venit, quænam pascua sint ovibus permittenda, quæ contrà vitanda, pastorum ea consultatio est, non ovium. Ecclesiæ igitur pastoribus hujusmodi causas Dominus demandavit. Prætereà claves regni cœlestis Christus non vulgo passìm, sed Apostolis, eorumque successoribus concessit, ut in cap. *Firmiter de sum. Trin.* dicitur; nec enim quæ alterius et loci et temporis sunt, ea nunc probare debemus; in clavium autem potestate eædem res sunt, aperire et solvere, et claudere et ligare, quemadmodùm vel ipse Christus Matth. cap. 16 explicuit. Solvere ergò quæstiones circà fidem exortas, ligareque fideles expleto jam judicio ad credendum non quorumlibet est, sed eorum tantùm, qui ut claudendi et aperiendi, ità ligandi solvendique auctoritatem habent.

Confirmat autem hoc vel maximè, quòd ea impedimenta tollere, quibus janua regni cœlorum clauditur, clavium munus est proprium. Ignorantiam igitur fidei, quæ sine dubio in ejusmodi impedimentis est, ita propriè tollent, quibus claves concessæ sunt. Accedit ad hæc, quòd Apostolus ad Rom. 10, cœlos esse intellexit Apostolos, cùm eis illud aptavit : *In omnem terram*, etc. Apostolorum ergò, et eorum qui Apostolis successère, proprium erit illustrare cæteros, ac vi suâ populum continere. Quòd si cœli illustrationes tollis, quibus omnia, quæ terra parit, maturata pubescunt, infœcunda hæc maneat necesse est, ac verè juxtà nomen suum arida. Atque etiamsi tenebræ operient terram, et caligo populos, non has alii discutient, quàm quibus à Christo dictum est : *Vos estis lux mundi.* Qui verò, quod superiorum est munus, inferioribus in Ecclesiâ tribuunt, hi similes sunt, ut si qui aut in terrâ vim illustrandi ponant, aut in pedibus vim cernendi. Sed quoniam de his fusiùs et accuratiùs ab aliis disputatum est, satis fuerit hæc nos pauca breviter attigisse. Nec est profectò cur majorem in hâc re lucem desideremus, quam non ratio modò, sed perpetuus etiam Ecclesiæ usus fecit esse perspicuam. Non enim patrum memoriâ nisi episcopi et presbyteri in concilium vocantur; nec hi omnes, sed qui pastores Ecclesiæ et rectores sunt. Episcopi enim, quos anulares nostri vocant, sine causâ aliquandò in synodum sunt admissi. Sed nihil mirum. Nam et sine causâ in Ecclesiâ sunt. Verùm hæc aliàs.

Nunc complectar quod proposui brevi. Sanè, nisi me opinio fallit, sicut nec simplices presbyteri, ità nec anulares isti episcopi quidem in synodum cogendi sunt. Totum quippè ecclesiastici concilii negotium non ordinis, sed jurisdictionis potestate transigitur. Ferre namque sententiam, solvere aut ligare, absque jurisdictione nemo potest. Constat autem, Patres in synodo aut leges de moribus dare populo, aut de fidei quæstionibus judicare, quorum neutrum sine ligandi, solvendique

jure sacerdos facit. Sed hæc utcumque habeant, errant certè in mediâ luce Lutherani, qui synodum aliter quàm episcoporum et sacerdotum collectione definiunt; errat quoque turpiter puerilitèrque Bucerus, cùm ait, in synodum Ecclesiæ non debere cogi, nisi Dei filios. Primùm enim, si solùm Dei filii synodum Ecclesiæ faciunt, quæro an convenire debeant ultrò nec vocati, an potiùs futurus sit aliquis, cujus evocentur imperio. Si vocati in concilium veniant, ecquis, rogo, ille futurus est, qui veros Dei filios internoscat? Sin ultrò veniant, quisque ergò de se judicium feret, et suæ bonitatis opinione fretus in concilium sese ingeret. Sed ut de se conjecturam habeat, quomodò reliquos justos esse et sanctos intelliget? Atque ut hujusmodi hominum insaniam apertiùs deprehendas, finge in republicâ unâ quâlibet cives, qui suâ et spontè, et auctoritate se congregent ad censendum de legibus, de magistratibus, de religione, idque eò quisque audaciùs, quò magis virtuti suæ et studiis fidit. Nùm talis reipublicæ forma et species, non à Solone dico, aut Lycurgo, sed ab ullo omninò cordato homine probaretur? Non igitur ea confusio ac perturbatio in Ecclesiæ synodum inferenda est, quam ne in vicis quidem et oppidulis homo sanæ mentis admitteret. Nisi fortè in illam insaniam recidamus, ut putemus, hominem, simul atque Dei filius esse desierit, potestate quoque regendi, pascendi, judicandi, ligandi, solvendi iri destitutum. Quod quidem quale sit, non est hujus operis ostendere; sed in republicâ prophanâ animadverti potest, ubi civium tamen vel probitas, vel improbitas non adeò obscura est, ut non queat aliquandò facilè deprehendi; id quod in christianâ republicâ non perindè facile est, cujus scilicet præcipua virtus, quâ filii Dei et nominantur et sunt, occultissima est. Non enim qui in manifesto Judæus est, nec quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Judæus est, et circumcisio cordis in spiritu, non litterâ, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. Quamobrem si charitate amissâ potestas item publica amitteretur, dici non potest, quantis tenebris Ecclesia esset circumfusa. De quo argumento et nos superiore libro disseruimus, et alii plerique disseruerunt multò copiosiùs; nos quasi prætereuntes hæc diximus, ut lectores intelligant, quod ad præsentem locum satis est, episcopos etiam malos in synodum congregandos, ut qui potestatem pascendi, judicandi, ligandi, solvendi non amiserint. Lutheranos itaque ab hoc quidem sermone removeamus: ipsi autem intelligamus, synodi ecclesiasticæ nomen non quosvis, sed pastores et pontifices Ecclesiæ complecti in unum locum congregatos, ut de causis ecclesiasticis, hoc est, de moribus, fide, religione pronuntient.

CAPUT III.

In quo synodorum varia genera ponuntur.

Quorum hominum conventum synodus ecclesiastica præ se ferat, satis explicatum arbitror capite superiore. Nunc vocabulum partiendum est, ut singula conciliorum genera quidnam veritatis et auctoritatis habeant, videamus. Et quidem Gratianus, dist. 3. c. *Regula*, synodos bifariàm partitur, in generales et provinciales. Hâc autem divisione, cùm præterire aliquid maximum vitium in dividendo sit, unum prætermissum est. Nec enim solùm generales et provinciales synodi sunt, sed etiam episcopales. Ità, si placet, nominemus, fabricemurque, si opus erit, verba. Sunt enim rebus novis, ut Cicero tradit, nova ponenda nomina. Quamvis sit recens quidem illud, sed perceptum tamen usu à nostris, tritumque non à barbaris modò, verùm etiam à Latinis. Concilia equidem generalia voco, quæ omnium christianorum pontificum convocatione celebrantur. Inter multos autem sæpè disceptatum est, an generalis convocatio satis sit, an etiam sit necessaria congregatio generalis. Si enim summus pontifex concilium generale indiceret, non congregarentur tamen nisi soli decem ex Italiâ pontifices, hujusmodi profectò synodus non est cur generalis videatur. At contrà, si necesse est episcopos omnes congregari, primùm nullum fortè in Ecclesiâ tale adhùc concilium fuit, in quod episcopi universi convenerint. Deindè pessimus quisque episcopus, dùm non solùm per negligentiam, sed per malitiam synodo adesse contempserit, generalem non esse calumniabitur: et princeps in republicâ quilibet si illi synodus displicuerit, interturbare eam minimo negotio poterit, causarique episcopos suos vel morborum, vel tumultuum causâ concilio interesse non posse. Verùm, quoniam omnes hujusmodi controversias persequi non est operis instituti, huic quæstioni breviter respondemus. Non satis est quidem ad concilium generale, si evocatio generalis est, quandò adeò pauci congregantur, ut major meliorque provinciarum pars relicta esse videatur; præsertìm si causa legitima sit, cur episcopi synodo non affuerint. At si per malitiam hominum pessimorum una et item altera provincia desit, non propterеà concilii generalis nomen amittitur. Sed ne, si per negligentiam quidem, aut aliam occasionem quamlibet, episcopi aliquot desint, nominis sui jacturam generale concilium faciet, nisi in dubium vertimus, an concilia illa quatuor, Nicænum, Ephesinum, Constantinopolitanum, Chalcedonense, generalia sint. Quamobrem ut fideles, ità nós hoc loco loquimur, ut synodum generalem omnium episcoporum evocatione legitimâ finiamus, licèt non sit omnium congregatio. Communi enim fidelium sensu agendum est, cùm de rebus vocibusque Ecclesiæ loquimur. Idque eodem modo fecerunt sapientes. Nec satis est tamen ad generale concilium evocatio generalis, nisi sit etiam generalis congregatio. Sed ad generalem congregationem omnium episcoporum congregatio non requiritur. Neque hìc definimus nisi id, quod frequens in Ecclesiâ est. Scimus enim concilia generalia sine evocatione celebrari aliquandò posse; sed id perrarum, atque adeò præter artem est. Verùm de his posteà diligentiùs. Nunc ad reliquas partes propositæ divisionis revertamur. Provincialia concilia sunt, cùm à metropolitano vel primate omnes unius provinciæ aut etiam regni pontifices evocantur. Episcopalia sunt synodi sacerdotum, quæ ab episcopis singulis in suâ diœcesi haberi modò solent ob privatas singularum ecclesiarum causas. Nam synodi hujusmodi, præser-

tùm in Hispaniâ, non erant in usu olìm, nisi ob eam causam, quæ decimâ octavâ distinct., cap. postremo, exprimitur.

Hâc divisione positâ, ex omnium consensu approbatâ, altera assumitur, conciliorum, sive generalium, sive provincialium, seu episcopalium quædam esse congregata romani pontificis auctoritate, alia verò non item; rursùm alia confirmata ab eodem romano pontifice, alia verò non ab eo confirmata. Nam concilium Ephesinum secundum, auctore Leone coactum est quidem, sed non est à Leone, aut alio quovis summo pontifice comprabatum. Basileense quoque Eugenius IV indixit, nec tamen confirmavit. At Constantiense, quamvis à principio nullius romani episcopi auctoritate congregatum fuerit, confirmavit illud tamen Martinus V, pontifex maximus. Concilium item Milevitanum, quod et Innocentius, et Cœlestinus probaverunt, sine auctoritate summi pontificis coactum fuit. Cùm ergò, quam Gratianus duplicem putavit esse rationem, in tres partes distribui debere reperiatur, et singulæ trium, bis distribuantur in duas, primùm est de generali concilio, sed dupliciter, tùm pari ratione de provinciali, post de episcopali disserendum.

CAPUT IV.

Ubi conclusiones ponuntur, quibus loci hujus auctoritas continetur.

His sumptis, prima conclusio sit: Concilium generale, quod auctoritate romani pontificis nec congregatum, nec confirmatum est, errare in fide potest. Hanc conclusionem manifestè probat error concilii Ariminensis et Constantinopolitani sub Leone imperatore, quem hujus loci auctoritati in quinto argumento capitis primi objiciebamus. Id ipsum quoque ostendit Gratianus, decimâ septimâ distinctione, capite *Regula;* et capite *Multis,* Julii et Pelagii clarissimis testimoniis. Idem definit Damasus in epistolâ ad Stephanum archiepiscopum, et tria concilia Africana, quæ in epistolâ ad eumdem Damasum hoc ipsum confessa fuerant. Non est quippè verum, ratumque concilium, quod auctoritate episcopi romani caret, quemadmodùm non ii solùm pontifices, sed concilia etiam tradiderunt. Tradidit septima synodus, actione sextâ, tomo primo, et octava synodus, actione primâ, et septimâ, et synodus Romana sub Symmacho, distinctione 96, cap. *Benè*, et synodus nonaginta episcoporum sub Damaso; historia Tripartita, libro quinto, capite vigesimo nono, et concilium Lateranense sub Leone decimo, sessione undecimâ, ubi eadem res dicitur in synodo Alexandrinâ definita. Ità Socrates, libro quarto historiæ Tripartitæ, capite 9, tradit regulam ecclesiasticam jubere, ut concilia ejusmodi præter sententiam romani pontificis non celebrentur. Id quod Julius in epistolâ ad Orientales dixit fuisse à Nicænâ synodo definitum, et Marcellus in epistolâ ad Antiochenos hoc ait Apostolos statuisse. Videlicet ejusmodi concilia non solùm infirma in Ecclesiâ fuère semper ad fidem veritatis faciendam, sed conventicula propemodum fuère iniquitatis, et tristes atque adeò exitiales exitus habuerunt. Mentiri verò ait Buccerus eos, qui affirmant, non licere sine romani pontificis assensu concilium cogere. Id autem primùm Eusebii et historiæ Tripartitæ testimoniis confirmat. Deindè: « Est Canon inquit, Nicæni concilii de synodis « habendis. Sunt quoque canones apostolici qui quot- « annis binas synodos in provinciâ quâlibet præscri- « bunt. Asserit autem firmum ac ratum esse quidquid « in hujusmodi conciliis statuitur pro veritate contrà « mendacium, ità ut ne à summo quidem pontifice re- « scindi possit. »

Sed hujus hominis impudentiæ quis poterit sine stomacho respondere? Principio namque illud impudentiæ quantùm est, quòd historiam Eusebii et Tripartitam nobis objicit, in quibus contrà nos refertur nihil, pro nobis multa! Quid illud alterum, quòd Nicænum concilium, et canones Apostolicos opponit, in quibus de synodis provinciarum sermo est, quas summi pontifices pro rectâ Ecclesiarum institutione et administratione præscripserunt? Nos autem de synodis generalibus loquimur, quas sine summi pontificis assensu cogere non aliter accipiendum est, ac si regni primarii sine principis assensu, atque adeò illo repugnante cogerentur. Illud verò quale est, firmum esse velle quidquid in his synodis statuitur? *Pro veritate*, ait, *contrà mendacium.* Scilicet, si pro veritate est, ubicumque statuatur, accipiendum est. Sed quid nos certiores reddet, pro veritate esse quæcumque à synodis provinciarum decreta sunt? Verùm de his hactenùs. Nam in quartâ conclusione fusiùs isthæc explicabuntur.

Secundò, concilium generale, etiam congregatum romani pontificis auctoritate, errare in fide potest. Hoc demonstratur apertè exemplo concilii Ephesini secundi, ubi legatis Leonis repugnantibus episcopi fermè omnes Dioscori hæresi subscripserunt. Confirmat hanc luculentiùs Leo papa, in epistolis retrò citatis ad quintum argumentum, et synodus octava, actione septimâ, et Nicolaus ad Michaelem imperatorem, et Eugenius IV, in decreto super unione Jacobitarum, in quo posteaquàm Ephesinam secundam sub Leone congregatam condemnavit, quæ videlicet Eutychiano errori consensit: « Sus- « cepit, ait, sancta romana Ecclesia omnes universales « synodos, auctoritate romani pontificis legitimè congre- « gatas, ac celebratas, et confirmatas. » Non dixit congregatas solùm, sed celebratas, et confirmatas. Eadem res ostenditur exemplo quoque Basileensis synodi, cujus errorem in nono argumento capitis primi opponebamus. Sed de hâc re in responsione ad hoc argumentum latiùs. Prætereà nullum concilium ratum est, aut fuit, quod romani pontificis non fuerit fulcitum auctoritate, ut Julius, Damasus, Pelagius, aliique Patres in prioris conclusionis confirmationem allegati non obscurè tradiderunt; at quamvis concilium sit edicente pontifice summo coactum, si tamen non sunt ab eo concilii dogmata confirmata, sed potiùs vel is, vel ejus legati pugnârunt, tùm certè synodus non est fulcita apostolicâ auctoritate; non igitur rata, et firma erit, ac proindè ne idonea quidem, ut ex eâ fidem faciamus. Sed hæc conclusio capite proximo fusiùs explicabitur.

Tertiò, concilium generale confirmatum auctoritate romani pontificis certam fidem facit catholicorum dogmatum. Quam quidem conclusionem ità exploratam

habere opus est, ut ejus contrariam hæreticam esse credamus. Primùm, quoniam redibunt aliæ hæreses universæ conciliorum generalium auctoritate damnatæ : et symbolum quoque Nicænum erit ambiguum, concilii generalis auctoritate sublatâ. Deindè, si concilium hujusmodi errare in fide posset, nulla profectò certa via esset reliqua, ut in fidei controversiis catholicum dogma exploraremus. Qui enim summi pontificis, ac reliquorum omnium Ecclesiæ pastorum judicium detrectat, is nullum vivum judicem inventurus est, à cujus tribunali non liceat discedere. Volunt Lutherani judicem in concilio Scripturam esse, quæ nec sentit, nec intelligit, nec eloqui ipsa judicium valet. Lutherus ipse clamat illa verba : *Hoc est corpus meum*, propriè accipienda ; Zuinglius contrà figuratè. Quis sententiam dicet ? Nùm Scriptura ipsa? An potiùs judex Ecclesiæ summus cum concilio sacerdotum, quemadmodùm Deuter., cap. 17, scriptum est? Quòd si in judiciis humanis vivos judices quis recusaret in republicâ constitutos, et ad litteras mutas et inanimes confugeret, omnibus omninò modis exploderetur. Sed de his et diximus multa aliàs, et multa sæpè dicemus. Nunc ad propositum revertamur. Sanè conciliorum fide rejectâ, Scripturæ quoque bonam partem amittemus. Nam si quis Epistolam Jacobi cum Luthero à litteris canonicis expunxerit, per Scripturam hæc certè quæstio definiri non potest. Vivi ergò judices constituantur oportet. Quòd si pastorum detrectato judicio ad aliud tribunal provoces, nihil aliud profectò facies, quàm Christi et Ecclesiæ declinare judices, et pro divinis humanos substituere. Quoscumque nimirùm præter pastores Ecclesiæ delegeris, humanâ illi incertâque auctoritate pollebunt. Ad hæc vel populus fidelis tenetur stare definitioni concilii, vel potest etiam repugnare. Si tenetur, jam, errante concilio, populus in eodem errore versabitur. Sin repugnare potest, ubinam illud est : *Qui vos audit, me audit?* Ubi illud rursùm : *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi; quæcumque dixerint vobis, facite?* Aiunt : Si quæcumque dixerint nobis, ea facere jubemur, cur alio loco Christus cavere voluit à fermento Pharisæorum? Nam illud Matthæus Pharisæorum doctrinam interpretatur. Cur rursùm eorum traditiones exemplo etiam proprio contemnere docuit? Aliquid ergò doctrinæ propriæ puritati Evangelii admiscere possunt, in quo non solùm non sunt audiendi, sed etiam sunt refutandi. Id ergò præcavit Christus, ne plebs malis docentium exemplis ad contemptionem veræ doctrinæ inducatur. Tunc ergò quæ dixerint nobis Pharisæi, eadem facere jubet Christus, cùm super cathedram Moysi sederint, hoc est, legem Dei enarraverint, docuerint, proposuerint. Nam si sua doceant, eos negligere non solùm possumus, sed debemus, quemadmodùm Augustinus in Joannem non obscurè interpretatus est. Nihil ergò pastores evangelicæ illæ sententiæ juvant; quin cùm de suo loqui possint, possunt à nobis vel sperni. Undè Hieronymus in Matthæi decimo septimo capite, super illis verbis : *Non omnis qui dicit mihi*, etc. : « Sicut suprà, inquit, dixerat, eos, qui haberent vestem « vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam, ità nunc è contrario asserit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate « fidei, turpiter vivunt, et doctrinæ integritatem malis « operibus destruunt. » Sed isti, quod de mercenariis ab Augustino dicitur, id ad veros Ecclesiæ pastores vafrè malitiosèque traducunt, nec intelligunt, inter mercenarios veros semper in Ecclesiâ pastores esse, quorum vocem audire oves oportet, præsertìm si omnium eadem sit. Tunc enim pastorum vox, Ecclesiæ quoque vox, atque adeò Christi est. Alioqui, quidnam illud sibi vult, 1 Cor. 1, 10 : *Obsecro vos ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata.... Divisus est Christus?* Absit. *Non est dissensionis Deus, sed pacis*, 1 Cor. 14, 33. Ac reverà, ut hoc argumentum conferamus in pauca, si oves omnium pastorum unam eamdemque doctrinam sequantur, nihil culpæ in ovibus erit. Sequantur ergò (fac ità), et errantibus pastoribus universis oves item omnes errabunt. Quod superiore libro fieri non posse demonstratum est. Jam verò Hieronymus quid sibi velit, statìm indicat. Docet enim utrumque Dei servis necessarium esse, quò eis fides accommodetur, ut et opus sermone, et sermo operibus comprobetur.

Prætereà Martinus V, in concilio Constantiensi, inter reliquas interrogationes, quibus suspecti in fide sunt examinandi, eam etiam proponit : « Utrùm credant, « quòd quodlibet concilium generale universalem Ec« clesiam repræsentet. » Si igitur concilium generale universalis Ecclesiæ habet auctoritatem, qui illam de medio tollit, totius Ecclesiæ auctoritatem eâdem operâ dissolvit. Præclarum igitur illud Augustini est libro primo de Baptismo contrà Donatistas, cap. decimo octavo, plenarii concilii sententiam totius Ecclesiæ consensionem esse. Prætereà Paulo non alia via commodior visa est ad veritatem in quæstione exortâ vestigandam, quàm si ad concilium Hierosolymitanum controversia referretur. Eam igitur viam, quam Paulus ad fidei quæstionem terminandam aptissimam existimavit, nos ingredi et tenere debemus, eamque modestiam imitari, quæ et in Judæis, et in Gentibus à Lucâ, Actorum quinto decimo capite, describitur. Poterant enim Gentes cum concilio illo Hierosolymitano expostulare, quòd libertatem sibi à Christo datam eriperent, quòdque cæremonias nonnullas humeris discipulorum tanquàm necessarias imponerent, quæ minùs necessariæ esse videbantur, cùm Christi fides esset ad salutem idonea. Sed ne Judæi quidem repugnavêre, qui tamen concilii definitioni Scripturam possent opponere dicentem : *Homo, cujus caro præputii*, etc. Tantùm itaque honoris concilio deferentes, formam futuris servandam seculis exhibuêre, ut synodis Petri, successorumque ejus auctoritate firmatis certa fides haberetur. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto, et nobis.* Concilii ergò sententia Spiritûs sancti sententia ipsissima est. Accedit illa quoque causa quòd Ecclesia catholica conciliorum generalium decreta semper accepit, ab ipsisque habitos hæreticos, tales etiam esse sine dubio existimavit. Necessarium est igitur conciliorum tenere fidem, si Ecclesiæ fidem tenere volumus. Quæ res

libro etiam superiore magnis argumentis confirmata est.

Concilium provinciale non confirmatum à summo pontifice errare in fide potest.—Cujus rei exemplum habes in concilio Mediolanensi, libro 10 Histor. eccles. cap. 20, et in concilio Antiocheno 90 episcoporum, lib. 4 Hist. Trip. cap. 3, et in Seleuciano, lib. 1 Tripart. cap. 34, et in Carthaginensi, cujus inter arguendum mentionem fecimus. Hæc quoque conclusio non exemplis modò, sed testimonio etiam Symmachi, dist. 17, c. *Concilia*, comprobatur, inquientis : « Concilia sacerdotum ecclesiasticis legibus per provincias « decreta, quia præsentiam papæ non habent, valetu- « dinem perdiderunt. » Ità leges aut nimis duras, aut parùm rationi consentaneas à conciliis provincialibus interdùm editas non est negandum. Qualis illa fortassè fuit apud Aquisgranum, quæ refertur trigesimâ sextâ, quæstione secundâ, cap. *Placuit*. Illa rursùm non imprudenter modò, verùm etiam impiè à concilio Elibertino (1), cap. 36, lata est, de tollendis imaginibus. Quòd si generale concilium, cui auctoritas episcopi romani deest, errare in fide potest, errabit aliquandò, ac multò etiam magis synodus provincialis.

Concilium provinciale summi pontificis auctoritate firmatum in fide nequit errare.—Multorum autem hæreticorum damnatio esset incerta, si hæc conclusio certa non esset. Plerique enim hæretici non per concilia generalia, sed per provincialia sunt damnati. Ut, Priscillianus in concilio Toletano primo, Helvidius in concilio Thelensi, Pelagius in conciliis Milevitano et Carthaginensi. Quanquàm Pelagium in synodo etiam Ephesinâ damnatum, de Hæret. c. *Fraternitatis*, Gregorius tradit. Sed hæc sententia hodiè apud Ephesinum concilium non exstat. Deindè nec expedit, nec tolerabile est, singulis hæreticis condemnandis singulas generales synodos congregare. Cùm ergò Ecclesiæ suæ Deus prospexerit in necessariis, nimirùm ad hæreses privatas in provinciis refutandas, concilia provincialia satis erunt, si erunt modò summi pontificis auctoritate roborata. Præthereà quoscumque ejusmodi concilia damnavêre, Ecclesia eos semper explosit : errare igitur illa in fide nequeunt. Quòd si possent, vel unum certè exemplum proferretur. At nullum omninò est. Nam quod Œcolampadius affert è Romanâ synodo sub Gelasio, ubi definitum esse ait, substantiam panis in Eucharistiæ sacramento manere, id commentitium esse loco proximo demonstraturi sumus. Nullius enim synodi illa sententia est, sed ne Gelasii quidem.

Præthereà, Symmachus papa, d. 17, cap. *Concilia*, tradit concilia provincialia quotannis per Ecclesiæ leges decreta, *quia præsentiam papæ non habent, valetudinem perdidisse* : ergò si præsentiam habent, valida erunt. In 7 item synodo, actione 3, cùm Theodoretus concilia generalia recepisset, statìm subdit : « Locales synodos « non aversamur, sed magìs amamus, amplectimur et « recipimus. Earum etiam divinitùs inspiratas cano- « nicas constitutiones, correctiones et legislationes « summâ observantiâ colimus. » Hanc autem Epistolam Theodori et Orientalium probat ipsa 7 synodus. Atque 8 synodus, sessione postremâ, canone 1, regulas, inquit, « quæ Ecclesiæ sanctæ tàm à sanctis Apostolis, « quàm ab orthodoxorum universalibus, necnon et lo- « calibus conciliis traditæ sunt, servare ac custodire « profitemur. Sed et omnes, qui Christiano censentur « vocabulo, damnationibus et justificationibus, quæ per « illas probatæ sunt, canonicè subjici decernimus. » Hactenùs 8 synodus. Cujus verba in iis maximè conciliis locum habere intelligenda sunt, quæ à summo pontifice sunt confirmata. Summus enim pontifex, ut sequenti loco demonstrabitur, in fidei judicio errare non potest. Conciliorum ergò provincialium decreta ad fidem pertinentia firma et certa sunt, si à romano pontifice confirmentur. Id quod Actorum capite 15, explicatum est. Quod enim ibi congregatum legitur, hoc non generale, sed provinciale concilium fuit. At non minor fides habita est Petro præsidenti, quàm si esset synodus generalis. Quâ ex re Erasmi calumnia retunditur. Cùm enim in annot. super Epistolam ad Romanos capite 5, dixisset, se non usquè adeò astringi synodo Milevitanâ, aliisque similibus conciliis provincialibus, subdidit : « Alioqui, si quis urgeat esse servanda « quæcumque in illis decreta sunt, proferam ex illis « dogmata quædam, quæ nunc Ecclesia damnat pro « hæreticis. » Hactenùs ille ; sed, ut diximus, Milevitanum concilium confirmatum est, ideò illo christianus urgetur. Illa verò, è quibus dogmata hæretica proferentur, confirmata non sunt. Ac de his aliam conclusionem adjicimus.

Ex conciliis provincialibus, licèt eis auctoritas episcopi romani desit, probabile quidem argumentum sumitur ad fidei dogmata suadenda.—Hujus rei vel illud abundè magnum argumentum est, quòd ex innumeris conciliis ejusmodi vix quinque aut sex reperiuntur, quæ à rectâ definiendi ratione ac viâ declinârint. Si ergo hujusmodi concilia rectam ut plurimùm fidem tenent, raró deficiunt : probabilissimum sine dubio est, quod ex id genus conciliis argumentum promitur. Atque certè, nisi sint peculiariter reprobata, communi Ecclesiæ vel silentio, vel etiam implicito consensu commendantur, si ad Ecclesiæ communem notitiam pervenerint. Non enim fit aliquo pacto vero simile, ut concilii provincialis toto orbe vulgati hæresim Ecclesia diù dissimulaverit. *Error* enim, *cui non resistitur, approbatur*, 83 dist., c. *Error*. Nec mihi concilium Elibertinum objicias. Nam in eâ parte quâ erravit, semper à Catholicis explosum est. Hæc ergò causa est vel maxima, cur Toletana, Arelatensia, Hispalensia, et alia similia antiqua concilia, licèt non expressè, implicitè tamen probata ab Ecclesiâ videantur, 16 dist., c. *Quoniam*. Nam Ancyritanum, Neocæsariense, Gangrense, Sardicense, Africanum et Carthaginensia à Leone IV confirmata sunt, 2 dist., cap. *de libellis*. Trullana quoque synodus quædam concilia provincialia probavit ; sed quantùm hæc Trullana approbatio valeat, posteà sumus fusè disputaturi. Nunc illud solùm asserimus, concilia, quæ à summo pontifice comprobata non sunt, non certum quidem illud, sed probabile tamen argumen-

(1) Primum confirmatum est à Leone ; secundum à Siricio ; tertium et quartum ab Innocentio et Cœlestino.

tum suppeditare ad fidei dogma corroborandum. Id quod ex Innocentio colligitur, 20 dist., c. *De quibus.*

Concilia episcopalia, si à romano pontifice in decretis fidei confirmentur, certum argumentum veritatis exhibent. — Si enim Toletana synodus, præsidente et confirmante Petri successore, in fide errat, non videtur causa esse, cur Romana synodus errare non possit. Item concilium provinciale à summo pontifice confirmatum certæ auctoritatis est; ergo et synodus episcopalis. Sed non venit in mentem alia episcopalis synodus in judicio fidei à romano episcopo confirmata, præter Complutensem sub Alphonso Carillo, archiepiscopo Toletano. Ubi damnatus est magister quidam Oxoniensis, qui falsò de clavibus Ecclesiæ et Pœnitentiæ sacramento sentiret.

Synodus episcopalis per se quidem in judicio hæresis probabilem fidem facere potest, certam non potest. — Illud prius expedire debemus, nam hoc posterius satis expeditum est. Illud ergò ostenditur ex cap. *Ad abolendam*, de hæreticis, ubi à Lucio III vinculo perpetui anathematis innodantur ii, « quos vel romana « Ecclesia, vel singuli episcopi per diœceses suas cum « concilio clericorum, vel etiam, si oportuerit, vici« norum episcoporum, hæreticos judicaverint. » Non ergò levis conjectura accipietur ex hujusmodi synodorum judiciis, quæ Lucius tanti fecit, ut pro excommunicatis habendos esse decreverit, quos eædem synodi hæreticos definierint. Nec me clàm est, quòd quidam viri docti hanc Lucii decretalem de deprehensis in manifestà hæresi interpretantur. Alioqui jus negant concilio episcopali, atque adeò provinciali, de hæresi judicandi. Id probant, quòd fides res est omnibus communis; quarè potestas censendi de fide hæresique contrarià non penès privatas Ecclesias, sed penès universalem Ecclesiam erit. Item suadent id ex cap. *Majores de baptis.* et ex capit. *Quoties*, 24, quæst. 1, ubi ejusmodi causæ ad solam Sedem apostolicam dicuntur esse referendæ, cùm illi speciali privilegio à Domino reservatæ sint. Ac post verba citata idem Lucius hoc videtur confirmare, inquiens : « Præsente « nihilominùs ordinatione sancimus, ut quicumque « manifestè fuerit in hæresi deprehensus, » etc. Loquitur ergò pontifex in casu, quo hæresis est manifesta. Sed mihi semper longè probabilior illorum sententia visa est, qui putant, eos planè et simpliciter anathematis vinculo per hanc Lucii decretalem alligari, quos vel romana Ecclesia, vel synodus provincialis, aut etiam episcopalis, hæreticos judicaverint, quamvis non sit hæresis omnibus manifesta. Primùm enim non dixit textus : *Quos hæreticos declaraverint*, sed. *judicaverint*. Alioqui, si declaratio illa rei manifestæ erat, non verum in causà fidei judicium, quorsùm eam rem ad episcopum cum concilio clericorum, et non magis ad theologos Lucius retulit, ut scilicet eos anathemate percelleret, qui à theologis eruditis hæretici declararentur? Deindè, si Lucius non propriè verbum illud, *judicaverint*, usurpavit, sed impropriè, pro eo quod est, rem manifestam exponere, cùm idem omninò verbum simul et ad Ecclesiam romanam, et ad episcopum cum clericis suis referatur, consequens fieret, ut etiam pari modo per Ecclesiam romanam non hæreticos judicatos, sed declaratos excommunicari à Lucio intelligeremus. At constat, vocem illam de Ecclesià romanà propriè et simpliciter intelligi : non est igitur, cùm ad synodum episcopi refertur, in alium sensum detorquenda. Adde, quòd multifariàm causa ejus, qui hæreseos insimulabatur, ad id genus synodos referri poterat. Primò ex Sedis apostolicæ commissione peculiari, ut de causà Priscilliani cognovit concilium Toletanum primum (Leo commisit), et de causà Magistri cujusdam Oxoniensis cognovit synodus Complutensis sub domino Alphonso Carillo, archiepiscopo Toletano (Sixtus IV commisit). Mox sine commissione pontificis speciali, id quod inquisitores modò faciunt, in hæresi quidem manifestà, sed ubi non erat manifestum, an reus esset hæreticus, vel quia non erat probatum et notum, eum propositionem hæreticam asseruisse, vel certè quia, etsi asseruisset, nondùm erat comperta pertinacia, sinè quà hæreticus nullus est. Postremò in hæresi non perindè manifestà, ut omnibus passim esset exposita, sed tali tamen, ut non esset necesse, aut ad concilium generale, aut ad apostolicam Ecclesiam referre eam, quòd periti theologi hæresim esse consentirent. Et in his omnibus casibus jus et olìm habebat synodus, et nunc habent ii, quibus fidei cognitio est mandata, pronuntiandi ac judicandi de causà fidei. Tametsi hujusmodi tribunalium judicia non adeò explorata sunt, ut falsa esse non possint non in re dubià solùm, interque viros doctos controversà, quo casu synodi locales non habent de hæresi pronuntiare; sed etiam in re quæ omnibus provinciæ theologis videretur manifesta, quo casu sine crimine usurpati judicii de causà fidei pronuntiant. In his ergò tribus casibus, licèt judicia hæc certa et firma in Ecclesià non sint, expedit tamen, ut, quoniam sunt valdè probabilia, maximì à fidelibus habeantur. Nec enim erit parùm Ecclesiæ noxium, si non interìm ab his perindè ut ab excommunicatis caveat, quos non Ecclesia romana modò, verùm etiam synodus aut provincialis aut episcopalis hæreticos judicàrint. Sed primam objectionem videamus. Causa, inquiunt, fidei omnibus communis est, atque adeò privatis judicibus non licet de eà sententiam ferre. Et læsæ majestatis, ac proditæ reipublicæ crimen cives universos tangit, et privati tamen judices de eo censere solent. Nam capitula illa quæ afferunt, intelligenda sunt, cùm res inter ipsos episcopos et viros theologos est ambigua, quemadmodùm Pelagius explicuit, 17 distinct., cap. *Multis*. Qui etiam sensus ex Deut. c. 17 manifestiùs habetur : « Si difficile, inquit, et « ambiguum apud te judicium esse perspexeris, et ju« dicum intrà portas tuas videris verba variari, surge « et ascende ad locum, quem elegerit Dominus, » etc. Nam illud quidem, quod Lucius addit, nihil militat adversùm nos. Non enim dixit : *Quicumque fuerit in manifestà hæresi deprehensus;* sed : *Quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus*. Vult autem, quod ibidem perspicuum est, ut nemo tradatur brachio seculari, nisi hæreticum esse constiterit. Ejusmodi enim

pœnæ, ut executioni mandentur, probationes exigunt luce meridianâ clariores. Sed de conciliorum auctoritate dictum est satis.

CAPUT V.

Ubi nodi quidam solvuntur, quibus interdùm homines etiam docti illigari solent.

Quibus rebus expositis, nihil aliud superesse videbatur, nisi ut argumenta refelleremus, quæ à principio sunt posita. Sed paranti mihi eas objectiones refellere, objecerunt se scrupuli aliquot, quos priùs convenit excutere, quàm ad alia pergamus, ne in viâ quam superiore capite aperuimus, sint theologis impedimento.

Primum igitur dubium illud excutiendum est, an concilium per legatos summi pontificis celebratum firmam certamque habeat auctoritatem : an potiùs episcopi romani confirmatio expectanda sit, ut certa habeantur decreta concilii. At Cajetanus quidem, qui sine controversiâ de auctoritate papæ et concilii accuratissimè disputavit, quemque nos correctione quâdam adhibitâ potissimùm secuti sumus, multa hìc disertè dicit, quæ à præsenti instituto videntur esse aliena; sed affirmat deniquè, id quod ad præsentem locum et quæstionem attinet, concilium per legatos pontificis actum errare in fide posse. Superest enim adhùc ille, pro cujus fide rogavit Christus, ille, inquam, ad quem fidei summa tandem referenda est. Quare nisi definitiones conciliorum per summos pontifices et probentur et confirmentur, certas firmasque esse non oportet. Idem etiam cardinalis Turrecremata sensit, libro tertio, capite sexto, octavo, et trigesimo octavo, quibus locis fusissimè ostendit, omnia retrò antiqua concilia à summis pontificibus confirmationem dogmatum petiisse, non id profectò actura, nisi existimâssent necessarium. Nam quòd confirmatio pontificis ad fidei quoque dogmata referatur, liquet ex epistolâ Nicænæ synodi ad Sylvestrum papam. « Quidquid, aiunt, constituimus, « precamur ut vestri oris consortio confirmetur. » Et Sylvester eidem synodo rescribens : « Confirmo, inquit, figo- « que ad doctrinam vestram reclamantes de unitate Tri- « nitatis. » Et paulò post : « Probo, ait, vera fuisse, quæ « in vestrum nostrumque manavêre mysterium, » etc. Et Patres concilii Chalcedon., in epist. ad Leonem : « Omnem, inquiunt, vobis gestorum vim insinuavimus, « ad comprobationem nostræ sinceritatis, et ad eorum, « quæ à nobis gesta sunt, firmitatem et consonantiam. » Et Leo papa, in epistolâ ad concilium Chalcedonense, quæ est in ordine 59, epist. etiam 58 ad Pulcheriam : « Ne ergò, ait, dubitabile videatur, utrùm quæ per « unanimitatem vestram de fide statuta sunt, appro- « bem, » etc. Et posteà dicit se approbationem gestorum synodalium in solâ causâ fidei mittere, propter quam scilicet concilium congregatum est. Idem patet ex epistolâ Leonis hujus nominis tertii, quæ confirmat sextam synodum generalem. Adde hùc, quòd Ecclesia antè ipsius pontificis confirmationem nunquàm firmum habuit et ratum, quod à legatis concilio præsidentibus definitum est. Hinc enim Martianus August. à Leone contendit, ut concilii Chalcedonensis de fide judicium approbaret. Et Leo ob hanc quoque causam Martiano commendavit, ut confirmatio approbatioque concilii ad omnes Ecclesias perferretur, quemadmodùm epistolâ 57, ad eumdem Martianum, scribitur. Præтereà, concilium sine legatis errare potest; at summus pontifex non transfert in legatos suæ fidei soliditatem, quam scilicet sibi soli privatìm vindicat, eò quòd Christi vicarius est, pastor Ecclesiæ universalis, et petra suprà quam Christus suam fundavit Ecclesiam. Legati ergò simul cum concilio errare poterunt. Non enim pro legatis Petri, sed pro Petro rogavit Christus, etc. Ad hæc, concilium provinciale, cui legati summi Pontificis adsint, errare in fide potest : non autem si à summo pontifice confirmatum est. Non igitur legati eam habent in fidei dogmatibus auctoritatem, quam summus ipse pontifex habet. Quocircà infirma adhùc erunt decreta concilii, quamvis per legatorum judicium confirmata. Præterea concilium Ephesinum secundum erravit cum Dioscoro; et tamen legitimè, auctore Leone, congregatum est : non ergò firmum et ratum est concilii decretum, nisi sit à summo pontifice confirmatum. Nec valet dicere legatos pontificis, et paucos quosdam alios repugnâsse. Non enim oportet omnes Patres synodali sententiæ subscribere, ut generale concilii judicium habeatur : quoniam ne omnes quidem episcopi judicio Nicænæ synodi subscripserunt. Ac si legati ipsi, ut docti omnes consentiunt, errare possunt, nihil obstaret, quominùs aliis episcopis errantibus consensissent. Legatus demùm pontificis aderat, cùm in secundâ et tertiâ sessione concilii Basileensis vehementer erratum est, errori quoque cæterorum legatus ipse subscripsit : non ergò satis est concilium esse coactum pontificis auctoritate, et legatos concilii sententiam approbâsse, ut firma et certa esse in Ecclesiâ existimetur.

At contrà, viri quidam doctissimi sentiunt concilium generale legitimè congregatum, etiam absente papâ, solidam certamque habere auctoritatem, priusquàm à summo pontifice confirmetur : cujus sententiæ duas potissimùm causas reddere possunt. Unam, quòd ejusmodi concilium per legatos episcopi romani celebratum Ecclesiam universalem repræsentat, quoniam est concilium Ecclesiæ generale : non ergò errare in fide potest, sicut nè Ecclesia quidem universalis. Quòd autem omne concilium generale Ecclesiam universalem repræsentet, definitum est à Martino V, in fine concilii Constantiensis. Altera causa est, quòd concilium generale legitimè congregatum, in Spiritu sancto congregatum est : quarè habet Spiritum assistentem, cujus præsentiâ freti possunt utique Patres, cùm aliquid definiunt, dicere, Act. 15, 28 : « Visum est Spiritui sancto, et nobis. » Confirmat autem hoc vel maximè testimonium Julii ad orientales episcopos inquientis, 17 dist., cap. *Regula* : « Regula vestra nullas « habet vires, quoniam Romanæ Ecclesiæ legatus non « interfuit canonibus præcipientibus, sine ejus aucto- « ritate concilia fieri non debere, nec ullum ratum est « concilium, quod ejus non fuerit fulcitum auctoritate. » Hactenùs Julius. Sentit ergò sine dubio, concilium habere vires, ratum esse, romanæ Ecclesiæ niti

auctoritate, si romanæ Ecclesiæ legatus interfuit.

Ad hanc difficilem quæstionem explicandam illud ponimus, quod rerum gestarum experimento constat, summi pontificis legatos non solere ad concilium accedere, ubi quæstio de fide agitanda est, nisi instructos priùs et monitos de Ecclesiæ romanæ fide circà ea quæ sunt in concilio finienda. Solere, inquam, non item oportere. Nam legati in concilium Tridentinum non potuère commodè de quæstionibus disserendis antè instrui, quoniam erant propemodùm infinitæ. Sed cætera ferè concilia ad unam, aut alteram fidei tractandam causam coacta sunt : ideòque legati de Apostolo Ecclesiæ fide priùs instructi accesserunt. Principio igitur illud statuo, posse concilium legatorum doctrinæ, et instructioni repugnare, atque è contrario legatos posse repugnare concilio : quo casu decreta concilii non solùm non erunt fulcita apostolicâ auctoritate, sed erunt potiùs refutata. Sicut enim congregatio concilii reclamante vero certoque Ecclesiæ pontifice, vana est et irrita; sic doctrina cui vel præsens pontifex per se, vel absens per legatos suos contradicit, et incerta est et imbecilla : idque eodem prorsùs argumento, quoniam utrique auctoritas episcopi romani deest, sine quâ nec concilium, nec concilii decreta rata sunt. Quòd si qui existiment, concilium semel ritè ac legitimè congregatum errare tùm etiam non posse, cùm legati pontificis repugnant, respondeant illi argumento velim, quo secundam conclusionem, cap. 4, probabamus, concilii Ephesini secundi exemplum proferentes, ubi ab omnibus penè episcopis erratum est. Non fuit liberum concilium, inquiunt, sed sententia à Dioscoro arte, minis et terroribus extorta est. Video, sed si secundùm hominem loquimur. qui metu frangitur, is cupiditate etiam frangatur necesse est, Eug. IV in decreto unionis Jacobinorum; et Leo papa, epist. 42 ad Martianum Augustum. Quocircà si per metum vera et legitima synodus errat, causabuntur hæretici, reliquas etiam omnes pontificum et imperatorum cupiditatibus inservisse. Ità fiet ut nullius synodi explorata auctoritas habeatur. Quantò graviùs illud nos asserimus, concilium apostolicâ auctoritate firmatum nullis humanis affectibus à verâ posse fide discedere : ut ne Ecclesia quidem, quamvis descendat pluvia, veniant flumina, irruant venti, cedere loco potest, fideique stationem deserere! Sed concilii reliqua pars, quamlibèt maxima, si pontifex et legati pugnent, infirmari affectu potest. Hùc enim illud pertinet : « Tu, ô Petre, « confirma fratres tuos. »

Sed ais : Quid si legatus doctrinam, quam à pontifice accepit, deserat, et multitudinis sensum amplectatur? Primùm, nullum hujusmodi exemplum proferetur, nisi fortè ex concilio sub Michaele imperatore, ubi Radoaldus et Zacharias Michaeli et Photio consenserunt adversùs Nicolai instructionem atque mandata, ut videre est in epistolâ Nicolai ad patriarchas, metropolitas ac reliquos episcopos. Deindè si legatus contrà instructionem agit, non censetur ex potestate delegatâ agere, atque adeò non est cur eo modo acta superioris auctoritate probata esse credantur. Indè enim Agatho papa, ut patet actione 4 sextæ synodi : « Auctoritatem, inquit, eis, *hoc est legatis*, dedimus, in quantum « eis duntaxat injunctum est ut nihil præsumant augere, « minuere vel mutare, sed traditionem hujus aposto- « licæ Sedis sinceriter enarrare. » Et Leo, epist. 73, ad Pulcheriam Augustam : « Lucentium, inquit, epi- « scopum, et Basilium presbyterum dirigere præparavi, « qui dispositiones meas, secundùm eas quas accepe- « runt regulas, exequantur. » Decreta igitur, si quæ à legato contrà Sedis apostolicæ traditionem approbentur, non habent Romanæ Ecclesiæ auctoritatem; nec aliter se habent, quàm si à concilio sine legatis prodiissent. Quid verò, si legati sine apostolicæ Sedis instructione ad synodum accessêre? Nùm synodi judicium firmum erit et certum, priusquàm à summo pontifice comprobetur? Certè in his, quæ ad fidem non attinent, sed ad ecclesiasticam gubernationem, ejusmodi synodorum decreta non oportet à Spiritu sancto proficisci. Quare non sunt omninò valida, nisi romani episcopi consensione firmentur, ut videre est in epistolâ 51 Leonis ad Anatolium, 52 ad Martianum, 53 ad Pulcheriam, et 59 ad concilium Chalcedonense. Sed ne in causis fidei quidem adeò exploratam auctoritatem habent, ut qui eam in dubium vocet, hæreticus sit, tùm quia auctores nobilissimi, quos antè diximus, Cajetanus et Turrecremata, non solùm citrà hæreseos crimen, sed probabiliter etiam consentiunt, nihil firmi dogmatis ab ejusmodi synodis proficisci, quousquè per Christi vicarium approbentur; tùm quia, ut antè dictum est, solidam auctoritatem, quam in confirmandis et fratribus, et dogmatibus Petrus habet, in legatos transferre non potest; tùm quia si legati, qui instructionem ab apostolicâ Sede acceperunt, discedere ab illâ possunt, illi etiam, qui ad concilium sine instructione accedunt, poterunt cum Sedis apostolicæ doctrinâ pugnare. Quarè eorum confirmatio infirma est. Quid, quòd legatus Julianus concilii Basileensis doctrinæ consensit, quam nullus theologus ità solidam et certam existimat, ut hæreticos credat, qui ab eâ doctrinâ dissentiunt.

Nec contraria argumenta quidquam efficiunt. Nam primum sic refellitur : Fateor equidem quodcumque concilium generale universalem Ecclesiam repræsentare, sicut omnes proceres et procuratores civitatum, cùm de rebus publicis tractaturi conveniunt, regnum totum repræsentant. Sed dùm urges Ecclesiam errare non posse, verum est id in eo sensu, qui à fidelibus accipitur; intelligimus enim totam simul Ecclesiam, hoc est, fideles omnes non errare. At nihil obstat, cur major Ecclesiæ pars non erret. Sic igitur non ego admitto, ut totum concilium cum legatis errare possit (1). At errare poterit major pars concilii, et erranti illi poterunt legati subscribere. Atque id est, quod nos in præsentiâ dicimus, judicium majoris partis, etiamsi legati sequantur, non esse certum; certum autem esset, si à summo Pontifice confirmaretur. Nec enim opus est, quemadmodùm paulò antè

(1) Hæc assertio auctoris non videtur concordare cum suâ secundâ conclusione, suprà, nisi hujus conclusionis completiva habeatur et explicativa. P. S.

docuimus, sententiam concilii omnes simul Patres approbare. Secundo verò argumento hoc habeto responsum, concilium utique generale, cui legati præsunt, in Spiritu sancto congregatum esse, quoniam auctore Christi vicario, eodemque legitimo Ecclesiæ principe coactum est. Sed Ecclesia quoque unum corpus est, cujus Spiritus Deus est, qui Ecclesiæ semper assistit. Quemadmodùm ergò quod toti pariter Ecclesiæ visum est, id Spiritui sancto etiam visum est, sed non continuò quod major Ecclesiæ pars judicârit, hoc Spiritûs sancti judicium est, ità, si quid ab omnibus quidem episcopis judicatum fuerit, à Spiritu profectò Dei judicatum est; at non statim si plures concilii Patres in unam sententiam convenerint, Spiritûs sancti ea sententia credenda erit, nisi per summum pontificem confirmetur, ad quem nimirùm spectat Patrum lites dissidiaque componere. Jam Julii testimonium explicatu facillimum est. Tacet enim, quod manifestum erat, concilium illud summi pontificis præsentiâ caruisse; ponit autem ne legatos quidem Ecclesiæ romanæ adfuisse. E quibus duobus altero tacito, altero expresso, colligit nullam prorsùs Ecclesiæ romanæ auctoritatem in eo concilio intercessisse, quarè irritum et vanum esse. Alioqui, si quis rusticè sanè eo nos testimonio urgeat, is nullo negotio exploditur. Nihil enim valet illa collectio : si concilium legatos non habuit, infirmum ejus judicium fuit : ergò, si habuit, fuit firmum. Sed de primâ quæstione dictum est satis.

Sequitur altera. An Patres concilii verè judices sint, an potiùs consiliarii? Sunt enim auctores non omninò pessimi, qui conciliorum auctoritatem non in judicandâ et finiendâ causâ fidei, sed in quærendâ et investigandâ veritate sitam esse velint. Omnem quippè judicii vim ad unum Ecclesiæ principem, eumdemque Christi vicarium revocant, qui ad fidei causam decernendam eò vel plures, vel pauciores in consilium adhibet, quò causa vel gravior, vel facilior est. Hujus verò rei primum argumentum ponitur, quòd in sex libris Decretalium et Clementinis, non Patribus, sed summo pontifici sententia tribuitur, sacro tamen approbante concilio. Undè Clemens V, concilio Viennensi præsidens : « Nos inquit, ad tàm præclarum testimonium ac sanctorum Patrum communem sententiam, apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, sacro approbante concilio, declaramu, » e c. Solùm ergò ad Sedem apostolicam judicium pertinet; Patrum verò non judicium, sed consilium est. Prætereà, cùm pontifex Ecclesiæ romanæ presbyteros in conventum cogit, ut causa aliqua fidei judicetur : « De fratrum, inquit, nostrorum consilio, » etc. (1). Consulunt ergò, non judicant. Ad hæc, Deuter. 16 : *Si difficile et ambiguum*, etc., *venies*, ait, *ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore*, etc. Et post : *Qui autem superbierit*, inquit, *nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille*. Ecce imperium non omnibus, sed summo sacerdoti assignatur, et decretum non judicum, sed judicis esse dicitur. A consiliis ergò sunt reliqui sacerdotes, non sunt judices. A contrariâ verò parte facit, quòd in concilio illo primo Hierosolymitano non solùm Petrus, sed reliqui etiam Apostoli et seniores judices esse dicuntur : *Propter quod ego judico*, Jacobus ait, *non inquietari*, etc., Actorum 15. Et posteriùs, cap. eodem, præcepta concilii vocat Paulus præcepta Apostolorum. Et cap. 16, dicit, ea dogmata esse decreta ab Apostolis et senioribus.

(1) Ex Extravagantibus multis hoc patet.

Ad hanc quæstionem perfacilis est et expedita responsio, episcopos concilii in fidei causâ non modò consiliarios esse, verùm etiam judices. Alioqui non solùm episcopi ad ferendam sententiam synodalem adhiberentur, sed etiam docti theologi, et viri in Ecclesiâ prudentes. Quod inauditum est, contràque formam Actorum decimo quinto præscriptam, ubi Apostoli tantùm cum presbyteris de fidei quæstione judicârunt. Cùm igitur Ecclesiæ perpetuo usu soli pastores in concilio sedeant, consequens fit, censores eos esse, non modò consultores. Nam si, ut consulerent, advocarentur, iis episcopis, qui theologiæ rudes et imperiti essent, nullus esset omninò in concilio locus, quandò theologiæ quæstio veniret in dubium. Prætereà non romanus episcopus modò, verùm reliqui etiam episcopi claves regni cœlestis habent : ergò in causâ fidei ligandi quoque ac solvendi potestatem. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui sancto, et nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria*, etc. Omnes ergò episcopi onus, præceptumque imponunt, omnesque simul sententiæ synodalis auctores sunt. Atqui consiliarii, qui non sunt simul judices, non solent judicio sententiæque subscribere. At in synodali sententiâ non pontificis solùm, sed cæterorum episcoporum subscriptiones apponuntur. Sunt igitur sine dubio judices.

Verùm scrupulus hìc existit, qui malè quosdam habet. Nam si omnes episcopi sunt judices, summus nimirùm pontifex tenebitur in ferendâ sententiâ majorem partem judicum sequi, eorumque doctrinam approbare. In omni enim recto, et benè instituto tribunali, is qui præsidet, plurium judicium confirmare debet, paucorum negligere. Huic solvendæ quæstioni cardinalis Turrecremata l. 3 Summæ Ecclesiæ, capite sexagesimo quinto, jurisperitos ipse sequens multa dicit, quæ mihi non probantur omnia. Nec est animus tamen singula persequi, et cujusque opiniones refutare. Acutè enim disputantis, ut Cicero tradit, illud est, non quod quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit, videre. Quod igitur assumptum est, Patres concilii non modò consiliarios esse, verùm etiam judices, id inficias ire nec possumus, nec debemus. Nam Patres Nicænæ synodi à Sylvestro contendunt, ut quidquid constituerunt, confirmet. Et Leo, quæ à concilio Chalcedonensi de fide statuta sunt, ea dicit se probare. Et concilium ipsum ad Leonem : « Decretis, inquit, tuis, nostrum honora judicium. » Et sexta synodus, actione decimâ octavâ : « Anathematizamus, inquit, Theodorum, Sergium, Cyrum, » etc. Et paulò post : « His omnibus, ait, à sancto hoc concilio constitutis, et per subscriptionem nostræ fortitudinis confirma-

« tis, sancimus, ut nullus aliud quidquam de fide sa- « tagat, » etc. Nùm verba hæc consulentis sunt, an potiùs judicantis? Atqui in cæteris Patres non ut consiliarii, sed ut judices loquuntur. Caput enim tertium Nicænæ synodi sic habet : « Interdixit per omnia ma- « gna synodus, » etc. Scrupulum verò, qui nunc opponitur, facilè eximo. Nego enim, cùm de fide agitur, sequi plurimorum judicium oportere, nec hîc, ut in humanis vel lectionibus, vel judiciis, ex numero suffragiorum sententiam metimur. Scimus frequenter usu venire, ut major pars vincat meliorem : scimus non ea semper esse optima, quæ placent pluribus : scimus in rebus, quæ ad doctrinam pertinent sapientum sensum esse præferendum. Et sapientes paucissimi sunt, cùm stultorum infinitus sit numerus. Quadringenti Prophetæ Achab mentiti sunt, 3 Reg. 22; ex ore verò Michææ solius quidem et contemptibilis veritas egressa est. Non sunt igitur divina judicia humanis rationibus moderanda. In paucis aliquandò citiùs, quàm in multis salvat Dominus. Major quippè pars Ephesini concilii secundi in Dioscori sententiam venit, nec legati tamen plurium judicio subscripsêre. Quocircà summus pontifex majoris partis sententiam non tenetur amplecti : imò sive pauci, sive plures ad errorem deflexerint, munus est apostolici antistitis ad veram eos fidem revocare, juxtà illud, quod Petro dixit Christus : *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, et tu* (non unum, et item alterum, sed sive paucos, seu multos) *confirma fratres tuos.* Ità Damasus, scribens ad episcopos per Illyricum constitutos, numerum concilii Ariminensis magnâ libertate contempsit, illique tantæ multitudini unum Vincentium, et alios paucos opposuit, qui contrà illius concilii sententiam dixerunt. Et Leo, cùm Anatolius decretum Chalcedonensis synodi de Ecclesiæ Constantinopolitanæ primatu, sexcentorum triginta Patrum consensione præferret : « Quasi, inquit, « ep. 41 ad Anatol., refutari nequeat, quod illicitè vo- « luerit multitudo. Nulla sibimet de multiplicatione « congregationis concilia blandiantur; nec trecentis « illis decem atque octo copiosior numerus sacerdo- « tum comparare se audeat, vel præferre, cùm tanto « divinitùs privilegio Nicæna sit synodus consecrata, « ut sive per pauciores, sive per plures ecclesiastica « judicia celebrentur, omni penitùs auctoritate sit va- « cuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diver- « sum. » Hactenùs Leo.

Non itaque, quod in humanis consessibus fit, plurium apud nos sententia prævalet. Quòd si semel fidei causam ad humanas conjecturas, prudentiamque deducimus, verendum est sanè, ne Ecclesiæ negotium ex divino humanum faciamus. Quin etiam certum est, qui probabili multorum judicio nituntur, eos fidei nostræ firmitudinem labefactare. Secundum quippè concilium generale centum quinquaginta Patrum numero constitit, quartum verò Patres habuit sexcentos triginta : utrumque tamen pari veneratione suscepit Ecclesia; non enim numero hæc judicantur, sed pondere. Pondus autem conciliis dat summi pontificis et gravitas et auctoritas : quæ si adsit, centum Patres satis sunt, sin desit, nulli sunt satis, sint quamlibet plurimi. Nec si major pars Patrum verè sentiat, summus Ecclesiæ pontifex repugnabit. Id enim ad peculiarem Christi procurationem pertinet, semperque pertinuit, ne Ecclesia in factiones duas dividatur. Nec romanus unquàm episcopus, si exemplum quæritur, contrà Patres concilii verè sentientes dixit. Ad secundam autem quæstionem nihil est, quod addere debeamus : nam argumenta ex adverso posita ex his, quæ diximus, facilè diluuntur.

Alia quæstio etiam existit, quæ non est ad exponendum facilis. Si enim concilium summi pontificis auctoritate firmatum Spiritu sancto regitur fidei causis judicandis, ejus ergò definitiones ad sacram Scripturam pertinebunt. Nam Scriptura sacra vocatur, quæ Spiritu sancto afflante scripta est.

Hujus verò argumenti conclusionem vir apprimè doctus, et qui tantos habebat in theologiâ progressus, ut cum excellentibus theologis compararetur, non est veritus me præsente concedere. Atque in hanc opinionem Gratianus quoque videtur descendisse, divi Augustini testimonio confirmatus, distin. 19, cap. *In canonis*, ubì summorum pontificum epistolas decretales canonicas scripturas esse dicit : eâdem igitur ratione concilii decreta in canonicis scripturis habebuntur.

Sed et Innocentius de celebr. Miss., capite *Cùm Marthæ*, eamdem sententiam videtur amplecti. Ait enim Scripturam sacram asserere, quòd injuriam facit martyri, qui orat pro martyre. Hoc autem testimonium alicujus nimirùm vel Pontificis, vel concilii est.

Ratio item his testimoniis consentit. Fides enim catholica nihil credit, nisi quod est à Deo revelatum. Quòd si concilii decreta tenemur certa secundùm fidem habere, ea sunt certè à Deo revelata, atque ex consequenti scriptura canonica.

At hæc opinatio quàm sit inconsiderata, lector, vel me non docente, intellecturus est. Nam si symbolum Athanasii conciliive Nicæni inter sacras litteras refertur, cur nec in codicem sacrorum Bibliorum redigitur, nec cum libris canonicis annumeratur? Jam libros, qui decretales pontificum epistolas, synodorumque judicia continent, in sacris et canonicis habere absurdum est. Duplex enim discrimen inter sacros auctores, et summum pontificem Patresque concilii reperitur. Unum, quòd auctores sacri ex proximâ Dei vel revelatione, vel inspiratione scribunt catholica dogmata. Nec enim egent exteris ad scribendum incitamentis, aut humanâ ratiocinatione è scripturis aliis argumentantur, disquirunt, colligunt. At concilium et pontifex humanâ viâ incedunt, rationemque sequuntur : atque argumentando verum à falso discernunt. Non enim existimandus est summus pontifex eam habere facultatem, quæ in Apostolis, Prophetis et Evangelistis inerat, ut propositâ unaquâlibet de fide quæstione, protinùs dignoscere possit, utra quæstionis pars vera falsave sit, sed adhibere priùs consilium necesse est, et expendere utriusque partis argumenta : tùm deindè sequetur auxilium Dei, quo videlicet opus est, ut summus pontifex in rectâ fide contineatur. In conciliis itidem non ha-

bent Patres mox quasi ex auctoritate sententiam absque aliâ discussione dicere; sed collationibus et disputationibus re antè tractatâ, precibusque primùm ad Deum fusis, tùm verò quæstio à concilio sine errore finietur, Dei videlicet auxilio atque favore, hominumque diligentiâ et studio confluentibus.

Nam et Apostolis et presbyteris in synodum Hierosolymitanam congregatis non statìm revelatum est, quod esset in fidei causâ decernendum; sed facta est priùs, ut Lucas ait, Act. 15, 7, magna conquisitio. Et in Nicænâ synodo, ut R finus tradit, lib. 10 Hist. Eccles., c. 2, per singulos dies agitabatur conventus: nec facilè aut temerè de re tantâ statuere audebant Patres. Evocabatur frequenter Arius in concilium, et assiduo tractatu assertiones ejus discutiebantur, et quid adversùm hæc teneri deberet, aut statui, summâ cum libratione quærebatur. Itâ, post diutinum multumque tractatum, firmissimâ omnium sententiâ Arius condemnatus est. Ex quo perspicuum est, non dormientibus et oscitantibus Patribus Spiritum S. assistere, sed diligenter humanâ viâ et ratione quærentibus rei de quâ disseritur, veritatem. Alterum autem discrimen est, quòd scriptoribus sacris, quemadmodùm primo loco fusiùs explicuimus, Dei Spiritus adest in singulis. Etiamne in minimis rebus? Etiam. At Patribus synodi Spiritus veritatis non est præsens in omnibus, sed in rebus solùm ad salutem necessariis. Quod enim in symbolo Athanasii dicitur, carnem et animam unum esse hominem, id non oportet verum esse, quamvis cum Athanasio concilium Nicænum consensisset. Nam utrùm homo partes illæ complexæ sint, an non sint, ad philosophiæ rationem pertinet, non fidei: quarè philosophorum quæstio est, non fidelium. Synodus autem provincialis, sub Stephano hujus nominis septimo, per errorem omnes ordinationes factas, à Bonoso irritas esse decrevit, quod in synodo Romanâ, sub Joanne IX, jure reprobatum est. Sed judicium rerum gestarum erat, non religionis fideique decretum. Hujusmodi sunt ea, quæ in Clement. *Pastoralis*, de sent. et re judic. transiguntur. Non enim ad fidem et religionem attinent. Quocircà licèt errâsset Clemens, quod Bucerus contendit, nihil indè concilii auctoritas labefactaretur. Tametsi Clementina illa Clementis est, non concilii. Verùm pontificum et conciliorum eadem causa est. Sixtus IV docuit D. Catharinam Senensem Stigmata non habuisse, non defuit qui contrà judicàrit. Neutrius pontificis judicium ad Christi Ecclesiam spectat: utrumque aut probare aut improbare sine fidei discrimine possumus. Sed valeant stulti, qui de rebus nihili digladiantur. Nos enim hìc exempla ponimus, ut lector intelligat aliter auctores sacros esse habendos, aliter conciliorum Patres: illos ubique vera dicere; hos posse in parvis errare. Itâ quod Christus Ecclesiæ suæ pollicitus est, Spiritum eam docturum omnem veritatem, hoc ad fidei veritatem referendum est, ut disertè Augustinus docet, et in commentariis super Joannem, et in actis contrà Felicem, libro secundo. Nec enim rogavit Christus, ne deficeret Petro aut philosophiæ, aut rerum gestarum cognitio et veritas, sed ne deficeret ei fides.

Forsitàn quispiam dixerit: Nonne igitur concilii Hierosolymitani decreta sacra Scriptura sunt? Facta est enim magna conquisitio: dictum est autem Scripturæ sacræ auctoribus minimè convenire, ut disquirant, et humanitùs ratiocinentur.

Item (nam et hoc dicet aliquis) si summus pontifex et concilia, nisi diligentiam adhibeant, errare possunt, cùm nobis non constet, an summus pontifex Patresque concilii præstiterint se diligentes, et industrios, ut viâ et ratione procederet inqui itio, ne constabit quidem an erraverint. Ità quæcumque definierint, erunt incerta.

Ac primus quidem scrupulus faciliùs eximitur. Quemadmodùm enim verba Pilati ad canonem pertinent, non quà Pilatus dixit, sed quà scripsit Evangelista, sic et concilii Hierosolymitani definitio sacra Scriptura est, quòd Lucas eam reliquis historiæ suæ partibus contexuerit. Ut è contrario verba Petri, quæ refert Clemens, non sunt de canone, quoniam Clemens scriptor sacer non fuit. Quæ causa idonea est, ut Canones Apostolorum, quos idem Clemens scripsisse fertur, in libris canonicis non habeantur, tametsi Damascenus lib. 4, cap. 18, in catalogum, ut videtur, sacrorum librorum referat, et Epiphanius ad hæresim postremam refellendam Apostolorum constitutiones divinam Scripturam vocet. Loquitur autem sine dubio de his constitutionibus, quæ in sacris Bibliis scriptæ non sunt. Sed alia est illa, cùm veritas ipsa limatur in disputatione, subtilitas; alia cùm obiter et in transcursu ad vulgarem quamdam opinionem accommodatur oratio. Quamobrem ut sapientes, itâ nos hoc loco verbis ecclesiasticis utimur, ut eos solùm, qui Spiritu dictante scripti sunt libri, sacros et canonicos appellemus.

Alter verò scrupulus itâ Sylvestri animo resedit, in verbo fidei, § ult., ut vix eum indè pellere potuerit; meliusque fuisset occulere, quàm stimulare cæteros, quo ipse scrupulo pungebatur. Ac sunt etiam, qui non obscurè dicant, quòd si quandò romanus pontifex in definitione fidei erravit, indè evenire potuit, quòd non tantam, quantam debeat, adhibuit diligentiam, antequàm sententiam proferret: quoniam vel rem non plenè examinavit, vel non eos, quos oportebat, consuluit. Quibus si objicias, apostolicam Sedem errare in fide non posse, fatentur id quidem, sed aiunt, Sedis apostolicæ nomen non solùm summum pontificem significare, sed ipsum, ut facit ea, quæ ad cathedram spectant, hoc est, quatenùs non ex suo, sed ex consilio bonorum virorum et doctorum procedit: itâ Sedis apostolicæ judicia intelligi, non quæ occultè, malitiosè, inconsultè, per solum romanum episcopum, aut etiam cum paucis sibi faventibus proferuntur; sed quæ ab eo ex consilio plurimorum virorum sapientum planè priùs re examinatâ prodeunt. Quæ res ut de conciliis quoque dicatur, subsunt omninò causæ eædem, quas dixi paulò antè. Non enim existimare debemus summum solum pontificem, cùm dormierit, errare, cùm non dormierit, verum dicere. Patres autem, sive dormiant, sive vigilent, sem-

per recta ingredi, et clausis, quod aiunt, oculis, vel in tenebris obscura cernere. Commune est, crede mihi, omnibus Ecclesiæ judicibus, ut, si decreta ediderint temeritate quâdam, sine judicio, repentino quasi vento incitati, nihil omninò conficiant, quod solidum, quod grave, quod certum habeatur. Ea par est et gravia et certa in Ecclesiâ haberi, quæ judicio, consideratè, constanterque edita sint. Quamobrem qui sive pontificum, seu conciliorum diligentiam in fidei causâ finiendâ in dubium vocant, eos necesse est omnia pontificum judicia, ac conciliorum infirmare. Nos igitur scrupulum illum posteriorem, si cui infixus est, aliter ex animo evellemus. Nam Deus suaviter disponit omnia, simulque prospicit, et finem, et media ad finem necessaria. Si enim promitteret cuiquam æternam vitam, mox conferret etiam illi bonarum gratiam actionum, quibus eam vitam consequeretur. Videlicet quos glorificavit, eosdem et justificavit, et vocavit, ut ad Romanos octavo capite dicitur. Sic omninò, cùm Ecclesiæ fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quominùs tribuat Ecclesiæ preces, cæteraque præsidia, quibus hæc firmitas conservatur. Nec verò dubitari potest, quod in rebus naturalibus contingit, idem in supernaturalibus quoque usu venire, ut qui dat finem, det consequentia ad finem. Quod quoniam philosophorum pronuntiatum est, et theologorum etiam ore teritur, permittant mihi, obsecro, latiniores, interdùm cum nostris nostra loqui. Nam etsi ornatiùs, quàm hi solent, nos plerumque disserimus, sed nonnunquàm quas sententias à scholasticis accepimus, eisdem verbis efferre volumus, ne dicendi formâ penitùs immutatâ, discessisse à scholâ videamur.

Itaque præstat semper pontifex, quod in se est, præstatque concilium, cùm de fide pronuntiant : caditque causâ, si quis è nostris aliter existimat. Quemadmodùm, si Christus Petro diceret : *Ego rogavi pro te, ne deficiat charitas tua*; certo certiùs intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna illi impetrâsse quæ sunt ad charitatis conservationem necessaria; ità cùm dixit : *Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua*, procul dubio intelligimus id à Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum de fidei quæstione judicium pertinerent, ea adessent Petro omnia, sive à Deo, sive ab homine expectarentur. Quòd si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid stultius esse posset, quàm dubitare, anne homines semina terræ mandaturi sint? Certè si seruerint, metent : si non seruerint, non metent. Sed ex Dei pollicitatione colligimus non solùm propitias cœli conversiones, quibus omnia, quæ terra gignit, uberiora proveniunt, sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promissa nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. Quibus ex rebus facilè comprehenditur, cùm Spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque successoribus in fidei judicio promiserit, nihil omninò illis defuturum, quod fidei controversiis finiendis fuerit necessarium. Ac si semel hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, nùm Ecclesiæ judices eam diligentiam et curam exhibuerint, quæ opus erat ut quæstio viâ et ratione finiretur, ecquis adeò cæcus est, qui non videat, omnia mox pontificum conciliorumque judicia labefactari? Porrò, si illud in quæstionem veniat, nec certis argumentis confirmari possit, at hæc res tamen theologis constituta sit ac definita, concilia, quoquo modo se habeant, si à summo pontifice confirmata sunt, errare in fide non posse. Quanquàm, me quidem judice, absurdum est, ad finem aliquem nisi per consentanea media perveniri. I nunquàm ego admittam, aut pontificem, aut concilium diligentiam aliquam necessariam quæstionibus fidei decernendis omisisse. Id, quod privato cuicumque alteri homini accidere potest, ut nec diligentem navet operam ad disquirendam veritatem et ut navaverit, integrumque sese in eâ re præstiterit, erret adhùc tamen, quamvis error sine culpâ sit. Error autem, vel inculpatus, ab Ecclesiâ Dei longissimè abest, quemadmodùm libro superiore constituimus. Quæ res abundè magno argumento est, ut nec pontifex, nec concilia necessarium quidquam in deliberando prætermiserint. Fac enim, quidpiam ex necessariis omissum esse; tùm rogo, an fideles his qui de fidei quæstione judicàrunt, tantisper parere debeant, dùm illorum negligentia innotescit Ecclesiæ. Parere debent, aiunt. Jam igitur eo tempore, errantibus judicibus, errabit Ecclesia. Sine vitio suo, inquis, Ecclesia tunc errabit. Agnosco. Sed, ut dictum est, ne hunc quidem errorem admittere in Dei Ecclesiam debemus. Quid quòd si semel de diligentiâ judicum dubitamus, novum examen, judiciumque semper recens postulabitur, ut de diligentiâ adhibitâ vel non adhibitâ censeatur. Concedamus ergò judicibus à Deo in Ecclesiâ constitutis nihil eorum deesse posse, quæ ad rectum verumque judicium sunt necessaria. Quibus explicatis facilè intelligitur, ut ad tertiæ hujus quæstionis caput recurramus, nec pontificum, nec conciliorum decreta sacræ Scripturæ partes esse : id quod in primo argumento objiciebatur.

Dicamus igitur ad ea, quæ in secundo argumento sunt dicta, ubi Gratianus Augustini sententiam non est assecutus, cui errori causam fortassè præbuit codex quispiam depravatus. Augustini enim vera lectio sic habet : « In canonicis Scripturis Ecclesiarum catholicarum quamplurimùm auctoritatem sequatur; inter quas (scilicet Ecclesias) sanè illæ sunt, quæ apostolicas Sedes habere, aut Epistolas accipere meruerunt. » Est autem sensus hujusmodi, in judicio librorum canonicorum primùm videndum esse, quid Ecclesiæ catholicæ sentiant; sed inter catholicas Ecclesias illarum esse testimonium præferendum, quæ vel fuère sedes Apostolorum, ut Hierosolymitana, vel ab Apostolis aliquam Epistolam acceperunt, ut Corinthia, Galatia. Non itaque Augustinus loquebatur de epistolis pontificum Decretalibus, ut Gratianus falsò existimavit. Id quod antè nos quidam etiam alii viri diligentissimi deprehenderunt.

Tertio verò argumento occurri potest in hunc modum : Leges pontificias quandoque sacras appellari, ut à legibus principum discriminentur. Atque hoc sensu sacram Scripturam vocavit Innocentius. Sic for-

sàn divina lex vocatur canonica, humana verò civilis, de Juram. calum. cap. 1, ut cardinalis Hostensis, Andreas Barbatius Siculus, et alii jurisperiti notaverunt, et Glossa, cap. *Ex diligenti*, de Simonià. Atque adeò Innocentius IV, cap. *Cùm de diversis*, de privil. in 6, non obscurè jus canonicum divinum vocat, civile autem humanum. Et legem canonicam sacram ac divinam appellat Justinianus in Authen., *ut clerici apud proprios episcopos*, § *verò*. Quam rem sciolus fortassè quispiam ignorans, dist. 20, c. *De quibus*, ubi lectio vera habebat : *Ad divina recurrit scripta canonica*, loco hujus postremæ vocis substituit *græca*. Nihil enim minùs Innocentius eo capite agebat, quàm in ecclesiasticis causis judicandis ad græca Bibliorum exemplaria judices mittere. Alioqui cur non etiam ad hebræa? Nec verosimile est, in causis Ecclesiæ decernendis scripta canonica esse ab Innocentio prætermissa; quin post divinam Scripturam secundo ea loco posuit etiam antè sanctorum scripturas. Et hoc erat Gratiani in eà distinct. proprium institutum. Nihil igitur nobis mirum est, si scriptura canonum sacra et divina quandoque nuncupetur. Sed nos alio sensu de Scripturâ sacrà loquimur. Quanquàm ab Innocentio testimonium citatum quidem Augustini est de verb. Apost. inquientis : « Injuria est pro martyre orare, cujus debemus « precibus commendari. »

At postremum argumentum sic facillimè refutatur : Duplex conclusionum genus posse in concilio definiri. Unum est earum, quæ sunt propriæ theologicæ facultatis, quoniam vel ex duobus principiis per fidem creditis, vel alio credito, alio lumine naturæ cognito, colliguntur. Alterum autem genus est earum, quas Spiritus sanctus ipse revelavit quidem Apostolis, Evangelistis, aut Prophetis, sed quoniam non erat id perindè manifestum, à synodo declaratur. Quæ sunt prioris generis, ad fidem spectant secundariò, et ut ità dicam, mediatè. Quarè quod suo posteà loco fusè sumus explicaturi, qui eas negaverit, hic hæreticus erit, quòd ex consequenti negat principium, undè illæ conficiuntur. Quæ verò sunt posterioris generis, propriè et per se ad fidem pertinent : nec has à pontificibus, aut conciliis novas expectare debemus. Id enim etiam atque etiam asserimus, nullas alias Scripturas sacras Ecclesiam aut habere nunc aut deinceps habituram, præter Scripturas *populorum et principum horum qui fuerunt in eà*; non sunt, inquam, aut erunt, sed fuerunt. Omnia siquidem, quæ Pater Filio suo Unigenito Ecclesiæ declaranda commisit, primùm ipse Filius Apostolis revelavit, deindè eadem ut invulgarent, jussit. *Vos*, inquit, *dixi amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis*, Joan. 15. Et rursùm : *Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*, Joan. 14. Et iterùm : *Cùm venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Joannis 16. Hi enim fuêre novi Testamenti ministri, *qui revelatâ facie gloriam Domini speculati sunt*, secundæ ad Corinthios 3. Hi fuêre ministri sermonis, ut Lucas, capite Evangelii primo, testatur. His quoque dictum est : *Docete omnes gentes ea servare, quæcumque præcepi vobis*, Matthæi ultimo. Omnem ergò fidei veritatem vel à Christo, dùm in terrâ degeret, vel à Spiritu sancto Apostoli posteà acceperunt, eamque juxtà præscriptam legem aut scripto, aut verbo Ecclesiæ tradiderunt. Hìnc enim est, quod Irenæus, Hieronymus, Augustinus adversùm hæreticos semper id agunt, ut videant, an illorum nova dogmata congruant cum antiquâ traditione et fide. Et si quas scripturas novas hæretici proferant, si se apostolos aut prophetas confingant, statìm novitatis odio exploduntur. Itaque post Apostolos et eos qui ab Apostolis probati sunt, nullos auctores sacros expectamus. Sed sive summus pontifex, seu concilia, primùm de vero sensu et interpretatione Scripturarum judicant, ut in concilio Tridentino sessione tertià definitur. Et absurdum est sanè ut Ecclesia auctoritatem habeat discernendi verba Dei à verbis hominum, sensum Dei ab humano sensu non habeat. Id igitur antè omnia conciliis tribuamus. Deindè et illud, quòd veras et legitimas Christi et Apostolorum traditiones viâ et ratione investigant. Rursùm quænam conclusiones his cohæreant, quæ contrà dissideant, certâ complexione et connexione conficiunt. Consulunt autem in hujusmodi rebus finiendis non sacras litteras modò, verùm etiam Apostolorum instituta, priora concilia, summorum pontificum decreta, sanctorum veterum scripta, scholasticorum theologorum dogmata, rectam philosophiæ rationem. Breviter, causam, de quâ disseritur, in eos locos conjiciunt, de quibus liber hic noster instituitur. Nec enim ex aliis fontibus argumenta derivare possunt ad fidei theologiæve solvendas quæstiones. Novas autem revelationes et scripturas sacras quærere Judæorum est, qui recentes etiamnùm prophetas præstolantur.

Alia etiam quæstio valdè difficilis ex his, quæ diximus, oritur. Si non omnia in conciliis certa sunt (nec enim in singulis Spiritus sanctus conciliis assistit) ecquâ viâ et ratione vestigabimus conciliorum certa in fide decreta? Principio namque in Clementinâ unicâ de summâ Trinitate et fide catholicâ, ea opinio tanquàm probabilior eligitur, quæ habet, in baptismo gratiam et virtutes infundi. Pari ergò causâ et in aliis conciliorum decretis dicere possumus, probabiles opiniones eligi, non res exploratas definiri. Deindè in cap. *Firmiter*, de summâ Trinitate, et fide Catholicâ, Patres concilii Lateranensis : « Firmiter, inquiunt, credimus, « et simpliciter confitemur, quòd unus est solus verus « Deus creator omnium, visibilium et invisibilium, spi- « ritualium et corporalium, qui simul ab initio temporis « utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem « et corporalem, angelicam videlicet et mundanam. » At non est fidei adversum, Angelos antè mundum corporeum creatos. Id enim asserunt Gregorius Nazianzenus in primâ oratione de Natali Domini, Basilius in Exam. congregatione primâ, Damascenus, l. 2, c. 3, Ambrosius in Exam. lib. 1, c. 5, Hieronymus in comment. super cap. 1 Epist. ad Tit. Cassianus collat. 8, cap. 7. Undè nec Augustinus libro de Civit. Dei 21, cap. 32; nec D. Thomas, par. 1, qu. 61, artic. 3, hanc opinionem fidei esse contrariam putaverunt. Ac concilium illud Lateranense Thomas viderat, imò in illud ipsum caput ediderat commentaria : nec ergò conciliorum aut

definitiones, aut fidei confessiones certæ sunt, sed Patres, etiam cùm asserunt se firmiter quidquam et profiteri et credere, nihil omninò definiunt quod fideles sequi teneantur.

Huic quæstioni illud primum dandum est, non satis esse, ut conciliorum et pontificum judicia firma esse credantur, in divino officio publicè à totâ etiam Ecclesiâ celebrari. Nec enim historiæ, quibus martyrum et confessorum gesta narrantur, quamvis per summum pontificem aut concilium approbatæ sint, fidei decreta sunt; sicut ne opuscula quidem doctorum ecclesiasticorum, quæ probantur à synodo Gelasii papæ, decimâ quintâ distinctione, cap. *Sancta Romana.*

Item illud damus, ac libenter quidem, non statim si quidquam juris canonici volumine continetur, fidei dogma esse credendum. Nam, ut libro huic proximo apertiùs ostendemus, nonnulla habentur in epistolis Decretalibus, quæ fidei catholicæ decreta non sunt, idque ipsum nunc ex Clementinâ unicâ de summâ Trinitate disertè ostendebamus. Quod non in hâc solùm Clementinâ existimandum est intervenisse, sed idcircò hìc admoneri nos, ut in aliis quoque locis simile quippiam credamus posse contingere. Id verò tùm maximè, cùm aut verbis opinandi utuntur judices, aut responsa non ad totam universalem Ecclesiam, sed ad privatas Ecclesias et episcopos referuntur. Intelligendi sunt enim eo tantùm casu de fide pronuntiare, ubi judicium in omnes Christi fideles spectat, omnes ligat. Certitudo quippè fidei judicibus à Deo constitutis non propter Ecclesias privatas promissa et concessa est, quæ singulæ errare possunt, sed propter Ecclesiam universalem, quæ errare non potest. Itaque summorum pontificum conciliorumque doctrina, si toti Ecclesiæ proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tùm verò de fidei causâ judicium est. Sed animadvertendum est diligentiùs, et quæ natura rerum sit, de quibus judicium est, et quæ verborum proprietas et pondus. Nimirùm enim ecclesiasticæ doctrinæ, quam amplecti etiam tenemur, non idem est gradus, nec omnia judiciorum decreta eodem loco habenda sunt. De quâ re quoniam in duodecimo libro sumus longè latèque disputaturi, nunc dicere non est operæ pretium. Id dicimus, nec omnia, quæ aut juris, aut conciliorum volumina continent, doctrinæ christianæ esse judicia, nec omnia rursùm doctrinæ judicia, fidei censuras esse. Multa siquidem ad sanam Ecclesiæ disciplinam attinent, quæ fidei decreta non sunt.

Nonne igitur, dixerit quis, erit aliqua nota, quâ conciliorum de fide judicia internosci queant? Erit planè. Prima, et ea quidem manifesta, si contrarium asserentes pro hæreticis judicentur. Cujus rei exempla habes capite *Damnamus*, de summâ Trinitate, et capite *Unico*, de summâ Trinitate, in 6, et Clement. Unic. *de summâ Trinitate*, § 2. Altera nota est, cùm in hanc formam synodus decreta præscribit : « Si quis hoc aut « illud senserit, anathema sit, » qualia permulta sunt in conc. Toletano primo, et in synodo Trid. Tertia est, si in eos, qui contrà dixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur. Exemplum est de hæreticis, cap. *Cùm Christus*, et c. *Ad abolendam*, in concilio tamen Trident., sess. habit. 11 octobris anni 1551, de Eucharistiæ sacramento definitum est, confessionem sacramentalem ecclesiasticæ præmittendam esse, si conscientia peccati mortalis gravat. Et protinùs : « Si quis, « ait synodus, contrarium docere, prædicare, vel per« tinaciter asserere, seu etiam publicè disputando de« fendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus exis« tat. » Sed hoc propter periculum cautum est; erat enim opinio contraria perniciosa, ideòque excommunicatio illa ad publicam doctrinam vel maximè refertur. Nam quòd sententia Cajetani non fuerit pro hæreticâ condemnata, et nos testes sumus, qui concilio interfuimus, et contextus ipse demonstrat; habet enim can. 11, idemque postremus in hunc modum : « Si quis dixe« rit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad « sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, « anathema sit. » E vestigio autem adduntur mutatâ dicendi formâ hæc verba : « Et ne tantum sacramentum, « etc., » ubi vides Cajetani sententiæ anathema non dici, sed quoniam non solùm falsa, sed noxia etiam erat, reprobari : et propter periculum, publicam præsertìm prædicationem et disputationem interdici. Quarta, si quidquam expressè et propriè à fidelibus firmiter credendum, aut tanquàm dogma fidei catholicæ accipiendum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio doctrinæve Apostolorum contrarium. Dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo et firmo decreto. Licèt enim opinio Durandi reprobetur, cap. *Gaudemus*, de divortiis, sed qui dixit : « Verùm absonum « hoc videtur et inimicum fidei Christianæ, » is noluit hæreseos illum condemnare. Verbum enim *videtur* judiciorum infirmat certitudinem. Porrò autem, quæ in conciliorum vel pontificum decretis vel explicandi gratiâ inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter et in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimùm controversia, ea non pertinent ad fidem; hoc est, non sunt catholicæ fidei judicia. Exempli causâ ponamus aliquid, quod positum in unâ re, transferri per multas possit. Quod in capite *Firmiter, de summâ Trinitate*, dicitur, Angelos esse incorporeos, id non fidei decretum est, cùm post Decretalem illam nonnulli et philosophi et theologi falsò quidem, et citrà hæreseos notam contrarium asseruerint. At enim, ut explicaret synodus, id quod fides catholica tenet, Deum esse creatorem omnium visibilium et invisibilium, adjecit, corporalium et incorporalium. Quas particulas exponendi, non definiendi gratiâ adjectas esse constat. Ac quemadmodùm concilium sumpsit id, quod et verum, et longè, longèque plurimùm probabile erat, Angelos ut invisibles, ità quoque incorporeos esse; sic fortè et illud accepit, Angelos et mundum simul esse congenitos. Non enim eo temporis hoc agebatur, ut Gregorii Nazianzeni, et aliorum hunc sequentium opinio damnaretur. Nec ego tamen is sum, qui opinionem hanc tueri in præsentiâ velim. Non enim dubito, eam hoc sanè tempore temerè et inconsideratè, ne quid prætereà dicam, defendi. Sed id ago, quâ in re operæ pretium me theologis facturum existimo, non omnia, quæ etiam absolutè et simpliciter in conciliis affirmantur, fidei decreta esse. Cujus rei

exempla, si opus esset, permulta facilè promerem; sed nolo esse longus in singulis explicandis. Nam de quartâ quæstione satis.

Postrema verè quæstio animum pulsat, an concilia in moribus errare possint. Nam si quis ait, habet in primis argumentum illud, quòd Dominus solùm rogavit pro Petro, ne deficeret fides ejus; in aliis ergò, quæ non ad fidem, sed ad mores attinent, errare Ecclesia poterit.

Deindè nihil à Catholicis certâ fide creditur, quod non sit idem divinitùs Ecclesiæ revelatum; quidquid ergò definiat synodus, si non ad fidem, sed ad mores attinet, non oportet certâ fide credi.

Prætereà in canonizatione sanctorum, sic enim nostri vocant, fidem Ecclesiæ detrahere sine fidei discrimine possumus. Compertum est autem eam rem ad mores spectare: errare igitur Ecclesia in morum judicio potest. Illud verò Thomæ, quodlib. 9, art. ult., et Antonini, 3 part. tit. 12, cap. 8, testimonio comprobatur, qui non aiunt certò et firmiter, sed piè credendum esse Ecclesiam in re hujusmodi non errare. Nam quòd absolutè possit, illa ratio confirmat, quòd in id genus judiciis Ecclesia hominum eorum testimoniis innititur, qui et fallere et falli possunt. Jam si concilium, cùm de Theologiæ dogmate censet, non certis et exploratis argumentis, sed probabilibus niteretur, fidem certè dogmatis illius indubitatam non faceret. Fides ergò ambigua summo pontifici habebitur, ut qui cùm hominem quemvis in divorum numerum refert, incertis mediis et argumentis nititur.

Ordinum approbatio tandem, in quibus sub diversis institutis et regulis varia hominum genera Christo militare dicuntur, ad mores haud dubiè pertinet. At dubium non est, aliquos ordines non modò inutiliter, vèrum noxiè etiam approbatos. Etenim in tàm multis et ordinibus et institutis usquè adeò religioni incommodatum est, ut inter reliqua malorum remedia hoc etiam à synodo generali jure ac meritò expectarent viri pii, ut, paucis quibusdam selectissimis retentis ordinibus, cæteri omnes exploderentur. Falsum est ergò aliquandò et imprudens de moribus Ecclesiæ judicium: siquidem id quandòque approbat, quod non approbâsse oportuisset. His argumentis quidem auctoritatem ecclesiasticam infirmare pergunt, tantùm in judicio morum; nam in fidei decretis firmam esse nobiscum etiam consentiunt. Sed quoniam quædam Ecclesiæ de moribus judicia sine dubio certa sunt, quæ sint illa, repetendum altiùs videtur.

Omnis de rebus theologicis duplex est quæstio. Unum genus est, quod ad contemplationem et rerum cognitionem pertinet; alterum, quod positum est in morum præceptis, quibus in omnes partes usus vitæ confirmari possit.

Atque etiam alia divisio est theologicæ quæstionis. Nam et una est, cujus cognitio et explicatio ad salutem est necessaria; est et altera, cujus ignoratio sine pietatis salutisque jacturâ esse potest. Non enim in theologiâ semper de necessariis agitur, sed interdùm etiam de his quæ utilia esse videntur, quamvis non sint adeò necessaria.

Multa sunt autem et in superioribus libris, et in hoc etiam adversùm eos disputata, qui de Ecclesiæ auctoritate in fidei judiciis parùm rectè sentirent, atque in sequenti libro nonnulla quoque disputabuntur. Ecclesiæ verò auctoritatem eam nunc appello, quæ synodorum etiam generalium ac summi pontificis est. Hæc enim est una res prorsùs, ut non differat multùm inter Ecclesiæ, conciliorum, Sedisque apostolicæ judicia: propterea quòd connexa hæc et colligata sunt, quemadmodùm esse videmus humanum corpus et caput. Itaque quæ erant ecclesiasticæ auctoritatis in fidei decretis propria, locis suis aut dicentur, aut dicta sunt. Quæ autem pertinent ad judicium morum, de quibus jamdiù loquimur, nunc dicenda sunt.

Sit igitur prima conclusio. Ecclesia in morum doctrinâ eorum, qui ad salutem necessarii sunt, errare non potest. — Exempli causâ ponatur aliquid, quod patet latiùs, an fideles laicos Eucharistiæ sacramentum sub utràque specie accipere oporteat, an panis potiùs species sola satis sit: quæstio est earum rerum, sine quibus salus esse non potest. In hàc ergò et aliis id genus controversiis Ecclesiæ decretum certum est. Itaque si quid necessariò, vel agendum, vel vitandum firmo judicio definit, in hoc errare nequit, sicut ne in fide quidem. Deus enim non deficit in necessariis, ut sæpè antè dictum est; in doctrinâ ergò morum eorum, qui sunt ad salutem necessarii judices et doctores Ecclesiæ à Deo dati errare non queunt. Confirmat autem illud vel maximè, quod Dominus Petro inquit, Joan. 21, 17: *Pasce oves meas*, et Paulus, ad Ephes. 4, 11, dedisse Deum pastores et doctores, ait, *ad consummationem sanctorum, ut non circumferæmur omni vento doctrinæ*. At si errarent in moribus ejusmodi, non pascerent salubriter oves. Non enim moralis doctrina minùs exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quàm fidei disciplina. In his igitur Ecclesiæ pastores errare non possunt. Adde, quòd Dominus, apud Joannem, pollicitus est, capite 16, v. 33, Spiritum docturum Ecclesiam omnem veritatem, scilicet ad vitam æternam consequendam necessariam. At utraque veritas necessaria est, et quæ ad contemplationem pertinet, et quæ ad actionem; in utràque ergò definiendâ Spiritus docet Ecclesiam.

Præterea Apostolus in priore ad Timotheum Epistolâ, cap. 3: *Hæc*, inquit, *scribo tibi, ut scias quomodò oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis*. Ea autem, quæ ibi scribebat Paulus, ad morum veritatem magnâ ex parte spectare perspicuum est. Est ergò Ecclesia firmamentum, non ejus veritatis solùm, quæ in contemplatione cernitur, sed illius etiam, quæ aliquid molitur ut faciat, nimirùm ut sciamus quomodò oporteat nos in domo Dei conversari.

Præterea, si Ecclesiæ pastores, in concilium præsertìm congregati, leges et præcepta vitæ sinistrè interpretarentur, ut videlicet quæ essent ad salutem necessaria, ea non necessaria dicerent, aut quæ contrà minimè essent necessaria, hæc esse necessaria definirent, cùm Christus dixerit: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi; quæcumque dixerint vobis facite;* et rursùm: *Qui vos audit, me audit;* Ecclesia

certè pastores errantes sequens, juxtà quod illi præscriptum est, hujus erroris Christum præcipuum haberet auctorem. Ad hæc, si lex evangelica manca et imminuta non fuit, ut reverà non fuit, eos omninò mores præfinivit, qui essent ad salutem necessarii. Imperfectus enim legislator est, nisi ea præscribat, sine quibus reipub. finis constare non potest. At Spiritus veritatis Apostolis eorumque successoribus suggerit quæcumque Christus dixit nobis : in præceptis ergò vitæ necessariis errare illi non possunt. Item Matthæi 16: *Tibi*, inquit Dominus Petro, *dabo claves regni cœlorum*. Regnum autem cœlorum utràque ignoratione clauditur, et fidei et morum. Ecclesia ergò utrasque quæstiones aperire Christo auctore potest, utrosque nodos solvere, sive ad fidem, sive ad mores attineant. Hùc enim illud accedere credendum est : *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis*. At, inquis, intelligitur clave non errante. Benè volo. Sed aliud est de privatis pastorum judiciis disserere, quæ negligere etiam aliquandò possumus, aliud de Ecclesiæ communibus, quæ perindè ut Ecclesiæ decreta debemus amplecti. Et quidem cùm pontifex, quicumque ille sit tandem, quidquam privatìm agit, solvitque, aut ligat, errare per ignorantiam, aut etiam malitiam potest, et abuti clavium potestate. At cùm publica sunt totius Ecclesiæ judicia, eaque in rebus ad salutem necessariis, Ecclesiæ totius omnes communes judices, quales sunt concilii Patres, errare nequeunt, ne per hujusmodi errorem christiana tota plebs in ignoratione veritatis ad vitam instituendam necessariæ versetur.

Præterea, concilium Constantiense, sess. 13, condemnat ut hæreticos eos qui dixerint Ecclesiam errare in consuetudine administrandi populo Eucharistiam sub unâ specie tantùm. Et Martinus V, in litteris, quibus concilium approbavit, qui hoc Ecclesiæ institutum damnant, eos definit tanquàm hæreticos, vel sapientes hæresim coercendos. Ecclesia igitur in morum hujusmodi judiciis non errat, neque ex consequenti ne concilia quidem summi pontificis auctoritate confirmata.

Hujus verò conclusionis et altera consectaria esse videtur, Ecclesiam, cùm in re gravi quidem, et quæ ad christianos mores formandos apprimè conducat, leges toti populo dicit, non posse jubere quidquam, quod aut Evangelio, aut rationi naturæ contrarium sit. Non ego hìc omnes Ecclesiæ leges approbo; non universas pœnas, censuras, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta commendo. Scio nonnullas ejusmodi leges esse, in quibus si non aliud præterea quidquam, at prudentiam certè, modumque desideres. Id ergò dico, summorum pontificum conciliorumque præcepta, scita, sanctiones omnibus nobis probatum iri, si moribus fidelium instituendis sint necessaria. Si enim Ecclesiæ consuetudo, quod modò ex concilio Constantiensi afferebamus, Evangelio adversari non valet, ergò ne Ecclesiæ quidem lex Evangelio adversabitur.

Deindè Ecclesia non potest definire, quippiam esse vitium, quod honestum est, aut contrà honestum esse, quod est turpe : ergò nec suâ editâ lege probare quidquam, quod Evangelio rationive inimicum sit. Si enim Ecclesia expressè vel judicio, vel lege latâ turpia probaret, aut reprobaret honesta, hic jam nimirùm error non solùm fidelibus pestem ac perniciem afferret, sed fidei etiam quodam modo adversaretur, quæ omnem virtutem probat, universa vitia condemnat. Accedunt illa : *Quæcumque dixerint vobis, facite;* et : *Qui vos audit, me audit.* Quibus præcipimur Ecclesiæ legibus obtemperare. Ità, si errat illa, Christus nobis erroris auctor est. Quæ qui videat, non modò indoctè, verùm etiam impiè faciat, si Ecclesiam in morum doctrinâ errare contendat : præsertìm si mores et præcepta vivendi sint ad salutem necessaria. Quæ autem ratio id de Ecclesia convincit, eadem convincit de concilio, in quo universalis Ecclesiæ auctoritas residet. Quarè, quemadmodùm concilium falsa plebi credenda proponere nequit, sic nec mala potest proponere facienda; proponere, inquam, firmo, certoque decreto, quo omnes et ad credendum, et ad faciendum sub æternâ pœnâ obligentur.

Sed an sit hæreticum asserere, vel aliquam Ecclesiæ consuetudinem esse malam vel aliquam ipsius legem injustam, non ausim definire. Nam licèt concilium Constantiense, sessione 13, statuerit, eos pro hæreticis condemnandos, qui affirmârint, Ecclesiam errare in more communicandi plebem sub unâ specie tantùm, at eo tempore statuit, quo sine capite erat. Contendit autem Cajetanus in opusculo de auctoritate papæ et concil., et in Apologiâ c. 20 et 21 Turrecremata item, tertio libro, cap. 32 et 33, concilium mutilum sine capite in decretis fidei ferendis nullam habere certam auctoritatem. Et quanquàm id multis quidem argumentis suadere nituntur, sed apud me illud est maximum, quòd sicut Deus non deficit in necessariis, ità non abundat in superfluis. Cùm ergò sola auctoritas deponendi pontificem hæreticum, et aut eligendi, aut decernendi catholicum, sit Ecclesiæ necessaria in casibus quibus Ecclesia concilium sine capite cogere jure suo potest, nihil causæ est, cur ampliorem potestatem concilio imperfecto tribuamus. Reliqua siquidem per integrum concilium expediri possunt, vel electo pontifice catholico, qui non erat, vel definito certo, cùm inter multos, quisnam esset verus pontifex, dubium erat. Adde quòd, ut suprà dictum est, concilii dogmata non sunt firma, nisi à romano pontifice confirmentur. Quandò ergò concilium sine capite est, non habet dogmatum certitudinem. Prætereà Martinus V, in litteris, quibus concilium probat, non simpliciter probat illum articulum, sed solùm definit eos qui docuerint Ecclesiam in consuetudine ejusmodi errare, esse vel ut hæreticos, vel ut sapientes hæresim condemnandos. Quod ergò Martinus concilio præsidens non est ausus nomine hæreseos condemnare, id ego graviore censurâ accusare non audeo, nec debeo. Quòd si in more ad salutem necessario, qualis ille videtur esse, de quo in concilio Constantiensi erat controversia, tanta fuit Martini modestia, quantò nos modestiores esse oportet in aliis erroribus condemnandis, qui consuetudini Ecclesiæ minimè ad salutem necessariæ refragantur!

Morem circumgestandi solemni processione per vias publicas Eucharistiæ sacramentum Lutherani reprobant. Si originem erroris et principium spectes, hæresis tibi erit. Nam ideò illi morem hunc circumferendi sacramenti rident, quia veram Christi præsentiam in sacramento negant. Sed si ipsum in se errorem contemplaris, hæresim sapit, temeritas et imprudentia est. Quamvis enim multis nominibus hic error est notandus, non tamen est hæresis, cùm etiamsi in hâc consuetudine erraret Ecclesia, non proindè in gravioribus rebus ejus periclitaretur auctoritas. Quæ causa concilio Tridentino fuit, ut canonem sextum de Eucharistiæ sacramento cautè formârit in hæc verba : « Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ sacramento « Christum non esse cultu latriæ etiam externo ado« randum, atque ideò nec festivâ peculiari celebritate « venerandum, neque in processionibus secundùm « laudabilem Ecclesiæ consuetudinem solemniter cir« cumgestandum, anathema sit. » Non enim eos anathemate simpliciter percellit synodus, qui ritum illum Ecclesiæ reprehenderint, sed qui idcircò hoc faciunt, quia nec præsentiam corporalem Christi in Eucharistiâ admittunt, atque adeò ne ipsius quidem adorationem et cultum. Atque hæc eadem fortassè causa Martinum V impulit, ut qui reprehenderent ecclesiasticam illam consuetudinem impartiendi Eucharistiam populo sub unâ specie, eos non ut hæreticos, sed ut sapientes hæresim condemnârit. Cùm enim sub utrâque olìm specie plebs sacramentum Eucharistiæ acceperit, idque Apostolorum auctoritate et usu confirmata, non erat hæreticum in dubium vertere, an vetus ille Ecclesiæ mos novo esset præferendus. Sed quoniam Wicleffistæ idcircò asserebant Ecclesiam errare, quia existimabant necessarium esse plebi ad salutem, utramque sacramenti speciem sumere, hùc detorquentes illa Domini verba : *Nisi manducaveritis*, et cætera ; prudentissimè Martinus V vituperationem ecclesiastici novi moris non dixit hæresim esse, sed hæresim sapere. Est quoque illud argumentum grave, cur hujusmodi erroribus hæreseos nota non inuratur, quòd, ut postea dicemus, non est hæreticum credere, Ecclesiam hominibus in divos referendis errare posse. At jubet Ecclesia interdùm divos, quos hujusmodi honore afficit peculiari die festo et cultu colere : non est igitur hæresis astruere, in hâc de uno, aut altero divo colendo lege ac consuetudine Ecclesiam errare. Sed intelligendum est, Ecclesiæ mores quosdam à Christo et Apostolis Ecclesiæ traditos, in quibus qui Ecclesiam errare diceret, hic erroris ejus Christum et Apostolos auctores faceret. Quamobrem hæreticus censeretur, ut Iconomachi, qui Ecclesiam in veneratione et cultu imaginum errare asseruerunt. Alii verò mores sunt post Apostolos inducti, in quibus quamvis Ecclesia erraret, non propterea fides periclitaretur. Sine periculo igitur hæreseos teneri potest, Ecclesiam in aliquâ lege et more posse errare. Sed de secundâ conclusione hactenùs. Sit tertia conclusio.

In moribus non toti Ecclesiæ communibus, sed qui ad privatos homines vel Ecclesias referuntur, errare per ignorantiam Ecclesia potest, non in judicio solùm rerum gestarum dico, sed in ipsis etiam privatis præceptis et legibus. — Cùm quis enim occultè, unâ uxore habitâ, alteram ducit publicè, jubet illi Ecclesia ut priore relictâ posteriorem accipiat. Quâ in re sine dubio fallitur, et id præcipit homini, quod rationi Evangelioque adversum est. Hujus verò conclusionis veram et idoneam causam Innocentius III reddidit, in cap. *A nobis*, de sentent. excom. in hæc verba : « Judicium « Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper in« nititur ; judicium autem Ecclesiæ nonnunquàm opi« nionem sequitur, quam et fallere sæpè contingit, et « falli : propter quod contingit interdùm, ut qui liga« tus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus ; et qui « liber est apud Deum, ecclesiasticâ sit sententiâ in« nodatus. » Hactenùs Innocentius. Hæc autem quæ perspicua esse videntur, breviter et sine disceptatione dijudicanda sunt. Nec enim omnia nos, ut quæramus, exponimus, sed ut explicemus. Hoc itaque loco non tàm conclusio, quàm conclusionis causa consideranda est. Nam indè liquet, id quod est animadversione dignissimum, certa et firma Ecclesiæ decreta esse non posse, quæ non certis et firmis principiis ac fundamentis innitantur. Quocircà si vel unum ex his, à quibus Ecclesiæ judicium pendet, incertum est, certum Ecclesiæ decretum esse non potest, sive quæstio speculativa sit, seu practica : sic enim nostri loqui solent. Conclusio quippè, ut in dialecticorum proverbio est, debiliorem partem sequitur, et si unumquodlibet principiorum claudicat, eam quoque ex illâ parte debilitari necesse est, Antonius, p. 3, tit. 12, c. 8, Cajet. opusc. de indulg. ad Julian. c. 8, D. Thom. in quodl. Quâ ex re facilè intelligitur, Ecclesiæ judicia, quæ ab incertis hominum testimoniis proficiscuntur, infirma esse ad certam et exploratam faciendam fidem. Quale illud est, quo sanctum aliquem divorum catalogo adscribendum censet. Nec tamen impunè licet hujusmodi decreta in dubium revocare ; quin temerarium et irreligiosum est, in divis consecrandis Ecclesiæ abrogare fidem. *Injuriam enim facit martyri, qui orat pro martyre*, ut capit. *Cùm Marthæ*, de celebr. miss. Innocentius tradit : injurius ergò est, ac multò etiam magis, qui martyrem catalogo adscriptum è divorum numero rejicit. Id quoniam temerè et inconsideratè faciet, jure profectò ab Ecclesiâ punietur.

Mox etiam si unum aliquod hujus generis decretum in quæstionem veniat, certè Hieronymi, Ambrosii, Augustini, ac reliquorum sanctitatem sine crimine in quæstionem vocare poterimus : atque adeò asserere, illos cum dæmonibus condemnatos. Ità posses eos maledictis concidere, ac vexare contumeliis, quæ omnia aures sanè fidelium perhorrescunt. Quòd si viris justis in divorum catalogum reponendis Ecclesia erraret, nimirùm non esset valdè absurdum, divorum omnium cultum ab Ecclesiâ explodere, eorum qui post Clementem consecrati sunt. Quo quid aut stultius aut impudentius dici potest ? Item multùm refert ad communes Ecclesiæ mores, scire quos debeas religione colere : quarè si in illis erraret Ecclesia, in moribus

ge[illegible]que graviter falleretur. Nec differt, diabolum colere, aut hominem condemnatum. Atque si Ecclesia abs[illegible] legem rogaret, quæ vel rationi, vel Evangelio adversa esset, turpiter ab illâ profectò erraretur: turpiter ergò etiam errabit in doctrinâ morum, si legem ferat de colendo divo, quem colere, si divus non est, et cum ratione et cum Evangelio pugnat. Ne igitur tantus error in Ecclesiâ sit, Deus peculiariter providere credendus est, ne Ecclesia, quàmlibet hominum testimonia sequatur, in sanctorum canonizatione erret. Cujus peculiarissimæ providentiæ abundè magnum argumentum est, quòd nunquàm infirmata est fides ab hominis testibus semel in hujusmodi judiciis suscepta, quod in causis civilibus sæpè accidit. Quæ si singula fortè non moveant, universa certè tamen inter se connexa atque conjuncta movere debebunt, ut qui fidem in his Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credamus. Quibus rebus expositis, primum, secundum, ac tertium argumentum facilè refelluntur.

Nam quæ de postremo disputari possunt, illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur.

Nunc illud breviter dici potest, qui summi pontificis omne de re quâcumque judicium temerè ac sine delectu defendunt, hos Sedis apostolicæ auctoritatem labefactare, non fovere, evertere, non firmare. Nam ut ea prætereamus, quæ paulò antè in hoc capite explicata sunt, quid tandem adversùm hæreticos disputando ille proficiet, quem viderint non judicio, sed affectu patrocinium auctoritatis pontificiæ suscipere, nec id agere, ut disputationis suæ vi lucem ac veritatem eliciat, sed ut se ad alterius sensum voluntatemque convertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostrâ adulatione non eget. Ordines igitur vel probare, vel refellere, quoniam non è scientiâ id solùm, sed etiam è prudentiâ pendet, non ad ea pertinet in quibus summus pontifex errare nequit. Atque jam vel in concilio Lateranensi, de rel. do. cap. ult., advertebatur religionum nimiam multitudinem, quam nunc esse videmus, valdè Ecclesiæ Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunense fatetur, de rel. do. in 6, quòd importuna petentium inhiatio contrà synodi decretum aliquarum religionum confirmationem extorsit. Undè quosdam ordines per Sedem etiam apostolicam approbatos, tanquàm Ecclesiæ vel noxios, vel inutiles abolendos esse ità decrevit, ut nullum deinceps ad eorum professionem admitteret. Et Cœlestinus V statum vitamque Fratricellorum suo privilegio confirmavit: quod tamen confirmationis privilegium Joannes XXII apertè infirmum esse dixit, in Extrav. *Sancta Romana.* Vide etiam Extravag. *Quia quarumdam*, de verb. Signific., ejusdem Joan. XXII, quòd Bonifacius ex certis rationabilibus causis ea quæ Cœlestinus concesserat, viribus penitùs evacuâsset. Paulus item III ordinem quem in Italiâ frater Baptista Cremensis instituit, litteris suis probâsse dicitur; at nuper et ordo ille à Venetis est edicto publico explosus, et Baptistæ doctrina, cui illius ordinis homines inhærebant, Romæ est condemnata. Imbecillum itaque eorum argumentum est, qui ex hujusmodi privilegiis, quæ his facilè temporibus vel conceduntur, vel potiùs extorquentur, novas religiones non aliter ac de cœlo lapsas excipiendas esse confirmant, eas quoque quæ nullam regulam ex approbatis habent, nullam vel à suis editam profitentur. Nec ejus generis privilegia certa sunt Sedis apostolicæ judicia, quibus scilicet omnes fideles astringantur. Satis fuerit, si eam habeant auctoritatem, quam epistolæ decretales, quarum nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas, quoniam non ex firmo decreto, sed ex pontificum opinione prodierunt. Et quidem antè D. Thomæ tempora adeò restrictè et gravatè novi ordines admittebantur, ut ex tàm gravi augustoque judicio probabile argumentum prudentis consilii sumeretur. Nostro verò hoc seculo tàm multæ sunt religiones à pontificibus confirmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit tanquàm Ecclesiæ vel utiles vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine jure optimo summisque rationibus arguatur. Sed jam liber de conciliorum auctoritate concludendus est, si priùs tamen eorum conatum refutemus, qui in hujus loci firmissimam soliditatem impetum facere et incursionem voluerunt.

CAPUT VI.

In quo refelluntur argumenta capitis primi.

Primum igitur adversariorum argumentum ex his, quæ superiore libro dicta sunt, promptissimè refellitur. Ostendimus enim Ecclesiæ nomen principibus et majoribus solere tribui: et in illis reipublicæ sitam esse auctoritatem, quos *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*, Act. 20, 28. Ac si Ecclesia columna est et firmamentum veritatis, Apostoli etiam sunt Ecclesiæ fundamenta, ut ad Ephes. cap. 2 et Apoc. 21, dicitur; corporis quoque robur et firmitas à capite pendet; quod si tollas, cadat corpus necesse est. Episcopi verò populorum capita sunt, et Petrus Ecclesiæ caput est, quemadmodùm sequenti libro demonstraturi sumus. At sunt idiotæ episcopi. Valentinus olim et similes imperitiam sanctorum presbyterorum arguerunt, non contemplantes, quantò pluris sit idiota religiosus blasphemo et impudente sophistâ, quemadmodùm Irenæus ait lib. 5. Sabinus quoque idem objecit concilio Nicæno, ut lib. 2 Hist. Trip., cap. 8, scribitur. Sed et Apostoli idiotæ erant: per quos tamen Deus sapientes hujus mundi confudit. *Videte*, inquit 1 Cor. 1, 26, *vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes*, etc., *sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confunderet sapientes.* Non propter sapientiam majorem pastores Ecclesiæ firmi in fide et doctrinâ sunt, sed propter peculiarem Christi procurationem, ne pastoribus et doctoribus vacillantibus populus fluctuet, circumferaturque omni vento doctrinæ. Quid verò, si sancti episcopi non sunt? An solvendi et ligandi potestatem amittunt? Nùm pascendi auctoritate carent? *Super cathedram*, inquit Matth., 23, 2, *Moysi, sederunt scribæ et pharisæi; quodcumque dixerint vobis facite, secundùm autem opera eorum nolite facere.* Quoniam verò cùm ab aliis plerisque, tùm ab Augustino maximè ostensum et patefactum

est, per malos etiam administros Christi radios in Ecclesiâ fundi, supervacaneum erit ei nunc argumento pluribus respondere, cui antè per nos abundè responsum est.

Ad id quoque, quod deinceps sequitur, non est difficile respondere. Nam sacerdotum veterum acta quidem Christo adversa fuerunt; at sententia hominum alioqui pessimorum non solùm verissima, sed reipublicæ etiam utilissima fuit. Quin divinum oraculum fuisse Joannes Evangelista testatur. Cùm enim post longam variamque concilii deliberationem, Caiphas, qui ut summus pontifex concilio præsidebat, sententiam illam, cui omnes fermè consenserunt, dixisset : *Expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat,* mox Evangelista subjecit : *Hoc à semetipso non dixit, sed cùm esset pontifex anni illius, prophetavit.* Quà ex re fit, ut et nostrorum pontificum vita quidem et opera contraria fortè sint Domino Jesu; sed eorum judicia, quæ videlicet à summo pontifice comprobata sint, et vera erunt, et Christianis utilia, ut quæ ad populi salutem sint divinitùs instituta : imò adeò à Spiritu sancto erunt ob eam causam, quam ab Evangelistâ didicimus, quia scilicet Ecclesiæ Christi pontifices sunt. At de secundo argumento satis.

Tertium verò argumentum sic refellitur. Nego, nullum Christi pactum cum Ecclesiæ sacerdotibus esse. Est enim primum cum Petro cæterisque qui illi in pontificatu succedunt, ut Matth. 16, et Luc. 22, videre est. Promisit item Apostolis, eorumque proindè successoribus Christus Spiritum veritatis, Joan. 14, 15 et 16. Pactum quoque veritatis cum Ecclesiâ initum, Ezech. 34, 25, et 39, 26, ad Ecclesiæ tandem pastores et doctores referendum est. Non enim Ecclesiam suam Deus aliter quàm orbem administrat, ubi infima per media, media per suprema geruntur, quemadmodùm Dionysius admonuit. Pacta verò et conventa illa vetera longè alia ac nostra sunt. Illa enim temporaria erant, sicut et lex et sacerdotium. Ablatum quippè à Judæis regnum, ablata lex, translatum sacerdotium.

Sacerdotalis autem et veritas et auctoritas paulò antè adventum Christi labefactari cœperunt. Nam quod antiquatur, et senescit, ac propè interitum est, id debilitetur oportet, atque infirmum fiat (1). Prophetæ igitur ii vel maximè, qui Christi adventui proximiores fuerunt, identidem hanc legis, veritatis, auctoritatis, sacerdotii, sceptrique ruinam judaico populo annuntiabant. Eorum hâc de re oracula si quis ad Christi Ecclesiam referre nisi ex parte velit, illa prorsùs ignorat psalm. 109, 4 : *Tu es sacerdos in ternum, secundùm ordinem Melchisedech;* item, psalm. 47,15 : *Hic est Deus noster in æternum, et in seculum seculi, ipse reget nos in secula;* item : *In misericordiâ sempiternâ misertus sum tuî. Dixit redemptor tuus Dominus : Sicut in diebus Noe istud mihi est, cui juravi, ut ne inducerem aquas ultrà super terram, sic juravi, ut non irascar tibi. Montes enim commovebuntur, et colles contremiscent : misericordia autem mea non recedet à te, et fœdus pacis meæ non movebitur,* Isaiæ 54. Item Jerem. 31, 31 : *Feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus vestris, quod irritum fecerunt,* etc. Et paulò post : *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei : Si defecerint leges istæ coràm me, tunc et semen Israel deficiet, ut non sit gens coràm me cunctis diebus,* etc. Item Jerem. 32, 40 : *Feriam ei pactum sempiternum, et timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me.* Item, Ezech. 37, 26 : *Percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis ;* cæteraque in novo Testamento similia, Luc. 1, 32 : *Regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis;* Matth. 28, 20 : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usquè in consummationem seculi;* Joan. 14, 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis;* Matth. 16, 18 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Hic est sanguis novi et æterni testamenti. Reprehensiones igitur comminationesque illæ Prophetarum generales ad tempus Dominicæ passionis potissimùm referendæ sunt, ut Hieronymus ipse, in Isa. 3, 56, 57, 59, 65, non semel testatur. Quid ergò sibi vult, cùm quæ adversùm antiquos sacerdotes dicta sunt, ea in nostros torquet omnia? Nempè omnia in figurâ contingebant illis; scripta sunt autem propter utilitatem nostram. Ea igitur, quæ Prophetæ in illo populo reprehendunt, ad nos quoque pertinent, servato tamen Synagogæ Ecclesiæque discrimine, ut illa ad tempus, hæc perpetua esse intelligatur. Compertum est autem, sine lege et doctrinâ, sine sacerdote et doctore, sine Christo et Spiritu veritatis, Ecclesiam nullo posse modo consistere. Quod quoniam aliis locis abundè satis explicatum est, non est frustrà hìc repetendum. Nam et novæ legis sacerdotibus conferre veteres, Scripturarum ignoratio est, Jerem. 5 et 23, Ezech. 34, secunda ad Corinth. 3 et 4. Cui autem aliquandò veterum dictum est: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi?* etc. Et rursùm, Luc. 22, 31 : *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua?* Quibus verò Synagogæ sacerdotibus et pastoribus Spiritus veritatis promissus est, Joan. 14, 16, et 16, 17, qui cum ipsis in æternum maneret, et in omni institueret veritate? Hieronymus itaque nec de sacerdotum concilio loquitur, nec de omnibus simul Ecclesiæ pastoribus. Ad singulas Ecclesias, privatosque et pontifices et sacerdotes verba Prophetarum refert, in Ecclesiam catholicam ejusque aut sacerdotium aut veritatem nihil dicit.

At verò illud movere quempiam poterit, quod Isaiæ cap. 22 scriptum est : *Expellam te de statione tuâ, et de ministerio tuo deponam te. Et vocabo servum meum Eliacim, et induam illum tunicâ tuâ, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitantibus Hierusalem, et domui Juda. Et dabo clavem domûs David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli, et erit in solio gloriæ domui patris ejus,* etc. Quæ de translatione sacerdotii veteris legis in novum Christi sacerdotium prophetata esse in dubium vocari

(1) His verbis auctor pro suo ingenio egregio exemplum connotat legis *transitionis*, quâ in suo motu a Providentiâ res omnes, tùm in physicis, tùm in moralibus, singulæ juxtà suam naturam, diriguntur.

non potest. Quod autem sequitur, videtur sensui nostro esse contrarium : *Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, et frangetur, et cadet, et peribit, quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.* Si enim Christus Dominus, qui tanquàm paxillus in Ecclesià fixus est, auferatur, et qui ex eo fide antè pependerant posteà peribunt et cadent, quomodò nos Ecclesiæ in fide firmitatem perpetuam pollicemur?

Quomodò etiam asserimus, Christum Ecclesiæ semper pastoribus affuturum? Hoc Hieronymus, lib. 7 in Isa., in commentari s ità solvit, ut ad dies novissimos referatur, cùm Matth. 24, 12, *refrigescet charitas multorum*, et locum habebit illud Luc 18 : *Putas, filius hominis veniens inveniet fidem super terram?* Quod quemadmodùm libro superiore diximus, non sic intelligendum est, quasi nulla tunc Ecclesia futura sit, nulla Christi fides, nullum mysticum fidelium corpus, nullus veritatis in eo corpore spiritus, quæ omnia sacris ipsis litteris adversarentur; sed usu Scripturarum, quod in comparatione aliorum minimum est, nullum esse dicitur. In tantum ergò in illis diebus fidelium numerus minuetur, ut Christus de medio Ecclesiæ sublatus esse videatur. Sed non avolabit à paucis illis, qui residui erunt, doctor suus, Isa. 30, 20; dabit eo quoque tempore Christus pastores et doctores, Eph. 4, 13, qui dat eos, *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Occurremus enim nos, qui vivimus, qui relinquimur in adventum Domini, et simul cum Domino erimus, 1 Thess. 4, 10. Ecclesia igitur ejusque species et forma in finem usquè seculi permanebit, permanebitque adeò cum eà et Christus, et Spiritus veritatis, sine quibus constare illa non potest. Atque Hieronymus illam Isaiæ vaticinationem ad Christum secundùm anagogen refert. Nam sensum historicum et litteralem libro Commentariorum quinto explicuerat. Ex sensu autem anagogico nullum certum argumentum trahitur. Sanè verò illud etiam considerandum est, propheticas illas reprehensiones non sic in omnes ejus temporis pastores et sacerdotes convertendas, ut nullus intelligatur exceptus. Concionatoribus siquidem hoc permissum est, ut quod plerosque tangit, id ità enuntient, quasi tangat omnes. Sic aliquandò totus ille populus ab Isaià reprehenditur, tanquàm in eo à plantà pedis usquè ad verticem capitis non sit inventa sanitas, Isai. 3, 6 : et tamen idem Propheta viros aliquos justos relictos esse fatetur, inquiens : *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen*, etc. Sic Helias in omnes invehitur, quasi relictus sit solus; at dicit illi divinum responsum : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua Baal.* Sed de tertio argumento satis multa diximus. Nam et ex his, quæ superiore libro responsa sunt, poterat abundè confutari.

Ad quartum verò respondeo primùm conciliorum auctoritatem illi testimonio non inniti. Nihil enim de Ecclesiæ conciliis præfinire videtur eo loco Christus, sed unitatis consensionem commendare, cujus ad impetrandum magna vis est. Quòd si propter Innocentium, d. 20, cap. *de quibus*, et propter synodum 6, actione 17, et propter synodum Chalcedonensem in epistolà ad Leonem, de synodis, locus ille intelligatur, aliter deindè respondere possumus, quòd quemadmodùm in nomine principis concilium aggregatur, cùm ejus auctoritate indicitur, sic synodus ecclesiastica in Christi nomine cogitur, cùm indicente Christo vel ejus vicario cogitur. Concilia itaque, quæ præter auctoritatem romani pontificis fiunt, non oportet Christum in medio habeant. Talis autem synodus illa Cypriani fuit. Tametsi ne omnes quidem viri justi, qui in nomine etiam Christi congregantur, quamvis Christum in medio habeant, ad hunc semper effectum habent, ut veritatem quæstionis propositæ decernere et tenere possint. Sed si fuerit res ad salutem necessaria, hoc fiet illis à Patre cœlesti, ut vel ab eo, in cujus nomine et auctoritate congregati sunt, probentur, si vera dixerint, vel doceantur, si vera non dixerint. Id enim satis est, ut preces illorum exauditæ dicantur juxtà præscriptum Matthæi testimonium. Illæ verò, quæ sequuntur, frivolæ sunt Calvini calumniæ, quibus non est operæ pretium respondere. Nam priori quidem nunc satisfecisse mihi videor, posteriori autem et in capitis superioris tertià quæstione ad postremum argumentum, et in tertii libri capite ultimo ad quartum respondimus. Sed de quarto argumento hactenùs.

Porrò ad quintum responsio antè oculos est ex his, quæ dicta sunt. Nam concilium Ariminense invito Liberio papà hæreticorum operà coactum fuit, ut et in historià ecclesiasticà, et in epist. Damasi ad Africanos episcopos, et in dist. 15, c. *Sancta Romana*, ex Gelasio refertur. Ephesinum quoque secundum, licèt auctore Leone congregatum fuerit, sed Dioscori tùm minis, tùm favoribus corruptum est, pontificis legatis, et quibusdam aliis bonis viris repugnantibus. Ità nusquàm fuit confirmatum, sed damnatum potiùs à Leone et synodo Chalcedonensi. Constantinopolitanum deniquè illud repugnante Ecclesiæ pontifice coactum est, reprobatumque posteà in synodo 7 generali, 367 Patrum, qui apud Nicæam convenerunt. Quo ex loco manifestè refelluntur ii, qui concilii auctoritate retentà, summi pontificis existimant non esse tenendam. Quid enim causæ est, cur concilium Constantinopolitanum primum 150 Patrum tanquàm unum ex Evangeliis habeatur, hoc autem alterum Constantinopolitanum, ubi multò plures fuerunt episcopi, habeatur pro nihilo? nempè conciliorum robur ab illo est, pro quo rogavit Christus, ne deficeret fides ejus, quò fratres suos posset in fide firmare. Sed de his sequenti libro diligentiùs.

Nunc sextum argumentum diluamus, in quo non parva quæstio est, nùm canones Trullani ecclesiasticam habeant auctoritatem. Nam quòd habeant, his argumentis suadetur. Primùm quòd Gratianus nomine sextæ synodi hos canones perpetuò citaverit, ut patet dist. 16, cap. *Placuit*, et cap. *Quoniam* et de cons. dist. 1, cap. *Jacobus*, et de cons. distinct. 2, cap. *Didicimus*, et 27, quæst. 1, *Si quis episcopus*. Sexta verò synodus

sine dubio Ecclesiæ auctoritatem habet, ut paulò post demonstraturi sumus. Trullanos ergò canones catholici probare debemus.

Deindè id suaderi potest ex Innocent. III, de ætat. et qualit. ord., cap. *A multis*, qui in synodo 6 constitutum esse dicit, ut si qui eorum, qui ad clerum accedunt, nuptiali jure mulieri voluerit copulari, hoc antè subdiaconatûs ordinem faciat. Constat verò hunc esse canonem 6 inter Trullanos.

Præterea Adrianus papa hos canones, et synodum à quâ sunt editi, probat et recipit, ut cernere est dist. 16, cap. *Sextam*, et de cons. dist. 3, cap. *Sextam*. Non igitur de Trullanis canonibus dubitare catholico licet.

Quarto loco id ipsum demonstratur ex synodo 7, act. 3, ubi Tharasius: « Ejusdem, inquit, sextæ synodi rectè et divinè decreta edita, traditosque canones recipio. » Et actione 4, Petrus episcopus dixit: « Habeo codicem sextæ sacræ synodi canones continentem. » Sanctissimus autem patriarcha Tharasius subjecit: « Quæ est hæc ignorantia, quâ plerique laborant circà hos canones? » Scandalum enim est dubitare, nùm sint sextæ synodi. Et actione 6, Epiphanius, qui loco synodi respondebat Iconomachis: « Sacra, ait, sexta synodus, posteaquàm sententiam suam de unâ voluntate Christi sub Constantino pronuntiâsset, iterùm unanimiter omnes divinâ voluntate post 4 aut 5 annos congregati, duos et centum canones edidère. » Quòd si divinâ voluntate unanimiter illi canones à Patribus sunt editi, probati utique sunt septimæ etiam synodi testimonio. Atque eadem synodus 7: « Definierunt, inquit, sextæ synodi sancti Patres, conventum per singulas provincias semel in anno fieri. Hunc ergò canonem et nos renovamus. » Auctoritatem ergò finiendi Patres illi habuerunt, et si sancti fuerunt, ut hìc dicitur, nihil sibi usurpârunt contrà Ecclesiæ regulas. At si præter sententiam romani pontificis coactum illud concilium est, adversùm ecclesiasticas regulas coactum esse constat; habet igitur Trullana hæc synodus solidam auctoritatem, si septimæ synodo credimus. Accedit his, quòd synodus 7, act. 5 et 6, Nicolaus in epist. ad Michaelem imperat., concil. Florentinum, sess. 5, horum canonum auctoritate utuntur.

Sed mihi rem hanc diligentiùs consideranti contraria opinio, et probabilior, et gravior videri solet. Cujus sententiæ auctores habeo Anastasium apostolicæ Sedis bibliothecarium, in proœmio in synodum 8, ad quam jussu Adriani II venit; nam erat utriusque linguæ græcæ et latinæ peritissimus, ut 63 dist., cap. 2, dicitur; in eâdem opinione est Theophanes, græcus historicus, et Humbertus, Silvæ Candidæ episcopus, apocrisiarius Leonis IX, in libello contrà epistol. Michaelis, patriarchæ Constantinopolitani. Qui liber citatur à Gratiano, ut liber Leonis IX contrà epistolam Nicetæ Abbatis. Sed et à Latinis non recipi hos canones, referunt Theodoretus Balsamon, et Matthæus monachus, maximi Latinorum detractores, ille in interpretatione eorumdem canonum, hic in historiâ conciliorum et virorum illustrium. Sunt autem argumenta quæ hanc sententiam confirment, irrefragabilia. Primum, quòd sexta synodus sub Constantino imperatore contrà Monothelitas ab Agathone congregata, atque à Leone II comprobata, nullos ediderit canones. Illa verò synodus, quæ sub Justiniano imperatore posteà coacta est, cur sexta synodus appelletur, nulla est causa. Sed de nomine nihil moror. Hoc solùm assero, ei concilio nec romanum pontificem, nec ejus legatos interfuisse. Subscriptiones episcoporum videantur, et res fiet manifesta. Justinianus primùm subscripsit, deindè episcopi qui sextæ synodo affuerant, sed nec numero pares, nec nominibus omninò similes, ut Theophanes et Anastasius evicerunt. Romani verò pontificis aut legatorum ejus nulla subscriptio est.

Alterum argumentum est, quòd Justinianus bis synodum apud Constantinopolim coegisse legitur, priùs sub Sergio, romano pontifice, posteriùs sub Joannne VII, eodem quoque episcopo romano. Et de priore quidem Beda, de naturâ rerum, cap. 67, ait Justinianum, romanæ Ecclesiæ pontificem, Sergium, quia erraticæ suæ synodo, quam Constantinopoli fecerat, favere et subscribere noluisset, jussisse Constantinopolim deportari, qui tamen ob culpam perfidiæ regni gloriâ posteà privatus, exsul in Pontum secessit. Hactenùs Beda. Et Platina, in vitâ Sergii: « Justinianus, inquit, synodum habuit, in quâ nonnulla approbata sunt orthodoxæ fidei nequaquàm congruentia. Eadem quoque Sergii apocrisiarius, qui tùm Constantinopoli erat, subscriptione suâ stolidè nimiùm confirmavit. Verùm, cùm posteà Romam delata à Sergio exploderentur, irâ percitus Justinianus, Zachariam misit, qui Sergium ad se vinctum traheret. » Hactenùs Platina. De posteriore autem idem Platina, in vitâ Joan. VII, ità scribit: « Justinianu, eâdem stultitiâ vexatus, quâ fuerat antè amissum imperium, Sergio pontifici duos metropolitanos Romam misit, qui Joannem adhortarentur, ut habitâ synodo, quæ de *homousio* crederent orientales, eadem etiam occidentales affirmarent, præpositis libellis, in quibus ei subscribendum erat. Homines tamen re infectâ ad imperatorem pontifex remisit. » Hæc ille. Ac si quis Trullani concilii verba velit expendere, statìm deprehendet, quale illud concilium fuerit. Sic enim habet: « Quoniam sanctæ universales synodi quinta et sexta, de mysterio fidei plenissimè disputantes, canones non fecerunt, proptereà nos convenientes in hanc imperialem urbem, sacros canones conscripsimus. Oportebat enim, ut synodus universalis canones ecclesiasticos promulgaret. » Hactenùs concilium. Principio autem, si in Constant. urbem convenistis, dicite mihi, ecquo evocante convenistis? Anne romanus aliquis episcopus vobis concilium indixit? Minimè id quidem. At romanus pontifex eo tempore certus erat, catholicus erat, addo etiam probus erat. Primates autem Ecclesiæ sine principis ecclesiastici, et veri, et catholici, et pii, voluntate cogere, hoc non est synodum velle facere, sed adversùs Ecclesiæ principem conspirare. Quemadmo-

dùm si regni proceres ad res publicas pertractandas sine regis arbitrio conveniant, conjuratio illa potiùs quàm congregatio existimabitur Justinianus, inquis, eos fecit convenire. Benè profectò narras : nam istum improbum fuisse, et Ecclesiæ rom. inimicum, memoriæ proditum est. Qualem autem synodum à tali viro profectam esse arbitrabimur? Sed audiamus causam conventùs faciendi. « Quoniam sanctæ universales sy-« nodi quinta et sexta canones non fecerunt, propterea « nos in hanc imperialem urbem convenientes, cano-« nes conscripsimus. Oportebat enim, ut synodus uni-« versalis canones ecclesiasticos promulgaret. » Itaque hæc Trullana synodus supplementum duarum esse dicitur, et quod deerat quintæ et sextæ, id nimirùm addidisse. Ideò enim nec sexta, aiunt, propriè nominatur, sed πενθέκτη, id est, quinisexta. Scilicet nomine sextæ synodi Trullana se priùs venditare volebat. At nunc nec sexta, nex quinta, nec septima est, sed monstrum quoddam, quinisexta. Illud verò quis ferat, quòd insimulant Patres hi duo gravissima concilia tanquàm mutila et imminuta, ut causa congregationis necessaria videatur? Enimverò concilium generale Ecclesia ne unum quidem habuit, ubi causa aut hæresis, aut schismatis nulla esset. Trullana hæc synodus sola est, quæ non ad profligandam hæresim, non ad tollendum schisma, sed ad canones edendos cogitur. Ecquid autem erat opus, pastores Ecclesiarum omnium suis sedibus cieri, ut post innumeros ferè canones apostolicos, Nicænos, Ancyritanos, Neocæsarienses, Antiochenos, aliorumque plurimorum et martyrum et confessorum, qui canone secundo Trullano comprobantur, alii centum duo ab his Patribus ederentur? Quantò verò graviùs sexta synodus egit, quæ causâ fidei, ob quam convenerat, absolutâ, noluit Ecclesiam canonibus onustam discedere! Non igitur necesse erat canones condere, sed si verum fateri vultis, alia Justiniano causa vestræ congregationis fuit, nimirùm ut Latinos, Sedemque præsertim apostolicam insectaretur, utque, quod Platina ait, aliqua vestrâ auctoritate probaret orthodoxæ fidei nequaquàm congruentia. Nam si, ut ipsi dicitis, post quatuor aut quinque annos à sextâ synodo exactâ (1), sub Justiniano, filio Constantini, Constantinopoli convenistis, certè (computate tempora) hæc illa est erratica synodus, cui, auctore Bedâ, Sergius noluit subscribere. Sed jam videamus, ut reliqua, quæ nunc non exstant, dissimulemus, cur his centum duobus vestris canonibus subscribere Sergius nec voluerit, nec verò debuerit.

In canone secundo suscipitis et confirmatis 85 canones Apostolorum; Sedes apostolica non recepit, ut auctor est Isidorus, dist. 16, cap. *Canones*, id quod cùm ex Leone IX, c. *Clementis*, eâdem dist., ostendi potest, tùm verò magis ex Gelasio, dist. 15, cap. *Sancta Romana*. Cur autem Sedes apostolica probet canonem 84, quem vos probatis, ubi tres Machabæorum libri contrà omnium consensum Ecclesiarum admittuntur? Atque in eodem secundo canone synodum Cypriani de rebaptizandis hæreticis comprobatis, quasi secundùm traditam Afris consuetudinem, lex illa constituta sit, et non magis adversetur omnibus Ecclesiis Dei. Nec enim decretum illud Cypriani explicari potest ad normam canonis 95 Trullani, et 19 Nicæni; quoniam canon Cypriani de omnibus in universum hæreticis præscriptus est, maximè Donatistis, quos constat in nomine Trinitatis baptizâsse. Decretum ergò Cypriani ab universali Ecclesiâ simplicitate reprobatum Sergius approbare non debuit, quod Trullana synodus fecit. In canone tertio Ecclesiæ romanæ legem de bigamis non ordinandis summum jus appellatis, et ex rigore austerum; sedis autem Constantinopolitanæ mollities ac dissolutio benignitas vobis est. Mediam quasi ex duabus componitis, sed talem qualem Ecclesia latina semper explosit. Jure igitur hanc vestram synodum explosit Sergius.

Canon 13 jubet ut hypodiaconi, diaconi, presbyteri, à suis legitimis uxoribus non separentur. Ea consuetudo apud Græcos quidem invaluit; sed synodus generalis eam toti Ecclesiæ contrà Latinorum usum malè præscripsit. Benè ergò Sergius vestros canones reprobavit.

Canone 36 decernitis, quòd thronus Constantinopolitanus æqualia privilegia cum apostolicâ Sede obtineat, et Alexandrinus, Antiochenus, ac Hierosolymitanus aliis præferatur. Scitis adversùm hunc canonem olìm à Sancto papâ Leone pugnatum. Et quanquàm ratione pugnatum est, at sequentes romani pontifices Constantinop. huic ambitioni et vanitati contradicere noluerunt. (De privil. antiq.)

Canone 62 præcipitis, in omnibus diebus quadragesimæ, præter sabbatum et dominicam, nullas novas hostias consecrari, sed, ut apud nos in die parasceves, fieri præsanctificatorum sacrificium. Hoc vestris Græcis præcipite, si vultis : romanus enim episcopus hoc in totam Ecclesiam decretum non probaret.

Jam canon 55 nullâ nostrâ confutatione eget : absurdus enim per se est, et manifestè in romanam Ecclesiam injurius. Ipsum audiamus : « Quoniam intelle-« ximus in Romanorum civitate, in sanctis quadra-« gesimæ diebus, in ejus sabbatis jejunare præter « ecclesiasticam traditam consuetudinem; sanctæ sy-« nodo visum est, ut in Romanorum Ecclesiâ, si quis « fuerit inventus sabbato jejunans, clericus deponatur, « laicus segregetur. » Nùm tibi videtur à romano aliquo pontifice hunc canonem probatum iri? Minimè verò gentium. Quid 67? Vide an probandus sit : « Sa-« cra, inquiunt, Scriptura nobis præcipit, ut abstinea-« mus à sanguine et suffocato. Meritò igitur damnamus « eos, qui cujuscumque animalis sanguinem arte aliquâ « condiunt et sic comedunt. » Ecqua autem major Scripturarum ignoratio esse poterat, quàm existimare præceptum illud apostolicum ad ea usquè tempora perdurâsse? Quantò veriùs Latini decretum hierosolymitanum, quoad sanguinem et suffocatum attinebat, ad breve tempus tantisper manere interpretati sunt, quamdiù Judæorum et gentium consuetudo coalesceret, quamdiuque Synagogam Ecclesia cum honore quodam

(1) Theophan. putat à synodo 6 ad hos editos canones annos 16 interfluxisse.

sepeliret. Abeat nunc Gratianus, et sextæ synodo canones Trullanos tribuat, Innocentius verò decretum Gratiani eodem nomine retulit, quo erat à Gratiano citatum; id quod et divo Thomæ, et aliis quoque viris doctis aliquandò accidit, ut Gratiani diligentià fisi, capita decreti ementitis auctoribus et titulis referant. Idem quoque Gregorio IX contigit, qui, titulo de constit., nomine Hieronymi commentaria in Proverbia retulit, quæ Hieronymi non esse certum est. Caput autem illud, quod Innocentius citat, habetur dist. 32, cap. *Si quis eorum*, nomine sextæ synodi. Adrianum verò Trullanos canones recepisse, tantùm abest à veritate, ut nihil magis veritati possit esse contrarium. Verba siquidem illa reperiuntur in epistolà Tharasii ad Adrianum, non sicut Gratianus, memorià lapsus, existimavit, in epistolà Adriani ad Tharasium. Tharasius itaque recepit illos, non Adrianus, ut patet actione secundà et tertià septimæ synodi. Adrianus siquidem verba Tharasii refert, ut Constantinopolitanos proprio mucrone confodiat: « Si enim, inquit, vos « fatemini canones illos divinos et legales esse, canone « autem 82, imaginem Christi venerandam esse con« ceditis, quid nunc contrà sacras imagines depugna« tis? » Quòd si septima synodus uno canone utitur, ut ipsorum Græcorum testimonio imagines esse venerandas comprobet, ecquid indè argumenti promitur, ut cæteros item canones approbârit? Quasi totum Menandrum, Aratum aut Epimenidem confirmârit Paulus, quòd horum aliquandò sit testimoniis usus. Nec verba illa, quæ ex septimà synodo retulimus, ipsius synodi sunt, sed Tharasii, Petri episcopi, Epiphanii. Quæ non erat ejus temporis et instituti expendere. Non enim id tùm agebatur, an Trullana synodus probanda esset, sed an essent imagines venerandæ. Quamobrem, quæ obiter, et præter institutum à privatis hominibus in concilio dicebantur, ne novæ lites suborirentur, illa sapienter à Patribus dissimulata sunt, eò vel maximè, quòd in causà præcipuà, de quà ibi erat controversia, Trullanæ synodi auctoritate libenter utebantur. Id ne comminisci videamur, Nicolaus nimirùm est auctor adhibendus, qui in epistolà ad Michaelem imperatorem, cùm ad quamdam causam suadendam synodi hujus Trullanæ canone quodam vellet uti, in hunc modum disserit: « Providè hoc Constantinopolitana synodus « canonum suorum sexto dignoscitur prohibere capi« tulo. Quod tamen non apud nos invenitur, sed apud « vos haberi perhibetur. Verùm novimus nos, Apo« stoli imbuti documentis, etiam sententiis uti pagano« rum; quantò magis Christianorum, et contrà ipsos, « quorum nec vitam sequimur, nec mentem erroneam « imitamur! Deindè Apostolus Paulus de libris paga« norum aliqua in suis scriptis posuit; numquid ideò « etiam cuncta recipienda sunt, quæ cum his pariter « sunt prolata? » Hactenùs Nicolaus; non itaque si aut Innocentius, aut septima synodus, aut Nicolaus, aut concilium Florentinum horum auctoritate canonum abutuntur, probato uno, aut item altero, reliquos probaverunt. Quanquàm Patres synodi Florentinæ hos 102 citâsse canones, me omninò præterit. Nam quod actione quintà refertur, id non ex synodo, ubi hi canones sunt editi sub Justiniano, sed ex sexto concilio universali sub Constantino illius patre depromptum est, ut actione 17 ejusdem sexti concilii, patet. Sed quoniam et hæc synodus apud Trullum, regium palatium scilicet, celebrata est, quod de hâc dicitur, hoc per errorem ad Trullanos canones creditum est pertinere. Quorum auctoritas ideò à nobis labefactata est, ne quisquam falso errore deceptus eos veris legitimisque conciliis opponeret. Video autem dubitari posse, cur inter reliquos canones Ecclesiæ romanæ contrarios non et 82 notaverimus, ubi prohibitum est, ne Christus deinceps sub figurà agni pingeretur. Sed nolui equidem has Trulli regulas inimicè insectari. Nego itaque in 82 canone, secundùm veram lectionem tale aliquid prohiberi; quin potiùs in eo pictura illa veneranda, quà agnus digito Præcursoris demonstratur, et suscipitur, et deinceps conservari in Ecclesià jubetur. Id quod colligere licet ex epistolà Adriani ad Tharasium, septimæ synodi actione primà, et ex actione quartà ejusdem septimæ synodi. De Trulli igitur canonibus, atque adeò de sexto argumento hactenùs.

In argumento verò septimo, Pighii contentio pertinax coarguenda est, qui, ut opinionem quam semel induerat, tueretur, synodos Ecclesiæ decreto susceptas vanis conjecturis infirmare perrexit. Tantùm studium certandi, ubi semel efferbuit, et dura pertinacia potest! Mihi verò non est hoc loco opus pro sextà synodo, undè emersit certamen, depugnare, quam et Agatho coegit, et Leo II confirmavit, quam et Beda, lib. de Temp. rat., cap. 56, et cæteri post eum catholici probaverunt, quam et concilium Florentinum, sess. 5, recipit, et Eugenius IV, in decreto super unione Jacobinorum, veneratur. Alii pro sextà et septimà synodis apologiam edant, si diligentia illis Francisci Turrensis non adhùc facit satis. Nos enim in dogmate fidei, et decretis ad salutem fidelium necessariis conciliorum auctoritatem asserimus, in rerum gestarum judicio et ordine non asserimus. Nec in his, quæ parùm, vel certè nihil ad nos attinent, tempus et operam sumimus.

Ad octavum ergò argumentum Cajetanus in opusculo de Auctor. papæ, et concil., cap. 8, respondet, concilium Constantiens., quo tempore illud decretum edidit, non fuisse et universale et integrum. Erat enim tùm schisma in Ecclesià sub tribus pontificibus, Joanne XXIII, Gregorio XII et Benedicto XIII. Undè asserere quòd id temporis illud concilium erat generale, nihil aliud est, quàm revocare antiquum schisma, aliosque damnare, qui Benedictum et Gregorium sequebantur. Quod tamen fuit, estque semper ambiguum. Quòd si objicias, Martinum V in ultimà sessione approbâsse omnia et singula decreta in materiis fidei, quæ priùs à concilio Constantiensi prodiissent, respondet idem Cajetanus id propriè ad fidem pertinere, et tanquàm fidei decretum à Martino probari, quod adversùm hæreticos fuisset definitum, ut in 8, 15 et 21 sessione factum est. Quòd autem Martinus V ex

solùm probet, patet primùm, quoniam ad petitionem oratoris regis Poloniæ illa approbatio facta est, qui hoc tantùm exigebat, ut acta in concilio contrà hæreticos confirmarentur. Patet etiam, quia Martinus dicit se omnia sic conciliariter facta approbare, et non aliter, nec alio modo. Supponebat enim quædam non conciliariter acta. Nam in illâ quartâ et quintâ sessione, ut idem Cajetanus admonet, nec disputatio aut disquisitio aliqua intercesserat, nec delecti fuerant adhùc viri docti ad disserendum et tractandum ea, quæ in fidei doctrinâ essent constituenda, sed id cautum posteà à concilio fuit in sessione sextâ. Ità, si quis tradita in sessione quartâ diligenter expendat, inveniet ea non formam habere decreti, quo videlicet aut fideles obligentur, aut contrarium sentientes explodantur. Patet demùm ex litteris Martini V, in quibus errores Joannis Wicleffi, Joannis Hussi et Hieronymi Pragensis expressè damnantur, nullâ de eâ re, an concilium sit suprà papam, factâ mentione. Sed quoniam quæ de concilio Constantiensi in dubium verti solent, ea pulcherrimè explicantur à discipulis D. Thomæ, maximè à Cajetano, viro in nostrâ familiâ excellentissimo, nos de hâc re ne verbum quidem ullum præstereà faciemus. De octavo igitur argumento tantùm.

In nono verò miror equidem illorum cæcitatem, qui concilium Basileense tueri volunt, cùm manifestum sit, illud, licet à principio Eugenio IV consentiente fuerit congregatum, posteà tamen ab eodem primùm Ferrariam, deindè Florentiam translatum, ubi Basileenses conatus publicâ Ecclesiæ auctoritate repressi sunt. Nam et unio Armenorum et Græcorum populi christiani consensione approbata, non in concilio Basileensi, sed in Florentino facta est. Eugenium Ecclesia etiam post illam depositionis Basileensis sententiam, pro vero pontifice habuit; Felicem autem illum in synodo electum contempsit. Quorsùm ergò attinet mordicùs concilium Basileense tenere? Quorsùm favere hæreticis, qui conciliorum in hæreticos judicia infirma esse contendunt, quòd concilium Basileense eos hæresis nomine damnârit, qui etiamnùm Catholici judicantur? Quæ qui non sentiat, is nihil omninò sensurus esse videatur. Quocircà non dubito esse nunc grande piaculum, pro concilio Basileensi stare velle, cùm schisma illud jam exstinctum non aliâ ratione magis denuò possit accendi. Et Nicolaus V apertè sentit Felicem illum non fuisse verum Ecclesiæ pastorem, sed nominatum, nec verum concilium et generale, sed congregatum vocat nomine concilii generalis; Eugenium verò felicis recordationis prædecessorem suum honorificentiùs appellat. Ità in litteris suis non probat, nisi beneficiorum collationes (sic loqui solent) et hujusmodi cætera, quæ si irrita haberentur, populus, mutatis aut pastoribus aut officialibus, multùm incommodi acciperet. Atque Leo X, in concilio Lateranensi, sessione 11, planè definit concilium Basileense non fuisse legitimè congregatum. Et posteà, cùm de quâdam sanctione ageretur à concilio Basileensi editâ : « Sicut Leo, inquit, ea quæ in secundâ Ephesinâ sy- « nodo temerè contrà justitiam et catholicam fidem « gesta fuerunt, postmodùm in Chalcedonensi concilio « fecit revocari, ità nos à tàm nefariæ sanctionis re- « vocatione retrahi, salvâ conscientiâ et Ecclesiæ ho- « nore non possumus, cùm ea omnia, post transla- « tionem ejusmodi concilii Basileensis per felicis « memoriæ Eugenium papam IV, prædecessorem « nostrum, factam à Basileensi conciliabulo, seu « potiùs conventiculo facta exstiterint, ac propterea « nullum robur habere potuerint; cùm etiam solum « romanum pontificem, tanquàm auctoritatem super « omnia concilia habentem, conciliorum indicendorum, « transferendorum ac dissolvendorum plenum jus et « potestatem habere, nedùm ex sacræ Scripturæ tes- « timonio, dictis sanctorum Patrum, ac aliorum ro- « manorum pontificum decretis, sed propriâ etiam « eorumdem conciliorum confessione manifestè con- « stet. » Hactenùs Lateranense concilium. Probat autem ea, quæ dixerat, multis et testimoniis, et exemplis, quæ nos, ne sit longum, prætermisimus. Sed provocaverunt doctores Parisienses à concilio Lateranensi, et appellatio nomine Academiæ circumfertur. Quorum illa fuerit, ego hìc non disputo; illud assero, non sine Ecclesiæ scandalo atque pernicie circumferri. Exstat anathema Pii II in eos qui ad futurum concilium appellaverint; et sine Pii causis, quas multas suis litteris reddidit, manifestum est, rem hanc et hæreticorum omnium summum patrocinium esse, et fenestram vel maximam aperire ad obedientiæ ecclesiasticæ jacturam, ac perniciem veræ pietatis. Sed de his non est hujus loci temporisque disserere. Verùm objicis ea quæ in secundâ sessione concilii Basileensis decreta sunt, à legitimo concilio esse decreta, ut patet ex litteris Eugenii, quæ lectæ sunt sess. 16 ejusdem concilii. Sed nos huic quæstioni breviter respondemus, non approbâsse Eugenium decreta edita, sed solùm concilium generale Basileense à tempore inchoationis suæ legitimæ continuatum fuisse. Deindè, concilium in secundâ sessione non erat plenum, quia major pars episcoporum deerat, imò paucissimi aderant. Quarè inchoatione quidem generale erat, sed nondùm erat verè et perfectè re ipsâ generale. Præstereà, legatus sine commissione processit ad ea decreta ferenda, ut ex litteris Eugenii ad Julianum colligitur. Adde quòd cùm gravis atque difficilis semper fuisset inter catholicos altercatio, quibusdam dicentibus papam suprà concilium esse, aliis contrà asserentibus concilium esse suprà papam, nullâ conquisitione factâ, nullo examine præcedenti, positum est id quod erat ambiguum. Quare non fuit decretum fidei, sed simplex quædam commemoratio ejus doctrinæ, quæ erat in concilio Constantiensi tradita. Id quod videntes hujus synodi Patres, rursùm in sessione 33, rem eamdem aliter tractaverunt, definientes ea tanquàm fidei decreta esse deinceps amplectenda. Sed tunc omnis legatorum potestas erat abolita, et synodus Florentiam translata. Quarè nihil mirum, si turpiter et pueriliter erraverit, eos pro hæreticis condemnando, qui nunc sine controversiâ fideles habentur.

Ad decimum verò argumentum responsio est facillima, plenaria concilia à summo pontifice minimè

confirmata per alia legitima et probata emendari. At quòd plenarium concilium summi pontificis auctoritate firmatum per aliud posterius emendetur, exemplum ne unum quidem proferri potest. Nam et hujusmodi concilia Augustinus non infirmat, sed tuetur ejusdem libri c. 4. Quanquàm Augustinus non videtur loqui de emendatione fidei, sed de emendatione legum, quæ ad res scilicet vel gestas, vel gerendas referuntur : *Ipsa plenaria*, inquit, *concilia priora à posterioribus emendantur, cùm aliquo rerum experimento aperitur quod clausum erat.* Quod ad fidei veritatem referri vix potest, quæ non rerum experimentis innotescit. Leges ergò nonnullæ, in quibus per imprudentiam falli concilia possunt, nihil obstat quominùs à posterioribus conciliis emendentur (1). Isidoro autem ex his etiam respondetur. Non enim sunt nobis explicanda singula.

Ad undecimum diximus sæpè concilia integra et capitis auctoritate perfecta ea esse, quæ nos ab errore vindicamus. Nec si summus pontifex firmus in fidei causâ judex est, concilia frustrà coguntur. Primùm enim, ut capite superiore admonebamus, romanus pontifex non temerè et stultè, sed consideratè atque sapienter debet fidei controversias definire, advocando scilicet consiliarios, vel plures, vel pauciores, juxtà rei, de quâ disseritur, gravitatem. Juvant enim Patres concilii summi pontificis fidem atque doctrinam. Undè in concilio Hierosolymitano, cùm facta esset magna conquisitio, Petrusque sententiam dixisset nullo sacrarum litterarum testimonio fulcitam, Jacobus probavit eam quidem additis testimoniis prophetarum. Adjecit item quasi de suo legem maximè necessariam de abstinentiâ ab idolothytis, fornicatione, suffocatis et sanguine. Ità enim divina procuratio in Ecclesiam se fundit, ut membra præcipua, tametsi à capite ipsa pendeant, caput tamen tueantur et juvent. Facit quoque concilium plausibiliorem populo fidem propter acceptissima multorum testimonia atque iudicia. Nam leges, quæ communi optimatum consensu et rogantur, et feruntur, libentiùs populus accipit, quam si à rege solùm ederentur. Quamobrem Beda, libro retrac. in Actis Apostolorum, prudenter sanè monuit, Paulum contulisse cum Apostolis aliis Evangelium, quod prædicabat in gentibus, solerter in concilio disquirens, an rectè de legalium cessatione doceret : « Non quòd « ipse de hâc re, inquit, aliquid dubitaret, sed ut « mentes dubitantium apostolicâ synodi auctoritate « firmarentur. » Gregorius autem de synodis provincialibus locutus est, quæ in causâ fidei vix quidquam obtinere potuerunt, nisi essent summi pontificis auctoritate roborata. Illa expertus est Gregorius, hæc non est expertus. Quanquàm et illo tempore concilii Nicæni utilitas nondùm erat satis explorata.

De postremo argumento difficile dictu est. Quid theologi ferè opinentur, video. Hoc tamen verè licet dicere, romanum illud Nicolai concilium locutum esse multò ad sensum fidelium accommodatiùs. Concilii verba priùs audiamus : posteriùs expendemus verane an falsa sint : « Profiteor, inquit Berengarius, non « solùm sacramentum, sed verum etiam corpus Christi « manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium den« tibus atteri. » Hæc Berengario præscripta à synodo confessionis forma. Ubi alterum potest habere dubitationem, an corpus Christi ratione sacramentalium specierum verè et tractari dicatur, et frangi ; alterum dubitari non potest, quin in seipso Christus nec tractetur à sacerdotibus, nec frangatur. Atque alii dicent fortè pro suo arbitratu quisque : nos autem hoc quidem tempore, et in hâc quæstione sequemur potissimùm Thomam Waldensem, qui in libro sacramental. tit. 4, cap. 24, docet ejusmodi loquendi formulas et esse verissimas, et esse etiam olìm à patribus usurpatas. Refert in hoc Dionysium cap. 3, lib. *de ecclesiast. Hierarch.* Refert quoque Chrysostomum, *in Matth. homil.* 83. Retulerat autem et cap. superiore Paschasium in lib. *de Corpore et Sanguine Christi* ; fideles sanè cùm species sacramentales viderint, Christum se vidisse testantur, eumdemque, cùm illas tetigerint, tetigisse. Quod magnum profectò argumentum est, cur ità esse credamus. A fidelium vulgo, inquis, ista sumis. Metuebam ne à lenonibus diceres. Christiani rudes disserunt isto modo. Benè profectò narras. Nam in quæstione fidei communis fidelis populi sensus haud levem facit fidem. Quæro enim ex te, quandò de rebus christianæ fidei inter nos contendimus, non de philosophiæ decretis, utrùm potiùs quærendum est, quid philosophi atque ethnici, an quid homines christianâ et doctrinâ et fide instituti, sentiant? Præsertim cùm huic sententiæ consenserint Patres etiam veteres, quemadmodùm paulò antè demonstratum est. Prætereà motis speciebus sacramentalibus, id quod inter doctiores ferè convenit, Christus item per accidens quidem, sed movetur tamen ; nihil igitur obstat, quin visis tactisque speciebus, Christi corpus et videatur et tangatur. Nam nec ipsa substantia sensilis, nisi per accidentia sentiri potest. Ad hæc, cùm species panis vinique miscentur, Ecclesia fatetur corporis et sanguinis Domini mixtionem fieri : ergò cùm videntur et tanguntur species, corpus Christi et videtur et tangitur. Quid multa? Sic mihi persuasi, sic sentio, Christi corpus in locum panis ità successisse, ut præter ea quæ fidei hujus sacramenti repugnant, omnia sibi vindicet, quæ panis antè ratione accidentium vindicabat. Alioqui, qui species panis manducaret, is Christi corpus non ederet, nec ille biberet sanguinem, qui vini specie potaretur. Atqui scriptum est : *Accipite, et comedite ; hoc est corpus meum* ; et rursùm : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem*, etc. Et iterùm : *Qui manducat indignè, judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini.* Quòd si caro Christi in sacramento editur, certè frangitur, dentibusque fidelium atteritur. Utrumque enim ei cibo, quem edimus, est et conjunctum et proprium. Quid quòd per Lucam, si græci sermonis habetur ratio, Dominus ait : *Accipite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur?* Nec verò nobis divus Thomas in 4

(1) Notandum etiam objectum legum positivarum pro temporis, locorum, aliisve circumstantiis variari : undè et ipsas leges variandas esse, absque ullâ in legislatoribus levitatis notâ ; imò id ex naturâ rerum, ex sapientiâ proindè postulari. P. S.

sentent. objici debet, cùm in tertiâ parte, quæstione 77, artic. 7, ad tertium argumentum, nostræ hujus sententiæ auctor fuerit vel præcipuus : quem quis non præferat sexcentis Œcolampadiis? De postremo igitur argumento diximus satis; satisque proindè de quarto loco diximus. Ad sequentem deinceps transeamus.

DE ECCLESIÆ ROMANÆ AUCTORITATE, QUÆ QUINTO LOCO CONTINETUR.

LIBER VI [1].

CAPUT PRIMUM.

Ubi ponuntur argumenta, quibus hujus loci auctoritas impugnatur.

In eum locum incidimus, quem longè latèque patentem theologi, præsertim juniores, copiosè tractare solent, propterea quòd Sedis apostolicæ non auctoritas modò et gravitas, verùm etiam omnis omninò vis et facultas, cùm semper ab hæreticis impugnata est, tùm multò magis hoc tempore à Lutheranis impetitur, quorum in romanam Ecclesiam contentio pertinax, et odium æternum est. Sed non ego persequar quæstiones infinitas de romani pontificis potestate; tantùm de auctoritate dogmatum videamus. Nolo autem agere confusè, ut id explicemus hâc disputatione, quod quæritur. Itaque eorum inprimis argumentationes exponemus, qui locum impugnant. Deindè loci nos vim et auctoritatem cum catholicâ Ecclesiâ conservabimus. Post hæc adversariorum argumenta diluemus. Quæ si longior fuerit oratio, cum magnitudine utilitatis comparata, fortassè etiam brevior videbitur. Qui igitur locum hunc infirmare pergunt, his argumentis, ut sibi videtur, efficiunt.

Primò Joannes XXII publicè docuit, justorum animas non videre Deum usquè ad jud cii diem ; cavitque, ne Parisiis theologiæ gradum quisquam consequeretur, nisi priùs in hanc sententiam juravisset. Errare igitur summus pontifex, atque adeò Sedes apostolica in fide potest.

Secundò Cœlestinus III definivit, quòd cùm alter conjugum labitur in hæresim, dissolvitur matrimonium, ut patet de divortiis cap. *Quanto*. Super quo affirmat Hostiensis, Cœlestini epistolam decretalem habitam olìm in corpore juris. Erravit igitur in fide Cœlestinus; nam definitio illa Evangelio contraria est.

Tertiò, Alexander III de sponsâ duorum, cap. *Licet*, asserit quosdam suos prædecessores judicâsse, quòd si post matrimonium contractum per verba de præsenti, non consummatum tamen, aliud novum matrimonium consummetur, primum dirimitur, secundum est validum. Hic autem error est sine dubio in fide et moribus manifestus.

Quartò, idem Alexander III, cap. *Cùm esses*, de testament., definit alienum esse et à generali Ecclesiæ consuetudine, et à divinâ lege et sanctorum Patrum institutis, ut testamenta, nisi quinque, vel septem testium fuerint subscriptione firmata, penitùs rescindantur. Constat autem, civilem legem, quæ ejusmodi testamenta minùs solemnia irritat, à viris hodiè ecclesiasticis comprobari. Falsus est igitur in fide Alexander, ut qui pronuntiet, legem aliquam esse divinæ contrariam, quæ re verâ contraria non est.

Quintò Innocentius I, in epistolâ ad Rufum et Eusebium, cap. 1 : « Qui viduas, inquit, acceperunt uxores, « ad summum sacerdotium agnoscimus pervenisse. « Quod contrà legis esse præcepta nullus ignorat, cùm « Moyses clamitet : *Uxorem virginem sacerdos accipiat :* « contrà quod præceptum divinâ auctoritate subnixum « nulla defensio opponitur, nisi consuetudo vestra, « quæ ex ignorantiâ profecta est. » Et Innocentius III, cap. *Per venerabilem, qui filii sint legitimi*, cùm quamdam legem Deuteronomii retulisset : « Sanè, ait, cùm « Deuteronomium secunda lex interpretetur, ex vi vo« cabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in novo « Testamento debeat observari. » At decreta veteris legis debere à nobis observari, sacris etiam litteris, non modò concilio Florentino adversatur.

Sextò, Nicolaus III in Extravag., *Exiit, qui seminat*, de verborum significatione, decernit, abdicationem proprietatis omnium rerum tàm in speciali, quàm in communi Christum Dominum et verbo et exemplo docuisse. Quod erroneum esse Joannes XXII docet in Extravaganti, *Cùm inter nonnullos.*

Septimò, Nicolaus ad consulta Bulgarorum, referturque de consecratione distinct. 4, cap. *A quodam Judæo*, definit, quòd si in nomine Christi aliquis baptizetur, rebaptizari non debet ; cujus oppositum Pelagius papa determinat in epistolâ ad Gaudentium episcopum, referturque eâdem dist., cap. *Si re verâ*, quæ ambo capitula ex eâdem epistolâ sunt deprompta. Consentit et cum Pelagio Zacharias papa, cap. *In synodo*, eâdem distinctione. Aut Nicolaus igitur, aut Pelagius falsò de fidei quæstione decrevit.

Octavò, divus Gregorius in epistolâ quâdam ad Augustinum, Cantuariensem archiepiscopum, Gregorius quoque III, in epistolâ ad Bonifacium episcopum, ex apostolicæ, romanæque Ecclesiæ auctoritate pronuntiârunt, quòd si mulier infirmitate aliquâ fuerit correpta, nec valuerit debitum marito suo reddere, maritus quidem aliam uxorem ducere potest, eâ lege tamen, ut subsidii opem conjugi priori non subtrahat. Quòd autem vir ab uxore, quæ per infirmitatem debitum reddere non valet, discedere possit, atque ad secundas nuptias transire, doctrinæ evangelicæ apostolicæque

(1) Vide notam suprà, ad initium libri quinti.

adversum est, ut Gratianus, quæst. 32, q. 7, dixit.

Nonò, Gelasius contrà Eutychem et Nestorium definit, in altaris sacramento, factâ etiam consecratione, panis, vinique substantiam manere. Id quod à fide catholicâ alienum est.

Decimò, romani pontifices litteras sæpè sacras falsò exposuerunt. Nam ut ea loca prætermittam, quæ Cajetanus refert in opusculo quæstionum 27, q. ult., certè Gelasius papa cum concilio septuaginta episcoporum, et refertur sub nomine Pelagii, dist. 21, cap. *Quamvis*, atque Anacletus, dist. 22, cap. *Sacrosancta*, probant romanam Ecclesiam cæteris esse prælatam illâ evangelicâ voce Domini Salvatoris : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quod idem plures etiam alios pontifices sensisse constat. Ridiculum autem videtur esse, evangelicum testimonium in eum sensum velle flectere. Ad eumdem quoque modum plerique summi pontifices ad probandum majores Ecclesiæ causas ad Sedem romanam esse referendas, inducunt illud ex Lucâ : *Ego rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua.* Quod quàm ineptum sit, vel ex eo liquere aiunt quòd ibi Dominus Petro solùm, non item posteris loquebatur. Subdit enim : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Quæ verba si ad posteros referantur, nimirùm romanos pontifices, priùs aversos fuisse oporteret, ut aliquandò conversi confirmarent fratres suos. Cùm itaque romani episcopi sacras litteras falsò interpretentur, falli et fallere in fidei dogmate possunt. Nam ex sacrarum litterarum rectâ intelligentiâ vera dogmata, ex obliquâ verò falsa trahuntur.

Undecimò, si apostolica Sedes in fide errare non posset, id maximè ex privilegio Petri, Luc. 22 : *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* At Petri fides defecit, juxtà id, quod Ambrosius ait : « Fidelior « factus est Petrus, postquàm fidem se perdidisse de- « flevit. » Multò ergò magis cæteri successores errare in fide potuerunt. Ut erravit certè Anastasius, distinct. 19, cap. *Anastasius.* Erravit quoque Honorius, ut in concilio sexto Constant. actione 13 et 18, definitur.

Postremò, Hieronymus in epistolâ ad Evagrium, cùm illi objiceretur romanæ Ecclesiæ consuetudo : « Si « auctoritas, inquit, quæritur, orbis major est urbe. « Ubicumque fuerit episcopus, sive Romæ, sive Con- « stantinopoli, sive Alexandriæ, ejusdem meriti, ejusdem « est et sacerdotii. Potentia divitiarum, et paupertatis « humilitas vel sublimiorem, vel inferiorem episcopum « non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores « sunt. Quid ergò mihi profers unius urbis consuetudi- « nem? quid paucitatem, de quâ ortum est supercilium, « in leges Ecclesiæ vindicas? » Hactenùs Hieronymus. Et Ambrosius lib. 3 de Sacram. capite primo, cùm romanam consuetudinem sibi opponeret, « in omnibus, « ait, cupio sequi Ecclesiam romanam : sed tamen et « nos homines sensum habemus; ideò quod alibi rectiùs « servatur, et nos rectè custodimus. Ipsum sequimur « Apostolum Petrum ; ad hoc Ecclesia romana quid res- « pondet ? utique ipse auctor est nobis hujus assertio- « nis Petrus Apostolus, qui sacerdos fuit Ecclesiæ ro- « manæ. » Quòd si Hieronymus et Ambrosius Ecclesiæ romanæ instituta facilè rejiciunt, certè non est cur apostolicæ Sedis præscriptam in moribus regulam sequi debeamus. Eò vel maximè quòdT rull. synodus, can. 55, asserit romanam Ecclesiam præter ecclesiasticam traditam consuetudinem sabbatis quadragesimæ jejunare, corrigitque hunc Ecclesiæ romanæ morem, qui contrà Apostolorum canonem 65 inoleverit. His potissimùm argumentis hunc locum quidam infirmum esse contendunt. Credunt enim Sedem apostolicam errare posse etiam cùm de fidei quæstione judicat. Inter Parisienses Gerson et Almain hujus sententiæ præcipui auctores habentur. Eamdem sequitur Adrianus in 4 sentent. de confir., quæst. ultimâ. Ac Thomas quidem Wal. l. 2 doctrin. fid. antiq., c. 19, eamdem videtur sequi, tametsi in lib. de sacramentalibus doctrinâ 10, longè aliter sentit. Gratianus, dictinct. 19, § *Hoc autem intelligendum est*, eidem opinioni videtur etiam assentiri. Nec ab hâc, ut apparet, alienus est cardinalis Turrecr. lib. 4, part. 2, cap. 16; quamvis in l. 2, cap. 109, 110, contrariam sententiam et tenuerit et ostenderit. Hanc Erasmus libenter amplectitur super epist. Hieronymi ad Damasum de nomine Hypostasis. Quin in libro de ratione veræ theologiæ fenestram dicit aperire ad perniciem veræ pietatis eos, qui doceant romanum pontificem errare non posse, quoties de moribus, aut fide pronuntiat. Huic Lutherus subscribit, huic Wiclefistæ, atque adeò omnes hæretici subscribunt libentissimè.

CAPUT II.

In quo redditur causa, cur Sedes apostolica quintum locum obtineat.

Horum ego opinionem ex academiis theologicis explosurus sum, efficiamque, ut spero, vi argumentorum meorum, si integris animis expendantur, semotis contentione et odio, quibus omne judicium exoculari solet. Ut autem evidentiùs intelligatur, quàm sit magnus hujus opinionis error, fingamus animo unum esse Lutherum, in quem stylus hic noster acuatur. Nam errantium multitudo non parit errori patrocinium. Sit ergò primus idemque solus qui audeat affirmare, summum pontificem Ecclesiamque romanam in fidei controversiis decernendis posse contrà Evangelium errare. Nisi ego probavero certioribus argumentis, id esse erroneum, quàm probent catholici aut purgatorium esse, aut indulgentias pontificias divinâ auctoritate constare, auctoritas hæc mea quantulacumque est, apud lectores periclitabitur. Illud verò meliùs ostendo, si ad locum hunc firmâ ratione constabiliendum, altiùs hujus rei fundamenta jacio. Sed antè tamen, cur hunc locum quintum fecerimus, paucis explicandum est. Erunt enim fortassè quidam, quibus aptior ordo videretur, si priorem, quo conciliorum auctoritas continetur, hic locus antecederet. Quin etiam si aberrant à conjecturâ, video tamen quid sequamur; nempè Sedis apostolicæ auctoritate sublatâ, concilia quæcumque non solùm vacillare, sed cadere : at Sedem apostolicam per se etiam sine conciliis suam habere auctoritatem ; priorem itaque esse Ecclesiæ apostolicæ, quàm conciliorum auctoritatem ;

Rebus autem suum cuique servare locum natura jubet, quemadmodùm locus elementis suus est cuique proprius, ut terra infimum teneat, hanc inundet aqua, superior æther, ignibus altissima ora reddatur. Quibus breviter respondemus, nos humani ingenii habità ratione, naturæ ordinem sæpè negligere. Est autem hominibus comparatum, quod Aristoteles non semel admonuit, ut à notioribus ad ea, quæ minùs sunt nota, proficiscantur. Quamobrem, cùm conciliorum auctoritas plerisque sit et acceptior et notior, nihil mirandum est, si naturæ ordinem anteverterimus. Præterquam quòd concilia Ecclesiam repræsentant, et ab Ecclesià catholicà concilia catholica sejungere, non erat satis ex ordine. Meritò igitur Ecclesiæ concilia hærere fecimus. Sed de his hactenùs. Jam id, quod erat institutum, persequamur.

CAPUT III.

Tria pronuntiata continet, quibus efficitur, Petri in fide firmitatem ad successores quoque derivari

Etsi non sum nescius, quàm sit scholastica disputationis forma quibusdam invisa, sed non debeo tamen aliam inire disputandi rationem, præter eam, quam et viris clarissimis probatam esse intellexi, et ad errores omnes refellendos semper aptissimam existimavi. Certè quæ Augustinus contrà adversarios Ecclesiæ disseruit, tametsi et inventa sunt acutiùs, et dicta subtiliùs, quàm ut quivis ea possit agnoscere, ad evincendas tamen hæreses eò aptiora judicantur quò tenuiùs ad vivum resecata sunt. Demonstraturus igitur apostolicam eamdemque romanam Sedem errare in fide non posse, scholæ more tres propositiones habeo ponere, in quibus hujus quæstionis cardo vertitur.

Primùm, Petrum Apostolum fuisse à Christo institutum pastorem Ecclesiæ universalis.

Hoc probat apertè illud apud Joannem testimonium, c. 21, 17 : *Pasce oves meas.* Qui enim non distinxit inter has oves et illas, alienam à suo demonstravit ovili, quæ Petrum pastorem non recognosceret, ut Innocentius, de major. et obe. cap. *Solitæ*, et Bernardus, lib. de Consid. ad Eugen. cap. 6, evidentissimè argumentantur. Nec dubitari potest, ad Petrum eam curam specialiter pertinuisse, quem Dominus, priusquàm oves illi committeret, interrogavit, nec idem semel aut bis, sed tertiò etiam : *Simon Joannis, diligis me plus his?* Ubi non expressit solùm Simonis proprium nomen, sed patris etiam nomenclaturam adjecit, ne ullà posset ambiguitate Petri potestas eludi, aut perversè in alium torqueri. Atque idem rursùs ex altero apud Matthæum testimonio declaratur : *Beatus es*, inquit Dominus, cap. 16, 17, *Simon Bar Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est; et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : et quodcumque solveris super terram*, etc. Ubi notandum inprimis illud, quòd dùm omnes discipuli rogati fuissent, cæteris tacentibus, unus Petrus respondit. Deindè et illud advertendum, quòd et nomen Petri antiquum Christus servavit, inquiens : *Beatus es, Simon*, et patris etiam nomen addidit, ne ad Chananæum possent verba referri. Nomen quoque novum indidit, quod Petro non commune cum reliquis Apostolis esset, sed proprium. *Et ego dico tibi*, ait, non Joanni, non Jacobo; sed, *Tibi, tu es*, non solùm vocaris, sed es Petrus, hoc est, saxum. Undè et Joannis primo cap., *Cephas*, id est, petra ingens, seu rupes magno ferendo ædificio idonea, à Domino vocatus est. *Et super hanc petram*, inquit, *ædificabo Ecclesiam meam*, id est, super te, ô Petre, ut exponit Hilarius super Matthæum ; Ambrosius sermone 47 de Fide Petri ; Cyprianus in Epistolà ad Quintum ; Hieronymus, lib. 1 contrà Jovinian. et super Matth., et in Epistolà quâdam ad Marcellam, et in Isaiæ c. 2 et 16, quamvis in concione quâdam de Pentecoste aliter exposuerit ; Chrysost. homil. 55 in Matth. ; Cyrillus, lib. 2 in Joann. cap. 12 ; Origenes hom. 1 in Matth., et hom. 5 super Exodum ; Theophylactus, Lucæ 12 ; Gregorius, in quâdam Epistolà ad Mauricium Augustum, et in alià ad Eulogium ; Alexand. episcop., lib. 6, epist. 37 ; Leo, concione 2, de Apostolis Petro et Paulo ; sed et in epistolà ad Flavianum : « Petrus, inquit, à principali « petrà soliditatem et virtutis traxit et nominis. » Atque in epist. 67 ad episcopos Viennens., id apertiùs exponit, dist. 19, cap. *Ità Dominus* ; Tertull., lib. de Præscr. hæret. ; Epiphanius in lib. Ancoratùs ; Dionysius item, in Epist. ad Timoth., Petrum dicit à Paulo vocatum fundamentum Ecclesiarum. Et concil. Chalcedon. vocat Petrum petram et crepidinem catholicæ Ecclesiæ ; atque ex consequenti fatetur Ecclesiam catholicam super Petrum ædificatam. Nec me latet, Augustinum, super Joannem homil. ultimà, de verbo Domini homil. 4, id veritum esse concedere. At, lib. 1 Retractat., cap. 21, hunc communem sanctorum sensum non reprobat. Nec reprobari sanè is poterat, quem non summi modò pontifices, verùm concilia quoque probârunt, quemadmodùm ex his quæ posteà dicemus perpicuum erit.

Sed non est opus, rem alioqui lucidissimam externis admotis luminibus illustrare. Quorsùm enim dicit Dominus Simoni filio Jonæ : *Tu es* Πέτρος, hoc est, saxum, nisi ut intelligeremus, cùm è vestigio addit : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ipsissimum Petrum esse, super quem esset Ecclesia ædificanda ? Cùm verò idem sit secundùm metaphoram domûs fundamentum, quod servatà corporis analogià caput, manifestè colligitur, Petrum ut Ecclesiæ caput, ità etiam fundamentum esse. Cur autem nomen capitis in Petro vereamur, si rectorem ovium Christi eum negare non possumus ? Nam populi rectores capita dicuntur, Amos 6, et Saül, quoniam rex erat, caput populi dicitur, 1 Regum 15. Sed testimonia Patrum Bucerus quærit, negatque Petrum ab ullo unquàm caput Ecclesiæ vocatum. Impudentissimè verò negat. Quoniam Evaristus, Alexander hujus nominis primus, Pius etiam primus, Calixtus primus item, Gregorius, Athanasius, Chrysostomus, Patres concilii Chalcedonensis, Constant. septimæ synodi, Petrum ac successores ejus caput Ecclesiæ non obscurè appellaverunt. Quorum testimonia paulò post adscripturi sumus. Fateamur igitur, Petrum et caput et fundamentum, et rectorem pastoremque esse à Christo constitutum Ecclesiæ universalis. Hæc

enim omnia adeò sibi cohærent, ut si unum ex illis tollas, reliqua tollere necesse sit. Ac Clemens, 6 Hypotyp. lib. : « Petrus, Jacobus et Joannes, inquit, quamvis à « Christo fuerint omnibus penè prælati, tamen non « sibi vindicabant primatùs gloriam, sed Jacobum, qui « dicebatur Justus, Apostolorum episcopum statuunt. » Non igitur Clementi Petrus erat pastor Ecclesiæ universæ. Hujusmodi scilicet testimonia hinc indè venantur hæretici, ut luci tenebras offundant. Dionysius, c. 3 de div. nom., Petrum dicit supremum fuisse decus et theologorum columen. Euseb., lib. 2 Eccles. Hist. cap. 14, Petrum scribit probatissimum omnium Apostolorum et maximum fideique magnificentiâ priorum principem ; Epiph. hæres. 51, affirmat, Christum elegisse Petrum, ut esset dux suorum discipulorum. Leo in epist. ad episcop. Viennens., evangelici muneris sacramentum, ait, ità Dominum ad omnium Apostolorum officium pertinere voluisse, ut in beatissimo Petro omnium Apostolorum summo principaliter collocaret. His, nam alios enumerare longum est, his, inquam, tam multis et idoneis testibus non credunt hæretici ; et volunt nos uni Clem. credere, qui dicat Jacobum Apostolorum episcopum institutum esse. Hierosolymorum episcopus Jacobus agnoscitur ; Apostolorum episcopus non agnoscitur ! Quanquàm Apostoli, ædificationis gratiâ, cùm erant Hierosolymis, Jacobo sanè plurimùm deferebant, quò posteris episcopis exemplo essent, ut tanquàm subditos in alienâ Ecclesiâ se gererent. Sed benè habet, quòd non asserit Clemens Dominum statuisse, sed Apostolos, modestiæ causâ. Nos verò hâc primâ propositione asserimus, Petrum à Domino pastorem Ecclesiæ catholicæ institutum. Quod quoniam Cajetanus in libel. de auctoritat. papæ et concilii, et fusiùs adhùc in altero de Eccles. romanæ primatu plurimis maximisque argumentis ostendit, nos breviter demonstrâsse sufficiat.

Secundò, Petrum, cùm Ecclesiam docebat, aut oves in fide firmabat, errare non potuisse. Id primùm ostenditur ex illo testimonio Lucæ 22 : *Simon, Simon* (1), *eccè Satan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos.* En cùm dixisset Dominus : *Satan expetivit vos*, non ait : *Ego rogavi pro vobis*, sed : *pro te* ; nec dixit : *Et vos aliquandò conversi*, sed : *Tu aliquandò conversus, confirma fratres tuos.* Cùm autem oratio Christi, ut auctor est Paulus, semper fuerit exaudita, quod Christus oravit, id certè consecutus est, ne Petri fides deficeret, ut fratres posset in fide firmare. Deindè hanc etiam demonstrat illud Matthæi 16 : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Quæ verba explicans, hom. 1 in Matth., Origenes ait : « Manifestum est, etsi non exprimatur, quòd nec ad« versùs Petrum, nec adversùs Ecclesiam portæ « prævalere poterunt inferorum. Nam si prævalerent « adversùs petram, in quâ Ecclesia fundata erat, contrà « Ecclesiam item prævalerent. » Petrus ergò firmus stabat in fide, ne fabrica super ipsum fundata rueret.

(1) Bis Simonis nomen in græco repetitur, et sic legit Agatho, actione 4 sextæ synodi.

Præterea, si Petro peculiari ratione et privilegio claves non unius cœli, sed cœlorum datæ sunt, quemadmodùm homil. 6 in Matth. annotavit Origenes, claves autem cœlos aperiunt, consequens fit, ut omnia cœlorum impedimenta tollant. At ex parte intellectùs ingressum in cœlos impedit ignorantia fidei, sicut ex parte voluntatis affectio prava ; data est igitur Petro potestas non minùs ad tollendam ignorantiam, quàm ad tollenda peccata. Quæcumque itaque solvisset, et quæcumque ligâsset, sive spectarent ad intellectum, sive ad affectum, ea ligata fuissent solutaque in cœlis. Quamobrem quæstiones in fide difficiles solvere jure suo Petrus poterat, ligareque proindè suo judicio, ut id tenerent fideles, quod ipse decerneret. Atqui falso de fide judicio fideles ligari non queunt. Quòd si *divinatio in labiis regis, et in judicio non errabit os ejus*, ut Proverb. c. 16 dicitur, cur nos existimabimus, Petrum regni cœlorum principem à Deo constitutum, in gravissimo de fide judicio errare potuisse ? Et si Caiphas, vir in Synagogâ impius, cùm esset pontifex anni illius, quia pontifex tamen erat, prophetavit, nonne magis Petrum summum à Christo pontificem Ecclesiæ datum, divino Spiritu ad veritatem definiendam agi credimus? Si pastor denique omnium fidelium Petrus est à Deo constitutus, doctor ergò et magister Ecclesiæ supremus effectus est. Quòd si pascua doctrinæ salubris ovibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis ac perniciosis pascere, nimirùm non esset à Christo Ecclesiæ provisum. Provisum est autem sine dubio, nisi Petrus ipse nos fefellerit, inquiens : *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum evangelii, et credere.* Petrum ergò peculiariter inter cæteros elegit Christus, ut cum gentes in fidei controversiâ non audirent solùm loquentem, sed etiam crederent. Ità enim cùm Petrus sententiam edixisset, tacuit omnis multitudo, Petro definienti consentiens, ut Actor. 15 à Lucâ refertur.

Tertiò, Petro defuncto, divino jure esse, qui illi succedat in eâdem auctoritate et potestate. Nam cùm oves Christi essent usquè ad consummationem seculi futuræ, desipiet profectò qui Christum existimabit ovili perpetuo pastorem temporarium suffecisse. Quod igitur Dominus instituendo pastorale Ecclesiæ munus primo pastori contulit, id ordinariè cuilibet successori intelligitur contulisse, ut Cajet. de Prim. Eccles. rom. cap. 12, eruditissimè comprobavit. Præterea, regnum Christi futurum erat æternum ; ergò et Ecclesiæ principatus non fuit temporalis, quod libro etiam superiore probatum est. Alioqui, si Petri potestas ad posteros non est translata, ne cæterorum quidem Apostolorum potestatem ad succedentes episcopos transmissam agnoscemus. Ità nunc in Ecclesiâ nulla aut episcoporum aut sacerdotum potestas erit, qui est error in fide manifestus. Utitur etiam Bernardus ad Eugen. l. 2, cap. 6, in hujus rei confirmationem, illo Exod. cap. 12. 19, testimonio : *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut ostendas populo ceremonias, et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant. Provide autem de omni plebe viros sapientes qui timeant*

populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo judicent. Si hoc feceris, implebis imperium Domini. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ Jetro suggesserat. Quòd si Jetro consilium et optimum fuisse constat, et Synagogæ maximè necessarium, ut unus esset summus judex, ad quem majores causæ et quæstiones referrentur, nullo pacto verisimile fit, Christo Domino hujusmodi consilium defuisse, quod Ecclesiæ erat similiter necessarium. Non ergò Petro solùm ea potestas collata est à Domino, sed ad posteros quoque transit, nisi Deus majorem Synagogæ curam habuerit quàm Ecclesiæ. Confirmat eamdem rem vel maximè alterum legis veteris testimonium, quo usus est Innocentius III, cap. *Per venerabilem, qui Filii sint legitimi : Si difficile*, inquit, *et ambiguum apud te judicium esse prospexeris, et judicum intrà portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui judicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quæcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxtà legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, ut nullus deinceps intumescat superbia.* In quibus verbis illud primùm advertendum est, non quaslibet causas ad metropolitanum judicem summumque sacerdotem esse referendas, sed difficiliores quàm ut minorum judicum auctoritate absolvi possent. Deindè et illud admonendum, supremum illud tribunal, à cujus sententià juxtà legis normam nulla prorsùs erat appellatio, senatum suum habuisse quidem levitarum et sacerdotum, sed unum esse primum judicem, summumque unum sacerdotem, qui in sententià ferendà vel solus significatur habere auctoritatem : *Qui autem superbierit*, inquit, *nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat*, vel præsidenti ad ministrandum, ut Septuaginta transtulerunt. Et rursùm : *Ex decreto judicis morietur homo ille.* Non ait : *Sacerdotum et judicum*, sed, sacerdotis et judicis. Nec illud prætereundum, quòd non jubet Dominus concilium ex totâ Synagogâ congregari, sed concilium adhiberi jubet sacerdotum et levitarum, qui senatûs loco summo sacerdoti in civitate matrici semper adessent. Quia enim in promptu erat, ut id genus quæstiones et controversiæ identidem orirentur, paratum et aditu facile oportebat esse tribunal : id quod non esset, si frequens cogendum esset, ex omni synagogâ concilium, ut universas controversias definiret.

Sed ne id quidem negligendum est, legislatorem absolutè præscribere, ut post sacerdotis præsidentis judicium omnes suis opinionibus cedant. *Facies*, ait, *sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram aut sinistram.* Nec injurià id quidem præscribit legislator, quoniam antè, ut securos discrepantes redderet, fuerat pollicitus, judicium illius senatûs, ad quem consultatio referretur, verum esse futurum : *Qui judicabunt*, inquit, *tibi judicii veritatem.* Sed, ait Bucerus, vera erunt hæc, si protulerit secundùm legem. Sic enim habet Moyses : *Facies quæcumque docuerint te juxtà legem ejus.* Hìc primùm, quod isti sæpè contrà nos faciunt, revocare eos libet ad hebraicam veritatem. Septuaginta quippè hoc modo verterunt : *Facies secundum verbum, quod nuntiaverunt tibi ex loco, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et custodies valdè, ut facias secundum omnia quæ sancita fuerint tibi, secundùm legem, et juxtà judicium, quod dixerint tibi, facies.* Et Sanctes Pagninus ità reddidit : *Facies secundùm sermonem verbi, quod annuntiabunt tibi, et custodies faciendo juxtà omnia, quæ docebunt te. Juxtà sermonem legis, quem docebunt te, et secundùm judicium, quod dicent tibi, facies.* Ubi non præcipit Moyses, ut sacerdotibus credant, si judicârint secundùm legem, sed potiùs, ut quæ sacerdotes docuerint, ea pro lege habeantur. Alioqui, si de legis ac religionis controversià ad senatum recurrentibus hanc causam licet arripere, nulla unquàm ejusmodi quæstio finiretur. Semper enim ille locus dubitandi esset reliquus, an sacerdotes proferrent juxtà legem : cujus dubitationis nullus esset judex institutus. Sed de his disputatum est alio loco satis, ut arbitror, diligenter. Nunc autem id solùm agimus, Deum post tempora etiam Moysi, quamdiù Synagoga futura erat, instituisse maximi pontificis unum tribunal summum, è cujus judicio privati omnes cives ac judices etiam minores penderent. Quid ergo? Moyses providit Synagogæ, et Christus non providit Ecclesiæ? An volumus, ut his diebus non sit judex in Israel, sed unusquisque quod sibi videatur bonum, id et faciat et sentiat? *Volumus*, inquiunt, *Evangelii libertatem.* Anne est libertas civitati, nullum habere à quo regatur? Est libertas navi, sine gubernatore undis ventoque permitti? Libertas ergò erit, ut quidam ait, nullum esse in scholà præceptorem, nullum in humano corpore caput, nullam mentem in homine, sed solis cupiditatibus turbari ac misceri omnia pro libidine. Id verò ne pecudes quidem cuperent, quarum interest pastores habere, à quibus deducantur in pascua, atque in eis defendantur ab injurià ferarum. Non itaque, ut ad propositum revertamur, domus una sine patrefamilias, una civitas sine rectore, ovile unum sine pastore uno mortuo Petro, relictum est, sed est aliquis, qui illi in regendi ac pascendi oves auctoritate succedat.

Quòd si objicias, ex typo et figurà non sumi idoneum argumentum, memineris, quæ in veteri populo illo quasi delineata ad illius speciem et ordinem pertinerent, ea ad speciem Ecclesiæ et ordinem referri oportere. Nec nos ex figurà argumentamur, et typo, sed à minori ad majus argumentamur, evidenti sanè ratione. Incredibile est enim, Synagogam componendis de fide, lege, et religione controversiis judicem et senatum Deo auctore habuisse, Ecclesiam non habere : præsertim cùm Ecclesiæ id sit multò etiam magis necessarium (1). Quæ cùm ex tàm variis natio-

(1) De his videre est Pighium, lib. 2 de Eccles. Hierarch. cap. 2.

nibus, linguis, ingeniis, institutis emerserit, necesse est, plures gravioresque habeat de fide et religione controversias. Quas nisi hujus reipublicæ princeps valeat componere, Ecclesiæ profectò forma et species turpissima est, et sors multò quàm Synagogæ deterior. Sed Ecclesiæ ac Synagogæ omissâ comparatione, ex fine certè præscribitur auctoritas, quæ principi in unaquàque societate congruat. Non enim æqua est auctoritas cuilibet imperanti; sed alia patrifamilias, alia præfecto, alia regi convenit; unicuique verò horum tanta, quanta ad cujusque societatis finem necessaria erit, ut eam patrifamilias præstemus auctoritatem necesse est, quam ad finem domestici convictûs necessariam esse, ratio recta et doctrina præscripserint; quoniam in unâ domo eodemque tecto, ubi varia est hominum natura, et officium cujusque diversum, non aliter vivi omninò potest. Tantam ergò habet summus à Christo institutus pontifex in Ecclesiâ auctoritatem, quanta ad continendos christianæ reipublicæ cives in fide, religione, officio est necessaria. Suboriri autem inter nos necessum est de fide ac religione controversias, quibus componendis si nullus est à Christo datus judex, ad quem referetur tandem ejusmodi quæstio omnis? sine fine esset, perpetuaque dissensio, totque, ac tàm dissonantes de fide ac religione sententiæ, quot sunt in Ecclesiâ, et quàm sunt diversa capita. Quas ob res si Ecclesiæ unitatem, charitatem, consociationem conservare oportet, necesse est profectò, ut unus sit relictus à Christo princeps, qui non aliter ac Petrus dissidentium lites dirimere, solvereque quæstiones possit. Videmus enim principi cujusque alterius societatis id convenire, ut si inter socios aliquæ controversiæ oriantur, præsertim quæ ad finem illius societatis propriè pertineant, dirimere eas valeat, cum adjuncto sibi seniorum prudentiumque consilio. Atque hæc demùm propositio tertia definita est in concilio Constantiensi. Nam sess. 8, ille error Wicleffi damnatur: *Papa non est proximus et immediatus Vicarius Christi.* Et sess. 15, septimus error damnatus est hujusmodi: *Petrus non fuit nec est caput sanctæ Ecclesiæ catholicæ.* Et tertius decimus: *Papa non est manifestus et verus successor Petri.* Et error 27: *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsâ militanti Ecclesiâ conversetur et conservetur.* Et in Bullâ Martini V, eidem concilio præsidentis: *Utrùm credat, quòd papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesiâ Dei.* Neque hoc novum sanè fuit; quin Ecclesia semper unum summum pontificem, ac totius Ecclesiæ pastorem Petro succedentem agnovit. Quòd si reliqua omnis potestas Petro concessa sive ad remittenda peccata, sive ad quæcumque alia reipublicæ christianæ necessaria munia, non ad Petrum solum, sed ad successores pertinet, certè quod dictum est: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; illud rursùm: *Tibi dabo claves regni cœlorum*; illud item: *Pasce oves meas*; illud denique: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, ad summos pontifices, qui Petro in Ecclesiâ succedunt, est referendum. Privilegium quippè in fide non errandi, ob Ecclesiæ utilitatem, Petro concessum est. Ideò enim cùm dixisset Christus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, subdidit protinùs: *Et tu confirma fratres tuos.* Verùm hæc in genere dicta sint; jam in specie, quæ ad hanc controversiam pertinent, ea evidentiùs explicabuntur.

CAPUT IV.

In quo ostenditur, quòd romanus episcopus ille sit qui Petro, et in fidei firmitate, et in componendis religionis controversiis, divino jure succedat.

Sequitur ut doceamus romanam Sedem eam esse, ubi Petri et soliditas et auctoritas, Deo auctore collata sint. Quod quoniam non hæretici modò impudenter, verùm etiam catholici nonnulli imprudenter inficiati sunt, diligentissimè est nobis corroborandum. Tàm enim diligenter, etsi minùs verè, sed tamen accuratè non modò fundatam, verùm etiam exstructam opinionem non est facile diruere: si opinio tamen dicenda est, quæ adeò certis argumentis refelletur. Et quidem hàc de re quamvis plura dicta sint à Cajetano, cùm aliis in locis, tùm in libello de romanæ Ecclesiæ primatu; quia tamen vel ob styli quasi ingenitam obscuritatem, vel ob id forsitan, quòd minùs attentè à plerisque legitur, nihil etiamnùm viris doctis et ingeniosis persuasit, oportebit nos de rebus eisdem iterùm disputare. Explicabuntur autem hæc fortassè jejuniùs; his enim ubertas orationis adhiberi vix potest. Verumtamen de rebus grandioribus, atque ad exponendum difficilibus, omne quod dilucidè dicitur, egregiè et præclarè dicitur. Locum igitur arduum explanaturi, testibus primùm id faciemus, quorum audita testimonia locum dubitationi non relinquant. Nolo autem quàm plurimis possum testimoniis lectorem onerare, sed gravissima et apertissima solùm adscribam. Ordiar autem ab ipsis summis pontificibus, quorum de hâc re clara judicia et certa sunt. Simpliciter autem adscribentur, ne *inquit* et *ait* sæpiùs interponantur.

Anacletus in epist. 1 de oppressione episcoporum: « Difficiliores quæstiones et majores causæ ad Sedem apostolicam referantur; quoniam Apostoli hoc statuerunt jussione Salvatoris, ut majores et difficiles quæstiones semper ad Sedem deferantur apostolicam, super quam Christus universam construxerit Ecclesiam, dicente ipso ad beatum princip̄em Apostolorum: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Et in epistolâ 3 de Patriarchis et Primatibus, explicat quidnam per Sedem apostolicam intellexerit in hæc verba: « Hæc sacrosancta romana et apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, Salvatore nostro, primatum obtinuit, et eminentiam potestatis super universas Ecclesias, ac totum christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus*, etc. »

Evaristus. « Ad Sedem apostolicam tanquàm ad ca-« put sunt dubia referenda. » Id verò dixit Evaristus episcopis Africanæ regionis, cùm illum de fidei quæstione consulerent. Dixit etiam eos in hoc normam Patrum secutos. Ab ineunte igitur Ecclesiâ romanus pontifex magister fidei est agnitus. Quod erat Petri proprium munus.

Alexander, hujus nominis primus, in epist. ad omnes orthodoxos : « Hujus sanctæ et apostolicæ Sedis « apici summarum dispositiones causarum, et omnium « negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, « quasi capiti. » Probat verò hoc eodem Matth. testimonio : *Tu es Petrus*, etc.

Sixtus I, ad Gallicanas Ecclesias, atque Eleutherius ad easdem affirmant, vel à sanctis Apostolis esse institutum, ut episcoporum judicia ad Sedem apostolicam referantur. Scilicet, *quia majores Ecclesiæ causæ*, etc.

Pius I, in epistolâ ad omnes Ecclesias : « Hanc san-« ctam Sedem apostolicam omnium Ecclesiarum caput « Dominus esse præcepit, dicens principi Apostolorum « Petro : *Tu es Petrus*, etc. »

Victor, in epist. ad Theophilum, ad romanum episcopum episcoporum omnium, causas ab Apostolorum tempore pertinere definit; probatque illo testimonio : *Quodcumque ligaveris*, etc. Citat etiam in hoc institutum Apostolorum, in quo romana Sedes vocatur universalis apostolica Ecclesia. Eumdem quoque apostolicum canonem nomine Ecclesiæ refert in hoc ipsum Sixtus II.

Zephirinus, in epistolâ ad episcopos Sicilianos : « Majores Ecclesiæ causæ à Sede apostolicâ, et non « ab aliâ, sicut Apostoli statuerunt, sunt terminandæ « juxta illud : *Quæcumque ligaveris*, etc. »

Marcellus ad episcopos Antiochenæ provinciæ idem confirmat ex illo : *Tu es Petrus*, etc. Asserit etiam, ex divinâ jussione, et Apostolorum traditione ad Ecclesiam romanam tanquàm ad caput, referenda majora Ecclesiæ negotia.

Eusebius ad episcopos Campaniæ et Tusciæ, cùm affirmâsset romanam Ecclesiam Petri privilegio esse donatam, subjicit : « Prima salus est, rectæ fidei re-« gulas custodire, et à constitutis Patrum nullatenùs « deviare. Nec potest Domini nostri prætermitti sen-« tentia, dicentis : *Tu es Petrus*, etc. Et hæc, quæ di-« cta sunt, rerum probantur effectibus : quia in Sede « apostolicâ extrà maculam semper est catholica ser-« vata religio. »

Melchiades in epistolâ ad Hispaniarum episcopos : « Privilegium episcopos judicandi Dominus beato cla-« vigero Petro suâ vice solummodò commisit. Quod « ejus prærogativum suæ concedit sedi futuris hære-« ditandum temporibus. Quod utique privilegium à « temporibus Apostolorum statutum est servare; et il-« læsum manet usque in hodiernum diem; ne quan-« dò membra à suo discrepent capite, et schismata « oriantur. »

Marcus ad Athanasium : « Sancta romana Eccle-« sia, quæ semper immaculata mansit, et Domino pro-« vidente, et beato Petro Apostolo opem ferente, in « futuro manebit, sine ullâ hæreticorum insultatione « firma et immobilis. Hæc apostolorum viva traditio. « Hæc sancta et Apostolica mater omnium Ecclesia-« rum Christi Ecclesia, quæ per omnipotentis Dei gra-« tiam à tramite apostolicæ traditionis nunquàm er-« râsse probatur, sed illibata fine tenùs manet, secun-« dùm ipsius Domini pollicitationem : *Ego pro te ro-« gavi, Petre, ut non deficiat fides tua.* » Quo eodem testimonio probat idem Lucius ad consulta episcoporum Gallorum et Hispanorum, et Felix ad Benignum.

Julius in epist. ad orientales episcopos : « Conci-« liorum convocandorum jura, et majores causas ad « Sedem apostolicam evangelicis apostolocisque in-« stitutis referri oportet. Id à sanctis Apostolis et suc-« cessoribus eorum; id à Nicænâ synodo definitum est. » Affert verò hic pontifex ad illud confirmandum testimonium Christi à cæteris repetitum : *Tu es Petrus*, etc., illam quoque rationem, ne membra à suo capite dissideant.

Idem quoque Julius in epistolâ ad episcopos congregatos Antiochiæ : « Sanctam romanam Ecclesiam « et apostolicam ipse Dominus decenter allocutus est, « inquiens : *Tu es Petrus*, etc. Habet enim potestatem « singulari privilegio sibi concessam, et Domini ore « sacrata atque desuper exaltata est. Et sicut beatus « Petrus primus fuit Apostolorum omnium, ità et hæc « Ecclesia suo nomine consecrata Domino instituente, « prima et caput est cæterarum, ut ad eam, quasi ad « matrem et apicem omnium majores Ecclesiæ causæ « referantur. » Astruit verò in Nicænâ Synodo esse definitum, non debere præter sententiam romani pontificis ullo modo aut concilia celebrari aut episcopos damnari, cui majora Ecclesiarum negotia ab ipso Domino speciali privilegio tradita sunt. Citat verò in hujus rei confirmationem caput 18 Nicæni concilii in hæc verba : « Omnes episcopi in gravioribus causis liberè « apostolicam appellent Sedem, atque ad eam quasi « ad matrem confugiant, cujus dispositioni omnes ma-« jores ecclesiasticas causas antiqua Apostolorum au-« ctoritas reservavit. » Citat rursùm 19 caput ejusdem Nicæni concilii in hæc verba : « Quanquàm accu-« sati pontificis causam comprovincialibus episcopis « scrutari liceat, non tamen inconsulto romano pon-« tifice definire, cùm beato Petro Apostolo non ab « alio, quàm ab ipso Domino dictum sit : *Quæcumque « ligaveris super terram*, etc. » En Nicænum concilium non obscurè, quæ potestas beato Petro à Domino data est, eam in romanum Pontificem asserit esse transmissam. Nec obstat sanè, quòd hæc capitula in nostris nunc exemplaribus non habentur, tùm quoniam Julius ipse sub gravi juramento testatur, ea in scrinio romanæ Sedis haberi (fuit autem Julius hujus nominis primus, qui hoc testimonium perhibet, vir integrâ et incorruptâ fide); tùm quoniam adversùs eos scribebat epistolam, quorum plerique Nicæno concilio ipsi interfuerunt; nec ullo pacto fieri potest verisimile, quòd canones iis objecerit, qui facilè probare possent fuisse à pontifice confictos; tùm quoniam id etiam testantur Athanasius, et pontifices Ægyptiorum Thebaidis

et Lybiæ in epistolâ ad Felicem, qui concilio quoque eidem præsentes fuerunt (1) : « Scimus, inquiunt, in « Nicænâ magnâ synodo ab omnibus concorditer esse « roboratum, non debere absque romani pontificis « sententiâ concilia celebrari, nec episcopos damna- « ri. » Tradunt autem in eâdem epistolâ ejusmodi capitula, et alia plura necessaria ab hæreticis incensa, nobisque sublata. Eumdem item canonem nomine Nicæni concilii protulerunt in sextâ synodo Carthaginensi Faustinus, Philippus, et Asellius, apostolicæ Sedis legati, ex litteris Zozymi, romani pontificis. Testatur etiam Athanasius in epistolâ ad Marcum papam, fuisse 70 capitula Nicæni concilii, id quod Marcus ipse eidem rescribens planè confirmat. Et Felix papa, in epistolâ ad episcopos Ægyptios queritur, ea capitula, de quibus nunc agimus, hæreticos expunxisse. Sed et Pelagius, distin. 17, cap. *Multis*, id quod nos probare nitimur, dicit sanctam synodum statuisse, Nicænam videlicet intelligens. Quod expressit Innocent. I, ad Victricium, seu Victorinum, cap. tertio, et Leo ad Theodosium Juniorem. Non ergò dubitari potest, quin nostra hæc sententia fuerit à Nicæno concilio definita, quemadmodùm Julius Pontifex asseveravit.

Damasus, ad trium conciliorum africanorum episcopos : « Summas causarum definiri absque romanæ « Sedis auctoritate non licet, synodumque sine ejus « auctoritate fieri, non est catholicum. Nec ulla con- « cilia rata leguntur, quæ non sunt fulta apostolicâ « auctoritate. Est enim firmamentum à Deo fixum « et immobile omnium episcoporum apostolica Sedes, « et vertex Ecclesiarum, suprà quam Christus univer- « salem construxit Ecclesiam ; ait enim : *Tu es Pe-* « *trus*, » etc. Vide eumdem quoque in epistolâ ad Pro- « sperum, et cæteros Numidiæ orthodoxos episcopos.

Innocentius I, in epistolis ad concilia duo Carthaginense et Milevitanum : « Congruè apostolicæ Sedis « arcana consulitis, antiquæ regulæ formam secuti, « quam toto semper ab orbe nôstis esse servatam, « præsertìm quoties ratio fidei ventilatur. » Breviter, quoniam omninò verba referre molestissimum esset, idem omninò confirmant Leo, epist. 54, ad Anastasium, et epist. 67, ad episcopos Viennensis provinciæ, Gelasius ad Anastasium Augustum, et in decretis quæ cum 70 episcopis tulit, et in epistolâ ad episcopos Dardaniæ, Vigilius in decretis suis, cap. ult., Pelagius II, ad episcopos qui convenerant in civitatem Constantinopolitanam, D. Gregorius in epistolâ ad August., Anglorum episcopum, aliique multi pontifices, quorum testimonia habes dist. 12 et 17, et 19, et 20 et 21, et 22, et 80, cap. *urbes*, et dist. 96, cap. *benè*, et 24, quæst. 1, per multa capita, et 25, quæst. 1, et de electione cap. *Significâsti*, et de Privileg., cap. *Antiqua*, et de Baptis., cap. *Majores*, et de elect. in 6, cap. *Fundamenta*, et in Extravag. *Unam sanctam*. Quam extravagantem renovavit et approbavit concil. Lateranense, sub Leone X.

Cùm ergò omnes episcopi, Petro in Ecclesiæ romanæ Sede succedentes, unanimi consensione asseruerint, fidei soliditatem Petro collatam ad romanos pontifices, tanquàm ad legitimos successores pertinere, certè si Irenæi canon verus est, qui hoc negaverit, Ecclesiæ auctoritatem ipse negat. Quæ causa idonea fuit, ut si quæ Ecclesiæ à romanâ Sede defecerint, non aliter à summis pontificibus ad unionem ecclesiasticam fuerint receptæ, quàm sub hujusmodi confessionis formâ :

« Prima salus est rectæ fidei regulam custodire ; et « à constitutis Patrum nullatenùs deviare. Et quia non « potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti senten- « tia dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædi-* « *ficabo Ecclesiam meam*, et hæc quæ dicta sunt, rerum « probantur effectibus, quia in Sede apostolicâ extrà « maculam semper est catholica servata religio, ana- « thematizamus omnes, qui contrà sanctam romanam « et apostolicam Ecclesiam suas erigunt cervices, se- « quentes in omnibus apostolicam Sedem, in quâ est « integra et vera christianæ religionis et perfecta soli- « ditas ; profitemurque sequestratos à communione Ec- « clesiæ catholicæ, id est, non consentientes Sedi « apostolicæ eorum nomina inter sacra recitanda non « esse mysteria, qui videlicet sanctæ romanæ et apo- « stolicæ Ecclesiæ privilegia cassare nituntur. » Hanc confessionis normam præscripsit Bonifacius II, in epist. ad Eulalium, carthaginensem episcopum ; hanc Joannes, constantinopolitanus episcopus fecit ; cùm Ecclesia constantinopolitana romanæ, à quâ Acacio auctore defecerat, uniretur. Eamdem Hormisdas papa ad episcopos Hispaniæ misit, ut si qui ex schismate venientes ecclesiasticam communionem ab eis exposcerent, secundùm illam professionis formam admitterentur. Hanc denique Adrianus papa dedit ad synodum 8 generalem. Satis igitur persuasum esse debet, nisi valdè sumus pertinaces, in romanâ Sede Petri auctoritatem et firmitatem esse sitam.

CAPUT V.

Ubi conclusio eadem ostenditur sanctorum veterum testimoniis manifestis.

Nec verò audiendi sunt illi, qui reprehendunt et irrident, quòd eorum hìc testimonia referamus, quorum tanquàm in propriâ causâ judicium meritò et optimo jure detrectare adversarii possunt. Non enim pontificum romanorum causa isthæc propria erat, sed Ecclesiæ gentiumque omnium communis. Atque in iis testibus quidam Latini erant, alii Græci, partìm Hispani, partìm Africani, partìm Galli et Germani, quibus ferè hominibus Ecclesiæ romanæ causa non solùm propria non erat, sed erat etiam aliena. Fuerunt quoque in his viri plurimi adeò graves integrique doctrinâ, vitâ, moribus, ut eorum fides suspecta esse nec debeat, nec verò possit. Accedit, quòd nonnulli ex his vel Apostolorum fuère discipuli, vel illi certè seculo proximi, cui nullam fictionis notam inurere, nisi impiis, et perfrictæ frontis hominibus permissum est. Sed ne ullus tergiversandi locus relinquatur, libet quoque sanctorum veterum, qui romani pontifices non fuere, testimoniis uti. Nam ii causam cur aut ignorarent, aut fingerent, nullam profectò habuerunt. Irenæus, lib. 3 advers. hæres., cap. 3 : « Sed quoniam omnium Ec-

(1) Vide totam epistolam, in quâ rom. episc. caput omnium dicitur, et doctor orthodoxæ doctrinæ.

« clesiarum numerare successiones valdè longum est, « maximæ et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, à « gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ « fundatæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis tra« ditionem et annuntiatam hominibus fidem, perve« nientem usque ad nos indicantes, confundimus om« nes eos qui præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc « enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem « necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, « eos, qui sunt undique fideles, in quà semper conser« vata est ea quæ est ab Apostolis traditio. » Hactenùs Irenæus. Quà re persuasus Augustinus contrà epistolam Manichæi, cap. 4 : « Multa sunt, ait, quæ in Ecclesiæ « gremio me justissimè tenent. Tenet ab ipsâ Sede « Apostoli Petri, cui pascendas oves suas Dominus com« mendavit usque ad præsentem episcopatum, sacer« dotum successio. » Hanc etiam apostolicam cathedram et principatum in romanâ Ecclesiâ agnoscit idem Augustinus in epist. 162 ad Glorium et Eleusium, et in ep. 105 ad Paulinum, et in Joan. tr. 56, et l. 2 contrà Pelag. et Cœlest., et lib. 2 contrà Donatist., cap. 1.

Cyprianus, lib. 1 epist. in epistolâ ad Cornelium, et lib. 4 in epist. ad Pupianum, et in tract. de simpl. prælat., eamdem sententiam apertissimè tenet.

Ambrosius quoque ejusdem rei testis est clarus, in lib. de excessu fratris sui Satyri cap. 7, et serm. 47, de fide Petri.

Cyrillus, apud D. Thom., in libello contrà errores Græcorum, multo evidentius quàm auctores cæteri, huic veritati testimonium perhibet. Nec mireris, quòd in libris Thesauri è quibus loca illa à D. Thom. referuntur, ea nunc reperire non licet. Detruncârunt enim hæretici librum illum, et quæ in eo ad romani pontificis auctoritatem pertinebant, hæc eraserunt omnia. Quod idem in commentariis Theophylacti super Joann. 21 hæreticos fecisse, à viris hodiè catholicis et deprehensum et patefactum est. Quanquàm non omnes libri Thesauri latini facti sunt; nam in synodo 6 citatur liber 32, qui nobis non est redditus.

Maximum quoque refert D. Thomas eamdem sententiam non asserentem modò, verùm etiam eo argumento confirmantem, quòd Paulus Apostolus ad Petri magisterium venit formam videlicet futuris præstans, ut ad Petri successores romanos pontifices in simili causâ recurrerent.

Hieronymus insuper in epistolâ ad Damasum de nomine Hypostasis, hujus rei testis locupletissimus est. Cujus verba retulit Gratianus 24, quæstione primâ cap. *Quoniam vetusto*. Nam quòd ea causa et quæst., cap. *hæc est fides*, refertur ex explanatione Symboli ad Damasum, consultò prætereo : quoniam Erasmus eam epistolam Hieronymi esse negat. Sed benè habet, quòd illa ad Damasum de nomine Hypostasis Hieronymi sine controversiâ est. Adde, quòd lib. apolog. adversùs Rufinum pro eodem habet, quempiam romanam fidem tenere, et catholicum esse.

Bernardus quoque à nobis facit in epist. 131 ad Mediolanenses, et 156 ad Innocentium, et 189 ad eumdem, et 237 ad Eugenium, et 142 ad Romanos. Referrem alios, nisi hi satis abundè essent ad ejus rei faciendam fidem. Quid enim? Tot tantorumque Patrum consentiens, conspirans, continuataque sententia, quem non coget ea, quæ dicuntur, comprobare? Præterquàm quòd ea sentiunt, quæ sanctarum etiam synodorum testimonia confirmant, id quod cap. sequenti demonstrabitur.

CAPUT VI.

Ubi conciliorum clarissima testimonia referuntur, quibus Ecclesiæ romanæ vis et auctoritas comprobatur.

Hìc duobus capitibus superioribus nec summorum omnium verba pontificum, nec veterum sanctorum adscripsimus, ne longior atque adeò molestior fieret oratio. Tantùm loca indicavimus, quæ quùm videat lector, tùm planè intelligat, nihil nos obscurum, nihil ineptum, aut quod ad rem non faceret, attulisse. Nunc synodica hâc de re non judicia solùm, sed verba quoque referemus, ut adversarii nube etiam horumque testium graviùs opprimantur.

Primum igitur sit concilii Nicæni testimonium, quod quoniam capite quarto adscriptum est, non est operæ pretium hìc resumere.

Alterum sit concilii Chalcedonensis, quod retulit div. Thom., in opusculo contrà errores Græcorum, in hæc verba : « Veneramus secundùm Scripturas et ca« nonum definitionem, sanctissimum antiquæ Romæ « episcopum, primum esse et maximum episcopo« rum. » Et infrà : « Si quis episcopus prædicatur in« famis, liberam habeat sententiam appellandi ad bea« tissimum episcopum antiquæ Romæ, quia habemus « Petrum petram refugii, et ipsi soli liberà potestate « loco Dei sit jus dicernendi, secundùm claves à Do« mino sibi datas; et omnia ab eo definita teneantur, « tanquàm à vicario apostolici throni. » Ac reverà in hujus synodi act. 1, Leo dicitur apostolicum gubernare thronum, et Sedes romana caput omnium Ecclesiarum. Et act. 2, cùm esset lecta epist. Leonis, Patres clamaverunt : *Anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem locutus est.* Et in actione 3, romanum episcopum dominum nostrum vocant, eique acclamantes apostolicum et universalem appellant, et ejus doctrinam, ut beati Petri amplectuntur, atque universa concilii dogmata optant Sedis apostolicæ auctoritate confirmari. Et cùm Leo Dioscorum condemnâsset, synodus ait : « Sanctissimus archiepiscopus magnæ Romæ « unà cum ter beatissimo Petro, qui est petra, et cre« pido catholicæ Ecclesiæ, et ille, qui est rectæ fidei « fundamentum, nudavit eum episcopatùs dignitate. » Et in epistolâ synodali ad Leonem gratulantur Patres, quòd tantam antistitem apostolicæ Sedi, undè religionis nostræ fons et origo manat, Dominus dederit. Atque hæc in concil. Chalcedon. quidem. Ea verò, quæ D. Thomas refert, in hujus temporis exemplaribus non habentur; sed ab hæreticis erasa Gregorius queritur, lib. 5 Epist., epistolâ 14 ad Narsem comitem.

Tertium testimonium exstat in synodo quintâ generali, apud Constantinopolim celebratâ. In sententiâ siquidem illâ, quam contrà Anthynum pronuntiavit Mennas, Constantinopol. archiepiscopus, cui videlicet omnes concilii Patres subscripserunt, hæc verba ipse idem Mennas adjecit : « Nos apostolicam Sedem sequi

« mur, et obedimus, sicut charitas vestra scit, et ipsius communicatores, communicatores habemus, et condemnatos ab ipsâ et nos condemnamus. Synodus ergò quinta generalis, Mennæ judicio subscribens, apostolicæ Sedis decreta tanquàm certa amplectitur. Non enim aliter eos in universum Catholicos haberet, qui romanæ apostolicæque fidei communicâssent, nec illos damnaret omnes, quos apostolica Sedes damnavisset.

Aliud testimonium gravissimum habemus in sextâ synodo generali, actione quartâ, ubi scribitur professio fidei, quam Agatho, romanus episcopus, ad concilium misit. Quam etiam repetit Agatho idem in suggestione synodicâ (sic enim ibi appellatur), cui innumerabiles episcopi subscripserunt. Atque hæc suggestio, ne quis calumnietur, probata est ab omnibus concilii Patribus, actione 8, 13 et 17. Verba autem professionis synodicæ hoc modo habent: « Beati Apostoli adnitente præsidio, hæc apostolica ejus Ecclesia nunquàm à viâ veritatis in quâlibet erroris parte deflexa est. Hujus auctoritatem, utpotè Apostolorum omnium principiis, semper omnis catholica Christi Ecclesia, et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutæ sunt; omnesque venerabiles Patres apostolicam ejus doctrinam sunt amplexi, per quam et probatissima Christi luminaria claruerunt, quam et sancti doctores orthodoxi venerati et secuti sunt; hæretici autem falsis criminationibus ac derogationum odiis insecuti. Hæc enim apostolica Christi Ecclesia per Dei gratiam à tramite apostolicæ traditionis nunquàm errâsse probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit; sed ut ab exordio christianæ fidei percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibatâ fide tenùs permanet, secundùm ipsius Domini salvatoris divinam pollicitationem: *Petre, Petre, ecce Satan expetivit vos*, etc. *Ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Et tu confirma fratres tuos.* Quod apostolicos pontifices, meos prædecessores, confidenter fecisse semper est cognitum. » Hactenùs Agatho, romanus episcopus. Et actione 18, ipsa synodus apertè profitetur romanum episcopum Agathonem successorem esse in Sede principis Apostolorum.

In septimâ etiam synodo generali, actione 2, lecta est epistola synodica Adriani primi, quâ definit Ecclesiam romanam caput esse omnium Ecclesiarum. Recepta verò epistola est atque probata à concilio generali, ut patet eâd. act. 2.

In octavâ quoque synodo generali habetur libellus Adriani hujus nominis secundi, ab ipsâ synodo acceptus et confirmatus, qui illam fidei confessionem continet, quam in capitis quarti fine posuimus. Patres verò hujus synodi 8 romani pontificis doctrinæ in hæc verba consentiunt (1): « Sequentes in omnibus apostolicam sedem, speramus ut in unâ communione quam sedes apostolica prædicat, esse mereamur, in quâ est vera et integra christianæ religionis soliditas. Quarè non consentientes sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra mysteria non sunt recitanda. » Hactenùs Patres. In eâdem rursùm synodo approbata est epistola Ignatii Constantinop. patriarchæ ad Adrianum, ubi eadem hæc res apertè docetur. Approbatus quoque est libellus Ecclesiæ romanæ, et synodus item Nicolai, in quibus eadem doctrina est. Sed et in postremâ sessione, canone 21, romanam sedem vocat synodus Sedem Petri, principis Apostolorum.

(1) Hunc scilicet in medum refert Turrecremata, lib. 7, cap. 109

Synodus romana insuper, sub Symmacho, assentitur romanæ Sedis præsulem meritò beati Petri Apostoli per universum orbem primatum obtinere sacerdotii, et statutis synodalibus solere tribuere firmitatem.

Prætereà, synodus alia universalis, cui Nicolaus præsidet: « Si quis, ait, dogmata vel decreta pro catholicâ fide, aut ecclesiasticâ disciplinâ, à Sedis apostolicæ præside promulgata contempserit, anathema sit. » Quam ferè sententiam Lucius III asserit, cap. *Ad abolendam*, de hæreticis.

Leo quoque, hujus nominis IX, in epist. synodicâ ad Petrum, antiochenum patriarcham, astruit, sanctam romanam et apostolicam Ecclesiam caput esse omnium Ecclesiarum, ad quam majores causas esse referendas: « Concilia, inquit, omnia sanctus sanctorum et rex regum confirmant. » Prætereà, concilium Lateran., sub Innoc. III, sic habet: « Noluimus quidquam abbati Joachim derogari, cùm omnia scripta sua assignari mandaverit apostolicæ Sedis judicio approbanda, vel etiam corrigenda, firmiter confitens, se illam fidem tenere, quam romana tenet Ecclesia, quæ, disponente Domino, cunctorum fidelium mater est et magistra. » Quod idem concilium Lugdunense sub Gregorio docuit. Ex Domini itaque institutione romana Ecclesia fidelium magistra est, ac proindè romanus episcopus Petro succedit in Ecclesiæ magisterium. Idem tradit concilium Lugdunense sub Innoc. IV. Idemque omninò tradit concil. Trid. sess. 7, in hæc verba: « Si quis dixerit, in Ecclesiâ romanâ, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse veram de baptismi sacramento doctrinam, anathema sit. »

Concilium verò Lugdunense, sub Gregorio, dicit romanum pontificem esse vicarium Jesu Christi, successorem Petri, rectorem Ecclesiæ universalis.

At concilium Viennense, sub Clemente, asserit dubia fidei declarare ad Sedem apostolicam duntaxat pertinere.

Prætereà, Patres concilii Florentini: « Definimus, inquiunt, sanctam apostolicam Sedem et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsius pontificem romanum successorem esse B. Petri, principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; sicut in gestis œcumenicorum conciliorum continetur. » Hactenùs concilium Florentinum. Sed conciliorum testimonia satis multa retulimus. Rationibus modò theologicis ea, quæ posuimus, corroboranda sunt; idque magis, romanum pontificem, cùm de fide judicat, errare non posse.

CAPUT VII.

Rationibus theologicæ probat romanum pontificem in fidei controversiis finiendis errare non posse.

Romanum pontificem in Petri locum, fidem auctoritatemque succedere, Ecclesia ab Apostolorum tempore semper agnovit. Quod, quoniam totius orbis consensione usque firmatum erat, ne Ariani quidem negare potuerunt, ut Sozomenus, lib. 4 Histor. Trip. cap. 15 et 16, prodidit. Ad romanam porrò Sedem episcopos Ecclesiarum in causis quibusque gravissimis provocàsse, ab illius ore fideles fidei semper oracula petiisse, illius judicium catholicos omnes in religionis controversiis expectàsse, illius denique et vim et auctoritatem sacra omnia efflagitàsse concilia, adeò certum et manifestum est, ut sim ego ineptus, si velim ostendere. Quibus ex rebus, quoniam negari non possunt, conflatur et efficitur id, quod quærimus argumentum, quo ex multis magnisque haud facilè quis dixerit aliud aut evidentius, aut certius. Si enim legum Christi interpres nullus sanior est, quàm perpetuus Ecclesiæ usus, Ecclesia verò in fidei religionisque quæstione ac cæteris gravissimis controversiis non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Mediolanensem, Parisiensem, Coloniensem, Toletanum, aut Bracharensem episcopos, sed ad romanum omni semper ætate recurrit: quis dubitet, hunc esse, quem ut successorem Petri, ità quoque doctrinæ apostolicæ magistrum, quæstionumque de fide judicem habemus? Nam si aliquem ejusmodi post Petrum, ad Ecclesiam instituendam atque in veritate continendam reliquit Christus, nimirùm aut hic est, aut nullus est; quippè cùm de aliarum Ecclesiarum episcopis nulla quæstio sit, quin non fuerint loco Petri universali Ecclesiæ doctores pastoresque à Deo dati. Romanus igitur episcopus, Ecclesiæ usu interpretante, ille est, cui Dominus in Petro ait: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* et: *Tibi dabo claves regni cœlorum;* et: *Quodcumque solveris*, etc., ac rursùm: *Pasce oves meas;* et iterùm: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu confirma fratres tuos.*

Quid quòd ipso etiam rerum experimento comperimus, Christi de Petro et successoribus vaticinia in Ecclesiâ romanâ manifestiùs impleri? Hanc enim constat fixam et immobilem, orbe etiam toto omni illam machinarum genere quatiente, in fide et auctoritate Petri permansisse. Et cùm cæteras Apostolorum Ecclesias vel ab infidelibus occupatas, sine fidei vestigio, vel ab hæreticis aliquandò affectas viderimus; at adversùm hanc unam romanam Sedem nec pagani, nec hæretici prævalere potuerunt. Pugnatum est siquidem vehementer, non à Græcis solùm, sed ab aliis plerisque totius orbis episcopis (1), ut hoc romanæ Ecclesiæ privilegium labefactaretur. Atque habebant pro se illi quidem et imperatorum arma, et majorem Ecclesiarum numerum; nunquàm tamen efficere potuerunt, ut aut romani pontificis potestatem abrogarent, aut in alium transferrent episcopum. Quinimò qui à romanâ quidem Sede defecerunt, hi schismatici semper in Ecclesiâ sunt habiti; qui verò hujus Sedis de fide judicia detrectàrunt, hæretici. Quæ profectò omnia satis ostendunt, non humano, sed divino decreto Ecclesiam romanam et cæteris esse præpositam, et Petri privilegia jure suo sibi vindicàsse, et eam demùm petram esse, suprà quam Christus universalem construxit Ecclesiam, adversùs quam portæ inferi prævalere non possunt. Quod nì ità esset, quî potuisset Ecclesia romana tot tàmque magnis principibus repugnantibus, tàm multis hæreticis contradicentibus, tàm variis ecclesiis defectione molientibus obsistere? Quòd si commentitiâ vanâque opinione hoc romani episcopi privilegium theologi asseruissent, nec tàm stabilis sententia permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec unà cum seculis, ætatibusque hominum inveteràsset. Etenim videmus opiniones fictas, atque vanas, viris præsertim eruditis adversantibus, diuturnitate extabuisse. Opinionum enim commenta delet dies, fidei judicia confirmat. Adde, quòd apostolicarum traditionum sinceritas non posset ad nos usque servari, alias ecclesias hæreticis episcopis toties occupantibus, nisi una Sedes apostolica, inter tot orbis tumultus, fixa intemerataque consisteret. Ad hæc, cùm concilia et provincialia et generalia (1), sine romani pontificis auctoritate nonnunquàm erraverint; nunquàm autem, si romani pontificis auctoritate firmata sunt, satis persuasum esse debet, conciliorum, atque adeò totius Ecclesiæ firmitatem à romano pontifice derivari. De quo quoniam in loco superiore multa diximus, illinc lector assumet, quæ ad hujus argumenti explicationem pertinebunt. Atque si in definiendâ fidei quæstione romanus episcopus errare posset, redditur statim incerta nobis multarum hæresum condemnatio; pleræque enim non sunt damnatæ per generalis concilii, sed per romanæ Ecclesiæ judicium et decretum.

Præterea, si inter Patres concilii est controversia vel de intellectu sacrarum litterarum, vel de unoquolibet libro, an canonicùs sit, necne, vel de aliâ hujus generis quæstione, ad hanc litem componendam judicem ponere necesse est; cujus tamen, si errare possit, incertum judicium erit. Judex autem inter Patres concilii dissidentes nullus in Ecclesiâ, nisi romanus episcopus, est agnitus.

Præterea, Ecclesiæ consuetudo hoc manifestè declarat. Nunquàm enim admissa est appellatio in causis fidei à Sede romanâ, sed hæreticos ab eâ judicatos Ecclesia semper hæreticos etiam judicavit. Et certè, si romanæ sedis judicium fallax esset, concilii verò esset verax et certum, naturæ, rationi, veræque theologiæ is adversaretur, qui appellationem à pontifice ad concilium denegaret. Quo uno argumento ostendit Gelasius, Sedem apostolicam de totâ Ecclesiâ judicare, ipsam verò ad nullius pertinere judicium. Jam illiusmodi appellationes, in fidei præsertim dogmate, Ecclesia nescit; nam iis hæretici solùm utuntur. Quòd si ad singulos hæreticos condemnandos opus esset con-

(1) Non ità fuit pugnatum contrà illud essentiale romanorum pontificum privilegium, à plerisque episcopis totius orbis *simul*, sed forsan successivè, adeò ut pars longè major episcoporum contrà errorem semper decertaverit, quod etiam à tempore schismatis Græcorum verum est. P. S.

(1) Vide notam initio libri quinti.

gregare generale concilium, cùm id sæpenumerò non modò difficile, verùm etiam impossibile sit, licebit profectò interim hæreticis impunè vivere, donec synodus à totâ Ecclesiâ cogatur. Id si alienum esse constat à Christi providentiâ, fateamur potiùs romanæ Sedis auctoritatem satis esse ad hæreses evincendas. Ità fiet,ut hujus tribunalis de fide judicium certum omninò habeatur. Quid quòd non solùm Ecclesiam catholicam credimus, sed etiam apostolicam? Ecclesia romana Patrum fideliumque consensu apostolica dicitur, cùm reliquæ omnes jam indè à multis annis hoc cognomen amiserint.

Sed quæris : Eritne hæreticum asserere romanam Ecclesiam degenerare quoque ut cæteras posse, et apostolicam etiam Sedem à fide posse Christi deficere? Huic quæstioni breviter respondemus. Nolumus hìc nos Ecclesiæ sententiam prævenire, sed si ad generale concilium referatur, hæreseos nota errori illi inuretur. Nec enim video, cur quid ipse sentiam de hâc re non audeam dicere; quam eò meliùs cernere mihi videor, quòd et eam propiùs diligentiùsque contempler, et sine affectu perturbationeque contemplor. Quòd si in hoc erro, quòd romanæ Sedis privilegia à Christo illi concessa tueor, et contradicentes hæreseos nomine condemnandos esse credo, non solùm tutò, sed libenter erro; nec mihi errorem utilem, quo etiam delector, sine rationis præsertìm vi extorqueri volo. Nam me non solùm ratio ac disputatio impulit ut ità crederem, sed nobilitas etiam summorum theologorum et auctoritas. Hieronymus prophanum esse, et perjurum dicit (1), qui cathedræ Petri, et romanæ Sedis fidem non fuerit secutus. Cyprianus alienum ait esse, de simplic. præl., tr. 3, prophanum esse, hostem esse, qui universalis Ecclesiæ non tenet unitatem, hoc est lumen unum, undè multi radii; radicem unam, undè multi rami; fontem unum, undè multi rivi; petram unam, suprà quam Ecclesia ædificata est: unum pontificem, qui cæteros omnes suâ et vi et auctoritate contineat. A quo si radium tollas, extinguatur; si frangas ramum, intereat; si præscindas rivum, arescat. Sic enim ille declarat. At qui in fidei controversiâ apostolicæ Sedis fidem judiciumque detrectat, is nec unitatem tenere potest, nec lumen, nec radicem, nec fontem. Atque Cyprianus idem : « Qui cathedram Pe« tri, inquit, lib. 4, ep. 9, suprà quam fundata est Ec« clesia, deserit, in Ecclesiâ esse non confidat. » Ambrosius pro eodem penitùs habet, lib. de exc. fratris sui Satyr. c. 7, catholicum esse, et cum romanâ Ecclesiâ convenire. Gregorius, 22 dist., cap. *Præceptis*, sic Sedis romanæ auctoritatem in religionis fideique causâ existimat esse amplectendam, ut qui noluerit, ab ejus petræ, super quam Christus universalem fundavit Ecclesiam, soliditate convellatur. Leo, 19 dist., c. *ità Dominus*, extorrem divini mysterii cum esse affirmat, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere, et impiam præsumptionem, quæ petræ istius firmitatem Deo ædificante constructam nititur violare.

Nicolaus finit, 22 dist., cap. *Omne*, quòd qui romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur. « Nam fidem, « inquit, violat, qui adversùs illam agit, quæ est mater « fidei. » Hanc verò Nicolai sententiam noli, quæso, lector, contemnere, quæ scilicet actione primâ et septimâ synodi octavæ confirmata est. Ubi et condemnati sunt Photius et Michael, qui hoc Sedis romanæ privilegium quatefacere nitebantur. Quòd si in hæresim labitur, qui romanum episcopum Petro successisse negat, et Ecclesiam proindè romanam cæteris esse præpositam, ecquid de illo faciendum est, qui privilegia Petro ob Ecclesiæ utilitatem à Christo data, privilegia, inquam, quæ Petro ut pontifici doctori et pastori concessa sunt, ea ad successores quoque pertinere negaverit? At enim, doctrinâ sanâ oves pascere, fratres in fide confirmare, universas gentes per os illius audire verbum Evangelii, et credere, suprà illum ædificare Ecclesiam, ut portæ inferi non prævalerent adversùs eam, non Petro ut privato homini, sed ut reipublicæ christianæ præfecto congruebat. Quocircà ambigi inter Catholicos nec debet, nec verò potest, quin romanæ Sedis de fide et religione judicia certa sint. Prætereà, qui negaret, in ligando atque solvendo eamdem potestatem in romano nunc episcopo inesse, quam Petro Christus contulisse creditur, is jure ac meritò haberetur hæreticus: qui ergò firmitatem Petri ad fratres in fide confirmandos, his, qui Petro succedunt, denegaverit, hic hæreticus judicandus erit. Ad hæc faciamus ambiguam esse aliquam inter fideles de religione controversiam. Tùm quærimus, si romana eademque apostolica Sedes, ut dissidentium Ecclesiarum lites disceptationesque componat, à Petri cathedrâ, tribunalique pronuntiet, an sequi illius sententiam debeamus, an non? Si sequimur, romanâ Sede errante, Ecclesia tota in illius errore versabitur. Si non sequimur, ubinam illud est : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis?* Ubinam rursùm illud : *Deus elegit in nobis per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere?* Quod igitur, saltem in rebus ambiguis, ligaverit successor Petri, id ligatum erit, et quod in quæstione de fide propositâ docuerit, hoc gentes non audire debent modò, verùm etiam credere. Non hìc refero, quæ Leo in hujus rei confirmationem dicit, 20 distinct., cap. *de libellis*, non quæ Damasus et Adrianus 25, quæst. 1, cap. *Violatores*, et cap. *Generali*. Illud referam, quòd in concilio Complutensi, confirmato à Sixto IV, condemnatus est Petrus Oxoniensis nomine etiam hæresis, in eo quod asseruit Ecclesiam urbis Romæ errare posse. Quem item errorem eodem quoque hæresis nomine damnavit Sixtus idem, in extravaganti adversùm Petrum Oxoniensem editâ. De quâ quoniam in Relectione de Pœnitentiâ satis multa diximus, eò lector revocandus erit. Coactus est igitur ille sententiam recantare in hanc formam : « Consentio sanctæ matri Ecclesiæ « romanæ, et Sedi apostolicæ, et ore ac corde confi« teor illam me fidem tenere, quam dominus Sixtus « papa auctoritate apostolicâ et evangelicâ tenet. Et « omnes, qui contrà hanc fidem venerint, dignos

(1) De nomine Hypostasis ad Damasum.

« æternâ damnatione pronuntio. » Hactenùs ex conc. Complutens. Martinus verò V, in fine concilii Constantiensis : « Sacro, inquit, approbante concilio, mandamus archiepiscopis, episcopis, etc., ut qui de sacramento Corporis et Sanguinis Domini, vel de Baptismate, seu peccatorum confessione, pœnitentiæ pro peccatis injunctione, vel reliquis Ecclesiæ sacramentis, seu fidei articulis aliter sentit ac docet, quàm sacrosancta romana Ecclesia docet et observat, eum tanquàm hæreticum judicetis. » Concilium ergò Constantiense illos esse hæreticos judicavit, qui romanæ Ecclesiæ fidei et doctrinæ refragarentur. Illud postremò addam. Cùm ex traditionibus Apostolorum ad evincendam hæresim argumentum firmum certumque trahatur, constet autem, si testimonia rationesque hoc loco positas cum iis regulis conferas, quas in lib. 3 posuimus, romanos episcopos Petro in totius Ecclesiæ pontificatum et fidei magisterium successisse, ab Apostolis esse traditum; cur non audebimus assertionem adversam tanquàm hæreticam condemnare? Sed, ut dixi, nolo ego Ecclesiæ judicium antevertere. Quanquàm non videor antevertere, cùm jam ipsius Ecclesiæ sermo nostram omnem comprobârit de romanæ Sedis auctoritate sententiam. Sed hoc vix ægrè dico propter viros quosdam doctos et pios, qui nobis contradixerunt. Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos Ecclesiæ ac perniciem afferre, qui aut negant romanum pontificem Petro in fidei doctrinæque auctoritate succedere, aut certè astruunt summum Ecclesiæ pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet hæretici faciunt : qui verò illis in utroque repugnant, hi in Ecclesiâ catholici habentur.

Quamobrem non equidem intelligo, quonam consilio fideles quidam hæreticorum, quàm catholicorum opinionibus favere malint. Nam hæretici video quid sequantur, nempè vivendi docendique licentiam, et in his omnibus impunitatem. Volunt sine capite corpus, ut neque pes, neque mens suum officium faciant. Volunt sine pastore uno oves, ut cùm lupi ipsi sint, pastores tamen esse videantur. Volunt sine judice lites, ut dissidiorum nullus finis sit; atque ità, cùm amoto arbitro adversùs doctos dimicent, victores à turbâ judicentur. Turbari demùm omnia volunt, quoniam, ut in Hispanorum proverbio est, turbatum flumen piscatorum est lucrum. Nos autem communem catholicorum sententiam sequamur, tutò enim sequimur, quoniam communis catholicorum est. Prætèrquàm quòd ea sentiunt quæ sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant, pontificum decreta finiunt, veterum sanctorum chorus concinit, conciliorum Patres affirmant, Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat. Quapropter, si ea quæ dixi, sole ipso illustriora et clariora sunt, si omnia dixi hausta ex Ecclesiæ Scripturæque fontibus, si tota oratio nostra certis theologiæ rationibus integrisque et incorruptis testibus omnem sibi fidem confirmat, assentiamur tandem, ex apostolicæ Sedis auctoritate firma theologos argumenta sumere ad fidei theologiæque dogmata comprobanda. De quinti igitur loci firmitate tantùm dixerimus. Nunc adversariorum argumentationes refellamus.

CAPUT VIII.

Ubi argumenta capitis primi refutantur.

Atque in illis argumentis, quæ à principio sunt posita, theologi nonnulli, minimè mali illi quidem, sed non satis acuti, quoquo modo possunt, tergiversantur : romanam quippè Ecclesiam à romano pontifice discernunt, aiuntque hunc in fide errare posse, illam non posse. Sic sibi videntur omnia propemodùm argumenta diluere. Nam pleraque ex illis non Ecclesiæ romanæ, sed summi pontificis fidem impugnant. Atqui Ecclesiam romanam isti, non romanum episcopum, ab errore vindicant. Verùm, si de errore in fidei judicio atque decreto loquimur, ut verè loquimur, nullum ego discrimen inter apostolicam Sedem et apostolicæ Sedi insidentem invenio. Primùm, quoniam cùm ad Sedem apostolicam accedimus fidei oracula postulaturi, non singulos romanæ Ecclesiæ fideles interrogamus, nec Ecclesiam ipsam romanam in concilium cogimus, sed pontificis maximi judicium quærimus, ejusque sententiam expectamus.

Rursùm, quoniam non romanus populus est, qui Ecclesiam universalem docet ea quæ ad fidem attinent, sed romanus episcopus. Nec potestas judicandi de causis fidei, ligandi, solvendi, pascendi, in populo romano est, sed in romano pastore, vicario Jesu Christi. Concilia quoque non exigunt confirmationem et robur ab ipsâ romanâ plebe, sed à plebis romanæ antistite.

Prætereà, privilegium firmitatis, ut antè probatum est, Petro fuit peculiariter datum. *Ego*, inquit, Luc. 22, 32, *rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua, et tu confirma fratres tuos*. Et iterùm, Matth. 16, 18 : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quocircà, si veræ theologiæ rationem sequimur, quæ capite tertio explicata est, in Petro et successoribus primùm firmam certamque doctrinam asseremus, mox verò in Ecclesiâ romanâ, cujus Petrus cum successoribus et caput et fundamentum est. Atque illud etiam animadverto, quòd, sicut omnibus simul episcopis docentibus errores falsos, necesse esset sanè totam Ecclesiam vario in errore versari, ità, si pastor Eccl. romanæ errorem fidei contrarium decerneret, oves quoque errante pastore dispergerentur. Testimonia demùm, quæ retulimus, id ferè probant, summum Ecclesiæ pontificem, Petri successorem et Christi vicarium, cùm de fide pronuntiat, errare non posse, lib. 5, c. 5. Quò magis illos reprehendendos judico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si apostolicam Sedem ab apostolico præsule secernerent. Non recipit istam responsionem ratio, aspernatur, repellit. Illud potiùs sumit, errorem esse duplicem, alterum personalem, alterum judicialem. Nec enim scholæ propria vocabula, etiamsi minùs latina sint, aversari debemus, sed malle, quod Augustinus ait, 58 d. *Sedulò*, apertos, quàm nitidos habere sermones. Error itaque personalis privatus est cujusque error,

judicialis est publicus. Edidit Innocent., hujus nominis IV, in libros decretalium commentaria; si in his quidquam errati est, hominis nimirùm est, non pontificis, quamvis ea commentaria à pontifice edita sint. At si idem Innocentius in judicio de fidei quæstione definiret quippiam, quod revera falsum esset, jam hic error à publico Ecclesiæ censore proficisceretur, essetque proindè judicialis.

Quà ex re primum argumentum facilè refellitur. Nec enim historia fide digna docet Joannem XXII, post summum adeptum pontificatum, de ejusmodi re aliquid definiisse; quin potiùs quùm ad hujus rei definitionem se pararet, ut Benedictus XI, in extrav. suà ait, morte præventus definire nequivit. Nec, si antequàm esset pontifex, errorem illum habuerit, hæreticus censendus est, sicut nec Irenæus, nec Chrysostomus, nec Theophylactus, nec Bernardus, quos, re nondùm expressè per Ecclesiam definità, illius opinionis fuisse, sunt qui contendant; verène an falsò contendant, non est diei locique hujus disputare.

Ad secundum etiam eodem modo respondetur. Non enim Cœlestinus quidquam definivit. Verba quippè Innoc. III, sic habent, c. *Quarto*, de divor. : « Licèt quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur. » Sensisse, ait, non definiisse. Sed ne Innocentius quidem definit quidquam, sed explicat sententiam et opinionem suam, inquiens : « Non credimus, quòd in hoc casu, is qui « relinquitur, possit ad secundas nuptias transire. » Quod profectò verum est, quanquàm per illam Innocentii decretalem non firmiter definitum. Nec enim statim si aliquid juris volumine continetur, fidei dogma esse credendum est. Quod penultimo superioris libri capite latiùs explicatum est.

Tertio verò argumento nullum negotium est respondere. Nam verbum, *Judico*, frequenter in eà significatione usurpatur, ut idem sit, quod sentio, seu opinor. Quo modo Alexander accipit, cùm ait quosdam prædecessores suos aliter judicâsse.

At quartum argumentum longè difficillimum est, nec potest ità breviter expediri. Apertè enim Alexander docet, consuetudinem illam civili etiam lege confirmatam, quæ testamenta minùs solemnia rescindit, et à divinà lege, et à Patrum institutis, et à generali Ecclesiæ consuetudine alienam. Quòd autem ex auctoritate pontificià hoc sanè loco pronuntiet, illud est evidens argumentum, quòd sub interminatione anathematis prohibet, ne quis ejusmodi audeat rescindere testamenta. Undè et capite proximè sequenti judicibus mandat, ut in id genus causis tres duosve solummodò testes exigant, nec civiles leges, sed canonica decreta sequantur. Si ergò jussit Ecclesiæ pontifex, et anathematis interminatione jussit, ut nemo ea irritet testamenta, quæ duorum, vel trium testium sunt testimonio firmata, nimirùm non ut privatus quivis homo, sed ut publicus Ecclesiæ judex eam quæstionem definivit. Atqui non est Dei Evangeliique præceptum, quod tamen Alexander videtur astruere, ut omnes causæ tribus duobusve tantùm testibus absolvantur, 2, quæst. 1, *Nullam*. 2, quæst. 2, *Præsul*. Alioqui non solùm Leo IV, sed Sylvester etiam in synodi romanæ cap. 3, legem Evangelio Deoque contrariam edidissent. Decreverunt enim, ut, nisi in 72 testibus, non damnaretur episcopus. Quà ex re intelligitur legem civilem, quæ tollendis è republicâ fraudibus cavet, ut testamenta non valeant, nisi quæ septem fuerint testibus obsignata, non esse legi evangelicæ adversam : quemadmodùm ne illa quidem, quæ, ut conflatæ in episcopos invidiæ occurreret, statuit ut ad episcopi condemnationem duo solùm testes non sufficerent. Atque si mortalium vita esset mediocriter instituta, moresque ad naturam, non ad avaritiam compositi, duorum hominum testimonium idoneum profectò erat, ut quæcumque in judicio causa finiretur. Sed sicut juramentum à malo est, non illius qui jurat, sed ejus qui verum dicenti non credit, sic plures, quàm duos testes requirere, à malo quidem fuit non requirentis legis, sed hominis defraudantis. Sed hæc disserere non est hujus aut loci aut temporis. Illud propriè hùc pertinet, an Alexander erraverit.

Et quidem in decretis pontificiis duo cum primis distinguenda sunt. Unum est, tanquàm intentio conclusioque decreti; alterum quasi ratio et causa à pontifice reddita ejus rei, quam constituerit. Atque in conclusione pontifices summi errare nequeunt, si fidei quæstionem ex apostolico tribunali decernant. Sin verò pontificum rationes necessariæ non sunt, ne dicam aptæ, probabiles, idoneæ, in his nihil est videlicet immorandum. Non enim pro causis à pontificibus redditis, tanquàm pro aris et focis depugnamus. Alexander igitur non definit, consuetudinem illiusmodi esse divinæ legi contrariam, sed, jurisperitis ferè placere video, jubet, ut in legatis piis duo, vel tres solùm testes à judicibus exigantur. Hæc decreti hujus conclusio est, hic finis; nec dubium est quin rem eam pontifex jure quodam suo potuerit præscribere. Sed si in ejus præcripti confirmationem Deuteronomii lege utitur, hancque divinam nuncupat; si ad canonum statuta revocat, si Ecclesiæ morem affert, non est operæ pretium rationes illas ad vivum resecare. Quemadmodùm, si concilia quædam definiant, duas esse in deitate personas, Patrem et Filium, afferantque in hoc illud quoque Geneseos testimonium : *Pluit Dominus à Domino*, non retinius in fidei judicio errant, quamvis ex illo loco parùm aptè Trinitas comprobetur. Exstat item synodus, ubi de perpetuà Mariæ virginitate pronuntiatum est. Ad eam rem suadendam referunt Patres portam apud Ezechielem clausam. Irrideat si quis vult, sed ridebit tamen frustrà. Non enim semper Patres in fidei quæstione causas afferunt necessarias, sed interdùm vero similes. Quòd si etiam pontifices in hujusmodi ponendis causis quandoquè falluntur, ne calumniandi sunt quidem : tantùm abest, ut indè loci hujus auctoritas infirmetur. Porrò autem, si valere quidquam judicium meum potest, neque in conclusione Alexander, neque in causis erravit. Nam is in utroque fero subditis ferebat leges, Hostiensibus nempe civibus, ac judicibus Velletrensibus. Non ergò legem civilem, quà imperatores in regionibus suæ ditioni subjectis utuntur, improbare voluit Alexander; sed voluit judices etiam laicos in Ecclesiæ patrimonio non secun-

dùm imperatorum leges, sed secundùm statuta canonum de testamentis judicare. Nec enim æquum esse censet, ut in rebus temporariis adjudicandis tàm sint solliciti sacri canones, quàm sunt leges civiles; honestiusque esse decrevit, in civitatibus et oppidis, quæ in Ecclesiæ jure ac dominio sunt, non legis civilis, sed canonum consuetudinem observari. Quo fit, ut si decretalis hujus ratio pressiùs teneatur, non solùm in terris romanæ Ecclesiæ subjectis, sed in quibuscumque aliis, quæ sub episcoporum ecclesiarumque dominio sunt, lex hæc Alexandri debeat servari, non in his modò, quæ pietatis causâ Ecclesiæ relinquuntur, verùm etiam in aliis quibusque legatis. Honesta ergò Alexandri lex est, sancta, legitima, sed ne in causis erravit quidem. Nam licèt non sint necessariæ, non sunt tamen prorsùs ineptæ. Consuetudo, inquit, quæ plures quàm tres duosve testes postulat, primùm aliena est à divinâ lege veteris scilicet Instrumenti, quæ duos solùm tresve ut plurimùm testes exigebat; aliena etiam à Patrum institutis, hoc est, à more, jureque canonico, ubi in rebus præsertim temporariis duo testes sufficiunt; aliena demùm à consuetudine Ecclesiæ generali, quæ in hujusmodi causis duobus, vel tribus testibus est contenta. Aliena autem, non quasi contraria, sed tanquàm nova et extranea, ob idque parùm in Ecclesiæ judicio probanda. Quòd si hanc animi sinceritatem, dextramque de testibus opinionem, si hanc veteris legis ac juris canonici consuetudinem principes seculi in tribunalibus suis sequi nolint, sed ut fraudes tollant, majorem testium numerum in testamentis civium suorum exigant, suo quidem judicio liberè possunt uti; nihil enim Alexander impedit per illam epistolam decretalem, quæ nimirùm eos solùm ligat, qui Ecclesiæ in utroque foro fuerint subjecti. Sed de quarto argumento satis superque dictum est.

Quintum verò facillimè diluitur ex iis, quæ in quarti argumenti refutatione sunt dicta. Causas enim pontifices quandoquè adferunt, non quæ cogant, sed quæ suadeant. Nam quia leges quasdam Synagoga olim à Deo habuit, non modò ad gubernandum utiles et accommodatas, verùm etiam ad plebis cujusque mores ac religionem instituendam propemodùm necessarias, Ecclesia Christi eas in suum usum vindicavit. Quamobrem et summi pontifices, et jurisperiti horum auctoritate confirmati leges aliquot veteres probatas rursùm ac denuò restitutas ab Ecclesiâ, divinas vocant; non quòd Dei nunc præcepta sint, cùm lex illa vetus sit abolita, sed quòd Dei præcepta fuerint servanda etiamnùm à nobis, non ex vi quidem veteris legis, quod falsò pontificibus doctissimis impingebatur, sed ex Ecclesiæ novâ institutione. Quæ tamen nova Ecclesiæ institutio seu restitutio potiùs, ex veteri divinâ lege probabiliter suadetur.

Ad sextum argumentum Turrecremata respondet lib. 2, c. 112, nullam esse inter pontifices illos pugnam. Quin Joannes exponit Nicolaum. Nam post verba prædicta, Nicolaus subjunxit : « Nec hic quisquam potest « obsistere, quòd interdùm Christus loculos dicitur ha« buisse : infirmorum enim personam Christus suscepit « in loculis. » Id verò est, quod Joannes XXII definivit, nempè hæreticum esse, negare, Christum et Apostolos aliquid habuisse in communi, quòd contrarium ex Luc. 22. Joan. 4 et 13. Actor. 4, constaret.

Ad septimum primò dicitur, quòd neuter ibi pontifex definivit ejusmodi controversiam. Respondent enim sæpè pontifices ad privatas hujus, aut illius episcopi quæstiones, suam opinionem de rebus propositis explicando, non sententiam ferendo, quâ fideles obligatos esse velint ad credendum. Certè, ut de Pelagio taceamus, Nicolaus nihil eo loco, quod ad hanc quidem quæstionem attineat, decrevit. Non enim illi proposita fuerat quæstio, an baptismus in nomine Christi collatus esset validus, sed an baptizatus à Pagano, vel Judæo, verum baptismi sacramentum suscepisset. Obiter autem et in transcursu, cùm huic quæstioni propositæ responderet, de suo non interrogatus adjecit, baptisma in nomine Christi conferri. Quâ in re falli sine dubio potuit. Imò adeò falsus est, ut in 4 Sentent. libro magnis argumentis ostendimus.

Deindè duo hi pontifices fortassè non pugnant. Nam Nicolaus intelligitur docuisse, quòd in simili necessitate, qualis Apostolorum tempore fuit, si cætera paria sint, baptismus in nomine Christi nunc etiam ratus erit. Pelagius autem definit, citrà ejusmodi necessitatem non valere; quemadmodùm si nunc deesset balsamum, aut liber et calix qui tangeretur, et confirmationis et ordinis sacramenta manu solùm impositâ conficerentur, ut ætate Apostolorum à principio statìm fieri consuevit. At ubi non esset similis necessitas, nec ordinatio fortè, nec confirmatio sine hujusmodi sacramentorum materiâ valeret. Hæc autem de baptismo in nomine Christi communem secuti opinionem diximus. Primùm enim nusquàm, ut ego quidem sentio, baptisma in eam formam administratum est : *Ego te baptizo in nomine Christi*. Quod et divus Ambros. et plerique alii videntur intellexisse. Sed si quà ejusmodi formâ Apostoli usi sunt, ea fuit : *Ego te baptizo in nomine Jesu Christi*, Act. 2, 10 et 19. Deindè, non necesse est Apostolos sub alterutrâ illarum formâ baptismi sacramentum contulisse. Nec si Scriptura dicit, quidquam in Christi nomine fuisse gestum, statìm cogimur existimare, his conceptis verbis non gestum administratumque fuisse. Exempla sunt in divinis litteris plurima. Illud est in promptu : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nos*. Item : *Cæsis denuntiaverunt ne omninò loquerentur in nomine Jesu*, Act. 5. Item, Paulus dicitur *fiducialiter egisse in nomine Jesu*, Act. 9. Hebræis porrò id in alicujus nomine fit, quod auctoritate ac virtute cujuspiam transigitur. Quarè qui regis loco, et tanquàm illius minister, quidpiam agit, hic in nomine regis eam rem dicitur agere. Rectè igitur qui tanquàm Christi administri in aquâ et spiritu homines sanctificabant, eos in nomine Christi baptismi gratiam exhibuisse interpretamur. Non ergò necesse est sentire, quòd Apostoli baptismi formam à Christo præscriptam immutàrunt. Nam et hodiè nos verè in Christi nomine, hoc est, loco, vi, et auctoritate, baptisma conficimus. Ac si præscriptâ illâ formulâ nominis Jesu Christi Apostoli baptizâ-

runt, non putandi sunt tamen Spiritûs sancti Patrisque nomen omisisse, sed in nomine Patris et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritûs sancti baptizâsse. Quod alterius loci est demonstrare. De septimo igitur argumento satis.

In octavi argumenti explicationem multa quidem dici possent, sed nos in pauca conferemus. Sanè Gratianus 32, q. 7, audaciùs sanè multò quàm disertiùs ait, illam Gregorii sententiam evangelicæ et apostolicæ doctrinæ esse contrariam. A quo ego longè dissentio. Nam, ut romanorum pontificum auctoritatem negligamus, non possumus tamen utriusque Gregorii et primi, et tertii, contemnere definitionem, cùm fuerint utrique tùm doctissimi, tùm etiam sanctissimi. Itaque non errârunt, quod Gratianus falsò existimavit, sed locuti sunt potius de eà, quæ antè matrimonium per infirmitatem inepta erat ad copulam conjugalem, hoc est, ut scholæ verbis utamur, quæ erat impotens ad solvendum debitum. Cujus simile exemplum habes de frigidis, c. *Consultationi*. Atque ipse idem Gregor. hoc modo sententiam suam explicat in epist. ad Ravennatem archiepisc., referturque à Grat. 33, q. 1, cap. *Requisisti*. Nec desunt huic argumento aliæ etiam responsiones, sed hæc et planior et expeditior est. Quam quoque Gloss. sequitur, 20 d., c. *De libellis*, in verbo *Junioris*.

In nono argum. nobis Lutherani, præsertim Œcolampadius, Bucerus et Calvinus insultant. Sed pueriliter tamen. Quoniam librum illum Gelasii rom. pontificis non esse magnis argumentis à me et animadversum et patefactum est. Primùm enim auctor opusculi dicit, esse recentem altercationem de veritate duarum naturarum in Christo. Non autem erat recens tempore Gelasii, sed olìm profligata à Leone et concilio Chalcedon., ubi Eutychis et Nestorii explosa sententia est. Rursùm in toto lib. nec Leonis, nec concilii Chalcedonens. meminit. Id quod maximè fecisset, si auctor esset Gelasius. Nam, in epistolà ad Faustum, hujus concilii auctoritate libenter utitur; libentiùs hìc usurus, ubi adversarios posset tantæ synodi testimonio revincere. Ac certè cùm Damasum contrà Arium citaverit, citâsset ac multò magis etiam Leonem contrà Eutychem, si post tempora Leonis scripsisset. Atque Gelasius multis annis fuit Leone posterior. Quid quòd auctor ille Damasum nomine episcopi romani nullo alio honoris titulo retulit? Quod à more posteriorum pontificum, cùm priorum testimonia referunt, valdè est alienum. Præterea, ejus operis auctor ad probandam utriusque naturæ in Christo veritatem, inter magistros Ecclesiæ catholicos censet Eusebium Pamphili, ejusque testimoniis utitur. Quem tamen apertissimum impietatis arianæ propugnatorem fuisse, Hieronymus affirmat, in epist. ad Pammachium et Oceanum, cujus initium est *Schedulæ*. Quin etiam tanquàm Arianus, Eusebius hic cum suis operibus damnatus est, act. 5 et 6 septimæ synodi generalis. In asserendâ item Christi utràque naturà, è Patribus latinis auctor ille solum Ambrosium refert : qui si esset Gelasius, Hilarii, Hieronymi, Augustini testimoniis uteretur, nec quosdam græcos ibi scriptores excitâsset, qui Latinis demortui semper et sunt et fuerunt. At Gelasius scripsit de utraque Christi naturà adversùs Eutychem et Nestorium. Non inficiamur; sed quinque libros scripsisse legitur, non hoc parvum opusculum, quod ementito titulo circumfertur: Gennadius quoque contrà Eutychem scripsit : cur magis hoc opus Gelasii, quàm Gennadii fateamur? Fuit etiam Gelasius quidam episcopus Cæsareæ Palæstinæ, quem Hieronymus tradit quædam eo tempore scripsisse, sed celâsse. Huic ego opusculum tribuerem, nisi quod purum et politum sermonem dicit eum Hieronymus habuisse, quemque in hoc libello equidem non agnosco ; nisi bono et eleganti auctori contigit malus et impurus interpres. Falluntur autem, qui opus hoc Gelasio pontifici rom. tribuunt, ex verbis illis : « Cùm Sedem apostolicam « vestra dilectio unanimiter teneat, constanter prædicet, sapienterque defendat : » quo loco legendum esse, *fidem apostolicam*, vel me non demonstrante lector probaturus est. Nec novum est sanè, ut nomine pontificum romanorum libri ejusmodi proferantur. Nam actione 5 synodi 7, Iconomachi duos libellos prodiderunt auctore Vigilio rom. pontif. Sed falsò tamen. Atque, ut opus constaret esse Gelasii, nihil tamen affertur. Cùm enim edunt libros de re quàlibet romani pontifices, sententiam suam, ut homines alii docti, exprimunt, non tanquàm Ecclesiæ judices de fide pronuntiant. Nonum igitur argumentum satis, ut arbitror, evidenter confutatum est.

Decimo autem refutando, quæ Cajetanus in illo 27 quæstionum opusculo dixit, non sunt hìc ea nobis resumenda, ne acta agamus, quod vetamur veteri proverbio (Cajet. de Primatu Ecclesiæ romanæ, c. 13). Quod nunc instat, id diligenter explicandum est, quid videlicet consequentiæ sit, ut si super Petrum Christus Ecclesiam ædificavit, romana statim Sedes cæteris esse præposita divino jure intelligatur. Indè enim plana quoque erit illa collectio : Si Petri fides juxtà Christi orationem non defecit, majores Ecclesiæ causæ ad romanum episcopum sunt referendæ. Video autem, ejusmodi res planè et perspicuè expedire non posse, nisi doctum et intelligentem virum. Cujus rei tantæ tàmque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse præ me fero. Ea enim exponenda in hoc me opere suscepisse constat, non quæ essent pervia, et omnium sermone trita, sed quæ vix adhibità etiam diligentià à doctissimis quibusque intelligerentur. Quòd si succedat conatus, jure est laudandus; sin verò non succedat, non est certò reprehendendus. Sed hæc hactenùs. Rem jam ipsam explicemus. Primùm autem illud commemorandum est, quod aliàs sæpè diximus, quæ Petro dicta in Evangelio à Christo sunt, non ut homini privato, sed ut Ecclesiæ præfecto, ea ad successores quoque sine vi aliquâ, aut litteræ inversione pertinere, quemadmodum quæ Dominus Apostolis commendavit æquè congruentia fidelibus universis, eadem futuris Christianis omnibus in sensu litterali commendata sunt, juxtà id quod Christus ipse Marci 13 explicuit, inquiens : *Quod vobis dico, omnibus*

dico, vigilate. Vigilare quippè ad omnes æquè pertinet; quarè, etiamsi Christus id non adeò disertè fuisset interpretatus, ut ille explicuit, ità nos quoque necessariò explicaremus. Pari item ratione, quæ Dominus Apostolis locutus est, ad ipsos quidem spectantia quatenùs Ecclesiæ sacerdotes, hæc non ad fideles omnes, sed reliquos futuros in Ecclesiâ sacerdotes catholici referimus. Quale illud est Luc. 22 : *Hoc facite in meam commemorationem.* Cùm enim Dominus pane et accepto et fracto, elevatisque in cœlum oculis Deo gratias egerit, calicemque simul et acceperit et levaverit, sine dubio eucharisticum sacrificium, hoc est, gratiarum actionis, Judæorum ritu obtulit; nisi stultus fuit et ingratus, qui cùm referre Patri summam gratiam posset, quæ ab illo nobis acceperat summa dona eidem referendo, minimè retulisset. Jubens itaque Apostolis suis Christus, ut hoc ipsi facerent, quod scilicet illum videbant facere, nimirùm id præcepit, ut hostiam Eucharistiæ et gratiarum actionis offerrent. Quod et Cyprian. ad Cæcilium, et Irenæus lib. 4, cap. 32, divinè exposuerunt, de cons. dist. 2, c. *Script.* Quia ergò sacrificium facere, sacrificorum et sacerdotum proprium munus est, quod eo loco Dominus Apostolis commendavit, id propriè ad futuros Ecclesiæ sacerdotes spectat, non ad vulgus etiam mulierecularum, quod hæretici credidêre. Porrò quæ iisdem Christum, quia pastores Ecclesiæ futuri erant mandâsse legimus, hæc ipsa episcopis et pastoribus succedentibus ad litteram credamus esse mandata. Hujus rei exemplum est illud Matthæi 18 : *Quæcumque alligaveritis,* etc. Et illud item Joann. 20 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : accipite Spiritum sanctum,* etc. Hanc verò regulam si in sacris litteris explicandis tenuerimus, vitabimus procul dubio permixtam illam et tenebricosam confusionem, quam in Scripturæ intelligentiâ hæretici patiuntur. Quorsùm hæc? nempè ut ea, quæ Petro in Evangelio dicta sunt, aptè ac prudenter distinguamus; et si quid illi, ut privato, congruit, hoc ad singulos fideles spectare existimemus (cujusmodi illud est. Matth. 18, 15 : *Si peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te et ipsum solum,* etc.); sin verò quidquam illi convenit, ut Apostolorum principi, et Ecclesiæ pastori, hoc citrà controversiam putemus ad succedentes in Ecclesiæ pontificatu esse referendum, idque in genuino litteræ sensu. Nam et quæ legislator civilis suis delegatis præscribit, non ad eum solùm, cui vivâ voce loquitur, sed ad cæteros, qui illi in eodem officio succedunt, referuntur.

Deindè illud quoque magnoperè advertendum est, romanum pontificem Petro succedere, non esse per se quidem in sacris litteris revelatum, sed aliundè constare : ex eo scilicet, quod historiæ gravissimæ prodidêre, Petrum Apostolum suam cathedram Romæ demùm collocâsse, ibique cùm esset episcopus, fuisse defunctum. Hoc Velenus, hoc Sebastianus Francus, hoc hæretici quidam alii negant; quin etiam aiunt, Petrum ne Romam quidem invisisse. Quod tamen, cùm historici omnes graves prodiderint, malitiosè negatur. Non enim existimandi sunt isti, quod verbis negant, id mente sentire, nisi pueri et pueri stulti esse credantur. Quid enim tam stultum, tamque puerile dici potest, quàm si ea nos esse olim in republicâ gesta negemus, quæ gesta esse vir quisque antè nos gravissimus affirmavit? Quòd si ejus rei, de quâ disserimus, auctores quæris, Dionysius unus est in Epist. ad Timoth. Dionysius Corinthiorum episcopus, alter est apud Eusebium, lib. 2 Ecclesiast. Hist., cap. 25. Tertius testis est Clemens in epistolâ primâ. Quartus est Anacletus in epistolâ de ordinatione episcoporum. Quintus est Marcellus 24, quæst. 1, cap. *Rogamus.* Sextus est Leo in concione primâ de festo Petri et Pauli. Septimus est Gelasius cum concilio 70 episcoporum. Octavus est Innocentius III, in cap. *Per venerabilem. Qui filii sint legitimi.* Nonus est Nicolaus III, cap. *Fundamenta,* de elect. in 6. Decimus est Leo IX, in epistolâ synodicâ ad Petrum, Antiochenum patrarcham. Undecimus, Constantinus in edicto antè Nicænam synodum, 96 dist., cap. *Constantinus.* Duodecimus, Epiphanius, hæresi 27, quæ est Carpocratis. Tertius decimus, Irenæus, lib. 3 contrà Valent., cap. 3. Quartus decimus, Tertullianus lib. 4 adversùs Marcionem, et lib. de Præscript. hæret. Quintus decimus, Ambrosius in oratione contrà Auxentium de Basil. trad. 2, quæst. 7, cap. *Beati.* Sextus decimus, Hieronymus in lib. de viris illustr., in Petro. Decimus septimus, Egesippus, 3 lib. de excid. Hieros., cap. 2. Decimus octavus, Augustinus, lib. 1 contrà Julianum Pelag. Postremus, Eusebius, lib. 2 Ecclesiast. Histor., cap. 14 et 15, libro quoque tertio, capit. 2 et 25. Quibus locis etiam refert Origenem, Caium, Papiam. Tàm verò multis et incorruptis testibus qui non credit, is aut stultum, aut hæreticum certè se esse demonstrat; ut publicam romanæ urbis vocem, loca item ipsa urbis prætereamus, quæ etiamnùm vitæ mortique Petri testimonium perhibent. His itaque positis, difficilis et perobscura quæstio facilè explicatur, quæ quidem, ut dixi, doctissimos viros ità implicuit, ut se expedire non valuerint. Quòd enim pastor post Petrum à Christo in Ecclesiâ suffectus potestatem Petri ordinariam habeat, ac cætera privilegia propter Ecclesiam Petro concessa, ex Evangelio habetur, juxtà ea quæ primo documento animadversa à nobis et demonstrata sunt. Quòd verò ille, quem Christus Petro mortuo suffecit, romanus fuerit episcopus, è re gestâ colligitur. Nam si Petrus semper Antiochiæ sedisset, ut cœpit, sine dubio episcopus Antiochenus illi legitimè in pontificatum successisset.

Sed et id postremò considerandum (est enim res magna, ac diligenti contemplatione dignissima), non illud modò ad doctrinam catholicam pertinere, quod Apostolis expressè revelatum est, verùm hoc etiam, quod ex alterâ propositione revelatâ et alterâ certâ in lumine naturali, syllogismo, collectioneque evidenti conficitur. Ut Christum Dominum habere voluntates duas, duosque intellectus, utriusque item actiones, et creatam, et increatam, aut Christum etiam ridere suâpte naturâ, ut homines cæteros posse, in sacris fortè litteris non habetur expressum. Sed quoniam traditum in illis est, Filium Dei esse hominem, et naturali ra-

tione constat, omnem hominem habere voluntatem, intellectumque creatum, operationesque utriusque potentiæ etiam creatas, omnem item hominem, ut ferè, ità quoque ridere posse, qui unumquodlibet horum negaverit, is hæreticus judicabitur (1), propterea quod negando consequens, scilicet Filium Dei habere intellectum, intellectionemque creatam, negat proindè antecedens, ex quo illud colligebatur, hoc est, Filium Dei esse hominem. Esto aliud exemplum. Concilium Nicænum in fide non erràsse, aut Chalcedonense, aut Ephesinum, nec in sacris libris, nec in Apostolorum traditionibus explicatum est; sed id solùm, concilia in Spiritu sancto legitimè congregata errare non posse. At quòd concilium Nicænum, Chalcedonense, Ephesin. legitimè fuerint coacta, ex divinâ revelatione non creditur, creditur tamen ex humanâ fide et traditione historiæ fide dignæ, per quam habemus, eas synodos, indicentibus et confirmantibus veris Ecclesiæ pastoribus, ex universo orbe convenisse. Undè licet earum rerum certitudo ac veritas, quæ in ejusmodi conciliis definitæ sunt, ex duobus quasi principiis pendere videatur, quorum alterum revelatum à Deo est, concilia videlicet legitimè congregata certissimæ veritatis esse, alterum verò solà certitudine naturali credatur, per ea quæ scriptores graves et incorrupti memoriæ prodidère; at hæreticus erit, qui negârit earum synodorum scita atque decreta, non aliter ac si negaret Evangelium. Esto quoque aliud exemplum apertissimum. Quòd sacerdotes nostræ hujus ætatis à veris Episcopis ritè fuerint consecrati, non est sacris litteris proditum; sed res gesta potiùs est, quæ ex verbis et animo consecrantium pendeat. Ex hoc igitur principio, quod humanâ certitudine tenemus, videlicet hos sacerdotes ritè initiatos esse, illud pendere necesse est, an in Ecclesiâ nunc sit verum Eucharistiæ sacramentum. Quod qui inficiaretur, hunc Ecclesia existimaret hæreticum. Tametsi illa solùm enuntiatio universalis per revelationem accepta sit, omnes veros sacerdotes, si rectam intentionem habeant consecrandi, verùm Eucharistiæ sacramentum conficere. Sed quòd ii, qui modò vivunt, sint ejusmodi, non Evangelium solùm, sed gravis et constans naturæ ratio simul cum Evangelio probat. Ad eumdem profectò modum, qui negaverit romanum pontificem eamdem habere potestatem, quam Petrus à Christo accepit, fidei adversarius censendus est, quamvis ex Evangelio nihil aliud proximè colligatur, quàm Petri successores eumdem habere cum Petro principatum. Nam si huic Evangelicæ conclusioni illam addas, episcopum romanum esse Petri successorem, quam ex historiis à traditione virorum gravissimorum accepimus, manifestè colligitur, romanum episcopum et cæteris episcopis superiorem esse, et eamdem habere in Ecclesiâ potestatem et auctoritatem, quam habuit Petrus. Aptè igitur summi pontifes, atque prudenter testimonia illa evangelica ad romanum episcopum Sedemque apostolicam retulerunt.

(1) Sed addendum: *Accedente judicio Ecclesiæ*, cùm aliter mera conclusio theologica ad fidem seu doctrinam catholicam pertinere nequeat; ut diximus in Prolegomenis, n° 38. ..., S.

Quòd si sententia hæc nostra minùs viris doctis fuerit probata, quanquam haud scio cur probetur minùs, habemus tamen adhuc aliam hujus rei explicandæ formam, undè liqueat, pontificem romanum ex divinâ institutione fuisse Petri in Ecclesiæ totius pontificatu successorem, atque adeò romanis episcopis ea testimonia convenire, quæ Petri probant et primatum et fidem. Diximus quippe retrò fidem nostram non solùm scripto, sed etiam traditione contineri. Ità, licet romanos episcopos Petro succedere in sacris libris non habeatur scriptum, ab Apostolis tamen Ecclesiæ, quasi per manus, traditum est. Jam quòd hæc fuerit Apostolorum viva traditio, ex his scilicet viis manifestè constat, quas in tertio libro nos vel aperuimus, vel indicavimus. Non enim sigillatim sunt nobis explicanda omnia, ne longâ oratione negotium lectori facessamus. Certè hujus rei illud est evidens argumentum, quòd non antè Phocam modò, et Constantinum, non antè Nicænam solùm synodum, verùm etiam antè quemcumque post Neronem imperatorem, antè quodcumque Ecclesiæ concilium, antè quoscumque post Petrum pontifices maximos, semper à viris ecclesiasticis romanus episcopus Petri successor est agnitus (1). Atque apostolicam traditionem fuisse, non obscurè tradit Anacletus Petri discipulus in epistolà primâ de oppressione episcoporum, Sixtus primus ad Gallicanas Ecclesias, Eleutherius ad easdem, Victor in epistolà ad Theophilum, Sixtus secundus in epistolà ad Gratum episcopum, Zephirinus in epistolà ad episcopos Sicilianos, Marcellus ad episcopos Antiochenæ provinciæ, Melchiades ad episcopos Hispaniarum, Marcus in epistolà ad Athanasium, Julius ad orientales episcopos. Nec verisimile fit, ut rem tàm necessariam ad Ecclesiæ unitatem continendam Christus Dominus Apostolis suis non revelârit. Si enim Moysi locus ille revelatus est, quem Dominus elegerat, ut indè à Judæis divina oracula peterentur, quantò magìs credendus est Christus Petro manifestâsse, quisnam esset ille locus, ubi constitueerat regni sui et principatum, et sedem collocare? Atque si, ut transferretur Ecclesia Hierosolymitana in civitatem Pellam, voce Domini sunt Apostoli admoniti, ut Eusebius, 3 lib. Eccles. Hist. cap. 5, et Epiphanius lib. 3 contr. hær. cap. ult., referunt, multò magìs credemus, ut è civitate Antiochenâ Romam emigraret Petrus, cathedramque indè transferret, dominicis oraculis fuisse commonitum. Quod si ità est, ut reverà est, nec aliud nisi absurdissimè credi potest, jam hìnc fideles intelligant, unde illa vox Lutheranorum fuerit, quà inter cæteros articulos Wormatiæ propositos, hunc etiam posuère, ut abrogaretur romani pontificis potestas, quam sibi sumit suprà cæteros episcopos : intelligant rursùm, quidnam illi moliantur, qui romani episcopi monarchiam asserunt fuisse post D. Hieronymi tempus ortam (2). Nam qui Phocam scribunt instituisse, ro-

(1) V. Innoc. I, ad concil. Carthagin. et Milevitan., et Gelas. ad Maxst. Aug.

(2) Erasmus in cens. epist. Hieron. quæ inscribitur, ad Evagr. alter Beatus Rhen. in l. Tertul. de prælat. hær. Matth. Palmerius, et Herman.

manam Ecclesiam omnium esse Ecclesiarum caput. pie quidem fortassè id, nullius enim animum ego judico, sed imprudenter tamen scripserunt; intelligant etiam unde D. Th. lib. quarto adversùs gentes, capite septuagesimo sexto, affirmet, eorum præsumptuosum errorem esse, qui se subducere nituntur ab obedientià et subjectione Petri, successorem ejus romanum pontificem universalis Ecclesiæ pastorem non recognoscentes; intelligant demùm quâ ratione Leo X Lutheri articulum vigesimum quintum condemnaverit in hæc verba: « Romanus pontifex Petri successor non est « Christi vicarius super omnes totius mundi Ecclesias, « ab ipso Christo in beato Petro institutus. » Decimo igitur argumento, quoniam in eo exponendo difficultas erat maxima, non potuit à nobis verbis paucioribus responderi.

Ad undecimum verò sic respondeo: Non est profectò admittendum, fidem etiam personalem Petri defecisse. Nam Petri judicium in fide publicum falsum asserere, hæresis est manifesta. Sed cùm Apostolorum nemo in fidei doctrinâ errare posset, id peculiare Petri privilegium fuit, ut ejus ne personalis quidem fides deficere potuisset.

Quod enim quidam asserunt, Christum Dominum recumbentium undecim exprobrâsse incredulitatem, Marc. 16, 14, etc., hoc Petrum Apostolum ne tangit quidem. Nam cùm Lucas cap. 24 scripsisset, mulieres undecim Apostolis ea, quæ à Domino audierant, annuntiâsse, nec illos credidisse mulieribus, sed earum verba deliramenta judicâsse, protinùs subdidit: *Petrus autem cucurrit ad monumentum*. Non enim cucurrisset, nisi credidisset (1). Et conjunctio adversativa, quâ Evangelista usus est, satis ostendit, Petro verba mulierum non esse visa deliramenta. Atque oratio Christi pro Petro fusa, Luc. 22, 32, id apertè demonstrat, Petri fidem non defecisse. At exponunt adversarii, orâsse Dominum, ne fides Petri deficeret finaliter, sic enim loquuntur, sed nullius discipuli fides hoc modo defecit. Ità oratio Christi non in singulare Petri privilegium cederet, quod non solùm Chrysostomo, Theophylacto, Ambrosio, et Bedæ, sed contextui etiam contrarium est. Cùm verò Ambrosius Petrum fidem amisisse ait, nomen fidei pro fidelitate accipit, quam scilicet amico suo Christo non servavit. Quanquam illud etiam est frequens, ut fides pro fidei confessione usurpetur. At ridiculum est, ut si Christus collegium Apostolicum increpâsse dicitur, singulos increpâsse intelligatur, quasi verò non à Prophetis sæpè populus arguatur, in quo multi essent, ad quos reprehensio nullo modo attineret. De quâ re libro quarto uberiùs disputatum est. Id verò, quod de Anastasio et Honorio additur, non parvam ingerit quæstionem. Quoniam si oratio Christi non ad Petrum modò, verùm ad posteros quoque romanos episcopos referenda est; quâ ratione Petri fides nec publica nec privata deficere potuit, eâdem etiam nullius successoris deficiet fides, nec in judiciis publicis, nec in colloquiis, aut consensione privatâ. Sin verò cùm ad posteros oratio illa refertur, intelligenda solùm est de fide publicâ, scilicet in quæstionibus fidei decernendis; temerè profectò et inconstanter eo testimonio videmur Petri fidem, etiam personalem, vindicâsse.

Huic loco Albertus Pighius Campensis, 4 lib. Eccles. Hierosol., cap. 8, non aliter potuit occurrere, quàm omnes romanos pontifices erroris notâ liberando. Ità, contendit nullum unquàm in hæresim incidisse. Atque ut Anastasium in libertatem assereret, Gratianum vexavit contumeliosissimè, jurisperitis turpissimè maledixit. Ut verò Honorium tueretur, sextæ generalis synodi exemplaria falsarios corrupisse, multis conjecturis suadere nisus est. Deindè etiam in eam opinionem inclinavit, ut crederet epistolam Honorii ad Sergium à Græcis de more fuisse vitiatam; synodum autem in eo judicio deceptam. Quin adeò duorum conciliorum sexti et septimi acta omnia calumniatus est, in diatribâ de actis 6 et 7 synod., ac pro suâ certè virili amborum labefactavit et auctoritatem et fidem. Hæc verò Alberti opinatio nova quidem in Ecclesiâ est; sed eâ etiam ratione confirmari potest, quòd non est verisimile, ut homini qui hæreticus esse possit fidei summam Dominus commiserit. Rectum enim est regula sui et obliqui, ut Aristoteles docet. Quarè si fides romani pontificis dirigere ipsum non valet, multò minùs, ut videtur, alios in fide rectos efficiet. Quid, quòd imbecillus in fide fratres in fide confirmare nequit? Si igitur romanus episcopus juxtà Christi pollicitationem fratres suos confirmaturus est, firmum ipsum esse oportebit. Quamvis autem multis in locis dicat Pighius, sicut hìc dicit, satis probabiliter de summi pontificis auctoritate; tamen non id spectandum est, quid dicat sed quid consentaneum sit ei dicere, cui veritatem tueri ac retinere sententia est. Dicit itaque ille multis locis de hâc re quidem, sed aqua hæret, ut aiunt. Defendat Liberium Pighius, quem tædio victum exilii in pravitatem hæreticam subscripsisse, auctor est Hieronymus in Chronicis. Excuset Marcellinum, quem timore fractum idolis sacrificium obtulisse, memoriæ proditum est. Victorem vindicet, quem Paulianistæ suum esse mentiti sunt, ut scribit Euseb., lib. 5 Eccl. Hist., cap. 2. Anastasium liberet, quem sine certo et probabili testimonio Gratianus hæreseos insimulavit. At Honorium quomodò ab errore vindicabit? quem hæreticum fuisse, tradit Psellus in carmine de septem synodis, Tharasius ad summos sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, et sanctæ urbis, ut synodo 7, actione 3, scriptum est, Theodorus cum synodo suâ Hierosolymitanâ, in confessione fidei, quæ habetur eâdem actione tertiâ, Epiphanius respondens hæreticis in conspectu concilii ejusdem actione 6, tomo 2, tota demùm ipsa 7 synodus, actione ultimâ, et in epistolâ ad omnes sacerdotes et clericos. Adrianus quoque, romanus pontifex, in actione 3 synodi dictæ generalis: « De romano, inquit, pontifice « quemquam judicasse non legimus: licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit di« ctum, sciendum tamen est, quòd fuerat super hæresi

(1) Contr. auctor comm. in Psalm. qui Hieron. tit. circumfertur, in Ps. 88: *Perfidiam pro confessione.*

« accusatus, propter quam solùm licitum est minori-« bus majorum suorum motibus resistere. » Hactenùs Adrianus. Ubi etiam addit, sententiam in Honorium latam ex romani pontificis consensu fuisse. Id quod exploratum est in 6 synodo generali actione quartâ. Ubi Agatho in epistolâ ad concilium, Honorium ipsum anathematizat. Beda item de naturâ rerum cap. 67, in sextâ synodo, ait : « Macarius cum suis sequacibus si-« mul et prædecessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, « anathematizatus est. » In libro præterea pontificali refertur Leo secundus sextam synodum suscepisse, in quâ condemnati sunt Cyrus, Sergius, Honorius. Atque in fine sextæ synodi, ponitur epistola Leonis ad Constantium, ubi post susceptum confirmatumque concilium : « Anathematizamus, inquit, Cyrum, Sergium, « necnon et Honorium, qui hanc apostolicam Eccle-« siam non apostolicæ traditionis doctrinâ illustravit, « sed prophanâ proditione immaculatam fidem sub-« vertere conatus est. »

Præterea illud caput, *Si Papa*, 40 distinct., quod pro nihilo habet Campensis, nos maximè habere debemus. Quoniam ille unus casus, in quo oves pastorem suum judicare possunt, scilicet cùm fuerit hæreticus, habetur, ut alia loca præteream, in quintâ synodo romanâ 218 episcoporum, in hæc verba : « A multis « antecessoribus nostris synodaliter decretum, atque « firmatum est, ut oves pastorem suum nec reprehen-« dere, nisi à fide exorbitaverit, præsumant. » Idem Anacletus in epist. 3 de patriarchis et primatibus, inquiens : « Pastor Ecclesiæ, si à fide exorbitaverit, « erit à fidelibus corrigendus; sed pro reprobis mo-« ribus magis est tolerandus, quàm distringendus, « quia rectores Ecclesiæ à Domino sunt judicandi. » Idem Eusebius docet ad episcopos Ægyptios, referturque 2 quæst. 7, cap. *Oves*. Idem Joannes papa in epist. ad Zachariam. Idem in octavâ synodo traditum est, ut nunc referebamus. Refert etiam Burchardus lib. 1, cap. 13, 138, 139, Calixtum, Clementem, Gaium in hanc eamdem sententiam.

Non est igitur negandum, quin summus pontifex hæreticus esse possit, cujus rei exemplum unum et item alterum forsan proferentur; at quòd in fidei judicio contrà fidem definierit, ne unum quidem proferri potest. Itaque objectioni positæ hoc responsum habeto. Aliud est in Petro, quod spectat ad hominis privatam excellentiam, aliud quod pertinet ad communem Ecclesiæ utilitatem. Quòd negârit Christum, hominis erat; quòd confirmârit fratres, erat Ecclesiæ. Illud proprium, hoc commune erat. Similiter, quòd fides Petri propria semper interiùs servaretur, hominis privilegium erat; quòd verò aliis confirmandis solidam fidem proponeret, nec in fidei judicio deficeret, Ecclesiæ publicum privilegium erat. Romanus igitur episcopus non fuit hæres aut privilegiorum, aut culparum Petri propriarum, quæ videlicet ex accidenti publicæ Petri potestati conjungebantur, sed successit in his, quæ spectabant ad Ecclesiæ communes et necessarias commoditates. Nam privilegia Apostolis à Christo concessa aliter ad ipsos, aliter ad successores referuntur. Quippè in Apostolis fuerunt etiam privilegia personalia amplioris gratiæ, quàm in posteris. Ut, verbi causâ, per illa verba : *Quæcumque ligaveritis super terram*, etc., et per illa : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*, etc., intelligimus potestatem generalem in universum orbem Apostolos suscepisse. Ità pares Petro dicuntur dist., 21, cap. *In novo*, etc., 24, quæst. 1, cap. *Loquitur*. Sed episcopi posteriores non successère Apostolis in potestate generali extraordinariâ, sed in ordinariâ, quam singuli in suis Ecclesiis Apostoli habuerunt, ut Simeon Jacobo in Ecclesiâ Hierosolymitanâ, etc. Esto aliud exemplum : Ex verbis illis : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*, rectè quidem theologi colligunt, Apostolos post Spiritûs sancti adventum in gratiâ confirmatos. Cæterùm non ità transiit hic Spiritus in episcopos succedentes, ut in eis æternùm maneat per gratiæ confirmationem, quod Apostolis ex privilegio personali donatum est; sed id solum transiit ad posteros Ecclesiæ pastores, quod necessarium erat ad Ecclesiæ communem utilitatem. Sic omninò privilegium fidei indeficientis, quod in Petro personale etiam fuit, ad episcopos romanos transmissum est, non in eo, quod Petri erat peculiare, sed in eo quod commune erat Ecclesiæ. Undè et aliæ objectiones repelluntur, quæ pro Alberti sententiâ positæ sunt. Non enim fides interior romani pontificis Ecclesiæ est necessaria; nec illius occultus et privatus mentis error Ecclesiæ Christi nocere potest. Quapropter non est necesse, ut interioris fidei conservatione romanis pontificibus Deus semper assistat. At quòd, dùm ea decernunt, quæ fidelibus credenda sunt, dùmque Ecclesiam Christi in fide dirigunt, non deficiant, sed divinâ manu teneantur, id Ecclesiæ opus est, idque proindè romanis episcopis etiam imbecillis, et aliàs privatim errantibus non negabitur, ne videlicet per publicæ potestatis errorem Ecclesiam faciant in communi veritatis ignoratione versari. Undecimum igitur argumentum abundè, ni fallor, confutatum est.

At postremo igitur argumento refutando illud non sunt lectores admonendi; est enim in promptu, malos urbis mores, si quos fortè urbs malos habeat, non esse hujus loci defendere. Non sumus tàm rudes et stupidi, quàm Lutherani nos esse calumniantur. Oculos etiam eruditos habemus, sed modestos tamen. Scriptum est enim, quòd patris nudata verenda boni filii aversi veniendo texerunt, Gen. 9. Aversari autem id dicimur, quod reprobamus. Quid autem est, filios verenda patris superjecto dorsis pallio aversos operuisse, nisi, ut Gregorius ait, 25 Mor., bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicere, ut tamen hæc ab aliis occultent? « Operimentum, inquit, aversi deferunt : « quia judicantes factum, et venerantes magisterium, « nolunt videre quod tegunt. » Sic magistrorum vitam discipuli probi jure apud se taciti reprehendunt, et eos, etiam cùm displicent, venerantur : *Super Moysi cathedram*, inquit Christus, *sederunt scribæ et pharisæi; quæcumque dixerint vobis facite, secundum verò opera eorum nolite facere*. Sed hæc hactenùs. Illud est potius

lector admonendus, ut animadvertat, romanas consuetudines alias esse Romæ cum totâ Ecclesiâ communes, quas videlicet ex Apostolorum Petri et Pauli traditione creditur accepisse; de quibus Augustinus, in epistolâ ad Januarium, numero 118, multa, sed plura fusiùs Innocentius primus in epistolâ ad Decentium tradit, d. 12, cap. *Illa.* Aliæ verò sunt consuetudines, quas Ecclesia romana vel à se habuit privatim institutas, vel à Petro quidem Apostolo accepit, non tamen in universum orbem promulgandas, de quibus Augustinus disertè loquitur in epist. 86 ad Casulanum, et in epist. 118, 119, ad Januarium. Priores igitur consuetudines, quas Ecclesia romana non modò tenet, verùm etiam ab universâ Ecclesiâ docet esse servandas, omninò tenere debemus, ut Julius, dist. 11, cap. *Nolite;* et Innocentius, eâd. dist., cap. *Quis nesciat;* et Calixtus, dist. 12, cap. *Non decet;* et Gregorius, eâd. dist., cap. *Præceptis*, docuerunt. Posteriores verò Ecclesiæ romanæ consuetudines non oportet privatas Ecclesias sequi, ut D. Augustinus locis positis tradidit, et Nicolaus, dist. 12, cap. *Scit;* et Gregorius, eâd. dist., cap. *Novit.* Idemque omninò traditur 31, dist. cap. *Quoniam*, et cap. *Aliter.* In unâ enim fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa, ut habetur de cons. dist. 4, cap. *De trina.* Atque de hujusmodi consuetudinibus et Ambrosius et Hieronymus intelligendi sunt in iis locis, quæ sunt objecta. Illud verò, quod ex Trullanâ synodo affertur, facilè diluitur; quoniam, ut superiore libro latiùs explicatum est, synodus hæc nullam habet in Ecclesiâ auctoritatem, in his præsertim, in quibus contrà Ecclesiam romanam græcâ se contentione erexit. Nec conciliorum conatus de legibus aut ferendis, aut abrogandis quidquam valet, nisi summi pontificis decreto et sententiâ confirmetur. Et consuetudinem illam de jejunio sabbati ex his esse constat, quas in posteriore genere collocavimus, ut etiam Ambrosius dicit, duodecimâ distinctione, cap. *Illa.* Quocircà vanè de hâc re à concilio Trullano Ecclesia romana reprehenditur. Sextus igitur liber hunc in modum absolutus sit, quem plùs fortassè nimio longum fecimus : tametsi non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis.

DE SANCTORUM AUCTORITATE,

QUÆ SEXTO LOCO CONTINETUR

LIBER VII.

CAPUT PRIMUM.

Argumenta complectitur, quibus sanctorum Patrum auctoritas impugnatur.

Sanctorum auctoritas sexto jam loco nobis constituenda est, quam hæretici, maximè Lutherani, de gradu dejicere moliuntur.

Ac primùm, quidquid antiqui sancti asserunt, incertum esse suadent D. Augustini plurimis testimoniis, quæ retulit universa Gratian., 9 dist., decr. ex procem. l. 3, de Trin. ex l. ad Vincent. Vict. 2, ex Epist. ad Hier. 19, ex Epist. item alterâ ad Marcellin. 7, ex Epistolâ rursùm ad Vincent. 48, ex Epistolâ quoque aliâ ad. Fortunat. III, ex lib. denique 2 de Baptismo cont. Donat. cap. 3. His enim locis omnibus sui Augustinus similis idem dicit, hoc est, præter auctores sacros, qui libros scripsère canonicos, alios omnes ità legendos, ut quantàlibet sanctitate, doctrinâque polleant, non ideò verum sit putandum illud, quod asseruerint, quia ipsi ità senserunt, sed quia nobis vel auctorum sacrorum testimonio, vel probabili ratione id persuadere potuerunt; licereque proindè contrà atque illi sentire, et salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere. Hoc autem divi Augustini testimonium tàm constans, tàmque multis locis non obscurè repetitum, si verum esse credimus, fateamur necesse est, nullum omninò à sanctis auctoribus firmum argumentum sumi posse ad fidei theologiæve dogmata corroboranda. Id quod D. Thomas, D. Augustini auctoritate confirmatus, 1 part. quæst. 1, art. 8, ad 2 arg., planè testatur in hæc verba : « Auctoritatibus « canonicæ Scripturæ utitur sacra doctrina ex necessitate argumentando : auctoritatibus autem aliorum « doctorum Ecclesiæ probabiliter arguendo. » Atque ejus rei causam etiam subdit, quòd innititur fides nostra revelationi factæ iis, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit, aliis doctoribus factæ. Quòd si duo hi testes clarissimi contemnuntur, si ratio quoque D. Thomæ contemnitur, rationibus certè aliis minimè contemnendis id ipsum confirmari potest. Nam si in libro canonico una quælibet falsitas inveniretur, quemadmodùm superiore quoque loco argumentabantur, totius libri certitudo interiret. Cùm ergò in libris sanctorum scriptorum unam et item alteram falsitatem liceat reperire, vel in his etiam quæ ad fidem pertinent, fit consequens, ut sanctis scriptoribus certam fidem habere non sit necessarium. « Scio, in« quit Hieronymus (1), me aliter habere Apostolos, « aliter reliquos tractatores; illos semper vera dicere, « istos in quibusdam ut homines aberrare. »

Præterea, ne de singulorum auctoritate disseratur, quam incertam esse satis exploratum haberi potest, majus aliquid adversarii conficere argumentando vo-

(1) In epist. ad Theophilum advers. Joan. Hierosolym.

lunt; nempè sanctos scriptores, etiamsi plerique in eamdem sententiam conveniant, probabilem quidem fidem facere posse, certam non posse.

Nam plurimi ex eis asseruêre, mundi hujus partes omnes non eod m simul die, sed multis potiùs fuisse editas, ornatas, absolutas. Asseruit certè id Basilius, in hom. 2 Examer. et aliis sequentibus, Eusebius in principio suæ Chronograph., Chrysostomus, hom. 2 super Genesim, Damascenus, lib. 2 suæ Theologiæ, Ambros., lib. 1, Exameron. cap. 7, Gregor. 32 Moral. cap. 10. Sed et Magist. Sentent., in 2, distinct. 12 et 13, Hieronymum in hanc sententiam citat. Posset autem facilè tùm Bedam, Rabanum, Strab., tùm alios hujus ordinis viros commemorare, qui communi sensu opera illa, quæ Geneseos cap. 1 enarrantur, sex diebus succedentibus condita esse intellexerunt. At communis hic sanctorum consensus nullum argumentum certum theologis subministrat; quin unius Augustini opinio cæteris omnibus adversa probabilis semper in Ecclesiâ est habita. Non itaque ex communi sanctorum sententiâ firmum argumentum promitur, quo conclusiones theologicæ, aut etiam fidei dogmata confirmentur. Atque hujus rei, ut in eodem versemur, aliud quoque exemplum proferre possumus. Plurimi namque ex sanctorum scriptorum numero tradiderunt, Moysen Dei naturam, dùm in hoc mortali corpore viveret, apertè, et, quod dici solet, ad faciem non vidisse. Tradit ità Hieron. ad Damasum papam in cap. 6 Isaiæ, Gregorius Nazianzenus, lib. 2 suæ Theologiæ; div. Greg. 18 Moral. cap. 36; Chrysost. homil. 14 in Joannem; Cyrillus lib. 1 in Joannem, cap. 22; Evaristus papa in primâ suâ Epist. decret.; Dionys. in lib. de Myst. theol. cap. 1; Origen. lib. 1 Periarch., cap. 4. At opinio Augustini (1) contraria non modò non est rejecta, verùm etiam habetur apud theologos probabilissima. De communi igitur sanctorum concessione nihil certi in theologiâ conficitur, id quod hoc etiam argumento confirmari potest.

Sancti namque omnes, qui in ejus rei mentionem incidêre, uno ore asseverârunt, Beatam Virginem in pecc to originali concepta n. Hoc videlicet Ambros. astruit super Ps. 118, concione 6; hoc August. super Ps. 34, in illum versum: *Ego autem, cùm mihi molesti essent*, etc., et lib. 2 de Baptism. parvulor. cap. 24, et 10 super Gen ad litt. cap. 18, et lib. 53 cont. Julian. cap. 9; hoc C rysost. super Matth., hoc Euseb. E ss. in 2 conc. Nativ. Dom.; hoc Remigius super Psal. 21., et Maximus in serm. de Assumpt. B. Virginis astruxêre. Idem quoque affirmat Beda in homiliâ super *Missus est*; Anselmus in libro *cur Deus homo*, cap. 16; Bernardus in Epist. ad Lugdunenses 174; Erhardus, episcopus et martyr, in concione quâdam de Nativit. B. Virg.; S. Antonius Paduan. in concione etiam de Nativit. ejusdem sanctæ Virginis; S. Bernardinus in sermonum suorum opere tertio, in tractatu de B. Virgine, concione quartâ; div. Bonaventura 3 sentent. dist. 3, quæst. 1, art. 2; D. Thomas, 3 part., quæst. 27, art. 2; div. Vincentius in serm. de Conceptione B. Virginis; div. Antonin. part. 1, tit. 8; Damas. lib. 3 Sententiarum suarum; Hugo de sancto Victore de Sacram. part. 2, cap. 4; et cùm nullus sanctorum contravenerit, infirmum tamen ex omnium auctoritate argumentum ducitur, quin potiùs contraria sententia et probabiliter, et piè in Ecclesiâ defenditur. En argumentum illud Achillicum, quo Erasmus omnium etiam sanctorum testimonio non se existimat obruendum, si quandò universis repugnaverit.

Cujus sententiæ ratio etiam illa suffragatur, quòd sancti universi, præter auctores sacros, qui libros scripsêre canonicos, humano spiritu libros suos ediderunt. Nam si Spiritu sancto inspirante ipsi etiam locuti sunt, nihil videtur obstare, quominùs eorum libri in canonicis habeantur. Infirmus igitur hic locus est, quo sanctorum auctoritas continetur. Humana enim veritas firma et certa esse non potest. Omnis quippè homo mendax. Osiander verò, lib. 1 annot. in Harmoniam evangelicam, illud argumentum addit, quòd omnes veteres commentatores à tempore Apostolorum id quod Matth. de Christo affert, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, in genuino litteræ sensu ad Israelem referunt, juxta allegoriam verò ad Christum; cùm tamen, ut ait, allegoria utcumque fingatur, constare non queat: quoquò enim te vertas, nihil simile videtur esse, prælerquàm quòd utrique fuerunt in Ægypto. Ità contendit litteræ sensum à principio capitis de Christo Domino esse, qui rex Israelis est, et auroræ meritò comparatus. Quòd si in sacrarum litterarum expositione sancti omnes errant, horum certè auctoritas firmum argumentum theologis exhibere non potest. Ecce argumenta quibus adversarii nostri locum hunc aggredi et expugnare contendunt.

CAPUT II.

Varios modos exponit, quibus de sanctorum Patrum auctoritate potest disputari.

Nobis autem pro ejus defensione vehementer pugnandum est, illudque in primis ponendum, de auctoritate sanctorum trifariàm disputari posse. Primùm de unius aut alterius proprio placito, quale fuisse videtur Augustini de Opere sex dierum (1). Rursùm de communi plurium sanctorum consensu, à quo tamen unus aut alter sanctorum desciverit. Postremò de omnium unanimi concordique sententiâ; nam de his omnibus facta in argumentis mentio est.

Id rursùm considerandum est sanctorum testimonia, referri posse vel ad philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones aut fidei, aut theologiæ comprehendas. Erant enim ex sanctis scriptoribus quidam non in sacris litteris modò, et aliis quæ ad christianam pertinebant disciplinam eruditi, verùm etiam in his quæ philosophi tùm de naturâ, tùm de moribus docuêre.

Illud tamen et quidem diligentissimè est advertendum, quòd auctores etiam ecclesiasticos duo esse disputationum genera, alterum earum rerum quæ verè ad fidem spectant doctrinamque catholicam; alterum

(1) August. secutus est Basilius, hom. 1 Exam. et Amb. 1 Ex., c. 2

(1) Augustinum secutus est Origenes, 1 Periarch.

carum quæ citrà jacturam pietatis ignorari non ab imperitis modò, verùm à doctis etiam possunt, quòd nec fidei dogmata sunt, neque ex illis derivantur.

Hæc autem duo rerum genera non est facile discernere ; quoniam etsi nonnulla quæ alioqui per se quidem ad fidem pertinebant, ut Apostolis, Prophetis atque Evangelistis revelata, in dubium venire possint, antequàm sint ab Ecclesiâ definita, sed id tamen per ignorantiam fit, quâ videlicet excusantur, qui ea vertunt in quæstionem, quæ alias divinitùs sunt tradita ; ut processionem Spiritus sancti à Patre et Filio tanquàm ab uno principio, antè Ecclesiæ definitionem Græci quidam negare sine culpâ potuère, tametsi Evangelium id Apostolique tradiderunt. At hæc nos sub priori genere complectimur : quippè cùm fidei catholicæ dogmata non ex accidenti imprudentium hominum ignorantiâ, sed ex divinâ revelatione hoc sanè loco metiamur. Illud ergò asserebamus esse difficile ad discernendum, ecquæ res sub illud primum genus, ecquæ autem sub hoc secundum suâ quasi sponte et naturâ veniant. Et quidem generaliter unâque comprehensione in promptu definire licet in illo primo rerum genere omnia ea contineri, quæ Apostoli vel scripto vel verbo Ecclesiæ tradiderunt ; illa rursùm, quæ indè certâ connexione probantur existere : quemadmodùm in secundo genere ea sunt, quæ neque à Christo, neque ab Apostolis accepimus, neque ex iis certò colliguntur, quæ Christi et Apostolorum auctoritate retinemus. At omnia hæc speciatim certâ definitione præscribere vix possumus, quanquàm exemplis peculiaribus quædam horum judicare possumus. Ut, verbi causâ, an gratia, quâ justificamur, qualitas quædam sit animo impressa, quæ ipsi præstet et esse et vivere, undè qualitates aliæ consequantur, hoc est, virtutes quædam tùm theologicæ, tùm morales infusæ, per quas animus divinas et supernaturales habeat actiones, inter scholasticos quidem disputatur. Item, an Sacramenta, quæ causa gratiæ et virtutum esse dicuntur, hujusmodi effecta vi quâdam, et qualitate inexistente divinitùs inditâ, efficiant, necne, magnâ multorum dissensione certari solet. Hujus generis verò quæstiones in posteriorum ego numerum redigo, neque sacrarum litterarum testimonia de his qualitatibus intelligenda esse existimo ; neque controversiam Catholicorum cum Pelagianis de gratiâ ad credendum, ad sperandum, ad amandum, ad implendam legem, ad perseverandum, de qualitatibus potissimùm esse, sed de Dei auxilio gratuito et speciali. Rursùm, si quis fortè curiosè disserere voluerit, an Evangelista Joannes è vitâ jam excesserit, an potiùs cum Eliâ et Enoch maneat vivus, utque jam mortuus fuerit, an caro ejus viderit corruptionem, an proximè fuerit suscitatus, utrinque rationes afferre poterit ; et salvâ fide utrumlibet vel probare vel improbare. Nam tametsi statutum sit omnibus hominibus semel mori, sed unum aut alterum ex illâ generali lege per privilegium eximere, non perindè sacris litteris adversatur, ut non queat in dubium revocari. Tria verò hæc principia, quoniam per se ipsa ratione consentiunt, non est opus diligentiùs persequi ; nam si quæ sunt perspicua, in quibus non est controversia, viri docti argumentari non solent : perspicuitas enim, ut ait Cicero, argumentatione elevatur. His itaque omnium assensu approbatis, prima conclusio est.

CAPUT III.

Certis conclusionibus Patrum auctoritatem definit atque defendit, simulque satisfacit argumentis capitis primi.

1. Sanctorum auctoritas, sive paucorum, sive plurium, cùm ad eas facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantùm pollet, quantùm ratio naturæ consentanea persuaserit.

Primùm quidem, quoniam sancti auctores non erant adeò solliciti in philosophiæ dogmatibus perscrutandis, quin philosophorum libros, ut tutos sese divinæ sapientiæ dederint, aut valere sinebant, aut etiam interdùm à limine salutabant. Gregorius quippè Nazianzenus, et Basilius, tredecim annos, omnibus libris secularium remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dedisse, referuntur à Ruffino, libro Ecclesiasticæ hist. suæ secundo, cap. 9 ; et Hieron. in proœmio commentariorum, lib. 3 super epistolam ad Galatas : « Plusquàm quindecim anni sunt, inquit, ex quo in « manus meas nusquàm gentilium litterarum quilibet « auctor ascendit; et si quid fortè indè, dùm loquimur, « obrepit, quasi antiqui per nebulam somni recorda« mur. » Et de studiis nostrorum paulò post : « Quo« tusquisque, ait, nunc Aristotelem legit? quanti Pla« tonis vel libros novère vel nomen? vix in angulis « otiosi eos senes recolunt ; rusticanos verò et piscato« res nostros totus orbis loquitur, universus mundus « sunt. » Hactenùs ille. Plura exempla non quæro, cùm manifestius hoc sit, quàm ut pluribus indigeamus.

Accedit, quòd ex sanctis antiquis nonnulli physicen et metaphysicen vel non habuère quidem, vel certè leviter attigerunt. Alii verò magnâ ex parte fuère Platonici, priusquàm converterentur ad fidem. Quamobrem, cùm in philosophiæ quæstiones incidunt, aut vulgi et rhetorum opiniones sequuntur, aut etiam quas à Platonicis acceperant, in Christianorum scholam invehunt. Ità viri docti errores fortè quosdam (quod ad philosophiam quidem humanam attinet) in sanctis antiquis deprehendunt. Atque hujus rei exempla proferre facillimum esset, sed non libet etiam in his parvis majores nostros designare.

2. Unius aut duorum sanctorum auctoritas, etiam in his, quæ ad sacras litteras et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum verò non potest. — Ità despicere et pro nihilo habere, impudentissimi erit ; suscipere et habere pro certo, erit omninò imprudentis. Atque hanc conclusionem demonstrat ratio illa manifesta, cui nullâ prorsùs viâ occurri potest ; quòd cùm sanctorum quisque, his duntaxat exceptis, qui libros canonicos ediderunt, spiritu fuerit humano locutus, et aliquandò vel in eo errârit, quod ad fidem spectare posteà demonstratum est, apertè constat ex hujusmodi auctoritate exploratam

fidem fieri non posse. Quo in locuo admonendi sunt hi qui præceptis theologiæ nullis acceptis, post bonas, quas vocant, litteras statim ad sanctorum veterum lectionem appellunt animum.

Non enim quæcumque ibi legerint, ea sunt probanda omnia. Nec quemquam hoc errore duci oportet, ut si quid Ambrosius aut Hieronymus contrà morem doctrinamque hujus temporis fecerint, locutive fuerint, idem sibi arbitretur licere.

Primùm quoniam res nonnullæ non erant tunc adeò in Ecclesiâ definitæ, ut nunc esse videmus. Deindè quoniam magnis illi et divinis bonis quamdam licentiam faciendi dicendique assecuti sunt, quæ non est passìm cuilibet permittenda. Atque etiam si nostrâ hâc ætate illi fuissent, quædam profectò aliter et facerent et loquerentur. Quid quòd, ut antè dicebamus, in rebus quoque ipsis, quæ ad fidem attinent, sancti nonnunquàm erravêre? à quibus si ne transversum quidem unguem discedendum sit, necesse est sanè in magnos quandoque errores, fidei etiam adversos incurrere.

At Gelas., dist. 15, decret. cap. *Sancta Romana*, probat opuscula Cypriani, Chrysostomi, Gregorii Nazianzeni, Basilii, Ambrosii. Nihil ergò in his fidei catholicæ contrarium reperitur. Alioqui, cur Ruffini opera non eodem modo ibi probata sunt, sed potiùs reprehensa, quòd Hieronymus eum in quibusdam de arbitrii libertate notavit? Cur item Origenis libri damnantur, non etiam Ambrosius, aut Cyprianus, si hi quoque in nonnullis fidei orthodoxæ contradixerunt? Aut igitur damnentur omnes, in quibus error aliquis doctrinæ sanæ contrarius invenitur, aut probentur omnes, quamlibèt uno, et item altero errore sint aspersi. His videlicet argumentis Gloss. 9, dist. decret. docet, ea divi Augustini testimonia, quibus certa fides veteribus derogatur, intelligenda esse secundùm illa tempora, cùm scripta sanctorum Patrum authentica non erant; libet enim verba Glossæ usurpare : « Sed hodiè, inquit, jubentur omnia teneri usque ad ultimum iota. » Verùm hic error ab aliis confutatus non desiderat orationem meam. Quid enim? An hoc agere Gelasius voluit, in veterum libris non esse quidquam erroris? Atqui laterem, ut aiunt, laverit, quisquis isthùc conetur. Hanc siquidem felicitatem Deus in solis divinis voluminibus inesse voluit, quemadmodùm Augustinus gravissimè ac verissimè tradidit. Cæteroqui nemo, quantumvis eruditus et sanctus, non interdùm allucinatur, non alicubi cæcutit, non quandoque labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sanctus fuit, qui in Christi corpore et sensum pœnæ, et dolorem fuisse negavit. Sanctus fuit, qui in Chiliastarum dogma descendit. Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti alterum matrimonium concessit. Sanctus fuit, qui animis piorum usque ad judicii diem veram felicitatem ademit. Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce esse putavit. Sanctus fuit, qui animam Adæ antè corpus fuisse editam opinatus est. Sancti fuêre, qui angelos multis antè mundum corporeum æternitatibus creatos esse existimârunt. Atque horum opuscula à Gelasio comprobata sunt. Hos ego tamen reverentiæ causâ propriis nominibus non appello. Malo enim antiquitati sanctitatique parcere, quàm otioso lectori facere satis. Legentur itaque à nobis Patres veteres cum reverentiâ quidem, sed ut homines, cum delectu atque judicio. Quòd si quis aliter sapit, nec sanis consiliis acquiescit, hic jam non sanctorum religione, sed suî ipsius amore capitur; et sub veterum nomine novas opinationes invehere conatur, quâ de re Vincentius Lirinensis : « O rerum, inquit, « mira conversio! Auctores ejusdem opinionis catho« lici, consectatores verò hæretici judicantur, absol« vuntur magistri, condemnantur discipuli. Quod « quidem mihi divinitùs promulgatum videtur esse ju« dicium, propter eorum maximè fraudulentiam, qui « cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machi« nentur, captant plerumque veteris cujuspiam viri « scripta paulò involutiùs edita, quæ pro ipsâ suî ob« scuritate dogmati suo congruant, ut illud, quod pro« ferunt, nec primi, nec soli sentire videantur. Quo« rum ego nequitiam odio dignam judico, quòd sancti « cujusque viri memoriam, tanquàm sepultos jam ci« neres, prophanâ manu ventilant, et quæ silentio « operire oportebat, redivivâ opinione diffamant, se« quentes omninò vestigia auctoris sui Cham, qui nu« ditatem venerandi Noe non modò operire neglexit, « verùm quoque irridendam cæteris enuntiavit. Longè « aliter fratres illi sui, qui nuditatem ipsam reverendi « patris nec suis temerare oculis, nec alienis patere « voluerunt; sed aversi, ut scribitur, texerunt eum. « Quod est, erratum sancti viri nec approbâsse, nec « prodidisse. » Hactenùs ille. Ac rursùm : « Quid, in« quit, si in ipsâ vetustate duorum aut trium error « deprehendatur? Curabimus omninò, ut paucorum « inscitiæ universalis concilii decreta præponantur. « Quæ si desint, collatas inter se majorum sententias « lector consulat eorum, qui diversis licèt temporibus « et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ commu« nione ac fide permanentes, magistri probabiles ex« stiterunt. Et quidquid non unus aut duo tantùm, sed « omnes pariter uno eodemque consensu, apertè, « frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, do« cuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque « ullâ dubitatione credendum. » Hæc Vincentius Lirinensis non minùs prudenter, quàm verè dicit. Quibus ex rebus Calvini calumnia facilè retunditur, quâ apud regem Galliæ Franciscum, ut Lutheranorum impudentiam excusaret, Catholicorum innocentiam traduxit. Cùm enim Lutheranis verissimè ac gravissimè objiceretur, quòd Patrum essent ubique et contemptores et adversarii : « Multa, ait Calvinus, ignorârunt « sancti illi viri; sæpè inter se conflictantur, interdùm « etiam secum ipsi pugnant. » Tùm deinceps, quotquot Patrum errores colligere potuit, falsò etiam illis affictos, enumerat queritque. Cur nos item à Patribus discedamus? Nos autem divi Augustini partitione primùm utimur, qui libro 1 adversùs Julianum, capite 2 : « Alia sunt, inquit, in quibus inter se aliquandò etiam « doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores,

« salvâ fidei compage, non consonant; alia verò, quæ « ad ipsa fidei pertinent fundamenta. » In prioribus illis à Patribus nos quandoque discedimus, in posterioribus Lutherani. At nos quidem modestè ac reverenter oculos à Patrum errore avertimus. Lutherani autem Patres aut irridendos, aut certè despiciendos propinant. Deindè nos ab uno interdùm, aut altero Patrum dissentimus; at Lutherani ab omnibus consentientibus sæpè dissentiunt. Aliud est autem unius aut duorum sanctorum privatum dogma repellere, quod hac secundâ conclusione aliquandò licere dicimus, aliud verò contrà omnium communem fidem et doctrinam dicere, quod quatenùs liceat, et quomodò sequentibus conclusionibus demonstrabitur, si priùs tamen explicatum fuerit, quid sibi Ecclesia velit, cùm sanctorum Patrum libros approbat. Id namque à nobis in hac fortè disputatione desideratur. Nondùm enim argumenta diluimus, quæ illius Glossæ opinionem confirmabant.

Ecclesiastici auctores etiam probatissimi non eodem gradu et loco sunt omnes. Nec magnoperè conandum est eorum hìc stultitiam refellere, qui libris canonicis Hieronymi, aut Augustini opuscula æquârint. Quemadmodùm autem res à Deo conditæ, probatæ quidem fuère universæ (vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valdè bona) sed rerum variæ differentesque naturæ non eumdem locum, vim, stabilitatem accepère (nam sunt corpora cœlestia, et corpora terrestria); sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium, alia claritas solis, alia lunæ, alia stellarum (*stella enim à stellâ differt in claritate*, 1 Corinth. 15). Sic sanè scriptores ecclesiastici probati sunt; qui scilicet Spiritûs sancti illustrati luce Ecclesiam ipsi illustrârunt; sed alia tamen claritas Matthæi, alia Hieronymi, alia Isaiæ, alia Ambrosii. Atque auctores canonici, ut superni, cœlestes, divini, perpetuam stabilemque constantiam servant; reliqui verò scriptores sancti inferiores et humani sunt, deficiuntque interdùm, ac monstrum quandoque pariunt præter convenientem ordinem institutumque naturæ. Quin ergò probatur Eusebius, Cæsariens. episcopus? Quin Ruffinus? Quin Origenes? nam et hi Ecclesiam Christi suis litteris illustrârunt. Nempè aliud fuit errare in rebus obscuris, et quæ non erant eo tempore explicatæ ac definitæ, aliud in apertis, et quæ tunc etiam in Ecclesiâ firmissimè credebantur. Illud aut Cypriano, aut Ambrosio, aut Augustino accidit; hoc Origeni, Eusebio, ac Ruffino. Cyprianus item, Ambrosius, Hieronymus in nullo à sanctæ romanæ Ecclesiæ consortio deviârunt, nec ab ejus fideli prædicatione sejuncti sunt, sed communionis ipsius gratiâ semper fuère participes, ut Gelasii verbis etiam utamur; at Origenes deseruit unitatem, et fons Arii jure ac meritò existimatus est. Hinc schismaticus à Gelasio dicitur; hinc etiam Eusebius Origenis laudator nimius, Arii fautor acerrimus reprehenditur. Nam Ruffinus, vir alioqui religiosus, præterquàm quòd in libero arbitrio, re videlicet manifestissimâ, erravit, Oregini Origenisque discipulis vehementer favisse convincitur. Fuit autem Ecclesia semper non solùm cauta, sed etiam acris et severa in Origenistas, ut à quibus grandem in doctrinâ ecclesiasticâ pestem fuerit experta. Sed de secundâ conclusione satis. Jam pergamus ad reliquas.

3. Plurium sanctorum auctoritas, reliquis licèt paucioribus reclamantibus, firma argumenta theologo sufficere et præstare non valet. — Id quod ex secundo argumento antè posito satis ostenditur. Angelos quoque esse corporeos, Augustinus ac pauci quidem alii inter veteres sanctos asseruerunt; et quamvis opinio hæc falsa sit, sed tanquàm fidei adversa ex communi veterum sententiâ evinci non potest. At Thom. Waldens. in Proœmio doctrinalis fidei antiquæ, docet quod major pars Patrum ab Apostolis senserit, id esse catholicæ Ecclesiæ fidem. Id quoque Vincent. Lirin. tradit in libro advers. profan. novationes. Vera sunt hæc, non inficior; sed tunc cùm unius aut paucorum contrariam sententiam Ecclesia penitùs explosit ut illorum, qui putârunt ab hæreticis venientes esse iterùm baptizandos; illorum etiam, qui Melchisedech non hominem quempiam, sed Spiritum sanctum esse dixerunt; utrumque enim horum post ea tempora Ecclesia semper exhorruit. Porrò autem si unius aut paucorum opinatio non fuerit ab Ecclesiâ rejecta, tùm plurimorum auctoritas, quemadmodùm diximus, nihil certum firmumque conficiet. De tertiâ igitur conclusione hactenùs.

4. Omnium etiam sanctorum auctoritas in eo genere quæstionum, quas ad fidem diximus minimè pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit. — Quam ego conclusionem postremo illo argumento abundè probatam existimo. Quòd enim ea controversia non sit ex illarum numero, quæ catholicam fidem aut promovere aut immovere possint, vel ex eo perspicuum est, quòd Beatam Virginem è peccato originali fuisse penitùs liberam, è libris sacris juxtà germanum litteræ sensum nusquàm habetur; quinimò lex generalis in eis traditur, quæ universos filios Adam, carnali scilicet propagatione creatos, sine ullâ exceptione complectitur. Nec verò dici potest, per traditionem Apostolorum id in Ecclesiam descendisse, cùm hujusmodi traditiones non per alios, quàm per episcopos illos antiquos et sanctos auctores Apostolis succedentes ad nos usque pervenerint. At constat, priscos illos scriptores non id à majoribus accepisse. Traderent enim bonâ fide et ipsi posteris suis. Non igitur ad fidem illud attinere potest, quod neque in sacris litteris, aut Apostolorum traditionibus invenitur, neque ex eis certâ valet consecutione confici. Cæterùm, quòd opposita etiam assertio, hoc est, B. Virginem peccatum originale à parentibus contraxisse, non sit in numero dogmatum catholicorum, manifestissimè colligitur ex eo quòd à lege universali per singulare privilegium unam Dei matrem excipere, sacrarum litterarum fidei nullo pacto adversum est. Alioqui, cùm sacræ litteræ in universum clament: *Non videbit me homo, et vivet*: *Deum nemo vidit unquàm*, qui Paulum, aut Moysen excepisset, sacris litteris contrà pugnâsset. Atque ex causâ est, nisi toto cœlo animus meus errat, quamobrem nec Sixtus IV, nec concil. Lateranense, sub Leone X, nec synodus

Trident., sub Paulo et Julio tertiis inchoata, eam quæstionem definierunt. Neutram enim ex illis opinionibus poterant tanquàm dogma catholicum approbare. Ità is erravit, qui asseruit, erroneum esse aliquem præter Christum à lege illâ originalis peccati liberare. Erravit ac multò etiam magis Basileense concilium, cùm definivit, doctrinam illam, quæ docet Beatam Virginem Mariam nunquàm originali subjacuisse peccato, tanquàm consonam Scripturæ sacræ ac fidei catholicæ amplectendam fore, nullique de cætero licitum esse in contrarium docere. In pari quippè errore versantur, qui alterutram partem ad catholicam fidem attinere posse credunt. Difficile est hoc dicere. Credo, si in concione quæratur; at hoc loco et disputatione facillimum. Non enim hìc cum vulgi imperitiâ certamus, sed eos instituimus, qui veræ germanæque theologiæ solidam et expressam effigiem tenere cupiunt, nec fugientes umbras persequi. Propositum est autem veri reperiendi causâ, et contrà nostros, et pro alienis etiam dicere; et, cùm res postulat, utrosque nullius acceptâ personâ reprehendere. Atque in eo opere maximè, quod ad Ecclesiæ publicam utilitatem cudimus, privatis non debuimus affectibus inservire. Nec deerunt post hæc etiam ex viris planè doctis, qui me objurgent, erunt etiam qui vituperent, quòd in quæstionem multis nominibus invidiosam consultò et cogitatò inciderim, ut rem aliàs gravissimam nullius in christianâ religione esse momenti asseverarem. At ego et benevolos objurgatores placare, et invidos vituperatores confutare possum, ut alteros reprehendisse pœniteat, alteri didicisse se gaudeant. Non mihi, fateor ingenuè, alia via patuit ad illud Erasmi argumentum eludendum, quo sanctorum auctoritatem acutè ille quidem tentavit eludere. Nec fuit integrum, quod hæreticis semper proprium fuit, antiquorum Patrum libros corrumpere, et bonam etiam partem voluminum detruncare; ut ore saltem, reclamante licèt conscientiâ, possem Bernardum, Augustinum, Ambrosium, aliosque item Patres in eâ fuisse opinione negare. Quid enim prodest, si verum scire cupis, sanctorum testimonia membranis inscripta radere, cùm animo insculpta abolere non possis? Porrò, si ut sanctorum auctoritatem in doctrinâ catholicâ tueremur, quod erat Ecclesiæ Dei apprimè necessarium, quorumdam opinationes, ne dicam factiones, asseruimus non esse ad fidem et mores necessarias, quid est, per Deum obsecro, quod nos eâ de re valeat quisquam aut admonere amicè, aut inimicè insectari? Atque hæc quidem hactenùs in quartæ conclusionis confirmationem dicta sunt. In quâ etiam causâ habemus testem satis idoneum et gravem Vincent. Lirinens. in libro adversùm profanas novationes, ubi, « antiqua, ait, sanctorum Patrum consensio non in « omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solùm in « fidei regulâ, magno nobis studio et investiganda est, « et sequenda. » Id quod quintâ conclusione explicandum est. In quâ quoniam hujus loci cardo vertitur, etsi multa prætereunda, multa tamen dicenda sunt, et ad cognitionem sacrarum litterarum utilissima, et ad scholæ usum necessaria.

5. Quinta igitur conclusio est. In expositione sacrarum litterarum communis omnium sanctorum veterum intelligentia certissimum argumentum theologo præstat ad theologicas assertiones corroborandas; quippè cùm sanctorum omnium sensus Spiritûs sancti sensus ipse sit. — Quam ego conclusionem magnis quidem argumentis confirmaturus sum, et quæ, nisi me fallit animus, controversiam decernere ità possint, ut inter Catholicos ultrà referri quæstio nequeat. Aggrediar autem ad eam rem, si priùs pauca quasi de famâ Cajetani dixero. Ego virum hunc, ut sæpè aliàs testatus sum, semper feci maximì. Plurimùm enim Ecclesiam Christi suis litteris juvit. Longum est autem hominis commendare sive eruditionem sive ingenium : molestum etiam universa ipsius opera commemorare. Illud breviter dici potest, Cajetanum summis ædificatoribus Ecclesiæ parem esse potuisse, nisi quibusdam erroribus doctrinam suam, quasi cujusdam lepræ admixtione fœdâsset, et vel curiositatis libidine affectus, vel certè ingenii dexteritate confisus, litteras demùm sacras suo arbitratu exposuisset, felicissimè quidem ferè, sed in paucis quibusdam locis acutiùs sanè multò quàm feliciùs. Nam et vetustæ traditionis parùm tenax, et in sanctorum lectione parùm quoque versatus, libri signati mysteria ab his noluit discere, qui non suo sensu illa, sed majorum traditione, verâ scilicet verbi Dei clave aperuerunt. Ità, quùm plurima scripsisset egregiè, vertit ad extremum omnia, et novis quibusdam Scripturæ expositionibus aliorum, quæ vel gravissimè dixerat, aut elevavit, aut imminuit certè auctoritatem. Invitus quidem facio, ut doctissimum virum nomine etiam expresso reprehendam, sed cùm nominis ac gloriæ celebritas hoc loco à Lutheranis objiceretur, notandam temeritatem putavi.

Atque error in quem incidit, est ejusmodi, ut eum ego submovere omni ratione debeam, nec sine summi tamen viri apertâ reprehensione possim. In initio siquidem commentariorum in Genesim : « Si quandò, « inquit, occurrerit novus sensus textui consonus, « quamvis à torrente doctorum sacrorum alienus, « æquum se præbeat lector censorem (1). » Et paulò post : « Nullus, ait, detestetur novum sacræ Scri- « pturæ sensum, ex hoc quòd dissonat à priscis docto- « ribus; non enim alligavit Deus expositionem Scri- « pturarum sacrarum priscorum doctorum sensibus, « sed Scripturæ ipsi integræ sub catholicæ Ecclesiæ « censurâ; alioqui spes nobis et posteris tolleretur ex- « ponendi Scripturam sacram, nisi transferendo, ut « aiunt, de libro in quinternum. » Hactenùs ille. Ac reverà sequi majores nostros per omnia, et in illorum vestigiis nos quoque pedes nostros figere, ut pueri faciunt per lusum, nihil videtur esse aliud, quàm ingenia nostra damnare, judicio nos privare nostro et facultate inquirendæ veritatis. Sequamur veteres, benè

(1) Si novus sensus esset, sed non à sanctorum sensu discors et dissidens, benè haberet fortassè. At si novus sensus ità à priscorum sententiâ discrepet et abhorreat, ut sit verè contrarius, erroneus sit necesse est. De hoc autem Cajetanus loquitur, ut patet.

habet, sed ut duces, non ut dominos. Non enim fidei nostræ dominaturi sunt, nec illis ità debemus esse addicti et mancipati, ut sacris litteris exponendis nullum habeamus arbitrium. Hoc scilicet argumento Cajetanus moveri potuit, ut quintæ conclusioni adversaretur. Nam Lutherus crassioribus conjecturis commoveri solet. In prologo siquidem assertionis suorum articulorum, Patrum auctoritate dicit neminem esse cogendum; quòd in omnium scriptis multi inveniantur errores, sæpè sibi ipsi pugnent, sæpè invicem dissentiant, et Scripturas torqueant. Leges autem interpretandi verbi Dei nullas patitur, quòd verbum Dei non debeat esse alligatum, sed liberum, quòdque ejusdem sit leges condere et interpretari. Quarè homines legum quidem humanarum certos interpretes esse posse, divinarum autem nullo modo. Hanc eamdem sententiam tenuit Wicleffus apud Thomam Waldens. lib. doctrinæ fid. anti. doctrin. 3. Eamdem quoque Petrus Abailardus tenuit in ipso statìm suarum disputationum exordio : ut auctor est divus Bernardus in epistolà ad Innocen. num. 190 : « Ecclesiasticorum doctorum, « inquit Bernardus, unam omnium de hâc re Petrus « Abailardus dicit esse sententiam, et ipsam ponit ac « spernit, et gloriatur se habere meliorem, non veri- « tus contrà præceptum sapientis transgredi terminos « antiquos, quos posuerunt patres nostri. » In eâdem etiam erroris navi fuère Arius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus, ut septimâ synodo, act. 1, anathematismo 7, Basilius ipse fatetur. De Ario certè, ejusque discipulis, habes testem Alexandrum Alexandriæ episcopum, lib. 1, Hist. Trip. cap. 14. Nestorius autem dùm eloquens fuisset, et se putaret doctum, libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibusque se meliorem putabat esse, ut lib. 12 Hist. Trip. cap. 4, refertur. Eâdem etiam viâ ingressus est Paulus Samosatenus, Eusebio auctore, lib. 7 ecclesiast. Hist., c. 26; Severiani quoque eâdem viâ ingressi sunt, ut idem Euseb. lib. 4 ecclesiast. Histor. cap. 29, testatur. Quid verò Vincentius Lirin. adversùs profanas novationes de Origene referat, non pigebit adscribere, ut vel hoc uno exemplo viri pii sacris litteris exponendis discant esse modesti. Cùm igitur is auctor Origenis ingenium, eruditionem, eloquentiam, virtutesque alias admirabiles extulisset : « Hic idem, ait, tantus ac talis, « dùm gratià Dei insolentiùs abutitur, dùm ingenio « suo nimiùm indulget, sibique satis credit; dùm parvi « pendit antiquam christianæ religionis simplicitatem; « dùm se plus cunctis sapere præsumit, dùm eccle- « siasticas traditiones et veterum magisteria contem- « nens, quædam Scripturarum capitula novo more in- « terpretatur, meruit ut de se quoque diceretur : *Si « surrexerit in medio tui propheta*, etc., » Deuter. 13. Hæreticorum itaque, et schismaticorum communis fuisse videtur Cajetani illa sententia. Nec ego hìc tamen hæreticos volo argumentando revincere. Quid enim illis facias, qui eâdem impudentià et apostolicæ Sedis judicia, et conciliorum dogmata, et Apostolorum traditiones, et sanctorum omnium doctrinam contempsère?

Adversùs Cajetanum omnis oratio suscipitur à nobis, qui, ut erat ingeniosus, nostras rationes expenderet; utque erat pius, auditis gravissimis testimoniis minimè refragaretur. Atque nobis unum sat erat, ità nobis majores nostros tradidisse. Sed Cajetanus auctoritatem contemnit, ratione pugnat : patietur igitur rationes meas cum suâ ratione contendere. Quanquàm à philosophis quidem rationem philosophicæ conclusionis jure forsitan postulàris; in sacrarum autem litterarum intelligentiâ majoribus nostris debes, nullâ etiam ratione redditâ, credere, et quas sententias de lege, de fide, deque religione ab illis accepisti, defendere. Ego verò eas defendam, semperque defendi; nec me ex eo sensu, quem à patribus accepi, ullius unquàm ratio aut docti, aut indocti movebit. Sed age, ratiocinemur, ostendamusque in expositione sanctarum Scripturarum concordem antiquorum sensum esse tenendum, si volumus esse catholici. Sed priùs tamen quid majores nostri de eâ re senserint, explicemus. Quandò enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo quid didicerim, non modò theologorum ratiocinationibus, verùm etiam testimoniis antiquitatis.

Clemens in primis ad discipulos Hieros. Epist 5 : « Relatum est, inquit, quosdam docere, non secun- « dùm traditionem patrum, sed juxtà sensum suum. « Multas enim ex his, quæ legunt secundùm ingenium « hominum verisimilitudines capiunt. Ideò diligenter « observandum est, ut lex Dei non secundùm propriam « intelligentiam doceatur. Sunt enim multa verba in « Scripturis divinis, quæ possunt trahi ad eum sen- « sum, quem sibi quisque spontè præsumpsit, quod « fieri non oportet. Non enim sensum, quem extrin- « secùs attuleritis, alienum et extraneum debetis quæ- « rere, sed ex ipsis Scripturis sensum capere ve- « ritatis. Et ideò oportet ab eo intelligentiam discere « Scripturarum, qui eam à majoribus secundùm veri- « tatem sibi traditam servat, ut et ipse possit ea, quæ « rectè suscepit, competenter asserere. » Hactenùs Clemens; qui et lib. 10 Recognit. (si liber hic modò recipitur), documentum hoc à Petro Apostolo se accepisse testatur.

Dionysius item cap. 1 lib. de cœlest. Hierar. : « Ad « sanctissimarum, ait, Scripturarum intelligentias, « prout illas à Patribus accepimus, contuendas pro « viribus pergamus. » Accedit eòdem testis locuples Irenæus, qui etiam scribit lib. 4, cap. 63, expositionem legitimam Scripturarum per traditionem majorum accipiendam.

Epiphanius rursùm, hær. 61, cùm hæreticos, qui se vocabant Apostolicos, refutat : « Scripturæ, in- « quit, speculatione indigent, ad cognoscendam unius- « cujusque argumenti vim et facultatem. Oportet au- « tem et traditione uti; non enim omnia à divinâ « Scripturâ accipi possunt. » Hæc Epiphanius. Traditionem autem sine dubio vocat intelligentiam et sensum à Patribus acceptum. Illam enim clavem verbi Dei esse auctor est Petrus apud Clementem, lib. 10 Recogn. Hanc autem legisperiti habuisse dicuntur, ad

quos scilicet traditiones Moysis et seniorum quasi per manus venerant.

Clemens verò Alexandrinus, Strom. lib. 7, qui adversùs ecclesiasticam traditionem Scripturas interpretantur, hos regulam veritatis amisisse affirmat. Et posteà eodem quoque lib. de hæreticis disserens : « Gloriæ, inquit, tenentur desiderio, qui ea, quæ ex « suâ naturâ conveniunt, sermonibus divinitùs inspi-« ratis tradita à beatis Apostolis et magistris, suâ « sponte fallaci sapientiæ simulatione corrumpunt per « alias traditiones, humanis doctrinis resistentes di-« vinæ traditioni. Nam inter eos viros, qui tanti erant « in ecclesiasticâ cognitione, quid restabat dicendum « à Marcione Prodico, et similibus, qui non sunt ingressi « rectâ viâ? Neque enim eos, qui præcesserunt, supe-« rare poterant sapientiâ, ut aliquid adinvenirent iis, « quæ ab illis verè dicta sunt. Sed benè cum eis actum « esset, si scire potuissent ea quæ priùs sunt tradita. » Atque Origenes, tractatu in Matth 29 : « Quoties hæ-« retici, inquit, canonicas proferunt Scripturas, in « quibus omnis christianus consentit et credit, viden-« tur dicere : Ecce in domibus verbum est veritatis. « Sed nos illis credere non debemus, nec exire à « primâ et ecclesiasticâ traditione, nec aliter credere, « nisi quemadmodùm per successionem Ecclesiæ Dei « tradiderunt nobis. » Hæc Origenes.

Ambrosius quoque, tertio ad Gratianum de fide libro, cap. 7 : « Servemus, ait, præcepta majorum ; « nec hæreditaria signacula ausi rudis temeritate vio-« lemus ; librum sacerdotalem quis nostrûm (1) resi-« gnare audeat, signatum à confessoribus, et multorum « jam martyrio consecratum ? »

Hieronymus insuper, in epistolâ ad Evagrium : « Revolvi me, inquit, ad veterum libros, ut viderem « quid singuli dicerent, uti tibi quasi de multorum « consilio responderem. Et deprehendi, horum om-« nium opiniones ad unum computum pervenisse, ut « dicerent Melchisedech hominem fuisse Chananeum. » Et post multa, quæ narrare longissimum est : « Habes, « ait, quæ audierim, quæ legerim de Melchisedech. « Meum fuit recitare testes ; tuum sit de fide testium « judicare. Quòd si omnes repuleris, tuum certè illum « spiritualem interpretem non recipies, qui tanto su-« percilio et auctoritate Melchisedech Spiritum sanc-« tum pronuntiavit, ut illud verissimum comprobârit, « quod apud Græcos canitur : Imperitia confidentiam, « eruditio timorem creat. » Et in Daniel. c. 12 : « Scripturæ, inquit, sanctæ intelligentiam absque Dei « gratiâ et doctrinâ majorum sibi imperitissimi vel « maximè vindicant. » Et in epistolâ illa ad Paulinum celebri, multis et testimoniis exemplisque et rationibus elegantissimè docet, neminem in Scripturis sacris sine prævio et monstrante semitam posse ingredi. Id quod Clemens Alexand. 5 Strom. lib. docuerat. Et Cicero : *In universum nulla ars*, inquit, *litteris sine præceptore et interprete percipi potest.* Is autem ad sacras litteras sine doctore aggreditur, qui neglecto sensu antiquorum Patrum, arcanam Scripturam ex suo interpretatur.

His etiam similia concinit Augustinus in libro de Utilitate cred. ad Honoratum, cap. 7 (1). Cùm enim sacros iste libros sine alienâ ope et legere et intelligere se posse arbitraretur . « Itane est? Augustinus « ait, nullâ imbutus poeticâ disciplinâ, Terentium sine « magistro attingere non auderes. Asper, Cornutus, « Donatus, et alii innumerabiles requiruntur, ut qui-« libet poeta possit intelligi ; tu in sanctos libros sine « duce irruis, et de his sine præceptore audes ferre « sententiam ? » Et cap. 17 : « Si unaquæque disci-« plina, inquit, quanquàm vilis, et facilis, ut percipi « possit, doctorem aut magistrum requirit, quid teme-« rariæ superbiæ plenius, quàm divinorum sacramen-« torum libros ab interpretibus suis nolle cognoscere ? » Hactenùs Augustinus. Gregorius etiam, lib. 28 Mor. cap. 9, hanc ipsam conclusionem confirmat, exponens de sanctis doctoribus illud : *Super quo bases illius solidatæ sunt.*

Unum his Cassiodorum adjiciam, in procemio lib. divinar. institut., disserentem in hæc verba : « Ad « divinam Scripturam ascendamus per expositiones « probabiles Patrum, velut per quamdam scalam vi-« sionis Jacob, ut eorum sensibus provecti, ad cogita-« tionem Domini efficaciter pervenire mereamur. » Et lib. eod. c. 11 : « Sunt nonnulli, ait, qui putant « esse laudabile, si quid contrà antiquos sapiant, et « aliquid novi, ut periti videantur, inveniant. » Et cap. ejusdem libri 25 : « Cuncta, inquit, quæ antiqui « expositores probabiliter dixerunt, sollicitâ mente « tenenda sunt : illa verò, quæ ab eis intacta sunt re-« licta, ne infructuoso labore fatigemur, primùm ri-« manda sunt, quas virtutes habeant, aut ad quæ nos « instituta perducant. »

Adde hùc quoque Gregor. Nazianz. et Basil. qui, ut lib. 11 Eccles. Hist., cap. 2, Ruffinus tradit, « divina-« rum Scripturarum intelligentiam non ex propriâ « præsumptione, sed ex majorum scriptis et auctori-« tate secuti sunt, quos et ipsos ex apostolicâ succes-« sione intelligentiæ regulam suscepisse constabat. » Hactenùs ibi. Atque hæc satis erant homini modesto, ut in nostram sententiam induceretur. Nam clarissimis monumentis contestata consignataque antiquitas quem non moveat? Certè cùm Clementem, Dionysium, Irenæum, Epiphanium, Nazianz., Basil., Ambr., Hier., Aug., Cassiod., Bernard. audio unum et idem proferentes, non existimo totidem hominum doctissimorum quidem et sanctissimorum, attamen hominum, me audire sententiam, sed catholicæ Ecclesiæ, cujus illi fuère columnæ præcipuæ. Nec enim aliud viri illi omnes tanto consensu sensisse credendi sunt, quàm quod communiter Ecclesia catholica sentiebat. Sed habemus præterea graviores testes ad hujus rei fidem plenam et integram faciendam. Dixerit enim fortassè quispiam, testimonia ferè illa, quæ retulimus, adver-

(1) Alii legunt *designare.*

(1) Vide etiam eumdem Aug. in procem. lib. de Doctrin. Christ.

sùm Lutheranos magis, quàm Cajetanum facere. Non enim hic adeò fuit insolens, ut aut omninò veterum magisterium contemneret, aut eorum in sacras litteras commentaria. Negavit solùm communem antiquorum intelligentiam certam esse lineam, ad quam intelligentias nostras semper dirigere debeamus. Id quod nondùm adhùc videmur refellisse. Verùm utcumque hæc habeant, placet mihi jugulum causæ petere, ac propiùs conferre pedes, ut Cajetani error certissimis argumentationibus refutetur.

Primùm autem in synodo sextâ generali sess. 11, ob id damnati sunt Origenistæ, quòd easdem expositiones, quas hic novus Cajetanus infert, conati fuerint contrà majorum traditionem invehere. « Multa alia, « ait Sophronius, extrà apostolicam atque paternam « traditionem asseruerunt, paradisi plantationem pro- « jicientes, in carne Adam formatum fuisse nolentes, « ex eo Evam formatam fuisse vituperantes, serpentis « sonitum refutantes. » Hactenùs ille. Est autem probata hæc Sophronii epistola synodicâ actione 13 ejusdem sexti concil. generalis.

Deindè canon 19 synodi Trullanæ sic habet : « Oportet « eos, qui præsunt Ecclesiis, clerum et populum do- « cere, ex divinâ Scripturâ colligentes intelligentias et « judicia veritatis, et non transgredientes jam positos « terminos, vel divinorum Patrum traditionem. Sed « etsi ad Scripturam pertinens controversia aliqua ex- « citata fuerit, ne eam aliter interpretentur, quàm « quomodò Ecclesiæ luminaria et doctores suis scriptis « exposuerunt ; et ma orem ex his laudem assequan- « tur, quàm si ea, quæ à se dicuntur, componant; « ne, dùm quandoque ad id hæsitant, ab eo, quod con- « venit, excidant. » Hactenùs conc. Trullan.

Ad hæc, cùm de intelligentiâ illius testimonii Joannis Evangelistæ 19, 33, *ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum*, etc., inter fideles quæstio esset exorta, eaque ad Viennense conc. referretur, Clemens, concilio præsidens, ità loquitur : « Nos ad sanctorum Patrum et doctorum communem « sententiam apostolicæ considerationis aciem conver- « tentes, sacro approbante concilio declaramus, etc. » Sedes ergò apostolica, et Viennense concilium, cùm de fide et intelligentiâ sacrarum litterarum pronuntiant, sanctorum communem sensum tanquàm Thæsei filum tenent, eosque quasi duces intelligentiæ sequuntur.

Concilium quoque Lateran., sub Leone decimo, action. 11, præcipit omnibus, qui evangelicam veritatem populum docturi sunt, ut sanctam Scripturam juxtà interpretationem doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, explanent; ne quidquam eis proprio sensu contrarium aut dissonum adjiciant, sed illis semper insistant, quæ à præfatorum doctorum interpretationibus non discordant.

Est prætereà idem definitum apertiùs in synodo Trident. sess. 4, in hæc verba : « Decrevit sancta « synodus ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo « suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad « ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, « sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut « contrà eum sensum, quem tenuit et tenet sancta « mater Ecclesia, aut etiam contrà unanimem consen- « sum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari « audeat. » Hactenùs conc. Trident. Poteram hùc addere decretum quintæ synodi ex Ivone titulo 11, lib. 2, cap. 14. Alterum etiam simile concilii Melden. cap. 11, ex Burch. lib. 1, cap. 61 ; sed multa præterimus, ne disputatione longâ negotium lectori facessamus. Sed enim è sacris quoque litteris ad ejusdem rei confirmationem habemus testimonia non pauca. Ac primum illud ex Ecclesiastico, cap. 8 : *Non te prætereat narratio seniorum ; ipsi enim didicerunt à patribus suis ; quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis dare responsum.* Deindè illud Apostoli ad Rom. 12 : *Non plùs sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Habentes donationes secundùm gratiam differentes, sive prophetiam secundùm rationem fidei*, etc. Illud verò constat, prophetæ vocabulum Apostolo usurpari non modò pro eo, qui futura videt atque prænuntiat, verùm etiam pro eo, qui Spiritûs sancti dono Prophetarum, Christi, Apostolorum oracula intelligit et exponit. Jubet autem Paulus, ut qui ejusmodi munus in Ecclesiâ susceperit, primùm quidem non plùs sapiat, quàm oportet, sed ad modestiam et temperantiam sapiat : deindè, ut prophetiam habeat secundùm rationem fidei, hoc est, ne sacris litteris exponendis humani acumen ingenii, aut naturæ vim rationemque sequatur, sed eas juxtà fidem à majoribus acceptam ; et hujus fidei proportionalem rationem interpretetur. Nam philosophos quidem poteris forsitan exponere juxtà rationem scientiæ, nullâ etiam adhibitâ fide ; at sacros libros sobriè sine majorum fide et doctrinâ non poteris. Sed et qui explicando Aristotele veteres omnes Peripateticos pro nihilo haberet, et his magnâ consensione reclamantibus ex philosophi sententiâ paradoxum nusquàm auditum novâ nobis interpretatione præscriberet, parùm ille sobrius haberetur. Multò verò etiam magis, qui in Apostolorum libris suopte ingenio novas quasdam sententias comminiscitur, easque Apostolorum discipulis et antiquis omnibus interpretibus adversas, hic non est profectò, cur satis sanus habeatur. Sed de secundo testimonio satis.

Tertium, 1 ad Cor. 14, habes : *Prophetæ*, inquit Apostolus, *duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent.* Ne quis autem à reliquis temerè dissentiat : *Non est* autem, ait, *dissensionis Deus, sed pacis ;* id est, non ejus, qui à consentiendi unitate defecerit, sed eorum, qui in consentiendi pace permanserint, ut Vincent. Lirinens. exposuit. *Sicut in omnibus*, inquit, *Ecclesiis sanctorum doceo*, hoc est, catholicorum. Quæ ideò sanctæ sunt, quia in sanctorum communione persistunt. Ac ne quis tandem harum rerum judicium ad se unum despectis cæteris revocaret, paulò post addit : *An à vobis verbum Dei processit ? aut in vos solos pervenit ? Si quis videtur esse propheta aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Mandatum uti-

que est, ut si quis est spiritualium rerum magister summo studio unitatis cultor existat, ut nec opiniones suas communibus reliquorum omnium præferat, et ab universorum sensibus non recedat : id fiet autem si duo præcepta teneantur. Unum, ut sacrarum litterarum interpres semper in priores spectet, à quibus verbum Dei processit in posteros; hujus enim rei Apostolus Corinthios monet, inquiens : *An à vobis verbum Dei processit?* Alterum, ut ne sensum suum tenaci contentione defendat, sed priùs reliquos Ecclesiæ doctores consulat, ut si viderit omnibus id probari quod sentit, tutò jam teneat : sin reprobari, tutò jam deserat. Hoc enim significat Apostolus dicens : *Aut in vos solos pervenit?* Sic enim mihi planè videor Pauli sententiam interpretari. Quòd si hoc Apostoli testimonium videbitur cuipiam ad suadendum magis, quàm evincendum idoneum ; cum illo non existimârim equidem contentiosâ disputatione certandum. Nec enim vel ipsi credimus omnia argumenta, quibus utimur, esse palmaria.

Quartum porrò ejusmodi Apostoli testimonium gravissimum est. Habetur autem ad Ephes. 4 in hæc verba : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam quidem prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus magisterii, in ædificationem corporis Christi, ut non simus jam parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Quæ quidem Pauli verba, quoniam in tertio loco uberiùs explicata sunt, levi nunc brachio attingemus, quantùmque satis erit ad id, de quo nunc agimus, confirmandum. Ex his itaque verbis planè intelligitur, divinæ providentiæ fuisse, ut non solùm Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum codices haberemus, verùm etiam sanctorum doctorum in illos commentaria. Ob eam enim certè causam, post Prophetas, Apostolos et Evangelistas, Ecclesiæ à Christo doctores dantur, ut illorum sacros hi libros interpretentur. Hos ergo in Ecclesiâ Dei divinitùs per tempora et loca procuratos quisquis in Scripturæ sensum eumdem convenientes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum, à quo in id illi fuêre destinati, ut populum christianum sacras Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarumque litteras edocerent. Quòd si sancti omnes, dùm illa interpretarentur, errârunt, Deo auctore erraret Ecclesia ; cùm doctores sibi à Christo datos sequeretur, et in sacrorum codicum intelligentiâ eorum vestigiis insisteret. Nec me clàm est Paulinum, Augustinumque in epist. 58 et 59, Prophetas in hoc Apostoli testimonio non eos accipere, qui antè Domini adventum futura prædixerant, quorum non scripturas ut canonicas ac divinas retinemus, sed illos, qui in Ecclesiâ Christi tempore Apostolorum prophetandi gratiâ eminuêre. At quoniam utrosque Ecclesiæ à Christo datos negare non possumus, nihil mirum videri debet, si neutros ab Apostoli verbis excluserimus.

Sed quæret hìc forsitan aliquis : Cùm sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est, ut ei sanctorum et intelligentia jungatur, et auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsâ suî et altitudine et obscuritate non uno eodemque sensu omnes accipiunt, sed aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines, tot illìnc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatus, aliter Sabellius, aliter Arius, aliter Donatus exponit. Quocircà necesse est, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea propter tàm varii erroris anfractus secundùm normam aliquam dirigatur. Ob id ergò post Prophetas, Apostolos et Evangelistas, sanctos quoque Doctores accepimus : quò eorum catholicam, hoc est, universalem intelligentiam, tanquàm Ecclesiæ regulam à Deo præscriptam sequeremur. Præclarè igitur illud adjectum est : *Ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi, ne simus parvuli*, etc. Ac de verbis quidem Apostoli hactenùs. Nunc Salomonis unicum testimonium addemus, quod si diligentiùs expendatur, multùm conferet ad eam rem, de quâ disserimus, corroborandam : *Verba sapientium*, ait, *sicut stimuli* (1), *et quasi clavi in altum defixi. Quæ per magistrorum concilium data sunt à pastore uno, his ampliùs, fili mi, ne requiras.* In quem locum Hieronymus : « Exceptis, « inquit, his verbis, quæ ab uno pastore sunt data, et « à concilio atque consensu probata sapientium, nihil « tibi vindices : majorum sequere vestigia, ab eorum « auctoritate non discrepes. » Hæc Hieronymus. Nos verò, quis ille unus pastor sit, per Ezechielem, 34, 23, intelligimus : *Suscitabo*, ait, *super eas pastorem unum, qui pascat eas : ipse erit eis in pastorem.* Ne autem existimares, quòd ipse per se Christus hoc semper esset facturus, per Jeremiam monet, inquiens : *Dabo vobis pastores juxtà cor meum, et pascent vos scientiâ et doctrinâ.* Quòd autem verba sanctorum data fuerint ab illo pastore uno, talis tantusque omnium consensus ostendit ; nec enim intelligere idem omnes unâ mente possent, nisi uno eodemque Christi spiritu in eâ unitate continerentur (2). Undè divinè ait Salomon, per magistrorum concilium data esse à pastore uno. Sanctos quippè antiquos sapientes fuisse, nemo negat ; Ecclesiæ fuisse magistros, certò constat ; à Deo fuisse Ecclesiæ datos, Christi ergà Ecclesiam providentia manifestat : datos esse ut Apostolorum, Prophetarum, Evangelistarumque oracula exponerent, Paulus innuit ; ab uno pastore tàm multos, atque adeò diversis et loco et tempore fuisse procuratos, sententiæ unitas et concordia monstrat ; ut nihil aliud, quàm magistrorum concilium liceat intueri, quod ab uno veritatis spiritu fuerit congregatum. Certè, ut Augustinus lib. adversùs Julianum 2 dicit, si episcoporum synodus ex toto orbe congregaretur, ut controversiam decernerent circà sacros libros exortam, nec tales possent facilè sedere, nec tot. Quia nec sancti uno tempore fuerunt.

(1) Adversùm quos durum sit recalcitrare.

(2) Ille consensus, tùm ad generalem naturalemque legem, tùm ad providentialem, est revocandus.

P. S.

Te nunc, Cajetane pater, si filio patrem appellare licet, appello te; Cajetane, inquam, appello te, in concilium voco, te non in lyceum aut academiam induco, sed in sanctorum Patrum pacificum honorandumque conventum. Pone tibi ob oculos, rogo te, tàm numerosam seriem eruditissimorum virorum, quos in hunc usque diem tot seculorum consensus approbavit, quos præter admirabilem sacrarum litterarum peritiam, vitæ quoque pietas mira commendat. Aspice illos, obsecro te, quodam modo aspicientes te, et mansuetè ac leniter dicentes tibi : Itane nos, fili Cajetane, in sacrarum expositione litterarum simul omnes erramus? Itane nobis omnibus, quos Ecclesiæ Christus præceptores dedit, spiritus intelligentiæ defuit? Itane tu unus adversùm nos pugnare audes, et Ecclesiam credis unius sensum hominis secuturam, hujus verò gravissimi sanctissimique senatùs communæ judicium deserturam? Utrùm plùs tribuendum esse judicas tot eruditorum, sanctorum, martyrumque præjudiciis, an tuo singulari privatoque judicio? Respondebisne ad hæc, aut omninò hiscere audebis? Videre mihi videor, Cajetane pater, modestiam tuam, ingeniique candorem, atque adeò in sanctos religiosam reverentiam et pietatem, et quasi coràm esses, audio vocem tuam aures meas circumsonantem : Vicimus utrique; uterque nostrùm palmam refert, tu meî, et ego erroris. Sed nescio, bone lector, quò me impetus animi et nimius disserendi calor evexit. Nam et Cajet. eo jam diù loco est, ubi omnes sine meâ disputatione vicit errores; et ego non consuevi eorum insultare erroribus, quorum miror ingenia. Sed nos, ut cœpimus, persequamur, et theologiæ quoque rationibus hunc errorem confutemus. Licèt enim ad fidem in theologiâ faciendam auctoritas plùs polleat, quàm ratio; quippè cùm ea sine ratione satis habeat momenti, ratio sine auctoritate non multùm valeat; sed auctoritati tamen ratio conjuncta, quantùm volet, habebit ad faciendam fidem virium. Et nos jam indè à principio pollicebamur hanc cum Cajetano causam ratione magis, quàm testimoniis transacturos.

Primùm autem, qui novam hanc exponendi sacras litteras rationem suscitant, hi præterquàm quòd veteres obterunt majorum laudes, cùm vanis hominibus, tùm magis hæreticis exemplo sunt, ut novis falsisque commentis sacrarum litterarum vera sensa contaminent. Quòd si semel admissa fuerit hæc licentia, ut libros sacros pro suo quisque arbitrio interpretetur, horreo dicere, quantùm abolendæ religionis periculum consequatur. Etenim unâ quâlibet particulâ sanctarum Scripturarum humanorum ingeniorum libertati permissâ, alia quoque atque alia, et omnes jam quasi ex more reliquæ humanitùs tractabuntur. Porrò autem si totam Scripturam divinam hominum quorumlibet ingenio arbitratuque exponi liceat, nihil firmum relinquetur; sed « sit ibi deinceps errorum lupanar « necesse est, ubi erat antè castæ et incorruptæ sa« crarium veritatis, » quemadmodùm Vincentius Lirinensis non minùs verè, quàm eleganter asseruit. Quin etiam præter incommoda et multa et magna, quæ futuris in Ecclesiâ fidelibus hæc opinatio affert, Ecclesiam, quæ nos antecessit, erroris gravissimi notâ liberare nequit. Cùm enim sive concionatores, sive scriptores omnes, qui sanctis antiquis successêre, sacræ Scripturæ sensum populo tradiderint juxtà doctrinam à sanctis acceptam, populus autem sensum eumdem fidenter acceperit; nimirùm qui concordem sanctorum veterum expositionem rejicit, intelligentiam, quam hactenùs Ecclesia habuit, rejicere convincitur. Exempli causâ ponatur aliquid, quod pateat latiùs. Sancti omnes exposuêre, Evam è costâ Adæ, ut littera sonat, fuisse conditam. Id quoniam sacerdotes sequentes ità invenêre à sanctis expositum, populo christiano sedulò significârunt, et populus ipse bonâ utique fide credidit. Ità efficitur, ut sanctis antiquis errantibus in illius loci interpretatione, tota Ecclesia in eodem fuerit errore versata. Atque sanctorum et Ecclesiæ ignorationem esse conjunctam, Nestorius planè intellexit, à concilio Ephesino damnatus in hæc verba : « Invecti sumus in Nestorii sceleratam præ« sumptionem, quòd sacram Scripturam se primum « et solum intelligere, et omnes eos ignorâsse jacta« ret, quicumque antè se magisterii munere præditi « divina eloquia tractavissent; totam etiam nunc Ec« clesiam errare, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros « doctores sequeretur. » Hactenùs Ephesinum concilium ; refertur autem à Vincentio Lirinensi, in libello illo verè aureo adversùm profanas novationes.

Adde, quòd, ut jam pridem dicebamus, in his, quorum cognitio non pertinet ad populum, Ecclesiæ fides fides majorum est. Cùm igitur è Scripturâ sacrâ veram et sinceram intelligentiam accipere non spectet ad plebem, nisi Lutheraronum insaniam sequi volumus, patrum certè nostrorum in libris sacris intelligentia Ecclesiæ intelligentia ipsissima est. Quamobrem si sancti omnes antiqui in divinis litteris intelligendis errârunt, Ecclesia dubio procul erravit; idque Deo præcipiente. Peccaret enim populus, si Scripturæ juxtà sanctorum omnium sensum expositæ repugnaret; in his præsertim quorum judicium non ad plebem, sed ad majores spectat.

Præterea, ab omnibus sanctis, communi utique mente idem sentientibus, non potuit Dei verbum recedere; ut videlicet omnes simul haberent aliquam scripturam pro canonicâ, quæ canonica non esset, aut è diverso aliquam communi consensu exploderent, quæ canonica esset. Ergò nec vera intelligentia verbi Dei potuit simul ab illis recedere. Utrumque enim Ecclesiæ promissum est, spiritus et verbum, et si utrumlibet omnibus sanctis doctoribus defuisset, Ecclesiæ quoque pariter defuisset. Illud autem, quod priore loco assumptum est, si minùs intelligitur, ex aliis fidei dogmatibus percipi potest, in quibus sanctos simul omnes errare non posse, magnis argumentis ostensuri sumus : nec ità multò post, sed pauca antè dicenda sunt. Quòd verò et verbum et spiritus intelligentiæ in Ecclesiâ conjuncta sint, quemadmodùm posteriori loco assumebamus, per Isaiam Dominus in hæc verba testatur, cap. 59, 21 : *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ posui in*

ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodò usque in sempiternum. Semen verò Christi fidelium Ecclesiam esse negabit nemo, qui vel parùm fuerit in sacris litteris exercitus. Quis est igitur, qui res à Christo in Ecclesià copulatas audet errore divellere, et aut verbum, aut verbi sensum sanctis omnibus ac proindè Ecclesiæ tollere?

Prætereà, ut Hieronymus in comment. super cap. 1 Epist. ad Galat. ait, Ecclesia Dei, quæ à posteris Apostolorum fidem audivit, non accepit hominis Evangelium, sed Dei : « Doctores enim Ecclesiæ, inquit, non « tàm ipsi docent, quàm in ipsis Deus, qui ad sanctos « loquitur : *Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes, Ps.* « 81, 6. Qui autem dii sunt, tradunt Dei Evangelium, « et non hominis. Marcion et Basilides, et cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei Evangelium, quia non « habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit « Evangelium, quod docetur. » Hactenùs Hieronymus. Et eodem loco statìm : « Nec putemus, inquit, in « verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; « non in superficie, sed in medullà; non in sermonum « foliis, sed in radice rationis. Alioquin et diabolus, « qui loquitur de Scripturis, et omnes hæreses indè « sibi consuunt cervicalia. Grande periculum est in « Ecclesià loqui, ne fortè interpretatione perversà de « Evangelio Christi hominis fiat evangelium, aut quod pejus est, diaboli. » Hæc quoque Hieronymus. Quæ ut conferamus in pauca, hanc rationem habent : Si à sanctis antiquis Apostolorum successoribus fideles sensum Scripturæ falsum accepêre, certè non receperunt Dei Evangelium, quod non est in verbis Scripturarum, sed in sensu; non in litterà occidente, sed in spiritu vivificante; non in membranis, sed in cordibus. Id quod non Hieronymus modò, verùm etiam Hilarius in lib. ad Constant. Augustum tradidit. Et si lex spiritualis est, et spiritu indiget, ut intelligatur, quod in primo loco abundè monstravimus, ecqua, rogo, tanta dementia est, Spiritum sanctum mihi uni affuisse dicere, sanctis omnibus defuisse? Age enim, ut à divinis ad humanas rationes nostra defluat oratio, si in Scripturæ interpretatione quidquam tribuitur ingenio et eruditioni, quid Græcorum ingeniis aut acutius, aut perspicacius? quid in litteris sacris exercitatius? Nec verò latinis sanctis defuit ingenium, nec litterarum sacrarum peritia defuit. Nolumus enim modò aut Latinos Græcis, aut Græcos Latinis anteponere. Utrosque constat et ingenio et eruditione valuisse. Quòd si in hoc judicio magis spectatur vitæ sanctimonia, quis homo recens veteres illos Ecclesiæ primarios viros excellet? Verum, aiunt, sed homines erant. At ego et novitios istos interpretes homines esse reor. Audio : quid multitudo facit ad sensum spiritûs? Respondeo : quid facit paucitas? sed et in his, quæ vel apud homines fide creduntur, nonnihil facere solet testium multitudo maximè seniorum. Nam veterrimi quique solent esse gravissimi. Juniores autem, quasi pueri, si speciem afferant veritatis non est illa quidem protinùs repudianda; vetustas tamen suo loco conservanda est. Maxima enim est vis et auctoritas vetustatis, et ubi cum novitate certet, est illa sine dubio præferenda. Sed nescio quomodò à rationibus gravissimis ad has leviores nostra oratio delapsa est. Jam ad illas redeamus, easque ipsas concludamus aliquandò. Illud ergò urgentiùs et instantiùs premebamus, qui sanctos veteres in universum omnes in sacræ unoquolibet Scripturæ loco exponendo errâsse affirmat, eum catholicæ Ecclesiæ hunc ipsum errorem attribuere. Id quod hoc etiam argumento confirmari potest. Ubicumque est enim Ecclesiæ corpus, ibi etiam est Spiritus veritatis, ut Irenæus docet lib. 3, imò Christus Dominus inquiens, 1 Joan. 14, 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Docet quoque idem apertè Paulus ad Ephesios 4, et 1 Corinth. 12. Spiritus autem in corpore non easdem omnibus corporeis partibus tribuit functiones quemadmodùm Apostolus ad Romanos 12, et 1 ad Corinthios, cap. 12, elegantissimè persequitur. *Alii* namque *datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii prophetia, alii interpretatio sermonum,* etc. Neque enim in Ecclesià omnes Apostoli, nec omnes Prophetæ, nec omnes interpretantur, etc. Certum est autem quòd sacrarum litterarum intelligentia sanctis doctoribus, si quibus, maximè per Spiritum data est. Qui ergò Spiritum veritatis sanctis omnibus in Scripturæ sacræ interpretatione negat, hic sine dubio eumdem Spiritum Ecclesiæ tollit; quemadmodùm qui ab oculis videndi munus aufert, hic reliquas etiam omnes corporis partes obscurat; nam si oculos non fuerit lucidus, *totum corpus tenebrosum erit,* Luc 11, 34. Atque hæ sunt quintæ conclusionis causæ gravissimæ. Possunt enim esse aliæ leviores. Certè Patrum optimorum et sapientissimorum exemplum non omninò leve est, qui quanquàm erant acerrimo ingenio, Scripturæ tamen sanctæ interpretationes ità illi referunt, ut à majoribus didicisse, non ut ex se reperisse videantur. Ad quam legem nos non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti esse debemus. Ac de quintà conclusione dictum est satis.

Sextò. *Sancti simul omnes in fidei dogmate errare non possunt.* Hoc primùm ostendit D. Augustinus, in libro adversùs Julianum primo, cap. 3. Cùm enim Julianum vellet sanctorum testimoniis in dogmate fidei, de quo erat controversia, revincere : « Non omnium, inquit, « de hâc re sententias commemorabo, sed ponam « pauca paucorum, quibus tamen nostri contradicto- « res coguntur erubescere et cedere, si ullus in eis vel « Dei timor, vel hominum pudor tantum malum per- « vicaciæ superaverit. » Et posteriùs : « Alia sunt « ait, in quibus inter se etiam doctissimi atque optimi « regulæ catholicæ defensores salvâ fidei compage « non consonant, et alius alio de unà re melius aliquid « dicit et veriùs. Hoc autem undè nunc agimus, ad « ipsa fidei pertinet fundamenta. » Et lib. 2 adversùm eumdem, ità loquitur : « Hoc probavimus catholicorum « auctoritate sanctorum, ac per hoc non est conse- « quens, ut falsum sit. Tales quippè ac tanti viri se- « cundùm catholicam fidem hoc verum esse confir- « mant, ut vestra fragilis et argutula novitas solâ au-

« ctoritate conteratur illorum. Præterquàm quòd ea di- « cunt, ut se per eos loqui veritas ipsa testetur; sed « tunc auctoritate [illegible] itùs eorum vestra est contumacia « comprimenda, ut dùm tales homines Dei in fide ca- « [illegible] à errare potuisse non creditis, ausus præcipites « refrenetis. » Et paulò inferiùs : « Ego te, inquit, « antè istos judices constituo, quos non amicos meos, « et inimicos tuos in hàc nostrâ disceptatione consti- « tui cognitores, nec quorum sententiæ de hoc quod « inter nos disputatur incertæ sunt, inani cogitatione « confixi; sed sanctos, et in sanctâ Ecclesiâ illustres « antistites Dei, non Platonicis et Aristotelicis et Ze- « nonicis (quanquàm et in his nonnulli ex eis docti « fuêre) verùm omnes sacris litteris eruditos nomi- « natìm, sicut oportebat, expressi, ut in eis timeas, « non ipsos, sed illum, qui sibi eos utilia vasa forma- « vit. Qui tunc de istâ causâ judicaverunt, cùm ab odio, « amicitiâ, inimicitiâ, irâ vacui erant, quod invene- « runt in Ecclesiâ tenuerunt. » Et posteriùs : « Us- « què adeò, ait, permiscuit imis summa longus dies, « ut videant Pelagius, Julianus, et cæci sint Hilarius, « Gregorius, Ambrosius, Cyprianus. Sed qualiscum- « que homo sis, tamen, quia homo es, videre mihi vi- « deor verecundiam tuam (si tamen non in te spes est « omnis emortua sanitatis) et quodammodò audio vo- « cem tuam, quâ respondes : Absit, ut audeam cæcos « istos viros vel cogitare, vel dicere. » Et in fine libri tandem, qui sanctos rejiciunt, eos universam Christi Ecclesiam rejicere testatur. Et Vincentius Lirinensis : « Necesse est, inquit, omnibus catholicis, qui sese « Ecclesiæ legitimos filios probare student, ut sancto- « rum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur : « profanas verò novitates detestentur, horrescant, « persequantur. Concilio enim Ephesino divinitùs pla- « cuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi « quod sacrata sibi consentiens sanctorum Patrum te- « nuisset antiquitas. » Hactenùs ille. Nec Ephesina so- lùm synodus ità sensit, sed Constantinopolitana sexta, actione 22, in hæc verba : « Et dixit sancta synodus : « Omninò necesse est non solùm secundùm sensum « sequi sanctorum Patrum dogmata, sed eisdem voci- « bus uti cum illis, nihilque penitùs innovari. » Et ite- rùm : « Sanctorum Patrum dogmata tanquàm legem « sanctæ Dei suscipiunt Ecclesiæ. » Nec obstat, has sententias Sergii esse, non synodi; tùm quoniam si hæ- reticus ipse Sergius, publicâ Ecclesiæ consensione victus, hanc nostram conclusionem negare non potuit, certè inimici nostri sunt judices, tùm quoniam synodus, actione 17 et 18, sanctos ipsos Patres tanquàm regulam sequitur, et synodus Lateranensis sub Martino V, canon. 11 et 13, quæ omnes consonantes Ecclesiæ Pa- tres respuunt, ea catholicam et Apostolicam Ecclesiam respuere dicit, et quæ credunt, credere. Id quod non modò Augustini, Vincentii, conciliorumque gravissi- mis testimoniis, verùm etiam invictissimis rationibus confirmari potest. Nam si sancti in aliquo fidei dogmate falsi sunt, et populi, qui eos sequebantur, falsi fuis- sent. Constat enim, populum christianum antè nos fi- dei sanctorum doctorum acquievisse. Neque enim ali- ter fidem in Jesum habere poterat, nisi haberet etiam in sanctos ejus (1). *Gratias ago Deo meo*, ait Paulus ad Philemonem, *audiens fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos ejus.* In quæ verba Hierony- mus : « Quicumque, inquit, Deo credidit, aliter ejus « fidem recipere nequit, nisi credat et in sanctos ejus. « Non est enim in Deum perfecta fides, quæ in mini- « stros ejus infidelitate tenuatur. »

Prætereà, cùm quædam ad fidem pertineant (quod etsi sæpè dictum est, dicendum est tamen sæpiùs), quæ plebs penitùs ignorat, si sancti omnes in fide re- rum hujusmodi decepti fuissent, Ecclesia certè fuisset decepta. Ad hæc, sanctorum omnium fide repulsâ, magnâ ex parte Christi et Apostolorum traditiones re- pelluntur. Non enim aliundè apertiùs, quàm ex san- ctorum veterum testimoniis plerasque apostolicas tra ditiones agnovimus. Undè in septimâ synodo generali, actione 1, anathematismus 7 Basilii pœnitentis sic ha- bet : « Qui doctrinas sanctorum Patrum, et traditio- « nem catholicæ Ecclesiæ contemnunt, quique cau- « santur, et voces Arii et Nestorii, Eutychis et Dio- « scori jactant, dicentes quòd nisi satis ex veteri et « novo Testamento instructi essemus, sanctorum Pa- « trum et catholicæ Ecclesiæ traditiones sequeremur, « execratio. » Hæc igitur duo ità sunt connexa atque conjuncta, ut divelli ac dissociari non possint, doctri- na sanctorum Patrum et Ecclesiæ traditio. Quisquis unum istorum tentârit labefactare, alterius quoque fi- dem concutiat necesse est. Atque ejusdem synodi ac- tione 7, tomo quinto, Epiphanius pro synodo sic ait : « Quòd si is, qui hanc expositionem contrà veneran « das imagines edidit, asserit, se à sanctis Patribus, « qui circà ea tempora floruerunt, non fuisse receptum, « quomodò ea, quæ sancti Patres non probaverunt, « nos qui indigni sumus, ut discipuli eorum nomine- « mur, recipiemus? » Neque synodus hæc modò, ve- rùm reliqua concilia omnia, omnes pontifices ac sancti doctores hâc viâ et ratione universas hæreses refutâ- runt. Non enim commodè aliter poterant, nisi et in Scripturis ipsis canonicis, et in reliquis fidei decretis majorum sententiam, ut acceperant, tenuissent. Quâ de re libet prorsùs verba Vincentii Lirinensis adscri- bere : « Sacrâ, inquit, vetustatis auctoritate profa- « næ novitatis conteremus audaciam; neque hoc sanè « novum, siquidem mos iste semper in Ecclesiâ viguit, « ut quò quisque floreret religiosior, eò promptiùs no « vellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus « plena sunt omnia; sed ne longum fiat, summa- « tìm nonnulla ac breviter perstringemus, ut omnes « luce clariùs videant, beatorum Apostolorum beata « successio quâ viâ semper ingressa novas doctrinas « refutârit. Intelligebant enim viri sancti atque pruden- « tes, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut « omnia quæ fide à patribus suscepta forent, eadem « filiis consignarentur; idque esse proprium christia- « næ modestiæ ac gravitatis, non sua posteris tradere, « sed à majoribus accepta servare. Ducatum quippe

(1) Qui Deo credit, et in sanctos ejus credere ne- cesse est.

« præbet nobis religio, non nos religioni ; nec majo« rum sensa quà volumus trahemus, sed potiùs quà « illa trahunt retrahuntque sequemur. » Hactenùs ille. Unum verò idemque præcipuum ejus rei, quam dixerat, exemplum affert ex Ephesino concilio, ubi cùm de sanciendis fidei regulis contrà Nestorium disceptaretur, decretum est, ut sanctorum Patrum in medium sententiæ proferrentur. Quod cùm ità factum esset, Nestorius, tanquàm catholicæ vetustati contrarius, damnatus est. Cyrillus verò, tanquàm sacrosanctæ antiquitati consentaneus, est probatus. Sed, ut ipse idem dixerat, *exemplis talibus plena sunt omnia*. Sic enim Hieronymus Helvidii dogma revicit; sic Basilius ad Amphilochium Spiritûs sancti divinitatem asseruit; sic August. Donatist. et Pelagianos refellit; sic Paulus Samosatenus à celebri quodam scriptore superatus est; sic Theodoretus Alexandrini concilii definitiones comprobavit; sic Leo papa apud imperatorem Eutychem hujusque sectatores confudit, asseruitque à sanctis doctoribus consentientibus nullos nisi impios et hæreticos discrepare; sic Agatho papa ecclesiasticum dogma de duplici Christi voluntate et operatione firmavit, nempè sanctorum scriptorum consentientibus testimoniis; quibus eâ solùm ratione hæretici respondere se posse existimârunt, si libros depravâssent, et alia ex eisdem sanctis testimonia vel mutila, vel etiam conficta in confirmationem erroris adduxissent. Neque enim negare sanctorum auctoritatem integrum vel hæreticis videbatur. Quorsùm autem post vetera exempla nunc novitia proferamus? ex Bernardo, epistolâ 77 ad Hugonem, ex Innocentio, de presbytero non baptiz. cap. *Apostolicam*, ex concilio Florentino, ex multis quoque aliis quos, ne longum sit, missos in præsentiâ faciemus. Satis enim nobis, si modò in philosophiâ christianâ aliquid profecimus, positis exemplis rationibusque et testimoniis, persuasum esse debet, sanctorum omnium communem sensum certam fidem facere catholicorum dogmatum ac proindè ex omnium auctoritate certa argumenta depromi theologicis conclusionibus confirmandis.

Quod sexto demùm hoc loco erat nobis constituendum, constituimus longâ oratione id quidem, (quomodò enim rem tantam verbis paucioribus explicaremus?) sed adeò præclarè tamen, ut tenebræ, quas adversarii veritati offundere suis argumentationibus conati sunt, jam superioris disputationis luce fugatæ esse videantur. Certè primum, secundum et tertium argumentum, post ea, quæ dicta sunt, nullâ responsione egent. Sed ne ratio illa quidem deinceps apposita. Eadem enim non magis contrà veteres sanctos, quàm contrà Patres conciliorum omnes, atque adeò contrà totam Ecclesiam valet. Ità nos anteà duobus illam locis refutavimus. Osiandri ergò et Cajetani scrupuli modò restant, qui si fuerint exempti, nihil profectò erit ampliùs quod sexto loco explicando desideretur.

CAPUT IV.

Nonnullos Osiandri et Cajetani scrupulos eximit.

Cùm igitur contendit Osiander, expositores usquè ab Apostolis universos in prophetiæ illius intelligentiâ errâsse, primùm nihil nobis contrarium affert. Nam, ut Vincentius Lirinensis rectè dixit: « Antiqua « sanctorum Patrum consensio non in omnibus divi« næ legis quæstiunculis, sed solùm in fidei regulâ « nobis certò est sequenda, atque in his præcipuè quæ« stionibus, quibus catholici dogmatis fundamenta ni« tuntur. » Quod etiam capite superiore paulò latiùs explanavimus. Porrò autem Oseæ prophetia an in sensu litterali, an in allegorico ad Christum referenda sit, ad fidei quæstionem non pertinet. Ita, quamvis sancti in hoc falsi fuissent, non in re gravi, sed quæ parvi momenti in Ecclesiâ est, fuissent falsi. Deindè falsum est, omnes auctores usquè ab Apostolis locum illum in sensu solùm allegorico ad Christum retulisse. Referunt quidem omnes ad populum Israel, et ad Christum quoque referunt, sed non omnes asserunt per allegoriam id fieri; quin nonnulli affirmant eumdem Scripturæ locum plures habere interdùm sensus litterales. Postremò, si dicamus sensum esse allegoricum, nullus est error. Nam objectioni Osiandri Hieronymus in comment. super Oseam doctè respondet. Vana igitur ista ratio apud eos valet, qui ipsi decipi fallique volunt. Graviores constantioresque admonendi sunt, ut animadvertant ne callidâ alterâ ratione capiantur. Apertè enim sophisticantem nemo non videt, nisi qui admodùm est indoctus; callidus ille et occultus sophista, ne veritatis specie fallat, studiosè cavendum est. Nec enim facilè agnoscitur. Nec verò existimari velim, Cajetanum aut in sophistis esse censendum, aut astutè, aut vafrè, malitiosève quempiam fallere voluisse. Sed vir ingeniosus et doctus non fallebatur, nisi specie quâdam obscuræ rationis. Quocircà quoniam vim habet majorem quàm cæteri ad decipiendum, majori curâ et diligentiâ ab hoc sanè cavendum est.

Argumentatur itaque Cajetanus: « Non alligavit Deus « expositionem Scripturæ sacræ priscorum doctorum « sensibus, etc. » Imò verò alligavit, si omnes ad unum in eamdem sententiam concurrerint. Tenentur enim universi catholici sensum Ecclesiæ sequi. Sensum autem Ecclesiæ fuisse, qui idem fuit doctorum ecclesiasticorum omnium, explicatum est paulò antè satis, ut arbitror, diligenter. Nec Ecclesia nunc de Scripturarum sensu judicat divinando, sed ex traditione majorum eas interpretatur. Quemadmodùm enim, si qua alia fidei quæstio occurrerit, Ecclesiæ judicium nihil novi auribus christianæ plebis infert, sed majorum antiquam in eâ re fidem et inquirit et sequitur; ità cùm de sacrarum litterarum sensu existit aliqua controversia, nullam novam intelligentiam à censurâ ecclesiasticâ expectare debemus, sed eam, quæ magnâ factâ disquisitione Patrum nostrorum communem esse constiterit: « *Spes*, « inquiunt, *nobis et posteris tollitur exponendi sacras lit*« *teras, nisi transferendo de libro in quinternum.* » Minime verò gentium. Nam ut illud prætercam, quòd in sacris Bibliis loci sunt multi, atque adeò libri integri, in quibus interpretum diligentiam Ecclesia desiderat, in quibusque proindè juniores possent et eruditionis et

ingenii posteris ipsi quoque suis monumenta relinquere; in illis etiam, quæ antiquorum sunt ingenio ac diligentiâ elaborata, nonnihil nos christiano populo, si volumus, præstare et quidem utilissime possumus. Possumus enim vetustis novitatem dare, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus naturam suam, et naturæ suæ omnia. Sed quoniam huic Cajetani argumento Vincentius Lirinensis doctissimè elegantissimeque respondit, verba nos ipsius adscribemus, digna illa profecto, quæ aureis litteris scriberentur : « Esto, inquit, ô doctor, quasi Beseleel Exodi 36, et pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem : intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. Eadem tamen quæ didicisti, doce, ut cum dicas nove, non dicas nova. Sed forsitan dicet aliquis : Nullusne ergò in Ecclesiâ Christi profectus habebitur intelligentiæ ? Habeatur plané et maximus : sed ita tamen, ut verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsâ unaquæque res amplificetur ; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Imitetur animarum ratio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen, quæ erant, permanent. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen ; quot parvulorum artus, tot virorum : et si quæ illa sunt, quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in seminis ratione proinserta sunt, ut nihil novum posteà proferatur in senibus, quod non in pueris jam ante latitaverit. Quòd si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel prodigiosum fiat, vel etiam intercidat, vel certe debilitetur. Ita etiam sacrarum litterarum intelligentia sequatur has decet progressum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate ; incorrupta tamen illibataque permaneat. »

Et paulo post : « Quodcumque igitur, ait, in Ecclesiæ paradiso Dei agriculturâ, Patrum labore satum est, hoc idem filiorum industriâ colatur, floreat, maturescat, proficiat, perficiatur. Et prisca illa cœlestis philosophiæ dogmata à posteris excurentur, limentur, poliantur. Sed nefas est, ut commutentur, detruncentur, mutilentur, humanorumque ingeniorum quasi extranea additamenta recipiant ; accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. » Hactenus ille. Cujus tota ratio eo mihi videtur probabilior, quò magis ex Apostolo, ad Ephes. 4, videtur esse deprompta. Ubi illam corporalis augmenti similitudinem adeo et aperte, et copiose prosecutus est, ut nullâ meâ oratione opus sit. Tantùm fuerunt lectores admonendi. De sexto autem loco hactenus. Jam ad septimum transeamus, hoc est, scholæ novæ auctoritatem. De quâ et si nonnihil fortasse novi dicturus sum, ea tamen quæ pios lectores probaturos esse confidam (1).

(1) « *Quænam sunt cautelæ et regulæ pro intelligentiâ quinam canones pro usu theologico SS. Patrum?* — Præter auctoritatem Patrum, quæ sedem argumentationi theologicæ præbet, ad alia attendere oportet eum, qui sine abusu et solido cum fructu, legere SS. Patrum opera, lecta intelligere et intellecta usurpare desiderat. Ad tria universim capita reducere eadem juvat, scripta scilicet, scribentes et scriptionem : circà quæ postquàm cautelas pro lectione et regulas pro intelligentiâ dederimus, canones circà usum eorumdem addemus.

« Dico 1° : Cautelæ pro lectione Patrum sunt sequentes : 1° Circà scripta. 1° Discerne inter libros, verè aut falsò Patribus adscriptos : item inter certò genuinos et dubios aut incertos. 2° Adverte, an originarium sit scriptum, an versio tantùm, et quo auctore facta? 3° Disquire de textu laudato, integerne sit, an corruptus, mutilus, vel à contextu divulsus.

« 2° Circà scribentes. 1° Attende an Patrum quis juvenis adhùc aut verò senex, an Catechumenus etiamnùm vel fidei mysteriis plenè imbutus, an lapsus in errorem aut ante lapsum, an animo pacato et extrà offensam aut subiratus et contentiosus scripserit ; cujusmodi diversitatem in Augustino, Lactantio, Tertulliano et Cypriano notare juvat. 2° Dispice an scriptor merum agat testem rerum suâ ætate creditarum vel observatarum ; an doctorem, quod credendum vel observandum sit, præscribentem ; an utrumque simul præstet? 3° Nota an loquatur in personâ propriâ vel alienâ ; an solùm disputando, et velut dubitanter inquirendo procedat, vel asserendo ; an oratoriè et rem forsan exaggerando, aut dogmaticè et rigoroso sermone eloquatur ; an obiter et velut aliud agendo, an principaliter et ex proposito rem tractet? 4° Observa an doctrinâ, antiquitate, præsertìm fidei integritate excellat, aut lapsus in errorem sit, qui benignâ interpretatione mitigari nequeat, vel communi jam judicio nec temerè sit notatus? 5° Respice ad tempus ortam hæresin forsan præcedens, aut ubi de damnato posteà errore, salvâ adhùc fide, dubitari poterat, vel contrà.

« 3° Circà scriptionem. 1° Examina, nùm quæstionis, quæ tractatur, materia sit philosophica vel naturalis alterius scientiæ ; an verò theologica, atque ad fidem pertinens, aut disceptare in utramque partem orthodoxo adhùc licita? 2° distingue an sensus verborum sit proprius et simplex, aut metaphoricus et figuratus, an constans et conveniens cum alibi dictis, aut contrà retractatus vel discrepans? 3° Perpende an sensus forsan obscurus ex contextu vel comparatione cum aliis, vel ex scopo ac directione illustrari nequeat? 4° Observa, nùm iisdem aut similibus mediis phrasis fortassè durior et usu jam obsoleta emolliri non possit? 5° Adverte ad scopum scribentis, crinomenon argumenti, et substratam quæstionis materiam. 6° Denique attende ad quos sermo sit prolatus, contrà quos disputatio sit directa, et quâ occasione quæstio sit tractata?

« Dico 2° : Regulæ pro intelligentiâ Patrum sunt sequentes : 1° opera genuina Patrum disce vel ex judicio criticorum catholicorum et sobriorum, vel ex editionibus recentioribus et probatis. 2° Primigenia lectio præhabenda est translatæ ; pro versionibus seligendis prior etiam regula valet. 3° Textum laudatum confer cum libro, nisi laudatoris fides sit probata. 4° Qualitates Patrum pernosce ex eorum historiâ ; officium scriptoris collige ex verborum formulis ; oratoriam locutionem cape etiam ex auditoribus, ad quos sermo est factus. 5° Diligens ad lectionem attentio docebit, quæ loquatur persona, quæ dubitet, quæ asserat. 6° Durius dictum, si res faveat, securitati temporis aut zelo impugnationis tribue. 7° Errorem Patris, nisi apertus sit, excusa, et designatis mediis emolli ; ab eodem etiam, aut singulari forsan opinione illius aliquâ, modestè discede, et salvâ ejus honorificentiâ, ut Aug. inquit. 8° Locutionem dogmaticam intellige tùm ex opposito contrarium sentientibus anathemate, aut oppositi tanquam hæretici dogmatis damnatione : tum ex asserti tanquàm dogmatis fidei propositione, aut in catechesi vel sermone ad neophytas tanquàm credendi inculcatione. 9° Metaphoram dignosces, si nec in omni aut

longiore sermone, nec sæpè, nec coràm quibuscumque phrasis ejusmodi occurrat, neque admirationem moveat aut probationem exigat. 10° Semper præ oculis habe scriptionis et scribentis finem ac scopum.

« Dico 3° : Canones pro argumentatione ex Patribus sunt sequentes : 1° Patrum scripta non præbent argumentum, nisi genuina et certa, atque ex originario textu vel probatâ versione desumpta. 2° Non valet auctoritas Patris in eo, quod Ecclesia vel Pontifex tanquàm erroneum respuit vel declarat. 3° Ut textus quidpiam probet, integer, clarus, cum mente auctoris congruens, nec retractatus sit, oportet. 4° Patres loquentes ut testes rerum suâ ætate creditarum aut observatarum, etsi etiam omnes non refutantur, præbent certitudinem de facto, quia videntur exceptione majores. 5° Patrum auctoritas sive paucorum sive plurium in quæstionibus philosophicis aut scientiarum naturalium, haud certum suppeditat argumentum ; sed tantùm probat, quantùm naturalis ratio persuadet. 6° Eorumdem Patrum auctoritas in genere quæstionum theologicarum quæ ad fidem non spectant, certitudinem non facit. 7° In materiâ fidei vel morum dogmaticâ unius alteriusve Patris non reprobata auctoritas probabilitatem quidem affert, non item certitudinem. 8° Plurium Patrum auctoritas in eâdem materiâ firmum omninò argumentum theologo necdùm præstat, si alii adhùc pauciores reclament ; nisi fortè pauciorum sententiam reprobaverit Ecclesia, aut plurium illam probârit. 9° Unanimis consensus Patrum aliquid velut fidei dogma tradentium, firmum certumque subministrat fundamentum, illud pro fidei dogmate acceptandi. 10° Fidem cum proportione canones tenent in expositione sacrarum Scripturarum circà illarum sensum à Deo intentum.

« *Observa*. Juvat subindè aut etiam oportet selectum Patrum tùm doctrinæ ex Patribus, tùm Patrum pro doctrinâ facere. Pro priori normam dare poterit placitum Vincentii Lirinensis : « Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse « fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur « Ecclesia ; antiquitatem verò ità, si ab his nullatenùs « sensibus recedamus, quos sanctos majores nostros « ac Patres celebrâsse manifestum est ; consensionem « quoque itidem, si in ipsâ vetustate omnium vel certè « penè omnium sacerdotum pariter ac magistrorum « definitiones sententiasque sectemur. » Pro posteriori, præter respectum ad qualitates, auctoritatem Patrum universìm evehentes, attendere præsertìm decet, quinam ex Patribus in eo, quod delectum postulat, argumento maximè et præcipuo cum fructu versati fuerint ; quandoquidem tùm exindè, tùm ex Ecclesiæ persuasione facilè constet, Patrem hujusmodi ad illius doctrinæ propagationem non minùs quàm defensionem, specialiter fuisse à Deo suscitatum. » Ex P. Kilber, in *Principiis theologicis*. (Vide prætereà P. Dargone, *de la lecture des Pères*. — Vide etiam P. Thomassinum, Proleg. — Vide suprà, Proleg. n° 62.) P. S.

DE AUCTORITATE DOCTORUM SCHOLASTICORUM,

QUÆ SEPTIMO LOCO POSITA EST.

LIBER VIII.

CAPUT PRIMUM.

Lutheranorum in theologiam furor; quinam veri nominis theologi censendi.

Sequitur locus huic disputationi vel maximè necessarius, qui scholæ theologicæ continet auctoritatem, quam hæretici juniores non modò elevant et extenuant, verùm etiam explodunt et exsibilant. Ac signifer impietatis Germanicæ Lutherus, Wicleffi in hoc, ut in aliis, discipulus, in libro quidem adversùs Jacobum Latomum asserit, theologiam scholasticam esse nihil aliud, quàm ignorantiam veritatis, inanemque fallaciam, quam ad Colossenses cap. 2, Apostolus præcavet. In libro autem de abrogandâ Missâ privatâ, academias dicit esse Antichristi lupanaria. Philippus verò Melanchthon, in Apologiâ contrà Parisienses, Lutetiæ natam esse ait profanam scholasticen, quâ admissâ, Evangelium obscuratum, ac fides exstincta. Breviter, Lutherani omnes ad unum scholæ nostræ auctoritatem et mirificè contemnunt, et inimicè insectantur. Atque hinc fortassè tanquàm ex primo fonte reliquæ istorum hæreses derivatæ sunt. Principio namque, quod erat facile, scholæ auctoribus contemptis, scholæ quoque judicia contempserunt. His neglectis, mox necesse erat, ut Hieronymus, Augustinus, Gregorius, Ambrosius, Basilius negligerentur, quos theologi recentes dogmatum suorum auctores habebant. At antiquis sanctis posthabitis, despectui quoque habita sunt eorum concilia. Undè consecutum est, ut et libros quosdam canonicos, et ecclesiasticam auctoritatem Lutherani conciderent. Adeò verum illud est : qui minima negligit, paulatim defluit ! Absit invidia verbo. Nec enim minima scholæ auctoritas esse potest, quam parvì facere nemo sine fidei discrimine potest. Connexæ quippè sunt ac fuêre semper post natam scholam scholæ contemptio et hæresum pestes. Quamobrem tuear etiam hunc locum, neque facilè ac breviter, ut mihi videtur, expediam. Nam etsi facultatem disserendi à dialecticis exercitationibus acceptam scholastica in nobis theologia amplificavit ; neque enim mediocrem à primo tempore ætatis in eo studio operam curamque consumpsimus ; at hìc sanè quanquàm in loco proprio versamur, non ad copiam nostram nos in utramque partem exercere volumus, sed ad nostrum morem tenuiter angustèque disserere. Sed in omni oratione, memento, lector, eam me defendere scholæ doctrinam, quæ sacrarum litterarum fundamentis constituta sit. Ex quo id efficitur, quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse scholæ doctrinam, quæ se titulis magisterii defendat ; miseram etiam, atque haud scio an multò magis, quæ detractâ Scripturæ sacræ auctoritate, syllogismis contortis de rebus divinis philosophatur, imò ne de rebus divinis quidem, sed nec de humanis, verùm de his quæ nihil ad nos attinent. Intelligo autem fuisse in scholâ quosdam theologos ascriptitios, qui universas quæstiones theologicas frivolis argumentis absolverint, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, edide-

rint in theologiam commentaria vix digna lucubratione anicularum. Et cùm in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophiâ quidem, sed ferè è puerilibus disciplinis; scholastici tamen, si superis placet, theologi vocantur: nec scholastici sunt, nedùm theologi, qui sophismatum fæces in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum. Quem verò intelligimus scholasticum theologum? aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, qui de Deo rebusque divinis aptè, prudenter, doctè è litteris institutisque sacris ratiocinetur. Quod etsi ità esse pluribus verbis posteà disserendum est, illud tamen nunc brevi confitendum est, nisi qui is sit, esse theologum scholæ neminem.

Intelligo etiam in scholâ fuisse nonnullos quasi ad discordiam natos, qui tùm optimè disseruisse se putant, cùm contrà doctores dixerint, ut non tàm verum invenisse velle videantur, quàm adversarios convincere, concertationibusque et rixis totas chartas implere. Atque hos, sunt in Ecclesiâ multi, qui tanquàm milites auctorati vel tuentur, vel impugnant, et tota eorum de re theologicâ disputatio partium studium est, contentio atque dissidium. Quos ego probare nec debeo, nec possum. Nam quamvis dissentientium inter se reprehensiones non sint vituperandæ, concertationes tamen in disputando pertinaces indignæ philosophiâ profanâ, nedùm sacrâ doctrinâ, mihi videri solent. Nec enim, quod Cicero disertissimè dixit, disputari sine reprehensione, nec cum pertinaciâ rectè disputari potest. Atque illud verè à Publio dictum est, veritatem nimiùm altercando amitti. Minimè verò assentior iis, qui ex circulorum scholasticorum disputationibus ortam esse pertinaciam volunt, irritationemque scalpendi omnia. Quin istiusmodi malorum existimo in moribus esse culpam, non in scholâ. Moderati enim, nec contentiosi homines, nec pertinaces, quascumque res sobriè, ad temperantiamque definient. Quod cum omnibus est faciendum, qui disciplinam quamlibet profitentur, tùm nemini potiùs quàm theologo. Fuère autem sine dubio in scholâ multi, qui his vitiis declinatis, rem theologicam graviter sanè ac modestè tractârunt. Nam quos isti pertinaces vocant, omniaque scalpentes theologos, paucos, si verè loqui volunt, significare possunt. Qui etiam mihi, si cui maximè displicent; sed propter paucorum vitia non est omnium corona traducenda; quòd etsi plerique theologi in his vitiis essent, iniqua esset adhùc ista calumnia. Quemadmodùm enim nemo justus et prudens universos adolescentes accusat, quamvis plurimùm sint libidinosi, quoniam libido non est omnium adolescentum, sed non proborum; sic quoniam ista scholastica pertinacia theologorum levium est, non omnium, iniquè profectò, ut modò dicebam, schola traducitur propter ea vitia, quæ non sunt scholæ, sed inertis, vanæ, contentiosæ scholæ. Theologos itaque scholasticos, qui modò hoc cognomine digni sunt, asserere quidem, et vindicare volo, idque faciam, si priùs scholæ proprium institutum, et rationem docendi propositam ostendam, quâ minimè intellectâ, nihil rectè aut pro illis, aut contrà illos dici potest.

CAPUT II.

Multiplex theologiæ scholasticæ munus exponit.

Theologiæ scholasticæ proprium munus, quantùm et à majoribus accepimus, et hujus facultatis alumni quotidianis ferè congressibus experimur, illud primum est, ut quæ in sacris litteris et Apostolorum traditionibus abdita continentur, ea in lucem quasi è tenebris eruantur. Colligit enim theologus ex principiis fidei à Deo revelatis conclusiones suas, atque in principiis ipsis implicitas per argumentationem naturæ consentaneam explicat. Quemadmodùm enim musica facultas ex iis, quæ sunt in arithmeticâ posita, ea ratiocinando connectit, quæ sunt in numeris sonantibus aut consona, aut dissona; ità scholæ theologia ex his quæ fides posuit, ea quæ sunt consequentia, naturæ ratione conficit, de Deo rebusque divinis. Quòd si astrologia, musica, perspiciendi facultas, atque aliæ id genus disciplinæ, tametsi ex alienis facultatibus quasi mendicæ, sed habentur in pretio tamen, tanquàm utiles et necessariæ; ecquisnam iste malus genius est scholasticam disciplinam profligare velle, quæ non ex arithmeticâ, non ex geometriâ, non ex physicâ, sed ex sacris divinisque et litteris et institutis docet, quid consequens sit, quid contrà repugnans? Nec verò audiendi sunt (1) qui scholasticas quæstiones ut curiosas reprehendunt, et scholæ temeritatem insimulant, quòd de rebus longè semotis à captu nostro audeat pronuntiare, et tàm multa definire, quæ citrà salutis dispendium vel ignorari poterant, vel in ambiguo relinqui. Hujus generis exempla ponunt: Quid discernat Patrem à Filio; quid ab utroque Spiritum S.; quid intersit inter Filii nativitatem et Spiritûs processionem; utrùm Spiritûs sancti à Patre et Filio proficiscentis unicum sit principium, an duo. Ità censent id præclari et magni theologi esse, nihil ultrà quàm sacris litteris proditum est definire, hoc est, in theologiæ principiis hærere, mentem à consequentibus et repugnantibus sevocare. Quorum sententia quid sibi velit non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdius, quàm sola disciplinæ principia habere definita, conclusiones verò, quæ certo atque evidenti syllogismo ex illis conficiuntur, aut ignorari velle, aut in ambiguo relinqui? Quod si in geometriâ, physicâ astrologiâve quisquam assereret, verè et jure stultissimus haberetur. Sed de his hactenùs. Non libet enim mihi rem exploratam suadere, quod multi, et hi docti sæpè fecerunt. Itaque pergamus ad reliqua.

Habet rursùm hæc disserendi in scholâ facultas alium propositum scopum, fidei nostræ adversùs hæreticos defendendæ. Est quippè doctoris scholastici, ut Magister Sententiarum in procemio ex Augustino de Trin. cap. 1, tradit, scire quemamodùm fides catholica et piis opituletur, et adversùs impios defendatur. Quòd si scholæ doctor non possit docere fideles doctrinam sanam, et eos, qui sanam non habent, redarguere, apud vulgus theologus esse aliquandò poterit, reverà nunquàm erit. Atque ob eam causam scholasticorum dis-

(1) Erasmus in Procemio super Hilarium.

putationibus adeò sunt hæretici infensi, quòd intelligunt, catholicam fidem, quam expugnare moliuntur, horum studio doctrinâque muniri. Agnoscunt sanè lupi canes, eosque odio prosequuntur; et scholæ nomen istis invisum est, quæ lupos arcet à gregibus, et eorum insidias porrò cavet. Atque in hoc genere nihil est quidem admirandum. Illorum autem hominum genus mirari non desino, qui cùm catholici et habeantur et sint, hos plausus tamen excitare solent, qui nesciunt juventutem ad linguarum studium adhortari, nisi priùs theologos scholasticos maledicis figant, totisque concidant voluminibus. At suavissimè maledicunt. Venenum animi linguæ mella tegunt, eòque perniciosiùs paratum, quò suaviùs obbibitur. At sunt morosi et prolixi scholastici theologi, si quærimus, anxiè etiam superstitiosi; sed hæc, ut dixi, morum vitia sunt, non scholæ. At morositas tamen, et ea vitia, quæ theologis objiciuntur, habent aliquid excusationis vel justæ, vel quæ probari posse videatur. Nam de rebus multis et variis non solùm in genere, sed singulatìm etiam disserentes, non potuerunt hæc brevi oratione conficere. Hinc autem myriades articulorum, quas isti reprehendunt, quæ si essent adagiorum, non reprehenderent, sed suspicerent. Accedit, quòd perspicuitas non solet esse conjuncta brevitati. Obscuri namque fiunt, qui breves esse laborant. Ità perspicui theologi esse cupientes, longiores aliquantò fuêre. Adde, quòd res difficiles et obscuræ, quas plurimas theologi edisserunt, paucis explicari non queunt. Rudibus quoque et imperitis schola sese attemperat, atque adeò plura et quærit et definit, quæ doctis hominibus, iis etiam qui ingenio haud multùm valent, supervacanea videntur. Scholastico demùm more in utramque partem theologi disserentes, necesse est, ut quæcumque docent, longiore ea sermone complectantur. Anxia verò superstitio quæ dicitur, religio est, non superstitio. Nempè non licet apud nos susque deque omnia ferri, sed scholæ normâ decretoque universos, qui aut disputare aut scribere de re theologicâ velint, certis oportet limitibus ac præscriptis lineis contineri. Hinc illæ lacrymæ. Illis libertas placet, imò verò licentia dicendi scribendique : nos cùm de rebus theologicis disputamus, licentiam omnem et temeritatem perhorrescimus. Sed totum hoc scholasticum disserendi genus spinosum est; et pes spinis confixus gressum deindè figere non valet. Scilicet tenerrimi istorum pedes sunt; et quos errores non pungunt, pungit disciplina, quam, ut antè dicere cœperam, ob id odio isti prosequuntur, quòd ars est quæ doceat tùm propugnare fidem, tùm hæreses expugnare. Id quoniam postremo libro sumus fusè ac diligenter explicaturi, breviter et sine disceptatione modò ponendum est. Nec enim decet omnia eodem loco demonstrare.

Spectat denique ad scholasticorum functionem, Christi Ecclesiæque doctrinam, quantùm fieri potest, ex disciplinis humanis aut illustrare, aut etiam confirmare. Nam quod Augustinus docuit, vasa argentea et aurea, cæteramque Ægyptiorum supellectilem, etiamsi commodatam acceperimus, jure quasi nostra facere possumus inque fidelium usus vindicare : et alienigenam mulierem, ut Hieronymus admonet, rasis crinibus, rejectisque superfluis, ad Dei populum introducere. Id quod si, quo decet, temperamento gravitateque fiat, nemo, ut opinor, tàm stultus futurus est, qui reprobet, nisi horum nihil unquàm reputaverit. Discunt theologi à David, extorquere de manibus hostium gladium, et Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare. Discunt à Paulo vel inscriptionem fortuitam arte torquere in argumentum fidei, et quæ in alium usum scripta sunt ea ad emolumentum ecclesiasticæ doctrinæ convertere. Discunt cum Daniele ac Moyse Chaldæorum Ægyptiorumque sapientiam, si non ut sequantur, at ut indicent atque convincant. Nec æquum est, ut, si adversùm philosophos disputant, ignorent dogmata philosophorum; nam et si quispiam adversùs mathematicos velit scribere imperitus matheseos, risui patet, d. 37, capite *Qui de mensâ.* Possem persequi multa hujus rei argumenta; sed ea ipsa, quæ dixi, sentio fuisse longiora. Ignoscet autem lector. Nam et studio rerum nostrarum provectus sum, et schola est paulò loquacior, ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. De his igitur hactenùs. Egi enim secùs atque initio dixeram, et in loco presso atque angusto spatia dicendi videor quæsîsse : sed difficile erat rem et ab alienis conscissam, et à quibusdam è nostris malè tractatam ne levi quidem ratione sarcire.

Tres itaque fines veræ theologiæ constituendi sunt. Nec enim tantùm de scholasticâ, sed de omni omninò theologiâ disputo. Lutheranorum autem hæresis, si sibi consentanea esse velit, de scholæ instituto nihil queat dicere, in quâ nunquàm se exercuisse vel ipsa fatetur. Nemo autem audiendus est, qui de eâ re, quam nec usu, nec ratione habet cognitam, disputabit. Quòd si tria illa veræ theologiæ sunt communia, ea verò schola omnia præstat; certè in his perniciosus est error, qui scholam negligendam esse existimant. Hæc est enim vera theologia in quâ omnia insunt, quæ sunt in theologo requirenda, scientia Dei, cœlestium rerum cognitio, humanarum prudentia et usus; ut cùm hæc adsint, perfecta doctoris christiani disciplina sit, et sine his esse non possit. Quod cùm optimum maximumque sit, si id volumus adipisci, theologiæ scholasticæ opera danda est, sine quâ nullam omninò perfectam in Ecclesiâ doctrinam consequi possumus. Eâ verò neglectâ, qui se theologos esse arbitrantur, tùm se deniquè errâsse sentient, cùm eos aut disputatio cum hæreticis, aut gravis aliquis et perplexus conscienciæ casus experiri coget. Nec verò quisquam Scripturæ sanctæ studiosus vereri debet, ne ex scholæ studio sacrarum litterarum studium retardetur. Nam et ad hunc fructum ferendum non modò non retardat, verùm etiam invitat atque allectat schola; nosque ipsi quidquid ad sacras litteras attulimus, si modò aliquid attulimus, à doctoribus atque doctrinâ scholasticâ instructi ad eas et ornati accessimus. Sed jam tempus est ut doceamus, quod est nobis hoc loco præcipuum institutum, an scholasticorum auctoritas firma argumenta theologo præstet, an infirma.

CAPUT III.

Præcipua Lutheranorum in scholæ auctoritatem argumenta complectitur.

1. Infirma autem ea omnia argumenta esse, quæ ab

scholæ auctoritate derivantur, illa primùm ratio suadet, quòd nec è sacris litteris, nec ex Apostolorum institutis, neque ex Ecclesiæ definitione scholæ auctoritas comprobatur : cùmque scholasticis auctoribus Spiritum veritatis nusquàm Dominus fuerit pollicitus, errare ut homines possunt, atque adeò nullum argumentum ex eorum auctoritate firmum erit.

2. Item nullum est in scholâ certum dogma, sed partium factionibus plena sunt omnia. Nihil igitur certi ex scholæ auctoritate confici potest.

3. Prætereà theologi scholæ omnes asseruêre, matrimonium etiam sine Ecclesiæ ministro contractum, esse verè ac propriè novæ legis sacramentum. At hæc omnium communis sententia non solùm non facit certam fidem, sed ne probabilis quidem videtur esse. In nullâ igitur re aliâ scholæ testimonium certum erit.

CAPUT IV.

Scholæ auctoritatem certis finibus circumscriptam tuetur atque defendit.

At nos et quid sentiamus, et cur etiam sentiamus, paucissimis quàm fieri poterit exponemus : pugnabimusque pro scholæ auctoritate, non affectu, sed ratione. Quanquàm non sumus ignari, multos studiosè contrà esse dicturos; quod vitare nullo modo potuimus, nisi nihil omninò scriberemus.

Quod fuerit academiæ theologicæ initium, quos progressus, quos institutores habuerit, quosve auctores, tametsi ad scholæ commendationem attinet, non est tamen hujus loci dicere : ubi hoc solùm conamur explicare, quantùm habeat virium ad faciendam fidem argumentum ex scholæ auctoritate depromptum. Eâ igitur re explicandâ, sit prima conclusio.

1. Theologorum scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contrà pugnant viri docti, non plùs valet ad faciendam fidem, quàm vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobârit. — Videlicet in scholasticâ disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet; sed si paucos viros modò graves secum habeat, poterit sanè adversùm plurimos stare. Non enim numero hæc judicantur, sed pondere. Hanc verò conclusionem probare argumentis non debeo. Nam si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari non soleo : *Perspicuitas* enim, ut ait Cicero, *argumentatione elevatur*. Certè ubi variæ sunt doctissimorum hominum discrepantesque sententiæ, academicorum temperamentum imitari, et à rebus incertis certam assensionem cohibere debemus. *Quid* enim *tàm temerarium, tàmque indignum sapientis gravitate atque constantiâ*, ut idem Cicero elegantissimè tradit, *quàm, quod non satis exploratè perceptum sit et cognitum, id sine ullâ dubitatione defendere?* Quo loco sanè arguendi sunt scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in scholâ acceperunt, præjudiciis, viros aliàs catholicos notis gravioribus inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur. Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiam dat, ut quodcumque maximè probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere; sed non licet tamen eos, qui nobis sunt adversi, temerè ac leviter condemnare. Alia sunt scholæ placita, de quibus mox dicturi sumus, alia sunt præcepta sectæ, de quibus modò loquimur. Quæ ab illis dissident, ea notam habent, quæ ab his, non habent. Nec enim si quid aut Scoticis aut Thomisticis pronuntiatis contrarium est, error illicò est. Sed hæc hactenùs.

2. Ex auctorum omnium scholasticorum communi sententiâ, in re quidem gravi, usquè adeò probabilia sumuntur argumenta, ut illis refragari temerarium sit. — Nam in quàcumque arte peritis credendum esse, ratio monstrat. Nec enim sanus haberetur, qui nautis in navigandi ratione non crederet. Qui igitur in arte hâc de theologiæ dogmatibus disserendi experientibus et exercitis nullam fidem habet, aut parùm sanus, aut certè temerarius est. Deindè in Clement. Unic. de summâ Trinit., Patres concilii Viennens. : « Opinionem illam, inquiunt, quæ dicit tàm parvulis « quàm adultis conferri in baptismo informantem gra- « tiam et virtutes, tanquàm probabiliorem, et docto- « rum modernorum theologiæ magis consonam et « concordem, fore à catholicis eligendam. » Si ergò in re quæ olim inter ipsos etiam scholasticos theologos controversa fuerat, opinio concors juniorum tanti apud Patres in concilio fuit; quantò magis nos res omni tempore ab scholâ præscriptas tenere ac revereri debemus! Et si opinatio ipsa theologorum recentiorum communis fidem facit concilio, illudque inclinat, ut definiat hujusmodi opinationem esse tenendam; quid si non ex opinione, sed ex certo et minimè circumductili animo quidquam theologi omnes præfinierint? An non existimas, concilium Viennense pro ejusdem dogmatibus firmiter in scholâ receptis graviore censurâ judicaturum? Scholæ igitur communem consensum non nisi impudenter et temerè rejiciemus. Prætereà, cùm inter ipsos theologos scholasticos magnâ ferè ubique dissensione certetur, ità ut in hâc parte jure forsitan reprehendantur, certè non idem omnes assererent, nisi eodem divino spiritu permoverentur (1). Nec minùs mirandum est, varias scholæ factiones doctoresque tàm inter se discrepantes in unam eamdemque sententiam concurrisse, quàm septuaginta Interpret. diversis, ut ferunt (2), cellulis inclusos, in unam eamdemque convenisse interpretationem. Non igitur poterit esse verum illud, quod scholasticorum theologorum choro idem concinenti fuerit contrarium.

3. Concordem omnium theologorum scholæ de fide aut moribus sententiam contradicere, si hæresis non est, at hæresi proximum est. — Scholæ porrò placita, si ità vocare libet, in duplici sunt differentiâ. Altera

(1) Non ità facilè recurrendum ad supernaturales Spiritûs divini motus. Scholastici doctores existunt in Ecclesiâ Christi veluti catenæ traditionalis à Patribus incœptæ continuatio. Ubi igitur sunt concordes, traditionis catholicæ et doctrinæ communis, in quibus veritate ad consensum perducuntur, testes sunt habendi. P. S.

(2) Irenæus, Eusebius, Epiphan., Augustin., Clemens Alexand., Justinus Martyr.

ad philosophiæ magis rationem expediunt, quàm fidei; altera ad fidem pertinent, moresque christiano populo necessarios. Quæ ab illis dissonant, ea scholastico theologo non sunt hæretica : quæ verò huic posteriorum rerum generi sunt adversa, ea nos hic tanquàm venena refugimus. Nam iis hæreseos crimen, ut quod sit ipsum per se atrocissimum, impingere apertè et simpliciter non audemus; in quo equidem sæpè theologorum requiro prudentiam. Absurdum est enim, ut crimen gravissimum nisi rebus quoque gravissimis impingatur. Sed ad rem. Illa conclusio, ut est à me posita, primùm ostendit, quòd nullum dogma reperietur, quod eâdem mente oreque scholastici omnes certò ac firmiter asseruerint, quin idem in universum Ecclesia teneat, eorum auctoritate mota. Nam si aliquod invenire hæretici possunt, proferant, et tacebimus. Quòd si nullum proferri potest, sine dubio, velint, nolint, id, quod scholæ totius auctoritate firmatur, verum est, si ad fidem, ut dixi, moresque pertineat. Adde quòd nullum tàm proprium scholæ decretum est, quod vel ex sacris litteris, vel ex Apostolorum traditione, vel ex conciliorum aut pontificum definitionibus non habeat certam originem. Ità, qui scholæ decreta refutârunt, hi semper inventi sunt et fontem, undè illa manant, repudiâsse. Atque, ut uno verbo dicam, nemo qui in catholicis habeatur, omnes sine discrimine theologos explosit. Quod abundè satis magnum argumentum est, sine fidei discrimine hujusmodi scholæ placita negari non posse.

Præterea, si quâ in quæstione universi theologi eadem inter se concinunt, profectò si in eo errant, Ecclesiam item errandi periculo exponunt. Sive enim qui confessiones audiunt, sive qui ad populum habent conciones, utrique plebem instituunt, ut à theologis acceperunt. Ità fit, ut Ecclesia eorum in fide communem errorem dissimulando, Christi fideles suo silentio deciperet. *Error* enim, *cui non resistitur, approbatur; et veritas, cùm non defenditur, opprimitur*, ut Innocentius ait, dist. 83, c. *Error;* atque Deus ipse, si theologorum omnium errorem non aperiret, in necessariis christiano populo deesset. Quid enim facturus est populus imperitus, nisi eos sequi, quos pro illo tempore ecclesiasticæ doctrinæ magistros accepit? An post hæc omnia scholæ theologia contemnenda est? Crederem, nisi ejus auctoritate Ecclesia res plurimas definîsset. Quippè trecentos abhinc annos, si quas Ecclesia hæreses condemnavit, si quæ de fide et moribus decreta tulit, in utrisque scholasticorum subsidio et diligentiâ vehementer adjuta est. Id quoniam constat inter omnes, quibus vel conciliorum gesta, vel negotia cognitionis fidei sunt cognita, fateamur necesse est, doctores scholasticos simul omnes in fide et moribus errare non posse(1).

(1) Non dubitandum quin sit de fide quod omnes doctores scholastici de fide esse unanimiter affirmant; cùm id fieri nequeat extrà Ecclesiæ seu ejus pastorum consensum, ad quos pertinet de fide judicium. Igitur non ex auctoritate consensùs scholasticorum res ad doctrinam catholicam pertinere constat; sed eo consensu invincibiliter probatur id ità tenere Ecclesiam docentem. P. S.

Præterea, cùm Dominus dixit : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*, non modò ad primos theologos, hoc est, Apostolos verba illa referebat; sed ad doctores etiam in Ecclesiâ futuros, quamdiù pascendæ essent oves in scientiâ et doctrinâ(1). Quemadmodùm igitur qui theologos Christo succedentes contemnebat, Christum is etiam Dominum contemnebat; ità qui theologos juniores antiquis succedentes despicit, hic Christum quoque ipsum despiciat necesse est. Undè Chrysost., sive quis alius fuerit, in commentariis super Matthæum Imperfectis, hom. 42 : « Cùm audieris, inquit, aliquem beatificantem antiquos doctores, proba qualis est circà suos doctores. Si enim illos, cum quibus vivit, sustinet et honorat, sine dubio illos, si cum illis vixisset, honorâsset. Si autem suos contemnit, si cum illis vixisset, illos contempsisset. » Hactenùs ille in ea verba Christi : *Væ vobis qui ædificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta justorum, et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quòd fidei estis eorum, qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum.* Nimirùm pharisæorum instar hæretici ratiocinantur. Si essent scholastici doctores, quales erant Hilarius, Hieronymus, Basilius, sequeremur eos; si in diebus Augustini, Ambrosii, Hieronymi fuissemus, non essemus socii Manichæi, Novati, Vigilantii, Pelagii, Joviniani. Itaque testimonio sunt, quòd filii sunt eorum, qui sanctos antiquos contempserunt, cùm juniores scholæ theologos pro nihilo putant. Postremò, ut ad Ephes. 4, Apostolus docet : *Alios dedit* (Christus in Ecclesiâ) *Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei in virum perfectum; ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ.* Quamdiù igitur Christi corpus, hoc est, Ecclesia fuerit, ad divinam procurationem pertinebit, ut ii, qui in Ecclesiâ sacræ doctrinæ doctores habentur, tanquàm à Deo dati veritatem in fide teneant, ne populus parvulorum more circumferatur. Nec verò si hoc Apostoli testimonium æquè pro antiquis et junioribus facere dicimus, juniores theologos priscis illis mox æquamus (scimus enim quantùm antiquitati deferendum est, quantùm etiam sanctitati), sed firmum esse hunc etiam locum, tùm ex multis aliis, tùm ex hoc Apostoli testimonio, pro nostrâ quidem virili contendimus. Rectène an secùs, aliorum esto judicium. Nos enim in argumento novo, ubi nullum, quem imitaremur, habebamus, quæ nobis probabilissima visa sunt, ea lectoribus exposuimus. Si quis verò sic nostra rejiciat, ut adducat meliora, volentes ac libentes amplectemur. Nihil autem necesse est de meipso dicere mihi. Quanquàm non est verendum, ne vera et aperta de me prædicans, nimis videar aut insolens, aut loquax. Sed utcumque hunc scholæ

(1) Hæc non pertinent ad scholasticos ut magistros, sed præcisè ad pastores quorum auctoritate scholastici docent in scholis. P. S.

locum ego tractavi, gratissimum, ut puto, theologis feci; quoniam cùm explicatissimè de eâ re disseruerim, discent hodiè à me, quibus facillimè rationibus scholasticæ theologiæ asserere et gravitatem possint, et auctoritatem. Atque hæc hactenùs. Nunc objectiones à principio contrà positas repellamus.

CAPUT V.

Respondet argumentis capitis tertii; docetque quid de variis theologorum placitis statuendum.

Ac primo quidem argumento refellendo non est opus quidquam præter ea, quæ sunt dicta, adjicere. Ostendimus enim, ut opinor, scholasticæ theologiæ asserendæ non deesse Ecclesiæ Scripturæque sanctæ testimonium. Quæ testimonia nos habuimus, ea jam protulimus : ab aliis fortè post et plura et graviora proferentur.

Secundum etiam argumentum nihil minùs confutatum est. Diximus enim, id quod etsi sæpè dictum est, dicendum est tamen sæpiùs, factiones in scholâ, quasi juratas, studium contradicendi, et si quæ sunt similia mala, non scholæ, sed hominum vitio contigisse. Alioqui decreta multa sunt inter scholasticos certa et firma eòque magis, quò nulla unquàm factio ea in quæstionem revocavit.

At tertium argumentum difficillimum est, egetque disquisitione non parvâ.

Quarè, si longiorem orationem hujus argumenti difficultas exigit, non debet lectori molestum esse : nam orationis longitudo magnitudine utilitatis pensabitur. Principio autem theologos omnes admonitos esse velim, ut sepositis non affectibus modò, sed opinionum etiam præjudiciis, de causis fidei prudenter graviterque decernant. Non enim si quidquam in scholâ bonis etiam temporibus inveteravit, mox fidei dogma existimandum est. Sunt autem nonnulli, qui per eas persuasiones, quibus à principio sunt imbuti, de rebus gravissimis sententiam ferunt, temeritate quâdam, sine judicio, repentino quasi vento incitati, quæ longè alia esset, si judicio consideratè constanterque lata fuisset. Hi autem in eo primùm errant quòd scholæ opiniones à certis constantibusque decretis non separant. Deindè errant in eo, quòd duo rerum genera confundunt, unum earum, quæ ad religionem attinent, earum alterum, quæ hanc ne attingunt quidem. Ac si sanctorum veterum consensio, ut libro superiore, cap. 2 et 3, definitum est, non in omnibus legis quæstionibus sequenda nobis et tenenda est, sed solùm in fidei regulâ; nec quævis illorum etiam in re gravi communis opinio fideles astringit, sed firmum constansque judicium; ecquid de recentioribus scholæ theologis dicere oportet, quos veteres illi longè et vitæ merito, et Scripturæ usu, et auctoritatis pondere superârunt? Verùm his de rebus non necesse habeo dicere ea quæ me viri multi pii cupiunt commemorare, tametsi causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat, præteribo. Quoniam verò utriusque erroris exempla, cùm aliàs sæpè posui, tùm in duodecimo libro varia etiam adjuncturus sum, uno nunc exemplo contentus ero, quod satis erit tamen, ut ii, qui in censuris theologicis præcipites esse solent, suæ temeritatis admoneantur.

Magister ergò Sententiarum dixit baptismi sacramentum fuisse antè Christi mortem, et à Christo ipso institutum, et ab Apostolis ministratum. Huic D. Thomas cæterique scholæ theologi assensi sunt. Nimirùm divum Augustinum Magister secutus est, cujus opiniones schola libenter amplectitur. At enim si quispiam fortè contrà fuerit opinatus, baptismum novæ legis verum et proprium, idemque primum sacramentum non priùs à Christo editum, quàm in cruce passus sit, non statìm vexare eum gravi theologiæ censurâ debemus; sed primùm illud expendere nùm theologi hoc loco, quasi re certâ et confectâ, quidquam planè suo judicio definiant, an potiùs re nondùm satis ad liquidum exploratâ, probabiliter opinentur; deindè id etiam vestigare : pertineatne ad catholicam fidem, Christum sacramentum hoc antè passionem suam edidisse, an non. Ac magister Sententiarum quidem nihil certò statuit, sed probabiliorem opinionem elegit : *Commodiùs*, inquit, *dicitur*, etc. Augustinus quoque : « Baptizabat « Christus, inquit in Epist. ad Seleutian., non per se « ipsum, sed per discipulos suos. Quos intelligimus « jam fuisse baptizatos, sive baptismo Joannis, sicut « nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, « baptismo Christi. » En Augustinus non certò pronuntiat, Apostolos priùs esse baptismo Christi baptizatos, quàm illud baptisma administrarent, cujus Joannis tertio et quarto capite mentio fit. Quin ubique docet nos ignorare, quandò Apostoli fuerint baptizati. Nullo autem pacto fit verisimile, si Apostoli veri sacramenti baptismatis jam indè administri erant, eos non priùs idem sacramentum accepisse. Quò fit ut utrumque juxtà in opinione, non firmo constantique decreto situm sit.

Præntereà et in formâ baptismatis illius scholastici dissident. Nam Magister et Adrianus existimant, Apostolos tùm etiam in nomine Trinitatis baptizâsse, id quod ego mihi persuadere non possum. Alii verò tradunt, eos baptizâsse in nomine Jesu Christi, id quod verisimilius est. Sed hæc in baptismi formâ tanta dissensio à certitudine dogmatis aliena est. Non itaque certum quippiam theologi de hâc re statuere voluerunt. Nec divi Thomæ verba, si quis attentè legat, aliud præ se ferunt : « Videtur, inquit, quòd baptismus antè « Christi passionem fuit institutus, » etc., quo scilicet verbo divus Thomas uti ferè solet, cùm res non est plana et definita. Itaque existimo, divum Thomam, cùm dixerit, *videri*, hoc ipsum sensisse, quod disserit, videri modò non etiam oportere. Quid autem definivisset vir alioqui prudens et gravis in eâ re, quam rem ad fidem nihil attinere intelligeret? Non enim antè litteris sacris, aut ex Apostolorum institutis colligi certò potest, baptisma, quod Apostolis statìm à conversione suâ in usu erat, peccata remittere, gratiam conferre. Nam quod Augustinus refert. Joan. 12, 10 : *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*; id non oportet de baptismi munditie intelligi, sed de eâ, de quâ posteà, Joan. 15, 3 : *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Quod verò à quibusdam refertur : *Ego nesciebam eum,*

sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat Spiritu sancto; id nihil etiam cogere ultrò quoque ipsi fatentur, qui eo testimonio abutuntur. At constat Apostolos baptizâsse, Joannis 1 et 4 cap., et non baptismo Joannis, ut notum est; ergò baptismo Christi. Sic enim Magister argumentatur. Sed hoc argumentum infirmius et incertius est, quàm ut quid firmum certumque conficiatur. Baptismus enim Joannis dupliciter vocari potest, ut Joannis instituto et auctoritate exhibitus, aut baptismus aquæ, quale baptisma Joannis erat, qui videlicet nihil aliud esset, quàm meditatio quædam et præparatio ad novæ legis sacramentum. Baptismus item Christi aut sic vocari potest, quia Christo jubente et auctore ministratus est, aut quia institutus à Christo ad abluenda peccata. Dicetur ergò, nec absurdè id quidem, illud Apostolorum baptisma, cujus Joan. 3 et 4 capite mentio fit, non fuisse Joannis Baptistæ in priore sensu, sed in posteriore tantùm, fuisse autem baptismum Christi, quoniam illius præcepto et auctoritate Apostoli baptizabant. Undè si quis colligat, jam tùm illum fuisse verum novæ legis sacramentum, pari ratione argumentabitur, unctionem, quâ Apostoli antè passionem usi sunt, jam indè à principio fuisse verum et proprium extremæ unctionis sacramentum. Quod tametsi nonnulli theologi asseruerint, non tamen expeditum est. Apud veros sanè gravesque theologos, Unctionem extremam sacramentum esse, fidei dogma est; an antè Christi passionem, an post fuerit institutum, nihil ad rem existimant pertinere. Quod idem et de sacramentis Confirmationis et Pœnitentiæ sentiunt. Nec video, cur de baptismo nos aliter sentiamus, putemusve fidei quæstionem esse, nùm antè passionem Christi hoc sacramentum fuerit institutum. Institutum enim esse, dictu quidem est proclive. Itaque ferè theologi loquuntur, sed quis est tandem, qui hoc esse verum idoneis argumentis ostenderit? Quid quòd Theophylactus in cap. Joan. tertium, et Chrysostomus homiliâ in Joann. 28, disertè negant, illud baptisma, de quo agimus, sacramentum esse, quòd peccata remitteret, gratiamque conferret? Quid quòd Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, cùm duplex baptisma distinxisset, perfectum et imperfectum, non obscurè docet, nisi in cruce et resurrectione nullum baptisma perfectum esse? quamobrem Joannis baptisma fuisse imperfectum? Quid quòd Leo in epistolâ ad episcopos Siciliæ inscriptâ, eorum omninò videtur sententiæ subscribere, qui contenderent Baptismi sacramentum, non quandò Christus à Joanne baptizatus est, sed post resurrectionem editum et constitutum? Quæ non eò dixi, candide lector, quò scholæ communes opiniones improbarem. Nos enim eâ theologiâ plùs utimur, in quâ dicuntur ea quæ non multùm discrepant ab opinione communi. Quid ergò est? Primùm opinionem à dogmate secerni et internosci volumus : deindè theologos admoneri, ne affectu animi, qui plerumque brevis est et ad tempus, sed maturo judicio de rebus hisce pronuntient, in quibus præsertìm non ità facilè expediri potest, ad fidem pertineant, necne. Nam si in exemplo quod modò posuimus, eas rationes Scripturæque testimonia liberet adjungere, quibus à contrariâ parte adversùs communem scholæ opinationem pugnari potest, quæstio fortè in utramque partem adeò ambigua redderetur, ut difficile esset judicare, utra cum fide magis et religione consentiat. Sed, ut dixi, non disputo nunc, scholæ communis opinio verane, an falsa sit; quanquàm ab instituto nostro non adeò fortassis alienum; sed id ago, scholasticas opiniones oportere à decretis sejungere, fideique quæstiones ab his, quæ modò hùc, modò illùc transferuntur, et sine pietatis jacturâ possunt in utramque partem disputari. Decreta arctè tenere debemus, accuratèque defendere; opiniones non item, sed si non cum academicæ, at cum christianæ modestiæ temperamento. Pro fide etiam cum vitæ discrimine pugna sit; pro his, quæ fidei non sunt, sit pugna, si ità placet, sed incruenta sit tamen. Hæc præscripta servanti licet magnificè, graviter animosèque disserere, licet judicare constanter, verè, doctisque et indoctis utiliter. Quorsùm hæc, inquies, non solùm longè, sed longis etiam ambagibus repetita? Nempè ut explicaremus, id quod cap. superiori in conclusionibus breviter significatum est, nos non in scholæ opiniones, sed in certa constantiaque de fide moribusque judicia jurâsse. Hæc hujus loci est defendere, illas alterius et loci et temporis. His igitur expositis, facilè, ut opinor, tertium illud argumentum refelli potest. Nego enim scholæ certo constantique decreto finitum, matrimonium sine Ecclesiæ ministro contractum, esse verè et propriè sacramentum. Nego eam rem ad fidem et religionem attinere. Nego omnes scholæ theologos id asseruisse. Hæc tria cùm docuero, argumentum positum omni ex parte refutatum erit.

Ostendam ergò primum, opinionem communem illam esse, non scholæ dogma firmumque judicium. Quî hoc intelligi potest? Quia de hâc re theologi videlicet ità disserunt, ut nihil finisse velle videantur. Lege Magistrum, div. Thom., Scotum, Bonav., Ricar., Palud., Durand. cæterosque scholæ theologos, et nisi statìm eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis, tùm verò me aut stultum, aut temerarium judicato. Nam et cùm quærunt, an matrimonium conferat gratiam, id quod eo loco maximè finiendum erat, non definiunt tamen, sed in his referunt, quæ in hominum opinione sunt posita. In materiâ item et formâ hujus sacramenti statuendâ adeò sunt inconstantes et varii, adeò incerti et ambigui, ut ineptus futurus sit, qui in tantâ illorum varietate ac discrepantiâ rem aliquam certam, constantem, exploratam conetur efficere. Quòd si in formâ et materiâ sacramenti, quæ res in sacramentorum tractatione vel gravissima est, ambiguè theologi inconstanterque loquuntur, nec definiunt omninò quidquam; cur in eâ quæstione, quæ et levior est, et minùs ad sacramenti hujus constitutionem necessaria, aliquid eos certi præscripsisse fateamur? Concilium certè Florentinum de materiâ, formâ, ministro sacramenti Matrimonii præstitit nihil, id quod sine dubio faceret, cùm hoc in cæteris omnibus

Ecclesiæ sacramentis fecisset, si de iis rebus videret quippiam esse à theologis in scholà definitum. Prætereà nùm matrimonium sine ecclesiastico administro novæ legis sacramentum esset, nec propriè et expressè in quæstionem theologi vocârunt, nec vià et ratione, ut solent, vestigârunt, nec argumentis ullis concluserunt. Qui igitur vult, eos, sine disquisitione attentâ, sine diligenti tractatu, sine idoneis argumentationibus certò de rebus theologicis pronuntiasse, hic videat, ne eâdem operâ illis et injurius sit, et in rebus quoque gravissimis deroget fidem. Adde, quòd in conciliorum scriptis, ac summorum pontificum epistolis decretalibus, id observandum est, ut non quævis simplex aut affirmatio aut negatio certum sit exploratumque judicium; sed sunt notæ quædam peculiares, quibus certas conciliorum pontificumque definitiones internoscimus, quemadmodùm libro 5, cap. 5, latiùs explicatum est. His ergò notis, ac multò etiam magis ad scholæ quoque decreta secernenda, uti debemus. Alioqui, si quæcumque scholasticorum simplex assertio dogma fidei certum est, major est profectò horum quàm pontificum et conciliorum auctoritas. Quòd si probari nemini potest, illud certè probari omnibus necesse est, theologos hoc loco et quæstione nihil omninò definiisse. Etenim nec sententiam adversam hæreticam erroneamve dixerunt, nec quod dixerunt, id firmiter catholicis amplectendum; breviter, nullam notam interposuêre earum, quæ certa constantiaque judicia judicare solent.

Quæ cùm ità sint, id quod primum conficiendum erat, confectum est, theologos eâ de re, quam modò versamus, nihil certò et constanter decrevisse, sed incertâ inconstantique opinione probabilem unius sensum cæteros esse insecutos. Ità casu quodam communis fortè consensio facta est, cùm contrà usum quoque venire potuerit, ut si primus asseruisset, non omne fidelium conjugium sacramentum esse, sed quod religiosè sacratèque fuisset constitutum; secundus, tertius, ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id esset, eamdem sententiam sequerentur. Sequitur ut ostendam, quidquid theologos opinari contigerit, nihil tamen ad fidem spectare, an ejusmodi matrimonium Ecclesiæ sacramentum sit, an non sit. Quod, ut mihi videor, uno hoc argumento facilè et fidenter expedio. Tres sunt res, quibus efficitur aliquid ad fidem pertinere. Aut enim in sacris libris habetur scriptum, aut apostolicis institutis est traditum, aut ex utrislibet planè certâ complexione et consecutione colligitur. Nulla autem harum rerum efficere potest, matrimonium sine ministro profanè contractum, esse novæ legis sacramentum. Ubi ergo, si Thomistæ omnes cum Scotistis existant, si cum antiquis juniores velint contrà me pugnare, tamen superior sim necesse est. Non enim, quemadmodùm nonnulli putant, omnia sunt in theologorum auctoritate. Est quædam tamen ità perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit. Experiantur hìc quantùm possunt vires suas, si qui fortè contrà voluerint dicere, et cùm in hâc eos causâ sacræ litteræ, Apostolorum traditiones, scholæ syllogismi destituerint, tùm verò, nisi rudes et tardi sunt, mecum omninò intelligant, eam quæstionem minimè ad fidem pertinere.

At argumentabitur quispiam, fidelium matrimonium esse novæ legis sacramentum, non autem esse majorem rationem de uno, quàm de alio : omne igitur fidelium matrimonium esse sacramentum. Appelletur verò hic theologus, aut hoc etiam nomine dignus putetur? Dùm quidem ità argumentabitur, non modò theologus, sed philosophus aut etiam dialecticus omninò habendus non erit. Anne ad hunc modum graves theologi ratiocinantur? Anne hisce argumentis adducti de rebus fidei pronuntiant? Equidem Baptisma sacramentum esse scio, sed si formam sacram ministrumve non habeat, baptismus erit, sacramentum non erit. Unctionis quoque sacramentum agnosco; sed sine sacrâ formâ, sine Ecclesiæ ministro, unctio quidem esse poterit, sacramentum verò esse non poterit.

Pœnitentiæ demùm sacramentum amplector; at sine formâ sacrâ et ministro pœnitentiam reperio, sacramentum reperire nec debeo, nec verò possum. Sic igitur, tametsi Matrimonium sacramentum est, non ideò tamen conjugium quodcumque venerari cogimur, sed id, quod formam sacram habeat, et à vero Ecclesiæ ministro consecratum sit. Alioqui, si quodlibet fidelium conjugium theologis necessariò sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui conjugia, quæ solis nutibus contrahuntur, negat esse sacramenta? Ac nisi me fallit animus, rectè negat. Etenim non Magister et divus Thomas modò, verùm etiam concilium Florentinum docet, omnia sacramenta verbis constare, quæ si desint, nullum omninò confici sacramentum. Quòd si semel admittimus formam sacramenti esse posse aliquandò nutus verborum loco substitutos, nullo pacto effugere poterimus, quin et mutus sacerdos à peccatis absolvere, et mutus episcopus sacris initiare possit. Atque matrimonium non aliis quandoque nutibus contrahitur, quàm carnali copulâ. Dùm enim post sponsalia sponsus et sponsa affectu maritali coeunt, fatentur omnes et jurisperiti et theologi verum matrimonium confici. At carnis commixtionem novæ legis propriè sacramentum dicere absurdum est; Spiritus quippè sanctus, et sacramenti gratia per coitum non datur, 32 quæst. 2 capit. *Connubia;* non igitur Ecclesia docet, quodlibet fidelium matrimonium sacramentum esse. Nisi quis adeò desipit, ut Cajetanum damnet, qui et probabilissimè, et me quidem judice verissimè, matrimonium, quod inter absentes per litteras procuratoresque contrahitur, sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Cajetanum errâsse clamant, hi non intelligunt, nec quæ loquuntur, nec de quibus affirmant. Quòd si nullo idoneo et necessario argumento, sed stultis turbulentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeò damnare quæ probabiliter et verè dicta sunt, tùm nos in quiete et silentio taciti illorum stultitiam amentiamque ridebimus. Concedant illi, unum pro altero sacramento sumere, cùm pro altero contrahit; concedant, sacramenta Christi absentibus administrari, eisdemque et gratiam conferre,

et peccata remittere. Nos enim, quoniam hæc absurda sunt, concedere potiùs volumus, ejusmodi contractus, qui inter absentes, transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramenta nullo modo. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solùm non esse dogma fidei, omne fidelium matrimonium sacramentum esse, sed etiam contrariam omninò sententiam probabiliorem esse. Quòd si licuit Scoto ac Cajetano, ut verè licuit, matrimonia, quæ vel non verborum, sed rerum notis, vel per procuratores conficerentur, ab Ecclesiæ sacramentis eximere, ecqua religio nos astringit, ut matrimonium, quod civiliter et profanè Judæorum, Sarracenorum, ethnicorum more, sine sacris cæremoniis, sineque Ecclesiæ ministro contrahitur, sacramentum esse propriè fateamur? Præsertìm cùm contraria sententia non modò probabilior, sed et ad catholicam fidem tuendam facilior, et ad lutheranorum tela depellenda solidior sit.

Age verò, quandò me in hunc locum deduxit oratio, quibus ego argumentis persuasus sum, eisdem lectori persuadere conemur, matrimonium ejusmodi sacramentum propriè non esse, quod scilicet et signum sanctificationis sit, et ejusdem sanctificationis in sumentibus dignè causa sit. Quem laborem spero me non frustrà suscepturum, cùm videam mecum et rationes, et testimonia, et sacramentorum demùm naturam totam mirificè consentire. Illud verò mihi persuasi primùm, quoniam sacramenta propriè dicta sacræ sunt religionis cæremoniæ. Sacrorum enim usus ad religionem, quâ Deum colimus, pertinet. Quocircà sacramentum opus est religionis. In sacramentis quoque profitemur, nos salutem à Deo salutare quærere; hæc verò professio, quæ fidei interioris externa testatio est, ad eam virtutem attinet, quâ Deo cultum exhibemus. Atque peccata, quæ in sacramentorum abusu sunt, virtuti religionis adversantur. Et Augustinus, lib. 10 de Civit. Dei, cap. 5, non quodlibet signum rei sacræ definit esse sacramentum, sed quod sit sacrum signum. Quibus rebus efficitur, ut sacramenta divini cultûs ac religionis sacra quædam opera sint. Cùm igitur matrimonium solis verbis viri et feminæ civiliter profanèque contractum, licet rei sacræ signaculum sit, non sit tamen opus religionis sacrum, certè non est propriè sacramentum. Alioqui, si rebus satis est significationem affingere ut sacramenta dicantur, serpens æneus atque manna propriè sint sacramenta, atque adeò in universum omnia, quæ gratiâ significandi res sacras instituta sunt. Id quoniam absurdum est, consentiamus verum illud esse quod posuimus, connubia sine sacro ministro, sineque aliquâ religionis sacrâ cæremoniâ inita, non esse christianæ religionis sacramenta.

Deindè, concilium Florentinum, enumeratis septem novæ legis sacramentis: « Hæc omnia sacramenta, « inquit, tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquàm « materiâ, verbis tanquàm formâ, et personâ ministri « conferentis sacramentum. » Quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum. At in matrimonio, quod modò versamus, nullus est sacramenti minister: nullum ergò conficitur sacramentum. Nec verò audiendi sunt illi, qui putabunt, virum ac feminam esse sibi vicissìm sacramenti ministros: quos ego manifestis argumentis evincerem, nisi ad alia graviora festinaret oratio.

Præterea, fideles non se existimant esse sacrilegos, si non sunt in gratiâ, quo tempore sic profanè contrahunt; in animis ergò fidelium inscriptum est, ejusmodi contractum non esse Ecclesiæ sacramentum. Nam si sacramentum esset, sacrilegium haud dubiè committeret is, qui in peccato mortali conjugem duceret. Atque si excommunicatus matrimonium hujusmodi contraheret, sacrilegus quoque bis esset, utpotè qui sacramentis Ecclesiæ se indignè ingereret, quibus privatus per Ecclesiam est. Quæ omnia quàm abhorreant à fidelium communi sensu, facilè, etiamsi ego non admoneam, intelligitur. Ad hæc Augustinus, in epist. 23 ad Bonifacium tradit, oportere res ipsas corporeas. quibus sacramenta constant, imaginem et similitudinem gerere ejus sanctificationis, cujus signa et causæ esse dicuntur: ut Baptismus, lotione exteriùs administratâ, spiritualis ablutionis, quam efficit, imaginem et figuram habet. Eucharistia refectione potùs cibique visibilis invisibilem refectionem adumbrat; eodemque omninò modo in cæteris sacramentis externâ quâdam actione et repræsentatione sanctificatio interior delineatur, et quasi ob oculos ponitur. Matrimonium autem hujusmodi civile et profanum nec sanctificationis imaginem gerit, nec ad sanctificandum sub quâdam exterioris sanctitatis specie exhibetur. Non est itaque propriè sacramentum.

Præterea, concilium Florentinum docet, idque theologorum omnium decretum est, omnia sacramenta verbis constare tanquàm formâ, quâ perficitur sacramentum. Incredibile est autem nisi à formâ sacrâ sacramentum perfici. Quemadmodùm enim humana forma hominem efficit, et albedo facit album; ità prorsùs necesse est à formâ sacrâ quodcumque sacramentum existere. Atqui in matrimonio, quod civili more profanèque contrahitur, nulla verba sacra sunt; nulla igitur est ibi sacramenti ne facies quidem. Nec verò dici potest, verba, quibus utuntur contrahentes, nempè: *Ego te accipio in meam*, etc., esse hujus sacramenti formam. Primò quia verba ejus, qui suscipit sacramentum, materia sacramenti esse possunt, forma esse non possunt: forma siquidem ab agente existit in passum, mediantibus causis administris. Sacramentorum ergò formæ à Deo per sacrorum ministros in eos prodeunt, qui sacramenta recipiunt, id quod inductione manifestissimâ liquet in omnibus sacramentis, quæ sine controversiâ sacramenta sunt. Tùm quia in omnibus sacramentis, licèt materia sit res aliqua naturalis, et quæ antè in humanos usus conferri soleat, forma tamen supernaturalis sit oportet, cujus scilicet et vis et significatus non à naturâ, sed à causâ quâdam superiore oriatur. Cùm enim sacramentum quiddam supernaturale sit, forma, quâ constituitur, per fidem accipienda est, non item per naturam. At illa verba: *Ego te accipio in meam*, undiquè naturalia sunt, atque omnibus usurpata gentibus, quæ etiam sine fide con-

trahunt. Adde, quòd forma sacram[illegible] spiritualem effectum, cujus causa sacramentum [illegible] dicitur. Nam sacramenta, ut in scholæ proverbio est, efficiunt quod figurant. Significatio autem sacramenti in formà vel maximè elucet. Illa verò verba : *Ego te accipio in meam*, nullius effecti spiritualis signa sunt. Verba insuper, quæ sunt sacramentorum formæ, divinà institutione præscripta et determinata sunt, neque possunt hominum arbitrio immutari, quemadmodùm D. Thomas in tertià parte demonstrat. At verba, quibus matrimonium contrahendum sit, nulla sunt omninò definita ; sed innumeris verborum formis, non synonymis, sed variis et dissimilibus ejusmodi contractus fieri potest. Non ergò verba illa, quibus utuntur sponsus et sponsa ad contrahendum, formà sacramenti christiani sunt. Præterea, quandò verba aliqua sunt forma sacramenti, si nutus vel scriptura vel aliud unumquodlibet signum eorum loco verborum substituitur, inanis nimirùm actio est. At si contrahentes loco verborum nutus vel scripturam supponant, æquè conficiunt matrimonium, ac si verborum millibus uterentur. Quod profectò si quis rectè consideret, non leve argumentum est, ut verba contrahentium hujus sacramenti materia sint. Nam præterquàm quòd materiam sacramenti is, qui suscipit, administrare potest, formam non potest, cùm in idem fortè sacramentum verba loco materiæ formæque recurrunt, pro verbis, quæ materiæ vicem habent, nutus aliaque signa poni possunt, pro verbis autem, quæ formæ vice sunt, poni non possunt. Quæ res in Pœnitentiæ sacramento facilè cernitur. Verba igitur contrahentium, pro quibus omninò verbis signa quævis alia substituere licet, materia sacramenti esse forsitan queant, forma non queant. Id quod hoc etiam argumento confirmari potest. Nomen enim sacramenti pro materià accipi solet, pro formâ non item ; quemadmodùm D. Thom. egregiè disertèque docet, 4 sent., d. 1, qu. 1, ad. 1, q. 5, ad. 1; et d. 3, q. 1, art. 1, q. 1, ad 2. Baptismus enim, id est ablutio, sacramentum est, non illa verba : *Ego te baptizo*, etc. Unctio, Confirmatio, Pœnitentiaque similiter. Verba autem contrahentium sunt sacramentum, ut idem auctor testis est Additionum quæst. 44, art. 1, ad 1. Dicimus namque matrimonium esse sacramentum. Matrimonium autem contractus ille est, qui ex amborum verbis constituitur. Verba igitur contrahentium materia sacramenti sunt, forma non sunt. Jam illa falsa et commentitia esse quis non videt, quæ juniores theologi confinxêre, ut civilem hunc humanumque contractum Christi et Ecclesiæ sacramentum esse tuerentur? Quæ quidem pleraque infidelibus valdè nugatoria sunt, fidelibus autem parùm solida. Hic tibi dicit, contrahentes ipsos esse materiam sacramenti ; hic, non ipsos, sed consensum ; alius, gestus, et nutus, qui à viro feminâque exceptis verbis adhibentur; alius, prioris loquentis verba materiam esse affirmat, posterioris formam. Quæ utinam graviter, verè, probabiliter dicerentur, ne jure ab hæreticis rideremur! Quorsùm autem attinet, in re gravissimâ tenuiter, ne dicam ridiculè philosophari? Quorsùm in re ad fidem et religionem [illegible] tanta varietas et inconstantia? non enim, ut Hieronymus ait, « potest unquàm verum as« seri, quod diversum est. » Et rursùm : « Verum, in« quit, non esse quod variat, etiam maledicorum tes« timonio comprobatur. » Quid quòd materiam nos et formam sacramenti quærimus, hoc est, res quasdam religione sacras, hi verò de formâ materiâque contractûs profani naturalisque respondent? Nam si apud ethnicos de pacti illius conventionisque materià et formâ controversia esset, non aliter profectò illi ac nostri theologi loquerentur. Ità Lutherus more suo theologos satis jocosè lusit, quòd religionis nostræ sacramentum ex his vel integrum et perfectum constituissent, quæ penitùs omnia in matrimoniis paganorum reperirentur. Ac certè materiam et formam civilis naturalisque contractùs quibus in omni semper lege omnes usi sunt, quæque perpetuò et fidelibus et infidelibus fuêre communes, easdem omninò esse materiam et formam, quibus integra et perfecta nostræ religionis constituantur sacramenta, non Luthero dicam, sed vix cuiquam persuaderi poterit, nisi ei, apud quem tantùm opinio præjudicata potest, ut etiam sine ratione valeat. Equidem cùm ad respondendum argumentis Lutheri me comparo, quibus ille multipliciter sacramentum hoc conatur evertere, non id defendendum sumo, matrimonium ejusmodi sacramentum esse, in quo nulla sacri facies appareat, quodque univocè cum cæteris sacramentum esse, ne cogitatione quidem informari posse videatur. Sed sive nostra opinio vera, sive falsa sit, nihil enim moror; si Lutherani de hoc matrimoniorum genere disceptare voluerint, intelligant se in scholæ disceptationes incurrisse ; nec oportere catholicum ad eorum argumenta respondere. Sin verò argumententur, Matrimonium cum sacris cæremoniis, cum sacrâ materiâ, cum sacrâ formâ, à sacro ministro administratum, quemadmodùm in Ecclesià romanâ semper usquè ab apostolis administratum est, si hoc, inquam, argumententur, sacramentum Ecclesiæ non esse, tunc catholicus respondeat fidenter, animosè defendat, securè contrà pugnet. Poterit enim consentaneas causas omni poscenti reddere de eâ, quæ est in Ecclesià firma, perpetua, constansque doctrina. Poterit fidem quoque nostram et suaviter insinuare fidelibus, et graviter ab infidelium calumniis vindicare. Quam ego cum Lutheranis disputationem libentissimo nunc animo aggrederer, si id hujus libri institutum pateretur. Video autem me plus, quàm ratio argumenti positi postulabat, digressum esse; si digressio tamen dicenda est, ubi quod in utramque partem adeò probabiliter disputari potest, hoc nos contendimus non ad catholicam fidem, sed ad scholæ opiniones referendum. At ea res verbis paucioribus addici poterat. Poterat sanè. Verùm difficile est, ut in omni loco verba rebus quasi paria et demensa respondeant. Et libuit tandem quamplurimis argumentis addicere, sine Ecclesiæ ministro conjugii sacramentum nullum esse, ut indè pateret, eam quæstionem nullo modo ad fidem attinere, quod secundo loco pollicitus sum.

[illegible] nunc, lector, dùm illud, quod postremum

erat, absolvimus. Non omnes, inquam, scholæ theologi in eam sententiam convenerunt, quemadmodùm in argumento sumitur. Quin etiam nonnulli graves auctores nobiscum sentiunt; atque in primis Guillelmus Parisiensis, in libro de Sacramentis, tract. de Matrimonio, cap. 9, quæst. 1 (1), negat matrimonium veri nominis sacramentum esse, et sacramentalem virtutem habere, nisi sacerdotali ministerio consecratum fuerit. Nam Magistrum et Durandum non refero, qui in universum opinantur, matrimonium gratiam non conferre. Qui profectò hoc loco non erràssent, nisi communis opinio in extremo posita eis vehementer improbaretur. Patres item concilii Coloniensis apertè inficiantur, clandestinum matrimonium esse propriè sacramentum; atque iidem quoque non obscurè asserunt, aliud esse verbum, quo contrahitur matrimonium, aliud, quod efficit matrimonii sacramentum; nec satis esse ad sacramentum ea verba, quibus mutuus consensus exprimitur, sed aliud verbum requirendum, quod, ut in cæteris sacramentis, accedens ad elementum faciat sacramentum; quod utique verbum fidei sit, non naturæ. Quorum sententiam in hoc difficile est facto non probare. In eo non probo, quòd verbum illud, quo sacramenti forma continetur, non indè petunt, undè semper catholicis petitum est. Enimverò, quibus ritibus, quibusque omninò verbis sacramenta Ecclesiæ conficienda sint, non aliundè veriùs, tutiùs, constantiùs peti potest, quàm ab Ecclesiæ romanæ perpetuâ consuetudine. Sed de his non est hìc locus disserendi. Alio fortè opportuniùs propriam hujus sacramenti materiam et formam explicabimus. Nunc ad id, quod instituimus. Non ii solùm, quos diximus, nostræ sententiæ assentiuntur, sed Petrus Palud. sent. 4, dist. 5, quæst. 2, imprudens in eam quoque descendit. Nam quùm vir et femina civiliter contrahunt, etiamsi peccatores sint, nec pœnitentiam agant, non credit eos esse reos sacrilegii. Id quod nullo modo probabile esset, si ejusmodi matrimonium esset verum Ecclesiæ sacramentum. Omnes quippè sine controversiâ sacrilegi sunt, qui post peccatum mortale sine pœnitentiâ Christi sacramenta percipiunt. D. verò Thomas, licet in scripturis communes ferè opiniones sequeretur, sed à veritate tandem rationeque coactus, nostræ opinioni subscripsit. Cùm enim in 4 dist. 1, qu. 1, art 3, docuisset, verba in omni sacramento necessaria esse, quinto id argumento impugnavit in hunc modum: « Pœnitentia et matrimonium sunt sacramenta; sed de integritate eorum « non sunt verba aliqua, » etc. Cui argumento ille quidem respondit, quòd « matrimonium secundùm « quod est in officium, et pœnitentia secundùm quod « est virtus, non habent aliquam formam verborum; « sed secundùm quod utrumque est sacramentum, in « dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, « utrumque habet aliqua verba. » Hactenùs D. Thom. Et 4 lib. adversùs gentes, cap. 78, non aliter docet nuptias sacramentum esse, nisi ad modum, quem diximus, per Ecclesiæ ministros populo dispensentur: « Ea, inquit,, quæ per ministros Ecclesiæ populo dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundùm quod consistit in conjunctione maris « et feminæ intendentium prolem ad cultum Dei generare, et educare, est Ecclesiæ sacramentum. Undè « et quædam benedictio nubentibus per ministros « Ecclesiæ adhibetur. » Hæc ille. Ac Patrum quidem memoriâ matrimonium propriè esse sacramentum, ità demùm proditum est, si sacerdotis ministerium interveniat. Sic Calixtus in epist. ad omnes Galliarum episcopos prodit, 1, q. 4, cap. *Consanguineorum*. Sic Ciricius ad Cumerinum, Tarraconens. episcopum, cap. 4, Sic Nicolaus, 31, quæst 2, c. *Lotharius*. Sic Hormisdas, Evaristus, Isidorus, quos refert Gratian. 30, q. 5, prodidêre. Sic concilium Carthaginense IV, c. 13, referturque 30, q. 5, c. *Sponsus*. Sic concilium Lugdunense, et refertur 25, q. 3, c. *Nulli*. Sic concilium Lateranense de Simon. c. *Cùm in Ecclesiæ corpore*. Sic concilium Constantiense sub Martino V, in fine concilii. Sic Clemens de privileg. Religiosi. Sic. Ambros., lib. 1 Epistolarum, epist. 1, quæ scribitur ad Vigilium. Quorum ego testimonia nec adscribo, nec expendo, quoniam, ut dixi, alterius et loci et temporis est disputatio. Certè Evaristus, in epist. suorum decretorum, matrimonium clandestinum sine sacerdote contractum, tantùm abest, ut sacramentum Ecclesiæ fateatur, ut adulterinum etiam contubernium appellet. His adde, quòd nostræ etiam opinioni subscribunt jurisperiti propemodùm universi, qui quùm negant, matrimonium gratiam conferre, sine dubio id intelligunt de contractu civili, quem sacramentum latiùs usurpato vocabulo appellant. At cùm administratio sacerdotalis accedit, non obscurè jurisperiti tradunt, per actum sacerdotis consecrantis conjugium gratiam conferri; ideòque non licere pro eo pecuniam accipere, quia sacramentum ecclesiasticum est. Ubi jureconsulti probabiliùs, ut equidem sentio, quàm theologi loquuntur: tametsi theologi etiam quidam docti sanè et graves inventi sunt, quibus communis illa reliquorum sententia displicet. Pro quâ si qui adhùc contrà nos steterint, non debent statìm nostra placita damnare, sed idoneâ aliquâ argumentatione refellere. Ego enim, etsi non is sum, qui nihil unquàm falsi approbem, sed ea, quæ dissero tamen, non arroganter præjudico, nec revoco ad arbitrium meum, sed vel sanctorum testimoniis, vel ratione probabili consentaneâque confirmo. Sic jure ac meritò possum à viris doctis postulare, ut de me non nisi causâ cognitâ judicent. Quòd si rationibus, quibus ego ducor, falsam me habere sententiam doceant, gratissimè accepturus sum. Ut verò sine argumentis quisquam solâ me asseveratione vincat, fieri certè vix potest. Sed de scholæ auctoritate dictum est satis.

CAPUT VI.

De auctoritate juris pontificii prudentium.

Atque hic quidem liber concludi jam poterat, nisi theologiæ juris pontificii prudentia jungerentur, essetque proindè hoc etiam loco explicandum, quantùm

(1) Vide etiam eumd., cap. 1, de Baptismo.

juris hujusmodi prudentium auctoritas theologo ad argumentandum conferat. Sunt enim quidam usque adeò in eâ facultate doctis infensi, ut illorum auctoritatem ab usu prorsùs theologiæ remotam esse arbitrentur. Nos verò, hujusmodi doctorum auctoritas quantì sit theologo facienda, paucis ostendemus, illo principio sumpto, theologis, qui pontificum canones ignorent, nimìs multa deesse ad usus theologiæ necessarios.

Principio enim, si à theologis animarum cura non est aliena, sed potiùs animas regere eorum quasi peculiare munus est, procul dubio canonici juris scientia est illis necessaria, D. Antoninus 3 p., tit. 22, c. 2, § 6 (1). Nam quemadmodùm non est in abbatem eligendus, nisi qui antè fuerit in regulâ competenter instructus, ut c. *Officii* de elect. Innoc. tradit; ità ne cura quidem Ecclesiam gubernandi est ei committenda, qui ecclesiasticas regulas nescit. Theologus igitur, qui vel episcopus, vel parochus futurus est, nisi canones antè didicerit, quibus fideles debent in christianâ religione et Ecclesiæ cæremoniis institui, non habebit profectò ad rem hanc publicam gerendam theologiæ officinam satis instructam. Atque hinc illa sunt ex Cœlestino, Leone, Augustino, septimâ synodo, concilio Carthaginensi, concilio Toletano 4, concilio Aurelianens. 4, quæ partìm à Gratiano, partìm à Burchardo referuntur, Gratian, dist. 38 et 61, et Burchard. 1, 2, cap. 159. Quibus omnibus locis idem omninò præscribitur, hoc est, sacerdotes canonum ecclesiasticorum oportere esse peritos. Episcopis item juris canonici intelligentiam esse necessariam, facilè ostenditur ex c. *Accedentibus*, de excess. prælat., ubi definit pontifex, ad episcopum pertinere de causis matrimonialibus cognoscere, publicas pœnitentias vel injungere, vel tollere, indulgentias concedere. At hæc omnia nisi sciat, quomodò et quatenùs per jus liceant nullâ ratione ritè agere potest. Quâ de re quoniam latè disserunt Innocen. Hostien. Anton. de Butri, cardin. abbas, et cæteri jurisperiti, in cap. *Cùm in cunctis*, de electio., et in cap. *Nisi cùm pridem,* de renun., et in cap. 1 de consanguinit. et affinit. Gratianus quoque 21 dis., Cosmus in Pragmat. sanctione Gallicâ, tit. de collatio. § *taliter*, Joan. de Ananiâ in cap. *Quia nonnullis*, de magistris, Augustin. de Anco. in lib. de potestate eccles. qu. 108, art. 3, Antonin. 3 part., tit. 5, cap. 2; nos hìc nihil superaddemus. Solùm argumentabimur, canonici juris cognitionem theologo esse pernecessariam. Cùm enim theologi propria functio sit, exhortari fideles in doctrinâ sanâ (iidem quippè theologi, qui magistri animarum esse dicuntur), doctor verò Ecclesiæ non divinas modò leges, verùm etiam ecclesiasticas populum docere debeat, absurdum sanè est, auferre à theologi munere canonum disciplinam. Nam licet in Scripturâ sacrâ præcepta vivendi majori ex parte tradantur, sed ut cardinal. Turrecremata in procemio decreti docet, doctrina morum in specie, secundùm gradus singulos et ordines officiorum Ecclesiæ, sine juris ecclesiastici cognitione non habetur. At sermones morales absolvi esse nequeunt, si generatìm et non speciatìm habeantur, ut Aristotel. in Ethicis suis monet. Ad disciplinæ igitur ecclesiasticæ cultum theologus nimirùm sacras ecclesiæ leges debet addiscere. Confirmat autem hoc vel maximè concil. Lateranens. sub Innocent. III, in cap. *Quia nonnullis*, de Magistris. Præcipit enim, quòd theologus in Ecclesiâ cathedrali ad docendum constitutus sacerdotes doceat in sacrâ Paginâ, et in his præsertìm informet, quæ ad animarum curam spectare noscuntur. Atqui in canonibus plurima sunt instituta, quæ ad animarum pertinent curam: canones igitur non debet theologus ignorare.

Prætereà omnis doctrina divinitùs inspirata utilis est ad docendum, arguendum et corripiendum, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus, 2 Timoth. 3. At canones ecclesiastici instinctu Spiritûs sancti sunt editi (1), ut Damasus ait 25, quæstione primâ, cap. *Violatores*.

Prætereà theologi à summo pontifice et episcopis adsciscuntur, tanquàm adjutores et comministri, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiendis confessionibus, et pœnitentiis injungendis ac cæteris ejusmodi, quæ ad salutem animæ pertinent: ut ex cap. *Inter cætera*, de offic. jud. ordinario etiam rerum experimento docemur. Confessiones autem audire, ac pœnitentias injungere sine juris peritiâ vix quisquam potest. Nam quod Cajetanus dixit, in summâ V, *confessori necessaria*, pœnitentes in excommunicationibus, suspensionibus, irregularitatibus, aliisque ejusmodi pœnis ad jurisperitos remittendos esse, ne confessor ipse alterius facultatis onere prægravetur, id ignoro prorsùs quemadmodùm sine magnis incommodis fieri queat.

Primùm enim interdùm in pœnas juris incurrunt feminæ, quas pro conscientiæ remedio jurisperitorum adire domos absurdum erit, ac certè parùm muliebri verecundiæ consentaneum. Deindè etiam cùm jurisperiti et scientiam et verba locare soleant, ad confessionis sacramentum non nisi priùs datâ pecuniâ erit accessus. Adde, quòd homines vel sacerdoti verentur sua peccata detegere. Quòd si ad jurisperitos etiam relegentur, sacramenti hujus onus gravius efficietur, quàm ut ferri ab imbecillis possit. Sed quid ego incommoda numerare pergo, in quæ confessores incidant necesse est atque adeò pœnitentes, si confessores ipsi canonum sunt ignari, cùm manifestiora sint, quàm ut indicare debeamus? Fatendum est igitur, jurisperitiam theologis magno usui futuram. Nec adeò longè repetita argumenta conquirere opus est, cùm passim ipsi videamus, quantâ canonum multitudine theologorum sint referta volumina, illorum præsertim, qui indices quæstionum scripsère, quas summas nuncupare consuevimus. Ubi quantùm jus canonicum theologis conferat, vel ipsi judices esse possunt, qui quantùmvis eximiâ doctrinâ polleant, has et legunt, et amant epitomas. Sed et summa ipsa Cajetani, si, quæ ex jure canonico multa continet, demas, magnâ ex parte imperfecta reperietur.

(1) Vide Prolegom., cap. V, de studiis theologicis.

(1) Vid. Innoc. sup. procem. decretal.

Prætereà, cùm ad theologum nullæ causæ frequentiùs referantur, quàm matrimonii, si non respondeat, indoctus habebitur; sin citrà juris peritiam respondeat, ne dicam impudens, erit imprudens. Nam, ut Alexand. cap. 1, de con. et aff. tradit, causæ matrimonii non sunt tractandæ per quoslibet, sed per viros disertos, et qui statuta canonum non ignorent. Ad hæc summorum pontificum decreta à jure divino, hoc est, à libris utriusque Testamenti dimanâsse creduntur, id quod habes de transla. episc., cap. 1, et de accusa. cap. *Qualiter et quandò*, secundo. Cùm ergò theologia ex eisdem fontibus suos rivulos ducat, ineptè nimirùm theologus faciet, nisi operâ summorum pontificum velit uti; qui cum multorum consiliis exquisitis, tùm Spiritu sancto suggerente, ex divinis oraculis dogmata et leges, sive ad fidem, sive ad fidelium mores, et ecclesiasticos ritus, et cæremonias collegerunt. Item theologica facultas non est ejusmodi, ut tantummodò animo rem cernat, sed etiam aliquid molitur et facit. Est enim, ut scholæ verbis utar, partim speculativa, partim practica, quemadmodùm D. Thomas primâ part., qu. primâ, articulo quarto demonstrat. At juris canonici disciplina theologia quædam practica est, ut Alvarus Pelagius docet lib. de planctu eccles. secundo, art. 20, tùm quia ejus facultatis finis est, dirigere animas per canonicas leges in salutem æternam; tùm etiam, quia in solo volumine decretalium multi casus et articuli continentur, utiles et necessarii tàm in consiliis animarum, et pœnitentiæ foro, quàm in regendis et disponendis Ecclesiis, et rebus ecclesiasticis (1). Agit enim liber ille de Baptismo, de sacrâ Unctione, de celebratione Missarum, de Matrimonio, de Ordinibus et cæteris sacramentis; de statu Monachorum, de clericorum honestate, de voto, de jurejurando, atque aliis ejusmodi; de simoniâ, de perjurio, de usuris, de furtis, et reliquis id genus criminibus, de irregularitate, suspensione, excommunicatione, interdicto, pœnisque similibus. Quæ omnia si theologus ignoret, non solùm idiota erit, ut cap. *Ex multa*, de voto Innocen. vocat, sed in multis præsertim quæ ad actionem pertinent, et ad mores christianos, hallucinabitur. Atque utinàm theologi, qui juris canonici sunt penitùs ignari, vel à decernendis conscientiæ casibus abstinerent, ne imperiti risui haberentur, cùm de his nonnunquàm respondent ut magistri, quæ nunquàm ut discipuli didicerunt; vel certè eâ essent modestiâ præditi, uti jurisperitos consulerent, ne divinando de sensu proprio responderent! Quòd si docere vellemus, in quot errores theologi nonnulli ob juris pontificii ignorationem incurrerint, facillimum quidem esset, nisi esset longum, et aliò nostra oratio properaret. Sentiamus igitur, id quod positum est, juris canonici doctrinam theologo esse valdè necessariam, eò vel maximè, quòd summi pontificis et conciliorum auctoritas, quæ hujus doctrinæ voluminibus continetur, theologis argumenta subministrat propria theologicæ facultatis, ut abundè duobus antè libris demonstratum est.

CAPUT VII.

Quis usus juris canonici in theologicâ facultate.

Sed enim hoc posito non adhùc apparet, cuinam usui juris interpretes et professores theologis disserentibus esse possint; quæve argumenta, et qualia eorum auctoritas theologicis disputationibus ministret. Id quoniam nemo vel leviter attigit, dicam ego, ut potero, inconditè fortassè, sed tamen ut res possit intelligi. Juris pontificii volumina circà varia rerum genera versantur. Primùm enim catholicam fidem et profitentur et explicant, ut in tit. de sum. Trinit. Deindè de moribus definiunt, et religione christianâ, quantùm aut ex evangelicâ lege, aut naturæ ratione definire licet; ut videre est in tit. de usurâ, de jurejurando, de divortiis, de simoniâ. Præthereà disserunt quoque de moribus ecclesiasticis, deque religionis cæremoniis, et officiis ministrorum Ecclesiæ, quatenùs hæc omnia disponuntur legibus positivis; nam scholastico verbo libenter utimur, nec grammaticorum censuras pertimescimus; alioqui, ut Aristoteles ait, res gravissimæ interdùm nitore verborum atque ornamentis immodicæ diligentiæ deformantur. Atque hæc mihi causa est, cur sermone eo quandoque utar, qui scholæ notus est, ne, ut quidam latinissimè loquentes, à scholæ theologis jure optimo irridear. Quoniam verò scio, graves sententias inconditis verbis elatas, delicatiorum præsertim aures offendere, adhibere soleo sermonis munditiam non odiosam, nec exquisitam nimìs, tantùm quæ fugiat agrestem quorumdam negligentiam. Sed ad rem. Humanas ego leges de ritibus et moribus ecclesiasticis, quoniam sic vocant, positivas appellavi; quales sunt multæ in tit. de celebr. Miss., de cleri. peregri. conjugatis, etc., de ætate et qualitate ordi., de obser. jeju. et breviter in lib. 1 decre., de officiis judicum, et in 2 de ordine judiciario. Postremò autem hujusmodi pontificia jura præscribunt pœnas his, qui leges vel evangelicas, vel naturales, vel etiam ecclesiasticas perruperint, ut in titu. de exco. de rapto. de aposta. de hæreticis licèt cernere.

1. Hoc igitur fundamento posito, sit prima conclusio. In his quæ ad fidem pertinent, jurisconsultorum auctoritate theologus non eget.—Quin potiùs eorum titulorum expositionem, qui de fide decernunt, legisperitus à theologo mutuari debet. Ratio verò in promptu est. Sive enim pontifices, seu concilia, quæ in volumina juris coguntur, quidquam definiant, quod ad fidem spectare videatur, id certè, ut alio jam loco explicuimus, non ex sensu suo, sed ex sacris litteris, atque Christi et apostolorum traditionibus colligant necesse est. Cùm ergò principia, undè pontifices et concilia ad quæstionem fidei decernendam proficiscuntur, propria sint theologicæ facultatis, cujus est cognoscere, quæ à Deo sunt revelata, quæque his sunt vel consequentia, vel repugnantia; planè conficitur, in ejusmodi rebus canonum sacrorum intelligentiam non à

(1) Non ità certè canones ecclesiastici instinctu Spiritûs sancti eduntur. Videtur auctor noster ad hujusmodi exaggerationes propensus. Hic dicendum Providentiam invigilare in canonum editione ecclesiasticorum, quantùm Ecclesiæ administratio postulat. P. S.

jurisperitis, sed à theologis esse petendam. Id quod Patres, quibus est fidei cognitio mandata, libenter agnoscunt. Non enim priùs quemquam hæreseos criminis damnant, quam theologi definierint, quod in judicium venit, id hæresim esse.

Quæ cùm ità sint, non video equidem quonam consilio nunc apud nostros, in negotio cognitionis fidei, partes postremæ, ne dicam nullæ, theologis permittantur, jureconsultis verò vel primæ vel etiam omnes. Cùmque præcipuus sit in hoc negotio labor decernere, quid hæresis sit, quid hæreticum faciat, quid fides teneat, quid contrà cum fide pugnet, quantùm et quatenùs doctrinæ sanæ ac catholicæ adversetur id quod reus asseruerit; ad reorum quidem pœnas decernendas, quod posterius est, decreti sunt in republicâ judices, ad illud autem, quod et gravius est, et in fidei negotio prius, nullos habet respublica theologos patres conscriptos, quorum de culpis judicium, cùm de pœnis judicant, jurisperiti sequantur. Faxit Christus, cujus hæc causa est, ut principes christiani, qui huic operi, quo fides et religio continetur, libentissimè favere solent, rem, quam semel cœperunt, absolvant, et gravissimo tribunali theologos probatissimos, probatissimos, inquam, adjungant ad hujus negotii absolutissimam moderationem! Id enim si fuerit Ecclesiæ præstitum nihil erit, quod in sanctissimo et maximè necessario inquisitionis officio desideretur. Sed de primâ conclusione satis. Jam pergamus ad reliqua.

2. In his etiam, quæ ad mores pertinent, quatenùs vel lex evangelica, vel ratio philosophiæ de hujusmodi præscribit, jureconsultorum auctoritas parùm, aut certè nihil theologo conferre potest. — Quin rectam et sanam earum rerum cognitionem jurisperiti à theologis mutuam accepturi sunt. Nam quemadmodùm musicus ab arithmetico conclusionum suarum rationem sumit, quòd hæ conclusiones à principiis arithmeticæ derivantur; ità et si quæ dogmata de moribus jus pontificium vel ex Evangelio, vel ex philosophiâ colligit, ea sanè tanquàm à propriis principiis accepta theologus agnoscet, rectiùsque et intelliget, et interpretabitur. Quâ ex re facilis conjectura est, jurisperitos quosdam in summo errore, et magnâ veritatis ignoratione versari, cùm asserunt in materiâ usurarum, simoniæ, et aliis ejusmodi, in quibus de peccato mortali agitur, ad jurisperitos potiùs, quàm ad theologos recurrendum. Quo in errore fuerunt Ancharanus in disputatione, cujus initium est : *Antiquis et modernis temporibus*, et Joannes de Ananiâ, in cap. *In civitate*, de usuris, et Alexander in concilio primo, et Alvarus Pelagius lib. 2, art. 20. et Hostiensis in c. penult. de ætat. et qualit. ordin. Quos tamen non est difficile refellere. Nam cùm theologo sacrarum litterarum cognitio propria sit, quæcumque de moribus vel in sacris litteris continentur, vel ex iisdem per certam connexionem conficiuntur, ubivis theologus invenerit, ea tanquàm sua vindicabit, jurisperitus autem ut aliena mutuabitur. Cùmque rursùm philosophiæ principia à theologis etiam habeantur, ut qui de virtutibus et vitiis, de fine humanæ vitæ, deque actionibus, quibus ad hunc finem pervenitur, longè latèque disserant, et super harum rerum jactis fundamentis morum fabricam exstruant; certè quæ in jure de moribus ex principiis naturæ ratione constitutis præscribuntur, ea theologus quasi suo sibi jure assumet, jurisconsultisque exposita et enucleata tradet.

3. In tertio illo genere rerum, ubi scilicet de moribus Ecclesiæ et religionis institutis per leges tantùm pontificias decernitur, in illo etiam postremo, ubi pœnæ juris præfiniuntur, jurisperitorum omnium communis consensus, concorsque sententia theologo magnam fidem facere debet, si quandò incidat quæstio circà res hujusmodi. Ut si exempli causâ veniat in dubium an hic aut ille sit vel irregularis, vel excommunicatus, vel interdicto, vel suspensioni obnoxius; item an delegatus possit subdelegare, an episcopus in his, illisve possit dispensare (scholæ verbis liceat uti), an Ecclesiæ pastor ritè sit electus, nùm judex ecclesiasticus causam in judicio legitimè definierit : in his, aliisque sexcentis hujus generis, theologus insolentissimus erit, si, quod ignorat, judicârit; insolentior, si posteà quàm jurisperitos consuluerit, omnium auctoritati refragabitur. Etenim, ut aliàs sæpè diximus, cujusque rei peritia non aliis certiùs, meliùsque contingit, quàm ejusdem rei peritis hominibus. Ità doctissimis quibusque in arte suâ fidem habere opus est. Juris ergò pontificii prudentibus in his, quæ propria sint illius facultatis, non credere, erit profectò temerarium.

Deinde in ejusmodi canonum interpretatione Ecclesiæ judices et administri concordem omnium jurisconsultorum sententiam amplectuntur. Qui enim in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, et non communi jurisperitorum omnium duceretur, sine dubio suo illum judicio Ecclesia coerceret. Ità Ecclesia usum judicum approbando, de const. cap. 1, eorum quoque videtur intelligentiam approbare, quos hi in Ecclesiæ administratione sequuntur. Nec alienum est à verâ conjecturâ, Christum Dominum juris hujus peritis quodam modo etiam adesse in legum ecclesiasticarum verâ interpretatione. Cùm enim sacri canones, instigante Spiritu sancto, ad Ecclesiæ sint utilitatem editi, ut Damasus papa definit, consentaneum est, ut Ecclesia, cui canones illi sunt necessarii, quò in religione et moribus ecclesiasticis contineatur, interpretes à Deo sanos acceperit earum legum et institutorum, quibus est administranda. Parùm enim profuisset leges mortuas in membranis scriptas habere, nisi haberet quosque respublica christiana vivos interpretes, qui rectum earum legum sensum assequerentur. Deus itaque, quoniam non deficit in necessariis, non in theologos solùm, sed in juris pontificii peritos Spiritum veritatis effudit. Quapropter ex concordi omnium sententiâ probabilissimum argumentum sumere theologus potest ad eas quæstiones decernendas, quæ circà illa duo rerum genera posteriore loco posita exorientur. Exorientur autem in utroque genere plurimæ, quarum definitionem theologis ignorare fas non est; his vel maximè, qui aut laicorum et clericorum confessiones

audiunt, aut etiam theologiam in academiis profitentur. Hi enim, quoniam de multis, qui ex jure pendent, magnum munus respondendi sustinent, si responsa, atque decreta jurisconsultorum negligant, periculosè nonnunquàm ac turpiter errabunt. Quæ autem cum viris in suâ quibusque arte peritis consuluntur, ea aut minimo, aut nullo certè periculo respondentur. Ac de septimo quidem loco satis dixisse mihi videor.

DE OCTAVO LOCO,

QUI RATIONIS NATURALIS ARGUMENTA CONTINET.

LIBER IX.

CAPUT PRIMUM.

Primus error in hujus loci usu vitandus, ne plus æquo in re theologicâ rationi naturali tribuatur.

Sequitur, ut doceam, quidnam argumentorum ratio naturalis theologo suppeditet, quod in octavo loco me acturum pollicebar. Agam autem, quantùm res ipsa patietur, brevissimè. Est enim hic locus latè patens, et quanquàm non est theologiæ proprius, sed alienus, magnus tamen est, et cùm ab scholasticis reliquis, tùm à D. Thomæ familiâ excultus uberrimè; non quòd de loci hujus aut vi, aut usu quisquam adhùc scholæ theologus disputaverit, sed quòd universi philosophiam, cæterasque naturali ratione partas disciplinas vel in scholam christianam invexerint, vel certè ab aliis invectas excoluerint, pro suâ quidem facultate quisque, sed in theologorum, ut ità dicam, grege, sine controversiâ D. Thomas excelluit. Principio autem in hujus loci tractatione duos errores contrarios fugere debemus. Primus est eorum, qui usque adeò argumentis à ratione ductis addixerunt se, ut sive disputent, sive scribant, Scripturam sacram, sanctorumque Patrum libros ne legisse quidem videantur. Qui parùm illis dissimiles sunt, quos Eusebius, lib. 5 Hist. eccles. postremo capite commemorat, in tantùm stultitiæ prolapsos, ut si quis sermonem de Scripturis proposuisset, illi è contrario proponerent, utrùm ille sermo, de quo agebatur, conjunctum an separatum genus syllogismi faceret. De quibus rursùm Eusebius : « Derelinquentes, ait, sanctas Scripturas Dei, geometriam « tractant, et qui verè de terrâ sunt, de terrâ loquun- « tur : et ideò eum, qui de sursùm est, et de cœlis « venit, ignorant. Denique Euclides apud eos vel maxi- « mè in geometriæ disciplinis viget. Sed et Aristote- « les, et Theophrastus ab his in admiratione haben- « tur. Galenus verò à nonnullis eorum adoratur « etiam. » Ac fuisse olìm in Ecclesiâ nonnullos, qui rationem auctoritati præferentes, rem theologicam syllogismis absolverint, Augustinus in epistolâ ad Dioscorum numero 56, Bernardus quoque epist. 189, testes locupletissimi sunt. Hoc verò seculo fuisse etiam in academiis multos, qui omnem fermè theologiæ disputationem sophisticis ineptisque rationibus transegerint, utinam ipsi non fuissemus experti? Egit autem diabolus, quod sine lacrymis non queo dicere, ut quo tempore adversùm ingruentes ex Germaniâ hæreses oportebat scholæ theologos optimis esse armis instructos, eo nulla prorsùs haberent, nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Ità irrisi sunt à plerisque, ac meritò irrisi, quoniam veræ theologiæ solidam effigiem nullam tenebant, umbris utebantur, easque ipsas utinam sequerentur. Feruntur enim è Scripturæ sacræ principiis, cujus isti vel umbras non sunt assecuti. Quocircà homines verbo tenùs in theologiâ magistri, pugnavère illi quidem adversùm Ecclesiæ inimicos, sed valdè tamen infeliciter. Malè enim se res habet, cùm quod ingenio et eruditione effici debet, id tentatur à viris, qui et ingenio parùm valent, nec sunt admodùm eruditi. Errabant illi autem à principio statìm studiorum suorum. Cùm enim facultates eas, quæ linguam expoliunt, mirum in modum neglexissent, cùm sese in sophisticâ arte torsissent diutiùs, tùm demùm ad theologiam aggressi, non theologiam, sed fumum theologiæ sequebantur. Quòd si vituperandi sunt, qui per ignorantiam erraverunt, quid de iis existimandum est, qui valentes et prudentes in errorem inciderunt? Nam cùm rem perditam et collapsam suâ restituere auctoritate deberent, tempori, ut inquiunt, servientes, non modò sophismata non profligârunt, verùm etiam auxerunt. Quæ nimirùm cùm à philosophiâ, tùm verò magis à theologiâ tollenda sunt, eaque argumentandi ars, quæ vult illa quidem videri se esse dialecticam, sed abest ab eâ distatque plurimùm. Dialectica enim est locata in peritiâ usuque partiendi, finiendi, argumentandi, id quod theologo est pernecessarium; sophistica autem nihil habet nisi argutationes vanas, quarum nullus in theologiâ fructus est. Quin adeò nulla pernicies theologiæ major inveniri potest, quàm in sophismatum fæce simulatio theologiæ. Ex quo illa absurda nascuntur, ut sophistæ theologi esse videantur. Quòd si quem etiam ista delectant, ne bellum omninò indixisse videar sophismatibus, quorum est etiam fortassè quidam modus, non intelligo, quid causæ fuerit viris doctis, ut sub dialecticæ nomine exponibiles, obligationes, insolubiles, reflexivas, aliave id genus monstra in scholam intulerint, de usu autem dialecticæ non fecerint ne verbum quidem ullum. Nonne igitur illa sunt pueris utilia? sint; nam nos quoque sophistæ fuimus aliquandò; sed obsecro, ità utilia habeantur ista, non ut ornamenta virorum, sed ut exercitamenta puerorum. Atque vel ipsi pueri intelligant, sophismatum brevem quem-

dam ludum esse oportere, aliumque usum à dialecticà requirendum, philosophiæ theologiæque maximè necessarium. Verùm hæc hactenùs. Jam ad propositum revertamur. Qui igitur theologiæ dogmata humanis metiuntur argumentis, nec ea, quæ à ratione ducuntur, volunt præponderari auctoritate, hi primùm omnem vim theologiæ et gravitatem amittunt, deindè faciunt, ut theologia, detractà auctoritate, non solùm contemnatur, sed ne theologia quidem sit. Nam si vera et legitima theologia est, à fide descendat oportet, ubi hujus facultatis propria principia resident, quemadmodùm in hujus operis initio constituimus. Fides autem tota Scripturarum et Ecclesiæ auctoritate continetur. Quamobrem satis exploratum habere possumus, quàm malè valeant ii de re theologicà aut scribere aut disputare, qui sacros libros, Apostolorum traditiones, conciliorum dogmata, juris pontificii decreta, sanctorum veterum doctrinam vel rejiciunt vel ignorant. Itaque hoc quidem opinantium genus pellatur è medio (est enim totum improbabile et impium), qui opinantur aptiora theologo ea argumenta esse, quæ ex ratione, quàm ea, quæ ex auctoritate ducantur. Rebus enim antè dictis apertè intelligitur, cùm de Deo præsertìm, divinisque mysteriis disputatio incidit, argumentis philosophiæ præponenda esse argumenta, quæ pertinent ad Dei fidem, quà nihil theologo debet esse antiquius. Sed prioris hujus erroris levitas, quoniam facilè deprehenditur, non est pluribus refutanda.

CAPUT II.

Extremum aliorum errorem percenset, qui à naturæ rationibus prorsùs abhorrent; quorum etiam argumenta proponit.

Alter autem error illorum est, qui solis sacrarum litterarum testimoniis, aut interdùm etiam scriptorum veterum omnia definiunt, argumentis naturæ haud aliter abhorrentes, quàm si essent theologiæ adversa et inimica. Hunc autem errorem plurimis testibus suadent.

1. Ac primus testis citatur Gregorius Nazianzenus, orat. 1 in Julianum, ubi ait, disciplinam nostram esse Pythagoricam. Atqui apud Pythagoreos tantùm auctoritas præjudicata poterat, ut sine ratione valeret. Alter est Hieronymus in 10 Matthæi caput, quo loco non vult Evangelii doctores humanæ ratiocinationis præsidiis niti; quia hujusmodi, ut inquit, *virga et baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, et manum perforat incumbentis*. Et in 31 caput Jeremiæ, de verbis Dei humano sensu argumentari dicit esse sacrilegium. Tertius est Aug., lib. 1 de actis cum Felice Manichæo, cap. 10. Cùm enim Felix Manichæus efferret, quòd docuisset discipulos suos initium, medium, et finem et quomodò, vel quarè factus sit mundus, de cursu solis, et lunæ, deque aliis hujusmodi rebus physicis, sacr. lib. 1 hist. cap. 8, Augustinus contrà ait, quòd Spiritus paracletus non docet has veritates. Christianos enim vult facere, non mathematicos. Sufficere autem, ut homines de his rebus propter humanos usus noverint id, quod in scholà didicerunt, scilicet priusquàm ad Christi religionem converterentur. Propter humanos usus, inquit; ad usum igitur theologiæ humanæ ratio doctrinæ nihil catholico proderit. Referuntur etiam à Gratiano trigesimà septimà distinctione, duo testimonia, unum ex Ambrosio, alterum ex quarto concilio Carthaginensi, quibus suadere videtur humanas disciplinas, ut perniciosas, vel certè ut inutiles, à theologià repellendas. Concilium quippè Carthaginense quartum vetat episcopis, ne libros gentilium legant. Ambrosius autem dicit, astrologiam et alias hujusmodi disciplinas nihil valere ad salutem, sed in errorem mittere. Epiphanius quoque, hæresi septuagesimà sextà adversùs Aetium disserens, ait quòd non revelat Deus Patrem et filium per Spiritum sanctum his, qui de ipso per syllogismos ratiocinantur. Qui ergò in theologiam humanas rationes invehunt, hi divinæ revelationis non possunt esse participes.

2. Nec solùm testimoniis Patrum, sed sacrarum etiam litterarum abutuntur in sui erroris confirmationem. Principio enim afferunt illud Ecclesiastes primo: *Proposui in animo meo quærere, et investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eà. Vidi quæ fiunt cuncta sub sole, et ecce universa vanitas et afflictio spiritûs.* Si ergò occupatio pessima est studium humanæ litteraturæ, si vanitas et afflictio spiritûs, non est profectò à theologis expetenda.

3. Deindè, argumentantur ex illo Proverbiorum quinto: *Ne attendas fallaciæ mulieris: favus enim distillans labia meretricis*, etc.; posteà: *Quarè seduceris, fili mi, ab alienà*, etc. Hanc autem humanam sapientiam interpretantur, quam nimirùm esse fallacem ad Colossenses secundo testatur Apostolus in hæc verba: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.*

4. Addunt illud primæ ad Corinthios primo: *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi?* Addunt etiam illud ex eodem Apostolo primæ Corinthiorum octavo: *Scientia inflat.* Aliud quoque primæ ad Timotheum sexto: *Si quis non acquiescit sanis sermonibus, et ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circà quæstiones.* Quo loco volunt Apostolum significare, disciplinas humanas morbos esse, solamque Christi doctrinam esse sanam; hanc secundùm pietatem, id est religioni conformem et consentaneam esse, illas non esse.

5. Præthereà Apostoli non habuerunt philosophiam; non est igitur theologo necessaria. Si enim Spiritus sanctus docuit Apostolos omnem veritatem, juxtà Domini pollicitationem, Joannis decimo sexto, et has disciplinas non docuit; sequitur non esse christiano doctori utiles, atque adeò ne versari quidem circà veritatem. Prætereà vel philosophia est theologo necessaria, dùm imperfectos in Ecclesià instruit, vel dùm perfectos alloquitur. Imperfectis lac Apostolus dat, nec existimat se quidquam inter hujusmodi res scire, nisi

Christum, et hunc crucifixum. Perfectis verò sapientiam loquitur, non hujus seculi, neque principum hujus seculi, hoc est philosophorum. Non ergò theologus philosophià eget, sive cum parvulis, seu cum provectioribus sermones divinos conferat.

6. Pergunt etiam argumentari, quòd si utilis, et necessaria esset theologo philosophia, hoc esset ob id maximè, quòd non alià vià et ratione meliùs philosophi Christo repugnantes evincerentur. At hoc constat esse vanissimum, primùm quoniam evacuaretur crux Christi, ut Apostolus ait, 1 Cor., 1, 17, si de philosophis et sophistis per humanam sapientiam triumpharet; rursùs quoniam ut idem Apostolus secundæ ad Corinthios capite decimo auctor est, *arma christianæ militiæ non carnalia sunt, sed potentia de Deo ad destructionem munitionum; consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Non ergò theologus, Christi miles, humanarum disciplinarum præsidiis eget, ut fidei adversarios possit evincere. Id, quod exemplo Nicæni concilii facilè demonstratur, ubi philosopho superando plus valuit simplicis hominis sincera fides, quàm omnes omnium dialecticorum et philosophorum argutiæ, Ruffin. lib. c. cap. 8. Certè Hieronymus ad Pammachium adversùs Joannis errores, argumenta à ratione ducta, et de gentilium fonte manantia, tanquàm gentilium arma, Christiano dicit esse deponenda. Postremò etiam argumentantur, Christi doctrinam perfectam esse; non itaque philosophiæ subsidiis indigere.

CAPUT III.

Memorati erroris architectos ac sectatores percenset.

His argumentis nituntur illi, qui in hoc errore fuerunt. Nam fuisse quosdam testatur Clemens Alexandrinus primo Stromatum libro in hæc verba : « Non « me autem latuerunt ea, quæ ab aliquibus imperitè « tumultuantibus jactantur, qui dicunt oportere in his « versari, quæ fidem continent, externa autem et quæ « sunt supervacanea, transilire, quæ nos frustrà con« terunt, et detinent in iis quæ ad fidem nihil conferunt; « alii autem etiam philosophiam ex malo ad hominum « perniciem existimant in vitam esse ingressam, ut quæ « profecta sit à maligno aliquo inventore. » Et rursùs eodem libro : « Nonnulli, ait, qui se putant esse inge« niosos, nec philosophiam attingere volunt nec dia« lecticam, sed nec contemplationem discere natura« lem, sed solam et nudam fidem requirunt, perindè ac « si cùm nullam vitis curam gesserint, velint ab initio « statim botros accipere. Dicitur autem Dominus vitis « allegoricè, à quo cum diligentià et agri colendi arte, « quæ fiunt ratione ac sermone, fructus est vinde« miandus, » etc.

Lutherus etiam, qui omnes omnium hæreticorum hæreses in unam fecit Camarinam confluere, non modò asseruit philosophiam esse theologo inutilem et noxiam, verùm etiam omnes speculativas disciplinas errores esse. Scilicet morum philosophiam novus hic Socrates mirificè complexus est, quæ in contemplatione versatur, eam solùm damnat. Cornelius quoque Agrippa, vir post hominum memoriam vanissimus, in suo illo libro, qui *de Vanitate scientiarum* inscribitur, non, sicut Zethus ille Pacuvianus, philosophiæ solùm, sed omnibus humanis disciplinis, atque adeò divinis bellum indixit. Atque horum hominum ingenium quale esse soleat, non est necesse disputare; est enim in promptu. Facilè siquidem intelligitur, quamobrem isti discipulos suos à facultatibus, quæ ratione constant, alienos esse velint.

Quemadmodùm enim Epicurus rejicit dialecticam (1), Alfaquini etiam Mahumetis Sarracenos procul ab omnibus disciplinis, abducunt, quoniam intelligunt disciplinas, artesque omnes rationales doctrinæ perversæ esse contrarias; ità Lutherani, ne quandò à disciplinis errores sectæ absurdissimi deprehendantur, cupiunt eos ab omni cognoscendi ratione sevocare. Sed enim cùm veritas veritati nunquàm adversetur, consentiat semper, et subserviat; jure ac meritò scholæ nostræ auctores nobilissimi humanas omnes scientias, tanquàm ancillas, ad arcem et ministerium veræ sapientiæ advocârunt. Id quod Julianus invidens, Christianis lege interdixit studiis bonarum artium, Socrates, libro tertio historiæ Ecclesiasticæ capite 12 et 16, Sozomenus, libro sexto historiæ Tripartitæ, capite 37. Quapropter mirari non desino, morem ejiciendi humanas rationes, cùm in theologià disseritur, in quibusdam etiam catholicorum gymnasiis insertum esse, haud parvâ certè jacturâ ecclesiasticæ disciplinæ, si illa consuetudo invalescat. Erunt enim ii, si ità res procedit, optimi præstantissimique theologi, qui plurima loca memorià tenuerint, et, quod jurisperitis objicitur, qui enchi fuerint librorum et indices. Id, quod in Germanià, regnante Luthero, accidit, ut sutores, qui novum Testamentum memoriæ mandârant, magni et præclari theologi haberentur : atque adeò mulierculæ, quoniam Evangelia, et Paulinas epistolas memoriter recitare poterant, omnium academiarum theologos ad disputandum provocarent, auderentque viris concurrere non virgines, sed mulieres corruptissimæ.

Talis scilicet est lutherana theologia, in quà quoniam nullum acumen, nullum ingenii specimen est, optimo quisque, splendidissimoque ingenio, quàmlibet acie mentis et veri perspicientià polleat, quàmlibet rerum et divinarum et humanarum ordinem ac connexionem teneat, quàmlibet omnium causas, effecta, antecedentia, consequentia non animo solùm perlustrârit, sed etiam comprehenderit, nullo tamen apud istos habeatur in pretio. Sed hæc alio loco fortè tempestiviùs dicentur. Nunc ad id, quod erat institutum, revertamur.

CAPUT IV.

In quo recensitus error refellitur.

Aures itaque ad naturæ rationes occludere, si quandò à theologis afferantur, id nos in errore maximo ducimus. Si enim cadit in theologum aliquandò, ut de rebus

(1) Plutarch. de Plac. philos., Euseb., lib. 1 Præpar. evang., c. 5.

humanis philosophetur, quod profectò cadit, nisi ex eo extirpatam humanitatem arbitremur, quænam, rogo, causa est, cur naturales argumentationes à theologiâ pellamus, ne, ut quæ divina sit, humanis adminiculis eguisse videatur? Non egeat his esto, cùm suis, hoc est divinis quasi lineis contineatur. At volumusne nos theologum, qui solum divina calleat, in humanis erret, labatur, cæcutiat, hallucinetur? Quid autem interest, ratione animi sublatâ, non dico inter rusticum et theologum, sed inter theologum et pecudem, aut saxum etiam, aut truncum, aut quidvis generis ejusmodi? Quæ verò ista sit mens, vel quæ hominis ratio potiùs, si nec philosophiam, nec dialecticam habeat, nec ullam omninò humanæ rationis disciplinam? Intelligendum est autem, christianæ doctrinæ professores duabus quasi indutos esse personis, quarum una est communis, ex eo, quòd omnes participes sumus rationis, à quâ omnis argumentatio naturæ trahitur et ex quâ ratio inveniendi argumenti naturalis exquiritur; altera autem, quæ propriè theologis est attributa, undè argumenta expectantur, quæ propria sunt theologicæ facultatis. Deponat igitur theologus personam hominis, si ita placet, cùm divina tractat; cùm verò tractat humana, quænam, rogo, stultitia erit hominem ex homine tollere? Quanquàm in quâcumque disputatione, sive de humanis sive de divinis disseratur, utramlibet personam deponere stultissimum erit. Quid enim stultius esse potest, quàm vel pedem abjicere, cùm caput munus suum explet, vel caput tollere, cùm pes munere suo fungitur? Nam nec pes capiti officit, nec caput pedi, quia etiam, ut Apostolus monet, 1 Cor. 12. 21, non potest caput dicere pedibus : *Non estis mihi necessarii.* Sic nimirùm, cùm nec humanarum rerum intelligentia divinarum cognitioni obsit, nec divinarum cognitio humanarum intelligentiæ, neutram debemus in alterius propriâ functione abjicere, nisi volumus esse stulti. Porrò qui theologiam sic instituit, ut nihil habeat cum naturæ ratione conjunctum, omniaque egregiæ disciplinæ dogmata solâ Scripturarum fide metitur, hic, si in eâ opinione persistat, et non interdùm naturæ bonitate vincatur, nec theologiam colere, tuerique possit, nec fidem, nec humanitatem. Non humanitatem, sæpè enim dicendum est, quia sine ratione humanitas extirpatur; qui autem rationales disciplinas theologo auferunt, hi suam illi rationem eripiunt; quoniam si veritatem quæ in disciplinis cernitur et hominis intelligentiâ, à ratione tollas, jacebit profectò, vel nulla erit potiùs. Nec fides rursùm se ipsa sola sine doctrinâ et ratione tueri potest. Nam philosophiâ, et omni ratione disputandi sublatâ, cum fide sancta rusticitas manet, quæ, ut Hieronymus ad Paulinum scribit, quantùm prodest vitæ merito, tantùm simplicitate nocet, si adversariis non resistat. Itaque vacillabit fides, nisi fidelis, quod Petrus ait, paratus sit reddere rationem, id quod solà fide sine ratione fieri non potest. Theologia denique citra naturæ rationem non constat. Cùm enim sit homo rationalis, est illi ingenita ratiocinatio, sive agat secum quid, sive cum altero, sive velit humana seu divina cognoscere. Quarè ubi homines disserent, rationem naturalem repellere nec debent, nec verò possunt, nisi homines esse desierint. Ratio enim res omnes continet; quoquò te verteris, præstò est, nullâ disputatione excluditur. Quamobrem qui naturalem rationem ab usu theologiæ remotam esse volunt, ii omnem à theologiâ disputationem excludunt; sine quâ tamen, quid in unâquâque re verum sit, discerni et comprehendi non valet. Quocircà hoc quidem constat, ut opinor, theologis inter theologos necessariam esse rationem, quæ est disputationis cujusque fons à naturâ constitutus. Quid quòd gratia non tollit naturam, sed perficit, nec natura gratiam repellit, sed suscipit? Sacra igitur theologia humanæ naturæ rationem non abjicit. Multa etiam in theologiæ principiis continentur, ut alio quodam loco diximus, quæ nisi naturali ratione, et discursu interveniente, intelligi et explicari non possunt. In principiis verò ipsis hærere, à consequentibus, et repugnantibus oculorum aciem sevocare stultum erit. Rationem item si à theologiâ submoveas, theologia ipsa et rem amittet et nomen. Nec enim quidquam aliud est theologia, si interpretari velis, quàm sermo ratioque de Deo. Si autem rem ipsam quæras, est, ut à cæteris theologis definitur, rerum divinarum scientia. *Scientia* verò, ut Aristoteles demonstravit, 2 Post. lib., *nonnisi per syllogismum quæritur*. Quòd si etiam illud addimus, quod rectè addi potest, nihil esse ferè, cujus in Scripturâ sacrâ mentio non fiat, non angelum, non animam, non aerem, non ignem, non aquam, non cœlum, non terram, concedatur profectò verum esse, si ornatè et eruditè hæc theologus explicare velit, philosophiam, hoc est, rerum hujusmodi intelligentiam cum habiturum. Maximum itaque ornamentum theologiæ tollit, qui ex eâ tollit philosophiam quâ Scriptura etiam ipsa divina, nedùm humana ratio excolitur. Ac meâ quidem sententiâ, omnis institutio theologiæ humanæ rationis adjumenta desiderat, sed illa imprimis, in quâ de rebus naturæ disseritur. Disseritur autem de ejusmodi sæpenumerò. Atque ut illud omittam, quòd sacra doctrina mores naturæ moderationi consentaneos præscribit, vitia rationi contraria refutat; quo loco sive in scholâ de hisce definias quidquam, sive populo in concione persuadeas recta, prava dissuadeas, naturæ, rationis, philosophiæ opem contemnere, amentis erit; hoc tamen expeditum est, multa in sacris litteris haberi, quæ sine philosophiæ, arithmeticæ, geometriæ, geographiæ astronomiæque subsidiis expediri non queunt. Pleni exemplorum sunt sacri libri, cùm sæpè aliàs, tùm maximè, ubi rerum naturalium quasi miracula, quæ in disciplinis humanis explicantur, à Salomone, Davide, Job et cæteris Prophetis in divinæ vel potentiæ, vel sapientiæ commendationem afferuntur. Quod quoniam in tertio decimo libro fusè sumus ac diligenter persecuturi, non libet in præsentiâ exponere. Nunc enim satis est fuisse demonstratum, rationes humanas homini theologo non solùm utiles, sed etiam necessarias esse. Homo quippè, rationem omnem tollens, theologus ex auctoritate omnia statuens, esse certè nullo modo potest. Quò etiam magis vituperanda est rei maximè necessariæ tàm noxia reprehensio. Una est

enim philosophia in rebus humanis: de cujus utilitate Ecclesiæ scriptores eodem omnes ore consentiunt, quanquàm à Lutheranis ipsa contemnitur, et fallacia quædam atque ostentatio esse dicitur. Qui autem hoc dicunt, aut nihil contrà naturæ rationem existimant se dicere, aut censent se gigantum more bellare cum diis, id est, naturæ repugnare. Si nihil existimant dissonum rationi se docere, quid cum illis disseras, qui rationem naturalem homini theologo eripere, non intelligunt rationi esse contrarium? Sin adversari quidem rationi putant, errant in eo turpiter, quòd homini rationali errorem rationi adversum suadere se posse credunt. Abeant igitur, et quoniam cum hominibus homines nec ratiocinari, nec philosophari volunt, ei qui sit ex pecudum genere (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) se suamque theologiam insinuent.

CAPUT V.

Philosophiam Theologo necessariam ostendit.

Porrò ut ad illud, quod de ecclesiasticorum auctorum consensu diximus, revertamur, Clemens Alexand. 1 Strom. lib. et à nobis stat, et multas etiam causas affert, cur philosophia sit theologo necessaria. Unam, ad philosophos edocendos; simili enim edocemur simile. Sicut ergò Apostolus hebræis Hebræus factus est, atque adeò omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret; ità theologiæ professor fiat necesse est philosophus philosophis, ut hos convenientiùs faciliùsque lucretur. Exhibenda enim cuique sunt, quæ ei conveniunt, et quæ sunt familiaria, ut per propria ad fidem veniat veritatis. Atque hanc etiam causam lib. 5 Strom. resumit. Alteram affert ad refellendos sophistas. Nam quo pacto fallaces philosophorum argutias refutare possumus, nisi arguendi et refellendi artem persequamur? Tertiam, quòd varia ac multiplex præceptoris doctrina et delectat, et admirationem adfert, atque adeò auditores captat. Quod variè item multiformi argumento suadetur, id firmiùs hæret animis discipulorum. Apostolus quoque docere se ait, Coloss. 1, 28, *in omni sapientia, ut exhibeat omnem hominem perfectum in Christo. In omni*, inquit, *sapientià*, hoc est, divinâ et humanâ, ut cujusvis generis homines alliceret perficeretque in Christo. *Astitit* prætereà *regina à dextris* Christi, *circumdata varietate*, Psalm. 44, 10. Ad hæc quomodò ferri ac silicis concussione ignis, sic hominum doctissimorum conflictu et disputatione veritas elicitur. Quam ob causam Peripateticorum morem de omnibus rebus in utramque partem disserendi Cicero sibi dicit placuisse. Disputationes autem inter homines humanæ disciplinæ imperitos solent esse ineptissimæ. Quòd si inutilis esset sapienti philosophia, quorsùm Deus Salomoni philosophiam indidisset? Sap. 7, 17: *Dedit autem illi Deus horum, quæ sunt, scientiam veram, ut sciret dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, divisiones temporum, stellarum dispositiones, naturas animalium, vim ventorum, differentias arbustorum*. Si igitur Dominus harum rerum scientiam docet, est verò Deus, qui utilia docet, ut Isaias ait, certè illa non potest esse theologo noxia, sed erit potiùs accommoda. Et si hæc scientia vera est, ut dicit Salomon, quid dicet Lutherus, qui speculativas omnes disciplinas errores esse affirmat, inanesque fallacias? Pergit Clemens argumentari ex eo etiam, quòd athleta, qui non se priùs instruxit ad certamen, jure contemnitur. Qui ergo ad certandum cum fidei adversariis multiformibus non est etiam multiformi disciplinâ instructus, is non est dignus, qui in perfectis theologis habeatur: « Insuper dividere, inquit, voces, quæ in Scripturâ afferuntur ancipites, theologo necessarium erit, ne ex amphibologià et eludat et eludatur. » Hoc autem præstare sine grammaticæ artis auxilio non poterit. Quòd si grammatica semel admittitur, quidni dialectica? quidni philosophia? An volunt grammatici sibi solis theologiam vindicare, cæteros omnes, dialecticos, physicos, astronomos, geometras ab illius participatione secludere (1)? Id quoniam constat esse vanissimum fateamur necesse est humanas disciplinas theologo esse perutiles. « Quòd si non sunt, « inquit Clemens, adhùc necesse est illas addiscere, « ut ritè valeant damnari. Quâ enim fronte de his sententiam ferimus, quæ perspecta et cognita non habemus? » Hactenùs Clement. Alex. secuti sumus, non ut interpretes, sed, ut solemus reliquos, judicio arbitrioque nostro, quantùm quoque modo videtur è fontibus eorum haurientes.

Origenes autem, ut Eusebius auctor est lib. sexto ecclesiast. Hist. cap. 15 (2), philosophiæ studia detrectantibus respondet, se huic quidem operam navâsse diligentem, sed non absque virorum gravissimorum exemplo, Panthæni, Heraclæ, aliorumque similium, qui cùm essent doctores apostolici, nihilò seciùs philosophorum libros legere et in philosophiæ studiis exerceri solebant. Refert etiam Eusebius Origeni morem istum fuisse, ut si quos nostrorum adolescentulorum ingeniosos videret, traderet eis etiam ea, quibus philosophi discipulos suos velut primis elementis imbuere solent; dicere verò solitum, non parùm ad intelligentiam Scripturarum emolumenti fidelibus conferri, si in liberalibus et philosophicis litteris exercerentur; nostræ enim philosophiæ partes Græcos antevertisse, nec debere partes suas omittere veritatem, quia eas sibi præveniens falsitas vindicâsset. Vide etiam Eusebium, lib. 4, cap. 7, et Sozomenum, lib. 3 Hist. suæ, c. 15.

Theodoretus quoque, lib. 8 hist. Tripar., c. 8, Didymum refert grammaticam, rhetoricam, arithmeticam, geometriam, astronomiam, syllogismosque Aristotelis didicisse, quòd adversùs mendacium arma veritatis existerent. Fortiter enim expugnantur hostes, quandò adversùm eos ipsorum armis utimur. Socrat. lib. 3, c. 16, et Damasus lib. 4, c. 18. Neque statim pravâ opinione fallaris, contrà hostes hoc esse licitum, in aliis disputationibus dissimulandum; quia, ut Hieronymus ad magnum ait, omnes penè omnium doctorum Ecclesiæ libri ejusmodi eruditionis plenissimi sunt. Quod

(1) Vide Prolog. c. 5.
(2) In versione Muscul. habentur hæc, cap. 18 et 20.

autem ibidem Theodoretus ait, hujusmodi disciplinis veritatem, nempè fidei, non erudiri, id significat, non in Evangelium quasi tignis fulciri, aut indè catholicæ veritatis probationem pendere. Alioqui, viri gravissimi ad ea etiam suadenda, quæ fidei nostræ ac religionis propria sunt, naturalia argumenta inseruerunt. Exemplo nobis sunt Eusebius libro tertio Hist. Eccl. cap. 25, et lib. 9, cap. 8. Melito rursùm apud eumdem lib. 4, cap. 26, Justinus quoque, eodem Eusebio referente, lib. 4, c. 8. Tertullianus prætereà in Apolog. id quod Euseb. etiam retulit, lib. 2, cap. 24. Lucianus denìquè Martyr, et summâ eruditione vir, eodem Eusebio auctore, lib. 9, c. 6. Non hic refero Damascenum lib. 4, c. 4, non Epiph. hæresi 76, non Aug. lib. 1, de mor. Eccl., cap. 3, et toto primo adversùs Cresconium libro, qui ut grammaticus dialecticam in Augustino damnabat, et de utilit. cred. capit. 97, et contrà epist. Funda. cap. 4 et 18, de civit cap. 41. Non Bedam d. 37, c. *Turbatur;* non Hieron. eàd. d., c. *Si quis artem*, etc. *Qui de mensâ*, non Syn. Eug. pap., c. *De quibusdam*, non Clem., c. *Relatum*. Hæc, inquam, et alia plura non refero, quoniam libris sequentibus hujusmodi argumentum sum diligentiùs persecuturus. Id modò constat, clarissimos viros, non solùm ad ea suadenda, quæ rationi naturæ consentiunt, sed etiam ad ea, quæ lumen naturæ superant, humanis rationibus usos esse; eisdemque ab ethnicis calumniantibus christianam religionem asseruisse (1).

CAPUT VI.

Apostolos aliosque sanctos viros naturæ etiam rationibus usos evincit.

Sed quoniam hæreticis proclive est veterum Patrum usum auctoritatemque contemnere, ostendam deinceps, ipsorum quoque Apostolorum doctrinâ et exemplis rationes naturales in theologiam invectas; his adductos exteros, ad fidem confirmatos fratres, invitatos dociles, repulsos repugnantes, Clem. Alex., lib. 1 et 7, Strom., c. 8. Adducuntur primùm ratione exteri ad fidem et quasi præparantur. Deus quippè ad fidem in mortalium mentes inducendam naturæ incitamentis utitur, ut primo loco fusiùs explicatum est. Hinc etenim et resurrectionis suæ oculatos testes protulit, et miracula doctrinæ conjunxit; nimirùm, ut Apostoli non solùm per verbum, sed etiam per ipsum opus persuaderent fidem audientibus, ut Ephiph. lib. 2, hær. 61, v. 15, docet, et Ambr. in comment. Epist. ad Rom. cap. 1 : « Testis, ait, doctrinæ virtus est, ut, « quia quod prædicatur incredibile mundo est, gestis « fieret credibile. » Et Beda lib. 3 in Luc. 7 : « Con« cessâ, inquit primò potestate signorum, misit præ« dicare regnum Dei, ut fidem verbis daret virtus « ostensa. » Signis ergò et miraculis via fidei per sensus et rationem sternitur. Sic enim Sergius Paulus, vir prudens, *cum vidisset factum, credidit admirans super doctrinâ Domini*. Act. 13, 12. Sic Centurio, Math. 27, 54, Luc. 23, 47, videns quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens : *Verè filius Dei erat iste.* Petrus etiam, ac Paulus, Act. 1, 2 et 13, quò suaviùs audientes ad fidem resurrectionis allicerent, ratione naturæ ostendunt, locum illum Scripturæ : *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*, de David intelligi non posse, ac proindè de Christo intelligendum. Ac Petrus ipse alio iterum loco, Act. 3, 15, Christi resurrectionem insinuat audientibus primùm testium oculatorum clarissimo testimonio, deindè evidentiâ miraculi editi. *Nos*, ait, *testes hujus sumus.* Et mox : *In nomine ejus*, inquit, *hunc quem vos videtis et nôstis, Deus confirmavit, et dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm.* En Petrus, sensus ipsos citando testes clarissimos veritatis, Christi resurrectionem suadere conatur. Nec frustrà tamen; multi enim audientium crediderunt.

Confirmantur deindè ratione naturæ fratres. Non enim ait, *præcedentibus*, sed *sequentibus signis*, nec *sermonem inferente*, sed, *confirmante*, Marci ultimo cap. Ità Hieronymus in octavum Matthæi caput adnotat, Dominum, post sermonem illum montis, egregium miraculum edidisse, ut per hoc præteritus apud audientes sermo firmaretur. Petrus insuper persuasurus fidelibus conclusionem illam de legalibus, de quâ in concilio erat controversia : *Viri fratres*, inquit, Act. 15, 8, *qui novit corda, Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum*, etc. Et protinùs *tacuit omnis multitudo, et audiebant Barnabam et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus.* En quæ acciderant res externæ et sensuum testimonia referuntur in controversiâ etiam fidei apud Catholicos dirimendâ. Atque in concilio illo legem de abstinendo à sanguine et suffocato, idolothyto et fornicatione. Apostoli nullo modo tulissent nisi rationem naturæ sequerentur. Testimonia siquidem nulla suppetebant, quæ ad eam legem probandam idonea viderentur. Non modò igitur ad externos, qui naturam ducem solam habent, sed etiam ad eos, qui intrà Ecclesiam sunt, humanis rationibus theologo licet uti. Id verò eo loco magis, ut antè jam diximus, ubi res naturæ lumine cognoscibiles, sive alienis seu nostris persuadere cupi. Hâc enim viâ Barnabas et Paulus ingressi sunt, ut Act. 14 legitur. Nam cùm sacerdos et populus Barnabæ et Paulo sacrificare vellent, quod erat naturæ rationi contrarium naturali quoque ratione ipsi contradixerunt : *Viri*, inquiunt, *quid hæc facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis converti ab his vanis ad Deum vivum, qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt*, etc. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias et tempora fructifera*, etc. Quia ergò res naturales testimonium perhibent Deo, quemadmodùm hoc loco Apostolus asserit, non est absurdum, quin etiam est maximè consentaneum, ut et theologus de divinis quoque disserens, hujusmodi etiam naturalium rerum testimoniis, utatur. Nam et Act. 17, Paulus idem probat, Deum non indigere aliquo, quòd cœli et terræ sit Dominus, et det ipse omnibus vitam et inspirationem

(1) Prætereà ratio maximè inservit ad principia evolvenda, consectaria eruendo; in theologiâ naturali, præcipuas sibi partes vindicat, atque etiam in supernaturali, argumenta naturalia seu philosophica. P. S.

et omnia. Probat item, Deum non esse longè ab unoquoque nostrûm, quoniam in ipso vivimus, movemur et sumus. Ac Propheta, Ps. 138, ostendit Deum cognoscere nos et intima nostra, quia formavit nos, et posuit super nos manum suam. Quod idem naturale argumentum habes et Ps. 93. Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, id quod antè ponebamus, dociles quidem, si infideles sunt, ratione allici invitarique ad fidem, sin verò fideles confirmari : utros que autem in his, quæ naturalia sunt , persuaderi. Quòd si indociles sunt et repugnantes, ut evincantur, ratio quoque naturæ valet. Principes enim et seniores, *vid.ntes Petri constantiam et Joannis,* Act. 4, 13, *comperto quòd homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur ; hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere.* Cæcus quoque ille apud Joannem Judæos Christo adversos naturæ ratione eludit inquiens Joan., 9, 30 : *In hoc mirabile est, quia vos nescitis undè sit et aperuit meos oculos.* Dominus item, Matth. 12, eos, qui calumniabantur, quòd in sabbato curâsset ægrotum, naturali et ratione et exemplo refellit; et Matth. 22, Sadducæos refutat duobus principiis positis. Quorum unum erat Exodi testimonium illud 3, 6 : *Ego sum Deus Abraham, Isaac et Jacob :* quo posito , et adversariorum consensu approbato, alterum Christus è ratione naturali assumpsit, nempè non esse Deum mortuorum, sed viventium. Quo syllogismo collegit, Abrahami, Isaaci et Jacobi animas vivere, quod Sadducæi repellentes, resurrectionem mortuorum ex consequenti negabant. Rationes itaque naturales contrà fidei adversarios multùm valent. Nec sunt arma Saülis, quæ pugilem Christi magis gravent quàm juvent, ut quidam ineptè per allegoriam argumentantur ; sed si allegoriis agendum est, sunt potiùs gladius Goliath, quem cùm ipsi è manibus extorseris, suo illum gladio jugulas. Sed aiunt : Si credo quod traditum est, quid opus est operosâ disputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus persuadebitur. Egregio verò dilemmate rem alioqui lucidissimam obscurare volunt. Non credo, adducor; credo, confirmor ; repugno, confundor; ratióne non dominâ, sed administrâ , syllogismo non præsidente, sed subserviente. Quid multa ? Nonne videmus cùm reliquorum Apostolorum, tùm verò maximè Pauli Epistolas, et adversarios concidere, et fidei domesticos instruere non Scripturarum modò testimoniis, verùm etiam naturæ rationibus ? Id quoniam dubium non est, maneat, hunc disserendi morem à Christo Domino profectum , ab Apostolis repetitum, à sanctis auctoribus confirmatum, theologis non solùm utiliter, sed etiam necessariò usurpari.

CAPUT VII.

Extrema quorumdam theologorum vitia in usu philosophiæ castigantur:

In hoc tamen disciplinarum genere theologiæ professoribus et honesto et necessario duo illa vitia maxime vitanda sunt, quæ Cicero commemoravit. Unum, ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus. Quâ in re etiam in theologiâ multa peccantur, ut illi, qui divi Thomæ Scotique opiniones, vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pugnant, ac pro aris et focis. Quamvis autem qui nihil certò comprehendi posse existimârunt, multa illi absurdè dixerint, hoc præclarè tamen : debere sapientem ea , quæ sibi probabilia viderentur, sequi, quæ contrà, improbare, atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quæ à sapientiâ dissidet plurimùm. Sed hoc vitium effugere, qui volet, non satis est, si ad res considerandas abhibeat et tempus et diligentiam, nisi ad ea etiam, quæ ignorat, à doctissimis quibusque interroganda adhibeat et curam et modestiam. Qui verò in academiis christiani orbis insignibus litteras discunt, hi et eruditissimorum virorum frequenti disputatione instructi, et juvenum exercitatissimorum quotidianâ conflictatione vexati, vitium hujusmodi vitare faciliùs possunt. Præclarè autem cum eo agetur, cui præceptor contigerit et eruditus et pius ; qui cùm certa ab incertis separet, tùm vanis quæstionibus declinatis, utiles et necessarias seligat, doceatque discipulos, esse quamdam doctam, ut ità dicam, ignorantiam, sapientiusque esse quædam nescire quàm scire. Alterum enim est vitium, quòd quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quo in genere multos etiam è nostris peccâsse video ; ut eas quoque quæstiones latissimè persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed in hâc re prudens tamen, ut Platonis Aristotelisque discipulum possis agnoscere, qui nec quidquam nisi opportunis et loco et tempore tractavêre, nec quæstiones ullas persecuti sunt quæ juvenum ingenia obruerent, non juvarent. Nostri autem theologi, importunis vel locis, longâ de his oratione disserunt, quæ nec juvenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim ferre possit disputationes illas de universalibus, de nominum analogiâ, de primo cognito, de principio individuationis, sic enim inscribunt, de distinctione quantitatis à re quantâ, de maximo et minimo, de infinito, de intentione et remissione, de proportionibus et gradibus, deque aliis hujusmodi sexcentis, quæ ego etiam, cùm nec essem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parùm temporis et diligentiæ adhibuissem, animo vel informare non poteram ? Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hæc tractârunt. Quid verò illas nunc quæstiones referamus? nùm Deus materiam possit facere sine formâ , nùm plures angelos ejusdem speciei condere, nùm continuum in omnes suas partes dividere, nùm relationem à subjecto separare, aliasque multò vaniores, quas scribere hìc nec libet, nec decet, ne qui in hunc fortè locum inciderint, ex quorumdam ingenio omnes scholæ auctores æstiment. Illis igitur vitiis declinatis, quod in rebus naturalibus et cognitione dignis operæ curæque ponetur, id non modò, ut inquit ille, jure laudabitur, verùm id ut fiat etiam summoperè necessarium, si theologi perfecti plenèque sapientes esse volumus. Prudenter enim Hieronymus Pammachium admonet, ut si adamârit

captivam mulierem, id est, sapientiam secularem, decalvet eam, et illecebras crinium atque ornamenta verborum cum emortuis unguibus amputet. Multos enim tunc fetus captiva dabit, et de Moabitide efficietur Israelitis.

CAPUT VIII.

Quæ sit hujus loci firmitas in theologicà disciplinà.

Quibus rebus expositis, superest, ut doceamus, an hic locus in theologià firmus, an potiùs infirmus sit. Ubi nihil nobis immorandum esse video, cùm naturæ argumentationes constet unas certas, alteras incertas esse. Ac certæ quidem sunt, quas dialectici demonstrationes vocant, hoc est, quæ ex perspicuis exploratisque principiis aliquid certò evidenterque conficiunt. Incertæ verò, quæ licèt probabiles sint, conjecturis tamen hùc atque illùc trahuntur, nullam habent suadendi necessitatem. Firmum argumentum illud est : *Non longè est Deus ab unoquoque nostrùm : in ipso enim vivimus, movemur, et sumus*, Actor. 17. Illud item : *Qui plantavit aurem, non audiet ? aut qui finxit oculum, non considerat?* Psalm. 93. Atque illud etiam : *Edentes et bibentes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede suà*, Lucæ 10, et 1 Corint. 9. Probabile argumentum hoc est, quo Petrus Act. 2 utitur : *Non enim ebrii sunt hi, cum sit hora diei tertia.* Ità patet, naturæ argumentationes, quæ in usum theologiæ veniunt, interdùm infirmas, firmas nonnunquàm esse. Nam qui omnium rerum infinitam volunt esse quæstionem, et nullo loco veritatem fixam constantemque persistere, ii et in naturam ipsam, et in Deum impii sunt. Sapienter siquidem Apostolus, cùm rationes à naturà profectas manifestas esse dixisset, tùm demùm ad Deum eas auctorem revocavit : *Quod notum est Dei*, inquit, *manifestum est illis?* Deus enim illis manifestavit. Nùm per angelos? Nùm per Prophetas? Nùm per Apostolos? Minime id quidem : *Sed invisibilia Dei*, ait, *à creaturà mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Conspicuæ igitur et certæ sunt quandòque naturæ rationes. *Vani* namque *sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, neque operibus attendentes cognoverunt, quis esset artifex. A magnitudine etiam speciei creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Sap. 13, 1 et 5. Evidentes itaque sunt, atque adeò firmæ naturales quædam argumentationes. Non ergò speculativæ disciplinæ, quæ ex hujusmodi argumentationibus conflantur et efficiuntur, errores sunt inanesque fallaciæ. Quod Lutherus non stultè modò, verùm impie etiam asseruit. Quòd enim humana scientia atque sapientia omnis à Deo sit, non solùm illo Apostoli testimonio, quod modò posuimus, ostenditur, sed aliis etiam, quæ à Clemente Alexandrino referuntur. Unum est illud Eccl. 1, 1 : *Omnis sapientia à Domino Deo est.* Alterum illud Exod. 31. 2 : *Vocavi ex nomine Beseleel, et implevi eum sapientià et intelligentià ad excogitandum quidquid fabrefieri potest*, etc. Fabrilis igitur ars, atque omnis proindè humana disciplina ad Deum tanquàm ad fontem, et primum sapientiæ cujusque principium referenda est. Ex quo, et multis aliis intelligi debet, qui philosophiam errorem esse inanemque fallaciam aiunt, eos non solùm stultitiæ, sed etiam impietatis esse damnandos. Deus quippè veritas est, et ab eo error est nullus. Quà re facilè etiam intelligitur, cùm philosophiæ rationes à divinà veritate sint sumptæ atque petitæ, qui illas rejiciunt, hos Dei veritati, quà illæ subsistunt, refragari. Nec quod illi fundamento nititur, imbecillum esse aut infirmum potest. Quocircà frustrà homines vani conabuntur philosophiæ naturæque rationes evertere. Utrumque enim lumen et naturæ et fidei, quorum altero naturalia, altero supernaturalia videre dicimur, à Deo est. Illa enim, Joan. 1, 9 : *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem ;* et Psalm. 4, 7 : *Signatum est super nos lumen vultùs tui, Domine*, ad naturalem etiam mentis illustrationem referuntur. Ità non minùs à Deo falleremur, errantes in naturæ lumine, quàm si per fidei lumen erraremus. Luminis igitur naturalis ducatum, investigationem, argumenta repellere, non modò stultum est, quod Aug. 5, de Trin., cap. 6, docet, verùm etiam impium, quod hoc nos loco abundè docuimus. Qui quidem locus concludi jam poterat, nisi priùs argumentis illis respondendum esset, quæ hæretici contrà posuerunt. Prima igitur videamus, deinceps ordine reliqua.

CAPUT IX.

Satisfacit argumentis capite secundo propositis.

Principio itaque veterum nobis auctoritatem opponunt. Quod dùm faciunt, veteribus sunt injurii. Quid enim est aliud humanas scientias omnes à Patribus condemnari, quàm eos fuisse non modò imperitos, verùm etiam alienos ab humanitate? Nam, quoniam homo rationis est particeps, consequentia cernit principia et causas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones inquirit, similitudines comparat, et rebus visibilibus adjungit atque annectit invisibiles. Quà mentis inquisitione investigationeque efficiuntur naturales in homine disciplinæ, quarum studium qui vituperat, haud sanè intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Quià verò longum esset alia loca ex eisdem ipsis Patribus adscribere, in quibus humanæ doctrinæ commendantur, non libet, nisi unum solum ex Augustino referre, in illo etiam ipso libro contrà Felicem Manichæum, cujus testimonium nobis isti vel maximè objiciunt. Augustinus igitur, quamvis eos hæreticos reprehendisset, qui auderent auctoritatem Ecclesiæ rationis pollicitatione superare, naturales tamen rationes suo loco et gradu commendat, inquiens : « Fidei imperator clementissimus, et per conventus « celeberrimos populorum atque gentium sedesque « ipsas Apostolorum arce auctoritatis munivit Eccle« siam, et per pauciores piè doctos copiosissimis ap« paritibus etiam invictissimæ rationis armavit. Ve« rùm illa rectissima disciplina est, in arcem fidei re« cipi infirmos, ut pro eis jam in tuto positis fortissimà « ratione pugnetur. » Ex quo loco quid Augustino placeat, lectores vident. Cùm enim apud illum ratio cum auctoritate confertur, jacet quidem rationis species, valet auctoritas. Sed nusquàm ille tamen has

duas argumentandi virtutes ità sejungit, quasi possit quisquam, qui non idem simul et ratione et auctoritate nitatur, esse theologus. Indoctum quippè armat fide, doctum etiam ratione. Non igitur humanas disciplinas, naturalesve earum ratiocinationes damnant doctissimi viri, sed illos, qui cùm in unitate catholicâ non sint, et christiano tamen nomine glorientur, audent imperitos quasi ratione traducere : quia jacere se abjectissimè sentiunt, si eorum cum auctoritate catholica auctoritas conferatur, ut ab Augustino ad Dioscorum scriptum est. Illos etiam damnant, qui philosophiam Evangeliis præferunt, quibus Averrois Paulus est, Alexander Aphrodisæus Petrus, Aristoteles Christus, Plato non divinus, sed Deus, cujusmodi nos ipsi præsertìm in Italiâ vidimus multos, qui Scripturâ sacrâ neglectâ, ad horum philosophorum doctrinas tanquàm ad Syrenum scopulos adhærebant, postque galeros etiam et insulas non Prophetas, non Apostolos, non Evangelistas, sed Cicerones, Platones, Aristoteles personabant. Eos quoque sacerdotes patres nostri reprehendunt, qui plus nimio philosophorum libris indulgent. Noluerunt enim illi, quos occupationibus et gravissimis, et maximè necessariis oportebat esse districtos, eos philosophiæ studiis præpediri. Basilius certè ac Gregorius tredecim annis (libro 10 Hist. suæ. cap. 8, Ruffinus), ut litteris sacris totos se dederent, sapientiæ secularis libris omnibus valedixerunt. Testatur etiam de se in Epist. ad Galat. Hieronymus, annis quindecim nullius sapientium Gentilium librum ne in manus quidem ascendisse. Clemens porrò Alexandrinus, lib. 6 Strom., hujusmodi viris, qui in Ecclesiâ doctores perfecti et absoluti esse debent, philosophiæ studia, causâ solùm relaxandi animi, in otio permittit : et quoniam ancillas, ut vocarent ad arcem, sapientia misit, Prov. 9, 3, admonuêre Patres disciplinas quas vocant liberales, theologiæ subservire oportere, non dominari. Curaturum itaque illorum studiosum, ait Clemens 2 Strom., ne dùm ancillarum amatoriis delectatur, dominam, hoc est, veram sapientiam negligat; quin etiam curaturum, ut si Agar Ægyptia Abrahami complexibus insolescit, Genes. 16 et 21, ejiciatur foràs atque exulet, nec sinatur aut Ismael Isaaci simplicitatem irridere, aut Agar Saræ bonitatem contemnere (1). Affligat ancillam domina et corrigat, habeat in manibus, utatur eâ ut libitum fuerit. Si enim modesta, erit utilis : quæ cùm ei præter modum indulgetur, est etiam perniciosa. Fugax est enim vita nostra, et quod plus temporis studiis humanis impertimur, id divinis adimamus necesse est, quibus nos Christi religio consecravit. Qui doctrinis item liberalibus nimiùm vacant, ii ferè errores imbibunt, qui vix elui possunt. Quâ de re lege quoque cautum est in concilio Lateranensi, sub Leone decimo, sessione decimâ. Est enim lex apud nostros sanctissima, quæ in hujusmodi disciplinis solùm adolescentes, neque omnes, sed ingeniosos exercet ; grandioribus autem natu, ingenioque tardiore studia hæc interdicit. Quòd si legem perrumpunt quidam, aut in philosophiâ et dialecticâ plùs temporis et curæ sumunt, quàm æquum est, non propter istorum vitium est aut philosophia speculativa, aut scholastica theologia, quæ illa in usum suum vindicat, contumeliosè vexanda. Nam ne illa quidem nos fugiunt, quæ vulgi etiam sermone teruntur : *Ne quid nimis : Modus omnibus in rebus est optimus*, et quod versibus persecutus est Horatius :

Est modus in rebus, sunt certi denique fines ;

cæteraque gravissimè. Notum enim lectoribus carmen. Utrumque itaque vitium reprehendimus, et eorum qui Aristotelis Platonisque libros diu noctuque versant, et eorum, ac multò etiam magis, qui cùm omni rerum naturalium cognitione vacui sint, ubi primoribus, quod aiunt, labris sacras litteras degustârint, tùm se theologos absolutissimos profitentur, tùm philosophiam quasi rebus theologicis tractandis ineptam negligunt. Sed ad sanctorum testimonia satis dixisse videmur.

E sacris verò litteris Ecclesiastis primum testimonium objicitur. Cujus tamen veram germanamque intelligentiam facilè assequemur, si libri totius quasi scopum et mentem teneamus. Salomonis autem eo libro præcipuum institutum est, declarare, quisnam sit homini ille finis, gratiâ cujus sit conditus, hoc est, quonam loco humana felicitas sita sit. Nam cætera, quæ Ecclesiastes eâ concione disserit, hùc demùm pertinent et revolvuntur omnia. Ponit igitur à principio statìm generale pronuntiatum illud : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, » quo significat, nulla hujus seculi bona ea esse, quæ finem homini suum exhibere possint veramque illi præstare felicitatem. Hoc enim sensu res omnes vanas Sapiens vocat. Nec absurdè id quidem. Vanum namque id definiri solet (2 Physic. Arist.), quod fine caret, seu ad finem, qui quæritur, otiosum est. Jure itaque res illæ vanæ vocantur, ut quibus quietem homo si quærat, non inveniat; felicitatem si exspectet, frustrà exspectet : finem suum si persequi ac tenere cupiat, vanus fiat. Themate igitur in hunc sensum ab initio concionis posito, quo universa hujus mundi bona Salomon complexus est, tùm deindè sigillatim omnia persequitur, ostenditque non in sapientiâ, non opibus, non divitiis, non voluptate hominis beatitudinem esse locandam. Monstrat autem primo capite, per humanas disciplinas hominem non beari. Id quàm aptè et divinè probet, non est hujus loci exponere. Tantùm sunt lectores admonendi, ut ne Aristotelis vario versentur errore, qui in contemplatione rerum supremarum summum hominis bonum collocavit, 10 Eth. lib. Qui si loqueretur de mentibus corpore solutis, et vitæ futuræ felicitatem quæreret, nobis, id est, divi Thomæ familiæ, aliquid profectò diceret. Sed cùm de immortalitate animi tùm hoc, tùm illud, nec idem dicat semper, quidque potissimùm sentiat, difficile sit intelligere, de altera profectò vitâ, quam vel non habebat exploratam vel penitùs ignorabat, ecquid dicturus erat homo aut impius, aut certè varius et anceps, sensumque præ

(1) Hieronymi sermo in Prophetis in [illegible] aliquandò non placuit.

sidio destitutus, quibus ille administris in judicio rerum omnium utebatur? De felicitate igitur præsentis vitæ loquitur. Hanc enim in ethicis et politicis opes, divitias, amicos, salutem, cæteraque hujusmodi caduca etiam et temporaria bona, quasi felicitatis adjumenta requirit. Et in lib. de bonâ fort., sine exterioribus bonis, quorum fortuna, ut ait, est domina, negat aliquem felicem esse. Quam ob rem de judicio Aristotelis dubitari non potest; rectène autem dixerit an secùs, de eo fortassè dubitari potest. Verùm qui Ecclesiastis hoc primum caput intellexerit, is jam sine dubio poterit Aristotelis errorem facilè deprehendere. Nam cujusmodi felicitatem habebit superna illa ac supercœlestia contemplando, animus tantâ mole corporis non onustus, sed obrutus? *Cogitationes*, inquit Sapiens, cap. 9, 14, *mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terrâ sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* Ecclesiastes quoque primo: *Cunctæ*, ait, *res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.* Miranda sanè, et digna Salomone sententia, quæ declarat id, quod Aristoteles quoque ipse severè atque prudenter dixit, mentis nostræ aciem non aliter ad ea quæ manifestissima sunt caligare, quàm noctuæ oculos ad fulgorem solis. Quò magis Aristotelis consilium nonnulli, ac rectè illi quidem, admirantur, quòd cùm non ignorâret quàm infirmæ essent ingenii nostri vires, memoria angusta, fluxa, infidelis, acumen retusum, impeditum, debile, segnis diligentia et tarda, in eo constituerit felicitatem, quod adeò in hâc vitâ tenue est et exiguum, adeò obscurum et imperfectum, adeò infirmum et instabile, adeò non per se idoneum ad beandum, adeò denique paucorum hominum, ut nihil prope modùm habere videatur ex his, quæ veræ felicitatis definitio continet. Qualis enim felicitas est, quæ frequentissimè intercipitur, et rebus abjectissimis cedit? quæ non est commune bonum humani generis, sed quod paucissimi consequi ac tenere possint? ad quam si omnes homines, ut par est, ad finem suum conarentur, respublica omnis interiret? quæ aucta hominis requiem non augeat, sed laborem, quæ hominis desiderium non satiet, sed excitet? humana quippè mens, quamdiù hìc vivitur, rerum cognitione torqueri potest; satiari non potest. Maneat igitur, vitæ hujus felicitatem in primæ philosophiæ usu, hoc est, in rerum immaterialium contemplatione non consistere, ut quam morbus tollere valeat, dolor intercidere, inopia interturbare. Nam si ad hunc Aristotelicam felicitatem necessarius est aliorum etiam bonorum quasi concentus, talem nobis felicem Aristoteles fingit, qualis, ut arbitror, nemo unquàm erit, et ut confirmare possum, nemo certè fuit. Quid quòd ut idem Aristoteles in libro de bonâ fortunâ tradit « ubi plurimus intellectus, ibi minima fortuna; ubi autem plurima fortuna, ibi « minimus intellectus? » Ecclesiastes, cap. 9: *Vidi*, ait, *nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed esse tempus casumque in omnibus.* Quâ igitur ratione fortunæ bona ad felicitatem necessaria esse dicemus, quæ casui subjecta insipienti quàm sapienti magis obveniunt? Quantò sapientiùs Salomon hominis finem, qualis in hâc mortali vitâ quæri potest, in Dei timore et amore constituit! *Deum time*, inquit, *et mandata ejus serva, hoc est omnis homo.* Atque sententiæ huic reliqua omnis divina Scriptura consentit: *Beatus vir*, ait, *qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* Et: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Et: *Beati immaculati in viâ*, etc. Et apud Matthæum Dominus, *Beati*, inquit, *qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Et: *Beati mundo corde.* Nimirùm in præsenti seculo aut hæc beatitudo est, aut nulla omninò est. Per hanc enim veram et perfectam felicitatem assequimur, per hanc etiam summè beato, hoc est, Deo maximè appropinquamus. Quemadmodùm autem quò quidque est maximè calido propinquius ac similius, eò calidius est, ità quò quis Deo est in hâc vitâ proximior, ac similior, eò beatior ac felicior erit. Paulus etiam Apostolus, Cor. 13, 2, non modò D. Thomas (1) dixit, dilectionem Dei in hâc vitâ cognitioni scientiæque præstare. In dilectione itaque Dei hujus vitæ felicitas sita est, non in cognitione. Nec si rerum terrestrium atque cœlestium cognitio, quam naturales in homine disciplinæ pariunt, neminem facere felicem potest, statim est à Salomone damnata. Sed studium humanæ scientiæ occupationem vocat pessimam, quòd molestissima sit. Malum enim in Scripturis (Isai. 45, 7. Amos. 3, 6), interdùm non pro culpâ, sed pro pœnâ usurpatur. Idem quoque studium vanitatem nuncupat, quòd nec homini finem suum præstat, et ad veram felicitatem consequendam otiosum est. Hoc verò testimonio si adversùm liberales scientias abutimur, vituperemus simul opes, divitias, regna, artes, omnia denique, quæ sub sole fiunt. Nam eadem de his quoque Sapiens dixit. Illud quoniam stultissimum est, fateamur omninò ex verbis Ecclesiastis nihil contrà disciplinas humanas confici posse.

Multò verò minùs ex Proverbiis conficitur: nam verba illa planè de cæcâ voluptate intelliguntur, Clem. 1 Strom., quam apud Ciceronem in Cat. Major. Plato escam malorum appellat, quòd eâ videlicet homines capiantur, ut hamo pisces. Non est philosophia meretrix illa vaga et garrula, quietis impatiens, procax, blanda, adulatrix, præparata ad decipiendas animas, sed si quid tale est, est illa Thamar, quæ causâ prolis sedit in trivio, ad quam studiosus et fidelis Judas declinavit, indèque genuit Phares et Zaram, qui in Evangeliis memorantur. Non sunt Musæ Sirenes, ut est apud Pythagoram: castæ sunt, non meretrices, veraces sunt, non fallaces. Qui Sirenum cantibus delectantur, hi sunt in vitio: qui Musas amant, in vitio non sunt. In epistolâ autem ad Colossenses, eodem Clemente auctore non reprehendit Apostolus philosophiam veram, hoc est, quæ de naturæ rebus verè sentit, sed Epicuream, quæ videlicet tollit providentiam, et in Deorum numerum refert voluptatem, et præter

(1) 2-2, q. 3, art. 6, ad 1. Nam quod Cajet. ait dilectionem Dei naturalem virtutem non esse, absurdum est.

res corporeas nihil esse credit. Hujusmodi ergò aliasque similes philosophorum doctrinas condemnat Paulus, quæ ab ipsis auctoribus philosophiæ nomine venditantur, cùm nihil reverà minùs sint, sed ignorantium hominum traditiones, quemadmodùm eas vocat Apostolus, Colos. 2, 8. Vera autem et naturalis philosophia non hominum traditione, sed Dei revelatione habita est, ut supra ejusdem etiam Apostoli testimonio ostendimus. Cùm verò eodem ipso capite scriptum sit: *Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonis*, mirum est, cur Lutherus, Philippus, et alii, quos quoniam adhuc in Catholicis habentur, nolo hic nominatim cum hæreticis lacerare, eloquentiam et omnem sublimem dicendi characterem non reprehenderint. Absurdum est enim, ut quibus verborum disciplinæ placent, his rerum cognitio displiceat. Sed periculosa curiositas (nam hoc dicit quidam) et nimia in definiendis rebus obscuris audacia è philosophiæ studio sunt nobis natæ. Atque idem excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecans adjicit, se non in totum philosophiam damnandam putare. Hoc autem calumniandi genus, quale sit, et cujus hominis, quis non videt? Certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non justi, non viri boni; sed versuti potiùs, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Non nascuntur, mihi crede, è studio philosophiæ vitia, sed ex errore et ignorantià nascuntur. Quid enim philosophiæ magis contrarium esse potest, quàm aut vana periculosaque sectari, aut quod non satis exploratum sit et cognitum, id sine ullà dubitatione definire? Quid verò sibi vult oratio illa: se non in totum philosophiam damnandam putare? Quam igitur partem philosophiæ damnat? At, ut Lutherus, eam qui contemplatur et cernit, explicet, atque excutiat intelligentiam suam, ut videat, quæ sit in ea species, forma et notio philosophiæ. Nos enim non more vulgi doctrinam Stoicam, aut Platonicam, aut Pythagoricam, aut Aristotelicam, philosophiam appellamus, sed, ut homines definiendi periti, si interpretari volumus, studium sapientiæ, si rem ipsam quærimus, rerum humanarum ac divinarum, terrestrium atque cœlestium scientiam. Quam non dico in totum, sed ne in partem quidem damnare, vel insignis stultitiæ est vel malitiæ manifestæ. Augustinus porrò, libro primo de morib. Eccles. cathol. cap. 21, curiosam naturæ inquisitionem, et nimium quemdam amorem terrenæ sapientiæ cavendum intelligit, non veram philosophiam, quæ est amor sapientiæ moderatus.

Jam verò quod ex priore ad Corinthios epistolà opponitur, nihil illud movere potest. Nam quod ait, *Perdam sapientiam sapientium*, id perindè est ac si dixisset, sapientiam sapientium obscurabo. Quomodò? Nempè illustrando mundum majori doctrinæ lumine, ad quam doctrina philosophorum omnis nulla esse videatur; sicut etiam sol fulgore suo stellarum lucernarumque lucem dicitur perdidisse, prudentiam autem prudentium Deus reprobavit, quia non elegit, nisi quæ stulta sunt mundi, ut confunderet sapientes. In quem sensum fortes et potentes reprobàsse dicitur, quia infirmos et ignobiles elegit Apostolos, ut Dei virtus magis in Evangelii prædicatione clareret. Quanquàm Clemens, primo libro et quinto Stromatum, docet, non esse hìc fortè sermonem de verè sapientibus et prudentibus, sed de his, qui sibi sapientes et prudentes viderentur. Sicut non vocatur Evangelium stultitia, quòd stultitia sit, sed quòd ita hujus mundi sapientibus visa sit. Nam illud: *Scientia inflat*, facillimum intellectu est. Non enim magis scientiam hìc damnat Apostolus, quàm opes, regna, pulchritudinem, vires, abstinentiam, virginitatemque damnaret is, qui hæc omnia inflare testaretur. Clemens verò Alexandrinus, secundo Stromatum libro, de illis hoc exponit, qui se sapientes existimant, cùm tamen superbi sint, nihil reverà scientes, sed languentes circa quæstiones. Quæ intelligentia ex eo probabilior efficitur, quod statim Apostolus subdit: *Si quis autem se existimat scire aliquid, nondùm cognovit, quemadmodùm oporteat eum scire.* Non itaque vera scientia inflat, sed quæ videtur esse nec est tamen, ea inflat. At septimo Stromatum libro novè exponit inflare, pro eo, quod est facere ut manifestè sentiant, qui eam habuerint. Refert verò in hoc illud quod Ecclesiastici quarto capite, ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῆς ἀνύψωσε, id est, *sapientia filios suos inflavit*; sic enim vertit interpres: quod alii, *exaltavit*, Hieronymus verò, *vitam inspiravit.* Verbum autem ἀνυψόω, elevare et tollere est. At verò illi testimonio ex priore ad Tim. cap. 6, divus Hieronymus in commentariis super epistolam ad Titum, cap. 1, respondet in hæc verba: « Quæritur, quare ad id, quod Apostolus ait, « *secundùm fidem electorum Dei*, et cognitionem veri« tatis junxerit, quæ juxtà pietatem est, utrumnàm sit « aliqua veritas, quæ non in pietate sit posita, et « nunc ad distinctionem illius inferatur cognitio veri« tatis, quæ juxtà pietatem est. Est planè veritas, « quæ non habet pietatem, ut si quis grammaticam « artem noverit, vel dialecticam, ut rationem rectè « loquendi habeat, et inter falsa et vera adjudicet. Geo« metria quoque, et arithmetica, et musica habent in « suà scientià veritatem, sed non est scientia illa pie« tatis. Scientia pietatis est nôsse legem, intelligere « Prophetas, evangelio credere, Apostolos non igno« rare. Absque pietate verò notitia veritatis delectat « ad præsens; sed æternitatem non habet præmiorum. » Hactenùs Hieronymus. Sanos ergò sermones vocat Apostolus eos, qui salutem animæ præstant, pios verò qui pios et religiosos homines faciunt. Hæc humana scientia non exhibet; sed non proindè est theologo inutilis.

At Apostoli non fuerunt humanis litteris eruditi. Fateor. Christus non docuit eos geometriam, astronomiam, physicam. Et hoc item fateor. Spiritus sanctus docuit eos omnem veritatem, nec philosophiam, arithmeticam, aut geographiam docuit. Verum est et id quidem. Christus nobis et Apostoli non dialecticam artem, sed nudam scientiam, quæ fide ac bonis operibus custoditur, tradiderunt. Non repugno. Non igitur sunt disciplinæ istæ christiano doctori utiles. Id verò est, quod ego constantissimè pernego. Apostolis siquidem, ut ait Clemens, lib. 1 Stromat., Spiritus

sanctus omnia plenè suggerebat, quæ erant et ad Scripturam sacram intelligendam, et ad docendum cujusvis generis homines necessaria. Nos autem, qui Spiritûs hoc peculiare donum non habemus, si humanarum simus litterarum rudes et ignari, nec divina percipere sanè possumus, nec perfecti esse in Ecclesiâ doctores. Christus etiam et Apostoli non docuerunt nos humanas disciplinas, ut fides nostra non esset in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei. Docere etiam nihil voluerunt, nisi quod esset ad salutem necessarium. Alioqui, si exemplum placet, ignoremus grammaticam, quoniam Apostoli grammatici non fuère. Simus barbari, quia non fuerunt eloquentes Apostoli. Nihil consultò ac cogitatò meditatum et præparatum inferamus, quòd Apostoli hæreticis philosophis, tyrannisque evincendis repentè, atque ex tempore sapientissimè loquebantur. Quomodò autem docti sint omnem veritatem, Augustinus in Joannem declaravit. Sunt autem sine dubio humanæ quædam veritates, quas tametsi Apostoli non sunt edocti, nos tamen utiliter addiscimus.

Quòd enim discipulis humanis subjecta sit veritas, quam tractent, et in quâ versentur, adeò est manifestum, ut stultum sit et me reprobare velle, et alios negare. Quo verò tempore, quo loco, quo cum hominum genere disciplinis humanis theologo sit utendum, nam et hoc in argumento quæritur, alio libro sumus fusè ac diligenter explicaturi. Itaque nunc res eas prætermittimus, quarum ratio et major est, et in aliud tempus differenda.

Tantùm ergò postremum illud argumentum restat, cui respondere debeamus. Id quod argutè Clemens Alexandrinus, primo Stromatum libro facit, inquiens: « Non per ablationem philosophiæ perimitur veritas, « sed ad eam cooperatrix et adjutrix invenitur; sicut « primus et secundus gradus ei qui ascendit in cœna- « culum, et grammaticus ei qui est philosophaturus. « Nam et visus et auditus confert ad veritatem, mens « autem est, quæ eam appositè et naturaliter cogno- « scit. Perspicuitas etiam opem fert ad trahendam ve- « ritatem; et dialectica, ne prosternamur ab hæresi- « bus. Et est quidem per se perfecta Servatoris do- « ctrina, et nullius indiga, cùm sit Dei virtus et « sapientia. Accedens autem philosophia non verita- « tem facit potentiorem, sed debilem adversùs eam « efficit sophisticam argumentationem, et propulsans « dolosas adversùs veritatem insidias, vineæ est sepes « et vallium. Et quæ est quidem ex fide veritas, tan- « quàm panis necessaria est ad vivendum. Quæ autem « præcedit disciplina, est obsonio similis et bellariis. « Desinente cœnâ, suavis est placentula, ut ait Pinda- « rus Thebanus. » Hactenùs Clemens. Hactenùs etiam nos de octavo loco disserimus. Ac si quæ sunt fortè reliqua, ea in nono, qui statìm sequitur, disserentur.

DE PHILOSOPHORUM NATURAM DUCEM SEQUENTIUM

AUCTORITATE,

QUÆ NONO LOCO POSITA EST.

LIBER X.

CAPUT PRIMUM.

Hujus loci pertractandi necessitatem exponit.

Quemadmodùm argumenta theologo ducerentur à philosophiâ, atque ab omni omninò ratione naturæ, satis explicatum arbitror loco superiore. Sequitur, ut cætera persequar, quæ pertinent ad philosophorum et historiæ humanæ auctoritatem. Hi namque soli duo restant ex locis, qui sunt in initio propositi; de quibus dicere aggrediar, si pauca priùs de instituto ac judicio meo dixero. Quamvis enim libri nostri non modò in scholasticâ pugnâ et concertatione versentur, sed multa etiam alia contineant iis utilissima, qui interiores scrutantur, et reconditas litteras, tamen interdùm vereor, ne quibusdam bonis viris scholæ nomen sit invisum, mirenturque in eâ illustrandâ tantum me operæ et temporis ponere. Ego autem, quamdiù res scholastica per eos gerebatur, qui juventutem ad scholæ theologiam incitare sunt soliti, meas curas cogitationesque omnes in id conferebam, ut me quâvis viâ et ratione à scholasticis conflictationibus liberarem. Non enim existimabam meam operam scholæ theologis quoquo modo necessariam. Cùm autem Academia viros illos summos amiserit, et quidam ex reliquis, qui hujus rei tuendæ socii esse deberent, studia hæc vel tanquàm arida, contentiosaque dimiserint, vel certè ut laboriosa et molesta declinaverint, Lutherani verò quasi noxia quoque reprehenderint, indignum judicavi illi me otio dare, quod multis antè mihi, magnisque desideriis optâram. Itaque in his studiis ab initio versatus ætatis, existimavi honestissimè me christianæ reipublicæ inservire posse, si animum in scholâ meum vel repugnantem continerem. Cui cùm multùm adolescens, discendi causâ, temporis tribuissem, posteaquàm theologiam publicè profiteri cœpi, meque ipsum discipulis tradidi, tempus ferè totum consumebatur in docendo, scribendi otium non erat. Sustinebam enim magnum onus, non discipulos modò quotidianis et lectionibus, et disputationibus instituendi, verùm etiam de multis et verbo et scripto respondendi. Accedebant etiam non infrequentes ad populum conciones, quibus me vel necessitas adjudicabat, vel voluntas. Plures autem res, præsertìm magnas, eodem simul tempore non modo agere, sed ne cogitare quidem possumus. Quamobrem

de hoc opere absolvendo, in quo tantam difficultatem inesse videbamus, ut viro indigeret non solùm egregiè docto, sed nullis aliis negotiis præpedito, omnem omninò spem sæpiùs abjecimus. Sed partìm discipulorum precibus efflagitati, partìm amicorum convitiis evicti, tuo verò jussu potiùs, pater optime, cujus studiis, præsertìm in re tàm justâ, cùm difficile est, tùm ne æquum quidem obsistere, subcisivis ut aiunt, horis, opus hoc informare decrevimus, ut si quo fortè casu nequeamus, absolvere, certè instituisse videamur. Eò verò me minùs instituti mei pœnitet, quòd facilè sentio, ut nihil aliud agam, excitare me homines non socordes ad rei magnæ investigandæ cupiditatem. Nos enim si non assecuti, at id secuti profectò sumus, ut ea, his libris explicaremus, quæ nec satis erant nota nostris, et erant cognitione dignissima. Sed jam ad instituta pergamus. Danda enim opera est, ut etiam si ad alia aberrare aliquandò cœperit, ad hæc revocetur oratio.

CAPUT II.

Ubi argumenta proponuntur, quibus philosophorum auctoritas elevatur.

1° Fuisse olìm in Ecclesiâ nonnullos, qui philosophorum auctoritatem à scholâ christianâ rejecerint, Clemens Alexandrinus perhibet, gravis in primis auctor. Tradit etiam hanc illos persuasionem induisse, quòd Dominus apud Joannem dixerit, omnes quotquot antè se venissent, fures fuisse et latrones, nec audisse eos oves. Fures autem vocatos aiunt, quòd fuerint sophistæ fallaces. Nam sophisticen quamdam furandi artem ipse quoque Aristoteles dixit.

2° Et Justinus, cùm docuisset philosophos similes esse latronibus, et tanquàm deceptores redarguisset, per insidias Crescentis philosophi interemptus est, ut Eusebius scribit, lib. 4 Ecclesiast. Hist. cap. 16. Non sunt igitur philosophi audiendi, præsertìm cùm nostræ semper doctrinæ repugnârint. Nam ut Ruffinus, lib. 1 Ecclesiast. Hist. c. 2 refert, Ario favebant viri in quæstionibus callidi, et ob id simplicitati fidei adversi. Atque Epiphanius, lib. 2 adversùm Hæreses, cap. 69, eo nomine taxat Arianos, quòd fuerint novi Aristotelici, et ab hoc philosopho veneni jaculationes sibi ipsi affricuerint, relictâque Domini mansuetudine, Aristotelem induerint. Ità nec Spiritùs donum in se habere digni facti sunt. Et Hieronymus adversùm Luciferianos Arianam dicit hæresim argumentationum rivos de Aristotelis fonte mutuari.

3° Paulus denique ait, philosophos dicentes se esse sapientes, stultos factos esse, traditosque in reprobum sensum. Eorum igitur auctoritas nullius apud nos momenti esse debebit. His et similibus argumentis vetustus error ille nitebatur. Quem tamen jam diù sepultum sine ullo etiam argumento Lutherus suscitare conatus est, damnareque subindè cùm scholasticos cæteros, tum magis D. Thomam, quasi *auctor fuerit regnantis Aristotelis, vastatoris piæ doctrinæ* : sic enim loquitur contrà Latomum. Videlicet Domitiani exemplo, philosophos non urbe solùm, sed orbe pellendos esse credit. Nos autem quid fides catholica ratioque sana teneat, breviter et sine disceptatione docebimus.

CAPUT III.

Qui philosophi sint theologis utiles.

Philosophorum auctoritas eorum qui falsa senserunt, nostram non potest adjuvare doctrinam, et latentia cognita facere, ut Augustinus ad Dioscorum verè et sapenter scripsit : « Quid enim nobis est, ait, propter « defensionem christianæ religionis, quærere quid « senserint Anaximenes, Democritus, Epicurus, Parmenides et Melissus, aliique similes hujus farinæ philosophi, quorum doctrina erroribus naturæ rationi « contrariis plena fuit? » Non itaque omnes philosophi scholæ nostræ probati sunt, sed illi, de quibus apud Platonem Socrates : « Sunt, inquit, in mysteriis « multi quidem, qui gestant ferulam, pauci verò Bacchi. » Magnifica verò vox, et magno viro ac sapiente digna, quâ docemur, multos utique barbâ et pallio tenùs, sed paucos reverà fuisse philosophos. Paucos igitur hos, qui scilicet naturæ vim et effecta, morum ac vitæ normam viâ et ratione investigârunt, magnâque ex parte consecuti sunt, theologis esse utiles, hâc nos oratione contendimus. Nec video equidem, cur ejusmodi philosophos tanto Lutherani odio prosequantur, nisi quòd auctores obscuros, intellectuque difficiles perdiscere nec volunt, nec verò possunt. Etenim optimi cujusque philosophi commentaria, præsertimque Aristotelis discipulum non modò ingeniosum, sed amantem etiam laboris exigunt. Isti verò cùm parùm ingenio valent, tùm in laboribus è vitâ etiam christianâ pellendis occupati et sunt et fuerunt. Quamobrem, quod in philosophorum libris difficile atque arduum esse viderent, id et horrent ipsi, et ab eo juvenum animos alienant. Quid autem sibi Theophilus Alexandrinus velit, penitùs non intelligo, cùm in secundo paschali libro Origenem carpit, quòd philosophorum argutias tractatibus suis miscuerit, atque ità ex malo exordio in fabulas et deliramenta processerit, ac theologicum dogma ludum et jocum fecerit. Quandò illud apud Porphyrium, quanquàm ab impio philosopho dictum est, veriùs tamen et luculentiùs dictum est, Origenem Græcorum divitias omnes ad christianum dogma locupletandum convertisse. Sed hæc fortè obscura sunt, cùm lentè argumentis nullis appositis explicantur. Factis primùm illustranda sunt summorum virorum hæc, deindè patrum nostrorum testimoniis, tùm rationibus apertissimis illis quidem, sed quàm paucissimis. Cùm enim in hujusmodi causis, quæ scholæ propriæ sunt, verear equidem, ne cui ex scholasticorum disputationibus, non ex Ecclesiæ sensu deprompta nostra videatur oratio, interdùm argumenta ducta à ratione perstringimus, et veritatem quam sequimur, majorum potissimùm auctoritate suademus. Intelligendum est autem, cùm proposita sint genera decem, è quibus argumenta ratiocinationesque manarent, splendidissimum videri, quod veterum traditione exemplisque consistit. Atque si bono loco res essent, quæ more aguntur et institutis Ecclesiæ, de his nihil erat argumentandum; illa enim ipsa certissima argumenta sunt. Lutheranorum verò oratio

tota mox erat rejicienda. Est enim inimica ecclesiasticæ regulæ, sine quâ nihil rectum esse potest, nihil constans, nihil verum. Sed hæc aliàs; nunc quod instat agamus. Porrò olim Ecclesiæ doctores unum fuère, qui iidem fuere philosophi. Didymus, Justinus, Origenes, Gregorius Nazianzenus, Basilius, Gregorius Nyssenus, Damascenus, Augustinus. Tales enim, cùm habebantur, ecclesiasticæ scholæ perfici solere, Eusebius, lib. 5 Eccles. Hist. cap. 10, scribit his verbis : « Consuetudo antiquitùs tradita servabatur, ut divinarum Scripturarum doctores in scholâ ecclesiasticâ haberentur viri duntaxat scientiâ et eruditione probatissimi. Hujus officii auctor et dux tunc satis illustris habebatur Panthænus, qui in philosophis stoicis priùs nobiliter floruisset. » Tradit quoque Origenes apud Eusebium, lib. 6, capite 15, non solùm à Panthæno, sed ab Heraclâ aliisque plerisque doctoribus apostolicis philosophorum libros legi solitos. Quòd si sanctorum loca referre voluerimus, quibus illi philosophorum testimoniis utuntur, non eorum modò, qui de moribus, sed eorum etiam, qui de naturâ scripserunt, verendum nobis est, ne in causâ parùm dubiâ testibus utamur minimè necessariis. Legant isti omnia eorum commentaria, quibus de opere sex dierum disputatio instituta est; atque in his vel solis videre poterunt, et quanta fuerit majorum nostrorum in perlegendis philosophis diligentia, et quantus sit philosophorum explicandis sacris litteris usus. Vide autem etiam Hieronymum in 17 cap. Jerem., et lib. 2 adversùs Jovinian., ubi etiam cum hæretico disserens, variis philosophorum testimoniis utitur; multisque philosophorum commentariis, rerum naturalium exemplis editis, planè docet, quantùm horum auctoritas theologo ad argumentandum conferat. Sed de hac re paulò post. Nunc id quod erat institutum persequamur. Sanè ut reliquos prætercam, quos stare à nobis adversarii nostri non dubitant; Epiphanius certè ipse quem nobis objiciunt, philosophorum auctoritatem haud semel usurpat. Docturus enim, hæresi 51, quanam ratione essent hæretici fugandi : « Aiunt, inquit, hi qui hæc in consuetudine habuerunt, odore dictamni, styracis, libanotidis, abrotoni, bituminis, thymiamatis, lapidis Gagatæ, aut cornu cervi fugari reptilia, et venenum jaculantia. » Item hæresi 78, cùm multis argumentis suasisset, Beatam Virginem post partum virginitatem conservâsse, subdit : « Si verò etiam ab aliâ quâdam speculatione ipsas res accipere convenit, attingemus quoque rationum naturæ cognitiones. Aiunt leænam non parere prælerquàm semel et unum. » Cùmque subjecisset causam, quam ejus rei philosophi naturales redderent, colligit Beatam Virginem, quæ leonem peperit de tribu Juda, non nisi semel atque unicum peperisse. En Epiphanius et Christianos instruens, et cum hæreticis de fide certans, philosophorum testimonia refert. Quin etiam Paulus non solùm cùm ethnicis persuadet, sed etiam cùm fideles instituit, poetarum et philosophorum testimonia referre solet, exque iis argumenta sumere. Nam ad Athenienses loquens ex Arati astronomi phænomenis usurpat illud : *Ipsius enim et genus sumus*; ad Corinthios verò ex Euripidis poetæ tragœdiis illud : *Corrumpunt bonos mores colloquia prava;* ad Titum autem ex oraculis Epimenidis philosophi illud : *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Ac subjicit hìc protinùs : *Testimonium hoc verum est.* Si igitur hæc dicit Apostolus, et philosophorum testimoniis confirmat, Pauli etiam, non modò aliorum sanctorum exemplo facere nos idem et possumus et debemus.

Alter erat locus, à Patrum testimoniis ostendere theologis philosophos esse utiles, ubi nihil laboris esse video, cùm testentur hoc plerique quidem non obscurè, sed apertissimè, Augustinus lib. de Doctrinâ christianâ 2, cap. 40; Socrates, lib. 3 Histor. Eccl., cap. 16. Cùm locupletiores quæris auctores? Citarem alios, nisi aliò nostra festinaret oratio. Certè Hieronymus, in epistolâ ad oratorem Magnum, non testatur modò, sed magnis etiam argumentis confirmat. Tertium est propositum, rationibus illud ipsum demonstrare. Id quod faciam planè, et faciam breviùs quàm res tanta fieri possit.

Multa à philosophis prudenter fuisse et graviter disputata, multa etiam breviter et commodè dicta, multa denique ingeniosè et luculenter exposita, qui negaverint, ii non sunt verbis et ratione, sed vinculis et carcere fatigandi. Atque si etiam hoc naturæ ratio præscribit, ut quæ viri graves, ingeniosi, eruditi acutè diligenterque tradiderint, ea juvenes memoriæ mandent, fierique studeant illorum et scientiâ et prudentiâ docti, necesse est Philosophorum doctrinam non juvenibus solùm, sed his etiam omnibus esse utilem, quibus ullum aliquandò commercium cum humanâ sapientiâ et prudentiâ futurum est. Quod si ità est, idque nos superiore loco satis ostendimus, theologos ad res multas hujusmodi commercium habituros, nimirùm quoad poterunt et licebit, ab eorum latere non discedent, qui re tè de moribus et naturâ senserint. Idque ipsum si ità est, philosophorum certè libris theologi dare operam debent; non enim alios hodiè reperient, qui de rebus hujusmodi aptiùs et sapientiùs philosophentur. Verum autem primum, verum igitur et extremum. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt omnia esse sacris litteris prodita, quæ ad rationem hominis instituendam videntur esse opportuna et necessaria. Quorum error, quoniam abundè ex iis, quæ suprà diximus, exploditur, non est hìc pluribus refellendus. Quid enim stultius esse potest, quàm aut Scripturâ sacrâ liberales omnes disciplinas traditas credere, aut hujusmodi disciplinis existimare hominis rationem non benè et utiliter institui? Quòd si philosophia theologo utilis et bona est, eam autem nisi philosophorum libris adjutus consequi non potest, non utique sunt ei philosophi negligendi. Cùm autem herbarum, lapidum, animantium, arborum, elementorum, aliarumque rerum terrestrium cœlestiumque cognitio sacris litteris intelligendis sit magnoperè necessaria, quemadmodum August. 2, de Doctrinâ christianâ lib., docet, nosque etiam sumus idem in 13 hujus operis libro fusiùs demonstraturi; insanus pro-

fectò erit, qui in harum rerum cognitione parandâ eos auctores neglexerit, qui et summo ingenio, et magnâ pervestigatione, et multi temporis experimentis in his cognoscendis elaborârunt. Cùm igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin philosophi plurimùm theologis prosint, illud, de quo dubitari à doctis etiam potest, jam statuendum est, argumenta è philosophorum auctoritate petita, certane an potiùs incerta sint.

CAPUT IV.

Quam habeat in re theologicâ certitudinem philosophorum auctoritas.

Philosophorum omnium una eademque consensio certam fidem facit philosophici dogmatis. Quod enim in aliis artibus valet, ut auctores probati tantùm apud eos, qui eam artem sequuntur, auctoritatis habeant, ut indè nonnisi temerè discedi soleat, id in philosophiâ, ac multò etiam magis valere debet, ne in rerum naturalium cognitione vario discipuli versentur errore, nec habeant unquàm quos sequantur. « Benè, inquit « Aristoteles, libro secundo de Cœlo, sese habet quem« que sibi persuadere, veteres, et majorum maximè « nostrorum sententias veras esse. » Atque si in omni disciplinâ et arte oportet addicentem credere, ut et Aristoteles idem prudenter admonuit, et Theodoretus magnâ exemplorum vi ostendit et patefecit, in philosophiâ certè perdiscendâ scientiæ hujus professoribus, in eamdem præsertìm sententiam concurrentibus, fidem habeamus oportet. Quanta verò arrogantia erit, quanta temeritas, non cum Platone dicam, Aristotele, Hippocrate, Galeno, Theophrasto, Themistio, Alexandro, Dioscoride, cæterisque hujus chori philosophis unum idem continentibus dissentire, quorum scripta et magnâ curâ studioque elaborata, et posteriorum non examinatione modò expensa, verùm etiam consensione probata sunt; sed contrà sui temporis homines doctos dicere, et singularia placita communibus anteponere? Nempè id est, ut ille inquit, bellare cum diis, id est, naturæ repugnare; major enim pars eò deferri solet, quò à naturâ ipsâ deducitur. Ex quo intelligitur, non esse alienum theologicis institutis ad ea conjectanda, quæ in naturâ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, et, si morum quæstio est, usu peritos; et quid his de unoquolibet quæstionis genere placeat, exquirere. Quòd si pictores, et ii qui signa fabricantur, et veri etiam poetæ, suum quisque opus à vulgo etiam considerari vult, ut si quid reprehensum sit à pluribus, corrigatur, quantò magis theologo prudenti, non vulgi, sed sapientium philosophorum judicio, permultæ de rebus naturæ sententiæ mutandæ et corrigendæ sunt, licet illi veræ esse videantur? At enim in rebus, quæ ad mores pertinent, non doctissimorum philosophorum modò, sed virorum quoque optimorum, nullâ etiam causâ redditâ, valebit auctoritas. Nam, quod Aristoteles doctè, ut omnia ferè, tradidit, quemadmodùm de saporibus palatum sanum rectè judicat, infectum non item; sic vir bonus et justus bonum à malo, rectumque à pravo egregiè discernit, contrà teanum omnis affectus animi perturbati tollit judicium veri, idque adulterat. Adeò illud verum est, qualis unusquisque erit, tale etiam judicium proferet. Atque ipse idem Aristoteles, Ethic. 11, planè testatur, non minùs eorum, qui sunt experti et seniorum prudentiumque sententiis, quàm ipsis demonstrationibus adhibere animum oportere. Tanquàm oculum enim, ait, per experientiam, habentes, principia ipsa rerum agendarum cernunt, et ab iis perindè atque à naturâ acti rectè discernunt. Quamobrem sanctè ac prudenter Innocentius, dis. 20, cap. *de quibus*, in morum judiciis sanctorum exempla nos sequi voluit. Gravissimè quoque Plato in Timæo : « Fieri, inquit, non potest, ut « deorum filiis fides non habeatur, etiamsi absque pro« babilibus et necessariis dicant demonstrationibus. » Et Ecclesiasticus. 37, 17 : *Cor*, ait, *boni consilii statue tecum. Anima* enim *viri sancti enuntiat aliquando vera, melius quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Quæ causa mihi semper fuit, pater sanctissime atque optime, ut in rebus hujusmodi gravissimum judicium tuum non minùs exspectarem, quàm alterius cujusque eruditissimi philosophi, atque theologi. Intelligebam enim virtutes illas omnes, quas expertus fueram in te, nullo etiam dialectico syllogismo interveniente, id quod rectum esset, secuturas, declinaturasque contrarium. Mihi autem hæc oratio suscepta non de te est, sed de proborum genere toto. Neque illam de scientiæ dogmatibus, sed de prudentiæ judiciis potissimùm intellectam velim. Judicia quippè prudentiæ, mutatis moribus, permutantur, scientiæ verò decreta non item. Ab iis autem longè dissentio, qui decernendis conscientiæ casibus (sic enim vocant) relictis doctissimis philosophis ac theologis, spirituales nescio quos homines consulunt, qui *visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini*, Jer. 23, 16. Multâ quoque perfectione exercitationeque virtutum opus est, quemadmodùm ait, in cap. 4 Joannis, Origenes, ut bona et mala, vera et falsa dijudicare possimus. Rari autem illi sunt, qui quod Apostolus ait, exercitatos habeant sensus ad discretionem boni et mali. Sed hæc hactenùs. Nunc eò redeamus, undè hùc digressi sumus. Constitutum est igitur, philosophorum judicium, eorum scillicet, qui magnâ doctrinâ excellentique ingenio valuerunt, in magno pretio esse nobis habendum, si nolumus haberi temerarii.

Omninò si quidquam est probabile, nihil est profectò magis, quàm naturæ principem naturalis disciplinæ doctores aliquos mortalium generi providisse. Quis enim adeò esset insipiens ut academiam unamquamlibet sine præceptoribus institueret? Certè, quoniam notus in Judæâ Deus, quasi divinæ scientiæ gymnasium erexit, Rabbinos ibi etiam procuravit. Et quoniam apud Christianos evangelicæ doctrinæ academias esse voluit, Apostolos quoque, Prophetas, Evangelistas, Doctores dedit, qui eam in Christi republicâ doctrinam profiterentur. Quapropter, cùm universis gentibus edocendis naturæ leges ac disciplinas ediderit, non fit verisimile, nullos hujusmodi legum ac disciplinarum magistros instituisse. Atque etiam si ab aliâ similitu

dine argumentari convenit, Clemens Alexandrinus philosophiam ait Græcis à Deo veluti proprium testamentum esse datam. Quemadmodùm ergò nec Judæorum, nec Christianorum testamenta, ità ne Græcorum testamentum quidem absque interprete dereliquit. Quocircà divinæ hìc quoque procurationis erat, ut non omnes simul philosophi aut in Dei cognitione, aut in morum et vitæ regulà, aut etiam in rerum naturalium intelligentià, quæ quidem esset ad illa duo priora necessaria, hallucinarentur. Quæ res effecit, ut juxtà Pauli sententiam Græci fuerint inexcusabiles. Qui tamen excusari possent, si eorum præceptores non ad veritatem bonitatis instructi satis, informatique essent, auctore naturæ optimo duce atque magistro. Id verò Scripturæ etiam divinæ testantur. De Deo enim in Psalmo 93 scriptum est : *Qui docet hominem scientiam;* et rursùm in libro Job, cap. 35 : *Qui docet super nos jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos.* Nimirùm sicut quibusdam animantibus, qui tanquàm principes, et duces reliquorum à naturâ dati sunt, concessi sunt quidam instinctus, quibus ad gregis quisque sui ducatum rectum utilemque ferantur, obliquo retrahuntur et noxio; ità in hominum eorum mentibus, qui naturâ duces sunt cæterorum, inditas esse notiones credendum est, quibus in illa, quæ ad imperitorum et rudium populorum doctrinam spectant, inducantur. Nec enim melior est belluarum conditio, quàm nostra. Atque Boetius, magno vir ingenio, inprimìsque doctus, communes sapientium conceptiones (sic enim appellat) non minoris facit, quàm si communes essent omnium hominum. Nosque ipsi 6 ac 7 loco, ad eamdem quoque rationem ostendimus, communia doctorum ecclesiasticorum præjudicia non aliter esse accipienda, ac si omnium fidelium essent communes, conspirantesque sententiæ. Quamobrem id quidem non est dubium, quin verum et exploratum illud sit, de quo omnium philosophorum ratio consentit. Quomodò enim homines, et ambitiosi honoris et gloriæ, et cæci ferè aviditate carpiendi, et plurimis seculis maximisque locorum intervallis sejuncti, in unam sententiam convenirent, nisi in hanc quasi conspirationem naturæ impulsu quodam agerentur? Ex quo rursùm intelligi perspicique licet, id quod paulò antè dictum est, philosophos ab uno aliquo mortalium magistro excepisse ea, quæ populis ac gentibus universis communi consensione conscripserint. Verissima ergò sunt communia philosophorum placita, nec ab illis licet, si omnes ad unum idem sentiant, dissentire. At Hieronymus, lib. 1 adversùs Pelagianos, cùm adversarius eam philosophorum communem sententiam objecisset, qui unam habeat, eum omnes habere virtutes; respondet eam quidem philosophorum fuisse sententiam, sed non Apostolorum, neque esse illi curæ, quid Aristoteles, sed quid Paulus doceat. Sanè quis sit Hieronymi in dialogo mos, quæ in argumentis eludendis figura, ne longum faciam, hoc loco prætercam. Huic enim argumento facilè respondetur, Hieronymum sententiam hanc eamdem et veram consensisse, et philosophorum auctoritate probâsse; et in Isai. cap. 26 : « Philosophorum, ait, sententia est, et Apostoli Jacobi, hærere sibi virtutes, ut cui una defuerit, huic omnes desint. » Et in 56 caput ejusdem prophetæ : « Virtutes, inquit, invicem sequuntur : ità ut qui unam habuerit, omnes habeat, et qui unâ caruerit, cunctis careat. » In dialogo igitur illo non vult Hieronymus se in dogmate fidei et auctoritate philosophorum urgeri, quam tamen ipsam idem aliis locis usurpat (1).

CAPUT V.

Quibus finibus Aristotelis auctoritas circumscribenda.

Cùm verò de unius aut alterius philosophi sectâ disseritur, longè diversa quæstio est. Atque quò quisque doctior et gravior est, eò est illius quidem et probabilior auctoritas, et fide dignius testimonium. Sed nulli theologus ità sese adjudicare debet, ut ab eo ne latum quidem unguem putet discedendum. Non enim æquum est, ut apud Christi discipulos tantùm ethnici unius auctoritas possit, ut etiam sine ratione vincat. Refert certè in quàcumque arte plurimùm, unum in illâ excellentem auctorem legere, cui potissimùm te addicas : nullus tamen, et quamlibet eruditus, sentiendi tibi ac dissentiendi auctor futurus est. Nemo enim fuit omnium, qui non, ut homo, interdùm hallucinaretur. Enimverò qui primas inter philosophos habeat, quisque proindè ille sit, cui præcipuam dare operam operæ pretium sit, variæ sunt doctissimorum hominum discrepantesque sententiæ. Nam, ut alios prætercam, in hujusmodi causâ aliud D. Aug. videri solet, cui cave quemquam anteponas; nec enim doctior vir fuit Augustino quisquam, nec clarior. Aliud autem videtur D. Thomæ maximo gravissimoque theologo atque philosopho. D. Augustino Plato summus est, D. Thomæ summus est Aristoteles; sic ferè res habent, ut id doctrinæ genusquisque maximè probet, cui à teneris annis maximè assuetus est. Exoritur Augustini ratio ex alterâ parte, nullos esse omnium christianæ magis doctrinæ concordes, quàm Platonicos : Plato siquidem fuit ex Hebræis philosophus,

(1) In hoc capite multùm commendat auctor philosophorum consensum, ut argumentum veritatis in quæstionibus philosophicis : eâ ratione naturali, quòd, in singulis rebus, consensus peritorum, seu judicium idoneorum multùm valeat, ac dissentientibus opinionibus prævalere debeat. Alteram etiam inducit rationem, ad philosophiæ seu potiùs philosophorum commendationem in quibus concordant, videlicet philosophicum institutum apud gentiles ad divinam pertinere Providentiam; quod quidem verum est, sed forsan ab auctore exaggeratum, saltem in verbis; cùm id institutum testamento judaico necnon et christiano videatur, licet, ut putandum est, in sensu lato, assimilare, atque propè divinum exhibere, ut etiam infrà, cap. 6, iterùm tradit. Prætereà, ex dictis, tùm in isto capite 4, tùm in sequenti, principia de usu philosophorum, in quæstionibus naturalibus, analogiâ haud parvâ cum regulis de usu Patrum et doctorum Ecclesiæ in doctrinâ catholicâ pollere videntur; in quo etiam cavendum ne cum auctore, versùs finem capitis 4, ipsi videamur oblivisci pastorum consensionem in Ecclesiâ assistentiæ peculiari divinæ adscribendam, præter rationes naturales ad idem concurrentes. Quidquid sit hâc de nostrâ reprehensione, Melchior Canus in his capitibus, potissimùm in 4, nonnisi altissimi specimina dedit ingenii (Vid. Proleg., n° 26 et 32.) P. S.

ut Clemens Alexand. auctor est. Imò verò, inquit Thomas, Peripateticorum doctrina christiano dogmati consentit plurimùm. Clemens enim Alexand., lib. 5 Strom., etiam refert Aristobulum multis libris probâsse philosophiam Peripateticam ex lege Mosaicâ et aliis dependisse Prophetis. Ac D. Thomæ sententia quidem, et omnium penè gentium, et multorum seculorum usu probata est. Platonem enim jam indè à multis annis vix in angulis homines otiosi legunt; Aristotelem verò magno consensu orbis academiæ resonant. In Aristotelem quoque illud elogium unicum universæ consentiunt gentes, per antonomasiam philosophum, hoc est philosophorum primarium fuisse. Jure ergò illum amplectimur, cujus de laude omnium sit fama consentiens. Divo etiam Thomæ ità sunt theologi scholastici assensi, ut in scholâ theologiæ Plato ne locum habeat quidem, ità eam Aristoteles occupavit. Illud constat, neminem in rebus naturalibus plenè eruditum esse posse, si solum Platonem legat. Solus autem Aristoteles abundè sat est, ut sit homo in philosophiæ tribus omninò partibus eruditus. Sanè, ne quis causetur, misero seculo Aristotelem theologis, Platonem autem meliore Ecclesiæ statu placuisse, sciatis, quicumque est tandem, scholam Aristotelicam Alexandriæ tùm etiam vigere solitam, cùm ibi doctores apostolici vigerent plurimùm. Sed enim, ut mihi quidem videtur, nec Augustini, nec Thomæ contemnenda est sententia. Nam et iis concedendum est, qui Aristotelem amant, et iis forsitan, qui Platonis amici sunt. Quorum judicium in eo quod de animi immortalitate, de Dei providentiâ, de rerum creatione, de finibus bonorum et malorum, deque alterius vitæ vel præmio vel pœnis, Platonem apertiùs constantiùsque locutum asserant, difficile factu est non probare. Probanda verò magis est divi Thomæ opinio, sed ità tamen ut adhibeatur moderatio quædam, sine quâ probari illa non potest. Placet enim quoque nobis Aristoteles, et rectè placet, modò ne repugnantem etiam illum ad Christi velimus semper dogma convertere. Idquod interpretes ferè solent : qui vim contextui sæpè afferunt, atque Aristotelem cogunt, ut, velit nolit, pro fide catholicâ pronuntiet. Periclitemur autem, si placet, et in iis quidem exemplis, in quibus errâsse Aristotelem vulgus theologorum fortassè non putat. Nec enim hoc loco de æternitate mundi, mentiumque præfinito numero disserendum est; sed ne de animi immortalitate quidem. Nam illa priora obvia sunt omnibus ; hæc autem quæstio in his commentariis, quos de animâ scripsit, accuratissimè est à Cajetano disputata. Verùm hæc consideremus, quæ difficiliora sunt ; et quæ Aristoteles vafrè verbisque de industriâ ad imponendum compositis, obscurè videtur enuntiâsse, ut si doctis fortassè viris jure quandoque et verè reprehenderetur, haberet quò posset elabi, atque ab amicis excusari. Nec ego hic tamen adversùs Aristotelem accusationem instituo, virum doctissimum, deque humanis litteris omnibus benè meritum. Sed cùm plerique ab illo nunc non aliter atque ab oraculo pendere videantur, securèque omnia illius opera legere, minuenda est hæc opinio, ne ab hujus philosophi placitis dissentire, piaculi loco sit. Audivimus enim Italos esse quosdam, qui suis et Aristoteli et Averroi tantùm temporis dant, quantùm sacris litteris ii, qui maximè sacrâ doctrinâ delectantur; tantùm verò fidei, quantùm Apostolis et Evangelistis ii, qui maximè sunt in Christi doctrinam religiosi. Ex quo nata sunt in Italiâ pestifera illa dogmata de mortalitate animi, et divinâ circà res humanas improvidentiâ, si verum est, quod dicitur. Nihil enim præter auditum habeo, cùm homines Aristotelis inflati opinionibus turpiter sibi blandiuntur, et indè in maximo versantur errore. Sed hæc hactenùs. Nunc ad propositum revertamur.

Primus igitur locus, ubi contrà Scripturarum fidem errâsse Aristotelem existimo, habetur de somno et vigiliâ, quo loco negat Deum immittere somnia, redditque ejus rei causam, quòd si Deus eorum esset auctor, sapientibus vel maximè et his quidem vigilantibus ea immitterentur.

Alterum exemplum est in tractatu de bonâ fortunâ, ubi res fortuitas divinæ gubernationi ac directioni subtrahit, duobus argumentis persuasus, uno quòd res secundæ pravis obveniant quorum Deum habere curam non sit verisimile; altero, quòd Deus potiùs dirigere in effecta fortunæ homines sapientes, cùm contrà ferè videamus, imprudentissimos quosque esse fortunatissimos.

Tertius locus est libro primo de Cœlo, ubi quidquid gentium esset, id corruptibile asseruit; nec incorruptibile quidquam, quod non esset ingenitum. Posuerat verò antè omnia varias harum vocum significationes, ne res verbi ignorantiâ clauderetur. Ratus itaque se adversùs Platonem bonam habere causam, certamque proindè sibi victoriam pollicitus, contrà morem suum non obscurè, sed quàm fieri potuit apertè docuit, quidquid incorruptibile esset, id ingenitum esse ac perpetuum oportere, hoc est, nullo unquàm modo incœpisse. Sic enim vocem illam interpretatur. Quâ ex re fieret, ut anima rationalis aut corruptioni esset obnoxia, aut esset certè ingenita ac sempiterna.

Quartus locus est libro quinto, rursùmque duodecimo Metaphys., quibus locis definit, Deum animal esse perpetuum et optimum. Vocat autem Deum communi nomine substantiam quamcumque cœlestem et divinam. Nam post hæc incipit inquirere, an illa substantia sempiterna una, an plures sint. Atque eodem lib. 22, consentit benè, antiquos res illas præstantissimas deos appellâsse. Ludit autem per amphibologiam; nunc enim mentem ipsam Deum vocat, nunc cœlum, cujus anima mens est, id quod libro etiam secundo de Cœlo videre licet. Sed ne quis sit admiratus, quòd cœlestes substantias animalia hìc Aristoteles nuncupet; nam veterum more substantiam animatam sive animâ sensitivâ, seu intellectivâ, vocat animal. Itaque arbitratur Deum illum unum principem cæterorum, extremo cœlo affixum, per se movere ipsum, quo modo cæteræ mentes suos orbes movent, suntque Arist. ipsorum orbium animæ; ut et D. Thom. 2, cont. Gent. c. 70, admittit. Nec Aristot., aut 8 Physic., aut 12 Metaph., hominis intelligentiam ad aliud principium revocat,

quàm ad illam primam mentem, quæ vi sempiternâ primum mobile ciet.

Quintus locus est eodem quoque libro, ubi substantiis intellectualibus cœlorum motricibus virtutem tribuit infinitam, quòd infinito tempore moveant.

Sextus locus est eodem etiam libro, ubi, ut mihi quidem videtur, Dei providentiam præmiaque et supplicia, quæ probos et improbos in futurâ vitâ manent, fabulas esse significavit, gratiâ vulgi continendi in officio confictas. « Reliqua, ait, fabulosè jam sunt allata « ad persuasionem vulgi, atque ad usum legum, vitæ « que humanæ utilitatem. » Ecquæ enim, rogo, illa sunt veteribus tradita, in quibus hæc ambo conveniant, ut sint et ad usum legum, et ad vitæ humanæ utilitatem tradita, nisi ea, quæ nos explicare volumus, Aristoteles noluit, ne proborum hominum, eorum vel maximè, qui reipublicæ curam gererent, invidiam sibi odiumque conflaret? Nam quòd Aristoteles Deo rerum humanarum providentiam adimat, maximâ auctoritate theologi affirmant, Clemens Alexand. lib. 5 Strom. et Epiphan. lib. 3 adversùm Hæreses, cap. ultimo. Quos autem locupletiores auctores quærimus, quàm sanctos eruditos, in Græcorumque doctrinis apprimè versatos? Anne ipsius etiam Aristotelis de se testimonium expectamus? Nimirùm, 12 Metaphysicor. libro, verbis artificiosè excogitatis, ne in hoc etiam à more suo discederet, absurdum esse docuit, Deum de quibusdam intelligere, quòd præstet videre aliqua, quàm non videre. Ubi non dicit absurdum esse Deum quædam intelligere, sed de quibusdam intelligere, aut meditari, ut vetus interpres reddidit; ut non tàm simplex rerum vilium intelligentia, quàm providentia earum, et cura significaretur. Sentit itaque Deum magna curare, parva negligere. Atque in libello de Mundo, si modò ejus est hoc opus, Deum facit similem magno Persarum regi Xerxi, vel Cambysi, vel Dario, qui ipse per se maxima et pulcherrima regni obeat munia, minora, et sordida mandet aliis. Ac 10 Ethicorum libro: « Quòd si dii, « inquit, curam habent aliquam humanarum rerum, « quemadmodùm existimatur et creditur, rationabile « est, eos amantibus mentem honorantibusque favere, « tanquàm rerum sibi charissimarum curatoribus, ac « benè agentibus. » Nota, *ut existimatur et creditur*, etc. Jam Diogenes Laertius apertè tradit Aristotelem Dei providentiam ad cœlestia usque pertingere. Jam, quòd libertatem Deo in naturæ rebus Aristoteles neget, viri docti et graves ità magnis argumentis suadent, ut supervacaneum sit, eas hìc à me rationes repeti, quas in promptu est ex illorum libris cognoscere. Certè ubi de mundi æternitate velis equisque, ut aiunt, cum Platone certat, si naturæ auctorem liberum faciat, ridiculus esse videatur. Quid de indignatione ob prospera impiorum eventa, quàm ad bonos mores pertinere secundo Rhetoricorum libro affirmat? Quid quòd, 7 Politicorum, libro præscribit, nihil mutilum et imminutum orbatumque naturâ educendum? scilicet, ne nimiâ filiorum multitudine res sua illa publica formam speciemque congruentem amitteret, propter quam etiam causam prævertendos fœtus existimat, abortumque antè animationem faciendum. Nam postquàm vitam acceperint, nefas putat attingere. Quid de animarum infinitâ multitudine? quam admittat necesse est, ne in Pythagoræ μετεμψύχωσιν incidat. Illâ verò admissâ, cùm infinita corpora esse non posse existimet demonstratum, resurrectionis articulum non admittit. Quid quòd duo principia Aristoteles posuit, Deum et materiam? nec enim rerum creationem ex nihilo agnovit. Cujus quidem rei testes non mediocres, sed haud scio an gravissimos, Clementem Alexandrinum, Epiphaniumque noli, lector, contemnere. Atque hæc quidem Aristotelis sensa fuisse, verecundiùs assero propter D. Thomam qui hujus philosophi solet ferè esse patronus; sed doctores doctissimi probant illum ità sensisse, quos ego in hàc parte secutus sum. Si quis verò pro Aristotelis sensu apologiam adornet, cum hoc ego non magnoperè contenderim. Tantùm à lectore postulo, ut mihi concedat, si potest, Aristotelem in his locis errâsse; sin hoc non licet per D. Thomam, at illud certè dabit, vel cautè eum ut varium et lubricum esse legendum, vel certè esse in nonnullis placitis reprobandum. Mihi utrumvis satìs est, et tùm hoc, tùm illud probabilius videtur, nec prætereà quidquam probabile. Quantùm ergò philosophi vel simul omnes, vel separatìm singuli ad faciendam fidem habeant virium, satìs, ut arbitror, diligenter explicatum est.

CAPUT VI.

Ubi satisfit argumentis capite secundo positis.

Nullius verò negotii erit, objectiones contrà à principio positas repellere. Primùm enim facilè intelligitur, non eos, qui missi sunt, sed illos, qui venerunt, vel pseudoprophetas, vel pseudophilosophos à Domino reprobari. *Non mittebam*, inquit, *et ipsi currebant*. Veros autem philosophos divinitùs fuisse procuratos, satìs suprà, nì fallor, argumentati sumus (1). Deindè Græciæ philosophos aliâ ratione fures esse dictos contendit Clemens, quòd ultrà quàm à Moyse et Prophetis sapientiam subripuerint, gloriolæ aucupandæ gratiâ quasi suam jactare sùnt soliti. Pythagoras quidem discipulus fuit Judæi cujusdam Nazareti, ut Alexander in libro de symbolis Pythagoricis scribit. Quin divus Ambrosius Pythagoram genere fuisse Hebræum non obscurè tradidit. Certè fuisse circumcisum Clemens Alexandrinus auctor est.

Clearchus autem Peripateticus in primo libro de Somno dicit se nôsse Judæum quemdam gravissimum non solùm eloquio, sed etiam animo, cum quo versatus est Aristoteles. Nam Platonem non solùm à Pythagorâ, sed à nostris etiam doctrinam accepisse, et Augustinus et Clemens testati sunt, et Ambrosius multis argumentis suadet. Id quod Plato ipse in Timæo ingenuè fatetur. Cùm itaque ea, quæ à philosophis rectè et sapienter dicta sunt, nostris nos disputationibus inseruerimus, repetemus nostra tunc, non aliena mutuabimur. Ac de primo quidem argumento hactenùs. Nam cætera sunt hujusmodi, ut negotium lectori facturi simus, si ea modò refutemus.

(1) Vide suprà notam superiorem, col. 152.

CAPUT VII.

De juris civilis in theologicis controversiis auctoritate. Quibus imperatur argumentis.

Quoniam verò pertinet quidem ad hunc locum juris civilis auctoritas, et ità pertinet, ut non recondità quâdam ratione cernatur, sed sit in promptu, necesse est ut de illâ quoque pauca dicantur. Est enim sine dubio juris legumque peritia recta morum et vitæ disciplina; philosophia autem vitæ lex est ac ratio. Quò fit ut legum civilium periti philosophi censendi sint, scilicet qui veram, ut ille ait, philosophiam profitentur; jus verò civile nullâ in parte theologis prodesse posse, ex eo primùm suadetur, quòd hujusmodi jura discere, presbyteris atque adeò monachis est interdictum. Repugnat ergo theologiæ illa facultas, à quâ ut clerici abhorreant, lege canonicâ præscribitur. Cùmque theologia rursùm de rebus divinis sit, jus verò civile in rerum humanarum earumque temporalium administratione versetur, vix intelligi potest, quem usum theologo de rebus æternis disserenti, scientia, quæ res temporarias administrat, præstare queat. Ac Cyprianus fatetur quidem pontifices legibus imperatorum uti, sed pro cursu rerum tantummodò temporalium. Non igitur viri ecclesiastici, cùm res theologicas, hoc est, divinas sempiternasque tractare volunt, leges imperiales usurpare debent. Imperatorum quoque edicta, quæ jus civile continent, Dei quandoque legibus adversantur.

Non ergò theologus ex illis argumentum aliquod idoneum accipiet ad conclusiones theologiæ comprobandas.

CAPUT VIII.

Juris civilis studium theologo utilissimum probat.

Sed illud verius est, juris humani facultatem in multis theologo commodam esse posse. Si enim illi canonica scientia est necessaria, huic autem peritia legum adeò conjuncta et colligata est, ut vix altera possit ab alterâ separari, theologus sanè ut jus canonicum, ità quoque et civile cum illo connexum vindicare debet. Quòd autem sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuventur, vicissimque illas juvent, testatur Lucius 3, de novi operis nun. cap. 1. Undè illud apud Italos : *Il legista senza capitolo vale poco, ma il canonista senza legge vale niente* (1), factum est jam tritum sermone proverbium. Rursùm pontificum jura plerumque civili auctoritate rationeque utuntur. A theologo igitur, cui jus pontificium familiare esse oportet, non erit juris civilis cognitio aliena. Augustinus præstereà non improbat, si terreni imperii leges in suum adjutorium hæretici assumant; id enim fecit Apostolus. Probandus est igitur ac multò etiam magis theologus, si adversùm hæreticos, cùm vel de rerum temporalium dispositione rectâ disserit, vel de moribus in republicâ aut constituendis aut constitutis, legum civilium auctoritatem adsciscit. Id quod Augustinus idem contrà Donatistas sæpè facit. Nec enim peculiarem aliquem locum referre libet, cùm tàm multis hoc sit à divo Augustino usurpatum. Ad hæc in disputationem de justitiâ et jure incidat theologus aliquandò necesse est. Quo loco sanè ineptus erit si ea, quæ graviter à viris clarissimis de jure dicta sunt, negligere voluerit. Præstereà, in pactis, stipulationibus cæterisque contractibus, in rerum dominio, præscriptione, testamentis, donationibus, testibus, judicibus, aliisque sexcentis hujus generis, quoties theologo opus est album à nigro æquumque ab iniquo secernere? Sæpè nimirùm; si ejus munus esse creditur, animarum cavere periculis, earumque saluti consulere. Injustitia quippè mortale peccatum est; quarè nihil est mirandum, si qui et multorum confessiones audire debet, et de injustitiâ plurimis respondere, ab eo legum talem qualem cognitionem ipse requirat. Quid cùm ad restitutionis materiam aptè exactèque tractandam de rebus hujusmodi theologus disputaturus est? Nùm justitiæ et æquitatis, in foro etiam conscientiæ, rectus arbiter esse poterit, nisi multa à jurisconsultis, et civili prudentiâ mutuetur? Minimè id quidem. Nam licèt justum, injustumque internoscere philosophorum, divique Thomæ libris theologus adjutus possit; at id solum faciet in genere, in specie autem sine juris aliquâ peritiâ non faciet. Sed hæc videri possunt obscuriora, dùm sine appositione exemplorum lentiùs disputantur. Exemplis illustranda sunt hæc, quæ rationibus subtiliùs quàm satìs est, disputari videntur. Proferam autem aliqua è multis exempla, nam omnia, esse operis infiniti. Sit igitur primùm: Si pœnitens dicat se habere scrupulum super his aut illis bonis, quæ videlicet ex præscriptione longi temporis possidet, quæ ex donatione uxoris alienæ habet, quæ ex testamento minùs solemni, quæve ab intestato obvenerunt. Si tsecundum exemplum : Si ait pœnitens, se habere litem super hâc illâve causâ, nescireque se an cedere debeat liti, an potiùs illam valeat justè prosequi. Sit tertium : Si quis primogenitus à theologo quærat, an peccet mortaliter, nisi sorores justo matrimonio collocet, nisi æs alienum solvat, quod parens contraxerit, nisi protogenium curet, et tueatur. Quid in donatario? An teneatur ad debita? Quid in domino? An à subditis possit solita quædam munera exigere, eosque ad consueta onera sive realia, sive personalia obligare? Placent enim nobis hoc loco quidem jurisperitorum illæ voces; nec semper nos oportet accuratâ dictione disserere; quin satius est de nominibus parùm esse sollicitos, esseque interdùm faciles et negligentes, quemadmodùm Plato nos et in Theoteto et in Politico admonuit. Verùm hæc obiter. Jam ad illa redeamus. Sed quid opus est plura? Annè speciatìm definire, quandò in judiciis, in contractibus, in ultimis voluntatibus, ac nonnunquàm etiam in delictis committatur injustitia, vires theologi non excedit? cùm casus occurrant innumeri, qui naturæ lege definiri non queunt. Id si ità est, ut est certè, insolentiæ erit maximæ, in ejusmodi quæstionibus juris peritiam [illegible]. Juris autem peritia non aut [illegible]ultiùs

(1) Id est, scientiam juris civilis parùm valere, absque jure canonico, nihil verò canonici scientiam neglectâ civilis juris notitiâ.

investigari aut inveniri certiùs potest, quàm in juris voluminibus, quæ non alia quæcumque philosophorum volumina, nec eloquentiâ, nec prudentiâ superant; de quinquaginta loquor Pandectarum libris. Nam posteriores leges multùm omninò utràque in re ab illis declinàrunt. Quòd si bibliothecas omnium philosophorum unus Ciceroni visus est duodecim tabularum libellus et auctoritatis pondere, et utilitatis ubertate superare, quid nos credere oportet de illis quinquaginta libris, quibus non leges modò duodecim tabularum, verùm multæ etiam aliæ continentur de hominum conventionibus, deque jure et æquo prudenter sanctèque præscriptæ? Sanctum, inquam, volumen est, et justitiæ templum meritò illud Justinianus appellavit. Atque cùm è sacrâ morum philosophiâ jus esse ortum civile constet, ut fontem, sic certè et rivulos theologus colat, ne parùm sit in philosophiam ipsam religiosus. Sanè qui jus civile theologo negligendum putat, is bonam partem philosophiæ moralis revellit; cujus subsidium si quis illi neget de moribus disserenti, stultus esse videatur. Quia ergò sæpè utitur theologus subsidio juris in disputatione theologicâ, idcircò illam juris scientiam theologiæ tanquàm ancillulam, pedissequamque adjunxi.

CAPUT IX.

Quæ vis ac potestas argumenti ex jure civili desumpti.

Et quanquàm argumentum, quod à jure civili ducitur, nec certum fortassè, nec exploratum est; sed probabilissimum est tamen, cùm omne, tùm illud magis, quod à legibus christianæ reipublicæ usu probatis theologus accipiet. Non enim sine divino nutu hujusmodi leges Romanis esse datas credendum est; quin divinitùs per ora principum promulgatas fuisse, Joannes VIII prædicat. Et Augustinus inquit, humana jura per imperatores et rectores seculi Deum humano generi distribuisse. Ac Demosthenes, leges, inventum munusque deorum esse putat. Et Cicero principis legem ad jubendum et vetandum aptam, rationem rectam esse ait summi Jovis. Et Salomon : *Divinatio*, inquit, Prov. 16, *in labiis regis, in judicio non errabit os ejus.* Ad Dei ergò procurationem pertinuit, ut numine quodam legum romanarum latores afflarentur, quo ad reipublicæ moderationem ea scita præscriberent, quæ essent justa atque legitima. Quamobrem si theologus ex illis argumentum sumat, nihil abhorrebit à professionis suæ instituto, et si non certò, at probabiliter argumentabitur. Nec enim mihi Ludovicus Vives probari potest, in eo, quòd universam legum romanarum et vim nititur frangere, et elevare auctoritatem; plus ille nimiò interdùm sibi indulget dùm corruptas disciplinas persequitur. Nec novitios solùm errores, qui vel irrepserunt, vel invaserunt, coarguere, sed antiquorum recepta placita convellere pertentat, maximo quidem semper verborum ambitu, sed vi quandoque argumentorum minimâ. Dixit ille quidem in libris de corruptis disciplinis multa verè, multa præclarè; atque fidenter pronuntiavit aliquandò, tanquàm è divorum concilio descendisset. Multò autem viris doctis probaretur magis, si quâ diligentiâ et disertitudine causas corruptarum artium expressit, eâdem collapsas restituisset; sed in tradendis disciplinis elanguit, cùm in carpendis erroribus viguisset. Nec mirum, nam aliorum errata etiam probabiliter reprehendere, facile est id quidem; artes verò, quas jam indè à multis annis viri quidam et indocti, et barbari deflexerunt, ad rectam lineam revocare, scilicet hoc opus, hic labor est. Illùcque erat omninò conandum, si quidquam magnâ laude dignum agendum erat. Aliud est autem leges civiles, præsertìm in republicâ benè institutâ, longo usu probatas reprehendere, aliud, errorem interpretum increpare. Quanquàm Ludovicus, quod ad jurisperitos attinet, eadem nobiscum sensit. Ait enim : Ac juris civilis veteres interpretes summo olìm in honore fuêre, jure quidem merito magnisque rationibus. Quoniam jus civile, ut à præclaris philosophis graviter prudenterque editum fuerat, ità illud etiam non nisi graves prudentesque philosophi interpretabantur. Posteà verò quàm facultas hæc in eorum manu esse cœpit, qui nullâ philosophiâ, nullâ gravi disciplinâ antè instructi ad eam et ornati accesserant, scientiæ hujus splendor omnis deletus est, neque ejus professores habentur in pretio nisi à vulgo, quod litibus plenum est omne. Quemadmodùm autem ægyptii sacerdotes mirificè colebantur, quòd multam in mathematicis posuissent operam, geometriâ verò Ægyptus tota indigeret, confusis per annos singulos agrorum limitibus ab inundante Nilo; sic cùm licet inundatione suâ orbis christiani fines pervaserint, miscuerint, confuderint, necesse est, eos honore summo affici, qui jurgiorum componendorum dicuntur esse periti. Componant necne ipsi viderint; hoc nos certè videmus, minùs ibi esse litium, ubi minùs est hujus generis litteratorum. Novitios itaque eos jure consultos ne ego quidem in usum theologiæ vindicare cupio. Nec enim mihi jureconsultus est leguleius quispiam, captus et acutus, cautor formularum, anceps syllabarum, injustitiæ æquè ut justitiæ patronus. Sed id doceo, civiles leges, eas vel maximè, quæ christiani populi usu et more observatæ diù sunt, theologò ad argumentandum esse utiles. Sed de his satis. Nunc de historiæ auctoritate dicamus. Nam argumenta, quæ posuimus, ut juris civilis auctoritatem elevaremus, faciliora sunt, quàm quibus refutandis nostra immorari debeat oratio.



DE HISTORIÆ HUMANÆ AUCTORITATE,

QUÆ POSTREMO LOCO EST POSITA.

LIBER XI.

CAPUT PRIMUM.

Nuntius de morte parentis vixdùm finito superiori libro allatus enarratur.

Superiorem locum vixdùm finieram, et ecce nuntius affertur, parentem meum charissimum Viennæ diem extremum obiisse. Eo verò audito nuntio, si motum me negem, quàm id rectè faciam, viderint sapientes, sed certè mentiar. Motus sum enim tali parente orbatus, qualis, ut arbitror, apud mortales reliquus nullus est. Cùm autem ego illi meas has lucubrationes nuncuparem, scilicet à laboribus, quos ejus potissimùm causâ susceperam, aliquandiù cessatum est. Mihi enim antè ità jucunda hujus libri confectio erat, ut non modò omnes abstergeret laborum molestias, sed efficeret labores molles etiam et jucundos. At vero posteà nihil omninò erat, quo tædium et cura levaretur. Etenim vivo patre, cùm de locis theologicis aliquid vellem scribere, ille mihi occurrebat non eo solùm dignus munere, sed in cujus etiam nomine, vigiliæ nostræ gratiùs apparerent. Nunc autem quem similem inventurus sum, ut patris loco substituam? Solebam mihi equidem charissimum parentis vultum sistere; et quotiescumque scribendum erat, aut ego eram cum illo, aut ille mecum. Ille addebat aculeos, ille torpentem excitabat, ille ne oscitare quidem me sinebat. Tanta erat in absentem etiam patrem reverentia! At modò opus cœptum persequi cupienti aqua hæret, ut aiunt, nec quidquam conor, ut non labascat animus victus quàm citò. Longo enim à me ille spatio sejunctus, non minùs mihi reliquit moriendo doloris, quàm afferebat vivendo lætitiæ. Sed cùm, accepto vulnere, otium mihi magnum, insperatumque contigerit, nihil autem agere animus nec deberet, nec posset, ad postremum locum omninò appellandus fuit; ne res benè et utiliter inchoata, ejus morte interciperetur, qui etiamnùm è superis vigiliarum mearum munus exigit. Nec verò dubitem ego quærenti, cui scribam, respondere : Patri meo scribo, qui me non ipsi hæc tantummodò dare voluit, sed etiam aliis prodere. Quanta igitur apud theologos sit historiæ humanæ et utilitas et auctoritas, explicaturi modò sumus. Orabit autem sine dubio pater, ut quod iter illo in terris cogente carpsimus, eodem nunc è cœlis favente peragamus.

CAPUT II.

De historiæ humanæ in theologiam utilitate.

Emersi jam è vadis, et scopulos prætervecta est oratio mea. A rebus enim difficillimis ad res faciles delapsus sum, neque in historiæ humanæ auctoritate explicandâ, potest aut ingenium, aut theologia mea periclitari. Multò verò id minùs, cùm illud explico, quàm sit theologo humana historia utilis et necessaria. Nullos quippè hìc adversarios habemus, nulla contrà veritatem argumenta sunt. Etenim viri omnes docti consentiunt, rudes omninò theologos illos esse, in quorum lucubrationibus historia muta est. Mihi quidem non theologi solùm, sed nulli satis eruditi videntur, quibus res olim gestæ ignotæ sunt. Multa enim nobis è thesauris suis historia suppeditat, quibus si careamus, et in theologiâ, et in quâcumque fermè aliâ facultate, inopes sæpenumerò et indocti reperiemur. Cùm verò pateat quandoque in re quondàm gestâ theologicæ disputationis cardinem verti, quis est hic, qui neget, interdùm etiam in scholasticâ disputatione opus esse ex annalium monumentis testes excitare clarissimos veritatis? Equidem historiam esse theologo disserenti necessariam, cùm sæpè aliàs, tùm maximè in hoc opere animadverti, ubi quantus mihi fuerit historiæ humanæ usus, qui superiores libros attigerint, ii facilè judicabunt. Nam quàm magnus posteà futurus sit, non audeo ego in præsentiâ dicere, ne montes aureos videar polliceri.

Certè quantùm historiæ cognitione theologus indigeat, vel illi abundè magno argumento sunt, qui ejus ignoratione sunt in varios errores lapsi. Hujus generis quidam exemplum ponunt, quòd Trajanum Gregorii precibus à gehennâ liberatum, non vulgo solùm, sed divo etiam Thomæ olim juveni persuasum est. Persuasum est autem Joannis Damasceni auctoritate, cui D. sanè Thomas plurimùm deferebat. Sed illius fabellæ, inquiunt, argumento nemo adduceretur, si ex temporum ratione intelligeret, Joannem Damascenum rei ejus auctorem esse non posse, ut qui plus uno seculo, juxtà horum sententiam, Gregorium antecesserit. Nam Raphael Volaterranus, Vincentius Valvasensis, ac divus Antoninus illum tradunt sub Theodosio floruisse. Sed hoc exemplum ineptum est, cùm Joannes ille Damascenus, qui quatuor de orthodoxâ fide libros edidit, sub Constantino et Leone floruerit, hoc est, divo Gregorio jam defuncto. Nec in re apertâ opus est aut Joannem, patriarcham Hierosolymitanum, aut rerum scriptorem romanarum, lib. 21 et 22, aut alios etiam historicos excitare, ubi Joannes ipse Damascenus non obscurè indicat, quo tempore exstiterit. Primùm enim Cyrillum sæpè refert, qui post Theodosium fuit. Synodi quoque Chalcedon. aliquandò meminit. Quin lib. 3, cap. 10, Petri cujusdam Gnaphæi facit mentionem, qui sub Justiniano in quintâ synodo damnatus est. Sed et lib. 4, cap. 17, contrà Iconomachos, scribit, eosdemque in lib. hæres. Iconoclastas et Thymoleontes appellat, à Leone scilicet, qui sectæ illius princeps et auctor et adjutor fuit. Eodem prætereà

hæres. libro, Monothelitas commemorat Cyrum, Sergium et Eustachium, qui damnati sunt in sextâ synodo sub Agathone papâ; adversùm quos copiosè etiam scripsit, lib. 5 de orthod. fid., cap. 14 et 15. Quæ omnia qui expendat, is facilè intelliget, Joannem Damascenum post Gregorium exstitisse. Nam quod Trithemius ait, duos fuisse hujus nominis, alterum sub Theodosio, qui libros illos theologiæ composuerit, alterum sub Leone, qui pro imaginibus depugnârit, id commentitium totum est, ut ex locis modò recitatis apparuit. Nec verò historiam ego illam probo. Mirum enim est, hominem græcum, rem nostram, et toto, ut ipse inquit, orbe vulgatam, Græcis suis prodidisse, quam historia tamen omnis Latinorum ignorat. Sint ergo fabulæ, non repugno, ea quæ de Trajano et Gregorio referuntur. At non ob illam causam tamen, quia prior Gregorio Damascenus fuerit. Verùm hoc in genere Hispanus noster Genesius Sepulveda nuper erravit, homo neque meo judicio imperitus, et suo valdè doctus, certè et eloquendi arte clarus, et à theologiæ studio non abhorrens, qui cùm persuadere vellet, barbaris novi orbis oppugnandis justam esse belli causam, in eam argumentationem incubuit, quòd, Gregorius in epistolâ, lib. primi septuagesimâ tertiâ (id quod refertur qu. 23, c. 4 *Si non*), Gennadium commendat, qui tantùm christianæ dilatandæ causâ reipublicæ bella susceperit, quatenùs Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaquè discurreret. Hoc verò Gregorii testimonium quàm sit ineptum ad rem propositam comprobandam, is quoque ipse Genesius facilè judicâsset, si ex historiis didicisset, eos adversùm quos bella Gennadius gessit, hostes non imperii romani modò, verùm etiam Ecclesiæ Christique fuisse. Id quod ex aliâ quâdam ad eumdem Gennadium epistolâ, quæ est in eodem lib. 19, num. 72, luce clariùs videre licet. Nec dubitari potest, Vandalos, quorum reliquiæ eò usque in Africanâ provinciâ supererant, Arianâ peste affectos; nec ignoratur Donatistas, quibus Africa tùm etiam plena erat, præliis et vi contrà Catholicos, non solùm disputatione, pugnâsse. Sed de his exemplis non est hìc locus disserendi, ubi breviter et in transcursu theologum admonemus, ut ne historiam ecclesiasticam negligat, cujus et cognitio magnos fructus parit, et ignoratio parit errores.

Jam verò Augustinus, lib. de Doctr. Christ., lib. 2, cap. 28, Ethnicorum etiam historias ad intelligentiam Scripturæ sacræ plurimùm conferre tradit, ostenditque, ex earum ignoratione, quosdam circà Scripturas errâsse. Videlicet Irenæus et Tertullianus, prior quidem, lib. 2, cap. 39 et 40, posterior in opere advers. Judæos, circà ætatem quâ Christus passus est, in vario sunt quidem errore versati, sed ob eamdem causam tamen. Historias enim humanas hoc loco neglexerunt, quibus cognitis ea res facillimè expeditur. Quanquàm uterque erroris sui ex Evangelio quoque poterat admoneri. Atque Erasmus, quas tenebras super universam terram factas planè scribit Evangelista, eas ipse super Judæam tantùm fusas intelligit, falsæque intelligentiæ causam ponit, neque veram, neque, si vera esset, satis idoneam, quòd si hæ tenebræ tanto spatio contigissent per universum orbem, aliquis certè seu latinus seu græcus scriptor ejus rei meminisset. Nam epistolam, quâ Dionysius astruit eclipsim illam se diligenter et vidisse oculis et animo considerâsse, quasi nomine Dionysii confictam deridendam propinat. At verò nec quam philosophiæ et doctrinæ laudem Dionysio Areopagitæ eripere conatur Erasmus, eam ego in hoc opere asserere instituo; nec id etiam reprehendo, quòd D. Hieronymum ejus interpretationis auctorem facit, cui non alius quisquam Scripturæ interpres apertiùs contradicit. Illud ago, nisi humanas historias hìc ignoraret Erasmus, tenebras profectò illas aliter, ac verè quidem, interpretaturum. Phlegon enim, Olympiadum egregius supputator, in quartodecimo libro ità scribit: « Quarto autem anno 207 « olympiadis, magna et excellens inter omnes, quæ « antè eam acciderant, defectio solis est facta. Dies « horâ sextâ ità in tenebrosam noctem versus, ut « stellæ cœlo visæ sint, terræque motus in Bithyniâ « Nicænæ urbis multas ædes subverterit. » Quem annum cum passione Dominicâ concurrisse Euseb. in Chronicis patefecit. Lucianus quoque, presbyter Antiochenus, vir moribus et eruditione præcipuus, cum gentibus de fide christianâ disputans : « Requirite, « inquit, in annalibus vestris, et invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris diem. » Auctor est Eusebius, libro 9 ecclesiast. Histor., cap. 6. Tertullianus demùm : « Eodem, inquit, momento, dies, medium orbem si« gnante sole, subducta est. Deliquium utique puta« verunt, qui id super Christum prædicatum non scie« runt, et tamen eum mundi casum relatum in archi« vis vestris habetis. » Hactenùs ille in Apoc. cap. 21. Quibus ex rebus facilè intelligitur, sacris litteris exponendis historias etiam gentilium esse necessarias. Quæ quanquàm ità sunt in promptu, ut res disputatione non egeat, sunt tamen nobis in tertio decimo libro fusiùs explicanda.

Cùm igitur ibi hæc simus exemplis manifestissimis illustraturi, non est cur quæ ejus libri propria doctrina erit, hoc nos eam loco importunè antevertamus. Atque ut geometræ solent non omnia argumentis ostendere, sed postulare, ut quædam sibi concedantur, quò faciliùs quæ velint, explicent; sic ego interim à lectore postulo, ut mihi concedat esse in libris sacris loca plurima, quæ sine historiæ humanæ cognitione expediri non queunt. Quod autem in dissertatione adversùm fidei christianæ inimicos rerum gestarum monumenta theologo peropportuna sint, clarissimorum virorum usus apertè confirmat. Tertullianus ex ipsis Romanorum historiis argumentatur, in Apologetico, pessimos quosque sævos Christianis crudelesque fuisse. Bonum itaque esse id, quòd mali homines insectarentur. In libro verò ad Scapulam, quot rerum gestarum exemplis usus est, ut persuaderet ob vexatos Christianos, multos gentilium præsides tristes exitus habuisse! Quamobrem qui cum nostris pugnavissent, eos cum Deo quoque sine dubio certâsse. Cyprianus idolorum omnium vanitatem quâ historiarum scientiâ

et commemoratione coarguit! Hieronymus, advers. Jovinian., quot quàmque varias adversùm Jovinianum historias in commendationem virginitatis castitatisque commemorat! Lucianus presbyter, quemadmodùm suprà diximus, ipsos gentium annales citat, ut nostræ etiam fidei dogmata illorum testimoniis asserat. Eusebius Judæos et paganos sæpè ex historiis humanis refutat. Non ergò historia solùm ecclesiastica, sed ea etiam, quæ est ab ethnicis auctoribus scripta, theologo contrà adversarios fidei utilissima est. Quapropter rudem esse omninò in historiis gentium, aut incertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi. Enimverò quòd commodè ac prudenter non in concionibus modò, sed etiam in disputationibus, theologus exempla proferat, dùm quippiam vel justum esse suadet, vel injustum, quoniam à viris aut probis, aut improbis usurpatum est, Tertullianus, Hieronymus, aliique viri gravissimi satis ostendunt, qui non raró hujuscemodi persuasionis genere delectantur. At exempla probabilia sine historiæ cognitione proferri quî possunt? Quàm latè igitur historiæ utilitas fusa sit, apparet: siquidem quacumquè theologi ingredimur sive concionando, sive disputando, seu sacras litteras exponendo, in aliquam historiam vestigium ponimus. Itaque cùm ad has multas res theologo perutiles sint historiarum libri, studiosè profectò ab eo legendi sunt, ne turpiter in rebus ad se maximè pertinentibus erret, eaque ignoret, quæ ignorari non sine imprudentiâ modò sed ne sine imperitiâ quidem possunt. Historia quippè, ut Cicero verissimè dixit, cùm magistra vitæ est, tùm lux etiam veritatis. De historiæ ergò utilitate hactenùs dictum est, nunc de auctoritate videamus.

CAPUT III.

Argumenta continet, quibus auctoritas humanæ historiæ impugnatur.

Quanquàm, ut paulò antè dicebamus, è locis scopulosis enavigavit oratio, nec ea, quæ in hujus loci explicatione disserenda sunt, ingenii vim aciemque desiderant, egent tamen quædam horum gravi maturoque judicio. Quâ ex re fit, id quod vix credibile est, ut in loco facili et explicato perdifficiles et lubricæ quæstiones existant. In primis enim constituendum est, qualis quantaque sit historiæ humanæ auctoritas, et quam faciat in theologiâ fidem, quod non adeò expeditum est. Deindè quis auctor probabilis ac fide dignus existimari debeat; quæ res est omnium difficillima. Cùm enim non ex sermone hominum recenti, sed ex majorum memoriâ atque annalium vetustate eruenda sæpè sit veritatis explicatio ejus, quæ in theologicâ disputatione versatur, oportebit sanè de historiâ præsertìm veteri judicare, historicos omnes internoscere, mendacesque à veracibus secernere. Quam facultatem quoniam mihi nec arrogo, nec debeo, fateor me non sine metu ac pudore quodam hanc provinciam suscepisse, munere necessitatis, non voluntatis opere perfuncturus; non quòd mihi in tanto officio, tàmque gravi causâ cura defuerit, sed quòd video periculosum esse, eo vel maximè loco judicem velle fieri, ubi vir ille nimirùm exigitur, qui et antiquitatis memoriam in numerato habeat, et prudentiâ summâ gravissimoque judicio sit præditus. Sed quò citiùs hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissâ aut ignorationis meæ, aut temeritatis, aut utriusque etiam deprecatione, ad earum rerum, quas proposuimus, explicationem disputationemque veniamus.

Principio itaque historiæ humanæ auctoritatem argumentis oppositis impugnabimus. Mox docebimus ex ejusmodi historiâ qualia in theologiæ usum argumenta ducantur. Tertio loco ostendemus, quinam illi auctores sint, quos in historiâ theologi probare debeant. Postremò argumenta opposita refutando finem hujus libri faciemus.

Primum ergò argumentum, quo historiæ humanæ fides labefactari potest, est hujusmodi. Joseph secundùm naturam filium fuisse Jacob, secundùm legem fuisse filium Eli, Africanus in epistolâ ad Aristidem, Justinus martyr quæstione ad Orthodoxos 66, Eusebius, libro 1 Ecclesiast. Histor. cap. 7, Nicephorus, lib. item primo, cap. 11, Ambrosius, lib. in Lucam 3, Hieronymus in primum Matthæi cap., August. lib. 2 de concord. Evang. cap. 3, et 2 Retractat. lib., cap. 5 et 16, Damascenus, lib. 4, cap. 15, Beda, lib. prim. in Lucam, cap. 10, Theophylactus in Lucæ tertium caput, omnesque ferè Patres scripserunt. Neque illis subitò reperta hæc, aut sine auctoribus conficta sunt, sed ab ipsis Salvatoris nostri propinquis et consanguineis tradita, quemadmodùm Africanus affirmat. Hæc verò multis argumentis commentitia esse probat libro primo Harmoniæ Evangelicæ Osiander, atque, ut sibi quidem videtur, ità probat, ut non modò D. Thomæ, cæterisque theologis, quasi portenta somniantibus insultet, verùm etiam eos insanos appellet, qui hæc primi in lucem ediderunt.

Secundum argumentum est, quòd Joseph, vir Mariæ, alteram priùs uxorem habuisset, ex quâ filios susceperit, qui fratres Domini in Evangelio dicuntur; Eusebius, libro secundo Ecclesiast. Histor., cap. 1, Nicephorus, lib. 2, cap. 3, ubi etiam refert Hippolytum ejusdem sententiæ auctorem, Ambrosius, in libro de Instit. Virgin., cap. 6, Epiphanius, lib. 2 cont. hær., cap. 51 et 78, Hilarius, can. 1 in Matth., apertè consentiunt. At historiam hanc Hieronymus in Matthæi duodecimum caput tanquàm apocryphorum deliramenta contemnit; quin etiam adversùs Helvidium asserit, audaci eam temeritate confictam.

Tertium argumentum: Hieronymus scribit, veterem historiam narrare, quòd Herodias, cujus Matthæus meminit, filia fuerit Aretæ regis; idem quoque adstruit Beda, libro Com. in Marcum secundo, Eusebiusque, Ruffino interprete, libro Ecclesiast. Hist. primo, cap. 13. At illud esse falsum et Josephus, lib. 18 Antiq. cap. 5, et Egesippus lib. 2 de Excid. Hier., cap. 12, testes locupletissimi sunt. Quibus etiam assentitur Nicephorus, lib. 1, cap. 20. Nihil igitur ex rerum veterum publicâ commemoratione, non certò dicam, sed ne probabiliter quidem suadere possumus. Nam si historias, quæ in his tribus argumentis referuntur, ex-

plodere, et pro nihilo putare licet; nulla profectò humana historia reperietur, quæ quidquam habeat ad faciendam fidem virium.

Quartum argumentum: Magos, qui Christum adoraturi ex Oriente venerunt, reges fuisse, nedùm philosophos, tradunt Cyprianus in sermone de Baptismo Christi, et manifestâ Trinit. Athanasius quæstione secundâ ad regem Antiochum, Hieronymus, in Psal. 71, Augustinus sermone quadragesimo tertio *ad fratres in eremo et de mirabilibus sacræ Scripturæ*, si tamen hæc opera Augustini sunt, Chrysostomus, homiliâ sextâ in Matth. Tertullianus contrà Judæos, Doctor quidam antiquus, nomine Christianus, in cap. Matth. 2, Isidorus in præfatione Missæ, quæ vulgò dicitur *Mocarave*, divus Thomas in Matth. cap. 2, et in Joannis cap. 11, nam et tertiâ parte, quæstione trigesimâ sextâ, articulo tertio, ait non solùm fuisse sapientes, sed potentes. Ejusdem sententiæ fuerunt Albertus Magnus, D. Vincentius, Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, Simon de Cassiâ; Doctor incognitus, in Psal. 71, Titelmannus, Joannes, Echius, D. Antoninus, aliique ex junioribus, quos longum est enumerare. At certè historia esse videtur per manus à majoribus nostris accepta. Sed hæc tamen communis traditio nullam prorsùs in Ecclesiâ facit fidem. Quin probabilissimè à Baptistâ Mantuano aliisque recentioribus asseritur, magos reges non fuisse; non enim id silentio prætermissurum Evangelistam, quod ad rem magnoperè pertinebat; nec Herodem, si reges essent, eos adeò imperiosè et inciviliter excepturum.

Quintum argumentum: Magos venisse Hierosolymam diebus à Christi nativitate tredecim, non Hieronymus modò et Augustinus, verùm etiam omnes propè auctores et veteres et recentes memoriæ prodiderunt. At Epiphanius hæresi quinquagesimâ primâ constanter affirmat, post duos annos à nato Christo Magos ex Oriente advenisse. Cujus opinionis duæ causæ sunt non omninò pessimæ. Una, quòd in die Purificationis non agnum, sed turturem, aut columbæ pullum Christi mater obtulit; non ergò potuit invenire manus ejus pretium agni, atque adeò ne thesaurum quidem à magis acceperat. Altera causa est, quòd Herodes occidit omnes pueros à bimatu, et infrà secundùm tempus quod exquisierat à magis. Non est autem verisimile, Herodem bimos pueros interfecturum juxtà tempus stellæ, cujus apparitionem diligenter à magis exquisierat, si ab ortu stellæ ad magorum adventum non nisi tredecim dies interfluxissent. His adde, quòd ipsi quoque testati sunt, se stellam in Oriente vidisse. Quæ profectò verba plus aliquid significant, quàm regionem, undè profecti sunt, comparatione tantùm ad Hierosolymam orientalem fuisse. Si igitur, ut planè scribit Evangelista, ab Oriente venerunt, cùm non sit obscurum Hierosolymam longissimo intervallo ab Oriente distare, intrà tàm paucos dies et stellam vidisse, et consilium de profectione communicâsse, et adornâsse iter, et ab Orientis partibus per tot regiones ac populos ad Palæstinam accessisse, prorsùs abhorret ab humanæ judicio rationis.

Sextum: Miraculum nuptiarum in die anniversariâ Epiphaniæ fuisse editum, *posteritati suæ*, quod ait Maximus, *fidelis mandavit antiquitas*. At Epiphanius contrà docet, hæresi 51, eodem die, quo Christus natus est, completo jam anno trigesimo, filium cum matre convivio nuptiali interfuisse. Nihil igitur certum ex temporum publicâ commemoratione accipere possumus.

Septimum: Lex veræ historiæ est, ut Hieronymus sæpè dixit, ea scribere, quæ vulgus existimat, quamvis reipsà falsa sint. Sic enim Joseph ab ipsâ quoque Mariâ appellabatur pater Jesu, et Herodem Evangelista contristatum esse ait, non quòd reverà aut Joseph pater Christi esset, aut Herodes esset animo contristatus, sed quòd illud eo tempore sic vulgò ab hominibus putaretur, hoc autem discumbentes existimârunt: cùm potiùs illud credendum sit dissimulâsse mentis suæ malitiam artificem homicidam, cùm tristitiam in facie et lætitiam haberet in mente. Ob quam causam vulpes est à Domino appellatus. Undè et Josephus, 18 Antiq. lib., cap. 7, asserit, ab Herode Joannem esse occisum, quia timebat ne auctore Joanne defectionem populus moliretur. Ambiguum igitur omne argumentum est, quod ex historiâ petitur. Nam vulgi fermè opinio falsa est; et poterit omnis ejusmodi argumentatio refelli, quòd historicus non veritatem rerum, sed vulgi opinionem expresserit.

Octavum: Augustinus, sermone 71, de immolatione Isaac: « Antiquorum, ait, relatione refertur, quòd « Adam primus homo in ipso loco, ubi crux fixa est, fuerit sepultus. » Et Cyprianus in sermone de resurrectione Christi: « Adam, inquit, sub loco, quo crux « Domini fixa est, humatus traditur ab antiquis. » Atque Paula et Eustochius in epistolâ ad Marcellam, eamdem historiam tanquàm habitantium ore celebratam narrant. Ità eam refert quasi minimè dubiam Epiphanius lib. 2 cont. hæres., cap. ultimo. At Hieronymus in Matth. cap. 27, et in cap. 5 Epistol. ad Ephes., quasi fabulam irridet, quòd Josue, cap. 14, Adam in Cariatharbe dicatur esse conditus. Opinionem verò Hieronymi Isidorus secutus est.

Nonum: Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsariensis, Theodoretus, Hieronymus et Augustinus, ex annalium ratione colligunt, septuaginta desolationis annos in secundo Darii Hystaspis fuisse completos. At hoc non modò falsum et commentitium est, sed sacris etiam litteris adversum, quæ non implicitè et absconditè, sed patentiùs et expeditiùs continent, septuaginta illos annos statìm ab initio regni Cyri absolutos. Nullum ergò idoneum argumentum ex temporum ratione promitur.

Decimum: Hieronymus auctor gravissimus historiæ prodit, quòd in secundo Darii anno templum ædificari cœptum est. At verò exploratè perceptum est et cognitum, Zorobabelem sub Cyro templi fundamenta jecisse. Imbecillum ergò est quodcumque argumentum ex historiâ humanâ depromptum, quàmlibet historiæ auctor gravis sit.

Undecimum: Plerique historici et ii nobiles tradiderunt, Artaxexem ædificationem tem impedisse

At contrà Scriptura tradit, templum ædificatum esse præcipiente Cyro, Dario et Artaxerxe.

Duodecimum : Josue post mortem Moysis 26 annos imperâsse, auctores sunt Josephus, lib. 5 Antiq., cap. 1; Sabellicus Ennea. lib. 1, cap. 4; Nauclerus Chronographiæ suæ generatione 28. Nam Eusebius in Chronicis, atque hunc secuti Isidorus, Sulpitius Severus, et Joannes Carion, 27 annos Josue imperio tribuerunt. Quæ si vera essent, non esset vera summa 480 annorum, quæ ab exitu filiorum Israel de Ægypto ad templi ædificationem, 3 Reg., cap. 6, colligitur.

Tertium decimum : Si qua historia theologo probanda est, ea erit maximè, quæ omnium Ecclesiarum ore celebratur. At ejusmodi multæ nullam faciunt prorsùs in theologiâ fidem. Etenim, ut ea prætereamus, quæ ridiculè et falsè de Cirico et Juliâ, de Gregorio, de Catharinâ martyre, deque undecim mille Virginibus referuntur, certè historia Thomæ Apostoli apocrypha et commentitia est, non solùm Gelasio auctore, dist. 15, cap. *Sancta Romana*, sed etiam August., lib. 22 contrà Faust., cap. 79, et lib. unico advers. Adimantum, cap. 17, et lib. 1 de Serm. Dom. in mont., cap. 38. His adde Marthæ et Mariæ Magdalenæ fabulam, quæ narrat, ad Mariam quidem Magdalenam, ad Martham verò Bethaniam sorte hæreditariâ pervenisse, cùm contrà scribat Joannes, Bethaniam castellum Mariæ Marthæque fuisse.

Quartum decimum : ea historia reliquas videtur excellere, quæ à summis pontificibus probata est; Constantini verò donatio, lepra, baptismus, sanitas non modò historiis celebrantur Ecclesiæ, verùm etiam per summos Pontifices approbantur. At hæc ficta esse omnia multi viri doctissimi contenderunt. Nulla igitur ecclesiastica historia theologo idonea argumenta ministrat.

Quintum decimum : Nemo in ecclesiasticis viris est, qui historiæ probabilis auctor haberi queat. Non Philo in temporum Breviario. Nam in eo libello, quamvis exiguo, tot mendacia sunt, ut sint numeratu difficillima. Non Josephus. Primùm, quia multa tradit sacris litteris vehementer repugnantia. Deindè, quia tertium Esdræ librum in historiâ sequitur, quem Hieronymus non aliter, quàm somnia rejicit. Postremò, quia in temporibus rerum notandis vario fuit errore versatus. Ecquis ergò in Ecclesiâ auctor historiæ certus habebitur? An Africanus? Sed hujus historia Gelasio apocrypha est. An Eusebius? Sed hujus quoque historiam, tanquàm apocrypham, idem Gelasius reprobat. Sed in historiâ Tripartitâ Sozomenus princeps habetur. At hunc damnat Gregorius, inquiens : « In historiâ « Sozomeni de quodam Eudoxio aliqua narrantur. « Sed ipsam historiam Sedes apostolica recipere re- « cusat, quoniam multa mentitur, et Theodorum ni- « miùm laudat, atque usque ad ultimum sui diem ma- « gnum Ecclesiæ doctorem fuisse prædicat. » Si igitur qui primas in historiâ ecclesiasticâ partes habent, incerti ac mendaces auctores sunt, nimirùm neque ex his neque ex aliis, quorum minor est auctoritas, idoneum sumet theologus argumentum ad suas conclusiones corroborandas.

Sextum decimum : Innocentius, dist. 20, c. *De quibus*, solas ecclesiasticas historias in causis Ecclesiæ finiendis approbavit. Ethnicorum ergò de rebus gestis monimenta parùm in theologiæ usum valere possunt. Id quod concilium Florentinum, sessione septimâ, confirmat in hæc verba : *Romanorum aut Græcorum historiâ nequaquàm in synodo uti debemus.*

Decimum septimum : In Assyriorum monarchiâ Berosus commendari suprà cæteros solet. At hujus auctoris nulla exstat historia. Nam quæ Berosi nomine est ab Annio edita, eam fictam esse viri eruditi deprehenderunt. In Persarum verò rebus gestis commemorandis præfertur Metasthenes, qui veros et publicos Persarum annales, ut fertur, secutus est. At hujus etiam monimenta multò falsiore titulo Annius edidit. Metasthenes siquidem iste Annianus, octo solùm Persarum reges fuisse tradit, cùm tamen fuerint quatuordecim, quos ordine et Hieronymus in septimum Danielis caput, et Eusebius censet in Chronicis. Jam Græcarum rerum historia quid nisi fabulas continet, quas illi passim pro veris historiis edunt? Cicero quippè auctor est gravis in Orat. pro L. Flacco, quòd testimoniorum religionem græca natio non coluit. Scipio item apud Livium Dec. 3, l. 8, non aliter, historias græcas ac fabulas refert. Verè quoque dixit Fabius, lib. 2, Orat. Instit., c. 4, græcis historiis plerumque poeticæ similem esse licentiam, ut jure illud ex satirâ vulgi etiam sermone teratur : *Et quidquid Græcia mendax audet in historiâ*, Juven. sat. 10. Atque Josephus in proœmio lib. de bello Judaico veritatem à Græcis, in historiâ negligi testis est. Id quod in 1 cont. App. lib. confirmat. Sed et è nostris Hieronymus, cùm græcas historias opposuisset : « Non debemus, inquit, eo- « rum auctoritati acquiescere, quorum mendacia de- « testamur. » Sanè, ut taceam de reliquis, Herodotus et Xenophon, quos historiæ parentes Græci habent, confictis ferè narrationibus abutuntur (1). Quid in imperio Romanorum? An ulli exstant annales publici, quibus credere debeamus? Minimè gentium. Sed quisque pro affectu suo res illorum gestas scripsit. « Laudationibus porrò, quod Tullius ait, de clar. Orator., « historia rerum romanarum est facta mendacior. » Quædam autem in Livio esse, quædam in Sallustio, quædam in Cornelio Tacito, quædam in Trogo, quorum fides manifestis testimoniis labefactari possit, Flavius Vopiscus, in vitâ Aureliani, verissimè dixit. Nil ergò fidei ethnicorum historiis habendum est, utpotè quæ nullam habeant non modò certam, sed ne probabilem quidem auctoritatem.

Postremum argumentum historias omnes generaliter et ecclesiasticas et prophanas impugnat. Illud est hujusmodi. Fidem humanam idcircò Aristoteles virtutum intellectualium numero exemit, quòd juxtà ad falsum et verum inclinat. Theologia ergò, quæ tota veritate perpenditur, non accipiet ab humanâ fide adjutorium, ne verax cum fallaci ad argumentandum

(1) Cicero, de Leg. 1 : « Apud Herodotum, inquit, « historiæ patrem, et apud Theopompum, sunt innu- « merabiles fabulæ. »

consociationem contrahat; quoniam tale argumentum ex eâ parte, quâ humanæ fidei innititur, æquè falsitati ac veritati innitetur. Confirmat autem hoc vel maximè, quòd homines mendaces sunt, fallereque et falli omnes ad unum possunt. Sive igitur pauci seu plures historici quidquam affirment, imbecilla ea omnis argumentatio erit, quæ in testimonia hominum inclinata recumbit. Quocircà argumentum quodcumque ex humanâ historiâ petitum imbecillius est, quàm ut in theologiâ ullam omninò faciat fidem. His argumentis loci hujus auctoritas impugnatur. Nam si quæ sunt alia, erunt autem fortassè plura, similia sunt, atque adeò similiter refellentur.

CAPUT IV.

Quòd auctoritas humanæ historiæ aliquandò probabilis, quandoque etiam certa sit.

Sequitur ut explanemus, qualis quantaque sit humanæ historiæ apud theologos auctoritas : nam hoc secundo loco nos acturos pollicebamur. Quod quò magis intelligi possit, illud principio ponendum est, necessarium esse homines hominibus credere, nisi vita pecudum more degenda sit. Eam rem quoniam Theodoretus in opere de Curâ Græc. affect. lib. primo, Augustinus item in libro de Utilitat. cred. ad Honorat., cap. 12, et de Fide rerum invisibilium, cap. primo et secundo, diligentissimè persecuti sunt, non erit nobis hìc magnoperè laborandum. Atque Augustinus quidem planè asserit non amicitiam modò, verùm omnem omninò humanam societatem interire, nisi amicus amico, maritus uxori, parentibus filii, fratres fratribus, civibus cives, sociis socii fidem habeant. Multa ille affert, quibus ostendat, necessitudinem et pietatem duo generis humani sanctissima vincula violari atque dissolvi, nihilque prorsùs in hominum consociatione incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non idem possumus quasi manu tangere ac tenere perceptum. Humanæ itaque vitæ necessarium esse, hominum dictis homines sine ullâ etiam dubitatione credere. Theodoretus verò fidem esse ceu primariam artium basim, disciplinarumque omnium crepidinem probat etiam manifestè. Nec enim, ut cætera taceamus, pueri elementarii ullam omninò possunt disciplinæ puerilis facultatem adipisci, nisi et nomina litterarum et syllabarum nexus fide à præceptoribus acceperint; ut illud Isaiæ in omni etiam et arte et ætate verissimum comprobetur : *Nisi credideritis, non intelligetis*. Præclarum est igitur Aristotelis illud Elench. 1 : *In omni facultate atque doctrinâ oportere addiscentes credere.* Experimentis quippè quotidianis hoc, nos nullo admonente, discimus, quòd cognitionem ac rerum intelligentiam præcedit fides, subsequitur autem fidem scientia quæcumque veri. Quâ ex re fit, ut naturæ auctor in hominum mentibus inclinationem ad credendum naturalem impresserit; siquidem non minùs fides necessaria est hominis et vitæ et disciplinæ, quàm aut igni locus supremus, aut terræ imus, ut benè habeant, necessarius est. His autem propensiones quasdam et quasi appetitiones natura indidit ad fines et perfectiones necessarias. Quamobrem qui humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non solùm stulti sunt, sed gigantum more cum diis bellant, hoc est, cum naturâ pugnant. An verò quidquam tàm puerile et stultum dici potest, quàm si ea, quæ viderunt alii, negemus esse, quia ipsi non vidimus? Credere igitur necesse est, nisi pueris stultiores esse volumus. Quibus positis sit

Prima conclusio : Præter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est idoneus ad faciendam certam in theologiâ fidem. — Hæc, quoniam cuique per se est obvia et manifesta, non est nostris argumentationibus comprobanda. Flavius porrò Vopiscus verè falsèque dixit, neminem historicorum non aliquid esse mentitum; undè fidenter se historiam aggredi, habiturum mendaciorum comites.

Secunda conclusio : Historici graves ac fide digni, quales nonnulli sine dubio et in ecclesiasticis et in secularibus fuêre, probabile argumentum theologo suppeditant, cùm ad ea, quæ sua sunt, corroboranda, tùm ad falsas adversariorum opiniones refellendas. — Quæ conclusio satis per se etiam videtur exposita. Nec enim est hominis benè instituti et ad vitam humanam rectè compositi, viro gravi rem credibilem asserenti non credere. Rem credibilem dixi, quoniam quædam à Plinio aliisque historicis vel gravissimis referuntur, quæ cùm vix credibilia sint, si ea fuisse negemus, non ideò historiæ auctoritatem labefacimus. Uterque igitur, et qui citò credit, et qui ad credendum nimiùm est tardus, jure reprehenditur; multò verò hic magis, si cum pluribus historicis probatis gravibusque dissenserit. Si namque in duorum ore vel trium stat omne verbum, cur adversùs hanc legem pluribus testibus rem eamdem olìm gestam contestantibus fidem theologus abrogabit? Præsertìm cùm testimonia ex vetustate desumpta hoc potentiora ad probandum sint, quòd ea sola, ut Fabius ait, criminibus odii gratiæque vacant. Nimirùm Innocentius auctor est gravis, in humanis historiis nonnihil probabilitatis inesse, cùm lege editâ præcepit, ut in causis Ecclesiæ finiendis illarum auctoritate, quamvis cætera argumenta deessent, ecclesiastici judices uterentur. Sed plerique nostrâ hâc ætate perversè, ne dicam impudenter, res quas esse gestas gravissimi auctores testati sunt, in dubium vocant. Qui si idoneas causas probabilesque redderent, audiendi fortassè essent. Cùm verò reddant nullas, contemnendi sunt, ut qui communem hominum sensum exuerint, judiciorum humanorum potissima instrumenta, hoc est, testimonia rejecerint, vitæ magistram, prudentiæ subsidium, lucem veritatis historiam neglexerint.

Tertia conclusio : Si omnes probati ac graves historici in eamdem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiæ dogmata firmâ etiam ratione constituantur. — Exempla sunt ejus rei multa, sed pauca subjiciam. Petrum Romæ et collocâsse sedem, et pro Christo martyrii gloriâ coronatum esse, omnes graves historiæ tradunt; undè nos certâ in lib. 5, argumentatione confecimus

romanum episcopum Petro in pontificatu succedere. Item concilium Nicænum tempore Constantini à Sylvestro vero Ecclesiæ pontifice esse coactum, historici quique gravissimi prodidère. Eâ nos è re colligimus, concilii Nicæni definitiones certas esse, quòd certum sit, synodum Ecclesiæ generalem, romano Pontifici comprobatum, errare non posse; certum quoque, Nicænum ejusmodi esse, cui nec universitas pastorum Ecclesiæ defuerit, nec romani episcopi comprobatio. Plurima sunt ejusmodi, quæ communi historicorum consensione traduntur. Hæc non modò negare, sed in his etiam addubitare, stultissimum est. Quid enim stultius esse potest, ut eumdem locum diutiùs urgeam, quàm si ea genera belluarum, quæ in Rubro mari Indiâve gignuntur, nulla esse dicamus, quia nunquàm vidimus? Omnia tollamus ergò, si ità placet, quæ aut historia nobis, aut testes graves et probati adferunt. Ità fit ut Mediterranei mare esse non credant, nec in insulâ nati, in quâ lepusculos vulpeculasque solùm viderint, credant leones et pantheras esse; si verò de elephanto quis dicat, etiam rideri se putent. Historiæ igitur fides vel certa habenda est, cùm in idem auctores universi consentiunt. Certa quippè apud homines ea sunt, quæ negari sine pervicaciâ et stultitiâ non possunt. Præclarè itaque Josephus contrà Appionem, lib. 1, illud veritatis historiæ signum certum esse dixit, si de iisdem rebus eadem omnes conscribant. Verùm de his, licet breviter, diximus tamen quod satis est. Nam his paucis expositis, nisi ego fallor, qualis quantaque sit historiæ humanæ auctoritas, facilè intelligetur. Historia nimirùm etsi, ut Quintilianus ait, scripta est non ab probandum, sed ad narrandum, aliquid tamen sine dubio probat, probabiliter ferè: nam est aliquandò etiam necessaria. Nunc argumenta contrà historiæ fidem posita diluamus (1).

CAPUT V.

Ubi respondetur argumentis capitis tertii.

Ad primum argumentum. Non est facilè contrarias objectiones excutere; sed excutiendæ sunt tamen. At-

(1) His regulis historicæ certitudinis plurima addenda sunt, quædam in iisdem corrigenda; quod breviùs, pro rei momento, satis tamen ad intentum nostrum, sequentibus in præsenti notâ coactis absolvemus.

1° Factorum coævorum certitudo constat, si ex illis testibus nascantur qui neque decepti, neque deceptores supponi queant; quod manifestum fit ex eorum numero et conditione: si nempè pro multitudine, vel solùm pro diversis seu oppositis eorum, licet paucorum, ingeniis, cupiditatibus, commodis, aliisve causis, nulla conspiratio in fraudem ullo pacto supponi queat. Hæc autem suam vim infallibilem ex morali hominis constitutione mutuantur.

2° Factorum verò præteritorum certitudo ex coævo testimonio certo certâ viâ usquè ad nos transmisso, nascitur. Quænam sit illa via? duplex maximè, traditio oralis et historia, quarum in confirmationem mirè accedunt monumenta propriè dicta, ut statuæ, inscriptiones, templa, dicati dies, etc. Sed quæstio nostra de historiâ instituta est, de cujus certitudine solùm proindè disserendum.

Certitudo factorum præteritorum ad nos per historiam vehitur, ut diximus: tota igitur quæstio in eo versatur, an testimonium historici sit verax et certum, seu quibusnam conditionibus illud tale esse constare possit. Porrò duo maximè ad id requiruntur, scilicet 1° ut factum narratum publicum sit ac momentosum, nempè si coràm multitudine patratum fuerit, seu certò in coævorum notitiam venerit, atque maximè si ex illo pendeant fortuna, sors, honor, vita multorum hominum apud quos fit ejus relatio historica; à fortiori, si quo pertineat modo, gravi tamen et directo, ad regimen politicum, vel cultum gentilem seu nationalem, ad opiniones, usus, mores, legesque aut quaslibet publicas reipublicæ institutiones; 2° ut historia usque ad tempus facto coævum aliquâ viâ certò ascendat, simulque constet eam historiam, eo in tempore quo contigit factum, vel saltem coætaneis viventibus, inter ipsos per plurima exemplaria vulgatam fuisse. Hæc verò cùm præsertim authenticitate historiæ probentur, ad quatuor hujus authenticitatis notas attendendum, 1° si historicus, seu cui attribuitur historia, testimonium aliquod ex ejusdem ætatis ad quam scilicet factum refertur, scriptoribus accipiat; 2° si ejusdem historici narratio stylum nationi, moribus et seculo redoleat proprium; 3° si mores illius ætatis gentisque, vel usus aut religionem genuinè describat, nec ea quæ tantùm posterioribus nota fuère seculis tangere videatur; 4° tandem si traditio constans ut factis coævum habeat historicum.

Quæ de historiâ, eadem de commentariis dicenda.

Ratio autem earum conditionum est in promptu. Historicus, quem hìc unicum supponimus facti narratorem, reverà relativè ad posteros velut unicus testis existit, cujus veracitas, cùm ex conflictu seu diversitate commodorum, cupiditatum, etc., aliorum testium, ut pro factis coævis, nequeat constare. Ex aliundè inquirenda est, scilicet saltem ex silentio coævorum hominum. Atqui ex hujusmodi silentio nihil in gratiam veracitatis historici concludi posset, nisi quatenùs ex circumstantiis facti et narrationis, atque ad moralem hominis constitutionem attendendo, liqueat omninò reclamationes undiquè exarsuras fuisse in historicum, si falsa retulisset: hinc proindè, narratio sit publica et divulgata facti publici, mortalium mentes commovere soliti, necesse est.

Hæc nonnisi generalibus formulis proponi queunt. At verò in praxi variè pro variis circumstantiis sunt habenda. Sic, v. g., pro factis valdè momentosis et publicis, faciliùs nec tantis conditionibus adhibitis veram esse eorum narrationem constabit. Ex quo videre est non omnes simul semper flagitari conditiones, aliasque aliis quandòque compensari.

Denique ad conclusionem deveniendum. Ergò certitudo historica haberi potest factorum præteritorum ex uno historico, positis conditionibus ut suprà: ubi scilicet nullas factas fuisse reclamationes ex nullis constat monumentis, quæ exstare debuissent in adversâ hypothesi. Hujus autem consectarii primæ conclusioni Melchioris Cani adversantis probatio satis ex dictis patet; sed ipsius discriminis clarissimum auctorem inter et nostram eâ de re doctrinam ratio notanda est. Ex indole quippè aliisque propriis historici qualitatibus ille certitudinem historicam requirit; nos verò ex factorum narrationisque seu historiæ circumstantiis. Hinc meritò, hâc suâ opinione admissâ, Canus ponit certitudinem, non ex uno, sed ex pluribus historicis stare posse, eodem propè modo ac certitudinem facti coævi ex oculatis testibus plurimis habitam; neque etiam ad oppositiones attendere videtur, ubi in tertiâ conclusione factum ex pluribus historicis dicit certum; quod verò in capite sexto sequenti easdem critices ponat regulas pro delectu auctorum, id ex eodem fluit principio. Igitur eo in loco theologico, tam fuse quam eruditè tractato, Canus haud satis vel nullatenùs ad factorum et historiæ circumstantias attendit, ex quibus maximam certitudo moralis sibi vim adsciscit, adeò ut ex historico uno, datis conclusioni-

que in hoc argumento quidem non Osiander modò, verùm etiam catholici quidam omni vi et ratione contendunt, id, quod de duobus patribus Joseph naturali et legali refertur, commentum, portentum, monstrum, somnium esse. His enim nominibus sententiam illam Africani notandam putant. Certè auctor lib. qq. vet. et nov. Testam., sive Augustinus is fuerit, seu quisquam alius, sententiam eam asserit nec probabilem esse, nec ad ullam rem proficere, ne sit qui existimet veterem historiam solis junioribus displicuisse. Utuntur autem hi ad Africani traditionem infirmandam argumentis hujusmodi (1).

Primò, quòd nullum vel testimonium vel exemplum nec è sacris, nec ex profanis Hebræorum litteris erui possit, quo talis primogenitus filius defuncti nuncupetur; non ergò mortuus ille pater primogeniti vocabitur.

Deindè, ut demus, inquiunt, quantumvis iniquâ conditione, ejusmodi primogenitum duos patres sortitum esse, adhùc tamen nihil faciet, ut evangelicæ discrepantiæ scrupulus eximatur. Nam legalem filium nemo poterat ex uxore defuncti procreare, nisi frater fuisset defuncti germanus, simulque cum eo habitâsset, quemadmodùm Deut. 15 evidentissimè traditur. Illud verò non contingit nisi ex eodem patre natis; nam qui diversos habent patres, ii diversas etiam capiunt hæreditates, atque adeò non habitant simul. Nunc autem Jacob et Heli nec fuerunt ex iisdem patribus, avis, aut proavis, nec simul habitare potuerunt, cùm alter censeatur in posteris Natham, alter in posteris Salomonis. Nam, quòd etiam argumentantur, Joseph non fuisse vocatum nomine patris legalis, quæ res erat necessaria juxtà illam Deuter. legem, id exiguum sanè ac mendicum argumentum est, cui August., et 5 lib. qq. in Deut., q. 46, et l. 2 Retract., c. 12, nullo negotio respondet. Mihi verò opinio communis magis placet, quamvis illorum opinio non displiceat, qui asserunt Heli Josephi socerum fuisse, eumdem qui et Joakim parentem Virginis Mariæ, ut Lucas genealogiam Christi per patrem attexuerit, Matthæus verò per eum, qui pater putabatur. Nec proindè tamen genealogiam mulierum contrà Scripturæ usum Evangelista texuit. Nam cùm ait : *Qui fuit Eli*, relativum ad Christum referendum est, ut sit sensus : Et ipse Jesus putabatur quidem esse Josephi, at reverà non illius fuit, sed Heli. Cùm enim sine virili operâ ex virgine matre natus sit, nullum habuit in terris, cujus filius verè dici posset præter Heli, qui avus scilicet ipsius maternus erat. Ne quis ergò miraretur, quòd in texendâ genealogiâ Christi ab nepote statim transilierit ad avum, interjecit causam, quia Joseph, quem patrem Christi dicere debebat, non verè erat pater, sed putabatur. Quanquàm et relativum ad Joseph quoque referri potest, ut intelligas eum fuisse Heli non naturalem filium, sed ad eum modum, quo gener soceri filius esse dicitur. Itaque Josephum Evangelistæ ad parentes suos retulerunt, alter ad eos, quos ex se habuit, alter ad eos, quos ex conjugio sortitus est. Hujus opinionis Augustinus lib. quæstionum evangelicarum 2, q. 5, meminit. Hanc tenuit auctor libelli cujusdam de ortu Virginis, qui Hieronymo falsò tribuitur. Hanc Joannes Annius, Joannes item Lucidus, Georgius Wicelius, aliique nonnulli juniores amplexi sunt. Huic etiam nominum significatio consonat. Nam Joakim, Eliachim, Heli, idem ferè significant (1), proque eodem ferè usurpantur, 4 Reg. 23, 2 Paral. 36. Probabilis opinio hæc sit, quis negat? Sed ne ipsa quidem certa est. Osiandri enim argumenta, quæ ille firma esse existimat, sunt profectò infirmissima.

Objicit primò, nusquàm in sacris litteris reperiri, quòd ille primogenitus filius mortui nuncupetur. Id verò de morte imprudenter objicit. Si autem Obed, filius Noemi illique natus esse dicitur, Ruth. 4, cur non dicatur natus Maaloni, hujusque proindè etiam filius? item Deut. 25 : *Accipiet eam*, inquit *frater ejus, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex eâ filium nomine illius appellabit*. Præthereà ecquid, obsecro, est suscitare semen fratris, nisi filium illi gignere? Quid? Nonnè illud manifestum est : *Ille sciens non nasci sibi filios, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur?* Genes 38. At hæc ipsa loca retulit Osian

bus, possit concludi. Neque idcircò et ipsi nos, quales in se fuerint historici, negligimus expendere, cùm novos sub illo respectu historica certitudo acquirat gradus. Etenim eò probabilius in se præstat testimonium historicus, quò majora scientiæ, prudentiæ ac probitatis exhibet signa; nec diffitemur defectum quarumdam vel debilitatem conditionum compensari in eâdem proportione quâ se præbet historicus eâ virtutum auctoritate ornatum. Sed ultrà progrediendum est atque in genere dicendum historiam jam absolutè, nempè iis quæ ritè sufficiunt conditionibus, certam, eò plures evidentiæ suæ certitudinis demonstrationes atque gradus cumulare, quò numerosiores insuper gravioresque alias conditiones, tùm ex parte historici, tùm ex parte factorum, sibi conciliat. Sic, v. g., ea augebitur magis ac magis evidentia, si historicus narrans factum publicum et momentosum, et quidem in historiâ authenticâ, prætereà sese perspicuitate, doctrinâ, sapientiâ, sinceritate insignem exhibeat, si facta sint insuper valdè momentosa, omnibus obvia, multùm animos commoventia, qualia quæ ad aliquam fidei avitæ mutationem spectant; si non unus talium factorum sit narrator, sed plures æquè conspicui; si denique ad pluralitatem gravitatemque historicorum, publica etiam monumentorum constansque traditionis oralis accedat auctoritas. Ultimum certè apicem certitudinis, tot tantisque ornata dotibus historia attinget. Sed, ut in fine obiter id notemus, nostri sacri libri historici eas et quidem in summo gradu conditiones soli sibi vindicant, ac proindè cæteras historias etiam probatissimas veritate longè superant ac certitudine. Hinc historiæ profanæ, etiamsi ad certitudinem pariendam nullæ, quod impossibile est, idoneæ invenirentur, sacræ tamen historiæ, vel solâ ratione naturali perpensæ, adhùc certæ demonstrari possent. Quid verò si illæ ipsæ revocarentur in dubium? Penitùs sanè historica certitudo aboleretur, ac proindè perturbari omnem societatem necesse foret, atque destrui. P. S.

(1) De hoc et sequentibus responsis, si quid superesset desiderandum, vide *Cursum* Scripturæ sacræ in quo textus, circà quos versantur, ritè discutiendi sunt. P. S.

(1) Philo Anianus tradit Syris et Ægyptiis *Joakim, Eliachim et Heli*, esse synonyma.

der; retulit quidem, sed ità tamen, ut apertis testimoniis respondere nequiverit, nisi hæreticorum ritu aut vulgatam editionem accusaret, aut etiam Scripturæ et verba et sensum eluderet. Nam sanctorum omnium communem intelligentiam pro nihilo habere est illi familiare, et cum cæteris Lutheranis gentile ac proprium. Jam quod secundo loco accipit, fratres, de quibus lex loquitur, simul habitare oportere, id est, in eâdem hæreditate paternâ, atque adeò germanos esse, ab eodemque patre genitos, speciem fortassè veritatis habet, veritatem nullam profectò habet. Fratres quippè in illâ Deuteronomii lege non germani modò intelligendi sunt, verùm etiam consanguinei, qui Scripturarum usu fratres appellantur. Id quod non communi solùm sanctorum omnium sententiâ, sed aperto Scripturæ testimonio comprobari potest. Booz enim Maalonis non germanus erat, sed propinquus. Nec confundimus nos negotium redemptionis cum negotio leviri, quod Osiander calumniatur. Sed contendimus, summoque omninò jure contendimus, exemplum libri Ruth ad legem illam Deut. pertinere. Alioqui, si eos simul habitare interpretamur, qui in eâdem hæreditate paternâ habitant, cur non magis, nam hoc simplicius est, eos, qui in eâdem domo? ità quamvis fratres germani sint, nisi eamdem domum habeant communem, eâ lege minimè tenebuntur. Quod ne Osiander ipse quidem, quamlibèt perfrictâ fronte, concessurus esset. Exponamus igitur, quod et Hebræorum mos, et legis ratio exigit, tùm etiam fratres habitare simul, cùm in eodem oppido vel civitate habitârint. Id verò non duobus solùm uterinis, quales Jacob et Heli fuisse perhibentur, usu venire potuit, sed propinquis etiam aliis vel remotis. Nihil ergò nos Osiandri argumenta movent, quominùs fidem Africano habeamus.

Illud fortè movere potest, quod in tertiâ conclusione capitis superioris asseruimus, communem Scriptorum omnium traditionem certò, nedùm probabiliter pro verâ historiâ habendam esse. Huic autem Africani traditioni historici omnes ecclesiastici testimonium perhibent. Igitur non modò probabilis, sed certa illa doctrina erit, quæ duos patres Joseph, legalem et naturalem infert. Minimè verò. Multùm enim refert, res gestas quâ historici asseveratione narrent. Si enim is ipse, qui primus auctor historiæ fuit, rem non ut visam ac certam, sed ut auditam et incertam scripserit, tunc qui simili temperamento rem ceu probabilem referunt, ii quamvis consentiant omnes, non faciunt tamen historiæ firmitudinem. Porrò autem Africanus, undè cæteri hanc historiam acceperunt, nihil præter auditum habuit, nec referentibus certam habuit fidem. Nam postquàm rem perindè ut à Judæis quibusdam acceperat, ad Aristidem retulisset, hujusmodi verba, Musculo interprete, adjecit : « Sive itaque ad hunc « modum, sive aliter habet res ista, non poterit « quisquam, meo judicio, clariorem illius, scilicet quæ « objecta erat, Evangelistarum discrepantiæ exposi« tionem reperire. Quisquis autem æquo animo præ« ditus est, idem quod nos curabit, etiamsi certum « desit testimonium : ob id videlicet, quòd meliorem « ac veriorem expositionem proferre non poterit. « Evangelium sanè per omnia quæ vera sunt, tradit. » Hactenùs Africanus. Quibus verbis satis ille significat, si componendis Evangelistis ratio alia quæcumque probabilior appareret, eam se libenter amplexurum. Quæ omninò res et August. et Thom. videtur compulisse, ut præter hanc, alias quoque rationes tollendæ discrepantiæ investigarent. Sed de primo argumento satis multa diximus.

Ad secundum verò dicendum est, hujusmodi quoque res non tàm ex fide historiæ, quàm ex probabili eorum conjecturâ pendere, qui sacras litteras interpretantur. Non est enim aliquis probatus auctor, qui asserat se præter Mariam, aliam Josephi uxorem aut vidisse, aut certis testibus accepisse. Sed cùm in Evangelio fratres Domini legerentur, et religio vetaret filios Mariæ suspicari, Scripturæ expositoribus conjectandum fuit, quonam id pacto fieri potuerit, ut veritas Evangelii cum Mariæ perpetuâ virginitate congrueret. Ità quidam filios Joseph ex aliâ uxore intulerunt, Christique proindè fratres non veros, sed qui putarentur, interpretati sunt; nam et Joseph non verus erat pater, sed putabatur. Neque horum conjectura vana commentitiaque fuit nullâve ratione tantùm ad respondendum hæreticis excogitata; sed probabiles habuit causas, quæ Scripturarum etiam testimoniis niterentur. Primùm quia Jacobus Jerosolymitanus episcopus non peculiariter esset frater Domini cognominatus, si cognatione solùm fratres Domini vocarentur, cùm et Jacobus, Zebedæi filius, à quo ille cognomento distinguitur, ad eum quoque modum frater Domini esset. Deindè non simpliciter quidam in Evangelio diceret, Matth, 12, 47 : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te*; alioqui, si generali sanguinis conjunctione fraternitatem definiret. Jacobus namque et Joannes tunc temporis cum Christo intrà domum erant, qui illo modo erant fratres.

Accedit quòd apud Marcum à quibusdam dictum est : *Nonne hic est faber filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ, et Simonis? Nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt? Filius*, inquiunt, *Mariæ, frater Jacobi et Josephi*, etc., ut non ex Mariâ, sed ex Josepho fratres intelligerentur. Undè et juxtà Lucam interrogant : *Nonne hic est filius Joseph?* Atque sorores, filias Josephi Esther et Thamar intelligendas esse, Hippolytus ac Nicephorus graves inprimis auctores asserunt. Fratres ergò similiter intelligendi sunt Jacobus, Joseph, Simon et Juda, quos quatuor filios ex priore conjuge, cui nomen erat Salome, Josephum suscepisse, iidem auctores prodidêre. Accedit etiam, quòd Josephum, cùm Mariam uxorem accepit, 80 annorum fuisse senem, Epiphanius non semel adstruit. At in tàm longâ ætate non est profectò verisimile illum sine conjuge exstitisse. Hæc auctores illi sine fidei discrimine argumentari, atque adeò asserere potuerant. Sed Hieronymus tamen rem diligentiùs animadvertens, ut erat in sacris litteris apprimè versatus, probabiliorem multò rationem invenit, quâ citrà et Mariæ corruptionem, et Josephi bigamiam fratres Domini in

Scripturis intelligerentur. Quòd enim Jacobus, frater Domini vulgò cognominatus, Josephi filius non fuerit, ex Evangeliis videtur manifestè colligi. Marcus siquidem quos capite sexto fratres Domini vocatos scripserat, eos capite quinto decimo filios cujusdam Mariæ scribit esse, quæ nimirùm uxor Josephi esse non poterat, nisi duas illum simul uxores habuisse contendas, Mariam Virginem, et alteram Mariam, quod nulla ratio probat, nulla prodit historia. Quin hominem pauperem, qui vix unam alere et sustinere posset, duarum conjugum onera subiisse, et imprudentiæ, et incontinentiæ argumentum est. Ea vitia viro justo tribuere quàm sit stultum, ne dicam impium, non est opus longâ oratione suadere.

Adde, quòd hæc eadem à Joanne Maria Cleophæ cognominata est. Erat autem Cleophas frater Josephi, ut Eusebius, lib. 3 eccl. Hist., cap. 11, ex Egesippo retulit; ob quam causam, nisi me conjectura fallit, soror Mariæ Virginis appellatur. Nam et leviri fratres vulgò dici solent, et fratrum uxores sorores. Non igitur, ut sentio equidem, Maria illa tanquàm mater, sed tanquàm uxor Cleophæ, nomen accepit. Josephi itaque conjux non erat; atque adeò nec hujus filii, filii erant Josephi, sed Cleophæ. Verùm, quemadmodùm Josephus pater Christi existimabatur, sic filii Cleophæ, Jacobus, Joseph, Judas, Simon existimabantur Christi consobrini, Christique patruus Cleophas. Quâ ratione Maria ista Christi matertera nuncupari potest, non quòd verè Mariæ Virginis germana fuerit, sed quòd soror et habita et dicta sit. Atqui consobrinos fratres etiam dici, omnia Scriptura demonstrat. Nec prioris opinionis necesse est argumenta refellere. Nonnulla enim assumit, quæ cæteris de causis à plerisque aliter existimantur: ut filios Zebedæi Christi esse consanguineos, et proindè Scripturæ usu fratres, item Josephum 80 annos natum esse, cùm Mariam uxorem accepit. Quæ res dici possunt, probari non possunt. Nam et Act. cap. 1, Lucas cùm Jacobum Alphæi, Simonem et Judam retulisset, subdit: *Hi omnes erant perseverantes in oratione cum Mariâ, matre Jesu, et fratribus ejus.* Constat autem, Jacobum Alphæi, Simonem ac Judam fratres Domini appellatos. Sed de his disputatum est ab aliis diligentiùs. Nos in præsenti non id agimus. Tantùm dicimus, ex diversis opinionibus, quas in Scripturarum interpretatione orthodoxi sequuntur, minimè historiæ fidem periclitari. Hæc quippè sola oratio erat secundo argumento confutando necessaria.

At tertium sic diluitur. Non fuit Herodias filia Aretæ regis, sed Aristobuli, sicut Josephus multis in locis, lib. 18 Antiq., c. 9, testatus est. Id quod nomen quoque ipsum indicat. Est enim quasi patronimicum ab Herode, nihilque proindè aliud significat quàm filiam, vel neptem, vel aliquam è posteris Herodis. Quamobrem cum Aretâ, rege Arabum, nihil videtur habere commune; cum Herode magno, cujus fuit neptis, commune habet genus. Quod autem Hieronymus tradit ex vetere historiâ, pace tanti viri dixerim, in eâ re sine dubio fallitur. Apparet eum sanè vel in historiam quampiam auctoris incerti incidisse; ob id enim quidam veterem historiam appellatam volunt: vel certè in Eusebii latinam incidit, quam Ruffinus fecit suâ traditione vitiosam. Quò autem res planior fiat, verba loci illius subscribemus. « Concordi verò testimonio etiam Josephus de hoc scribit nominatìm, etiam de Herodiade commemorans, velut de conjugio fratris Philippi viventis violenter abstractâ, et suis ab Herode incestis nuptiis sociatâ, propriâ et legitimâ uxore depulsâ, quam Herodiadem filiam fuisse dicit Aretæ, regis Arabiæ. » Hactenùs Eusebius, Ruffino interprete.

Ex quibus verbis, si tollas nomen *Herodiadem* posteriore loco positum, quod nec Eusebius habet, nec Josephus, vera erit lectio, atque adeò germana Eusebii græci in latinum conversio. Nam relativum, *Quam,* non ad Herodiadem, quod Ruffinus falsò intellexit, sed ad propriam et legitimam uxorem depulsam referendum est; quod rectè Musculus in novâ nunc interpretatione fecit. Verùm de tertio argumento hæc nobis dicta sint.

Ad quartum ità respondeo: Quiquid sit de Magis, an fuerint reges necne, quod in controversiâ est positum, certum illud est, non ex eâ re historiæ fidem labefactari, quòd plurimi auctores Magos reges fuisse tradiderint. Nempè res hæc ejus generis est, quam nemo historicorum sese affirmet aut vidisse, aut ex viris fide dignis, qui viderint, audivisse. Nituntur itaque auctores illi non historiæ auctoritate, quam nullam probatam habuêre, sed probabilibus conjecturis, quas porrò habuêre nonnullas. Qualis est, quòd in Magis videtur impletum illud Psalm. 71, 10: *Reges Tharsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent.* Item illud Isai. 60, 3: *Ambulabunt reges in splendore ortûs tui,* etc. Quæ in Epiphaniâ Domini non hodiernum vulgus, sed antiquus semper Ecclesiæ chorus intonuit. Accedit quòd, ut Tertullianus ait, *Magos reges ferè habuit Oriens.* Accedit quòd in reges illud Matth. 2, 11, maximè quadrat: *Apertis thesauris suis,* etc. Exstat etiam Claudiani epigramma, ubi Magos appellat *Chaldæos reges.* Quod si Claudiani non est, certè elegantissimi poetæ est. Hanc opinionem, ut quæ plausibilis sit ac popularis, Christi fideles jam olim libenter induerunt. Neque operæ pretium judico, si quis in concione publicâ eam dissuadere conetur. Nam dissuadere nihil attinet; ac frustrà niti, et nihil aliud quàm laborando odium quærere, extremæ dementiæ est. Quòd si paucis fortè quibusdam fidem argumentatione tuâ feceris, multas tamen in populo querelas, dissidia ac lites induces. Sine ergò plebem, probabilissimam opinionem, præsertìm quæ penitùs insedit atque inveteravit, cum suis majoribus retinere. Quòd si conjecturis aliis permotus contrariam sententiam habes, liceat per me, equidem non repugno. Illud ago, sive hæc, sive illa opinio vera sit, non indè historiæ auctoritatem aut elevari aut imminui, cùm neutra earum opinionum historiæ auctoritati, sed probabili conjecturæ innitatur. Quòd enim regum nomen Evangelista suppresserit, id omninò nihil est. Non enim existimavit Evangelii testimonium regio apparatu cumulandum, quod Magorum sapientiam et gravitatem amplissimè ornaverat. In ve-

ritate sanè occultâ confirmandâ regia appellatio obscura et otiosa erat, Magorum vox præclara et opportuna. Nam quòd Herodes Magos parùm honorificè exceperit, hoc aut Herodiani fastùs indicium est, aut romanæ gloriæ et majestatis. Indignum verò est magni regis timorem in minutorum invidiam odiumque convertere.

De quarto igitur argumento hactenùs. Nunc ad quintum respondeamus. Non Hieronymus modò, Augustinus, Thomas, ac cæteri ferè omnes auctores, verùm etiam antiqua Ecclesiæ traditio tenet, quòd Magi Christum decimo tertio die, ex quo natus fuerat, adorârunt. Cujus quidem rei cùm causam quærerem, quidnam esset cur tantâ id consensione ab Ecclesiâ receptum sit, quanquàm veteri traditioni in hujusmodi rebus multùm debetur fidei, ut ratio alia non subsit, has causas tamen inveniebam duas, easque ambas ex ipso Evangelio collectas. Unam, quòd Matthæus dicit: *Cùm natus esset Jesus, ecce Magi ab Oriente venerunt.* Sanè si, quandò Magi venerunt, Christus esset anniculus, aut bimus, ut Epiphanius, Zacharias, Faber, Osiander existimant, non dixisset Evangelista: *Cùm natus esset, ecce Magi.* Quod non de re tam serâ, sed de subitâ et improvisâ, vel certè proximâ, et quasi præsente dici solet. *Necdùm*, inquit Genes. 24, *intrà se verba compleverat, et ecce Rebecca egrediebatur.* Et Poeta: *Audiat hæc aliquis, vel qui venit, ecce Palæmon.* Hinc etiam cùm Mariæ dixisset Angelus: *Ecce concipies*, etc., intelligens ipsa statim se concepturam, ait: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Recens ergò natus erat infans, quandò Magi advenerunt. Altera causa est hæc: Magi invenerunt puerum in Bethleem; ergò antè diem purificationis accesserunt, quia ultrà id temporis Christus non fuit in Bethleem. Lucas enim iis descriptis, quæ ad purificationem attinebant, subdit 2, 39: *Ut perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitate msuam Nazareth.* Non ait, *in Bethleem*, sed *in Nazareth.* Cur autem Bethleem reverterentur, ubi adeò nihil habebant supellectilis, ut Virgini ad reclinandum infantem non alius, quàm præsepe locus fuerit in diversorio? Nec Evangelista docet eos venisse ut morarentur, sed ut profiterentur in civitate suâ. Manserunt itaque ibidem quantùm necesse fuit ad implendam legem, quæ jubet, ut post circumcisum infantulum maneat mulier *triginta tribus diebus in sanguine purificationis suæ.* Intrà quos dies Bethleem venisse Magos rectè credimus, et puerum indicio stellæ inventum adorâsse.

In eâ verò ratione, quæ primùm opponitur, quidam liberalitatem ac beneficentiam Virginis animadvertunt, quæ brevi aurum acceptum in pauperes erogârit; alii prudentiam, quòd viaticum paraverit in Ægyptum. Sive enim Joseph antè purificationem de fugâ ab Angelo fuerit admonitus, juxtà illud Matth. 2, 13: *Cùm Magi recessissent, ecce Angelus apparuit in somnis*, etc.; sive Magi oraculum de reditu per aliam viam Virgini communicaverint; credibile profectò est, feminam prudentissimam jam indè illud, quod ad fugam et peregrinationem opus erat, providere. Sunt qui modestiam advertant. Atque hæc ratio mihi videtur sanctissimè et providentissimè constituta. Non decebat enim, ut quæ pauper erat, ea ditium oblationem subitò inferret. Ab omni fastu et ostentatione erat Virgo aliena, nec mutare conditionem illi erat animus, quam sciebat Dei Filio placuisse. Quid quòd aurum Deo à Magis oblatum in sacros fortassè usus censuit consecrandum? Prima itaque adversariorum ratio his omninò modis faciiè diluitur. Secunda pressiùs videtur urgere. Si enim diligenter à Magis Herodes tempus stellæ didicit: *Occidit autem omnes pueros à bimatu, et infrà, secundùm tempus quod exquisierat à Magis*, biennium ergò antè stella Magis apparuit. Non igitur mox à Christo nato advenerunt. Nam statim recedentibus Magis, Herodes occidit pueros. Illa enim particula, *Tunc*, non minùs rem præsentem proximamve significat, quàm vocula, *Ecce*, cujus vim paulò antè expendebamus. Ait verò Evangelista: *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, mittens occidit.* Sed hic nodus bifariàm solvi potest. Primùm enim, quod Eutymius admonuit, illa oratio, *Secundùm tempus*, etc., non refertur ad id, quod præcessit, *à bimatu*, sed solùm ad particulam, *infrà*, cui proximè conjuncta est. Itaque continenter legendum est: *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus à bimatu.* Et ibi factâ hypodiastole, subjungatur: *Et infrà, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.* Non itaque intelligendus est peremisse bimulos secundùm tempus exquisitum; sed tantùm alios minimos quibus videlicet solis tempus stellæ accommodavit. Sed ais, cur bimos interfecit, si non secundùm tempus stellæ? Respondeo: Cur in omnibus finibus Bethleem, si in Bethleem juxtà prophetam natus est Christus? Quemadmodùm ergò ex propriâ malitiâ ampliavit locum, sic ampliavit et tempus. Deindè probabile est id, quod mihi semper verisimilius fuit, Herodem Romam evocatum, ut accusationi filiorum responderet, stragem illam puerorum edere distulisse, quam edidit posteà, cùm Hierosolymam regressus est. Quòd si necesse esset biennium Magis ad iter faciendum concedere, quod tamen absurdum est, non protinùs necessariò fit consequens, ut biennio post Christum natum advenerint. Multò enim faciliùs expeditiùsque dicetur, quod Chrysostomo Augustinoque video placuisse, apparuisse stellam Magis tantò antè Christi nativitatem, quantùm fuit opus, ut tot regionibus ac provinciis peragratis, puerum haud multò antè natum adorarent.

Cùm verò demùm quæritur qui fieri potuerit ut ab Oriente Magi tàm paucis diebus pervenerint, huic quæstioni responsum facile et promptum est. Non enim opus fuerit, quod Remigius facit, eam rem nati pueri facultati viribusque tribuere, quæ Magos ad se tàm brevi dierum spatio perduxerint. Sed Oriens in sacris litteris frequenter accipitur pro terris quæ Orientales ad illam sunt, in quâ sunt qui loquuntur. Ut Genes. 13, 11: *Elegit sibi Loth regionem circà Jordanem, et recessit ab Oriente.* Item Num. 23, 7: *De Aram adduxit me Balac, rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Sive ergò Magi posteri fuerint Balaam, ac proindè ex Mesopotamia Syriæ venerint, ut Chrysostomo, Hieronymo et Ambrosio visum est; sive ex Arabiâ accesserint, quæ

sententia Justini martyris perpetua fuit; seu sapientes alii, vel Persæ, vel Chaldæi, quod Magorum nomen præ se fert; dubitari non potest, quin totum illud quicquid erat itineris, decem diebus conficere potuerint. Distat siquidem Hierusalem ab Aram centum septuaginta duabus parasangis persicis et hispanis, ab Ur verò Chaldæorum ducentis duodecim. Atque cùm Laban Jacob fugientem à Mesopotamiâ in Judæam insequeretur, septimo die consecutus est illum in monte Galaad, qui est principium Libani. Et ferebat tamen Jacob greges, et uxores, ac parvulos. At Laban non antè tertium diem fugam deprehenderat. Quid quòd in regione illâ abundant dromedarii, quos uno die stadiorum mille iter conficere, scribit in vitâ Apollonii Philostrates? Aristoteles quoque, lib. 9 Hist. animal., cap. ultimo, testatur, celeriùs eos currere, quàm Nisæos equos. Nec te illud turbet, quod Hieronymus, in Jerem. cap. 25, imò Jeremias ipse, Chaldæam, ait, in aquilonis parte juxtà situm Hierusalem collocatam esse. Quia enim inter aquilonem et orientem sita est, modò aquilonaris, modò orientalis nuncupatur. Hæc fastidioso lectori scio molesta fore; sed erat ostendendum, quàm temerè quidem à sincerâ historiæ fide et communi sanctorum opinione dissenserint. Verùm de quinto argumento satis. Nunc sequentia refellamus.

Sanè quidem, cùm in sexto argumento Epiphanii sententia contrà historiæ fidem ponitur, nihil prorsùs movere nos debet. Primùm, quoniam in rerum gestarum temporumque ratione nullos ille graves auctores sequi solet; atque adeò in earum rerum memoriâ interdùm fallitur. Deindè quoniam hoc saltem loco nullâ argumentatione probabili, nullis prolatis veteribus monumentis, antiquo Ecclesiæ usui contradicit. Quòd si verum est, ut verum est profectò, Christum passum esse anno ætatis suæ trigesimo tertio, inchoato per tres menses ac decem fortassè dies; nam de hâc re nullam modò quæstionem habere volumus; docuisse autem eum tribus annis, et Ignatius in epist. 1 ad Trallianos, et Eusebius in Chronicis prodiderunt; certè Epiphanii opinio videtur vera esse non posse. A trigesimo namque anno expleto usque ad passionem, non nisi duo anni supersunt. Quamvis nodum hunc solveret Epiphanius, si tempus doctrinæ Christi non à nuptiis, sed à baptismo inchoaret. Quod nos quoque dicere oportet, qui Maximi sententiam veteremque Ecclesiæ usum propugnamus, nuptias quippè anno post baptismum integro elapso factas esse credimus. Quâ in re nobiscum dissentiunt quidam, nec sine causâ dissentiunt tamen. Primùm enim toto illo anno nihil, inquiunt, scriptum haberemus de doctrinâ Christi; quin eo anno nihil omninò docuisset, quod est credibile nullo modo. In baptismo siquidem Filius, et sapientia Dei dux populi, atque magister, Patris testimonio declaratus est. Nec post Evangelii munus evidentissimâ Triadis commendatione, testificationeque susceptum, otiosus Christus tot diebus vitam in silentio degeret. Sed illud, ut par erat, protinùs exequeretur. Id quod non conjecturâ nostrâ solùm, sed Joannis etiam Evangelio comprobatur. Joannes porrò ità discretè rerum gestarum post baptismum tempora notat, ut ad nuptias, non dicam annus, sed ne pauci quidem menses interfluxisse videantur. *Alterâ*, inquit, *die, vidit Joannes Jesum venientem ad se*; et rursùm, paulò inferiùs: *Alterâ die iterùm stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo*, etc. Et posteà: *In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum*, etc. Denique statìm in secundi capitis initio: *Et die tertiâ nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ.* En cùm Joannes Judæorum legatis respondisset, postero die vidit Jesum venientem ad se; quo tempore Jesus nec notus erat, nec discipulos acceperat, ut ex hoc primo Joannis capite manifestissimè liquet. Sed postero die, hoc est, tribus à legatione diebus, duo discipuli Joannis secuti sunt Jesum; ac proximo huic die exiens in Galilæam Jesus ipse Philippum invenit. Cùm verò subjungit Evangelista: *Et tertiâ die nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ*, satis apertè indicat, quàm breve tempus inter baptismum, vocationem discipulorum ac nuptias fluxerit. Non itaque annus integer intercessit. Prætereà post secundum adventum in Galilæam cœpit Jesus prædicare, ut Matthæi cap. 4 dicitur. Non ergò antè nuptias prædicaverat. Nam illæ factæ sunt, cùm post baptismum primò advenit in Galilæam. Quòd si annus integer à baptismo ad nuptias interfluxisset, jam tres anni prædicationis Christi nullo modo invenirentur. Adde quòd ex eâ sententiâ consequens fieret ut Christus anno ætatis suæ trigesimo quarto inchoato fuerit passus. Illud non obscurè colligitur, quoniam si vera esset, quinquiès pascha à baptismo ad mortem intervenisset. Primum id esset, de quo nihil habemus in Evangelio scriptum, inter baptismum et nuptias. Secundum, quod Joannes statìm post nuptias commemorat, cap. 2, ubi Christus ementes ac vendentes de templo primùm ejecit. Tertium, de quo fit mentio Joannis quinto, cùm sanavit paralyticum. Quartum, cujus idem Evangelista meminit, cap. 6, inquiens: *Erat autem proximum pascha*, etc. Quintum, in quo passus est Christus; de quo Joannis 12 et 13. Nam quòd tertium illud, de quo dubium esse potest, festum paschæ fuerit, non modò Rupertus, sed Irenæus etiam testatur. Ac reverà nomen festi simpliciter pro paschâ solet in Evangeliis accipi, ut ibi: *Non in die festo*, Matthæi 26. Item: *Secundùm consuetudinem diei festi*, Luc. 2. Item: *Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum*, Joan. 13. Cùm itaque Christus baptizatus fuerit anno tricesimo ætatis suæ inchoato per tredecim dies, erat enim incipiens quasi annorum triginta, ut Lucas affirmat, si quinquies festum paschæ intercessit, nimirùm mortuus est anno ætatis suæ trigesimo quarto. Quod licet Beda aliique nonnulli juniores asseruerint, defendi tamen nullâ ratione potest, ut Paulus episcopus Forosemproniensis, lib. 9, part. 2, et lib. 5 ejusdem partis, Joannes item Lucidus in libro de vero die passionis Christi ostenderunt. At verò nullæ hujusmodi rationes ab antiquâ Patrum traditione, quam communis Ecclesiæ consuetudo in divino officio, hymnis, antiphonisque confirmat, potuerunt me movere. Non quòd hæc ad fidem, religionemve magnoperè attineant, sed

quòd in rebus vel ex utrâque parte probabilibus, vel etiam ambiguis, veteris ecclesiasticæ historiæ fides communis me delectat.

Primum verò alterius opinionis videamus argumentum. Anno, qui inter baptismum et nuptias fluxit nihil omninò docuit Christus; cessator ergò fuit maximus, qui post injunctum munus tamdiù fuit otiosus. Sanè quidem eo anno non est publicè concionatus Christus, neque turbis Evangelium prædicavit. Sed non fuit interìm otiosus. Quin et frequenter ad Joannem accessit, ut frequens etiam de ipso Joannes testimonium diceret, et privatìm quoque docuit quosdam, ne Ecclesiæ concionator repentè prodiret. Non enim discipuli Joannis illum Rabbi, hoc est, magistrum appellarent, nisi jam docere incœpisset, quemadmodùm Cajetanus noster diligenter advertit.

Nam quod in secundo argumento aiunt, ex Joannis Evangelio colligi, paucos dies inter baptismum et nuptias intercessisse, id nullo modo verum est; cùm Joannes adventum Jesu ad baptismum nusquàm omninò narraverit, ut idem Cajetanus manifestâ argumentatione confecit. Quanquàm in eo fallitur, quòd pro certo asserit, ex quatuor Baptistæ testimoniis, quæ primo capite Evangelista refert, tertium datum esse die proximo post secundum. Secundum quippè, ut mihi videtur quidem, de futuro est; et licet Scripturæ ordine sequatur, tempore tamen primum etiam testimonium antecessit, ut vel Cajetanus ipse confitetur. Illud enim, quod à Joanne legatis Judæorum impertitum est, idem omninò ipsum fuit, quod se antè dixisse Baptista meminerat. Estque multò verisimilius eo tempore nondùm Christum à Joanne baptismum suscepisse. *Medius,* inquit, *vestrûm stetit, quem vos nescitis. Ipse est, qui post me venturus est.* Dùm ergò Evangelista inquit : *Alterâ die vidit Joannes Jesum venientem ad se,* nec intelligit de adventu ad baptismum, nec scribit quid postero die à legatione Judæorum gestum sit ; sed docet, tertium testimonium altero die post illud, quod primo loco scripserat, datum esse. Nam secundum obiter est utrique, id est primo et tertio ab Evangelistâ interpositum, ut explicaretur Baptistam semper fuisse suî in testificatione similem, nec aliud futurum antè dixisse, quàm in præsenti testificaretur. Itaque temporis ordine, ut diximus, illud fuit primum, quod secundo loco Evangelista commemorat. Deindè secutum est id, quod à principio positum est. Post hoc proximo die tertium Baptista testimonium dedit, cùm vidit Jesum venire ad se. Sæpè enim post baptismum, ut suprà dictum est, ad Joannem veniebat. Postero autem die quartum testimonium addidit, cùm interessent illi ex discipulis ejus duo, quorum unus erat Andreas. Cùm igitur non constet, quantùm temporis inter baptismum, et tria illa testimonia de præsenti fluxerit, quamvis omnia illa post baptismum data sint, certè ex Evangelio Joannis non colligitur, paucos dies inter baptismum ac nuptias influxisse. Quid? quòd cùm ait : *In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum,* non Christum fortassè Evangelista intellexit, sed Andream, quem primum dixerat invenisse Simonem, nunc dicit, postero die invenisse Philippum, cùm ex habitaculo Christi in Galilæam exiisset ? Ob id enim interpres latinus ait : *Et dicit ei Jesus,* cùm nomen Jesus non reperiatur in Græco.

Ad tertium verò argumentum, quot dies intercesserint inter postremum illud testimonium Joannis, coràm duobus discipulis tributum, et hunc diem, quo Andreas invenit Simonem, incertum est. Nam illud quidem apud Matthæum de publicâ ad plebem prædicatione intelligitur; cùm perspicuum sit, in primo adventu Christi ad Galilæam, quem solus Joannes capite secundo narrat, jam Christum discipulos habuisse. Matthæus autem de secundo adventu loquitur, quùm jam Joannes erat in carcere. Non igitur de privatâ doctrinâ, sed de publicâ et populari intelligi potest.

Hinc ad quartum argumentum, tempus prædicationis Christi quantum fuerit, non satis à veteribus expeditum est. Eusebius quoque ipse parùm sibi in hâc re constare videtur. Nam in Chronicis post quintum decimum annum Tiberii tribus annis scribit Dominum prædicâsse; idque astruit à Joanne etiam in Evangelio conscriptum. Cæterùm idem in libro Demonstrat. evangel. 8, demonstratione secundâ, Joannis item testimonio confirmat, tribus annis, et sex mensibus Christum prædicavisse. Quòd si ad passionem venit anno Tiberii decimo octavo, ut in Chronicis Eusebius ait, quî fieri potest, ut post annum Tiberii quintum decimum, annis tribus, et sex mensibus prædicârit? Atqui post annum decimum quintum Tiberii inchoatam esse Evangelii doctrinam, è Lucæ, cap. 3 patescit.

Quod autem ad quintum argumentum attinet, si trium annorum doctrinam explere volumus, unum doctrinæ privatæ, duos verò publicæ doctrinæ impertiemur. Huic enim totum triennium dare nulla ratio cogit, nulla probat auctoritas. Negamus siquidem, probabiliterque negamus, festum, cujus Joannes c. 5, meminit, pascha fuisse : Chrysostomus porrò ac Cyrillus affirmant fuisse, Pentecostes. Quod mihi, fateor ingenuè, non fit verisimile. Primò, quoniam post pascha Jesus moratus est in Judæâ cum discipulis suis, cap. 3, Joann. scribit; at mora juxtà Scripturæ usum in paucis his diebus, qui ad Pentecosten interfluxerunt, intelligi non potest; eò vel maximè, quòd postquàm Christus moratus in Judæâ est, abiit iterùm illâ relictâ in Galilæam, quemadmodùm Joannis cap. 4 dicitur. Ac rursùm è Galilæâ venit Hierusalem, quod habes cap. 5. Quæ omnia tàm brevi tempore, nisi Christum cursorem faciamus, expediri vix queunt. Cajetanus sanè in quartum Joannis caput (1), haud absurdâ ratione computat, Christum in Judæâ post pascha celebratum, in quo vendentes ejecit de templo, longam multorum mensium moram interposuisse. Non igitur festum illud, quod, cap. 5 commemoratur, Pentecostes solemne erat.

Ad sextum deindè argumentum, quòd capite 5 unum

(1) In illud : *Adhùc quatuor menses sunt, et messis venit.*

miraculum Evangelista narrârit in paschâ patratum, et quòd statim capite 6 ad alterum pascha transierit, omnibus et gestis et dictis unius anni intermissis, non ità probabile apparet. Festum ergò illud, in quo paralyticus sanatus est, ut rectè Cajetanus existimavit, hyemale fuit. Nihil autem interest, sive dicas fuisse festum dedicationis templi secundi sub Zorobabele, quod celebrabatur tertiâ die mensis Adar, hoc est, februarii; sive potiùs festum sortium, quod Judæis solemne erat, 14 et 15 die ejusdem postremi mensis, Esth. 9, 12. Tunc enim ordine egregio cap. 6 sequitur: *Erat autem proximum pascha*, etc. Sed in hujus argumenti confutationem nimis multa diximus.

Septimo verò argumento libri secundi cap. decimo octavo respondisse videmur. Sed ibi breviter; nunc ubi proprius est locus, longiore oratione argumentum illud refellendum est. Non sunt verba Hieronymi in eum sensum intelligenda, ut existimemus ad veritatem historiæ satis esse, si ea, quæ auctor affirmat, vera à vulgo esse creduntur, tùm etiam cùm falsa sunt. Alioqui si ad eam regulam liceret Scripturæ historias interpretari, diceremus, cùm Apostolus ait, Saülem regnâsse 40 annis, cum vulgo loquentem hoc, quod fama crebrior haberet, dicere voluisse. Quod Beda in 13 c. Actor. Apostolicorum asseruit; rectenè, an secus, aliorum esto judicium. De tanto quippè viro non libet in præsenti judicare. Diceremus rursùm, Matthæum, virum Mariæ Josephum appellâsse, non quòd reverà esset, sed quòd vulgò esse crederetur; turbatum quoque Herodem, et omnem cum illo Hierosolymam non re quidem, sed opinione vulgi; mortuum deniquè, si ità placet, esse Christum, non verè, sed ad vulgi existimationem apparenter. Certè si consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodò eo tempore ab hominibus credebatur; omnia quæ de Nabuchodonosore, Dario, Cyro, Alexandro, Samsone, Machabæis, Scriptura refert, poterit quis inficias ire, quòd videlicet auctores sacri ea narrârint, quæ vulgo erant persuasa, non quæ ipsi vera esse crediderint. Quod quàm sit auditu horribile ac pertimescendum, nemo fidelium non videt. Alius est igitur Hieronymi sensus multò et sanior et verior, quem ex subjectâ partitione facilè lector accipiet. Falsæ vulgi opiniones in duplici sunt differentiâ. Quædam, quæ nonnisi verbis falsis significari atque exprimi possunt, ut Christum esse Joannem Baptistam, vel Jeremiam, vel unum ex prioribus Prophetis. Atque hujusmodi opiniones semper auctores sacri ità referunt, ut non ex se, sed ex vulgi nomine retulisse videantur. Aliæ sunt vulgi opiniones falsæ quidem, sed verbis iis expressæ ac significatæ, quæ in sensu aliquo vulgari vera sint, ut Joseph esse patrem Christi ad vulgi sensum falsum omninò erat, sed verè tamen pater, et sine falsitate dicebatur; tùm quoniam nutritius erat, tum quoniam vir matris erat. Et licet vulgi sermone, verè tamen privignus filius vocatur, mater noverca, vitricus pater. In quibus rebus, fateor, vera historiæ lex est vulgi opinionem exprimere. Nam si de priore rerum genere sermo sit, in historiâ profanâ absurdus est, in sacrâ etiam impius. Sapientes quippè cum vulgo loquuntur ferè, sed non sentiunt cum vulgo. Nec mendacii tamen rei sunt, quoniam quæ loquuntur, ea secundùm aliquem verbi significatum vera esse intelligunt. Sic Maria Virgo dixit: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te*, sermone vulgi quidem, sed verè tamen. Sic etiamsi nullam habuisset interiorem admirationem Christus, verè tamen admiratus dici posset, cùm speciem admirantis exhibuit, quemadmodùm Beda, lib. 2 in Luc. cap. 24, exposuit. Sic contristatum Herodem Matthæus Marcusque dixerunt, qui tristitiam haberet in vultu. In quem sensum hypocritas tristitiam simulantes, tristes quoque appellavit Dominus, Matth. 6, 16. Vulgatâ enim dictione rerum vocabula pro rerum imaginibus usurpantur. Tametsi in præscriptis exemplis et Christus, si divo Thomæ credimus, aliquo modo interiùs admiratus est, et Herodes etiam contristatus. Etenim peccatores simul in vitiis tristantur et exultant, gaudent dolentque. At de hoc argumento satis. Jam pergamus ad reliqua.

Ad octavum autem argumentum, non debuit sanè tantoperè ridere Hieronymus Adami in loco Calvariæ sepulturam: nec nos, viri licet sanctissimi exemplo, historias ejusmodi ridere debemus. Vulgus, video equidem, hisce rebus credendis nimium est facile. Credulitas etiam in optimi cujusque mente facillimè irrepit. At viri quidam excellentes cùm à vulgi facilitate et credulitate declinant, in adversum quandoque vitium incurrunt; suntque tùm etiam increduli, cùm in fide nihil est vitii, in incredulitate vitii nonnihil est. Testimonium autem, quod ex Josue c. 14 historiæ veteri opponitur, nihil profectò urget, utpotè cùm nomen Adam eo loco non proprium sit, sed commune. Reddit enim Scriptura causam, cur quæ post Hebron, ea antè Cariath Arbah, id est, civitas Arbeæ dicta sit; quòd videlicet Arbah, quem Arbeam 70 vocavère, homo inter gigantes, magnus ibi fuerit (1). Qui sensus præterquàm quòd Scripturæ contextui aptissimè jungitur (quapropter à Chaldæo, interprete Pagnino, aliisque viris clarissimis expressus est), indè etiam facilè probari potest, quòd capite ejusdem libri decimo quinto Arbah pater Enoch fuisse dicitur; ut promptum sit cuique intelligere, et Arbah nomen fuisse gigantis proprium, à quo Cariat Arbah nominata sit, et Arbah patrem primumque fuisse illius terræ gigantum. Omitto hìc 70 versionem (2), qui tametsi magnitudinem non ad Arbah, sed ad civitatem retulerunt, ut ea urbs metropolis intelligeretur, satis tamen indicârunt, Arbah nomen esse gigantis proprium, undè civitas illa suum olìm cognomentum acceperit. Itaque primi parentis in civitate Arbeæ fuisse sepulcrum, nec ex eo loco, neque aliundè colligitur. Quin illud multò probabilius est, quod publica rerum veterum memoria prodidit, primum Arbah ibi jacere conditum, ubi secundus etiam

(1) Sic omnes Hebræi testantur. Sed Hieron. videns in hebr. utroque modo vocem accipi posse, reliquit in latinâ linguâ eamdem hebr. vocem.

(2) Certè habuerunt aliud exemplar hebraicum.

sepultus est. De octavo igitur argumento hactenùs.

Nonum argumentum non solùm in chronographiâ sed in Scripturarum intelligentiâ difficillimam quæstionem habet, quæ auctores nobilissimos in varias sententias traxit. Josephus sanè 70 illos annos judaicæ captivitatis ad primum Cyri annum computavit. Quem secuti sunt Africanus in quinto Temporum volumine, Abulensis noster in secundum Matth. cap., quæst. 91, Annius cum Philone suo lib. 14, Joannes Lucidus lib. 2, cap. 11, aliique viri graves, et antiqui et juniores. Nituntur verò hi Scripturæ sacræ clarissimis testimoniis. Primum est Jeremiæ capit. 25, inquientis : *Servient gentes istæ regi Babylonis* 70 *annis. Cùmque impleti fuerint* 70 *anni*, *visitabo super regem Babylonis*, etc. Septuaginta ergò anni judaicæ captivitatis jam tunc expleti erant, cùm Babylon capta à Persis ac vastata est. At rem hanc primo anno Cyri gestam esse, nemo est qui ignoret. Idem Jeremiæ 29 : *Cùm cœperint impleri in Babylone* 70 *anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Quam vaticinationem primo Cyri anno fuisse expletam, 2 lib. Paralip. cap. 36, et 1 lib. Esdræ, c. 1, non obscurè traditur. Atque Hieronymus ipse, quamvis aliis in locis aliter senserit, in hunc tamen Jeremiæ locum non potuit cum manifestâ veritate pugnare : *Nisi*, inquit, *septuaginta anni expleti fuerint, Cyro rege Persarum laxante captivos, nequaquàm in patriam revertemini.*

A contrariâ parte illud primum est, quòd Angelus, qui in Zachariâ loquebatur : *Usquequò*, ait, *non misereberis Hierusalem, et urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est* (1). Istum autem annum Darii secundum eumdem esse, Zacharias, cap. 1, testatus est; non ergò 70 anni in primo anno Cyri, sed in secundo Darii completi sunt. Quo argumento Clemens, Theodoretus, Eusebius, Hieronymus, Augustinusque nituntur. Quod verò exponunt quidam, *iste jam* 70 *annus est*, scilicet jam diù transactus, vix audiri sine molestiâ potest; cùm pronomen, *iste*, hanc intelligentiam evidentissimè excludat; quæ, si pronomen abjiceretur, esset fortassè probabilis. Deniquè 70 illi anni, quos prædixerat Jeremias, non transmigrationis Judæorum (2), sed desolationis templi ac civitatis intelliguntur. At 70 desolationis anni non sunt ad primum Cyri annum, sed ad secundum Darii referendi. Annus ergo 70, de quo est Jeremiæ vaticinatio, non in primo Cyri anno, sed in Darii secundo expletus est. Illud prius, quod in hâc argumentatione sumpsimus, ex 2 Paralipom. c. 36, probari facilè potest, ubi hæc verba scripta sunt : *Cunctis diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur* 70 *anni*, etc. Et Danielis 9 : *In anno* 1 *Darii, filii Assueri, de semine Medorum, ego Daniel intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni.* Et Jerem. 25 : *Et erit terra in solitudinem, et in stuporem, et servient regi Babylonis* 70 *annis.* Anni ergò septuaginta non transmigrationis, sed desolationis intelligendi sunt, ut Josephus etiam testis est libro de Antiq. 10, c. 10, 11, et lib. 2 contr. App. Desolationis autem annos non in primo anno Cyri, sed in secundo Darii fuisse completos, id enim posteriore loco sumptum est, Esdræ testimonio à Hieronymo, in Proœm. super Agg., comprobatur. Esdras quippè verbis minimè obscuris testimonium perhibet, templum usque ad Darii tempora deturbatum perstitisse. Septuaginta igitur eversionis annos non ad primum Cyri annum, sed ad Darii secundum computare debemus. Quibus ex rebus satis profectò intelligitur quantis omninò tenebris quæstio præsens sacras etiam litteras circumfundat; sed in ratione quoque temporum adeò impedita et complicata est, ut vix aut nullo certè modo expediri atque extricari possit. Clemens porrò Alexandrinus, à desolationis initio, quod decimo nono Nabuchodonosoris anno, et Sedeciæ undecimo fuisse, 4 Regum 25, scribitur, ad primum annum Cyri, quo laxata captivitas Judæorum est, nonnisi triginta annos computavit. Cui numero, ut dixi, Eusebius, Theodoretus, Hieronymus Augustinusque consentiunt. Cujus rei etiam illud argumentum est, quòd si ad imperium Cyri 70 anni interfluxêre, Mardochæus certè eâ ætate res tales ac tantas gessisse invenietur, quâ per summam senectutem non dico rempublicam administrare, sed ne inter vivos quidem numerari possit. Fuit namque ex eorum numero captivorum, quos cum Jechoniâ, rege Juda, Nabuchodonosor transtulit. Quarè vel secundùm illos, qui non à desolatione, sed à transmigratione 70 annos computare volunt, expletâ captivitate, hoc est, primo Cyri anno, jam Mardochæus erat propemodùm octogenarius, nisi credamus illum bimum aut trimum in Chaldæam esse translatum. Sed fac anniculum fuisse. Minimùm ergò unum et septuaginta annos natus erat, quandò laxata per Cyrum captivitas est. Cyrus autem, ut nobilissimus quisque tradit historicus (1), aut triginta, aut triginta fermè annos imperavit. Cambyses et Magi imperârunt novem. In principio itaque regni Darii Hystaspis, Mardochæo anni ætatis centum decem accesserant. Ponamus igitur id quod videtur cum ratione pugnare minùs, Darium fuisse eum sub quo res Mardochæi gestas Scriptura complectitur (2). Nam illas sub Artaxerxe Lon-

(1) Idem confirmant verba illa : *Cùm jejunaretis et plangeretis per hos* 70 *ann.*, etc.

(2) Transmigrationem hic dico, cùm Joakim spontè dedit se, translatusque est in Babylonem ann. 8 regni Nabuchodonosor. Quo modo Ezech. 1 usurpatum est, ut rectè quidem, ut Hieron. in Jerem. 14 c. annotavit. Nam transmigrationis vocem scio à Josepho aliisque diversè aliquando usurpari.

(1) Clem. Alex., Euseb. Hieronym., Africanus, 30 annos Cyro tribuunt, Herod. 29; solus Metasthenes Annian. 24 assignat, sed à Babylone tamen expugnatâ. Itaque reipsà idem cum cæteris sentit.

(2) Confer principium lib. Esther cum initio c. tertii 3 lib. Esdræ. Hujus opinionis Joann. Carion fuit. Joseph, lib. 11 Antiq. c. 6, virum Esther Longimanum credidit, Euseb., in chronicis, Memnonem. Josephum videtur sequi August., lib. 18 de Civ., c. 36. Josephus 6 annos solum illis assignat, lib. 11. Antiq. Jud. cap. 2; Herodot., l. 3, annos 7, et menses 5; cui potiùs habenda fides, quoniam eo tempore fuit Cambyses parum propitius Judæis, fuit Assuerus multùm.

gimano, aut etiam sub Memnone contigisse, ut qui multis annis Dario fuerint posteriores, longè incredibilius est; nullo verò modo probabile ad Cambysen filium Cyri hæc ipsa traducere, qui octo solùm annos tenuit imperium. At post duodecimum Assueri annum quædam Mardochæi gesta historia sacra commemorat. Non ergò Assuerus ille Cambyses fuit, præsertim cùm hujus acta actis illius nullo pacto cohæreant. Manet ergò Mardochæum eo etiam tempore, quo ad centesimum vigesimum secundum annum vitam perduxerat (1), non imbecillum, ingravescentem, seniove confectum, sed solidum, robustum ac valentem in rebus magnis præclarisque gerendis fuisse versatum. Quod in nostris seculis vix credi potest, utpotè cùm multò antè mortalium hominum ætate adeò inclinatâ, illud Propheta dixerit: *Si autem in potentatibus* 80 *anni et ampliùs, eorum labor et dolor*. Quas ob res triginta anni, quos ad primum Cyri Augustinus, Hieronymus, Eusebius, Theodoretus Clemensque Alexandrinus colligunt, historiæ libri Esther magis convenire et quadrare videntur, quàm numerus 70, qui aliorum opinione colligitur. Nisi Philonis Aniani fabulis delectamur, qui Mardochæum ait decem et octo annis ætatem Isaaci superâsse. Verumenimverò Josephus, lib. 10 Antiq., à decimo nono anno Nabuchodonosoris, quo anno templum deturbatum eversumque fuisse sacræ litteræ produnt, ad finem regni Balthasar, cùm Babylon à Dario et Cyro capta est, non solùm 70 annos, sed multò etiam plures enumerat. Scribit enim Abilamarodachum (2), Nabuchodonosoris filium, annis 18 imperâsse, Neglisarem (3) deinceps annis 40. Labosordachum post mensibus novem; Balthasarem deniquè annis 17. Itaque præter annos, quibus à templo vastato Nabuchodonosor vixit, qui fuère non pauci, septuaginta sex alii, si Josephus vera dixit, ad primum Cyri intercesserunt (4). Berosus autem, in 3 libro Chaldæorum, non nisi 48 annos à desolatione ad Cyrum supputat. Nabuchodonosorem namque ait 43 annos imperium tenuisse; hujus filium Evilmerodachum annos duos; Niglisarem, quem maritum sororis Evilmerodachi fuisse tradit, annos 4; Labosordachum, Niglisaris filium, menses novem; Nabonidum, ex eâdem gente, annos 17, cujus postremo anno Babylon à Cyro capta est. Quæ eadem fermè computatio ex Phœnicum historiis habetur, quas Josephus, contrà Appion. lib. 1, retulit. At Metasthenes, à vastatione Hierusalem ad primum annum Cyri, septuaginta annos computavit in hunc modum: Nabuchodonosor, qui templum civitatemque vastavit, imperium tenuit 46 annis; Evilmerodach, filius ejus, 30 regnavit; Asar, hujus filius, 3; Lab Asar Dach, hujus frater, 6; Balta Asar, horum etiam frater, 5. Si enim acceperis 26 annos, quibus post eversum templum (1) Nabuchodonosor vixit, et illis addideris 44. quibus Nabuchodonosoris filius unus ac tres nepotes imperârunt, conficies dictum numerum 70. In ratione igitur temporum quæstio hæc valdè implicita est, atque ità implicita, ut ne à viris quidem historiæ peritis explicari posse videatur.

Nam Judæi, quippè qui chronographiæ penitùs sint ignari, nihil hoc loco et quæstione valent, nisi mera somnia fingere. In quibus etiam Lyranus est, qui suo arbitratu 70 annos ab octavo Joakim, patris Jechoniæ, ad quartum Cyri numeravit (2), tantùm ut sententiam suam diceret, nullius gravis auctoris testimonio subnixam, nullà annalium ratione probatam, nullis argumentis persuasam, à sacris etiam litteris alienam. Sed hoc in re ambiguà ferri potest. Illud quis ferat, quòd nonnulli apud Eusebium, à 13 anno Josiæ ad primum annum Cyri septuaginta illos annos, de quibus est controversia, computandos esse adstruxerunt? Quid, quòd in hâc etiam quæstione illud varium atque irretitum est, quod vel maximè erat explicatu necessarium, ut hujus quæstionis difficultas exponeretur, nempè an Balthasar filius Nabuchodonosoris fuerit an nepos, an pronepos? Nam si verum est, quod Eusebius ait, Balthasar filium fuisse Nabuchodonosoris, fratrem Evilmerodachi, nihil absurdum videtur dicere, cùm negat à demolitione templi ad primum Cyri annum plures quàm 30 annos intercessisse. Sin autem idem Nabuchodonosoris non filius, non nepos, sed pronepos fuit, tùm verò inter eversionem civitatis et primum annum Cyri nonnisi triginta annos interfluxisse, nullo modo est credibile. At fuisse pronepotem, Hieronymus, auctoribus Beroso ac Josepho, in 5 Danielis caput affirmat; et refertur de verb. significat. c. *Nam et rex*. Quanquàm Josephus libro decimo Annal., c. 13, Balthasar nepotem Nabuchodonosoris fuisse scripsit. Quod et Metasthenes Annianus asseruit. Quæ omnia idcircò à me tam prolixè sunt posita ut lector intelligat primùm hujus argumenti quæstio quantis sit difficultatibus illigata, deindè ne in re perdifficili ac perobscurâ, quam explanare nemo adhùc potuit, sententiam à me exspectet perspicuam, certam, constantem, sed probabilem, verisimilem, minimè absurdam.

Principio igitur illud pono, quòd, nisi ego fallor, satis abundè probatum est, septuaginta annorum initium à desolatione sumendum esse, non à transmigratione, hoc est, non ab anno 8 regni Nabuchodonosoris, cùm Joakim cognomento Jechonias ultrò se dedidit, 4 Reg. 24, sed ab undevigesimo ejusdem Nabuchodonosoris, quandò Nabuzardam templum, domos murosque civitatis evertit, 4 Reg 25. Id quoniam, ut dixi, ex 2 Paralip. cap. 36, 1 Esdr. 1 et Jerem. 26, ostensum est, supervacaneum existimo, si eadem iterùm resumantur. At Cajetanus, in 2 Paral. cap 3, contrà dicit, à Jecho-

(1) Centesimum trigesimum secundum colliges, si à desolatione 70 annos enumeres, ut verè sunt enumerandi.

(2) *Evilmerodach* legit Hier. Daniel. 5.

(3) *Niglissar* legit Hieron. Dan. 5.

(4) A transmigratione Joakim ad primum annum Evilmerodachi, filii Nabuchodonosoris, 37 annos interfluxisse scribitur 4 Reg. lib., c. 25.

(1) Beda ponit mortem Nabuchodonosoris à 31 anno post eversionem Hierosolymorum.

(2) Joseph., lib. 10 Ant. c. 7, scribit, Joakim 8 anno regni sui fuisse à rege Babylonis captum. Sed contrà, Dan. 1, dicitur, quòd anno tertio regni Joakim venit Nabuchodonosor. Quòd autem eodem anno sit captus, Eusebius in Chronicis docuit.

niæ transmigratione 70 annos computari oportere, quòd Jeremias, cap. 29 iis qui cum Jechoniâ translati sunt, ait : *Cùm cœperint impleri in Babylone 70 anni, visitabo vos, et suscitabo*, etc. Verùm satis expeditum est ea quæ cap. 29 dicuntur, ad sensum capitis 25 esse referenda. Non enim inquit : *Cùm cœperint in vobis impleri 70 anni*, sed : *Cùm cœperint impleri 70 anni*, illi scilicet, quos prædixerat. Perspicuum est autem, 70 annos capitis 25, desolationis intelligendos esse, tùm quoniam omni populo Judææ loquitur, ut patet ex initio capitis, tùm quoniam per transmigrationem Jechoniæ non est facta universa terra illa in solitudinem et stuporem, tùm quoniam statim subditur : *Et servient omnes gentes istæ regi Babylonis* 70 *annis.* Si autem soli illi qui cum Jechoniâ commigrârunt, 70 annis servierunt, quomodò omnibus dicitur : *Et servient omnes gentes istæ*, etc.; nempè etiam vicinæ Hierusalem, etc.? Quid quòd etiamsi solitudinis fuissent 70 anni, desolationis tamen non fuerunt, si à transmigratione Jechoniæ computamus? Aliud quippè est solitudo, aliud desolatio. Non ergò 70 anni à transmigratione Jechoniæ numerandi sunt. Quamobrem qui vel à decimo tertio anno Josiæ, vel etiam ab octavo Joakim, aut à tertio quoque hujus computare 70 annos incipiunt, eos equidem ab hâc disputatione multò magis removendos existimo.

Primum itaque fundamentum præclarè jactum est. Deindè non mihi sanè verisimile fit à desolatione ad primum Cyri annum nonnisi annos triginta interfluxisse, quos Eusebius, et qui Eusebio consentiunt, Theodoretus, Hieronymus et Augustinus numerent necesse est, si ad secundum annum Darii Hystaspis (1), septuagesimi anni absolutionem trahant. Constat siquidem Nabuchodonosorem, patrem Evilmerodachi, ad quadragesimum quintum annum imperium perduxisse. Quos illi verè Metasthenes Annianus tribuit. A transmigratione enim Jechoniæ ad primum annum Evilmerodachi, triginta septem anni effluxerunt, 4 Reg. 29 et Jerem. 25. Jam ergò Nabuchodonosor hos triginta septem annos imperavit. His si addas octo annos, quos antè regnârat, 4 Regum 24, annos quinque et quadraginta conficies. Nec huic sententiæ repugnat Hieronymus, qui in Daniel. cap. 5 Nabuchodonosorem ait annis tribus et quadraginta regnâsse. Quam sententiam ex Josepho accepit, primo contrà Appionem libro, Josephus verò à Beroso, in tertio libro Chaldaicorum. Computat namque annos integros, non integros excludit. Qui mos est auctoribus profanis sacrisque familiaris. Sic Jeremiæ 25, scribitur primum Nabuchodonosoris annum, eumdem regis Joakim fuisse quartum, cùm tamen anno tertio Joakim, regis Juda, Nabuchodonosor, rex Babylonis, in Hierusalem venerit et obsederit eam, Daniel 7. Eodem autem tertio anno Joakim, Judæam captam à rege Babylonis, Eusebius etiam in Chronicis auctor est. Annus ergò tertius Joakim primus erat Nabuchodonosoris, sed non integer; annus verò Joakim quartus, idem Nabuchodonosoris primus integer fuit. Nos porrò annos Nabuchodonosoris 45, licèt non omnes integri fuerint, numeramus. Sicque de annis non integris in totâ hâc disputatione loquimur. Undè error Eusebii coarguitur, qui non nisi 38 annos imperii Nabuchodonosori assignavit. Ponit enim illius mortem anno à desolatione decimo nono, cùm in vigesimo sexto ponenda esset, si verum est, ut verum est certè, Nabuchodonosorem post desolationem 26 annos imperium tenuisse. Nam à decimo nono anno, in quo templum vastatum est, ad 45, ad quem Nabuchodonosor vitam regnumque perduxit, anni sex et viginti computantur. Item, si à 37 annis, quos à transmigratione Joakim Nabuchodonosor vixit, undecim ademeris, quibus regnavit Sedecias, 26 annos pariter supputabis. Atque hinc etiam error alter Eusebii refellitur, qui Evilmerodacho cæterisque Nabuchodonosoris posteris quatuor duntaxat annos imperii reliquit, aut plurimùm sex, neque eos integros tamen. Certè si à desolatione ad primum annum Cyri triginta anni numerentur, cùm viginti sex illis Nabuchodonosori accesserint, quatuor solùm aut quinque restant, quos Evilmerodacho, Nig'isari, Labosordacho, Balthasari impertiamur. Hos enim Nabuchodonosori ordine successisse, non Josephus modò affirmat, verùm et Hieronymus Berosum prodidisse consentit. Quæ res omninò mihi magnam admirationem movet. Quid enim causæ Hieronymo fuerit, equidem non intelligo, ut Beroso Josephoque consentiens Balthasar Nabuchodonosoris pronepotem fuisse crediderit, et cum Eusebio tamen à fine regni Nabuchodonosoris ad primum Cyri annum adeò paucos annos computârit. Eusebius enim excusari fortè potest qui Balthasar fratrem Evilmerodachi fuisse, filium verò Nabuchodonosoris existimavit. Sed cur Eusebium excusem, cùm Matthæus dicat Jechoniam post transmigrationem Babylonis genuisse Salathiel, Salathiel autem Zorobabel? Hic autem in primo anno Cyri jam grandior erat, cùm esset dux et princeps Judæorum. At ne intelligi quidem potest, Jechoniam in tam paucis annis ab Eusebio computatis nepotem adeò adultum habuisse. Non ergò à desolatione ad remigrationem triginta solùm anni intercesserunt. His duabus conclusionibus illam adjicio, à desolatione ad primum Cyri annum septuaginta annos intercessisse. Quam ego conclusionem negare non queo, cùm cap. 25 Jeremiæ, et 2 Paralipom. 36 diligenter expendo. Si quis autem his Scripturæ testimoniis aptè ac probabiliter respondebit, cum eo quidem non magnoperè contenderim. Mihi profectò, ut dixi, nulla via explicandorum eorum testimoniorum apparet, nisi planè consentiendo quod ad primum annum Cyri septuaginta desolationis anni interfluxerunt. Intelligo autem quosdam rei hujus summam ità distinguere, ut captivitatis septuaginta annos à transmigratione ad primum annum Cyri computent : at in secundo Darii anno septuaginta desolationis absolvant. Quod si verum esset, discrepantium opinionum probabilis sanè concordia esset inventa, de quâ re videre est Theodoretum, in cap. 1 Zachariæ. Sed nihil falsius invenio, cùm ad veritatem cœpi revocare rationem. Transmigratio enim fuit in anno Na-

(1) Alii *Hydaspim* vocant.

Nabuchodonosoris octavo, ut 4 Regum libro, cap. 24, scribitur, desolatio verò in ejusdem regis anno undevigesimo facta est, 4 Reg. 25. Vastatio ergò post undecim annos transmigrationi successit. A primo autem anno Cyri ad Darii secundum sine controversià plures quàm triginta interfluxerunt. Nullo ergò modo fieri potest, ut à transmigratione Jechoniæ ad primum annum Cyri septuaginta anni, à desolatione item ad annum Darii secundum, septuaginta alii numerentur. Quocircà variis dissentientium auctorum sententiis omissis ad argumenta cum tertià hàc conclusione pugnantia respondeamus.

Objicitur primùm quòd Angelus, apud Zachariam, cùm de secundo Darii anno loqueretur : *Iste*, ait, *jam septuagesimus annus est.* Cui nos argumento antè omnia respondemus, locum illum ab interprete Chaldæo Sancteque Pagnino multò aliter, atque ad Scripturæ sensum fortassè aptiùs fuisse conversum. Horum porrò versio sic habet : *Usquequò, Domine, non misereberis Hierusalem et urbium Juda, quibus iratus es istis septuaginta annis?* Nimirùm enim, apud Hebræos, interrogatio non illius orationis medio rumpitur, sed ad finem continenti sermone produci potest. Quâ ex re fit ut in editione nostrâ, tametsi oratio divisa est, duæ tamen interrogationes in unâ angeli querimoniâ intelligantur, quarum prior illa sit : *Usquequò, Domine, non misereberis Hierusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Posterior illa : *Iste septuagesimus annus est.* Quasi angelus in hunc modum conqueratur : Itàne, Domine, promissionis tuæ oblitus es? Nùm iste est septuagesimus annus quem scilicet et tu nobis tantâ benignitate promiseras, et nos à te tàm ardenti desiderio exspectabamus? Ecquid nobis confert laxata captivitas, facultas concessa et templum exstruendi, et civitatem, si illud eversum, hæc vastata perseverat? Nec verò insolitum est ut quædam passim sine notà interrogandi proferantur, quæ rectiùs aliter enuntiarentur. Habes exemplum, ut cætera omittam, in Epistolâ ad Romanos, capite octavo, cujus nos particulam sic pronuntiare solemus : *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus, qui justificat. Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dexterâ Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* At Augustinus, lib. 3 de Doct. christ., cap. 3, rectissimè indicat, sic legi ac proferri oportere : *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus, qui justificat?* ut tacitè respondeatur : Non. Et item : *Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, qui resurrexit, qui est in dexterâ Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* quasi dicat : Absit. Quo in loco vides percunctationibus duabus duas interrogationes adjunctas cùm multùm habere venustatis, tùm acrimoniæ plurimùm. Quod ego idem in præsenti de angeli querelà sentio. Major quippè vis in illâ inerit, si duabus interrogationibus continebitur. Sed fac nihil hìc percunctatione quæsitum. Anne idcircò nihil est quod non dolore expressum videatur? Puto equidem, nec absurdè puto illa quasi dolentis ac dejecti animi verba esse, quæ nihil minùs conquestione depressâ quàm sublatâ interrogatione, significent. Id quò melius intelligatur, exemplis etiam Scripturæ illustrandum est, quæ apertè mihi rem totam videntur exponere. Jeremias, cap. 1, v. 2, primùm duas quoque querelæ ejusdem partes facit, quarum una interrogationem habet, altera non habet : *Quarè*, inquit, *via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui prævaricantur et iniquè agunt? Plantâsti eos, et radicem miserunt, proficiunt, et faciunt fructum.* Simillimum ex Habacuc 1, 13, exemplum proferam : *Quarè*, ait, *non respicis super iniqua agentes, et taces, devorante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris, et quasi reptile non habens principem.* Nùm Prophetæ hi aliud conquestione atque interrogatione denotârunt? Nùm quidquam asseruêre, dùm queruntur? Non certè plus quàm dùm interrogant. Ad eumdem ergò modum angelum in Zachariâ duas suæ querimoniæ particulas fecisse intelligo, quarum prior per interrogationem expressa sit, posterior per conquestionem. Non itaque asserit, illum annum, in quo loquitur, septuagesimum à desolatione esse, sed istum tàm promissum, tàm desideratum jamdiù præteriisse conqueritur; nihil enim, ut modò diximus, conquerendo exprimit, nisi quod interrogando expressisset. Iram Dei scilicet ultrà tempus præfinitum trahi, illâ interrogatione questus est : *Usquequò non misereberis?* Misericordiam item plus nimiò differri questus est, illam conquestionem adjiciens : *Iste septuagesimus annus est.* Quod non vultu asserentis, sed flentis, voce videlicet queribundâ, proferendum est. Verùm de Zachariæ testimonio satis. Opponitur deindè, quòd anni septuaginta non captivitatis, sed eversionis numerandi sunt; id quod nos libentissimè concedimus. Sed septuaginta eversionis annos non in primo Cyri, sed in Darii secundo expletos esse, id verò constantissimè pernegamus, non nostrâ opinione nos, sed Scripturæ testimonio freti, nempè Dan. 1, 3 Paral. 36, et 1 Esdr. 1. At, inquis, templum usque ad Darii secundum annum dejectum eversumque permansit. Si nihil templi factum intelligis, falsum est; cùm in primis Cypri annis altare fuerit extructum templique fundamenta jacta, ut primo Esdr. lib., cap. 3 et 5, scribitur. Sin templum ais non fuisse Cyro regnante perfectum, ità est sanè, sed ne usque ad Darii sextum quidem annum perfectum est, quemadmodùm primo Esdræ libro, cap. 6, legimus. Quin Josephus lib. 11 Antiq., c. 4, memoriæ prodidit templum usque ad annum nonum Darii non fuisse omni ex parte expletum. Cui opinioni Judæi consentientes, quadraginta sex annis aiunt templum ædificatum, Joan. 2, 20. Atque idem Josephus, libro eodem, cap. 5, tradit templum ne anno quidem Xerxis 25 esse suis numeris omnibus absolutum. Quocircà si demolitio templi tamdiù perdurâsse intelligitur, quamdiù informatum illud atque imperfectum mansit, nimirùm septuaginta anni, non jam ad secundum, sed ad sextum vel nonum Darii, vel etiam vigesimum nonum Xerxis numerabuntur. Quid quòd septuaginta anni vastitatis non modò templi, sed urbis etiam intelligendi sunt? *Ego*, inquit Dan. 9, 2, *intellexi numerum annorum, de quo factus est sermo ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Hierusalem septuaginta anni.* Si igitur ad eum

modum annos vastitatis accipimus, cùm Hierusalem in vigesimo etiam Artaxerxis anno adhùc deserta perstiterit, muri dissipati, portæ consumptæ, ut 2 Esdræ, cap. 2, habes, dicimus utique septuaginta illos annos ad Nehemiæ quoque tempora protrahendos, cùm civitas ab eo est per Artaxerxis imperium instaurata. Nos ergò, tametsi in secundo (1), vel saltem tertio Cyri anno templi fabricam inchoatam esse credimus, septuaginta tamen eversionis annos tunc expletos arbitramur, non quandò templum aut incœptum, aut consummatum est, sed quandò Judæis est laxata captivitas, dataque adeò facultas ut in patrium solum remigrarent, altare exstruerent, fabricarent templum, civitatem reficerent, ruinas implerent. Quem omninò sensum, ut diximus, à sacris videmur litteris accepisse, quæ verbum Jeremiæ primo Cyri anno impletum esse tradiderunt.

At Mardochæi ætas, imò potiùs res præclarè gestæ cum nostrà opinione dissentiunt. Nam si tanta fuit, quantam ex nobis adversarii colligunt, non modò summa, sed decrepita etiam ac caduca fuit, nec rebus ità magnis gerendis idonea. Cujus argumenti responsio illa quæ à viris doctissimis accepta est, non est omninò contemnenda. Ecquid enim absurdi est, si illis adhùc seculis homo unus aut alter, ætate, temperamento, corporis animique vigore longè reliquis sui temporis senibus antecelluerit, cùm etiamnùm quidam sint, quorum in summâ senectute nec ingenium, nec memoria, nec cæteræ animi vires non modò labefactatæ, sed ne extenuatæ quidem videantur? Atque hâc responsione illud quoque argumentum diluitur, quod ex Aggæi 2 trahi potest: *Quis in vobis*, inquit, *est derelictus, qui vidit domum istam in gloriâ suâ primâ?* etc.; in secundo igitur anno Darii quidam supererant, annos nati 116 et eo ampliùs. Si enim 70 annis desolationis, 30 Cyri, Cambysis, et Magorum 9 (2), Darii duos et quinque, vel etiam septem addas quibus antè vastitatem vixerant, si templum videre, et gloriæ ejus post tot annos recordari potuissent, certè summam illam 116 annorum conficies. Atque hæc responsio quidem minùs absurda judicabitur, si 30 Cyri anni non à captâ Babylone, sed ab Astyage victo numerentur. Tunc enim primùm Persarum ac Medorum regnum accepit. Denique hoc quoque respondendum censeo: quòd Mardochæus fuisse legitur de eo numero captivorum, quos transtulit Nabuchodonosor cum Jechoniâ, rege Juda, non sic accipi oportet, quasi is ipse tunc fuerit inter captivos numeratus, sed quasi ex illis exstiterit, exque eis duxerit originem. Hoc verò in Mardochæi laude Scriptura posuit, quòd non ex iis fuerit parentibus qui Prophetis contradixerunt, sed ex eis qui Jeremiæ obtemperàrunt. Quæ hujus loci interpretatio ex primo Esdræ libro, cap. secundo, colligitur, ubi numerantur illi qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor, et in Judæam reversi sunt, cùm ex ipsis quidam non in Babyloniam venerint, sed patres eorum. Compertum siquidem ex Matthæo est, Zorobabelem in Babylone genitum fuisse. Sed et 3 Esd. lib., cap. 5, ità legis: *Sunt autem hi qui ascenderunt ex Judæâ*, etc. Nullam ergò vim Scripturæ afferimus, si interpretamur Mardochæum de Hierusalem translatum esse, quòd pater ejus translatus sit. Quòd si quis adhùc hanc intelligentiam violentam esse contendat, sic quoque respondere possumus. Assuerus ille, de quo in libro Esther perpetua mentio fit, Astyages fortassè fuit, pater Darii Medi (1). Hunc enim Daniel, cap. 9, Assuerum vocat. Vel certè Cyaxares hujus pater; quem primum Asiæ populos in provincias distinxisse, Herodotus tradit. Fuisse etiam ait, cùm ingenti tenebatur irâ, peracerbum. Quæ omnia in Assuerum apprimè conveniunt, qui in libro Esther eisdem coloribus pictus est.

Nec refert hi, an alii Medorum reges antè Cyrum Asiæ imperitârint. Scimus enim Ctesiam Gnidium apud Diodorum in tertio, alios atque Herodotus scripsit, posuisse. Sed Herodotum Eusebius sequitur. Accedit, quòd nusquàm Assuerus iste rex Babylonis dicitur, sed Persarum atque Medorum. Antè Cyrum autem et Darium avunculum, una erat monarchia Medorum atque Persarum; Babyloni rex proprius imperabat, ut in primo libro Herodotus scribit. Accedit etiam quòd huic expositioni omnia consonant, nec ex eâ quidquam absurdi emergit. Nam quòd Mardochæus primùm in Babylonem translatus sit, deindè in Susis appareat, nulla repugnantia est. Constat enim fieri potuisse, ut Babylonii quosdam ex captivis Persis Medisque vendiderint; ut causas alias omittam, quæ ejus rei multæ esse potuerunt. Danielem sanè in Babylonem principio translatum, compertum est; at in Susis posteà exstitisse, capite ejusdem Prophetæ octavo legimus (2). Quantò illud urgentiùs adversarios premit, quòd si tempore aut Darii Hystaspis, aut Artaxerxis Longimani illa contigissent, quæ ipsius Esther narrat historia, nullo modo Esdras Nehemiasque silentio prætermisissent! Nam hæc ad Artaxerxis Memnonis tempora referre, si Mardochæus cum Jechoniâ commigravit, somnio quàm simillimum est. Nec me fugit, Susa regiam aliquandò Medorum ac Persarum civitatem, in quâ Assuerus convivium illud instruxit, à Dario Hystaspis filio conditam, Plinium lib. 6, cap. 27, scribere. Quæ res si vera est, illa de Astyage aut Cyaxare sententia vera esse non potest. Sed Plinii nos auctoritas urgere nequit. Quin multò probabiliùs Strabo in libro 15 scribit Susa Thitoni patris Memnonis ædificium esse. Atque Herod., l. 5, urbem Memnonis vocari solitam ait, non Artaxerxis Memnonis, sed illius præstantissimi juvenis, qui Priamo è Syriâ auxiliaturus

(1) In 2 anno Cyri templi fundamenta posita, Josephus, 1 cont. Appion. lib. tradit. Cui ego libenter assentior.

(2) Hier. annos Magorum perpetuò excipit, et 8 solum Cambysi assignat.

(1) Hier. communem sententiam sequitur, Assuerumque illum Artaxerx. à Græcis appellatum ait. At nec Astyages, nec Cyaxares Artaxerxes vocatus est.

(2) Narrant Hebræi, ut in 10 Zach. cap. Hieronymus refert, captivum populum Judæorum non solùm in Medos et Persas, sed in Bosphorum quoque et septentrionalem plagam à Chaldæis esse translatum.

venit, qui etiam in Susis regiam ædificavit, Memnoniam ab illo cognominatam, ut Diodorus scripsit lib. 5; Susa verò ante Cyrum fuisse condita, Daniel certissimus auctor est : *Anno*, inquit, *tertio regni Balthasar, cum essem in Susis*, etc. Quam urbem metropolim esse regionis Elamitarum, Hieronymus verè quidem interpretatur, sed in eà Danielem turrim extruxisse falsò existimat. Josephus siquidem, in decimi libri postremo cap., Danielem ait, apud Ecbatana Mediæ turrim eam ædificàsse, apud Susa verò, primariam Persidis urbem, illa vidisse quæ Danielis 8 narrantur. Quanquàm Susa propriè nec Persidis, nec Mediæ civitas est, sed Susæ Persis Medisque vicinæ. Quæ quoniam non duabus his provinciis modò, verùm etiam Babyloni confinis erat, inque harum trium regionum medio collocata, ideò reges Persarum atque Medorum in eà sedem imperii locaverunt. Quod Cyrum fecisse Strabo affirmat, nos alios etiam priores fecisse credimus. Jam si Susa principium regni Assueri fuit, ut prim. lib. Esther cap. dicitur, non fuit autem aut Darii Hystaspis, aut Longimani, aut alterius Artaxerxis cognomento Memnonis Susa regni principium, sed vel Thitoni, vel alius regis, qui primus Susa nobilitavit, atque indè exordium imperii sumpsit : certè non est absurdum Assuerum, virum Esther, Astyagem Cyaxaremve hujus patrem intelligere. Uterque enim Medis etiam ac Persis imperavit, quemadmodùm scribit in libro 1 Herodotus. Restat ut illud tandem exponamus, quî fieri potuerit ut 70 annos, quos prædixit Jeremias, Josephus in primo Cyri anno expletos dicat, cùm multò plures ipse Nabuchodonosoris posteriorumque hujus imperio computârit. Sed in numeris Josephi libri menda habent innumera. Quæ ergò menda viro diligentissimo atque gravissimo assignare nec volo, nec debeo. Librariorum ergò vitio accidisse credendum est, ut in Niglisaris regno, pro 20 subjecta fuerint 40, in Balthasaris autem, pro 7, posita fuerint 17. Hos enim duos numeros si correxeris, 70 anni constabunt, quos Josephus à desolatione ad primum Cyri annum scripsit effluxisse. Sic tamen 70 annorum summa constabit, si post desolationem solos 25 Nabuchodonosori tribuas, quòd 26 inceptus fuit, non absolutus; si excludas item postremum Balthasaris, quòd in illius initio Babylon in Cyri ditionem venit. Ac si 5 annos Balthasari dedit, sed ex scribentium vitio substituti sunt septemdecim, tunc 70 anni conflantur; nec opus erit eos, qui integri non fuerunt, excludere. Verùm in his minutulis explicandis ego quoque mihi ipse displiceo. Sed harum rerum curiosis semel satisfaciendum fuit. Et Gordianus iste nodus, quamvis multo labore verbisque etiam multis, erat tamen explicatè distinctèque solvendus.

Decimum argumentum facile est quidem, sed ad Scripturæ cognitionem explicatu necessarium. Non enim Hieronymus solùm, sed Aggæus etiam scribit, in secundo Darii anno templi esse fundamenta jacta. Atque illud, quod ex commentariis in Danielem objecimus, nihil habet omninò quæstionis; cùm Hieronymus ipse in Isai. 44, sua verba fuerit interpretatus. *Cyro vivente*, ait, *templi jacta sunt fundamenta*. Cæterùm, sub Dario, anno illius secundo, templum ædificari cœptum est. Hoc itaque facillimum, id difficilius, quod Hieronymus, imò Aggæus ipse dicit in hæc verba : *Ponite corda vestra ex die istà et in futurum, à quartà et vicesimà noni mensis; à die, quà fundamenta jacta sunt templi Domini*, etc. Et Hieronymus, in Agg. cap. 2 : *A die vicesimâ quartâ noni mensis, in quâ templi fundamenta sunt jacta*, etc. Loquitur autem sine dubio Propheta de nono mense anni secundi sub Dario. Huic argumento variè quidem à multis responsum est. Lyranus sentit fundamenta hoc sanè loco appellari partem ædificii inferiorem; quæ cæteras sustentet ac ferat, etiamsi ima non sit, sed fundamentis imis superposita. Beda credit (1), atque id receptius est, templi interioris fundamenta vivente Cyro fuisse posita, atrii verò exterioris porticum et gazophylacii in secundo anno Darii. Illud quoque dici potest, sub Cyro fundamenta inchoata informataque fuisse, sub Dario perfecta et consummata. Adde, à Cyro ad Darium, 40 annis interfluentibus, fundamenta, et temporum injurià, et inimicorum operà, fuisse propemodùm eversa et labefactata; sed sub Dario reconcinnata refectaque fuisse. Undè et Josephus, Ruffino interprete, scripsit, lib. 11, c. 14, quòd sub Dario fundamentis restitutis superædificabatur. Atque, ut quemadmodùm sentio loquar, non mihi Aggæus videtur adstruere, quòd in secundo Darii anno templi fundamenta jacta sint; sed hunc sensum Propheta habet : Attendite non solùm ex die istà, quæ videlicet est vicesima et quarta noni mensis, sed à die, quâ fundamenta jacta sunt templi, et invenietis in templo meo inchoato nullos uberiores fructus prædia vestra tulisse. Nimirùm enim negligentibus Dei religionem et cultum nihil adhùc prosperè evenit. At ex die istà benedicam, etc. Et hic sensus paulò antè fuerat explicatus his verbis : *Et nunc ponite corda vestra à die hâc*; et suprà : *Antequàm poneretur lapis super lapidem in templo Domini*, etc. Quasi ex eo tempore, quo primùm jubente Cyro è Babylone venerint, eorum frugibus maledixerit, ne quidquam eis feliciter terra produxerit, quòd in Dei opere et templi structurâ cessaverint. Sed de argumento decimo hæc satis.

In undecimo non est facile expedire quisnam ille Artaxerxes fuerit, qui cum Cyro et Dario jusserit templum ædificari. Rabbi Samuel eumdem esse credidit Darium et Artaxerxem. Hoc enim non proprium nomen, sed regum Persarum omnium fuisse cognomen; ut Cæsar Romanorum, Pharao Ægyptiorum. Non itaque tribus jubentibus templum ædificatum, sed duobus, Cyro et Dario Artaxerxe. Cui opinioni vehementer conjunctio repugnat quæ nomen Darii cum Artaxerxe non solùm in latino, sed in græco et hebraico exemplari conjungit. Ineptæ sanè loquendi formulæ sunt, Julius et Cæsar, Marcus et Tullius, Chosroes et Pharao. Huic quoque sententiæ illud refragatur, quòd pari ratione Artaxerxis cognomen Cyro fuerat addendum, qui rex utique nobilissimus Persarum fuit. Atque idem Rabbi per Artaxerxem, de quo cap. 4 sermo fit, verè, ut ego

(1) Refertur in Glossâ ordinariâ.

sentio, non Cambysen, sed Cyrum intellexit (1). Cur igitur Scriptura cognomen utrique regi commune alteri adjiceret, ab altero auferret? Hanc denique opinionem illud minùs probabilem facit, quòd si Artaxerxes cognomen omnium regum Persarum esset, id esset absurdum, quod 1 Esdr. 7, scribitur : *In regno autem Artaxerxis, regis Persarum, Esdras*, etc. Nullus enim peculiariter intelligeretur, non plus certè quàm si solum regem Persarum sine Artaxerxis voce posuisset. Sed de hâc sententiâ satis. Pergamus ad reliquas. Josephus porrò, apud Lyranum, hunc Xerxem filium Darii interpretatur. Undecimo quippè Antiq. Judaic. 1, c. 5, scribit Xerxem filium Darii pietatis paternæ perindè ut regni hæredem fuisse; nihilque ex patris institutis circà divinum cultum immutâsse, sed Judæos summâ fuisse benevolentiâ prosecutum. Addit etiam hujus tempore Esdram quidem argento, auro et vasis pretiosis, quæ ex universâ provinciâ Babylonis attulerat, templum ornâsse, ac Dei cumulâsse cultum; Nehemiam verò, eodem rege concedente, non modò civitatem et muros instaurâsse, sed et id supplèsse, quod ad fabricam templi deerat. Verùm hæc sententia duos scrupulos habet. Prior est, quòd huic regi 38 annos imperii tribuit. Quâ in re cum omnium chronographorum ratione pugnat, qui Xerxi filio Darii non nisi viginti regni annos impertiuntur. Posterior scrupulus est hujusmodi : Primi Esdr. cap. 6, dicitur quòd Judæi ædificaverunt, construxerunt et compleverunt domum Dei, Cyro et Dario et Artaxerxe jubentibus, sed compleverunt tamen in anno 6 Darii. Necesse est igitur, ut Artaxerxes ille, quicumque tandem fuerit, antè annum Darii 6 fuerit. Alioqui quomodò usque ad 6 annum Darii construxerunt Judæi, et compleverunt tem lum, vivente Cyro et Dario et Artaxerxe? Non itaque in nomine Artaxerxis Xerxes, filius Darii, intelligitur. Quæ eadem causa eos etiam urget, qui hoc loco Artaxerxem Longimanum filium Xerxis accipiunt, cujus diebus, ut Eusebius est auctor, et Esdras, et Nehemias ea quæ templo, civitati murisque deerant, expleverunt. Ac ne illud quidem verum est, quod nonnulli aiunt, Darium Medum hoc loco accipi oportere, nam Darium Hystaspis nomine Artaxerxis accipiunt (2). Primùm enim nusquàm aut in litteris sacris, aut in auctore aliquo historiæ probato legitur, quòd Darius Medus templi fabricam aut juverit, aut jusserit. Solus quippè Daniel hujus Darii mentionem fecit, nec tale quippiam illi assignavit. Deindè cùm Darius hic avunculus Cyri esset, ut plerisque visum est, multòque ætate major, ut visum est omnibus, nequaquàm Scriptura sacra, contrà aliarum omnium morem, Cyrum priusquàm Darium nominaret : *Jubente*, inquit, *Cyro, et Dario, et Artaxerxe* (3). Quæ eadem ratio vetat, ut Darius hic Medus per Artaxerxis vocem intelligatur. Quanquàm septuaginta Interpretes Danielis septimo pro Dario Artaxerxem interpretati sunt, quemadmodùm Hieronymus noster admonuit. Præstereà, nulla historia, neque humana, neque divina, Darium Hystaspis Artaxerxem appellavit. Nulla ergò causa est, cur hoc loco Darium Hystaspis Artaxerxis nomine intelligamus; præsertìm cùm in toto libro per nomen Darii non alius unquàm, nisi Hystaspis filius intelligatur. Quid autem Scriptura nobis per nominis ambiguitatem illuderet, si in eâdem etiam orationis clausulâ Darii nomen in varios significatus distraheret? *Ædificaverunt*, ait, *jubente Cyro, et Dario, et Artaxerxe, et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus Darii regis.*

Mihi duæ viæ hujus quæstionis explicandæ apparent. Una est, tueamur id, quod nunc impugnatum est, Artaxerxem Longimanum hìc accipi oportere, qui primus hujus nominis in historiis prophanis invenitur. Quæ eadem sententia Bedæ fuit. Loquitur autem Scriptura per anticipationem, id, quod sæpè aliàs sacri auctores factitàrunt. Non enim omnes illi tres intelligendi sunt templum et ædificâsse, et complèsse, usque ad sextum Darii annum. Sed tres illi opus complevère quidem, quos Judæis constat in opere faciendo explendoque favisse; at ædificatum est, atque aliquâ ex parte completum usque ad sextum Darii annum, Cyro et Dario jubentibus. Tametsi eo anno templum non est omni ex parte absolutum; quoniam, ut Josephus ait, Esdras ac Nehemias sub Artaxerxe posteà templi fabricam, ornatum et cultum expleverunt. Hoc verò solùm à Josephi opinione nostra discrepat, quòd ea quæ Esdras et Nehemias gessisse in Scripturâ referuntur, ille Xerxe filio Darii imperante, nos Longimano jubente, gesta esse contendimus. Illud autem sine controversiâ verum est, Cyrum, et Darium, et Artaxerxem, eum, cui Nehemias atque Esdras placuère, templum ædificâsse, absolvisse et ornâsse.

Altera quoque scrupuli hujus eximendi ratio est, si dicamus, duas illas particulas, *et Artaxerxe*, ab Hebræo quopiam adjectas esse in margine primùm, deinde textui, ut fieri solet, insertas; nec aliundè quàm ex eodem libro exemplum hujus erroris petere necesse est. In capite enim Esdræ quarto, sic latina editio habet : *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes*, etc., ubi tres illæ voces, *Ipse est Artaxerxes*, non sunt Scripturæ partes, sed ab expositore, nescio quo, in margine fortassè positæ, scribentium errore textui nostro interjectæ sunt, cùm nec in hebræis exemplaribus, nec in græcis septuaginta Interpretum haberetur; quemadmodùm etiam antè nos Lyranus admonuit. Idem quoque error accidit in latinis codicibus, 2 Reg. cap. 8, ubi verba illa : *De quo fecit Salomon omnia vasa ærea in templo, et mare æneum, et columnas, et altare*, nec hebræa exemplaria habent, nec græca Septuaginta, etc. Quod autem vitium in latinam editionem irrepsit, idem potuit accidere, ut in hebræa quoque irrepserit exemplaria. Quâ de re et lib. 2 multa opportunè diximus, et jamjam in sequentis argumenti explicatione quædam haud importunè disseremus. Illud nunc dico, me non levi conjectura ductum de hujus loci errore ità existimâsse. Josephus si-

(1) *Notum*, inquit, *sit regi, quòd Judæi, qui ascenderunt à te ad nos*, etc., 1 Esdr. 4. Cyro ergo scribebant illi, à quo Judæi in Judæam dimissi fuerant. Josephus, ac cæteri hunc Cambysen interpretantur.

(2) Glossa interlinearis, Dan. 9, ait, Darium primum captum Israel solvisse, sed non probat.

(3) Metasthenes Annianus hunc ordinem invertit.

quidem, undecimo Judaic. Antiq. lib., cap. 4, hunc ipsum Esdræ locum referens, sic ait : « Magnis omnium « studiis proficiebat templi ædificatio, juxtà mandata « Cyri et Darii, prophetantibus interim Aggæo et Zacharià ; absolutumque est intrà septennium. » Et lib. 15, cap. postremo, non alium templi auctorem facit Herodes, præter Cyrum et Darium. Non ergò alius tertius in hebræis exemplaribus veris habebatur. Verùm hæc hactenùs. Cætera diluamus.

Argumentatio duodecima usque eò difficilis et obscura est, ut aut nullo modo, aut multò difficillimè dilui possit. Nimirùm enim in historià cùm sacrà, tùm profanâ, ità sæpè librariorum vitio numeri depràvati sunt, ut qui eos ad veram rationem revocare voluerit, is non dico in scopalosis locis arduisque versetur, sed in labyrinthum inexplicabilium quæstionum intret necesse sit, undè exire non queat, nec si Thesei quidem filum habeat. Hujusmodi autem errores in historiis humanis prodere supervacaneum erit : nam obvii sunt passim plurimi. In sacris paucos quosdam commemorabo, qui satis sint tamen, ut intelligant omnes quàm lubricum et facile librariis sit, vel in divinâ Scripturâ numerum pro numero substituere. Agedùm ergò, primum hujus rei exemplum proferamus, ex libri secundi Paral. cap. 15, ubi ita legimus : *Bellum verò non fuit usque ad tricesimum quintum annum regni Asa.* Et è vestigio, in initio capitis sexti decimi : *Anno autem tricesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa*, etc. Quo utroque loco pro tricesimo, legere oportet vicesimum. Nam Baasa, anno tertio regis Asa, regnare cœpit, solùmque regnavit annos quatuor et viginti, ut 3 lib. Reg., cap. 15 traditur ; non ergò ad tricesimum sextum annum regis Asa regnum vitamque perduxit. Id quod perspicuum quoque fit ex 3 Reg. lib., cap. 16 : *Anno*, inquit, *vicesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Hela, filius Baasa, super Israel*, etc. Et posterius : *Anno vicesimo septimo regis Asa, regnavit Zamri, qui scilicet occiderat Hela.* Quem errorem Joannes Lucidus in secundo Temporum libro animadvertit.

Ne verò imperitus quisquam hujus loci vitium in latinæ editionis odium torqueat, æquè sciat græca hebræaque exemplaria esse corrupta. Id quod 2 Paral., c. 36, etiam contigit. Ubi in hæc verba exemplaria omnia, quæ mihi videre licuit, consentiunt : *Octo annorum erat Joakim, cùm regnare cœpisset, et tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Hierusalem, fecitque malum in conspectu Domini.* Quo loco, pro *decem et octo*, librarius aut indoctus, aut negligens *octo* subjecit. Sic enim, 3 Reg. 24, verè legis : *Decem et octo annorum erat Joakim, cùm regnare cœpisset*, etc. Alioqui, quomodò fecit malum in conspectu Domini ? Quomodò egressus est ad regem Babylonis, et cùm esset naturâ bonus, ne civitas periclitaretur, ultrò se dedidit ? 4 Reg. 24. Josephus 10 Antiq., cap. 9. Atque hunc etiam errorem Cajetanus prior deprehendit. Nolo enim quidquam aliorum aut industriæ aut ingenio detrahere. Verùm ego etiam ipse interdùm conjecturà ducor ad suspicandum auctores sacros quibusdam in locis alios numeros posuisse, quàm nunc inveniantur. Verbi causà, ponamus aliquid, ubi conjecturæ hujus argumentum appareat. Primo Reg. lib. cap. 13, scribitur quòd filius unius anni erat Saül cùm regnare cœpisset. Quòd si filius anni unius intelligitur, quasi puer unius anni innocens, qui nesciret inter dextram sinistramque discernere, quonam pacto illud accipiemus, Jerem. 52, 1 : *Filius viginti et unius anni erat Sedecias, cùm regnare cœpisset?* Quid si hìc etiam numerus ille viginti ex scribentium esset errore prætermissus ? Annon tibi videtur, si ità hi per incuriam negligentiamque fecissent, falsis interpretantium expositionibus locum esse daturos ? Rursùm, quale, quæso, illud est 12 Reg. 5, 4 : *Filius triginta annorum erat David, cùm regnare cœpisset, et quadraginta annis regnavit*, si filium unius anni innocentem interpretamur ? In simili ergò dicendi formà similis sit interpretatio. Sed similis esse non potest, si unius anni filius Saül esse dicatur. Quamobrem verisimile est, auctorem lib. Regum filium cum viginti et unius anni scripsisse, sed scriptorum vitio majorem numerum in hebræis exemplaribus omissum. Quem deinceps errorem in græca latinaque exemplaria aut alii quilibet, aut etiam interpretes transfuderunt. Quod idem 2 Paral. c. 15, 16 et 36, accidit, sicuti paulò antè demonstravimus. Et quoniam non est animus singula loca discutere, unum solummodò ex Rabani opinione adjiciam, ut jam demùm ea quæ sunt hujus argumenti propria, expediantur. Jeremiæ 52, vulgata lectio sic habet : *Iste est populus, quem transtulit Nabuchodonosor, in anno septimo, Judæos tria millia et viginti tres. In anno octavo decimo, Nabuchodonosor transtulit de Hierusalem animas octingentas triginta duas. In anno vigesimo tertio Nabuchodonosoris, transtulit Nabuzardan, magister militiæ, animas Judæorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergò animæ quatuor millia sexcentæ.* Quâ ex lectione subdifficiles et perobscuræ quæstiones emergunt, quarum nonnullas Lyranus movit, sed quàm bellè responderit, aliorum esto judicium. Rabanus in Jeremiam ter Judæos à Nabuchodonosore captos scribit, harum trium captivitatum numerum hìc à prophetâ censeri. Prima fuit, cùm Nabuchodonosor Joakimum, filium Josiæ, vinctum catenis duxit in Babylonem, 2 Paral. 36 (1). Nec enim est verisimile, non etiam alios plurimos cum Joakimo in Babylonem transtulisse. Nam et Daniel, capite primo, verbis non valdè obscuris significat, anno tertio Joakimi quosdam è Judæâ in Babylonem esse translatos. At Cajetanus negat Joakimum in Chaldæam advenisse. Sanè quidem ; verùm infirmâ ratione negat. *Interfectus est*, inquit, *Joakimus in Judæâ, et sepulturâ asini, juxtà Jeremiæ prædictionem, sepultus est, ac projectus extrà portas Hierusalem.* Quid tùm ? Quasi verò fieri nullo modo posset, ut ductus primùm in Babylonem, deindè in Hierosolymâ remitteretur, ubi, cùm fidem regi Babylonio datam violàsset, ingloriâ morte periret. Non itaque eamus inficias, Joakimum cum aliis multis in Babylonem esse traductum. Id enim non Ra-

(1) Josephus, contrà Appionem Alex. lib. 1, ex Beroso refert, Nabuchodonosorem primo anno regni sui quosdam Judæorum captivos in Babylonem adduxisse.

banus solùm, sed divinæ etiam Scripturæ tradunt, 2 Paral. 36, 6.

Secundam captivitatem Rabanus ponit in transmigratione Jechoniæ, quæ 4 lib. Reg. 24, habetur expressè. Tertia quoque in eodem lib. c.25, expressa est, cùm Nabuzardan templum etiam, urbemque vastavit. Trium ergò harum captivitatum, ut Rabanus autumat, Jeremias hìc singillatìm scribit numerum. Quæ si vera sententia est, tres numeri mutandi sunt, ut pro septimo anno in primâ captivitate scribatur, primo. Illa enim anno primo Nabuchodonosoris contigit, qui idem Joakimi tertius fuit: quemadmodùm paulò ante dicebamus. In secundâ verò captivitate, pro octavo decimo scribendum est, octavo. Constat enim, Jechoniam in Babylonem octavo Nabuchodonosoris anno commigràsse, 4 Reg.24. Pro vicesimo autem tertio in captivitate postremâ legi oportet, undevicesimo. Nam, ut 4 Reg. 25, scriptum est, Jeremiæ item 52, Sedecias in anno 19 Nabuchodonosoris ductus est in Chaldæam. Nec huic sententiæ repugnat, quòd lib. Reg. 4, cap. 24, decem Judæorum millia cum Jechoniâ dicuntur esse translata. Quoniam Jeremias non vulgus promiscuum, aut milites quoslibet annumerat, sed principes Judæ, et eos qui erant in dignitate aliquâ constituti, ut Josephus decimo Judaic. Antiq. lib., cap. 8, animadvertit. Vel etiam eos hìc supputat Jeremias, qui in libris Regum non fuerant numerati. Primæ siquidem ac postremæ captivitatis numerum auctor libri Regum omninò prætereriat. In secundâ autem posuerat majorem quidem, hoc est, decem millia; prætermiserat minorem, quem hìc supplet Jeremias, id est, animarum octingentas triginta duas. Quod Josephus intelligens, in decimo Antiq. Judaic. lib., cap. 9, utrumque numerum complectitur, asseritque eos qui cum Jechoniâ ducti sunt, fuisse decem millia numero, et ampliùs octingentos triginta duos. Quanquàm primam captivitatem ad eum annum refert, quo rex Babylonius Joakimum interemit, insepultumque extrà mœnia jussit projici. Tùm enim scribit, tria millia Judæorum Babylonem in captivitatem esse ducta. Qui annus procul dubio septimus Nabuchodonosoris fuit. In octavo namque Jechonias pro patre est constitutus, 4 Reg. 24; quod si accipimus, numerus primæ captivitatis in Jeremiâ sine ullâ correctione rectissimè constat. Intelligo autem locum Jeremiæ totum posse à mendi notâ vindicari, si dicamus secundam captivitatem anno 18 Nabuchodonosoris fuisse, annis scilicet integris numeratis; sicut et prima anno septimo est in hunc sensum adscribenda. Alioqui, si de annis non expletis sermo sit, prima in anno 8, secunda in Nabuchodonosoris fuit. At tertia fuit anno 23, cùm quinto post excidium Hierosolymitanum anno, qui fuit regni Nabuchodonosoris 23, invasit Cœle-Syriam, Ammonitas, Moabitasque subegit, Ægyptios perdomuit, ac repertos ibi Judæos captivos Babylonem adduxit, ut Josephus auctor est 10 Antiq. Judaic. lib., cap. 11. Sed quoniam Jeremias eos numerare videtur, non qui de Ægypto, sed qui de Judæâ translati sunt; quia rursùm eas videtur captivitates recensere, quæ è sacris historiis colliguntur, quia demùm eam quæ sub Nabuzardane fuit omnium celeberrima, templique atque urbis incendio vel maximè nobilitata, tertio loco videtur scribere, ut eò redeat, undè est paulò antè digressus, ut numerum annorum in secundâ et tertiâ captivitate ad formam 4 lib. Reg. restituendum contenderet, ei ego non magnoperè repugnàrim. Nam si in primâ captivitate Josephum quàm Rabanum sequi malis, non equidem improbabo. Ego autem, ut ingenuè loquar, nunquàm mihi minùs quàm in hâc digressione placui, quanquàm magis adeò id argumenti difficillimi explicandi cupiditate quàm ullâ culpâ meâ contigit; qui dùm monere volo numerorum quæstiones lubricas esse atque difficiles, quòd error in numeris facilis ac lubricus sit, meî penè sum oblitus : fecique id repentino quasi motu percitus, quod ne meditatus quidem opere ad hoc instituto facturus eram, ut de iis rebus, quæ maximi sunt negotii, inter refellendum argumenta disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportunè, quòd duodecimi argumenti difficultas omnis in eo numero annorum sita est, qui 3 Reg. lib., cap. 6, præscribitur, ab egressione filiorum Israel de Ægypto ad templum à Salomone inchoatum. Est autem in omnibus exemplaribus græcis, latinis et hebræis, idem omninò numerus annorum quadringentorum octoginta, quem numerum ex scribentium errore à vero esse immutatum, hisce argumentis suaderi potest. Primùm, quòd Josephus, lib. Antiq, Judaic. 8, cap. 3, scribit Salomonem templi fabricam exorsum esse annis quingentis nonaginta duobus (1), postquàm Israelitæ ex Ægypto excesserunt : mille verò viginti annis postquàm Abraham in Chananæam regionem è Mesopotamiâ migravit. Nam si quadringentis triginta, qui juxtà Exodum à migratione Abraham ad exitum Israelitarum de Ægypto interfluxerunt, quingentos nonaginta addideris, ab exitu ad templi ædificium cœptum, summa illa Josephi relinquetur annorum mille viginti, atque adeò et uterque sibi numerus, et inter se vicissim ambo constabunt. Deindè Josephus idem, lib. 11 Antiq. Judaic., c. 4. : « Antè Saülem et Davidem, « inquit, rempublicam judices administraverunt. Qui « reipublicæ status plus quàm quingentis annis dura-« vit post Moysis et Josue imperium. » Non ergò ab exitu Israel de Ægypto ad initium templi, 480 solùm anni intercesserunt.

Prætereà, Moyses quadraginta annis imperavit. Erat enim annorum octoginta, cùm eduxit Israel, Exod. 7, et centesimo vicesimo ætatis anno mortuus est. D. ultimo.

Adde annos octo interregni, quibus Israelitæ servierunt, post mortem Josue, regi Mesopotamiæ, Judic. 3. Josephus, lib. 6 Antiquit., cap. 5, scribit hos fuisse duodeviginti. Quorum octo servitutis fuisse, lib. 5, cap. 7, tradiderat.

Othoniel judicavit populum quadraginta annis, Judic. 3.

(1) Sic Gebenius ac verè ille quidem transtulit. Numerus enim 592, qui habetur in versione Ruffini, ex scribentium errore est positus, nisi Josephus ipse secum pugnet, lib. 2, cap. 4. Unde patet Sabellici error, Ennead. 1, lib. 9, ubi vulgatum vitium secutus, affirmat annum templi inchoati fuisse ab eo quo filii Israel de Ægypto sunt egressi, quingentesimum secundum

Adde duodeviginti annos interregni, quibus servierunt regi Moab. Judic. 3.

Aioth judicavit populum octoginta annis, Judic. 3.

Adde viginti annos interregni, quibus servierunt regi Chanaan, Judic. 4.

Barac et Debora judicàrunt populum quadraginta annis, Judic. 5.

Adde interregnum septem annorum sub Madian, Judic. 6.

Gedeon judicavit populum quadraginta annis, Judic. 8.

Abimelech, tribus annis, Judic. c. 9.

Thola, viginti tribus annis, Judic. 10.

Jair, viginti duobus annis, Judic. 10.

Interregnum decem et octo annorum sub Philistæis et Ammonitis, Judic. 10.

Jephte, sex annis judicavit, Judic. 12.

Abesan, septem annis, Judic. 12.

Ahialon, decem annis, Judic. 12.

Abdon, octo annis, Judic. 12.

Interregnum quadraginta annorum sub Philistæis, Judic. 13.

Samson, viginti annis, Judic. 16.

Heli, quadraginta annis, 1 Reg. 4.

Saül regnavit quadraginta, Act. 13. Nam Josephus, lib. 6 Antiq. Judaic., cap. postremo, ait illum regnâsse, vivente Samuele, annis duodeviginti, post Samuelis mortem, annis viginti.

David regnavit annis quadraginta, 2 Reg. 5, et 1 Paralip. 3.

Salomon quarto anno regni sui templi fabricam cœpit, 3 Reg. 6.

Qui in summam redacti faciunt numerum quingentorum septuaginta quatuor annorum. Quibus si adjicias annos Josue, Samgar et Samuelis, interregnum quoque, quod inter Samson et Heli fuisse Scriptura dicit, major utique summa quàm illa Josephi conficietur. Plures igitur quàm 480 anni ab excessu Israel de Ægypto, ad templi fabricam intercesserunt. Mendum itaque in hoc Scripturæ loco inest, suntque proindè ad veram rationem codices hebraici, græci et latini corrigendi. Ad hæc, si græca omnia exemplaria fidem aliquam faciunt, ut in ejusmodi rebus ambiguis, et numerorum ratione controversâ æquum est, Paulus certè, Act. 13, 20, post terram Chanaan filiis Israel sorte distributam, tempus Judicum usque ad Samuel, quadringentis quinquaginta annis, non multò secùs definivit : Sic enim græca habent : Καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναάν, κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ, τοῦ προφήτου. Quæ Erasmus ità convertit : *Et deletis gentibus septem in terrà Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit judices usque ad Samuel prophetam.* In eumdem sensum Pagninus vertit, cæterique juniores omnes interpretes. Nec enim græca illa aliter reddi possunt. Quod si quadringentis quinquaginta annis, quos Paulus judicibus à distributione terræ ad Samuelem impertitur, addamus Moysis quadraginta, Saül item quadraginta, David quoque alios quadraginta, et quatuor denique Salomonis, eamdem profectò summam conficiemus cum eà quæ paulò antè è certis Scripturæ testimoniis confecta est, quingentorum septuaginta quatuor annorum, ut novum Testamentum veteri omninò consentiat. Sed ait Cajetanus græca omnia exemplaria et latina esse vitiata : et græcè τριακοσίοις, non τετρακοσίοις, latinè trecentis, non quadringentis, esse legendum. Quî sic? evincitur, inquit, quoniam aliàs non constabit numerus annorum, quem lib. 3 Reg., cap. 6, definit; scilicet, quasi non in hoc controversia sit, an ille numerus, an hic scribentium errore sit inductus. Numero sanè lib. 3 Regum reliquæ omnes Scripturæ dissentiunt. Numero actorum Apostolorum Scripturæ consonant omnes; non ergò hic, sed ille numerus vitio librariorum est corruptus.

Confirmat autem hanc sententiam illud tandem, quòd qui contrariam tueri volunt, numerumque illum quadringentorum octoginta annorum retinere, ii tantùm absurditatum in supputatione suâ faciunt, ut vix audiri sine aurium molestiâ possint. Nicolaus porrò et Abulensis, qui in Scripturæ explanatione habentur insignes, ut summa illis 480 annorum justa constituatur, primùm aiunt annos Josue minimè computandos, sed in Othonielis quadraginta includendos. Eodemque modo de Samuele judicant, cujus annos similiter intrà quadraginta Saülis includunt. Mox addunt annos quibus Judæi servierunt regi Mesopotamiæ, aliisque posteà sequenti tempore regibus, eis annis includi, quibus terra quievisse dicitur, vel etiam judex hic, aut ille Israelitis præfuisse. Unum solùm annorum duodeviginti interregnum in computationem adsciscunt, ut cum tribus annis Salomonis summam 480 annorum suo bellè arbitratu conficiant. Sed, ut dixi, hæc computandi ratio multùm omninò absurditatis habet. Ut enim omittam alia, ne in re notâ et perspicuâ multus et insolens sim, illud antè omnia expediri velim, ecquo pacto interregnorum anni in eos redigi valeant, et contrahi, quibus sub judicibus terra à præliis dicitur quievisse? Sanè in interregnis aut perpetuum Judæis bellum contrà inimicos fuit, aut servitus sine judice misera, res afflictæ, turbata omnia, nulla quies.

Præterea, ecquid de quadraginta annorum interregno isti dicturi sunt, quod inter Abdonem et Samsonem Scriptura commemorat? An 40 illos annos in Samsonis viginti inclusuri sunt? An potiùs in Abdonis octo? præterea, cur unicum interregnum annorum decem et octo accipiunt, rejiciunt cætera? Quòd si causam reddere ne unam quidem idoneam possunt, sanè aut interregnum hoc cum cæteris abjiciant, et summa erit minor; aut cum hoc, ut par est, admittant reliqua, et summa erit major. Ad hæc liber Judicum explicatè docet, terram duce Judà, qui successit Josue, minimè quievisse, sed multis bellis fuisse agitatam, quibus Chananæi ac Pherezæi victi oppressique fuerunt. Nam ductum Josue præliis frequentibus turbulentum exstitisse, Josue liber ipse manifestat. Cùm verò rex Mesopotamiæ, Josue, Judàque defunctis, filios Israel pugnâ vicerit, octoque annis servire coegerit, tunc tempora

pacata quietamque terram describere, prorsùs est à sensu communi alienum. Quòd si annos Josue ac Judæ illos quoque, quibus rex Mesopotamiæ Israelitas expugnavit, et oppressit, in id temporis trahas, quo terra quievisse dicitur, nonne turbidos et inquietos annos cum tranquillis quietisque confundes? Nonne etiam Scripturæ sacræ in apertà narratione vim afferes manifestam? Illa nimirùm non obscurè refert, Judic. 3, 11, post mortem Josue, post Chananæos Pherezæosque devictos, post filios Israel per Othonielem à servitute liberatos, terram quadraginta annis quievisse. Quid Paulus? Annon post Samuelem quadraginta annos Saülis regno impertitur, Act. 13, 21? Quà ergò ratione Samuelis annos in annis Saülis includemus? quos triginta octo fuisse Josephus prodit, fuisse quadraginta prodit Paulus.

Nullà ergò ratione, ut videtur, numerus ille quadringentesimus octogesimus defendi potest. Ab eo siquidem tempore, quo filii Israel terram promissionis incolere habereque cœperunt, ad primum Jephte annum, trecentos interfluxisse testis est Jephte ipse locupletissimus, Judic. 11, 26. Trecentis si addas quadraginta, quibus populus moram in deserto fecit, ac viginti annos Samuelis, qui ex primo lib. Regum (1) à quibusdam colliguntur, illos demùm quos à Jephte ad annum 4 Salomonis, antè numeravimus, eadem omnino summa constituetur, quæ bis suprà constituta est, quingentorum septuaginta quatuor annorum; ut quoquò te vertas, et sive ex temporibus interregnorum ac judicum singulorum, sive ex Pauli calculo atque ratione, sive ex Jephte testimonio et inculpatæ defensionis judicio, verum certumque annorum numerum ab excessu Israel de Ægypto ad templi fabricam efficere pertentes, semper eumdem illum invenias quingentesimum septuagesimum quartum. Porrò autem qui numeri cujusque summam exiguè nimis, et exiliter ad calculos revocare cupiunt, hi numerum eum verissimum ac rectissimum censent, quem plurimis confectis rationibus undiquè constantem, cohærentem, consentaneum sibi cæterisque reperiunt, qui sæpè in unum collati eamdem prorsùs summam efficiunt. His argumentis numerus ille 3 lib. Regum infirmari potest, qui tamen non modò omnibus exemplaribus, sed universis auctoribus latinis, græcis, hebræis consentientibus confirmatur. Verumenimverò in numeri hujus summâ tuendâ et conservandâ, vix reperias præsidium aliquod omni ex parte munitum. Eusebius etenim, qui sine controversià in ratione temporum diligentissimus est, hanc summam 480 annorum defendit quidem, sed ità defendit tamen, ut defensionis ratio neglecta esse videatur. Principio namque, 10 annos Abialon è quadringentesimo octogesimo numero exemit, quoniam septuaginta Interpretes ait illum judicem omisisse; quare coactus fuit viginti septem annos Josue administrationi dare, ut quadringentesimus octogesimus expleretur. Quòd si 10 annos Abialon in 480 numero includeret, cùm Josue viginti septem attribuerit, 490 annorum summa conficeretur. Incidit autem in codices mendosiores. Nam complutenses eum judicem in 70 versione habent. Codex quoque fuit illi similiter depravatus in tempore, quo juxtà 70, Heli populum judicavit. Scribit enim in 70 interpretatione viginti annos inveniri. Atqui in hispaniensi τεσσαράκοντα, id est, quadraginta reperiuntur. Quem Eusebii errorem sæpè sum admiratus. Si enim 70 interpretationem sequi libuit, cur, quemadmodùm decem annos Abialon, ità et Heli viginti non ademit? Quòd si visum est Heli annos 40 retinere, cur decem Abialon à numero exemit? Illud etiam incommodi Eusebio accidit, quòd cùm interregna omnia posteriorum judicum temporibus includeret, videretque ex illis quædam accidentia ineptissimè sequentibus copulari, eam rem traditionibus Hebræorum attribuit, ne ipse rei perabsurdæ primus esse auctor videretur. Circà annos verò Samuelis ac Saülis eodem in luto cum cæteris hæret. Ambobus enim non plures quàm quadraginta annos assignat. At totidem Paulus soli Saüli impertitur. Josephus autem Samueli soli duodecim, regnante Saüle duodeviginti; Saüli, post Samuelis mortem, viginti. Quo in loco Beda magnâ me admiratione afficit. Primùm quòd sermonem permittit Paulo cùm vulgarem, tùm etiam falsum; deindè quòd antè Samuelem trecentos nonaginta sex annos judices præfuisse eorum librum indicare asserit, cùm in Judicum libro non nisi trecenti triginta novem reperiantur. Quarè ad explendum summam illam necesse est Moysis 40 annos apponas, Josue verò 17. At Josue septemdecim non ex historiæ aut divinæ aut humanæ veritate, sed ex eorum opinione solùm habentur, qui ad summam illam 480 annorum numeros quoslibet revocare pergunt; idque ut faciant, non dubitant historias omnes contravenire. Quid, quòd Josephum Beda ait Samueli annos viginti, Saüli totidem alios impertiri? cùm quinquaginta ambobus sine dubio impertiatur, quemadmodùm è locis antè citatis manifestissimè constat. Cajetanus porrò vià longè diversissimà ingressus est. Nam quadraginta annos quidem soli Saüli distribuit; sed ut summa illi 480 annorum constet, Josue annos decem, septem verò Samueli dispertit. Quod præter historiæ fidem suo solùm arbitrio facit. Quid igitur? semper ego alienarum opinionum relator tantùm? Nunquàm me reponam? Sanè et de meo aliquid exsolvere lectori debeo, si quid tamen probati nummi exsolvi possit.

Primùm autem non existimo aut fidei aut religionis quæstionem esse, nùm 480 iste annorum numerus, qui in codicibus pervulgatis reperitur, librariorum vitio scriptus sit, an potiùs idem ab auctore sacro in suo exemplari positus? Ostendimus enim errorem in numeris promptissimum esse, atque facillimum. Ostendimus numeros quosdam in libris sacris ex scribentium errore vitiatos. Ostendimus deniquè multas esse causas, cur hic de quo agimus, 480 annorum numerus, corruptè esse inductus videatur. Atque Josephus et Sabellicus, hebræus unus, latinus alter, cùm locum illum ex lib. 3 Reg., c. 6, referrent, non 480 annos, sed multò plu-

(1) Josephus, Antiq. lib. 6, cap. 13, tradit quòd Samuel primùm solus præfuit populo annis duodecim, deindè Saüle regnante annis 18.

res posuerunt. Incredibile autem videtur esse, Josephum si omnia hebraea exemplaria 480 numerum habuissent, ab illo certo ac præscripto numero discessurum. Nec Hugo cardinalis, cùm sententiam Josephi retulisset, eam reprobandam censuit. Non igitur si quisquam dicat ab egressione filiorum Israel de Ægypto ad templum inceptum quingentos annos, et eo ampliùs interfluxisse, protinùs refellendus est, quasi ea res ad fidem religionemve pertineat. Illud deindè sentio, interregnorum annos verè inter annos judicum effluxisse : itaque non esse, quod Hebræi falsò tradunt, in temporibus vel priorum vel posteriorum judicum computandos. Quocircà Josephus, quoniam non ea solùm tempora, quibus judices præfuère, computare voluit, sed illa etiam, quæ in interregnis sine judice fluxerunt, verè summam quingentorum nonaginta confecit annorum. At auctor libri Regum interregnorum annis omissis, eos tantùm redegit in numerum, quos intellexit, dùm judices administrarent, intercessisse. Anni ergò plures ab eo, quo Israel excessit de Ægypto, ad templi initia fluxêre. Sed ducum, judicum et regum non fluxêre nisi quadringenti octoginta. Advertendum quoque, ex iis qui populo à Moyse ad Salomonem præfuerunt, quatuor esse quorum tempora nusquàm scriptura vetus denotârit, nempè Josue, Samgar, Samuel, Saül; nam reliquorum omnium certus annorum numerus in ipsis est Testamenti veteris libris designatus. E quibus summa colligitur annorum 419. His si Salomonis adjungas tres, quarto enim anno templum fabricare cœpit, reliqui erunt anni 58, quos Josue, Samgaro, Samueli Saülique dispertias.

Ac Samgar quidem, quoniam nondùm vertente anno munere simul ac vitâ defunctus est, meritò ab hujus numeri summâ eximitur. Cùm verò Saüli Paulus, Act. 13, 21, impertierit quadraginta (1), dubium non erit, quin decem et octo sint inter Josue, et Samuelem distribuendi. At decem ne ex his Josue, reliquos autem Samueli assignare oporteat, an contrà pauciores Josue, Samueli plures, de hâc re dubitari potest. Cajetano illud placuit, mihi etiam idem visum est. Quoniam Josepho aliisque probatis historicis longior ductus Josue fuit, quàm Samuelis judicatus. Nec nostræ huic opinioni contrarium est, Arcam sub Samuelis tempore in Cariathiarim viginti annis permansisse, 1 Reg. 7, 2. Non enim his viginti annis, quod quidam, inter quos Abulensis, falsò existimârunt, Samuel plebis israeliticæ judex erat, sed propheta. Quin Scriptura ipsa satis, nisi ego fallor, apertè significat, post vicesimum illum annum cœpisse à Samuele populum judicari. In Josue autem tempore computando ità magna auctorum varietas et discrepantia est, ut nullà ex parte historiæ labefactetur auctoritas; si ubi variæ sunt historicorum discrepantesque sententiæ, ibi nullà eorum premi nos urgerique patiamur. Josephus, lib. 5 Antiq. cap. 1, Silenio interprete, Josue viginti quinque annos annumerat. Eusebius viginti septem; Beda, Joannes Lucidus aliique nonnulli septemdecim impertiunt; Cajetanus decem. Quamobrem cùm nos decem et octo Josue Samuelique dispertiendos dicimus, nihil sanè absurdi dicimus. Quanquàm ratio subest, ut sine Scripturæ veritatisque discrimine octo aut novem alios annos his duobus judicibus adjungamus. Quid ità? Nonne hisce vel octo, vel novem adjunctis, anni plures quàm 480 efficientur? Efficientur utique. Falsum ergò erit, inquies, anno 480, ex eo quo Israel de Ægypto exiit, templum ædificari cœptum. Minimè gentium. Quin utrumque verum esse nihil obstat; Scriptura enim minutos numeros præterire aliquandò solet, de quo videre est Augustinum, lib. 16 de Civitate Dei, cap. 25; et nos hujus rei exemplum paulò antè posuimus ex 4 Reg. lib. cap. 24, ubi decem mille Judæi dicuntur esse translati, quibus tamen Josephus octingentos triginta duos adjecit, imò et Jeremias, quemadmodùm est nobis suprà explicatum. Atqui Scriptura Jonæ post quadraginta dies ait Ninivem subvertendam, et tamen septuaginta Interpretes 43 græcis litteris prodiderunt, qui reverà ab initio prædicationis Jonæ computantur; hos verò tres sacer auctor omisit, quia à toto triduo illa semper verba Propheta intonabat: *Adhùc quadraginta dies*, etc.: quamvis ab initio, si Ninive subverteretur, 43 erant interfluxuri. Quòd autem 43 dies septuaginta Interpretes scripserint, auctor est Justinus in dialogo cum Triphone. Quia verò Augustinus non 43, sed 3 solùm legit, difficulter se ex hâc quæstione extricavit, lib. 18 de Civit., cap. 44. Quæ eadem causa erroris Hieronymo fuit. Si enim in Septuaginta non triduum, sed 43 dies ipse legisset, omnis admirandi occasio cessâsset. Sic ergò, licèt plures fuerint quàm 480 anni, quia tamen non ad 490 accesserunt, rectè suo more Scriptura dixit annos 480 interfluxisse. Id si probabile est, ut est certè, jam viginti septem annos Josue et Samueli poterimus impertiri, Samueli decem, septemdecim Josue, quos huic Beda, aliique viri graves impertierunt. Sed valeant istæ numerorum tetricæ salebrosæque quæstiones, in quibus poteram ignorantiam meam simpliciter confiteri et omne curiosorum hominum desiderium contemnere. At levioris culpæ arbitratus sum, in explicandâ difficillimâ argumentatione, tàm multa fusè quàm omninò nihil dicere.

Tertium decimum argumentum parvâ difficultate nos implicat. Nec enim historias omnes tueri est animus, quæ passìm in Ecclesiâ lectitantur. Video tantùm vulgi non solùm in laicis, sed in ecclesiasticis etiam esse, ut eas quoque fabulas oppidò quàm libenter accipiant, quas jamdiù Ecclesia explosit. In his certè pontificum non diligentia modò, verùm etiam prudentia desideratur. Quidam namque dùm reduviam curant, capiti incommodant. Videlicet historias graves pro Apocryphis reddunt quidem, sed divinum Ecclesiæ officium usque eò præter solitum immutant, ut vix ulla antiquæ religionis forma in quotidianis precibus relicta esse videatur. Quâ ex re quàm multa et magna mala Ecclesiæ Dei accidant, non est huius loci

(1) Totidem Augustinus, lib. 18 de Civ. Dei, cap. 20. Nam quòd Eupolem. hebrææ scriptor historiæ, 21 tantùm ponit, ad id tempus referendum est, quo mortuo Samuele regnavit.

et temporis dicere. Sed esto, quædam in publicis Ecclesiæ precibus habeantur ambigua, quædam etiam falsa, nùm idcircò historiis Ecclesiæ omnibus fidem abrogare perges, quòd nonnullæ earum sint vulgò jactatæ et creditæ, in quibus, præsertìm quoties de miraculis incidit sermo, ficta reperias fortassè plura, quæ jure ac meritò reprobentur? Mihi profectò illud Gelasii dist. 95, c. *Sancta romana*, consilium placet, ut cùm hujus generis historias Catholici legerint, beati Pauli sententia præcedat : *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Atqui irridere episcopos, de theologis scholæ ludere, in monachorum imperitiam insultare, quasi fabulas hujusmodi ventris gratiâ rudi vulgo inferant et intrudant, hæc non puto equidem hominis ingenui esse, qui ad bonitatem fuerit à naturâ compositus, nedùm ejus, quem Christus simplicem sicut columbam ad legem Evangelii formaverit. Quòd si ex quibusdam fictis, falsisque narrationibus historias gentium æstimemus, nulla omninò erit, quam non similiter illudamus. Id si hominum imprudentium atque adeò stultorum est, maneat, divorum gesta, quæ in Ecclesiâ legi solent despici nullo modo oportere, quanquàm nonnulla ex his incerta sunt, apocrypha, levia, falsa. Nam et pleraque credibilia ac vera sunt, quædam etiam certa. De tertio decimo autem argumento hactenùs.

In quarti decimi argumenti responsione multa sunt brevissimè animadvertenda. Primùm in maximo illi errore versantur, qui rerum gestarum memorias tanquàm Ecclesiæ oracula accipiunt, si eas in epistolis et decretis suis pontifices aliquandò usurpârint. Non est idem, mihi crede, historiæ approbatio et usurpatio. Utitur quidem interdùm pontifex, si quidquam suadere cupit, receptis opinionibus, sententiis ,rebusque vulgatis : at non continuò quæcumque in hunc usum attulerit, ea Sedis apostolicæ judicio probat. Aliud quippè est suadentis munus, aliud definientis. Qui pronuntiat, res veras ille adfert; qui suadet, nonnunquàm etiam verisimiles. Audiebam de præceptore meo puer, nullum omninò argumentum esse negligendum, in quo aliqua significatio veritatis appareat; amplectendum autem esse ità unumquodque maximè, ut quodque ad faciendam fidem erit aptissimum. Ad cujus præcepti formam non modò dialectici et oratores, sed veteres etiam theologi suas disputationes effinxerunt. Nam in causam suam quisque et quibuslibet argumentis quandoque abusi sunt, et vulgi etiam credulitate. Itaque imprudentium hominum erit historias quasvis obiter etiam, et ad præsentem causam à pontifice adductas, non aliter amplecti atque eas, quæ sint Ecclesiæ certo judicio comprobatæ.

Quod deindè ad Constantini donationem attinet, de eo non libet in præsentiâ disputare. Disputent alii quibus cordi fortè est romanæ Ecclesiæ majestatem amplitudinemque minuere. Laurentium Vallam scimus integro libro adversùs receptam communi opinione sententiam declamâsse. Jurisperiti, quæ vulgò circumfertur ejus donationis formula, eam commentitiam esse satis indicant, cùm Paleæ insc[illegible]ones denotant, dist. 96, can. *Constant.* Eusebius, [illegible]nes, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Eutropius, Victor cæterique probæ fidei auctores, qui omnia Constantini gesta scripsêre diligentissimè, non modò nullam donationis ejus mentionem faciunt, sed tradunt etiam orbem romanum sic inter tres illius filios distributum, ut Italia uni eorum tota contigerit. Ammianus Marcellinus, lib. 15, Constantinum urbis dominationem habuisse, et Leontium præfectum ibi constituisse, auctor est. Nonnullos deinceps imperatores Italiæ, atque adeò Romæ imperâsse, omnes historici memoriæ prodiderunt. Hæc et alia ejusmodi quis ignorat? Verùm quid refert, à Constantino facta ea donatio sit, an à principibus posterioribus? Fictam et commentitiam fabulam dicunt à Nicolao Clementeque prolatam. Quasi verò pontifex aut factam eam donationem suo decreto definiat, aut urbem eo solùm titulo defendat. Negant donatam à Constantino urbem esse; quanquàm nequeunt probare id quidem. Sed quæro, quod negant, ea si non donata esset, quidnam facerent? An urbem Cæsari concederent? Urgent rusticè sanè. Negant enim donatam esse, et in eo perstant. Nos verò tanquàm tormenta quædam adhibemus, ut si responderint quòd donata à Constantino non est, idcircò ad jus nunc Cæsaris pertinere, stultos se esse fateantur. Potuit enim donare alius. Potuit quoque romanus pontifex urbem justo alio nomine possidere. Certè longi temporis præscriptione potuit. Sin negaverint jus omne Cæsari in urbem, omnia quæ de Constantini donatione disputant, vana esse concedant. Sed jam ne nos vani itidem simus, reliqua persequamur. Leprâ Constantinum laborâsse, apud idoneos auctores nusquàm legi, sed ejus nominis alium, cognomento Copronymum. Undè fortassè ambiguitate vocis error inductus. Nisi rumor iste de leprâ indè ortus videri possit quòd Byzantio ad aquas calidas valetudinis gratiâ eum egressum ferunt. D. Thom. p. 3, q. 69, in 4 argum., historiam vulgatam sumit, atque, ut videtur, probat; Cajetanus non item. Habet hic auctores suos, Platinam in Vitâ Marci, Ludovicum Vivem, lib. de Cor. disc. 2, Alciatum, lib. de Parerg. 7, cap. 19, qui apertè negant. Habet scriptores omnes veteres ejus ætatis, qui tacuerunt, non omissuri, si scivissent, sciturì omninò rem, si fuisset. Nam quod nomine Constantini circumfertur edictum, tametsi Nicæno concilio adjunctum est, non tamen habet concilii auctoritatem. Hæc illi. Ego hæc nec pro certis affirmare ausim, nec pro falsis refellere. Silvestri acta, in quibus ea res gesta commemoratur, Gelasius non reprobat. Refertur eadem in synodo Romanâ sub Silvestro, canone 1, in septimâ rursùs synodo, actione 2. Eamdem denique Nicephorus lib. 7, cap. 33, ut veram historiam refert. Quocircà pontifices duos, Clementem ac Nicolaum, aut divum etiam Thomam in eo quòd eâ historiâ usi sunt, nec ridere jure possumus nec arguere. Quamvis, ut dixi, lepræ Constantinianæ testis gravis et probatus ex veteribus nemo est. Itaque, si negemus, nec pontificum, nec historicorum auctoritatem labefaciemus.

De baptismo historici quoque ipsi nobilissimi variè loquuntur. Hieronymus in Chronicis, Eusebius, lib. 3 de Vita Constantini, Socrates, lib. 1 Histor. suæ, cap. 39,

Theodoretus, lib. item 1, cap. 31, Sozomenus, lib. 2, cap. 34, Cassiodorus, qui historiam ab his tribus ecclesiasticam compilavit, Pomponius Lætus, aliique scriptores hujus ordinis, Constantinum tradunt non Romæ à Silvestro, sed Nicomediæ ab Eusebio episcopo, et quidem Ariano, sacrum baptisma suscepisse. Contrà Damasus, in libro Pontificali tradit illum Romæ à Silvestro sacris lustricis ablutum esse. Cui omninò consentiunt Marianus Scotus, Sabellicus, Platina, in Vitâ Marci, Nicephorus lib. 7, cap. 35, et lib. 8, cap. 54, ne divum Thomam, Nicolaum, Clementem, duas denique synodos in hujus rei testimonium repetamus. Atque Nicephorus in hâc re asseverandâ et contrariâ opinione refellendâ, oratione sanè quàm acri usus est. Ità enim suam de baptismo Constantini sententiam Ecclesiæ consensioni tribuit, ut adversam Arianorum commentis assignet : « Qui in Oriente, inquit, olìm « Arianæ sectæ fuère, Constantinum Nicomediæ, ab « Eusebio, ejus urbis episcopo, jam moriturum baptismum suscepisse, prodiderunt, propterea eum sacrum « lavacrum distulisse dicentes, quòd id in Jordane perficere voluerit. Id verò ex eo facilè refellitur, quòd Ecclesia à Silvestro eum Romæ baptizatum esse certò « prædicat. Quapropter testatum omnibus esse volo, « ut hoc sic etiam tutò et opinentur et credant. Ariani « enim, malè sentientes animo, et consilio diabolico, « hoc confinxerunt, non Romæ baptizatum eum esse « asserentes, aut fortassè eadem cum illi sensisse astruentes, perindè atque ab ipsis propterea baptismi « gratiam susceperit. Quod absurditatis et mendacii « plenum est. Quòd si nondùm sacri lavacri particeps « fuit, consequitur eum neque in Nicænâ synodo cum « Patribus congressum esse, neque cum eis mysteriis « participàsse, sicuti historia tradit. » Hæc ille. Et paulò antè : « Quòd autem Romæ à Silvestro sacratus « sit, satis ostendit baptisterium, quod ad hoc usquè « tempus ejus rei gratiâ in testimonium certissimum « Romæ asservatur. » Quæ duæ profectò rationes efficiunt, ut non temerè iis accedam, qui Constantinum Romæ sacro tinctum lavacro ferunt. Quòd si baptisterium tàm insigni structum apparatu, si rerum veterum publica commemoratio, non solùm habitantium animis, sed lapidibus etiam insculpta, nullum nobis argumentum est, jam jamque non dico quæ vetustatis in urbe monimenta sunt, sed quæ sunt in orbe majorum traditione recepta, ire ea omnia inficias poterimus, quamvis indicia exstent rerum, locorum, temporum manifesta. Ac nisi priùs baptismi fuisset fonte sublatus, qui credi potest, Constantino episcopos aut culparum et querimoniarum libellos obtulisse, aut, ut synodo et disputationibus interesset, permisisse? Baptizatus ergò antè synodum Nicænam fuerat Constantinus. Ubi hæreticorum industriam ac diligentiam in propagandâ sectâ mirari satis non queo. Omnia quippe illi susquedeque miscent, ut viri pietate insignes, præsertìm si reges aut imperatores sunt, ipsorum partes fovisse videantur. Tantâ verò arte id efficiunt, ut doctos etiam viros, nedùm imperitos fallant. Eusebius porrò Pamphili, vel quia Eusebio Nicomediensi, cæterisque amicis credulum se præbuit, vel quia sectam cujus apertissimus propugnator erat, hâc laude et gloriâ voluit ornare, ejus fabulæ primus auctor Christianis fuit. Huic enim scribenti Hieronymus ac reliqui auctores crediderunt. Sed de Eusebii fide plura posteà. Nam Constantiam Constantino fratri Arianum presbyterum insinuâsse, à quo vir religiosissimus seductus sit, hoc ut credam, quantùm Constantiæ levitas et inconstantia movet, tantùm Constantini pietas et gravitas remorantur. Ac si presbyter ille Arianus pium aliàs imperatorem quidem, sed potestate, divitiis, honoribus, triumphis, meritis, secundis deniquè rebus omnibus insolentiorem factum decepit, ut Arium revocaret, Athanasium repelleret, viris etenim bonis in rebus ejusmodi facilè imponitur, non tamen adeò in errore processisse credendus est, ut Ariano ritu alterum baptismo Nicomediæ susciperet. Quanquàm sunt qui existiment, qui per sororem falsum in fide Constantinum produnt, eos falsos nominis similitudine videtur id patri attribuisse, quod filiis scelere patratum est. Verùm sive hoc modo, sive alio res habeat, illud tenendum est, nervos atque artus esse sapientiæ non temerè credere, iis præsertìm historicis, qui quoniam fidem divinam violarunt, fidei humanæ auctoritatem amiserunt. Sed de his capite sequenti accuratiùs disseremus. (Ad reliqua argumenta respondetur cap. ultimo.)

CAPUT VI

Qui sint probatæ fidei auctores, qui contrà non sint.

Quatuordecim argumenta superiore capite sigillatìm refutata sunt. Nunc quintum decimum, sextum decimum, septimum decimum, refelli oportet; quoniam hæc tria unum atque idem exquirunt, quod suprà, capite 3, sumus quidem in quadripartitâ divisione polliciti, sed cogitationibus multis variisque distenti, tertium ejus divisionis membrum voluntariâ quâdam oblivione contrivimus. Quis enim auctor historiæ probatus sit, tertio loco me scripsi dicturum, nec exsolvi quod promiseram; quin operis instituti penè immemor factus sum. Eam quippè rem nitimur ferè omnes aut ex memoriâ deponere, aut diu multùmque protrahere, quam non libentes et voluntarii, sed invitè et repugnanter aggredimur. Atqui licèt non constituto tempore et loco, reddam tamen in præsenti, et cum fœnore fortassè reddam id quod me debere non inficior. Anteà verò quàm de historicis utrisque et ecclesiasticis et profanis sententiam meam dico, illud est operæ pretium quærere sintne regulæ aliquæ, et quidem historiæ quasi indices, quibus historici cujusque fides ac veritas exploretur. Nam Joannes Annius tres regulas ponit, easque Metasthenis testimonio confirmat, ad quas omnes chronicorum libros expendere et examinare haud secùs atque ad lydium lapidem debeamus.

Prima, inquit, regula est ista : Suscipiendi sunt absque repugnantiâ omnes qui publicâ et probatâ fide scripserunt. Secunda : Gesta et annales quatuor monarchiarum non possunt negari et rejici ab aliquo, quia solùm publicâ fide notabantur, et in bibliothecis aut

archivis servabantur. Undè et in Esdrà legimus quòd controversiæ de reparando templo difiniebantur ex annalibus Persarum servatis in bibliothecis. Tertia regula : Qui solo auditu, vel per opiniones scribunt, hi, tanquàm privati, recipiendi non sunt, nisi ubi à publicâ fide non dissentiunt. Ex quibus colligit, quòd nemo in chronicis suscipiendus est, nisi annalibus quatuor monarchiarum concordet. Et in monarchiâ quidem Assyriorum, quia publicâ fide scripsit Berosus Chaldæus, consequens est, ut in temporibus ejusdem monarchiæ ipsi detur palma ; et hunc secutis item ex Persis Metastheni, ex Græcis Xenophonti, in æquivocis et Archilocho, et Eusebio. Rejiciuntur à temporibus hujus monarchiæ ex Græcis Herodotus, Hellanius, Acusilaus ; ex Latinis Justinus, Gellius et Orosius, qui contrà publicam et probatam fidem scripserunt.

In secundâ verò monarchiâ Persarum et Medorum auctor publicæ fidei fuit Metasthenes Persa, et Ctesias Gnidius, ut in tertio libro Diodorus notavit. Rejiciuntur Josephus ex Hebræis ; et Clemens, Tatianus, Africanus et Eusebius ex Græcis : quia privatas opiniones secuti, contrà publicam fidem notant reges et tempora, quæ in bibliothecis et annalibus non fuerunt ; et contrà omnem publicam fidem scribunt, Cyrum antè dedisse licentiam Hebræis in Babylone captivis, et mortuum, quàm Babyloniâ Darius ejus patruus potiretur. Proindè idem Eusebius, quoniam in tertiâ monarchiâ Græcorum, et in quartâ Romanorum publicam annalium fidem sequitur, in utràque recipitur. Recipitur et Philo Hebræus, qui solus habuit chronographiam omnium quatuor monarchiarum, et ideò solus ipse in temporibus ex Hebræorum scriptoribus recipitur. Qui non per opiniones, ut Josephus, sed etiam 70 Seniorum testimonio usus certissima scribit. Hæc Annius in 11 et 14 libro, hoc est, in Metasthenem Philonemque suos censet ; fidenter sanè, ut solent isti, nihil tàm verens quàm ne dubitare aliquâ de re videretur. Sed videndum nobis, an in censurâ hâc quantùm securitatis est, tantùm sit etiam veritatis. Nec verò libenter nos scriptorum, præsertìm familiæ nostræ vitia detegimus. Sed in publicâ studiorum causâ nullo modo prævaricandum erat. Cùm viderem itaque viros quosdam eruditos in his Annii præceptis et exemplis hallucinari, necessarium existimavi et regulas vanas esse ostendere, et falsa item regularum exempla (1). Principio igitur affirmare videtur Annius in quatuor tantùm monarchiis scribas certos haberi solitos, quos respublica in id constituerit, ut gesta temporaque notarent. Horum annales in locis tutis asservari, quemadmodùm in benè institutâ civitate videmus, quæ instrumenta scripturarum publica à tabellionibus obsignata custodiæ tutæ committit. Verùm illud non in quatuor solùm monarchiis, sed in Phœnicum Ægyptiorumque republicâ fieri solere, Josephus auctor est, primo contrà Appionem Alexandrinum libro. Nec omnes quatuor illæ monarchiæ hujusmodi rerum gestarum scribas et annales publicos habuêre, quibus rerum temporumque lites, si quæ essent exortæ, finirentur. Græcos siquidem hisce et scriptoribus et annalibus caruisse, multò probabilius est. Sanè antè olympiades Eusebius scribit, græcam de temporibus historiam falsam credi, quod ut cuique historico visum est, diversas Græci sententias protulerunt. At post olympiades non asserit ejus generis annales à destinatis reipublicæ ministris adscriptos extitisse ; sed id asserit, ex eo veram de temporibus Græcorum historiam credi, quo olympiades in usu esse cœperunt. At Marcus Varro, apud Censorinum, lib. de Natali die, cap. 17, non aliud tradit, quàm quod Eusebius accipit, antè olympiades tempus μυθικὸν, hoc est, fabulosum extitisse, quia in eo multæ fabulæ referuntur. Cum olympiadibus verò cœpisse ἱστορικὸν, quòd res eo gestæ veris historiis contineantur. Itaque, post olympiades Græci res verè gestas scribere orsi sunt, habitaque est deinceps apud eos quædam historiæ ratio, temporum convenientia, et historicorum nonnulla consensio. Atqui Græcorum rempublicam certos historiæ administros ex eo tempore constituisse dicere Annius poterit, probare non poterit. Quin è contrario Josephus, bonus in primis auctor, scribit Græcos nihil firmiter scientes tradidisse, sed « quod unusquisque, ait, opinatus est, « hoc studuit explanare. Undè etiam libri se invicem « arguunt, et in multis Hellanicus ab Acusilao, dis- « crepat, Hesiodum corrigit Acusilaus, Ephorus Hel- « lanicum in plurimis ostendit esse mendacem, Epho- « rum verò Timæus, Timæum qui post illum fuère, « Herodotum verò cuncti. Sed neque de siculis re- « bus, qui eas conscripserunt, neque rursùm de atticis « hi qui atticas, neque de argolicis qui argolicas memo- « riæ prodidère, consentiunt. Nam et Thucydides in « multis etiam tanquàm fallax accusatur, licèt scrupulo- « sissimam sui temporis historiam scripserit. Causa ve- « rò hujus dissonantiæ ea præcipua est, quòd non fuerit « studium apud Græcos publicas de iis quæ semper « aguntur, proferre conscriptiones. Non enim dunta- « xat apud Græcos alios publica conscriptio est neglecta, « sed neque apud ipsos Athenienses disciplinæ cultores « aliquid hujusmodi reperitur. » Hactenùs Josephus. Quâ de re liquet, falsò Annium Josephi testimonium usurpâsse, ut probaret publicos Græcorum annales in templorum bibliothecis custodiri. Nihil enim tale Josephus argumentatus est, quale illi tribuit Annius. Sed hoc argumentatur, quòd à Cadmo litteras Græci se accepisse glorientur, id persuadere illos non posse, cùm nulla inscriptio vel in templi parietibus, vel in vasis, statuis cæterisque donis templo dicatis, ex eo tempore relicta sit. At in his tamen post litteras inventas, aut deorum quibus ea dona offerebantur, aut offerentium nomina semper inscribi sunt solita. Plutarchus

(1) Nisi fortè Annius sentit, gesta et annos quatuor monarchiarum, non à privatis scriptoribus solere scribi, sed ab iis tantùm, quibus respublica id muneris commisisset. Qui omninò sensus et falsior et absurdior est. Constat siquidem, in omni monarchiâ privatos quosdam historicos etiam fuisse. Nam ut de græcis romanisque taceamus, in quibus ea res verti in dubium non potest, Diodorus in 5 Ctesiam, aliosque de rebus babylonicis discrepantes inducit, nec hos Ctesiæ, nec his Ctesiam præferendo. Quod certo indicio nullum eorum publicâ auctoritate scripsisse.

quoque, auctor et ipse gravissimus, affirmat, in vitâ Solonis, nullos suâ ætate publicos Græcorum annales extare, præter nuncupatos canones temporales, quorum auctoritas parùm apud eum valet, quòd multarum rerum inventa in ipsis repugnantia tolli nequiverit, quamvis in eâ re plurimi multùm operæ studiique posuerint. Vanum igitur et commentitium est, in Græcorum regno et monarchiâ post olympiades ejusmodi historicos publicâ auctoritate diffinitos destinatosque fuisse.

Illud autem vanius, in hâc monarchiâ solos Philonem atque Eusebium accipere, qui publicos probatosque annales fuerint secuti. Etenim Eusebius, si eam auctoritatem suis Chronicis posset adjungere, nullo modo reticuisset se hujusmodi annalibus inhærere. Philo verò Judæus nec quatuor monarchiarum annales habuit, quod illi falsò sine quâ ratione ac testimonio tribuit Annius, nec si habuisset, quidquam nobis attulisset commodi. Nulla enim Philo aut rerum gestarum aut temporum monumenta reliquit. Nam libellus, qui de Temporibus inscribitur, cùm fabularum plenus sit, nullius gravis auctoris est, nedùm Philonis. Auctor certè ejus libri non solùm mendacia consectatur, sed adeò etiam historiæ rudis est, ut solos Hebræos, nec prætereà quemquam de profanis scriptoribus legisse videatur. Sed hoc nec ità multò post satis abundè ostendemus. Nunc de Romanorum quoque annalibus pauca dicantur. Quibus fuisse publicos annales olìm, Cicero, in secundo de Orat. libro, est auctor : « Ab « initio, inquit, rerum romanarum usquè ad P. Mutium « pontificem maximum res omnes singulorum annorum « mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque « in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut « esset populo cognoscendi ; ii qui etiam nunc anna- « les maximi nominantur. » Primo item de Legibus libro, inducit Atticum sic loquentem : « Nam post an- « nales pontificum maximorum, quibus nihil potest « esse nudius (1), si aut ad Fabium, aut ad Catonem, « aut ad Pisonem venias ; tamen quid tàm exile quàm « isti omnes ? » Annales igitur isti pontificum maximorum à tempore P. Mutii intermissi sunt, illisque in historiâ Cato, Fabius Pictor, Piso aliique successêre, graves omninò auctores quidem, sed sine publicâ auctoritate tamen. Nec verò audiendi sunt, qui ejusmodi pontif. max. annales post Publium quoque Mutium continuatos asserunt, quòd hoc loco apud Ciceronem Atticus eos se vidisse significet ; videre autem nullo modo potuerit, nisi essent continuati, cùm Livius priorum temporum pontificios annales incensâ à Gallis urbe interiisse dicat. Non enim interiisse dicit omnes, sed plerosque. Quâ ex re non fit, ut si in Livii manus annales isti pontificii non venerunt, quoniam rari ex incendio relicti sunt, ne in manus quidem Attici pervenisse existimemus, qui his quærendis majorem fortè diligentiam et curam adhibuit, quàm Livius. Quanquàm codices ejusmodi non semper hominum diligentiæ obveniunt, sed fortunæ. Annalium igitur pontif. max. post Publicum Mutium facta intermissio est. Etenim, si ea pontificum diligentia perseverâsset, aut annales isti publici in bibliothecis templisque deorum exstarent, nec tam multis locis animi penderet Livius, et annalium incertitudinem causaretur, nec adeò sæpè in notandis consulibus consulumque etiam annis erraret. Nam errâsse, Henricus Glareanus perquàm diligenter ostendit ; dubitâsse de personis frequentissimè Fabius Quintilianus ait.

Ac decadis primæ libro sexto Livius ipse, quæ à conditâ urbe Româ ad captam eamdem à Gallis urbem, id est, ad olympiadem 97, quinque libris exposuerat, ea obscura, et parùm constantia queritur, tùm quòd perraræ per eadem tempora litteræ fuerint, tùm quòd etiam, si quæ in commentariis pontificum aliisque publicis privatisque erant monumentis, incensâ urbe pleræque interierint. Et rursùm in octavo libro, posteaquàm historicorum romanorum varias discrepantesque sententias posuit : « Nec facile est, inquit, aut « rem rei, aut auctorem auctori præferre. Vitia tam « memoriam funebribus laudibus reor, falsisque ima- « ginum titulis, dùm familiæ ad se quæque famam re- « rum gestarum honorumque fallente mendacio tra- « hunt. Indè certè et singulorum gesta, et publica « monumenta rerum confusa ; nec quisquam æqualis « temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auc- « tore stetur. » In libris quoque nono et decimo, ut loca alia prætermittam, satis ille apertè docet, quàm nullos habuerit certos, probatosque annales, quos in scribendo sequeretur. Dionysius etiam Halicarnasseus se ejusmodi annales publicos minimè consecutum haud obscurè significat. Cùm enim historiæ suæ fidem conciliare cuperet, et veteres scriptorum romanorum historias se consuluisse testaretur, eorum vel maximè qui gravissimi et nobilissimi fuerint habiti, horum tamen annalium publicorum nullam omninò mentionem fecit, facturus sine dubio, si adeò magnam ac certam auctoritatem suo posset operi adjicere. Quid multa ? Julius Cæsar, auctore Tranquillo, inito consulatu primus omnium instituit, ut tàm senatûs quàm populi diurna acta conficerentur et publicarentur. Quò Satyricum illud attinet : *Cupient et in acta referri* ; Plinianum item illud : *Milone causam dicente lateribus coctis pluisse, in ejus anni acta relatum est.* Veterem ergò pontifi. maxim. morem, qui jam diù fuerat interruptus, Julius Cæsar primus omnium renovavit. Nec me præterit, Romanis quondàm libros quoque linteos fuisse, qui nihil ferè præter consulum et magistratuum nomina continebant. Sed neque hos Livius vidit, quoniam incensâ urbe fortè hi etiam perierant ; neque ità horum auctoritate permotus est, ut non eos interdùm ab aliis citatos neglexerit. Quin Marcum Licinium cum libris linteis suis aliquandò coarguit. Imò verò et Tuberonem et Licinium refert in discrepanti opinione utrumque libros linteos protulisse ; ut intelligas, libris istis linteis quàm tenuem et exilem fidem haberet Livius. Quibus ex rebus facilè Annius refellitur, qui circà finem commentariorum in Philonem suum astruit, Titum Livium publicos annales romanæ monarchiæ se-

(1) Alii *jucundius* legunt, sed perperàm, et ad sensum Ciceronis parùm apte.

cutum esse, hujusque Philonem vestigiis institisse. Ubi multùm omninò de gradu Philonem suum dejicit; qui si publicos omnium monarchiarum annales habuit, ut paulò antè Annius dixerat, imprudenter sanè ac leviter Livium secutus est, quem constat, primùm nullos publicos annales habuisse, deindè in plerisque dubitâsse, deniquè errâsse in multis, et ità errâsse, ut errorum quorumdam ab aliis evincatur, quorumdam ipse etiam se arguat.

Nec patiar, ut quisquam mihi Flavium Vopiscum Syracusium opponat, qui in vitâ Probi fatetur se usum libris ex bibliothecâ Ulpiâ, registris etiam scribarum porticûs Porphyreticæ, actis demùm senatûs ac populi. In vitâ verò Aureliani, scribit Aurelianum, in libris linteis qui in Ulpiâ bibliothecâ erant, ut quotidiana sua acta scriberentur, præcepisse. Multò verò minùs illud feram, ut mihi Diodorus opponatur, qui in primo libro asserit, ex veteribus annalibus gesta se ac duces Romanorum cognovisse. Flavius quippè nihil nisi libros linteos restitutos, diligentiamque pontif. max. non antiquam illam, sed à Julio Cæsare primùm instauratam affert: Diodorus autem non affirmat se publicos Romanorum annales nactum esse, sed veteres. At hi in privatis monumentis esse potuerunt. Nihil igitur asserunt, qui in Græcorum Romanorumque monarchiis publicos fuisse annales aiunt, ad quos cæteras oporteat historias revocare, ut si his consentiant, approbentur, reprobentur si dissentiant. Ostensum est enim, nullos neque è Græcis, neque è Romanis publicos annales exstare; atque adeò nullos auctores esse, qui secundùm ejusmodi annales Græcorum Romanorumque scripserint aut res gestas, aut tempora. Nisi fortè in uno aut altero loco auctor quispiam affirmet, se eam rem, quam scribit, ex libris linteis aut elephantinis, actisve publicis excepisse. Atqui ex unâ parte de totâ historiâ judicare stultissimum erit. Præterquàm quòd si quis suam historiam dicat publicis hujus, aut illius monarchiæ annalibus consentire, non continuò publicam ejus monarchiæ auctoritatem habet. Alioqui facile ac promptum cuique erit, ad omnem etiam fabulam legentium conciliare uno mendacio dicendo fidem. Id quod Philo historicus apud multos obtinuit, qui in historiis suis omnia tempora quadrâsse ad veros quatuor monarchiarum annales, plerisque sine omni et ratione, et testimonio persuasit. Historicum dixi; nam verus ille Philo, gravissimus philosophus idemque theologus eruditissimus, ut ab imprudentiâ et mendacio, ità quoque ab historiâ scribendâ alienus fuit. Eusebius enim, Hieronymus ac Suidas, qui Philonis opera diligentissimè enumerârunt, nullum opus habent, in quo Philo res gestas regni cujusquam temporaque notârit. Ità doctis omninò viris liber ille de Temporibus inscriptione planè ementiente videtur esse suppositus. Quæ res manifestis quoque argumentis evincitur. Primùm illud est, quòd libelli ejus auctor scribit, stirpem Salomonis in Ochoziâ defecisse, et Joas, qui illi in regno successit, non de Salomonis, sed de Nathanis fuisse progenie. Quod quàm falsum sit, è sacris litteris facilè patescit. Quarti enim libri Regum cap. 11, ità legitur: *Athalia verò, mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, interfecit omne semen regium. Tollens autem Josaba, filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas, filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, et abscondit eum à facie Athaliæ, ut non interficeretur.* Et capite duodecimo: *Tulit Joas rex Juda omnia quæ consecraverunt Josaphat, et Joram, et Ochozias, patres ejus*, etc. Et capite 13: *Anno vicesimo tertio Joas, filii Ochoziæ, regis Judæ*, etc. Item 2 Paralipomenon cap. 22: *Nec erat ultrà spes aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ*, etc. Est deniquè in hanc rem præclarum illud testimonium, contrà quod nullus est ad tergiversandum locus, è primi libri Paralipomenon capite tertio, ubi in posteritate Salomonis, verbis nihil obscuris, recensetur Joas filius Ochoziæ. Id quod Matthæus explicatè confirmat, inquiens: *Josaphat genuit Joram, Joram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joathan, Joathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam.* Generatione ergò et naturâ Ezechias filius erat Joseph, ac proindè Salomonis, ut Matthæus ait, et non Davidis edicto in filium deputabatur, ut asserit Philo.

Ecquis igitur eos ferat, qui contrà apertissima Scripturæ sacræ testimonia, stirpem Salomonis in Ochoziâ defecisse asseverant? Sed ne hìc quidem ψευδόφιλος ille Philo finem mentiendi facit. Tradit quippè et id rursùm, quos Scriptura filios Josaphat fratresque Joram appellavit, eos non verè filios Josaphat germanosque Joram, sed Nathanis posteros fuisse. Quod ut mireris, imò execreris etiam, verba subscribenda sunt, quæ secundi Paralip. libri cap. 21 leguntur: *Dormivit*, inquit, *Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in civitate David, regnavitque Joram filius ejus pro eo, qui habuit fratres filios Josaphat Azariam, et Jahiel, et Zachariam, et Azariam, et Michael, et Saphatiam. Omnes hi filii Josaphat, regis Juda. Deditque eis pater suus multa munera argenti et auri, et pensationes cum civitatibus munitissimis in Judâ. Regnum autem tradidit Joram, eò quòd esset primogenitus. Surrexit autem Joram super regnum patris sui, cùmque se confirmâsset, occidit omnes fratres suos gladio.* Quo in loco quæ potest esse tergiversatio, quæ tanta interpretandi licentia, quæ tàm magna comminiscendi libido, imò verò quæ tàm insignis impudentia, ut eos filios Josaphat, verosque germanos Joram fuisse negemus, quos, non sic modò Scriptura vocat, sed reddit etiam causam, cur germanos fratres intelligi necesse sit? *Joram*, ait, *fratres habuit filios Josaphat*, ne aliundè fratres existimares; idque etiam ne dubitare posses, iterùm atque iterùm repetit: *Omnes hi filii Josaphat, regis Juda. Deditque eis pater suus multa munera..... regnum autem tradidit Joram, eò quòd esset primogenitus.* Quid autem illa commemorem, quæ sine omni sacro et profano testimonio, sineque ullâ rationis conjecturâ Philo iste falsus comminiscitur? Ortam litem inter filios David ex Bethsabee, Davidis edictum de posteris in regnum quodam ordine successuris, à rege Joas omnes sequentes bino-

mios trinomiosque etiam fuisse, à desolatione ad carceres Joachim 20 annos interfluxisse, Mardochæum decem et octo annis ætatem Isaac superàsse, Machabæos simul cum pontificatu etiam ducatum à domo David subripuisse, unde inimicitias exortas multaque alia ejusmodi, quæ partim commentitia sunt, partim sacris etiam litteris adversa? Quid quòd vel in humana historià Philo iste adeò sæpè delirat, ut facilè dicenti ipsi credas, se in ultimo anno ætatis suæ decrepitæ libellum illum scripsisse? Scribit siquidem, anno Cyri secundo Aggæum et Zachariam prophetàsse; item ob mortem Darii Hystaspis opus esse impeditum, nec adiri potuisse Cyrum, qui bello Tamyrico erat implicitus, item Cyro Assuerum Priscum Artaxerxem successisse, qui et plus quàm 12 annos imperàrit, et Holofernem in Judæam miserit, item hunc duos filios habuisse, qui de imperio contenderint, sed cùm alter eorum, hoc est, Darius Longimanus, victoriam fuisset consecutus, in ejus primo anno Jesum hortantibus iisdem prophetis templi ædificium aggressum. Quæ omnia falsa esse et historicis probatis omnibus vehementer repugnantia, quis non videt? Itaque miror quid in mentem Annio venerit, ut eum librum, qui de Temporibus inscribitur, in quo multa falsè, pleraque absurdè, nonnulla contrà Scripturam etiam dicuntur, Philoni attribuerit, viro doctissimo et prudentissimo. Quis enim credat, Philonem, Xerxem illum Persarum regu momnium apud Græcos celeberrimum, ignoràsse? Darium Hystaspis cum Dario Medo Cyri avunculo confudisse? Assuerum illum, qui opus templi impedivit, patrem Longimani existimàsse? Nempè in eos errores solus ipse posset incurrere, qui utriusque litteraturæ et sacræ et prophanæ rudis omninò et imperitus esset. Non ergò Philo Judæus, cujus ingenium, eruditionem, facundiam, celebravit antiquitas, auctor illius libelli fuit, sed homo quispiam sine ullâ bonâ arte, sine eloquentiâ, sine ingenio, sine litteris. Nullo certè loco Philo iste falsus platonizat, sed ubique non modò indoctè et indisertè, verùm incultè etiam atque inornatè loquitur.

Sed ut eò, undè digressa est, recurrat oratio, cùm monarchiæ græcæ atque romanæ nulli nunc publici annales exstent, nullique omninò auctores, quorum historiæ ad illius modi annales conveniant et quadrent, nimirùm in his duabus monarchiis, regulæ Annii nulli penitùs usui futuræ sunt. Sed et in prioribus duabus monarchiis mihi sanè videntur otiosæ ad omnemque usum prorsùs ineptæ. Nam tametsi Medos ac Persas publicos annales asservatos habuisse sacræ litteræ prodiderunt, Babyloniis etiam publicæ auctoritatis historias fuisse, non Josephus modò testatus est, sed auctores alii nobilissimi: ejusmodi tamen annalibus nos hodiè caremus, omnique etiam historico, quem hosce annales secutum esse certum atque exploratum sit. Berosum fateor, quoniam valdè probabile est, auctoritate publicâ Chaldæorum historiam edidisse. Metasthenem verò publicum Persarum historicum fuisse cur fatear, non video, quem res Indicas scripsisse et in Plinio, et in Josepho legi, res Persicas non legi. Sed quoniam non in hoc contentionis summa impendet, demus illud Annio gratis, sicut et id quoque, Ctesiam Gnidium in Persarum et rebus gestis (1) et temporibus accipiendum esse. Videlicet apud Diodorum, in tertio, Ctesias ipse testimonium perhibet, Græcis se veros certosque annales Persarum ac Medorum attulisse. Hoc igitur quoniam Ctesias de se dicit, credamus illi. Nam Lucianus Ctesiam Gnidium ait de rebus Indicis scripsisse ea quæ nec ipse viderit, nec de alio narrante audierit; itaque fabulas esse. At donemus hæc interim, nec enim de omnibus certandum est; illud agimus, quos libros Berosi et Metasthenis nomine inscriptos Annius protulit, eos nec Berosi esse, nec Metasthenis.

Berosum porrò Annianum non verum esse, sed fictum, Raphael Volaterranus libro Anthropologiæ decimo quarto animadvertit. Cui Ludovicus Vives (2), pluresque alii viri doctissimi assentiunt. Quæ mihi res argumentis idoneis videtur confici posse. Primùm, quòd Berosus iste Annianus scribit, Noe, præter tres primores filios, Sem, Cham et Japhet, plures alios post diluvium genuisse : quod sacris litteris videtur esse contrarium. *Tres isti*, inquit Genes. 9, 19, *filii sunt Noe, et ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.* Non ergò alii filii Noe fuerunt, qui colonias orbis terrarum præcipuas, Noe jubente, constituerint (3). Refert deindè, cùm Noe ebrius jaceret, Cham illius virilia comprehendisse, ac tacitè submurmurando carmine magico patri illudentem, sterilem eum perindè ac castratum effecisse. Scribit præterea, Noe in Italiam venisse, naturaliumque et divinorum libros conscripto Italis reliquissse, eumdem quoque Noe Janum illum exstitisse, qui primus in Italiâ imperàrit. Item Nemrod magis studuisse paci religionique deorum, quàm opulentiæ, ideòque translatum à diis subitò non comparuisse. Quæ commentitia esse omnia facilè ostenderem, nisi quòd plus etiam nimio hujus voluminis magnitudo crevit. Item ait, hunc ipsum Nemrod, Assyrium, Medum et Magogum in Asiam misisse, qui regna condiderint Assyrium, Medum et Magogum. At hi cùm essent filii Japhet, vel patre, vel avo præcipiente, credibilius est colonias deduxisse, vel certè, ut Geneseos capite undecimo dicitur, is ipse Deus qui divisit linguas eorum in Babel, indè dispersit eos super faciem cunctarum regionum. Prætereà narrat, Semiramidem Babylonem urbem maximam ex oppido fecisse, et magis illam ædificàsse quàm ampliàsse. At veriùs è contrario Berosus apud Josephum, in primo contrà Appionem Alexandrinum libro, scriptores græcos reprehendit, qui falsò tradiderint, à Semiramide Babylonem ædificatam, et mira

(1) Ctesias Gnidius apud Diodorum nullius Persarum regis mentionem facit ; regum Medorum tantùm seriem ponit, et in eà Mandanem quemdam, quem historiæ omnes ignorant, jure, ut videtur quidem, quoniam nomen potiùs feminæ est quàm viri.

(2) In lib. 1 de veris narrat. statim à pr. de Trad. dis. lib. 5, et in proœm., in lib. 18 de Civ. Dei. Faber Stap. in l. 1 Poli. Arist. lib. 2.

(3) Omnia, quæ de antiquitate sapientiæ nostræ, quæ eadem Judæorum fuit. Joseph., Euseb., August., disputant, vana sunt, si hæc vera sunt.

opera ab illâ circà hanc fuisse constructa. Ad hæc Berosus Annianus prodit, Cenchrem, Ægypti regem, Hebræorum magiâ in mari periisse. Quod utique nullo esset modo à Josepho prætermissum, qui cùm hebrææ gentis antiquitatem adversùm Græcos conaretur ostendere, nullum aut prius aut antiquius expressum testimonium potuit Berosi proferre, quàm ex tertio libro Chaldæorum, ubi Nabuchodonosorem scripsit templum Judæorum civitatemque vastâsse. Berosus insuper Annianus nullam nec apertè, nec obscurè, Abrahami mentionem facit. At Berosus ille verus, ut Josephus auctor est, Abrahami implicitè meminit his verbis : « Post diluvium autem decimâ ætate, apud « Chaldæos erat quidam justitiæ cultor, vir magnus et « sideralis scientiæ peritus. » Prætereà Berosus Sennacherib, regis Assyriorum, gesta commemoravit, quemadmodùm Josephus Hieronymusque testantur. At in Beroso Anniano nulla Sennacherib commemoratio est. Prætereà fictus iste Berosus in Ascarade, decimo octavo Assyriorum rege, finem historiæ suæ fecit, post quem tamen viginti alii reges usquè ad Sardanapalum Babyloniis imperârunt. Sed hos tamen Berosus non omisit, quin eos etiam annumeravit, qui Nabuchodonosoro, Nabulassari filio, usquè ad Cyrum in imperio Babylonico successêre, ut Josephus, contrà Appion. libro primo, divusque Hieronymus in Daniel. cap. 5, affirmant. Atque Metasthenes Annianus, cùm triginta octo Assyriorum reges à Saturno ad Sardanapalum numerâsset, tempusque etiam regni cujusque eorum subjecisset, in his omnibus se Berosum sequi, atque adeò ejus se verba exscribere testatus est.

Nec verò dici potest, libellum istum de Antiquitatibus fragmentum esse Berosi, non integrum opus, quoniam vel Annius ipse nobis tanquàm integrum opusculum venditavit. Manethon quoque Annianus apertè dicit, se indè historiam exordiri, ubi finem historiæ suæ Berosus fecit. Ità in supplemento Manethon decem et octo regibus Berosi quatuordecim alios adjecit, quos si à Beroso accepisset, nullo pacto inficiaretur. Fictus est ergò Berosus iste Annianus, non mancus. Quid quòd apud auctores veteres Berosus non Ægyptiorum, non Lybicorum, non Celtiberorum, non Italorum, non Germanorum, sed Chaldæorum scripsit historiam? Annianus verò iste æquè horum omnium regnorum historicum se præbet. Nullum certè probatum auctorem invenies, qui Berosum, nisi in rebus Chaldaicis testem excitet veritatis. Atqui, si auctor gravissimus res alias scripsisset, sine dubio in eis ab aliquo vel hebræo, vel græco, vel latino auctore aliquandò citaretur. Sed nescio an Berosum istum satius fuisset nullâ argumentatione conficere. Res quippè ità priscas memoriæ prodit, ut licet falsas intelligere per tui animi conjecturam possis, arguere tamen per illarum vetustatem nimiam non possis. In rebus enim ejusmodi, quò quisque improbior est, eò majorem habet fingendi licentiam, adeò ut de libris quidem totis et auctoribus, quemadmodùm ait Fabius, mentiatur tutò, quia inveniri, qui nunquàm fuêre, non possunt; de rebus autem ipsis vel tutissimè mentiatur, quia nulli testes produci queunt, qui non sint pueri, si contrà veterrimos proferantur. Quâ in re cùm episcopus quidam nostros deprehensus esset sæpe peccâsse, eos enim auctores citarat interdùm, quos nulla unquàm habuit ætas, eas res olim gestas scripserat, quas nulli homines ediderunt, respondit referre nihil in historiâ sic an aliter omninò sentias, quod omnia essent ambigua, nisi quæ sacris litteris continerentur. Indigna quidem episcopo, eoque theologo sententia. Nam rusticus homo et vanus si hæc dicat, non est mirum. Sed ut eò revertamur undè discessimus, faciliùs dico esse Berosum istum Annianum contemnere quàm refellere. Nam viris doctis ipsa libelli lectio satis magna persuasio est, indoctis persuadere nihil attinet. Suo Beroso fruantur licet, quem solum de Temporibus inscriptionum quarumdam, per annos quadragintos octoginta antè Ninum et Phoroneum supputâsse, Annius ait Plinium tetigisse; cùm Plinius tamen nihil aliud tradat quàm Berosum usquè adeò astrologiâ enituisse, ut Athenienses ei ob divinas prædictiones publico in gymnasio statuam inauratâ linguâ statuerint. Fruantur itaque, ut dixi, Beroso suo, sed Plinii auctoritate non fruantur; imò ne probabili testimonio ullo quidem, aut ratione aliquâ consentaneâ. Illa enim ridicula est, Hieronymum Berosi hujus verbis quandoque uti; quasi verò commento locus esse posset, nisi Berosus iste fictus veri Berosi quædam verba compilâsset.

Sed jam Annianum Metasthenem, quàm fieri poterit brevissimè, explodamus. Non autem persequar errata minuta, quæ in parvo volumine plura sunt. Tantùm quæ sunt majora videamus. Scribit igitur monarchiæ persicæ reges et tempora in hunc modum : « Balthasare interfecto, regnaverunt simul Cyrus et Darius « annis duobus, indè solus Cyrus, duobus et viginti. « Filius Darii Priscus Artaxerxes Assuerus, annis viginti; ultione intereà sumptâ de factione Tamyricâ, « quæ per dolum patruum tradiderat Tamyræ, hujus « duo filii Cyrus Artabanus et Darius Longimanus se« ptem mensibus pro imperio dimicaverunt, et septimo « mense Longimano victoria cessit, regnavitque annis « septem et triginta. Ejus filius, Darius Nothus, annis « decem et novem, magnus Artaxerxes Darius Mem« non, annis quinquaginta quinque, Artaxerxes Ochus, « sex et viginti, nostrâ ætate Arses, annis quatuor, « Darius ultimus, sex. » Hos quoque reges et tempora eodem ordine eisdemque penè verbis Philo Annii notavit, ut eumdem fuisse utriusque fabulæ artificem suspiceris, vel potiùs intelligas. Hoc solùm addit Philo, videlicet ex Hebræorum officinâ, Assuerum istum Nabuchodonosorem esse, cujus res gestas Judith scribit historia. Illud autem in primis rogo, ecquis iste est Priscus Artaxerxes Assuerus, qui patrem habuit Darium, patruum Cyrum, qui Cyro in imperio successit, qui viginti annos regnavit, qui et Nabuchodonosor fuit, cujus exercitum principemque militiæ Holofernem mulier una deturbaverit, qui deniquè duos filios sortitus est, Cyrum Artabanum et Darium Longimanum? Sanè Cambysen respondent esse. Id namque Metasthenes

paulò antè scripserat, Cyrum, et Darium sex annos priusquàm Babylonem caperent, bellum Tamyræ reginæ illaturos, regnum persicum Cambysi filio resignàsse. Id etiam historicorum omnium consensione proditum est, Cambysen statim à Cyro Persarum imperium tenuisse. Assuerus ergò iste idem, qui et Cambyses fuit. At verò quæ in prisco Assuero sive adjuncta, sive antecedentia consequentiaque ponuntur, adeò sunt à Cambyse aliena, ut etiam contraria esse videantur.

Primùm enim Darius Cambysis pater non fuit, sed Cyrus. Id quod non Herodotus modò, Josephus, Hieronymus, sed universi scriptores græci latinique testantur. Cujus omninò rei illud quoque argumentum est, quòd Cyri parenti Cambyses nomen erat, ut historici uno ore dixerunt omnes. Darius autem nullum majorem habuit, qui Cambyses vocaretur. Consentaneum est ergò, Cambysen filium Cyri fuisse, non Darii. Præterea, si Cambyses Darii filius fuit, certè Dario mortuo in regnum patris successisset; at, Dario mortuo, Cyrus solus Persis ac Medis viginti duobus annis imperavit, ut etiam Metasthenes et Philo confessi sunt. Non ergò Darii filius Cambyses fuit, sed Cyri, cui in imperio successit. Præterea, cùm monarchia à Medis in Persas per Cyrum fuerit translata, ecquo pacto verisimile fit, filium Darii Medi in monarchiam successisse, filium Cyri Persæ non successisse? Sed quid ego demens eam rem conor argumentis demonstrare, quæ cùm ex historiæ fide pendeat, historicis omnibus consentientibus memoriæ prodita sit? Nihil profectò necesse est, contra eum ratione pugnare, quem omnium et ecclesiasticorum et profanorum auctoritas vincit. Simile est, quod deindè subjicit, Cyrum patruum fuisse hujus Assueri. Fuerunt igitur Cyrus Persa, ac Darius Medus germani fratres, quod cum ratione etiam pugnat. Atque auctores universi alios parentes Dario Medo, alios Cyro Persæ fuisse scribunt. Quod rursùm tertio loco addit Assuerum istum viginti annos imperàsse, illud historiis item omnibus adversum est. Apparet autem in hoc esse confictum, ut historia libri Judith sub isto scripta videatur; id quod Eusebius in Chronicis magis refert quàm sequitur. Traditio quippè Hebræorum est, quæ nec idoneo testimonio, nec probabili ratione consistit. Josephus sanè repugnat, qui libro Judaic. Antiq. undecimo, capite secundo, Cambysen ait septimo anno regni sui mortem oppetiisse. Sed et Eusebius Cambysi octo solùm annos imperii tribuit, Herodotus verò septem annos èt menses quinque. At Nabuchodonosor, qui in libro Judith commemoratur, plures etiam quàm 13 annos imperavit, ut cap. 2 habes. Non ergò Cambyses Nabuchodonosor ille fuit. Præterea omnes historiæ produnt et Cambysen, et Cyrum, cui ille in regno successit, reges Medorum Persarumque fuisse. At Nabuchodonosor libri Judith nusquàm aut Medorum aut Persarum rex, sed ubique et Assyriorum fuisse, et regnàsse in Ninive civitate magnà dicitur.

Ad hæc, si Cambyses Mediæ rex erat, ut verè erat, quomodò Nabuchodonosor is fuit, qui Arphaxat regem Medorum obtinuit? Nempè quamvis fingere nostro arbitratu libeat id, quod Philo Annius facit, Arphaxat factionis Tamyricæ fautorem Assyrios, Medos ac Persas ad defectionem compulisse, at non proindè tamen regem eum Medorum Scriptura appellaret. Pari enim ratione Persarum Assyriorumque rex Arphaxat iste vocaretur. Quid quòd Nabuchodonosor tùm etiam rex Assyriorum fuisse dicitur, cùm Arphaxat regem Medorum superavit? Quale ergò Philonis commentum est, Arphaxat cum Persis ac Medis Assyrios quoque ad defectionem compulisse? Præterea, Arphaxat ille, contrà quem Nabuchodonosor depugnavit, civitatem Mediæ florentissimam condidit, cui nomen Ecbatanis, ut Judith capite 1 legitur. At civitas hæc multis antè Cambysen annis erat ædificata, à Diocle videlicet, quinto Medorum rege, quemadmodùm Eusebius testatur in Chronicis, itemque in primo libro Herodotus. Nec excidit mihi scripsisse in tertio Diodorum, Ecbatana antè Semiramidem condita, in quibus regiam quoque illa ædificàrit; Plinium verò, lib. 6, c. 14, Seleuci ædificium esse. Verùm, quoniam non eo studiò, sed casu in hujus rei mentionem incidi, satisfaciam utrique quasi præteriens quàm brevissimè. Diodorus primùm sæpè ac multùm in historià nugatur. Eamdem certè habuit, ut cæteri Græci, mentiendi libidinem. Quid enim levius in mentiendo, quàm Græcia, regio vana et ad omnem impulsum mobilis? Nisi fortè Diodorum defendit titulus libri ejus, qui nunc unus exstat, de antiquorum fabulosis gestis inscriptus, qui quoniam inscriptioni suæ ipse respondet, neminem fallit. Quod enim promiserat, idem exsolvit. Nam quod Plinius in prooemio totius operis asserit, Diodorum apud Græcos primum desiisse nugari, id facilè ex orationis Plinianæ contextu intelligitur non ad historiarum falsitatem, sed ad inscriptionum vanitatem pertinere. Græci enim auctores inanes ventosasque inscriptiones libris suis passìm præponebant. At Diodorus, ut Plinius ibi refert, librum suum nullo levi vanoque indice invidiosum fecit, ut priores, sed Bibliothecæ Historiam inscripsit. Non ergò Diodori nos urgebit auctoritas, si quæ de Semiramidis magnificentià et in Ecbatanis extructa regià græcis fabulis decantata sunt, ea ipse vel retulerit, vel etiam fuerit secutus. Plinius verò iis, qui urbes præclaras condiderunt, nobilitandis, sæpè fallitur.

Sed ad rem. Cùm Arphaxat eum, qui Ecbatana ædificavit, antè Cambysem fuisse certum exploratumque sit, fieri non potest, ut Cambyses Nabuchodonosor ille intelligatur, qui ab Arphaxat, Ecbatanarum conditore, victoriam reportavit. Præterea, Ninive, tempore regni Persarum, à Babyloniis vastata fuerat, ut Nahum vaticinatio indicat. Nec Persis monarchiam occupantibus regem proprium hæc civitas habuit. At Nabuchodonosor, cujus in libro Judith mentio est, regnabat in Ninive civitate magnà; non igitur quæ Judith historia refert, ea sub Cambyse, sed, ut verè Carion sensit, antè Persarum imperium gesta sunt. Nec, ut ab hàc sententià discedam, Achioris me verba movent, quæ cap. 5 referuntur. Quoniam antè insignem illam captivitatem Babylonicam afflixit aliquoties Dominus omne semen Israel, et tradidit eos in manus diripientium,

nunc Ægyptiorum, nunc Syrorum, nunc Assyriorum, nunc Moabitarum et Ammonitarum, donec tandem projecit eos à facie suà. Quia verò in varias regiones captivi adducti sunt, sed brevi tempore reduxit eos Dominus in terram suam, idcircò in libris Regum ejusmodi minùs celebres captivitates silentio premuntur. Nam et Judic. c. 18, cujusdam captivitatis mentio fit, quam Cajetanus verè, ut ego sentio, dicit in libris Regum prætermissam. *Non enim*, ait, *omnia scripta sunt.* Non itaque Achior de captivitate illâ insigni Babylonicâ loquitur, sed de aliâ quâpiam. Judith porrò ætate, templum hierosolymitanum non erat eversum, nec civitas ipsa vastata. *Iterum*, ait, *possident Hierusalem, ubi sunt sancta sanctorum.* At regnante Cambyse et eversum templum erat, et nondùm civitas instaurata. Manet igitur, ea, quæ ipsius Judith narrat historia, non esse ad Cambysen referenda. Meritò igitur Assuerum istum priscum Artaxerxem negant ullum fuisse quidam; quoniam reverà, qualem Metasthenes Philoque describunt, nullus fuit. Qui etiamsi fuisset, si à Cyro statim imperavit, Longimani profectò parens non fuisset. Ecquis enim dubitet, post Cyri et Cambysis regnum Darium Hystaspis Persarum dominationem adeptum, cui Xerxes filius in imperio successerit? Nimirùm id Herodotus, Justinus, Orosius, cæterique scriptores profani tradiderunt, atque universi etiam veteres ecclesiastici, Josephus, Clemens, Africanus, Hippolytus, Eusebius, Hieronymus. Hieronymus certè eam rem non tanquàm dubiam et incertam, sed tanquàm perspicuam atque constantem prodidit in Danielis caput septimum, inquiens: « Tres ordines, qui « erant in ore bestiæ, quidam tres reges post Cyrum « fuisse Persarum autumant, et quæ illis sunt nomina « reticent. Nos verò, cùm post Cyrum, qui regnavit « annis triginta, sciamus apud Persas regnâsse Cam« bysen, filium ejus, et fratres Magos, et deinceps Da« rium, cujus secundo anno cœptum est ædificari « templum in Hierusalem; quintum Xerxem filium « Darii; sextum, Artabanum; septimum, Artaxerxem « Longimanum; octavum, Xerxem; nonum, Sogdia« num; decimum, Darium Nothum; undecimum, Ar« taxercem Memnonem; duodecimum, Artaxerxem « Ochum; tertium decimum, Arsen, Ochi filium; quar« tum decimum, Darium, Arsanis filium, qui ab Ale« xandro superatus est; quomodò tres reges Persarum « fuisse dicemus? » Hactenùs Hieronymus.

Sanè si in regum Persarum serie aut fratres Magos, aut Artabanum, aut secundum Xerxem sive Thucydides, seu quisquam alius historicus prætererit, nihil mirum esse debet, quoniam illi vel brevissimo tempore imperàrunt, vel certè eo quoque brevi tempore de imperio cum aliis contenderunt. At Darium Hystaspis, et Xerxem filium ejus, qui potentissimus rex atque ditissimus adversùm Græciam innumerabilem duxit exercitum, et ea gessit, quæ græcorum et latinorum gentilium ac fidelium historiæ narrant; hos, inquam, duos tàm excellentes ac præclaros reges silentio transire, extrema ignorantia, ne dicam impudentia est. Etenim hos in Persiâ regnâsse si quis neget, negare poterit Constantinum Theodosiumque Romæ imperâsse. Non enim plures gravioresque historici hoc quàm illud affirmant, atque Herodotus et Thucydides de his videlicet sui seculi regibus ità loquuntur, ut non res auditas, sed visas narrare videantur. Nec si historiæ suæ Herodotus fabulas miscet, idcircò fides illi abroganda est in rebus sui temporis publicis et manifestis, in quibus nullus erat fictioni locus. Alioqui, Plutarchus, qui minimos quosque errores Herodoti persecutus reprehensione est, hunc, quoniam erat maximus, potissimùm insectaretur. Credamus itaque potiùs Herodoto, Thucydidi, Justino, Orosio, Africano, Eusebio, Hieronymo, Josepho, cæterisque auctoribus probatissimis, quàm Metastheni huic, non veteri et erudito, sed recenti, rudi, sine sensu, sine sapore, ignoranti, atque adeò impudenti; nempè qui pollicatur scripturum se regum Persarum tempora, ut in annalibus publicis liquidè et verè digesta sunt, reges quoque, et nomina, quàm apud eos splendidissimè regnatum est; et tamen eos reges omittat, qui in Persis magnificentissimè atque amplissimè regnaverunt.

Nec me fugit, Joannem Carionem operosè etiam contendisse, ut inter Eusebium, Hieronymum, ac reliquos auctores graves, et Metasthenem Persam istum nulla esse repugnantia videretur. Ità in summâ discordià ac dissensione pacem conciliare nititur, et quæ discrepant plurimùm, ea facere ut consentiant vel maximè. Primùm ergò ait Carion, Assuerum illum priscum, Darium Hystaspis intelligi oportere. Quâ unâ ex re totum disce Carionem. Quid enim stultius dici potuit, quàm Darium Hystaspis patrem habere Darium Medum, patruum Cyrum, filium Longimanum? His enim attributis priscum illum Assuerum Metasthenes cumulavit. Quid autem à Dario Hystaspis alienius quàm publico edicto vetare, ne templum Hierosolymis instauraretur, quod Assuero illi prisco Philo Annianus assignat? Nam causæ à Carione redditæ, cur à Metasthene Xerxes fuerit omissus, usquè adeò ridiculæ et ineptæ sunt, ut non sint à me in præsentiâ referendæ. Atque eas omnes sigillatìm Joan. Vergara, Canonicus Soletanus, vir græcæ ac latinæ linguæ peritissimus, in libello 8 Quæst. hispanè edito, accuratiùs refutavit. Cujus nos operâ et diligentià multùm hoc loco adjuti sumus. Malumus enim, quod nos Plinius in Proœmio admonuit, mutuum omninò reddere, quàm in furto deprehendi. Illud enim Basilii præceptum semper nobis probatum est, si quid ex alio discitur, minimè celandum, more pravæ mulieris, quæ partus notos clàm supponit; quamobrem sermonis et doctrinæ patrem ingenuè manifestandum. Quibus rebus demonstratis, omni luce clarius apparet, id quod hujus orationis institutum erat, Annii regulas in historiæ judicio utiles esse non posse; quandò ne ex his quidem posterioribus Chaldæorum ac Persarum monarchiis annales ulli publici relicti sunt, nec auctoris cujuspiam monumenta, qui historiam suam ad veram certamque eorum annalium formulam composuerit. Quocirca Josephum, Eusebium, Hieronymum cæterosque probæ fidei auctores, in Persarum aut rebus ges-

tis, aut temporibus explodere, quòd Metastheni huic, et iis qui prætexuntur, Susianis annalibus non cohæreant, magnum inscitiæ, imò verò etiam temeritatis argumentum est. Quo loco Joannes Driedonis vehementer erravit, homo quod ad theologiæ diligentiam pertinet, planè doctus, quod ad historiæ humanæ cognitionem, valdè rudis. Qui cùm in hæc Annii volumina incidisset, et Berosi Chaldæi, Metasthenis Persæ, Ctesiæ Gnidii, Philonis Judæi, Diodori Siculi, Bibliothecæ Susianæ, septuaginta Seniorum excitato inani verborum sonitu illius complevisset aures, ad Eusebii, Josephi, Hieronymi vocem oppidò quàm gravem obsurduit. Quantò prudentiùs Ecclesia, quæ, cùm Adam, Enoch et Noe quidam libelli producerentur, eos noluit recipere! Quoniam, ut Augustinus ait, « quòd « in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, « propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne « proferrentur falsa pro veris. Nam et proferuntur « quædam quæ ipsorum esse dicuntur, ab eis, qui pro « suo sensu passìm, quod volunt, credunt. » Hactenùs in decimo octavo de Civitate libro, cap. 38, Augustinus. Viro igitur prudenti, ut liber quisque sub antiquitatis nomine profertur maximè, ità maximè debet ille esse suspectus. Quam nos prudentiam secuti, Berosi hos, Metasthenisque libellos, vel nimiâ vetustate suspectos haberemus, etiamsi nihil illi continerent, quod viris gravissimis contraveniret. Quibus rebus efficitur, ut prima Annii causa quamobrem in Persarum monarchià Josephum Eusebiumque rejici oporteat, futilis et vana sit. Nam altera falsissima est. Non enim aut Eusebius, aut quisquam alius probatus auctor scribit, Cyrum antè dedisse licentiam Hebræis in Babylone captivis, et mortuum, quàm Babyloniâ Darius ille Medus potiretur. Eusebius porrò Darii Medi in Chronicis nusquàm meminit, nec sub eo nomine, nec sub nomine Cyaxaris, quo eum appellat Xenophon. Non ergò Eusebius scripsit, Cyrum antè interfectum esse, quàm Darius Medus Babyloniam cepisset, cùm Darium omninò Medum in Chronicis prætermiserit. Herodotus autem nihil ejusmodi scripsit, quale illi Annius impingit. Darium, Hystaspis filium, Eusebius Herodotusque commemorant; ille, ut solet, breviter regni tempora notans, hic latiùs ejus gesta describens. In quibus illud refert, Darium Hystaspis Babylonem, quæ à Persarum imperio defecerat, iterùm et obsidione cinxisse et expugnâsse. Atque hinc turpis Annii error exstitit. Cùm enim audisset, Herodotum scribere, post Cyri mortem Babylonem à Dario captam, existimavit eum de Dario Medo intellexisse, cùm Darium Hystaspis sine dubio Herodotus expresserit. Nam à Cyro semel expugnatam Babylonem primo libro dixerat. Deindè in tertio eà iterùm captà Darium Hystaspis potitum affirmat, muros ejus circumcidisse, et portas omnes amolitum esse, quorum neutrum Cyrus fecerat priùs eidem à se captæ. Abeat ergò nunc Annius, et dicat Herodotum et Eusebium somniâsse. Annius ipse reverà potiùs somniat, qui è duobus hominibus, Dario Medo et Dario Persa, unum facit, exque duabus Babylonis expugnationibus item unam. Id quod propriè dormientium et somniantium est.

Sed ais : Daniel, cap. 11, post Darium Medum, quatuor solùm Persarum reges usquè ad Alexandrum futuros vaticinatus est (1). Non ergò quatuordecim fuêre, quemadmodùm nos Eusebium Hieronymumque secuti, fuisse diximus. Hujus argumenti ratio Tertullianum in eo libro, quem contrà Judæos scripsit, videtur impulisse, ut inter Darium Medum et Alexandrum quatuor duntaxat Persarum reges intermedios poneret, Artaxerxem, Ochum, qui et Cyrus, Argum deniquè ac Darium ultimum, qui et Melas nominatus est. In quem errorem Nicolaus Lyranus, licet ab Hieronymo admonitus, videns prudensque incurrit, Hebræorum somnia sequens, qui historiæ humanæ penitùs sunt ignari : quoniam nulla externi regni monumenta in linguâ suâ habent; nec alios aut Persarum, aut Græcorum reges agnoscunt, nisi quos Scriptura commemorat. Quod qui parùm perspiciunt, hi Judæos in earum etiam scripturarum explicatione sequuntur, quarum intelligentia, si gentilium ignorentur historiæ, aut vix, aut certè nullo modo haberi potest. Ità Hebræi rationes sæpè historiarum vertunt, et id, quod probare non possunt, fingere conantur. Quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad eam speciem traducenda, ut Scripturâ sacrâ interpretandâ, in iis præsertìm locis, quæ res externas gentium attingunt, gentium monumenta sequamur. Rectiùs igitur veriùsque Hieronymus quartum illum regem, quem Propheta commemorat, Xerxem, Darii Hystaspis filium fuisse intelligit; talem enim hunc ethnicorum historiæ narrant, qualem propheta describit. Quòd autem Daniel, quatuor Persarum regibus enumeratis, novem, qui fuêre post Xerxem prætermiserit, hoc non solùm contrà nos, sed contrà Metasthenem Annii, Philonemque etiam facit. Non autem curæ fuit, ut Hieronymus ait, Spiritui prophetali historiæ ordinem sequi, sed præclara quæque perstringere. Ac si quis prophetarum transitiones diligenter animadvertet, inveniet multa intermedia frequentissimè pertransiri; quæ si, ex vatum silentio, nunquàm fuisse judicabit, in magno eum errore necesse est, et multarum rerum ignoratione versari. Hoc verò loco peculiaris causa fuit, cùr in rege Persarum Xerxe spiritus prophetæ subsisteret. In eo siquidem Persarum monarchia maximè adversùm Græcos eminuit, adeò ut ab innumerabili exercitûs multitudine Græcia vel brevi momento vastanda atque exinanienda videretur. Itaque repentè Danieli Alexander græcus ostensus est, qui non solùm Græcos posset à Persis eripere, sed de Persis etiam triumphare. Sed de regulis Annii, earumque regularum exemplis, ac de totâ demùm Annii censurâ satis, ut arbitror, diligenter disputatum est. Quid igitur? (nam hoc dicet fortassè aliquis) nulla via ratioque erit, quâ veraces historicos à fallacibus distinguere atque internoscere

(1) Daniel, cap. 9 et 11, ubi hos quatuor reges ait fuisse Cyrum, Cambysen, Assuerum, maritum Esther, et Darium, filium Assueri, quem Alexander, ut inquit, debellavit. Darius autem ipse postremus, juxtà horum sententiam, Longimanus intelligitur, sub quo aiunt templum ædificatum.

valeamus? Erit nempè, et multiplex etiam erit (1).

Prima lex ex hominum probitate integritateque sumetur. Quæ omninò res locum habet, cùm quæ narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his, qui viderunt, accepisse. Qualia sunt pleraque in epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque hujus de Civitate Dei, in Dialogis Gregorii, breviter in omnibus ferè doctorum Ecclesiæ probatissimorum scriptis : in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippè præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectâsse se, vel ab aliis fide dignis, qui spectârint, se audisse testati sunt, fides omninò illis habeatur. Quâ in re Erasmus, Roterodamus aliique juniores quidam sæpè ac licenter errârunt. Quid enim liberius, licentius, immoderatius dici potuit, quàm Hieronymum asserentem Matthæi Evangelium hebraicum describendi sibi copiam fuisse, in eo virum gravissimum sanctissimumque mentiri? Jure itaque piis hominibus nimia hæc quorumdam juniorum liberiorque licentia displicuit, jure etiam in crimen vocata est. Hæc autem prima lex in prophanis quoque auctoribus locum habet. Quædam enim Julius Cæsar, quædam Suetonius, quædam Cornelius Tacitus, quædam Plutarchus, quædam Plinius narrant, quæ auctores ipsi partìm oculis aspexerunt, partìm acceperunt ab his, qui ea præsentes aspexerant. In hisce verò auctoribus tametsi pietatem, absolutaque virtutis officia spectare non licet, licet tamen probitatem quamdam bonitatemque naturæ. Quidam enim eorum aut veritatis amore inducti, aut ingenui pudoris verecundiâ, usquè adeò à mendacio abhorruerunt, ut jam pudendum fortassè sit, historicos gentium quosdam veraciores fuisse quàm nostros. Dolenter hoc dico, potiùs quàm contumeliosè, multò à Laertio severiùs vitas philosophorum scriptas, quàm à Christianis vitas Sanctorum, longèque incorruptiùs et integriùs Suetonium res Cæsarum exposuisse, quàm exposuerint Catholici, non res dico imperatorum, sed martyrum, virginum et confessorum. Illi enim in probis aut philosophis, aut principibus, nec vitia, nec suspiciones vitiorum tacent, in improbis verò etiam colores virtutum produnt. Nostri autem plerique vel affectibus inserviunt, vel de industriâ quoque ità multa confingunt, ut eorum me nimirùm non solùm pudeat, sed etiam tædeat. Hos enim intelligo Ecclesiæ Christi cùm nihil utilitatis attulisse, tùm incommodationis plurimùm. Nominibus parco, quoniam hujus loci judicium morum etiam est, et non eruditionis tantùm, in quâ liberior potest esse censura. Nam quæ morum est, hæc debet profectò esse et in vivos cautior, et in mortuos reverentior. Certum est autem, qui fictè et fallaciter historiam ecclesiasticam scribunt, eos viros bonos atque sinceros esse non posse, totamque eorum narrationem inventam esse aut ad quæstum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum est, alterum perniciosum. Justissima est Ludovici querela de historiis quibusdam in Ecclesiâ confictis. Prudenter ille sanè ac graviter eos arguit, qui pietatis loco duxerint mendacia pro religione fingere. Id quod et maximè periculosum est, et minimè necessarium. Mendaci quippè homini ne verum quidem dicenti credere solemus. Quamobrem qui falsis atque mendacibus scriptis mentes mortalium concitare ad divorum cultum voluère, hi nihil mihi aliud videntur egisse, quàm ut veris propter falsa adimatur fides, et quæ severè ab auctoribus planè veracibus edita sunt, ea etiam revocentur in dubium.

In Herodoti lucubratione rebus fictis et adumbratis quidem loci plurimùm fuit. Verùm inscriptione ipsâ ille præmonuit, non esse in eo libro historiæ rationem ad vivum resecandam. Musas videlicet inscripsit, quibus fabulæ interdùm concessæ sunt, ut audientium animos jucundiùs et suaviùs allectent, quod severitate narrationis non perindè assequerentur. Xenophon, qui, ut Fabius, lib. 10, c. 1, ait, magis inter philosophos quàm inter historicos reddendus est, optimi et absolutissimi principis formam in Cyro perfectam conatur effingere. Itaque non est ab eo expectandum, qualisnam Cyrus reverà fuerit, rex licet excellens et eximius, sed qualis futurus sit in republicâ imperator, si ad normam exemplaris exactissimi componatur (1). At in historiâ christianâ, quæ tota, ut diximus, non voluptate, sed veritate perpenditur, quorsùm attinet historiæ nomen commentis fabulisque prætendere? Quasi verò sancti Dei homines nostris mendaciis egeant, qui tàm multa vera pro Christo gesserunt, ut falsa quamtumvis licet eruditæ simulationis artificio composita, ut noxia non sint, quoniam inutilia sunt tamen, tanquàm ignavi milites oneri sint magis quàm auxilio. Heroum porrò nostrorum res verè gestæ, sicuti ego existimo, non solùm amplæ magnificæque fuerunt, verùm multò etiam majores quàm famâ feruntur. Neque eorum qui fecère, virtus tanta habenda est, quantùm eam verbis extollere potuerunt nostri ; sed tanta potiùs, ut et præclara ingenia rebus ipsis, et ingeniis præclaris verba quoque defuerint. Sed dùm quidam affectui suo nimiùm indulgent, et ea scribunt quæ animus scribentis dictat, non veritas, tales divos quandoque nobis exhibent, quales divi ipsi, etsi possent, esse tamen noluissent. Ecquis enim credat, divum Franciscum pediculos semel excussos in se ipsum solitum esse immittere? Quod ad sanctitatem viri scriptor pertinere putavit, equidem non puto, qui paupertatem sciam viro sanctissimo placuisse semper, sordes nunquàm. Illud item quàm ridiculum, diabolum Dominico, Patri nostro, semel obstrepentem, à divo esse coactum, ut lucernam haberet in manibus, quoad illa absumpta non molestiam solùm, sed incredibilem dolorem etiam afferret? Non possunt hujusmodi exempla numero comprehendi, sed in his paucis pleraque alia intelligentur, quæ divorum clarissimorum historias obscurârunt. Non autem decebat, veras sanctorum res gestas falsis et commentitiis fabulis

(1) Vide suprà notam, ad finem capitis quarti.

(1) Cicero ad Quintum fratrem : « Cyrus ille, inquit, à Xenophonte, non ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii. »

contaminari. Quæ causa Gelasio fuit, ut hujus generis historias multas in concilio septuaginta episcoporum reprobaret. Ejus pontificis verba sunt legi cognoscique dignissima, idcircò adscribenda sunt : « Gesta, inquit, « sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormento- « rum cruciatibus et mirabilibus confessionum trium- « phis irradiant, quis ità esse Catholicorum dubitet, « et majora eos in agonibus esse perpessos, nec suis « viribus, sed Dei gratià et adjutorio universa toleràsse? « Sed ideò secundùm auctoritatem antiquam, vel « consuetudinem, singulari cautelà in sanctà Romanà « Ecclesià non leguntur, quia eorum, qui scripsère, « nomina penitùs ignorantur; et ab infidelibus aut « dicta superfluè, aut minùs aptè quàm rei ordo fue- « rit, scripta esse putantur; sicut cujusdam Quirici et « Julitæ matris ejus, sicut Georgii, aliorumque passio- « nes hujusmodi, quæ ab hæreticis probantur, con- « scriptæ; propter quod (ut dictum est) ne vel leviùs « subsannandi oriretur occasio, in sanctà romanà « Ecclesià non leguntur. Nos tamen cum prædictà « Ecclesià omnes martyres, et eorum gloriosos ago- « nes, qui Deo magis quàm hominibus noti sunt, cum « omni devotione veneramur. Item vitas Patrum An- « tonii, Pauli, Hilarionis et omnium eremitarum, quas « tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum « omni honore suscipimus. Item actus beati Silvestri « apostolicæ Sedis præsulis, licet ejus qui scripsit no- « men ignoremus, à multis tamen in urbe Romà Ca- « tholicis legi cognovimus, et pro antiquo usu multæ « hoc imitantur Ecclesiæ. Item scripta de inventione « sanctæ Crucis dominicæ et alia scripta de inventione « capitis beati Joannis Baptistæ, novellæ quidem re- « velationes sunt, et nonnulli eas Catholici legunt, sed « cùm hoc ad Catholicorum manus pervenerit, beati « Pauli apostoli sententia præcedat : *Omnia probate, « quod bonum est tenete.* » Hactenùs Gelasius.

Quòd si prophetias, quæ Numinis afflatu edi solent, Paulus docet non spernendas quidem, sed explorandas tamen, ecquis nos accusare jam audebit, si historias humano sensu editas exploremus? Gelasius sanè auctor est cum concilio gravissimus, quod de prophetià ab Apostolo dictum est, hoc aptè etiam in historiam quadrare. Jubet ergò inprimis pontifex, ut eas historias nullo modo amplectamur, quæ sine certo auctoris nomine proferuntur. Olent enim aut quæstuosorum hominum imposturam, aut, quod Gelasius ipse ait, hæreticorum fœtum. Quæ eadem omninò causa subest, ut historiæ illæ valdè etiam suspiciosæ sint, quæ tametsi auctoris cujuspiam nomen præ se ferunt, sed quis ille qualisve sit, obscurum et incertum est; cujusmodi antè hos paucos dies quædam fabulæ prodière, quarum et auctores et loca adeò longo intervallo distant, ut an mentiantur illi, non possit inveniri; an hæc sint, addubitari etiam possit. Sed benè habet, quòd totum narrationis corpus commentitium apparet, ut quod Hispanorum sermone teritur, id quoque in hàc re facilè probes : *De luengas vias, luengas mentiras.* Sed ad Gelasium redeamus. Qui illius deindè erroris nos admonuit, in quo olìm non vulgus solùm, sed Gratianus etiam versatus est, ut librorum deceptus indicibus crederet, omnia quæ Hieronymi et Augustini nominibus inscripta erant, Hieronymi Augustinique verè etiam esse. Sic librum qui de Vitis Patrum inscriptus est, Hieronymi nomine, vulgus circumferebat, quùm paucissimas tamen Patrum vitas ille scripserit, quæ et hoc loco ferè à pontifice referuntur. Gelasii itaque testimonio eorum impudentiam retundemus, qui harum rerum auctorem Hieronymum pervulgàrunt, quas nemo nisi rudis atque elinguis ederet. Hujus generis fabula etiam illa est insulsa æquè ac barbara de Nativitate sanctæ Mariæ, ad Chromatium et Heliodorum episcopos. Hujus generis sunt alia multa, quæ et diligentissimè et rectissimè Erasmus refutavit. Illud etiam in his Gelasii verbis equidem animadverto, novellas revelationes (sic enim vocat) nos admirari et suspicere minimè oportere. Jam enim passìm non pro Ecclesiæ necessitate, sed pro hominum affectu expromuntur, adeò ut in Conceptionis causà utrinque, si superis placet, revelationes vel contrariæ proferantur. Quæ res impiis quidem non levem subsannandi occasionem præbet, piis verò lacrymandi. Contemnantur profectò necesse est Dei et dona et miracula, si nostris aut opinionibus, aut affectibus inservierint. Ecclesiæ igitur Christi hi vehementer incommodant, qui res divorum præclarè gestas non se putant egregiè expositoros, nisi eas fictis et revelationibus et miraculis adornàrint. Quà in re nec sanctæ Virgini, nec Christo Domino hominum impudentia pepercit, quin quod in aliis divis factitavit, idem quoque in Christi et Matris historià scribendà faceret, et pro humani ingenii levitate multa vana et ridicula comminisceretur. Cùm superioribus annis Tridentino concilio interessem, à quibusdam audivi, Aloysium Lippomanum, episcopum Veronensem, huic malo mederi, historià de Vitis sanctorum constanti ac gravi ratione editâ. Sed hanc mihi adhùc videre non licuit, nec aliam quamvis, quæ mihi quidem probari possit de his, quæ venerunt in manus. Spissum sanè erit opus et operosum, sed vehementer omnibus Christianis utile, si quis præstiterit dignum modò divis, Ecclesià, Christo. Id quod haud dubiè præstabit nemo, nisi vir probus, integer, incorruptus, ut ne quid falsi dicere audeat, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis. Quæ cùm ad probitatis integritatisque officia pertinere notum sit, miror ab uno Suetonio servata esse omnia, à plerisque nostris omnia esse deserta. Qui autem res humanas à divis, quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censent, hi divos ipsos ne homines quidem fuisse, videntur credere. Quantò sapientiùs Evangelistæ faciunt, qui vel in ipsis Apostolis, quos eramus vitæ totius exemplum habituri, nec affectus naturæ imbecilliores, nec casus etiam graviores dissimulant. Divina hæc sapientia quidem Evangelistarum fuit, sed bonitas quoque integritasque naturæ, ut nihil illis in scribendà historià deesset, quod in historiæ lege vel ethnici requisiissent.

Scriptoris autem probitas et integritas (nam hoc

quæret aliquis) in his, qui olìm fuerunt, licet aliquandò in scriptis ipsis eluceat, sed famâ et gravi atque frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscetur. Sunt enim, ut dixi, in prophanis auctoribus non pauci, quorum ingenuitas et verecundia sic hominum sermone celebrata est, ut nemo illos unquàm mendaces, et in fingendo impudentes existimaverit. Quales sunt Cæsar, Valerius Maximus, Terentius Varro, Livius, Cornelius Tacitus, Seneca, Ammianus Marcellinus, Eutropius, Flavius Vopiscus, Paulus Diaconus, Lucius Florus, Polybius, Dionysius Halicarnassæus, Julius Capitolinus, Cornelius Nepos, Strabo, aliique plures, latini præsertìm auctores. Nam Græcorum fides majori ex parte fracta ac debilitata est. Religiosus est Thucydides, et, ut Josephus ait, inter omnes Græcos historicos in primis scrupulosus. Appianus Alexandrinus, græcus licet auctor, sed quoniam hesterna et civilia romana bella memoriæ mandavit, in alienis rebus mendax non fuit, futurus in suis, si Græcorum morem et ingenium sequeretur. Quorum jactantia et vanitas impudentiùs est aucta, postquàm certare cum Latinis de imperio, de rebus gestis, de doctrinæ veritate incœperunt. Latinus siquidem fulgor et gloria Græciæ claritatem obscuravit, et adeò Græcorum perstrinxit oculos, ut vel Plutarchus, scriptor alioqui verax, in rebus Græcorum illustrandis et cæcutire et fingere interdùm etiam videatur. Quod tùm in opere de Viris illustrium græcorum et romanorum, tùm in Parallelis Ludovicus Vives animadvertit. At verò in nostris, hoc est, ecclesiasticis, facilior est ratio virtutis et bonæ fidei cognoscendæ. Optimos enim quosque apud nos non solùm humanus sermo atque existimatio colit, verùm etiam Ecclesiæ decretum in concilio cœlestium collocat. Hos itaque mendacii impudentiæque arguere, quemadmodùm suprà diximus, impietatis etiam, non modò temeritatis argumentum est. Cum his ego sanctis justisque viris Egesippum, Paulum Orosium, aliosque nonnullos Ecclesiæ historicos annumerandos censeo, qui à me brevitatis causâ prætereuntur. Non enim hìc bibliothecas excutimus, sed genera degustamus, ne quis negligentiæ nos insimulet, si ullos aut laudando, aut vituperando transimus. Sed ais : Crispus Sallustius in perditis omninò moribus veridicus historiæ scriptor est habitus. Sanè quidem. At cùm Sallustium objicis, hominem objicis, in quo si non honestatis pudor, at infamiæ ejus timor fuit, quam Romani cum primis declinârunt, ne mendaces, quemadmodùm Græci, in historiis haberentur. Deindè non mihi Sallustius videtur vitiis caruisse et gratiæ et simultatis. Certè cùm de Cicerone scribit, multa silentio præterit, quæ libentissimè in aliorum gratiam retulisset. Sed hæc duo vitia cùm historicorum ferè omnium communia sunt, tùm quorumdam quasi propria. In quibus Paulus Jovius est in quamlibet partem nimius odio et amore, gratiâ et simultate. Et quoniam pecuniam amabat, in historiâ quoque scribendâ pecuniæ servus fuit. Postremò, aliud est dicere viros bonos veraces esse omnes, aliud improbos omnes esse mendaces. Illud nos diximus, hoc non diximus. Quanquàm nescio quomodò fit, ut nusquàm securus animus nisi in viri boni testimonio conquiescat. At officio veritas adeò conjuncta est, ut in homine vitioso esse illa fortassè possit, sed esse tamen credi vix possit. Quæ causa Chaldæis Ægyptiisque fuit quamobrem non alios historiæ auctores approbarent, nisi qui sacerdotio fungerentur, quòd sanctos religiososque viros mentituros esse nullo modo existimarent. *Homo*, inquiunt, *ex Judæis quidam sacerdos venit; non decipiet nos*, 1 Mach. 7, 14. Verùm de primâ ad historiam dijudicandam regulâ hæc dicta sint.

Lex verò secunda in historiæ judicio sanciatur, ut eos historicos reliquis anteferamus, qui ingenii severitati quamdam prudentiam adjunxerunt et ad eligendum et ad judicandum. Quæ lex in iis rebus locum habet, quas res neque scriptores ipsi sunt intuiti, nec à viris fide dignis, qui viderint, audierunt. Quo in genere est operæ pretium levitatem eorum recordari, qui muliercularum more quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt. Nam et ætas nostra sacerdotem vidit, cui persuasissimum esset nihil omninò esse falsum, quod semel typis fuisset excusum. Non enim, ut aiebat, tantum facinus reipublicæ administros commissuros, ut non solùm divulgari mendacia sinerent, sed suo etiam communirent privilegio, quò illa tutiùs mentes mortalium pervagarentur. Quo sanè argumento permotus animum induxit credere, ab Amadiso et Clariano res eas verè gestas, quæ in illorum libris commentitiis referuntur. At verò quantùm illa adversùm reipublicæ administros ratio valeat, non est hujus loci temporisque disserere. Certè hoc ego pro me ipso et animi sensu ac dolore pronuntio, magnâ Ecclesiæ calamitate atque pernicie id solùm in libris vulgandis præcaveri, ne erroribus fidei adversis aspersi sint; ne sint moribus exitiales, non item. Nec de fabulis istis potissimùm excrucior, quas modò dixi, quamvis ineruditis et nihil omninò conferentibus, non dico ad benè beatèque vivendum, sed ne ad rectè quidem de rebus humanis sentiendum. Quid enim conferant meræ ac vanæ nugæ ab hominibus otiosis fictæ, à corruptis ingeniis versatæ? Sed acerbissimus est dolor, et vix omninò consolabilis, quòd dùm quidam (utinàm tàm prudenter quàm ferventer) incommodum hoc rejicere ac devitare cupiunt, non pro fabulis veras et graves historias edunt, id quod esset plebi utilissimum, sed libros mysteriorum Ecclesiæ plenos, à quibus arcendi prophani erant; id quod est, meâ quidem sententiâ, pestilentissimum, eò verò magis, quò vulgus eos libellos securiùs legit, quia probatos videt non modò à civili magistratu, verùm etiam ab iis, qui doctrinæ censores sunt in Christi republicâ definiti. Sed hæc aliàs, nunc quod instat, agamus.

Miseranda sanè hominis ignorantia potiùs quàm ludenda, qui usque adeò aut bonus, aut stultus erat, ut omni narrationi statìm crederet, si modò esset litteris prodita. Verùm invenias alios non pari inscitiâ quidem, sed imprudentiâ penè pari, qui veritatem rerum non indè petunt, ubi ea residere sit solita, sed ex iis, in quibus raro est eam invenire, nempè ex dissipatis

pervagatisque rumoribus. Quæ res plerumque iis accidit, qui sunt inconstanti levique naturâ. Nam homines graves atque severi non soleant inanem vulgi sermonem aucupari. Quanquàm negare non possumus, viros aliquandò gravissimos, in divorum præsertìm prodigiis describendis, sparsos rumores et excepisse, et scriptis etiam ad posteros retulisse. Quâ in re, ut mihi quidem videtur aut nimiùm illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt; quòd vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare. Itaque signa nonnulla et prodigia sancti quoque memoriæ prodiderant, non quò ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis viderentur. Id verò eò magis sibi licere existimàrunt, quòd intellexerunt auctoribus nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse, ea scribere, quæ vulgò vera haberentur. Nec ego hic libri illius auctorem excuso, qui Speculum exemplorum inscribitur; nec historiæ etiam ejus, quæ Legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpiùs quàm vera miracula legas; hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parùm severi et prudentis. Veteres excuso et sanctos et eruditos viros, quorum et libros et nomina volentem adscribere pudor me ac religio vetaret, nisi contrà vererer, ne mea hæc taciturnitas plerisque causa esset, ut aut damnarent quæ non intelligerent, aut errore vario circùm sanctorum omnium historias vagarentur. Atque theologum etiam admoneri operæ pretium est, ne id statìm illi persuasum sit, omnia quæ magni auctores scripserint, undique esse perfecta. Nam et labuntur aliquandò, ut ille ait, et oneri cedunt, et indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, ut dixi, interdùm etiam indulgent; nec semper intendunt animum, et nonnunquàm fatigantur, adeò ut Ciceroni Demosthenes dormitare, Horatio verùm Homerus quandoque ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Bedâ atque Gregorio jure fortassè ac verè dicere possem. Quorum ille in historiâ Anglorum, hic in Dialogis quædam miracula scribunt vulgò jactata et credita, quæ hujus præsertìm seculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum auctores, juxtà præfinitam normam, severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent. Sed quoniam modestè et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne in his quidem duobus rejicienda sunt plurima. Pauca enim in eis possis arguere, quamvis historiam ecclesiasticam revocare ad severiora judicia contendas. Ac si necesse est in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quàm multa reprobari malo. De Vincentio Bellovacensi (1) et divo Antonio liberiùs judico, quorum uterque non tàm dedit operam ut res veras certasque describeret, quàm ne nihil omninò præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ità ad historiam unamquamque existimandam, momentoque suo ponderandam non artificum staterâ, sed ne populari quidem trutinâ usi sunt. Quamobrem boni licet ac minimè fallaces viri, quia tamen nec auctores eos, à quibus suos exscripsère libros, diligenter examinàrunt, nec res justis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt, apud criticos graves atque severos auctoritate carent. Historicus autem, qui theologiæ decreto probandus erit, nec omnes schedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operam, nec priùs lecta auditaque describet, quàm ea prudenti accuratoque judicio expendat ac seligat. Sed in secundæ regulæ explicationem diximus satis.

Tertia regula sit. Si cui historico auctoritatem Ecclesia tribuit, hic dubio procul dignus est cui nos etiam auctoritatem adjungamus. Contrà verò, cui Ecclesia derogavit fidem, ei quoque nos fidem jure ac meritò derogabimus. Gelasius porrò historiam de Vitis Antonii, Pauli, Hilarionis, ac cæterorum eremitarum, quas tamen Hieronymus scripsit, cum omni honore suscepit. Acta rursùm beati Silvestri, licet non pari veneratione, sed suscepit tamen. Collaudavit Orosium Eusebii Chronica, hoc est, de temporibus, quantùm animi conjecturâ colligo, non rejecit.

Rejecit Itinerarii Clementis libros octo, Acta Andreæ, Philippi, Petri, Thomæ nominibus falsò edita, librum de Infantiâ Salvatoris, alterum item de ejusdem Nativitate, librum Pastoris, Acta Theclæ et Pauli, quæ Epiphanius usurpat interdùm, Revelationem Pauli, librum, qui Mariæ Transitus inscribitur, libellos de Pœnitentiâ Adæ, Origenis, Cypriani, Epistolam Jesu ad Abgarum, Passiones Georgii ac Quirici et Julitæ, et historiam demùm Eusebii Pamphili (1). In quâ refellendâ Gelasius magnâ, ut mihi quidem videtur, prudentiâ est usus. Nam quod Rhenanus dixit, verba hæc postrema Gelasii non esse, sed esse potiùs ab asino quopiam adjecta, hoc insolenter, rusticè imperitèque dixit. Principio quippè, pontifex ad hunc modum censuerat: « Chronicon Eusebii Cæsariensis, atque « ejusdem Historiæ ecclesiasticæ libros, quamvis in « primo narrationis suæ libro respuerit, et in laudibus « atque excusatione Origenis schismatici unum con« scripserit librum, propter rerum tamen singularem « notitiam, usquequaquè non dicimus renuendos. » Posteà verò sic censet: « Historia Eusebii Pamphili « apocrypha. » Quæ duæ sententiæ cùm contrariæ non sint, tùm sunt etiam verissimæ, et nimis quàm graviter ac severè latæ. Cur autem Gelasius historiam Eusebii apocrypham pronuntiàrit, causæ sunt sanè plures atque vehementes. Primùm in primo libro refert Eusebius epistolam Jesu ad Abgarum scriptam, quam Gelasius eàdem distinctione explodit. Fuit etiam altera causa Gelasio, quam ob rem historiam Eusebii apocrypham definierit, quòd multa ibi Clementis

(1) Non te fallat quòd Gelasius Vincentii laboriosum opus commendavit. Mendosi enim sunt plerique codices. Nam correcti et emendati Juvenci habent, non Vincentii. Alioqui Gelasius, qui multis seculis Vincentio prior fuit, propheta in eo capite fuisset, non judex.

(1) Hieronymus ad Lætam, de Instit. fil.: « Caveat, inquit, omnia apocrypha. Et si quandò ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis præponantur. »

Alexandrini testimonio confirmentur, cujus opuscula eâdem distinctione apocrypha judicata sunt. Præterea et librum sextum Eusebius texuit in laudem et excusationem Origenis. Cùm autem et discipuli Origenis magnas in Ecclesiâ tragœdias excitâssent, et Origenes ipse tanquàm schismaticus, deque fidei catholicæ viâ sæpè deflectens, fuisset Ecclesiæ judicio condemnatus, jure illius historia refellitur, qui Origenem non solùm immodicè prædicat, sed ad cœlum, perindè ut si Pater esset Ecclesiæ, extollit.

Præterea, in synodi septimæ actione quintâ, cùm Iconomachi pro se Eusebium testem excitâssent, et lecta etiam esset ejusdem Epistola, ubi Ario consentiebat, Tharasius rogavit : « Recipimus hoc? » Sacra verò synodus dixit : « Nequaquàm. Hic reliquis est nobis majore odio persequendus. » Et legati Adriani Papæ dixerunt : « Ipsa lectio indicat, quòd Arianorum sententiam sapiat. Habet enim antè lectus Eusebii liber et alias blasphemias, quas synodus audire respuit. » Sanctissimus patriarcha dixit : « Libros illius rejiciamus. « Sancta synodus dixit : « Rejicimus et anathematizamus. » Et actione rursùm sextâ, Epiphanius, respondens testimonio Eusebii, « Eusebius, inquit, ab illis in testem advocatus, qui tamen ab omni catholicâ Ecclesiâ Arianæ hæreseos defensor esse cognoscitur, quemadmodùm in commentariis suis et omnibus à se editis libris manifestum fit. » Et posteriùs : « Quis fidelium, ait, in Ecclesiâ dubitat, Eusebium Pamphili in reprobum sensum traditum Arii placitis consensisse? Nam in cunctis historicis suis libellis Filium creaturam vocat, subministrum, secundo loco adorandum. » Id postquàm ex multis libris Eusebii probavit, tandem asserit, Eusebium duplicis animi fuisse, inconstanterque synodo subscripsisse. Nusquàm enim aut librorum suorum errores depulit, aut apologiam pro se fecit; cùm tamen Arius non obscurè testaretur, se sententiæ suæ Eusebium habere studiosum ac fautorem, quâ de re videre est epistolam Arii ad Eusebium Nicomediensem, cujus initium est *Schedulæ*. Et Hieronymus ad Pammachium et Oceanum : « Ecclesiasticam, inquit, pulchrè Eusebius historiam texit, sed impietatis Arii apertissimus propugnator est. » Et ad Ctesiphontem : « Eusebium Cæsariensem, ait, Arianum fuisse, nemo est qui nesciat. » In primo certè ecclesiasticæ Historiæ suæ libro, cap. 1, Musculo interprete, Filium dicit paternæ voluntatis executorem, qui post Patrem omnium sit causa et origo. Item, cùm illum psalmi 32 versiculum attulisset : *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt*, subjecit : « Quibus verbis Propheta Patrem inducit factorem, tanquàm universalem principem regali suo nutu præcipientem ; sermonem vero Dei illi secundo loco addit, non alium ab eo qui inter nos prædicatur, paternis jussionibus obsecundantem. » Et capite secundo primùm affirmat, Patri Filium in omnium opificio administrâsse; deindè Patris ministrum in omnibus bonis fuisse ait. Meritò ergò Gelasius pontifex Historiæ Eusebii Cæsariensis auctoritatem ademit. Quid? Annon etiam absurdum est, ut qui infidelis Ecclesiæ fuerit, ei fidem Ecclesia in rebus ecclesiasticis habeat? Experimur sanè hæreticos sectæ suæ non dogmata solùm ac præcepta, sed res etiam gestas accommodare. Imò verò torquere atque adeò fingere, ut sectam undique et comprobâsse, et ornâsse videantur. Hinc enim, quemadmodùm suprà diximus, Constantinum finxit Eusebius ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, quò Arianorum factioni majorem et fidem et auctoritatem adjungeret. Hinc etiam, cùm in synodi Nicænæ mentionem incidit, dogma fidei, quo damnatus est Arius astutè dissimulavit, in Paschalis quæstionem repentè digressus. Sed ne Arii quidem unquàm in historiâ suâ meminit, callidè hominis memoriam præteriens, quem synodi auctoritate obrutus laudare non est ausus, amicitiæ lege constrictus noluit vituperare. Quæ eædem omninò causæ subsunt, ut historiam Carionis omnes Christi fideles explodant. Quosdam enim summos pontifices, viros quidem optimos, illius lacerat et cruentat oratio : quosdam verò imperatores Germanos commendat et illustrat, qui Ecclesiæ romanæ perduelles inimicique fuêre. Itaque ex unguibus leonem agnosces, hoc est, ex laude et vituperatione Lutheranum. Quanquàm Carionem Lutheri erroribus adhæsisse, non est opus conjecturis suadere. Multis quippè in locis apertè ille se prodit. Quocircà mirum est, cur ejus historia non sit cum cæteris hæreticorum libris ab Ecclesiæ judicibus explosa, cùm plerique tamen eam securi legant, nullâ prorsùs notâ atque animadversione præmoniti (1).

Sed ad Eusebium revertamur, in cujus Historiâ ecclesiasticâ satis Gelasius ostendit, cætera sibi ac concilio placuisse, dùm quædam displicuisse commonuit. Itaque si fabulam Abgari, laudesque Origenis ab Eusebio demeres, digna ejus historia esset, cui fides omninò haberetur, præsertìm si in Ecclesiæ contrà Arium pugnâ, non ab Ario, sed ab Ecclesiâ stetisset. Ac de ecclesiasticæ Historiæ libris hactenùs. Nam in Chronicis admiranda fuit hominis diligentia, magnus omninò labor, varia et penè incredibilis lectio, ac grave prorsùs in lectionis varietate judicium. Nec scio an quisquam alius inter Ecclesiæ sive latinos, seu græcos auctores, quamvis summâ vi, ope atque operâ eniteretur, præstantiora nobis posset temporum monimenta relinquere. Tametsi describentium incuriâ adeò multis locis vitiata sunt, ut dici sine animi dolore non queat. Sed ne illa quidem, quæ ibi Eusebius refert, vera sunt omnia ; quin reperias aliqua, quæ jure ac verè reprehendas. Cujusmodi illud est, quod eumdem scribit fuisse Sennacherib, qui temporibus Ezechiæ Hierosolymam obsedit, et Salmanassar, qui Samariam ceperat. Id quod divinis litteris esse contrarium, Hieronymus in Isaiæ caput 36 edocuit. Atque Tobiæ cap. 1, Salmanassar dicitur fuisse pater Sennacherib. At nihil est, ut ille ait, omni ex parte beatum ; in opere, ut ità dicam, immenso, raró peccâsse felicissimum fuit. Verùm de Eusebio hæc satis.

(1) Post scripta hæc, Carionis historiam Paulus IV condemnavit.

Sozomenus sequitur, de cujus nos fide et auctoritate dicere divus Gregorius cogit, qui historiam illius duabus præcipuè causis improbavit, unâ quòd sæpè in eâ mentitus sit; alterâ quòd Theodorum immodicè extulerit, quem constat et hæreticum fuisse, et in quintâ synodo ab Ecclesiâ damnatum. Equidem Sozomeni mendacia non excuso; græcus namque fuit, et natio hæc, ut diximus, est, fuitque semper ad mentiendum promptula. Atqui in novem ecclesiasticæ Historiæ libris, quos antè hos paucos dies Musculo interprete accepimus, nihil tale Sozomenus scribit, quale secundo loco illi Gregorius, nempè lib. 8, c. 2, objicit. Tantùm ait, Theodorum discipulum Libanii fuisse, ad quem prolapsum Chrysostomus Epistolam dederit, qui etiam posteà episcopus Mopsuestæ fuerit constitutus. Andreas certè in concilio Florentino, ubi pro Ecclesiâ latinâ respondet, hujus historici testimonium non solùm usurpat, sed etiam probat. Cùm enim imperator Paleologus interrogâsset, nùm congruum esset, ut synodus historiæ auctoritate niteretur, Andreas illi respondit, ad res gestas cognoscendas synodum historiâ uti debere. Tùm imperator : « Historiam illam, ait, in « nostrâ religione debemus suscipere, quam majores « nostri probaverunt, aliam verò minimè. » Cui Andreas : « De Romanorum, inquit, aut Græcorum, aut re- « gum bello historiâ nequaquàm in synodo uti debe- « mus; sed cùm historia hæc, scilicet Hermii Sozo- « meni, ecclesiastica sit, in quo omnium synodorum « acta et Patrum sanctorum defensiones explicantur, « cur ei credendum non est? « Hactenùs in concilio Florentino, sessione 7. Non videtur itaque hoc concilium fidem Sozomeno abrogâsse, sed habuisse. Sed huic argumento responsum facile atque expeditum est.

Illi verò alteri non video quemadmodùm responderi possit, nisi dicamus, aut Gregorium alios libros Sozomeni legisse, qui in manus nostras non venerunt, aut memoriâ lapsum, pro Theodoreto Sozomenum scripsisse. Nam Theodoreti verba illa sunt, quæ Gregorius retulit; libro quippè Historiæ suæ quinto, c. 27, Theodorum istum doctorem præclarum fuisse scribit. Et cap. 40 : « Moritur, inquit, Theodorus episcopus Mo- « psuestius, cùm omnium ecclesiarum doctor, tùm hæ- « reticæ cohortis profligator. » Theodoretus ergò erat eo nomine damnandus, qui et reverà ob hanc causam damnatus est in quintâ synodo generali, actione 5, can. 13 et 14; at Theodorus can. 12 : Meruit etiam Theodoretus eâ ex causâ damnari, quòd impiè adversùm Cyrillum et primam Ephesinam synodum scripsit, duodecimque Cyrilli capita reprehendit, quæ rectam fidem continebant. Nec verò de Theodoreto desperare quispiam debet. Nam, ut Bessarion in oratione quam pro unione apud Patres Florentiæ habuit, affirmat, suum posteà cognovit errorem, et in concilio Chalcedonensi palinodiam recantavit. Verùm ut hæccumque habeant, illiusmodi errantium patrocinia historiæ elevant et auctoritatem et fidem. Quo mihi nomine, ut cætera omittam, Socratis scholastici minùs historia placet. Etenim et Origenis ipse quoque patronus est, et Nestorium excusat, et Cyrillum mordet, et Alexandrum vellicat, et in rejectione presbyteri pœnitentiarii Homousianorum innocentiam infamat. De tertiâ verò regulâ in historiæ judicio servandâ hactenùs. Ac perspicua sunt hæc quidem, et in vulgari prudentiâ sita. Nam in quibus animi quædam major vis acriorque in judicando prudentia est, ii sine hisce regulis, exacuendo illam ingenii aciem vera deligent, rejicientque contraria. Mihi sanè aliquandò et verum ipsum in scribentis sinceritate candoreque relucet, et mendacium contrà auctoris quidam angor et calliditas patefaciunt. Sincera, mihi crede, veritas est, et si animum repurgatum invenerit, ipsa per se rectè influit (1). Falsitas circuitiones quærit et anfractus, seque verborum ambitu sollicitè circumdat ac protegit. Atque etiam cùm in historiæ ratione quid quemque deceat, considero, facilè intelligo historicos non solùm falsò, sed imprudenter res quasdam memoriæ prodidisse. Quis enim vel mediocriter prudens ab Apostoli Thomæ Joannisque Evangelistæ personâ illa non videat abhorrere, quæ in rebus eorum gestis referuntur, ut aut ille injuriæ vindictam expetierit, aut hic ruptâ veste, suumque ipsius caput tundens equum acceperit, ex Ecclesiâ, quantùm potuerit, properaverit, et senex adolescentem juveniliter fuerit insecutus. Non itaque prudentibus et ingeniosis, judicandi præcepta diligenter elaborata dedimus, sed, ut dicitur, crassâ pinguique Minervâ rudioribus. Nec verò adeò stultus ego sum, ut existimem in has formulas omnia historiæ judicia conclusa et comprehensa. Sed si quæ fuerunt præscribendæ formulæ, hæ videntur potissimùm consentaneæ convenientesque fuisse.

CAPUT VII.

In quo decimum quintum, decimum sextum, decimum septimum et decimum octavum argumenta capite tertio proposita refelluntur.

Quanquàm ex iis quæ capite superiore diximus, argumentorum eorum refutatio apparet, quæ decimo quinto loco necnon decimo sexto, decimo septimo ac decimo octavo sita sunt, sed ordine tamen refutanda sunt singula, ut scholæ etiam minutis theologis morigeremur.

Et in decimo quinto argumento quidem Philonis primùm auctoritas quæritur. Quæ sanè magna fuit, sed breviarium illud temporum Philonis non fuit, nec libellus alter de Antiquitatibus, quem constat ejusdem esse farinæ.

Josephi verò in historiâ fidem non romani modò principes, sed viri quoque Ecclesiæ celebrârunt, Egesippus bonus inprimis auctor, vir probatæ fidei, ac gravis omninò historicus, Josephum egregiè laudat in prooemio lib. 5, de excidio Hierosolymæ, quod ad historiæ auctoritatem pertinet quidem; nam quod ad religionem, consortem eum facit perfidiæ Judæorum.

(1) Euripides, in *Phœnicis* : « Veritatis suevit esse « oratio simplex, vafris non egens ambagibus. siquidem ipsa per se congruit. At sermo iniquus, quia per « se fit morbidus, medicamina exquisita deposcit sibi. »

Hieronymus non dubitat locum illi inter Ecclesiæ scriptores dare, atque adeò ejus de rebus gestis monimenta inter ecclesiasticas historias recensere. Eusebius Cæsariensis, Sozomenus, Nicephorus, ut alios omittam, miris modis Josephi historiam commendant. Quin et Josephus ipse historiam suam gravibus probabilibusque rationibus commendavit. Quæ non minorem faciunt fidem, quàm si eædem ab Hieronymo aut alio quopiam auctore positæ fuissent.

At serpentis pœnam nimiùm crassè interpretatur, vim ligni scientiæ boni et mali falsam, fictitiamque commemorat; Herodiadem scribit non Philippi, sed Herodis uxorem fuisse, qui Herodis quoque tetrarchæ frater erat (1); templum in secundo anno regni Darii dicit esse perfectum; seniorum lamentationes, cùm templi veteris amplitudinem recordarentur, non ad novum fundatum, sed ad jam consummatum refert; aliaque demùm ait partim Scripturæ sacræ, partim veris aliis ac probatis historiis adversa. Planè ait, non inficior. Sed errores fuère ignorantis, non mendacia fallentis. Neque æquum est paucis è maculis labem toti narrationis corpori aspergere. Egregius itaque historicus Josephus fuit, quemadmodùm Egesippus affirmat, et rerum indagini sobrietatique sermonum attentus. Quòd verò in temporibus notandis eum quidam reprehendunt, id jure an injuriâ faciant, non facilè dixerim. Equidem ejusmodi errata indoctis negligentibusque librariis promptè ac libenter assigno.

Julii porrò Africani quinque de Temporibus volumina in manus nostras non venerunt. Quarè de ejus historiæ fide ipsi per nos judicare non possumus. Sed exstat Gelasii præjudicium, quod in argumento objectum est, idque sequi theologos oportet de rebus ejusmodi judicaturos: « Opuscula, inquit, Tertulliani, « sive Africani apocrypha. » Quo in loco an Julium Africanum voluerit Gelasius improbare, non satis expeditum est. Primùm enim de Julio Africano nullus veterum malam opinionem habuit. Eusebius verò et Hieronymus ubique ejus de rebus gestis testimonia colunt. Nec Julius hic est in fidei doctrinâ reprehensus. Nam quòd historiam Susannæ fictam esse credidit, in eo virorum doctissimorum errorem secutus est. Atqui ob peccatum unum, cujus vel probabilis excusatio est, omnia Julii opuscula à Gelasio damnari, non fit mihi profectò verisimile. Eadem quippè culpa, si culpa fuit, Julio fuit cum doctoribus Ecclesiæ communis. Vix enim reperias quemquam, qui non in aliquo errârit. Deindè, quorsùm Gelasius, quasi nihil interesset, utrùm hic an ille damnaretur, in eam formam censet: *Opuscula, Tertulliani, sive Africani apocrypha?* Atque si duo auctores illi essent nominibus, reque etiam ipsâ differentes, more suo Gelasius utrumque sigillatim opera condemnâsset. Cùm autem Tertullianum, sive Africanum unâ comprehensione notat, non est existimandus auctores diversos, sed eumdem intellexisse. Mihi sanè hujusmodi conjecturæ suspicionem afferunt, locum esse corruptum, ut alia in hoc capite pleraque; et particulam *sive*, scriptorum vitio additam, legendum itaque esse: *Opuscula Tertulliani apocrypha.* Nisi fortè Africani cognomen quidam Tertulliano impertiebant; quocircà in eum modum sententiam Gelasius tulerit, ut sive nomine proprio, seu cognomine à quolibet vocaretur, intelligeremus esse damnatum.

Reliqui sunt Eusebius et Sozomenus, quorum auctoritas quintâ decimâ tandem argumentatione urgebatur. Verùm de his auctoribus quid senserim, capite superiore habes.

In quinto decimo argumento nullus scrupulus objectus est, qui non fuerit excussus. In sexto decimo autem Innocentii decretum primùm objicitur. Sed ille, si Ecclesiæ monimenta probat, non statim gentilium historias improbat. Sunt hæ, fateor, usui ecclesiastici fori, litiumque vulgarium parùm aptæ; quamvis et in hunc usum possint esse aliquandò utiles; sed quibus in locis, et quæstionibus, quoniam à præsenti instituto alienum est, non est operæ pretium dicere. In sacrarum verò litterarum expositione, quod in capite hujus libri secundo fusè diximus, historiæ prophanæ multùm omninò valent. Quamobrem si quæstio circà divinas litteras incidat, et concilia, et cæteri ecclesiastici judices ejusmodi historias negligere nec debent, nec verò possunt. Nec his solùm Scripturæ usibus gentium historiæ accommodantur. Quin sunt aliàs theologis necessariæ, quemadmodùm et nobis antè explicatum est, et sequentibus quoque libris explicabitur. Andreas porrò in synodo Florentinâ nihil aliud docet, nisi Græcorum aut Romanorum bella cognoscere nequaquàm ad synodum pertinere. Poterat dicere, Trojanorum, aut etiam Florentinorum. Nam Græcorum ac Romanorum bella quædam cognita utilissima sunt prophetarum vaticinationibus explicandis. Sed hæc facillima sunt; cætera persequamur. Quæ et ipsa post ea quæ retrò disseruimus, nihil difficultatis habent.

Sanè in responsionem decimi septimi argumenti ne verbum quidem unum adjiciendum censeo, quippè quòd, nisi ego fallor, in cap. 6 accuratè est ac diligenter expeditum. Duodevigesimum ergò idemque postremum, quàm brevissimè potero, expediam, quò jam sit tandem hujus loci finis.

Duo igitur argumentorum genera theologus usurpat. Unum est certum, alterum probabile. De utrisque proximo libro est latiùs disserendum. Nunc in pauca restringam. Non est necesse, theologus certa semper principia sumat. Ex incertis, probabilia sint modò, argumentationes aliquandò conficit, non ad vincendum quidem, sed ad persuadendum idonea. Stultus verò theologus ille erit, qui in omni suo syllogismo res necessarias velit rebus quoque necessariis addicere. Sunt enim nonnulla adeò implicata et obscura ut prudentiæ theologicæ sit, non ea demonstrare velle, sed suadere, non patentiùs illustrare, sed utcumque expedire.

In hujusmodi itaque argumentorum genere si quis humanâ fide probabiliter usus fuerit, falli nimirùm

(1) Cajetanus ait, fuisse binominem, eumdemque Philippum et Herodem appellatum. Sed ne Josephum quidem ipsum viderat.

aliquandò poterit, reprehendi sine injuriâ non poterit. Atque etiam, quemadmodùm suprà diximus, quædam ità certò humana fides tradit, ut ea in dubium vertere stultitiæ sit argumentum vel certissimum. Hæc si in usum suum theologus vindicârit, nihil fallax, nihil imbecillum ineptumque conficiet, sed rem veram, firmam, rationique tùm humanæ, tùm etiam divinæ consentaneam. Verùm ab his historiæ partibus, quæ sunt expositæ, quemadmodùm ducatur argumentum, satis expositum videtur. Omnia igitur argumenta theologica manare à fontibus decem, dictum est in primo libro. In decem autem sequentibus libris, cujusmodi argumenta è singulis locis erui possint ostensum est. Quæ dicta sunt fortassè longiùs, quàm instituta causa postulabat, sed breviùs certè, quàm res tantas posse à me dici existimâram. In historiæ humanæ auctoritate explicandâ, fateor, magna mihi longitudo orationis fuit. Sed nullus è locis theologiæ erat, ubi aut latior occurreret disserendi materia, aut me oporteret magis curâ, diligentiâ, industriâ elaborare. Quod etsi minùs præstiti, quàm rei magnitudo desiderabat, non tamen frustrà elaboravi. Admonere enim reliquos potui, ut accuratiùs scribant, et res vel meliores addant, vel supervacuas detrahant, vel dispersè et diffusè dictas angustiùs et contractiùs astringant; breviter, si quid nòrunt rectius istis, candidi impertiant.

DE LOCORUM USU IN SCHOLASTICA DISPUTATIONE.

LIBER XII (1).

IN LIBRUM DUODECIMUM PROOEMIUM.

Fratrem Franciscum de Victoria, lector optime, eum quem summum theologiæ præceptorem Hispania Dei singulari munere accepit, solitum dicere audivi, postquàm ab illius scholâ discessi, se ingenio meo quidem egregiè delectari, sed id vereri, ne hujus excellentiâ quâdam elatus et exultans, immoderatè jactarer, et grandior effectus, non latè modò et liberè ingrederer, sed temerè etiam ac licenter præceptoris vestigia conculcarem. Audierat enim, me opinionem ipsius unam, et item alteram non probâsse. Vellem autem de nobis ea verè dicerentur, quæ ille pro nimiâ suâ in filium indulgentiâ dicebat. Sed si minùs imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possumus, voluntate certè proximè accedimus, magistrumque conamur exprimere. Nimirùm si doctrinam meam approbet quispiam, quæ utinàm eruditorum opinione digna esset, si in rerum judicio prudentiam, quæ utinàm esset digna nostro cognomine, si orationis cultum, quem elegantiorem adhibere soleo quàm consueverunt scholastici in libris suis; in hoc sumus docti, prudentes et facundi, quòd virum hunc rerum earum omnium ducem optimum sequimur, atque ejus præceptis monitisque paremus. Quod verò ad animi moderationem attinet, quam vir in me modestissimus desiderabat, in eo dedi operam ut timorem illius ego fallerem. Effecerim, annon, alii incorruptiùs judicabunt. Sanè si qua in me temeritatis culpa est, vix eam excusatione alicujus rei tegere et adumbrare possum, qui sciam, parùm ingenium valere, quàmlibet excellens et eximium, posse, nisi prudentis intelligentiæ freno, et definitâ animi moderatione gubernetur. Quanquàm illos probare non soleo, qui velut sacramento rogati, vel etiam superstitione constricti, ut Fabii verbis utar, nefas ducunt à susceptâ semel persuasione discedere. Theologo nihil est necesse in cujusquam jurare leges. Majus enim est opus atque præstantius, ad quod ipse tendit, quàm ut magistri debeat vestigiis semper insistere, siquidem est futurus theologiæ laude perfectus. Memini de præceptore meo ipso audire, cùm nobis secundam secundæ partem cœpisset exponere, tanti divi Thomæ sententiam esse faciendam, ut si potior alia ratio non succurreret, sanctissimi et doctissimi viri satis nobis esset auctoritas. Sed admonebat rursùm, non oportere sancti doctoris verba sine delectu et examine accipere: imò verò si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos ejusdem in simili re modestiam et industriam, qui nec auctoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum ratione in contrariam vocante, transit. Quod ego præceptum diligentissimè tenui. Non enim ullam, non divi Thomæ dico, sed ne magistri mei opinionem quidem revocavi ad arbitrium meum; nec cordi tamen fuit jurare in verba magistri. Nam et vir erat ille naturâ ipsâ moderatus; at cum divo etiam Thomâ aliquandò dissensit, majoremque, meo judicio, laudem dissentiendo quàm consentiendo assequebatur, tanta erat in dissentiendo reverentia! Sed hæc hactenùs. Multa enim sæpè laudandi præceptoris nostri gratiâ dicemus. Nunc ad reliquas partes propositi operis revertamur.

De locorum usu tres libros pollicitus sum, unum in scholasticâ pugnâ, alterum in Scripturæ sacræ expositione, postremum speciatìm adversùm fidei christianæ singulos inimicos, hæreticos, Paganos, Judæos, Sarracenos. His enim rebus 12, 13 et 14 librum impartivi. Atque, ut ad præceptorem redeam, locorum usum in scholæ concertatione, præsertìm si tractare ille voluisset, gravissimè et copiosissimè potuisset scribere. Sed quoniam nulla ejus ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus eruditionis, nullum doctrinæ munus exstat, nos ad hujus rei scribendæ operam omne studium curamque convertimus. Cùm enim tota theologia

(1) Prolegomena in antecessum missa ad hunc potissimum librum spectant, quasi hujus annotationes exstarent atque supplementa, ut jam initio præmonuimus. Hinc pauca notanda vel supplenda de usu locorum nobis supererunt; si quæ tamen insuper notatu occurrent digna, neque ea prætermittemus. P. S.

frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit, nullus feracior in eâ locus est, nec uberior, quàm de locorum usu et argumentis, quæ à locis theologiæ ducuntur. Quarè quantum conniti animo possum, quantùm labore contendere, si scribendi hæc labor est potiùs quàm voluptas, tantùm faciam, ut efficiam ne, cùm omnia à præceptore mihi harum rerum principia suppeditata sint, ipse mihi, præceptori item meo videar defuisse. Hujus enim clarissimi viri eruditionem memoriæ prodimus, atque ei, etsi nequaquàm parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamque referimus. Quanquàm postulo ab iis qui hæc in manus sument, ut majus quiddam de magistro meo, quàm quantùm à me exprimi potest, suspicentur.

CAPUT PRIMUM.

Quid theologia sit, quæ ei objecta res, quis finis.

Propositum est nobis hoc libro de locorum theologicorum usu in scholæ disputatione dicere. Id quò rectè atque ex ordine fiat, optimum fuerit initio definire, quidnam theologia sit, quæ illius quasi subjecta materies, quis scopus, in quem theologo studia dirigenda sint omnia. At theologia quidem, si græcam vocem in latinam vertimus, ratio est sermoque de Deo; omnis autem, quæ ratione et viâ de aliquâ re suscipitur institutio, essentiam et potentias, quas vocant, ac cætera omnia vestigat, quæ illi rei sunt peculiariter ac propriè tributa. In theologiâ ergò facultas quædam intelligitur, quæ Dei naturam, vim et proprietates inquirit. Nec verò theologo satis est, quæ Deo in se absolutè conveniunt, ea facultatis suæ viribus juribusque tribuere, nisi etiam illa vindicet, quæ Deo quasi accidunt in ordine ad creaturas. Dei enim notionem omni ex parte rimatur. Bipartita igitur est theologiæ tractatio, una de Deo secundùm se, altera de eodem, quia rerum est principium ac finis. Nec theologus tamen summa et infirma, divina et humana miscet, sed adeò articulatè, clarè et artificiosè hæc componit illis, his illa jungit, ut non modò nullam sibi vicissim obscuritatem afferant, verùm etiam utraque utrisque adhibeant lumen. Quid, quòd sicut solem intueri nequimus adversum, ejusque radiis acies nostra sensusque vincitur, sic ac divinæ lucis obtutum mentis nostræ oculi allucinantur et caligant? Quamobrem necesse est, ut Deum suâ naturâ invisibilem in effectis ceu in umbrâ, in speculo, in imagine, in signis, in vestigiisque cernamus. *Invisibilia enim ipsius à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas,* ait Paulus ad Rom. 1, 20. Cùm verò inter omnia, quæ oculorum sensu percipimus, rationalis creatura simillima Deo sit, ad imaginem quippè Dei factus est homo, nihil profectò invenias, in quo divina bonitas, potestas et sapientia magis eluceant. Quarè theologiæ disciplina, quamvis de Deo ipsa præcipuè sit, plurimùm tamen circa homines humanaque versatur; et cùm ex homine, tùm ex iis quæ Deus homini fecit atque effecit, divinæ naturæ cognitionem quærit. Quòd si potentiam, benignitatem et providentiam Dei indagare et proferre proprium theologiæ munus est, de fine, quem Deus non alium, quàm seipsum hominibus comparavit, deque mediis ad hunc finem necessariis, virtutibus, legibus, gràtiâ, incarnatione, sacramentis, longissima licet theologi disputatio, non est ab instituto theologiæ aliena, non solùm ob eam causam, quam divus sanct. Thomas [illegible] reddidit, ne theologia, quæ effectrix etiam est, non modo speculatrix, manca et imminuta, hâc parte omissâ linqueretur; sed multò magis quòd eæ res Dei ipsius probitatem, æquitatem, virtutem, integritatem, beneficentiam, liberalitatem, misericordiam, patientiam, longanimitatem insigniter et præclarè patefaciunt et illustrant. Cujus rei ignoratio causa quibusdam erroris illius fuit, ut existimarent disciplinam hanc non esse contemplandi gratiâ inventam, sed agendi. At enim quibus argumentis utantur, videamus.

Primùm, contemplationis tractatus, inquiunt longè minor est quàm actionis. Illi enim D. Thomas primam Summæ suæ partem dedit, huic secundam et tertiam, quæ voluminis magnitudine illam singulæ etiam exsuperant. De fine rursùm, ac mediis disputare, ad eam facultatem sine dubio pertinet, quæ aliquid molitur et agit. Nimirùm non ad mentem ea, sed ad effectum referuntur. Cùm ergò de fide et mediis humanæ vitæ plurimam theologus disputationem instituat, fieri videtur, ut theologiæ vis non in cernendo potissimùm, sed in agendo sita sit. Theologiæ insuper et divinarum Scripturarum idem est finis. Nec enim finem alium disciplinæ ejusdem principia ac conclusiones habent. At divinarum omnium Scripturarum finis dilectio est, ut Augustinus Gregoriusque testantur. Non ergò theologia præcipuè ad contemplandum tendit, sed ad amandum.

Prætereà, quæ doctrina cujuspiam est speculatrix venatrixque naturæ, oculos maximè ad cernendum postulat, non ad agendum vires. Nec stultitiæ eos arguit, qui in actione torpent, sed qui sunt in speculatione tardi. At Scriptura omnis à discipulis opera exigit, eosque cessatione torpentes tanquàm vanos et otiosos reprehendit. Non igitur speculandi causâ hæc doctrina potissimè traditur, sed agendi. Ad hæc, fides in charitatem refertur, non è contrario in fidem charitas, ut ex Matth. cap. 22, et ex Apostolo, 1 Corinth. 13, colligitur. Notitia ergò principiorum theologiæ, quam notitiam fidei vocabulo accipimus, diligendi causâ primùm omnium fidelibus data est. Causa quippè, [illegible], quam finalem possumus interpretari, eadem et prima et principalis est. Quòd si notio principiorum doctrinæ hujus actuosa est, fides scilicet, quæ per dilectionem operatur, conficitur sanè doctrinam quoque ipsam ad mores primò vitæque actionem attinere. Item si fides speculatio quædam est, non moralis disciplina, unde illud Jacobi 2, 17: *Fides sine operibus mortua est?* unde illud rursùm Lucæ 1, 77: *Ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum?* Nam scientia salutis corporalis in praxim maximè spectat, in contemplationem non item. Quid illa Sapient. 10: *Dedit illi scientiam sanctorum*; et Proverb. 9, 10: *Scientia sanctorum prudentia*; et

2 Tim. 3, 16 : *Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est*, etc., *ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* ; et Joan. 20, 31 : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius;* et 1 Joan. 2, 4 : *Qui dicit se nôsse Deum, et mandata ejus non servat, mendax est*, aliaque hujus generis sexcenta, quæ in divinâ passim Scripturâ reperiuntur? Ex quibus omninò videtur effici, theologiam non esse speculatricem, sed effectricem, atque adeò finem ejus præcipuum non esse contemplationem, sed actionem. Id quod opinati sunt scholastici quidam theologi in primis clari et nobiles, qui in eà re Magistrum fortè sequuntur, hanc disciplinam ex usu et fruitione partientem. Nec intelligunt doctissimi viri (sic enim mihi modestissimum est vocare illos) alium esse finem doctrinæ, alium doctoris, vel, ut verbis differentibus rem ferè eamdem exprimamus, alium esse finem doctrinæ primarium, alium postremum, ut si, verbi causâ, dicimus vini duos esse fines, unum ad bibendum, alterum ad medendum. Charitas ergò docentis Dei, atque eâ re doctrinæ quidem hujus finis est, at non primus, sed secundus. Nam et « cognitio contem« platioque naturæ, ut ait eleganter Cicero, manca « quodam modo atque inchoata est, si nulla actio ve« rum consequatur. » *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei*, ait Sapiens, 13, 1 ; et alius item, nempè Paulus ad Rom. 1, 21 : *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*, etc. Quapropter, si ex fine secundo naturam disciplinæ consideres, jam tibi physica inter actuosas numerabitur. Quid, quòd finis noster primus, ut divus Thomas verissimè sentit, visio Dei est clara et manifesta? Quia verò finem illum adipiscimur mente et voluntate, et cognitione et amore, fit, non ut cognitio ex se ad amorem, sed ut utraque res ad visionem referatur. Quòd si cognitio viæ ex se non nisi ad patriæ cognitionem referenda est, quamvis illa non sit per se idonea, nisi ei affectus dilectioque jungatur ; visio verò Dei, cujus fides seminarium est, contemplatio potissimùm est, non affectio, sequitur theologiam maximè speculativam esse, non practicam; liceat enim, quandò de scholæ disputatione habetur oratio, scholæ verba usurpare. Adde, quòd theologia Dei naturam, potentiam et proprietatem inquirit. Est ergò Deus hujus scientiæ proprium objectum, atque adeò speculationis causa comparatur. Atque Augustinus apertè docet, in libro 12 de Trinitate, cap. 14 et 15, scientiam, de quâ Apostolus, 1 Corinth. 12, loquitur, intellectualem notionem esse et contemplationem rerum æternarum. Sine dubio autem sacra doctrina sapientia est, eâque re speculativam esse constat, quod, ut cætera taceamus, vel theologiæ nomen præ se fert. Quemadmodùm enim non solùm asserere, sed etiam addubitare stultissimum est, nùm physiologia astrologiaque speculatrices sint, an effectrices, quod nomina ipsa insigniter egregièque declarant, contemplationem rerum ingeri, non mores et actionem, tametsi medici, nautæ ac cæteri, qui rebus publicis addicti et destinati sunt, otiosam naturæ astrorumque notionem aspernantur et fugiunt; quæ actuosa est, eam et amplectuntur et colunt ; sic ambigere, theologia speculatrixne sit, an effectrix, à communi etiam mediocrique intelligentiâ et sensu remotum est; utpotè cùm nihil aliud illa sit quàm ratio sermoque de Deo; quanquàm viri prudentes vacantem illam et otiosam esse nolunt, sed ad humanæ vitæ et usum et finem accommodari. Præterea, theologia omnem de Deo cognitionem tradit, sive ea per naturæ lumen, seu divino solùm munere et illustratione habeatur. Cùm igitur speculetur quidquid de Deo cognoscere humana ingenia possunt, nimirùm aut speculativa est, aut scientia de Deo nulla esse speculativa potest. Quod licet nonnulli huic argumento dederint, adeò tamen absurdum est, ut refelli non debeat. Quid, quòd theologia nostra divinæ sapientiæ quædam impressio est, quæ eadem et speculandi vim habet et agendi? Nihil igitur obstat, cur non idem lumen vultûs Dei, quod signatum est super nos, utraque ostendat, et quæ contemplari oportet, et quæ agere. Sicut anima rationalis, quòd formarum omnium præstantissima sit, vires quidem excellentes habet, et sentiendi et vigendi, sed in eâ tamen vis intelligendi prima eademque præcipua est. Nec vires illa exercet reliquas, nisi ut proprio tandem intelligentiæ munere perfungatur.

In hunc itaque modum divus Thomas scienter ac peritè dixit, theologiam muneribus utriusque fungi, et speculandi et agendi, quamvis magis speculetur quàm agat. Non enim agit, nisi quia agendo ad perfectam Dei cognitionem tendit. Quibus rebus breviter explicatis, illa tria perspicuè satis et planè intelliguntur, quæ à principio hujus capitis exponenda suscepi, nempè quænam sit theologiæ propria notio ac definitio, quæ rursùm illi subjecta materies, circà quam ipsa versetur, quis tandem illius finis tùm primus, tùm secundus. Theologia scientia est, quæ docet, quidnam natura divina sit, et quæ naturæ ejus vires ac proprietates. Deus ipse est doctrinæ huic objectum subjectumque propositum, et quasi versanda materia : his enim modis res, quam facultas quælibet mente tractandam cognoscendamque proponit, à philosophis appellatur. Finis primarius quidem naturæ divinæ notio et contemplatio per Dei potentias, virtutes et proprietates explicata; postremus autem earum rerum actio quæ ad mores sunt, ad benè beatèque vivendum necessariæ. Et quidem quem usum loci theologici habeant, vitæ moribus et actionibus accommodatum, non institui in præsentiâ dicere : quamvis magnus ille omninò sit, et qui nobis disserendi præstaret valdè utilem copiosamque materiam. Is tantùm usus, ut suprà dixi, nunc mihi expediendus est, quem theologus capere è locis potest, si in scholæ disputationibus illos verset et tractet, cùm scilicet, quantùm potest, tantùm cognoscere curat de Deo rebusque divinis. Non autem mihi excidit, scripsisse me in libro quinto, cùm de Ecclesiæ auctoritate in morum judicio dicerem, duplicem esse de rebus theologicis quæstionem, unam, quæ ad contemplationem attineret, alteram, quæ in moribus atque usu vitæ sita esset. Quod à quibusdam sic accipi potest, tan-

quàm hoc, quod nunc habeo institutum, priori diversum sit. Id verò à me procul aberit. Namque aliud est locorum usum ecclesiasten in concione docere, ubi de moribus aut hortando, aut dehortando agitur, aliud theologum in usu locorum instituere, cùm in morum quæstionem incidit, sive illa sit earum rerum, quas scire ad salutem est necessarium, sive earum etiam, quæ fuerint opportunæ. Atque concionatoribus, quemadmodùm loca theologica usurpare debeant, præscribere, id ego hoc tempore prætereundum censui.

At quoniam quæstiones fidei et morum à theologo eâdem viâ et ratione tractantur, quùm in disputationem theologiæ veniunt, id ambigendum non est, quæ superiorum quæstionum præcepta fuerint, eadem ad sequentes pertinere. Hæc enim est una res prorsùs, ut non differat multùm inter fidei decreta et judicia morum; eaque est ex eisdem locis eâdemque propemodùm formâ tractanda. Nec verò velim, ut rursùm me quispiam in tàm frigidâ tàmque jejunâ calumniâ remoretur, quòd theologiam simpliciter et absque nullo temperamento scientiam nuncupârim, quasi nescirem, Aristotelem in scientiâ evidentem et claram conclusionis notitiam exigere. Cujusmodi quùm in principiis theologia non habeat, ne in conclusionibus quidem habere potest. Pugnat enim, rationis conclusionem dilucidam, apertam et manifestam effici, si res, à quibus illa colligitur, obscuræ, opertæ atque involutæ sunt. Porrò autem si non, ut Aristoteles, ut sacri auctores, sic nos certè loquimur, qui doctrinam hanc scientiam absolutè vocârunt. « Scire, Augustinus inquit, quemadmodùm fides « et piis opituletur, et contrà impios defendatur, pro« prio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus. « Illud autem sine dubio munus theologiæ proprium « et officium est. » Et Hieronymus, ut alios omittam, Scripturæ sacræ doctrinam, quam theologi profitemur, scientiam sapientiamque passìm appellat. Quin sacræ litteræ, ubi res certa est, ibi nullo modo sciendi vocabulum reformidant. Nota sunt illa tùm Job. 19, 25 : *Scio quod redemptor meus vivit*, etc., tùm 1 Reg. 24, 21: *Scio quòd certissimè regnaturus sis*, etc., tùm Sap. 10, 10 : *Dedit illi scientiam sanctorum;* tùm etiam Prov. 2, 5 : *Scientiam Dei invenies, quia Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus prudentia et scientia.* Et Apostolus tandem, 1 ad Cor. 12, 18 : *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ.* Præterea evidentiam Aristoteles in disciplinis flagitat, ut rerum cognitio nec fallere possit, nec mutari. Firmam enim immutabilemque notionem scientiæ vocabulum postulat. Cùm igitur quæ res in fidem ac theologiam incidunt, quâ ratione in eas incidunt, stabiles immobilesque sint, nec in eis theologus errare, labi aut decipi queat, fit, ut sine perspicuitate etiam theologia scientiæ propriè sibi appellationem vindicet. Quæ eadem causa subest, ut disciplina hæc circà res etiam contingentes, hoc est, suâ naturâ minimè necessarias, sine sui nominis impendio et jacturâ versetur. Necessitatem quippe in doctrinâ idcircò Aristoteles requisivit, quod sine eâ nec rerum nec cognitionis stabilitas et immutabilitas appareret. At causæ vel fortuitò antegressæ, harumque effecta suâpte naturâ parùm firma et constantia, ut sub theologiam et fidem cadunt, non mobilia, et quæ modò hùc atque illùc transferantur, sed certa immutataque perindè ac perennia manent. Quamobrem utraque Deus propriè scire dicitur, et quæ necessariò eveniunt, et quæ nobis in casu et fortunâ sunt proposita. Ritè ergò theologiam scientiam dicimus, in quâ certitudo immobilis, firma constantia, et, ut ità dicam, infallibilitas cognitionis est. Quid, quòd musica et astronomia à plerisque scientiæ nuncupantur, et tamen vix unus aut alter cœlorum siderumque errantium conversiones, à quibus disciplinæ illæ nunc pendent, proprio vel instrumento vel experimento exploravit? Quin astrologi ferè juniores veterum experimenta, tanquàm certa earum rerum præjudicia, sequuntur, quas ipsi tractandas judicandasque suscipiunt. Theologia igitur jure quoque scientia vocitabitur, præsertìm cùm hujus doctrinæ principiis accidat, ut obscurè nobis sint cognita. Nimirùm enim, si nobis perspicua ac dilucida forent, nihilò seciùs suum hæc disciplina et nomen et rationem tueretur. Ac reverà, si modò Aristoteles viveret, non aliud nomen inveniret, quo theologiam aptiùs et congruentiùs appellaret. Nam fidem dicere, quæ non auctoritati proximè, sed rationi et syllogismo innitatur, absurdum est. Alioqui, si prior propositio certa ex fide sit, posterior autem ratione naturæ probabilis, conclusionis fides erit, non opinio. Quod planè falsum est.

Theologiam ergò, quandò aliud melius non occurrit, scientiæ vocabulo nuncupemus. Firma enim et stabilis earum rerum perceptio et comprehensio est, quæ certis constantibusque principiis manifestâ connexione nectuntur. Nec enim illud verè dici potest, theologiæ consequentias probabiles et obscuras esse, non evidentes et firmas. Cujus rei argumentum ponunt minimè acutum, sed inprimis hebes, quòd si certa esset, claraque connexio, conclusiones non jam ad theologiam, sed ad fidem attinerent. Verùm hæc ratio ridicula est; jure itaque à plerisque reprehenditur. Est enim facile et apertum fidei theologiæque discrimen, quòd fides proximè, et ut sic dicam, immediatè auctoritate nititur; theologia verò proximè et immediatè ratione. Habent enim se, quemadmodùm suprà dixi, fides et theologia, non aliter quàm habitus principiorum, et scientia conclusionum. Et sicut naturæ lumen absque ratiocinationis medio principiorum naturalium notitiam efficit, ità lumen fidei, nullo adhibito rationis argumento, earum rerum persuasionem facit, quibus fideles assentimur, divinâ solùm auctoritate nixi. Non igitur consecutionis evidentia et firmitas theologiam tollit, sed facit; non aufert sed infert. Quanquàm sunt in hâc, sicut et in aliis disciplinis opinationes quædam rebus scitis exploratisque permixtæ. Ac quemadmodùm doctrina physica, naturæ licet ipsa congruens et consentanea, non omnes conclusiones exploratè conficit, sed quasdam probabili argumentatione suadet; sic plurima theologus pronuntiat quidem constanter, certò, fidenter, in quibusdam tamen præclarè agi secùm putat, si verisimile quod sit, invenerit. Nec arbitratur sese scire

quod nesciat; aut perindè ut si omnia certa essent theologiæ dogmata, nihil formidat, nihil ambigit; sed illud cavet et providet, ne universis temerè assentiens, et valdè cuncta asseverans, earum etiam rerum auctoritatem, quæ sunt certiores et illustriores amittat. Sed ad rem. Cùm incerta connexio est, vel altera propositio est incerta, quæ cum fidei principio sumitur, conclusionis opinio erit, theologia propriè non erit. At sive ambo syllogismi principia fidei sint, seu alterum ex fide certum, alterum ex naturâ evidens, conclusio ad theologiam pertinebit; modò consecutio aut clara luce naturæ sit, aut fidei illustratione cognita. Haud enim secùs, quod etsi dixi, sæpè ac sæpiùs dicturus sum, haud secùs, inquam, ejusmodi conclusionis scientia refertur ad fidem, quàm ad habitum principiorum naturales disciplinæ. Quæ quoniam ità sunt in promptu, ut res argumentatione non egeat, his omissis pergamus ad reliqua.

CAPUT II.

Quæ sint theologiæ principia.

Enimverò cùm disciplina omnis quosdam habeat fontes, quos scientiæ principia dicimus, quosdam deindè rivulos, quos quasi scientiæ fines, conclusiones appellamus, necesse est theologo usum locorum paraturo discere antè omnia, quænam facultatis suæ causæ et principia sint, quæ effecta causis illis principiisque connexa. Principia verò theologiæ primùm cognoscenda sunt; nam his cognitis, multò faciliùs extrema intelligemus. Sed quoniam decem locorum generibus propositis adjunximus causas cujusque generis, easque res antè constituimus, quibus cujusque vis et natura continetur, non deerit fortassè, qui tractationem hanc superfluam esse contendat, imò ea etiam omnia, quæ dicere de locorum usu instituimus. Argumentabitur enim theologiæ non alios esse fontes ac locos ipsos, quos digito etiam indicavimus, tàmque apertè et clarè singulorum vires et naturam explicavimus, ut facilè ex quoque loco possimus, nisi simus valdè tardi, argumenta colligere. Quid? (nam et hoc dicet aliquis) nonne et antè nostram hanc artem, si modò hæc ars est, theologi et argumenta invenerunt, et alia ex aliis nectentes, rem theologicam viâ et ratione tractârunt? Nùm divus Thomas, perfectus absolutusque theologus, si hanc theologiæ partem necessariam judicâsset, eam penitùs intactam omisisset? A quo non verisimile est, cùm cæteræ partes theologiæ benè descriptæ sint, extremum actum tanquàm ab inerti poetâ esse neglectum. Quid igitur labore opus est, aut in quo evigilare curas et cogitationes nostras, siquidem nihil locorum usu explicando parare tale possumus, nihil consequi, quod sit theologis magnoperè utile et necessarium? Sed non poterunt hujusmodi argutiæ mentem meam è suâ sede et statu dimovere. Ego enim sic mihi persuasi, sic sentio, has nostras de locis præceptiones plurimas res continere; quoquò se theologus verterit, præstò esse, nullà disputatione excludi. Nam sive argumentum quæritur ad theologiæ probanda dogmata firmissimum, sive ratio ad sacras litteras explicandas aptissima quæritur, aut hæc res ars est, aut nulla omninò, per quam ea assequamur. Nullam verò dicere maximarum rerum artem esse, cùm minimarum sine arte nulla sit, hominum est parùm consideratè loquentium, atque in maximis rebus errantium. Sed hæc, quibus ad locorum cognitionem et usum cohortamur, accuratiùs essent forsitan disputanda. Quod aliis quidem libris fecimus.

Hoc autem tempore tantùm nobis declarandum fuit, cur D. Thomas, diligentissimus absolutissimusque theologus, hunc de locis tractatum dereliquerit, si tàm est, quàm nos dicimus, theologo necessarius. Et quidem divus Thomas in part. 1, quæst. 1, artic. 8, ad secundum, restrictè breviterque, ut solet, theologiæ locos indicavit, non omnes, sed plerosque. Quin etiam, ut homo minimè ingratus illi me dedam, cui me tantoperè debeo, et hujus officii servitutem astringam testimonio sempiterno, divus Thomas mihi et auctor et magister fuit hujus operis componendi. Sed ille locorum ferè naturam explicuit pressè et angustè ac suo demùm modo. Non enim dilatat argumentum, sed quasi punctis, quod proponit, efficit. Rationem autem tractandi locos ipsos nec divus Thomas, neque alius quisquam, quod equidem sciam, conatus est explicare. Quod idem Aristoteles in locis dialecticis fecerat, qui locos ipsos variè ac fusè quidem complexus est, sed non ostendit, quomodò inveniendum sit ex ipsis, neque usum eorum demonstravit, qui in hâc re esset maximus et potissimus; sed usum nescio quem ad probabilium et communium argumentorum inventionem litteris prodidit, quem ignorare eruditi possunt, nec magnam eruditionis jacturam facere. Quanquàm, Topic. lib. 1, ambitiosè fortè magis quàm verè, quæ in Topicis à se traduntur, ea quatuor usus habere ipse Aristoteles jactat. Quid igitur? si divus Thomas locorum usum silentio præterivit, persecuturus, nisi aliquis casus aut occupatio consilium ejus prævenisset; aut si non res has consultò et judicio persequi instituit, certè vel non omnia possumus omnes, vel divinæ procurationis fuit, ut priores aliquid posterioribus reliquerint, in quo elaborare quoque ipsi, et exercere utiliter non solùm memoriam, sed etiam ingenium possent. Hanc igitur partem relictam explebimus nullius adminiculis, sed, ut dicitur, Marte nostro. Nec enim quidquam de locis theologiæ post divum Thomam explicatum est, quod mihi probaretur, de iis quæ in manus nostras venerunt.

Quemadmodùm igitur in re militari solet, ubi dux non satis esse putat militibus arma dare, sed docet quomodò sit ipsis utendum, manus illorum aptat, componit gradus, quandò fugere adversarium debeant præcipit, quandò insequi, quandò fidere viribus, quandò arte uti, quandò ferire hostem, quandò ejus ictus eludere; ducit deniquè in aciem, præscribit ordinem, locum assignat, de quo injussu suo non liceat eis discedere, sic mihi videor facturus, si discipulos meos et informare et instituere ad effigiem absolutæ cujusdam eruditionis volo. Nec verbis modò præfinire hæc habeo, sed arreptis etiam telis in ludicrum certamen descendere ad exemplum posterorum. Quæ tametsi non ad

vulnus, sed ad speciem valere videntur, non inutilia erunt tamen. Quidquid enim in his rebus ad aspectum venustum est, idem utiliter fit ad veram pugnam, si quandò illa cum adversariis committatur. Quòd si quis sine arte id quod artis est efficit, permittat, obsecro, mihi meîque similibus, ut artem et præcepta adhibeamus. Sunt prata quibus nativus et indigenitalis humor interiùs infusus est. Sunt quæ nisi extrinsecùs humore allapso irrigari non possunt. At disseruerunt theologi nonnulli antè me valdè feliciter. Primùm, idem erant expeditiùs certiùsque facturi, si hoc genus exercitationum nostrarum degustâssent. Quàmlibet ager fœcundus sit, fœcundiorem eum tamen faciet agricola, si diligenter et studiosè colat. Sic igitur etsi ingeniis magnis præditi quidam, copiam in theologiâ disserendi sine arte consecuti sunt, ars tamen, ut Tullius ait, est dux certior quàm natura. Aliud enim est argumenta congerere, aut potiùs spargere ac dissipare, aliud eâdem viâ et artificio premere. Nam qui sciet ubi quidque positum sit, quàque eò veniat, is etiamsi quid obrutum erit, poterit eruere, semperque esse in disputando suus. Non itaque si nulli fuerunt, qui locos artificiosè digestos generatìm composuerint, nulli qui partem hanc theologiæ dissolutam divulsamque conglutinàrint, et ratione constrinxerint, statìm nostrum hoc opusculum supervacaneum erit, imò verò eò magis necessarium doctis et ingeniosis fortassè, tardis et rudioribus sine dubio.

Deindè non mihi videntur scholastici theologi (fatendum est enim quod sentio) admodùm compositè et ordinatè disputationes theologiæ distinxisse. Divum Thomam semper excipio, apud quem mirabilis est contextus rerum, summus quæstionum et articulorum ordo, et compositio disciplinæ incredibilis, adeò respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus. Nam de argumentorum copiâ quid attinet dicere? cùm de infinitis propè quæstionibus in utramque partem disserendi tanta illi facilitas et abundantia fuerit, ut non contrà omnia semper, sicut Archesilas, disputàrit, et tamen, ut in omnibus rebus quidquid ex utràque parte dici posset, expresserit. Cæteri scholæ auctores perturbatione rationis atque ordinis multùm omninò peccaverunt; Magistrum videlicet secuti, in cujus quatuor Sententiarum libris multa quidem lectio sanctorum apparet, et pro tempore illo haud mediocris sanè eruditio. Sed præter distinctionum vocabula, in quas libri illi divisi sunt, nihil distinctum ferè videas, rectèque et ordine distributum. Testimoniorum congeriem dicas potiùs quàm dispositionem et rationem disciplinæ. De Trinitate prima est illi disputatio. Ità priùs relata quàm absoluta persequitur. Nam de justitiâ et misericordiâ Dei in quarto Sentent., quasi prætericns disputavit. De virtutibus in tertio. De vitiis quibusdam item in quarto. Innumera sunt ejusmodi confusè ab illo perturbatèque tractata. Quam ob rem scholasticis, qui hujus vestigiis inhæserunt, confusa etiam ferè ac perturbata sunt omnia. Nec Magistrum ego volo fraudare suo veteri nomine, magnum utique, ut ætate illâ, virum, et quem jure coluerint posteri. Nec scholasticorum laudi, quam multorum seculorum firmavit opinio, detrahere quidquam volo. Sed ingenuè ac liberè dico, quid in istis desideretur, quidque illi præstarent homines ingenio doctrinâque præstantes, nisi disserendi artem neglexissent. Nam quod spectat ad argumenti inveniendi rationem, fontes quosdam videntur etiam ignoràsse, adeò nulla ex quibusdam eorum fontium argumenta proferunt. Quotus enim quisque ex traditionibus Christi et Apostolorum argumentatur? Atque ex conciliis raró, ex sacris litteris non adeò frequenter, ex historiâ vix semel. At, meâ quidem sententiâ, nemo poterit omni laude esse cumulatus theologus, nisi et erit horum locorum omnium scientiam consecutus, et ex eis promptum expeditumque paràrit ad argumentandum usum. Nam de locorum naturâ et vi quidem satis fateor suprà à me dictum.

Sed in eisdem nunc non frustrà versabimur, cùm docebimus, quisnam eorum locorum usus sit, et quemadmodùm ex eis argumenta ducenda. Id quod non omnibus ità facile est, ut nec præceptis, nec exemplis nostris indigeant. Sed hæc hactenùs. Jam ad instituta pergamus. Ac ne plura, quæ sunt penè innumerabilia, consecter, comprehendam brevi, quæ sint theologiæ principia. Theologiæ naturalis et supernaturalis (hinc enim ordiendum est facilis est et expedita distinctio. Theologiam naturalem voco metaphysicam, eâ parte, quâ Dei naturam per naturæ rationes inquirit; quæ est nobis, id est, Christianis cum philosophis gentium communis. Supernaturalem autem eam dico, quæ ejusdem Dei et naturam et proprietates per principia ea investigat, quæ sunt hominibus divinitùs revelata. Revelationem porrò theologorum more hìc accipio, quæ hominis et captum superat et ingenium. Nam Paulus, ad Rom. 1, ea etiam, quæ naturali ratione et lumine cognoscuntur, Dei revelationi et manifestationi tribuit. Atque hæc supernaturalis theologia propria est fidelium et Christianorum, tantò disciplinis cæteris melior, quantò divina auctoritas, in quâ illa sustentatur, humanâ omni ratione potior et antiquior est. Rectè igitur divus Thomas docet, quòd « argumentari « ex autoritate est maximè proprium hujus doctrinæ, « eò quòd principia hujus doctrinæ per revelationem « habentur; et sic oportet quòd credatur auctoritati « eorum quibus revelatio facta est. Nec hoc derogat « dignitati hujus doctrinæ. Nam licèt locus ab auctori- « tate, qui fundatur super ratione humanâ, sit infir- « missimus, locus tamen ab auctoritate, qui fundatur « super revelatione divinâ, est efficacissimus. » Tantùm ille. Ego quoniam omnis oratio nobis de theologiâ eâ quæ est suprà naturam, instituitur, ideò hujus solùm principia, quæ et qualia sint, exponendum est.

Hoc verò ut scholæ congruenter fiat, nodos illos et proferendos, et solvendos puto, qui rem totam istam illigant et impediunt. Primus est, quòd divus Thomas paucis verbis multa peccare videtur, unum, quòd secum ipse pugnat. Modò enim ait articulos fidei esse theologiæ principia; nunc autem illa omnia, quæ in sacris litteris continentur, imò aliquandò universa etiam, quæ sunt divinitùs revelata, in quibus traditiones profectò Apostolorum sunt, quanquàm in libris

canonicis non inveniuntur scriptæ. Potestne magis secum ipse pugnare? Alterum peccatum, quòd cùm Paulus, Hebr. 11, 6, inter ea, quæ credere oportet, duo illa numeret, Deum esse, et esse remuneratorem inquirentium se, divus Thomas contrà docet illa fidei articulis minimè comprehendi, sed à fide potiùs supponi. Non sunt igitur D. Thomæ hæc theologiæ principia, siquidem non sunt propositiones revelatæ, quas fide credimus, sed naturæ lumine ab hominibus cognoscuntur; ob idque fidem ipsam antecedunt, cujus decreta ea demùm sunt, quæ in propriis theologiæ principiis habere debemus. Nec Apostolo solùm, sed rationi quoque ille divus Thomas videtur adversus, quæ dilucidè probat, Deum esse, proprium idemque primum censeri theologiæ principium. Est enim Deus, ut suprà dixi, res huic disciplinæ propriè subjecta. Omnis autem disciplina ponit inprimis, et rem sibi subjectam esse, et quid etiam res illa sit. Deum itaque esse, proprium est theologiæ principium, quia speculatrix est. Nam quia et effectrix, illud habet principium primum, Deum esse remuneratorem inquirentium se. Tertium divi Thomæ peccatum commune cum plerisque theologis, quòd cùm plurima sint à Deo revelata, non solùm iis, qui canonicos libros scripserunt, sed aliis etiam sanctis Dei hominibus, Martino, Nicolao, Benedicto, Dominico, Francisco, fidem et theologiam asserit non quibuslibet Dei revelationibus niti, sed iis duntaxat quas Scripturæ sacræ auctores habuere. Constat autem, et divinam revelationem generaliter esse fidei theologiæque rationem formalem, et fidem quibusque Dei dictis assentiri; est namque virtus, quæ Deo dicenti credit. Atque hic nodus primus in verbis quidem divi Thomæ est.

Secundus autem non modò divum Thomam, sed cæteros ferè omnes astringit. Nulla enim omninò disciplina sua principia ratiocinatione probat, sed ponit; idcircò enim positiones seu petitiones nuncupantur. At theologia ea, quæ fides tenet, ratiocinatione concludit; non ergò eadem sunt hujus disciplinæ principia, quæ et fidei decreta. Quòd verò theologia fidei dogmata argumentando comprobet, multifariàm suaderi potest. Primùm, quia Deum esse unum, immortalem, et rerum humanarum procuratorem, et cætera ejusmodi per fidem à Christianis accepta claris philosophiæ argumentis demonstramus. Tùm rursùs, quia Deum esse creatorem, fidei articulus est; id autem ratio quoque naturalis ostendit. Adde, quòd Apostolus Petrus jubet nos esse paratos ad reddendam rationem de eâ, quæ in nobis est, spe, atque ideò de eâ, quæ in nobis est, fide. Adde etiam quòd huic scientiæ attribuitur illud, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; quod ex divo Augustino acceptum omnium theologorum ore teritur. Si ergò rerum naturalium cognitio, ut Augustinus ait, fidem et gignit et nutrit et roborat; nimirùm ea quæ fidei sunt, ratione naturali theologia patefacit. Non ergò fides theologo principia tradit, nisi sua ipse principia probet; quod ab omni prorsùs disciplinâ alienum esse, adeò exploratè perceptum est et cognitum, ut non sit à me in præsentia confirmandum.

Tertius nodus ex verbis quoque D. Thomæ nectitur. Docet namque, ad fidem aliquid pertinere dupliciter, uno modo directè, sicut ea, quæ nobis sunt principaliter à Deo tradita; alio modo indirectè, ut ea, quibus negatis consequitur aliquid fidei manifestè contrarium, ut si quis neget Samuelem esse filium Helcanæ, ex quo sequitur divinam Scripturam esse falsam. Hactenùs non verbis quidem eisdem, sed sensu eodem ille ait. Et rursum alio loco affirmat, omnia quæ sunt in sacris litteris tradita, præter ea, quibus homo beatus efficitur, per accidens ad fidem spectare; ut Abraham duos filios habuisse, et David fuisse filium Isai. Quòd si ejusmodi, licèt in libris sacris expressè etiam conscripta sint, indirectè tamen et per accidens ad fidem attinent, non sunt profectò theologiæ principia. Nec enim cujusquam disciplinæ fundamenta fabricam illius disciplinæ ex accidenti et indirectè constituunt. Poteram et aliis argumentis hanc quæstionem implicare; sed verebar ne et hæc quoque lectori delicato multa nimiùm viderentur. Atque hæc, pauca licet, urgent tamen, et nihil remittunt, ut omnia ea explanemus, quæ theologiæ initiis exponendis necessaria sunt. Expediemus itaque primùm, quænam sit hujus doctrinæ ratio formalis, deindè quæ ejus nativa germanaque principia; atque in his, quæ capitalia sint, quæ verò legitima quidem, sed secundaria tamen; postremò quæ sint extranea et aliena, hoc est, adscita et accersita ab exteris disciplinis.

Formalis ratio theologiæ, quoniam illud inprimis suscepi explicandum, non est una et simplex, sed duplex et bipartita. Est namque ratio formalis rei objectæ, quia res est, quomodò Deitas theologiæ ratio dicitur. Est item ratio rei, ut mentem ad assentiendum movet, quemadmodùm veritas prima revelans theologiæ habetur ratio. Sic rationes videndi intelligimus et colorem et lucem; colorem quidem priore modo, lucem autem posteriore. Atque illam quidem vocant rationem *quæ*, hanc rationem *sub quâ*. Puto nobis concedi oportere, ut scholæ verbis utamur, si quandò minùs occurrent latina. Quin latina etiam interdùm relinquenda sunt, ne in scholasticâ disputatione non tàm explicâsse res quàm verba affectâsse videamur. Quia verò de ratione formali rei huic doctrinæ subjectæ, quia res est, nulla esse potest inter viros doctos controversia, de ratione formali ex parte habitûs et potentiæ cognoscentis hujusmodi conclusiones statuo.

Prima est : Ratio formalis fidei non est ratio theologiæ formalis. Nam si theologiæ principia lumine prophetiæ cognoscerentur, aut lumine etiam gloriæ beatorum, conclusiones nihilò seciùs ad theologiam pertinerent. Erat enim Christus Dominus longè omnium, quicumque fuerunt, theologiæ divinæque naturæ cognitione princeps, qui tamen sine fide conclusionibus theologiæ assentiebatur. Exigit quippè fides in ratione suâ formali obscurum quiddam et invisum, cùm sit substantia rerum sperandarum, et argumen-

tum non apparentium. Theologia verò evidens quoque et clara esse potest. Nam est ratio sermoque de Deo. Atque inter prophetiam et fidem, si divo Thomæ credimus, nonnihil interest; nec lumina sunt eadem, quibus vates ad vaticinandum, et fideles ad credendum illustrantur. At si vates illustratione suà illa theologiæ principia cognoscat, et ea, quæ consequuntur ac repugnant, ratiocinando colligat, theologus profectò erit, tametsi theologiæ ejusmodi ratio formalis non fidei lumen sit, sed prophetiæ.

Secunda conclusio est : Esse revelatum à Deo, lumenve divinitùs infusum, est ratio theologiæ formalis, sive illud lumen fidei sit, seu prophetiæ, seu gloriæ. Theologia namque supernaturalis, de quâ nunc loquimur, lumen aliquod naturâ ipsâ superius generaliter ad principia cognoscenda requirit; sed quale id in specie futurum sit, nec nomen theologiæ, nec notio propria definit. Verùm, quia theologi non de beatorum, sed de viatorum theologiâ disputant, nec quærunt quid disciplinæ ipsi, sed quid naturæ nostræ consentaneum sit, idcircò ferè asserunt, theologiæ principia per fidem à theologo intelligi. Lumen quippè prophetiæ, vel quoniam rarum est, generali præceptioni nihil obstare creditur; vel quoniam est, ut lumen fidei, obscurum, in lumine fidei communiter et confusè intelligitur. A quâ nos consuetudine minimè abhorrentes, theologiæ nostræ principia per fidem accipi oportere sæpè dedimus.

Undè illa tertia conclusio nascitur, theologiæ nostræ formalem rationem eamdem ac fidei esse, tametsi aliter ad assentiendum principiis movet, aliter ad assentiendum conclusioni. Illis, inquam, sine medio, syllogismo et ratione, huic ratione et syllogismo intermedio. Quo discrimine, ut diximus, theologia et fides non verbis et cogitatione, sed universâ re et toto genere secernuntur, quamvis utriusque ratio eadem formalis sit. Sanè D. Thomas multis in locis fidei nomen, ut videtur, existimat patere latissimè, idque versari in omnibus, quæ à Deo sunt dicta et revelata, sive auctoribus sacris atque canonicis, sive aliis quibuscumque divino quodam Spiritu afflatis. Quod si verum est, ratio fidei formalis longè etiam latèque patebit, ut non solùm contineat revelationes Prophetis et Apostolis factas, sed eas etiam, quæ cæteris quoque sanctis Ecclesiæ Dei factæ sunt; imò illas etiam, quas viri interdùm improbi divinitùs habuerunt, ut Balaam et Caiphas, quorum prædictiones ad fidem attinere, ne dubitari quidem potest. Eadem ergò causa subest, ut cætera etiam, quæ quibuslibet aliis revelata à Deo sunt, ad fidei rationem referantur. At enim, part. 1, quæst. 1, art. 8, ad secundum, ut inter argumentandum objecimus, verbis nihil obscuris docet, fidem nostram non niti revelationibus aliis præter eas, quas Apostoli et Prophetæ, auctores videlicet canonicorum librorum, ediderunt. Id quod Paulus confirmat, quo loco ait, *fideles esse superædificatos super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* Nulla igitur alia nisi Prophetarum, Christi Apostolorumque doctrina fidem Ecclesiæ fundat, nulla alia theologiæ principia continet. Eadem enim sunt disciplinarum principia ac fundamenta. Adde quòd fides est virtus theologica cum religione Ecclesiæ ergà Deum conjuncta et sociata. Non ergò quæcumque à Deo revelata ad fidei virtutem pertinent, sed ea tantùm, quæ ad Ecclesiæ etiam religionem pertinebunt. Quia verò nihil Ecclesiæ refert, ea credere, annon, quæ Brigidæ Catharinæque Senensi visa sunt; nullo certè modo ad fidem illa referuntur. Adde etiam quòd fides, de quâ hìc sermo fit, non est privata virtus, sed communis. Eâ enim re catholica dicitur, hoc est universalis. Quocircà privatæ revelationes, cujusmodicumque et quorumcumque illæ sint, ad fidem catholicam non spectant, nec ad fundamenta et principia ecclesiasticæ doctrinæ, quæ vera germanaque theologia est. Cujus rei illud item non leve argumentum est, quòd quæ non per Ecclesiam et ejus publicos administros fidelibus proponuntur, illa non credit catholica fides. Videlicet æquum erat, ut quæ ad rempublicam generaliter attinerent, hæc non privati quivis homines ad eam retulissent, sed ejus communes omninò administri. *Fundamenta ejus*, inquit, Ps. 86, 1, *in montibus sanctis.* Id quod explicaturus statìm adjunxit : *Dominus narravit in scripturis populorum et principum horum, qui fuerunt in eâ.* Scripturæ ergò privatæ non sunt fidei ecclesiasticæ fundamenta, sed Scripturæ populorum, quas nobis principes Ecclesiæ tradiderunt. Quamobrem in principiis theologiæ nostræ non ea sunt habenda, quæ privatè et singulariter quibusdam hominibus significata à Deo sunt, sed quæ communiter et publicè Ecclesiæ suæ locutus est Deus. Id si consentaneum est, ut videtur certè, necessariò fit consequens, ut ratio fidei theologiæque formalis non sit tàm diffusa et ampla, quàm nonnullis apparet, sed multò astrictior atque contractior; ut intelligatur esse veritas prima Ecclesiæ revelans ea quæ ad religionem attinent. Id quod sine dubio fidei constantia, certitudo et firmitas requirebant. Nullo enim loco firma stabilisque ac fixa consisteret, si privatas revelationes sequeretur.

Nec mihi quisquam angelorum in viâ fidem et religionem objiciat, quibus nescimus an Deus, quæ credere illos oportebat, per se hæc, an per aliquem publicum administrum angelum superiorem proposuerit. Illud dico, in angelis quoque communem fuisse fidem, communem revelationem, quæ non privatæ usurpationis esset, sed publicæ religionis. Nam quod objiciebatur de Balaam et Caiphæ prophetiis, hoc facilè rejicitur. Non enim illorum verba ad fidem spectant, quia dixerunt illi, sed quia auctores sacri scripserunt. Ac formalis theologiæ ratio quænam illa sit, breviter quidem, sed non indiligenter exposui.

Sequitur ut explicem, quæ sint hujus disciplinæ propria legitimaque principia. Quâ in re video, nihil nos laborare oportere. Facilè enim è rebus positis intelligitur, omnia, quæ sunt per sacros auctores Ecclesiæ divinitùs revelata, in propriis theologiæ principiis habenda. Non ea solùm dico, quæ auctores sacri scripturis suis prodiderunt, sed quæ verbo etiam posteri-

commendârunt. Id quod explanatum est in tertio hujus operis libro diligentissimè. Auctores autem sacros appello, non eos modò qui libros canonicos scripserunt, verùm etiam Christum Dominum, qui et vitæ et doctrinæ catholicæ primus est auctor, et Apostolos, qui ministri fuère sermonis. Nec si conciliorum et apostolicæ Sedis auctoritas fidem certam facit catholici dogmatis, aut sanctorum etiam omnium consensus et conspiratio una, idcircò aut principia theologiæ cumulamus, aut ejus formalem rationem extendimus. Quoniam, ut sæpè aliàs diximus, nec concilia, nec Sedis apostolicæ pontifex, nec sancti Scripturarum interpretes novas fidelibus revelationes edunt, sed quas ab Apostolis accepit Ecclesia, aut posteris integras et illibatas tradunt, aut illas exprimunt et interpretantur, aut certè consequentia et connexa colligunt, adversa et repugnantia manifestant.

Principiorum itaque theologiæ numerus è libris sacris atque Apostolorum traditionibus integerrimè constituitur. Quamobrem duobus primis locis contenta sunt omnia, quæ in initiis theologiæ veris et germanis numeranda sunt. Sed his initiis tanquàm seminibus ab Ecclesiâ datis, quæ Christus Apostolis, Apostoli Ecclesiæ dederunt, pastores et doctores ac theologi in universum omnes ea rigant et excolunt, et quæ plantæ, traduces, propagines ex eis oriuntur, proferunt et ostendunt. Illa fundamenta sunt theologicæ ecclesiasticæque doctrinæ, quæ Christus per Apostolos posuit, cæteri sive concilii Patres, sive pontifices summi, seu Ecclesiæ doctores, sancti omninò superædificant. Nam *fundamenta alia nemo potest ponere præter ea, quæ posita sunt*, Apostolorum et Prophetarum, *ipso summo angulari lapide Christo Jesu*. Enimverò disciplinarum principia non eodem gradu locata sunt omnia. Quædam enim simpliciter prima sunt, quæ vi suâ generali cætera continent; ut in metaphysicis illud : *Impossibile est simul affirmare et negare;* qualia in theologiâ sunt illa : *Deus est;* et : *Est remunerator inquirentium se;* in quibus tanquàm in primis credibilibus omnes fidei articuli implicitè continentur, quemadmodùm div. Thomas eisdem quoque verbis affirmat. Alia sunt principia præcipua quidem et immediata, sed contractiora tamen quàm illa communia, quæ erant cæterorum omnium quasi fontes. Hujus generis in physicis ea sunt : *Res naturales materiâ formâque constare; naturam esse principium motûs et quietis;* in theologiâ verò articuli fidei capitales, qui, ut D. idem Thomas ait, primò et per se credendi fidelibus proponuntur. Nimirùm enim de Deo, qui est res theologiæ subjecta, ea articuli enuntiant, quæ vel ex perpetuâ æternitate in Deo insunt, vel humanæ salutis ergò disposita in tempore ac dispensata sunt. Eumdem quippè Deum, qui trinus et unus est, qui creavit mundum, qui et impios facit justos, et felices pios, eumdem, inquam, credimus et hominem factum, et natum, et mortuum, et sepultum, et suscitatum, et elevatum in cœlos. Jure igitur hæc prima sunt et propria theologiæ pronuntiata, quæ à nobis de subjecto disciplinæ nostræ, vel maximè supponuntur. Initiis enim his principalibus non concessis, theologus progredi ne digitum quidem potest. Ac sunt priora illa similia iis, quas philosophus appellat dignitates. *Accedentem* namque *ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Quicumque igitur disciplinam aliquam supernaturalem discere parat, eum necesse est duas illas generales prænotiones animo antè cepisse. Quæ dignitatum nota propria atque insignis est. At hæc posteriora principia suppositiones theologiæ non injuriâ vocabuntur. Eas enim theologus discipulo suadere quodam modo aut explicare certè valet. Sed præter hæc duo principiorum genera, sunt alia non propter se potissimè petita, sed, ut D. Thomas sentit, eorum quæ sunt potissima, explicandorum gratiâ. Cujusmodi sunt, inquit, præter articulos fidei, omnia quæ in sacris litteris assumuntur, vel Dei naturâ et majestate explicandâ, vel exponendâ ipsius in homines benevolentiâ rerumque omnium procuratione, quæ illis essent utiles et necessariæ. Hæc verò tametsi non fidei sunt, nec theologiæ præcipua capita, sed his ex accidenti conjuncta, et quasi principia secundaria; accipit tamen ea theologus, non aliter ac philosophus principia per se nota, sine medio et ratione, perindè ut articulos fidei acceperat. Hæc enim quasi naturalis atque insita in animis fidelium notio inest, ut quidquid ab Apostolis scriptum traditumque est, verum esse sentiant. Ac theologiæ legitima germanaque principia hæc sunt. Nam quæ vel à metaphysicis, vel à physicis, vel à mathematicis, vel à reliquis demùm naturæ disciplinis adsciscit, perspicua per se evidentiaque principia, non ex suâ sumit vi atque naturâ, sed foris inventa in proprium usum mutuatur, aut certè jure quodam suo vindicat. Forsitan quispiam dixerit : Nonnè igitur multæ variæque erunt rationes theologiæ formales? siquidem multarum disciplinarum varia item principia sunt. Minimè verò. Non enim ex adjunctis et extrinsecùs attributis doctrinarum formalis ratio petitur, sed ex propriis nativisque principiis. Atqui in theologiâ horum omnium una et eadem ratio formalis est, nempè fidei lumen supernaturale. Quæ igitur sint theologiæ principia, tùm germana, tùm aliena, atque ex illis quæ prima, quæ secunda, ex primis verò quæ generalia, quæ quasi in speciem contracta, satis, ut reor dilucidè apertèque docuimus. Quibus ex rebus intelligitur, è decem locis duos primos propria et legitima theologiæ principia continere, tres postremos externa et aliena; nam quinque intermedii aut interpretationem principiorum propriorum continent, aut eas, quæ ex his ortæ et profectæ sunt, conclusiones. Hæ cujusmodi in theologiâ sint, statìm explico, si priùs argumenta refello quibus suprà usus sum, quùm de principiis ejusdem theologiæ quærerem. Ad quas ipsas argumentationes ex superioribus dictis satis multa responsa sunt, quibus perspici possit, adversùm D. Thomam, quem vel maximè impugnant, eas nihil habere virium. Tanta vis est veri, ut speciem falsitatis obscuret, si modò id patefactum et illustratum est. Sed singulis tamen respondere volumus, ut rudiorum ingenio morigeremur.

CAPUT III.

Capitis superioris argumenta refellit.

Primum ergò argumentum tria D. Thomæ falsa peccata objicit, quorum unum jam omninò depulsum est. Ecquid enim illa pugnant, articulos fidei primaria esse theologiæ nostræ principia, sacras autem litteras continere etiam secundaria? Quia verò non omnia continent, sed pleraque, illud etiam his valdè consentit et congruit, divinam veritatem sine scripto quoque rationem esse fidei formalem. Sunt enim quædam verbo tenùs Ecclesiæ tradita, quæ in theologiæ veris germanisque principiis habentur. Prima itaque calumnia adhibita nihil premit. Quæ secundo loco adhibetur, ea pressiùs urget. Sed si, cùm animum attenderis, videas de Deo nos duobus modis loqui posse, tunc hæc etiam calumnia contundetur. Intelligendum ergò, sermonem de Deo dupliciter haberi : aut quia principium est finisque naturæ, aut quia suprà naturam est et principium et finis. Sanè quamdiù præstantem æternamque mentem intelligimus solutam à corpore et liberam, segregatam ab omni concretione mortali, quæ omnia sentiat et moveat, quæ cœlum ac terras tueatur ac regat, ad quam res universæ quoquo modo possunt, contendant et enitantur ut veniant; tamdiù Deum naturaliter intelligimus, tamdiù de eo naturaliter loquimur. At si consideremus Deum ipsum potiore quodam lumine nobis ostensum, quo apparet in unâ deitate trinus, in effectis suprà naturam admirabilis, omnium ejusmodi effectorum supernaturalium et prima causa efficiens et postremus finis, atque adeò creaturæ rationalis una et summa felicitas; tunc ratio Dei multò alia, sermo longè diversus est. Cùm igitur Paulus, inter ea quæ credere necesse est, duo illa ponit, Deum esse, et esse remuneratorem inquirentium se, Deum intelligit, non ut naturæ oculis cernitur, sed ut illustratione superiore apparet supernaturalium rerum primum principium, ultimusque etiam finis. Quo sensu divus Thomas secundâ secundæ, quæstione primâ, articulo septimo, ait omnes articulos in primis illis credibilibus contineri, scilicet ut credatur Deus esse, et providentiam habere circà hominum salutem. Cùm autem aliis locis affirmat duo illa in fidei articulis non esse, sed à fide potiùs supponi, de Deo juxtà naturæ lucem loquitur. Quemadmodùm enim gratia supponit naturam, ità cognitio gratuita cognitionem naturalem, ut idem divus Thomas refert. Frustrà verò eum fidei doctrinâ velis imbuere, qui non habeat duas illas naturæ anticipationes, Deum esse, et habere hominum providentiam. « Nulla porrò gens tàm fera est, ut ait Cicero, de Naturâ Dei, lib. 2, quæ non, etiamsi ignoret qualem « Deum habere deceat, tamen habendum sciat. Qui « autem Deum non prænoverit procuratorem esse « rerum humanarum, atque adeò hominum rectorem « et judicem, is longissimè abest à nostrâ disciplinâ. « Quòd si judex hominum et rector Deus est, si etiam « alio modo intelligi non potest nisi summâ sapientiâ, « justitiâ et potestate præditus sit, ut et præmia virtutibus parata habeat, et supplicia vitiis. Nec enim « ulla omninò respublica, quod Solon verissimè dixit, « nisi duabus rebus contineri potest, præmio et pœnâ. « Quæ causa Platonem movit, ut quoniam videbat optimos sæpè viros pro rebus præclarè gestis nullo in « hâc vitâ præmio virtutis, nullo insigni honoris, nullo « monimento laudis decoratos, assereret animos immortales officii præmium et fructum aliquandò accepturos : absurdum quippè esse, ut verus, justus et « honestus labor honoribus, præmiis, splendore careat, si qua est in cœlo pietas, si quod numen, quod « talia curet; non itaque aut campos Elysios aut Sisyphi saxum, Ixionis rotam, Tantali sitim poematis « solùm esse, sed historiæ. Nam ut ficta sint à poetis « isthæc omnia, veri tamen significandi gratiâ ficta « sunt, ut utilissima illa, verissimaque sententia in « animis hominum inscriberetur : rectè factis præmia, « peccatis supplicia deberi. » Quò magis Cajetanum miror, qui in Epistolam ad Hebræos multò omninò et à sensu Apostoli, et à verâ naturæ institutione descivit. Atque eum in errore secuti sunt quidam, non satis diligenter, nec Pauli consilium, nec vim rationis attendentes. Sed ut perspiciat lector undè omnis iste natus sit error, totam rem aperiam, eaque ipsa verba subscribam, quæ ab inventore et quasi architecto hujus opinionis dicta sunt : « Qui non credit Deum esse, ait, nunquàm accedet ad eum. « At si objeceris hoc non congruere iis qui evidenter cognoscunt demonstrativâ scientiâ Deum esse, « tales enim, cùm videant Deum esse, impossibile est « quòd credant Deum esse, cùm fides sit argumentum « rerum non apparentium; solutio est, quòd doctrina « hæc in communi datur, et propterea dicitur in communi, quòd oportet credere, quia est. Longè autem « melius esset, si non crederet, sed sciret, quia est. « Sed hoc rarum, aut rarissimum est. Alterum verò, « quòd Deus inquirentibus se remunerator sit, scilicet « in futurâ vitâ, oportet fide teneri, quoniam nulla « scientia speculativa hoc attingere potest, et sine « hujus rei fide nullus accedit ad Deum. » Hactenùs ille. Quo in loco universâ ratione meâ cum illius totâ confligendum puto. Primùm ergò, si placet, quæ de illo principio : *Deus est*, sunt à Cajetano dicta, videamus. Atque illud videns prudensque prætereo, longè melius esse scire, quàm credere. Id quod verum esset, si de humanâ fide loqueretur. At fides, quæ Deo dicenti innititur, multò certior et potior est, quàm ea scientia, quæ ingeniorum nostrorum ratione constat. Sed hæc ostendere non est præsentis loci et temporis. illud propriè hujus disputationis est, si Pauli sententiam in communi, et de iis quæ frequenter eveniunt, intelligamus, tunc totam nos Pauli argumentationem eludere. Conabatur siquidem Apostolus eo capite monstrare veteres omnes, quotquot à Deo probati sunt, testimonio fidei probatos esse. Cùm verò in enumeratione Enoch quoque inter cæteros induxisset, non aliter ostendit illum fide esse probatum, nisi quia ante translationem testimonium habuerat placuisse Deo. Quâ propositione à sacris litteris positâ, è vestigo assumptionem adjunxit : *Sine fide autem impossi-*

bile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, etc. Hoc verò argumentum, quo assumptionem illam probat Apostolus, vanum et imbecillum est, si demus non oportere semper credere accedentem ad Deum, quia est, sed aliquandò, raró tamen, satis esse scire. Refellemus enim argumentantem Apostolum eà responsione, quòd fieri potest, idque melius esse, ut quis sciat esse Deum, quo casu non oportebit credere Deum esse. Itaque fiet, ut non sit impossibile sine fide placere Deo; Enoch autem unum ex eis esse, qui non credebant, sed sciebant esse Deum. Quemadmodùm ergò cùm Apostolus ait : *Sine fide impossibile esse placere Deo,* non in communi et ut plurimùm loqui intelligendus est, sed semper ac de singulis hominibus viatoribus, sic quùm causam ejus rei reddit, inquiens : *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est,* eodem modo intelligitur nullum omninò excipere, sed de omnibus, atque de omni tempore loqui, si illa ipsius argumentatio quidquam habitura est, ad faciendam fidem, virium.

Jam verò quod ad sequens principium attinet, Cajetanus in hoc defendendus est, quòd dixerit, per nullam speculatricem scientiam cognosci evidenter posse, Deum esse remuneratorem inquirentium se, si de remuneratione supernaturali intelligit. In nullà verò scientià ostendi præmium aliquod justos, sapientesque viros manere post mortem, hoc Cajetanus generaliter videtur asserere, hoc cogor ego improbare. Chrysostomus porrò, hom. 4 de Provid., tradit, qui animi immortalitatem in dubium vocant, eos addubitare, nùm in meridie sit dies : « Si enim, inquit, negant animos esse immortales, negant supplicia improborum « post hanc vitam, negant præmia justorum. Provi« dentiam itaque Deo negant, atque adeò divinitatem, « quæ sine providentià intelligi non potest. Nam si ii, « qui Deum ritè colunt, injuriis affecti migrant, impii « contrà injustà felicitate potiti, non ergò justitia in « Deo est, si suos non potest honoribus præmiisque « donare; quòd si Deo aut potentiam, aut justitiam, « aut oculos ad cernendum tollis, Dei vocabulum inane « fit. Omni namque ratione concluditur, ut si nullo « præmio afficit eos, qui inquirunt illum, ne Deus qui« dem ullo modo sit, nisi Deum aut cæcum, aut im« becillum, aut iniquum habeamus; cæcum, qui suos « non videat, imbecillum, qui dare præmia non possit; « iniquum, qui nolit. » Qui igitur negat alterum, is utrumque tollat necesse est : et si non habet remuneratorem inquirentium se, ne Deum quidem habeat oportet. Illud quoque vix intelligo, quid sibi Cajetanus velit, cùm ait nullam scientiam speculativam hoc attingere, an Deus sit remunerator inquirentium se, undè colligit oportere ut id fide teneamus. Quid enim si nulla speculatrix scientia illud assequitur? Nonnè satis erit, si aliqua effectrix assequatur? Mihi quidem illud persuasum est, quemadmodùm Deum, hoc est, primam causam efficientem esse, speculatrix naturæ disciplina declarat, ità et effectricem quoque naturæ ejusdem disciplinam, Deum esse omnium postremum finem, ostendere, neque hoc solùm, sed illud etiam, naturæ leges aliquem habere et auctorem et judicem; nisi fortè sola hæc lex deserta sit, quæ nullum legislatorem habeat, aut si quis jura hæc mundo præscripsit, nullà juris hujus servandi curà tangatur. Quòd si tàm ignarus est, ut nesciat præmia et honores virtutem alere, jacereque eam semper, si præmiis et honoribus destituta sit, indignus profectò est, ad quem auctorem et judicem sanctissimas naturæ leges referamus. Quocircà si de Deo divinâque remuneratione sermonem facimus, quatenùs naturæ lumen ostendit, utrumque in hoc lumine agnoscimus, et Deum esse, et esse remuneratorem inquirentium se. Quia verò ut Deo placere possimus, non sat est ipsum cognoscere principium esse, auctoremque naturæ, sed oportet in Deum ferri, quia finis est supernaturalis, atque adeò suprà naturæ vires eminens et excellens, rectissimè, ut in universum dixit Apostolus, accedentem ad Deum, finem utique supernaturalem, oportere credere, quia est, etc. Nam quod naturalis ratio docet, id scire ad supernaturalem hunc accessum non est satis. Habemus quippè accessum ad Deum per fidem. Quòd autem Paulus de accessu ad finem supernaturalem, de remuneratione quoque supra naturam loqueretur, illa manifestè demonstrant : *Expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus;* et posteriùs : *Nunc autem meliorem* patriam *appetunt, id est, cœlestem; ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis civitatem.* Et rursùm : *Aspiciebat in remunerationem : invisibilem enim tanquàm videns sustinuit.* Et deniquè : *Non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem.* Atqui hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. Sed crimen illud, quod D. Thomæ secundo loco inferebatur, satis, ut mea fert opinio, dilutum est. De tertio verò peccato nihil est necesse illum purgare, quùm jam explicatè docuerimus, fidem theologicam, de quâ in præsenti disserimus, non quibuslibet Dei dictis assentiri, sed iis, quæ duntaxat et ad fidelium communem religionem spectent, et communes Ecclesiæ administri denuntient. Ac primum nodum solvimus quidem, secundus verò expedietur hoc modo.

Quæ sunt fidei, ea sunt in duplici differentià. Quædam enim simpliciter, et apud omnes fidei sunt, ut quæ rationem superant naturalem. Alia fidei dicuntur esse non per se quidem, sed quasi per accidens divinitùs revela, propter eos, qui eorum demonstrationem et evidentiam non habent, ut Deum esse, et esse unum, eumdemque æternum, sapientem, justum. Quas res omnes licèt in naturæ lumine videamus, populo tamen rudi Deus providentissimè revelavit, quemadmodùm D. Thomas 2-2, q. 1, art. 5, et q. 2, art. 4, explicuit. De Deo rursùm dupliciter loqui possumus, quâ divisione primo argumento diluendo utebamur, vel quia est principium finisque naturæ, vel quia principium et finis est suprà naturam. Priore modo Deum esse, esse unum, immortalem, sapientem, et hujus generis reliqua, naturale lumen ostendit; posteriore autem illa

eadem sola fides tenet. Undè et D. Thom. 2-2, q. 1, art. 8, cùm in primo argumento opposuisset, Deum esse unum, non oportere in articulis fidei computari, quòd sciri per demonstrationem posset, respondet quòd « multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione philosophi investigare non potuerunt, « puta circà providentiam ejus et omnipotentiam, et « quòd ipse solus sit colendus. Quæ omnia continentur « sub articulo unitatis Dei. » Hactenùs ille. Loquitur autem de providentiâ et omnipotentiâ rerum etiam supernaturalium. Et q. 2, art. 2, ad 3 : « Credere « Deum, inquit, non convenit infidelibus sub eâ ratione, quâ ponitur actus fidei, etc. » Quæ calumniam fortassè non effugient, nisi ad hujus distinctionis normam revocentur. Quibus rebus expositis, D. Thomas apertè docet, ea quæ propriè et per se fidei sunt, nullâ posse naturali argumentatione patefieri. Quin primâ parte, quæstione 32, articulo primo, illos arguit quasi fidei inimicos, religionique nostræ etiam noxios, qui ea, quæ fidei sunt, naturæ rationibus conantur ostendere. Quòd si quæ argumenta fidei decretis comprobandis sancti doctores afferunt, congruentia illa esse, non evidentia, probabilia, non necessaria, suadere, non cogere, adducere, non cogere, adducere, non evincere. Lumen enim naturale id patefacit et illustrat, quod naturæ congruens ac consentaneum est. Cùm ergò fides, ut sæpè diximus, rerum earum propriè sit, quæ hominum naturam et ingenium exsuperant, fit, ut res ejusmodi nullo monstrari naturæ lumine, nullâ confici naturæ ratione queant. Quòd si fides substantia est rerum sperandarum, ut ad Hebræos Apostolus ait, spes autem quæ videtur, non est spes, ut idem tradit ad Romanos, consequitur necessariò ut quæ credit fides, quoniam et spes eadem sperat, hæc nec oculi cernant, nec aures audiant, nec in cor hominis ascendant, atque adeò ne rationibus quidem demonstrentur humanis. Nisi fortè aut res divinas humanæ fulciunt ac sustinent, aut certè Paulus fallit et fallitur, qui fidem argumentum esse non apparentium adstruit, nostramque sapientiam in mysterio absconditam nullum hujus seculi principem cognovisse. Nostræ ergò disciplinæ principia philosophi ostendere probabiliter possunt, demonstrare necessariò non possunt. Quocircà metuere non debet quisquam, ut fidei meritum sit amissurus si rationes quoque ad fidei veritatem et explicandam et ornandam adhibuerit. Non enim, conetur licet quantùm potest, rationes adhibebit ejusmodi, quæ præbeant experimentum sensuum, sed tales tamen, quibus et ii qui non credunt, ad fidem adducantur suaviùs, et ii qui credunt, in fide contineantur libentiùs. Fides sanè cum naturâ non pugnat, sed consentit: nec dissident humana et divina ratio, sed cohærent. Utraque vera est, nec verum vero adversatur; utraque est à Deo, nec Deus sibi contrarius est. Pervertunt itaque homines fundamenta naturæ, cùm illam a fide sejungunt. Quin fide dirigenda naturæ ratio est, et quidem sic, ut hæc duo verba inter se, non res discrepare videantur. Et cùm divinis humana similia et agnata sint, qui hominis officium Deo exhibet, et gratiæ naturam servire facit, is probè theologi munere perfungitur. Quam omninò rem et D. Thomas sæpè probat, et nos cùm aliàs multis, lib. 8, 9, 10 et 11, tùm in quarto decimo libro copiosè disseremus.

Nunc autem argumenta illa refutanda sunt, quibus id effici videbatur, ut theologia fidei decreta comprobaret. Ac primæ quidem argumentationi responsum est satis. At secunda sic refellitur : Non est articulus fidei mundum à Deo exstitisse, sed Deum in principio temporis cœlum terramque creâsse; id verò articulus fidei est, qui demonstrari nullâ ratione potest, quemadmodùm D. Thomas, 1 p., q. 46, art. 2, disserit. Nam quòd tertio loco Petri testimonium objicitur, nihil aliud efficit quàm religionem disciplinamque christianam non esse omni ex parte similem Pythagoricæ, cujus alumni nullâ rationis anteceptâ informatione, nullâque omninò redditâ causâ, auctoritatem præceptoris arctè mordicùsque tenebant. Indoctorum est ista consuetudo, eaque Sarracenorum, Paganorum, hæreticorum, ut cæca et temeraria sectæ suæ dogmata sine judicio amplectantur, et quæ disquisitione egent maximè, hæc sine ullâ disquisitione recipiant. Non erudiuntur isti, crede mihi, sed astringuntur; nec viâ et ratione docentur, sed quasi veneficiis et cantionibus in insaniam agitantur. Enimverò quæ in Evangelio docemur omnia, quamvis acerrimè ad supernaturalia capessenda moveant animos, tamen leniori naturæ ratione Christus ipse prætexuit, ne discipulos rationis expertes habere videretur. Sapientia quippè Dei, quanquàm attingit à fine usquè ad finem fortiter, sed disponit tamen omnia suaviter, hominesque humano more instituit et erudit, hoc est, rationales rationibus. Nec verò aliter discipulos suos Deus vult esse compositos ad doctrinam cæterorum, quâ ipsi ab eo sunt edocti. *Dedit illis linguam eruditam*, ait Isaias, cap. 50, *ut sciant sustentare eum qui lapsus est verbo ; aperuit* quoque illis *aurem, ut audirent quasi magistrum.* Quemadmodùm igitur Christi discipuli ipsum quasi magistrum erudientem audimus, non quasi veneficum incantantem, ità et linguam habemus, non quæ hùc atque illùc feratur volubilitate verborum, sed doctam et eruditam, quæ disciplinæ suæ sciat causas et rationem reddere.

Lucianum Antiochenum scribit Eusebius, eccl. Hist. lib. 9, rogatum à præside, cur, cùm vir rationalis et prudens esset, sequeretur sectam cujus non posset reddere rationem, in hæc verba respondisse : « Nos « Christiani non, sicut vos putatis, humanæ alicujus « persuasionis errore constringimur, nec indiscussâ, « ut alii, parentum traditione decipimur. Auctor nobis « de Deo Deus est; nec enim posset sublimis illa maje- « stas sensibus humanæ mentis illabi, nisi vel Spiritûs « sui virtute delatâ, vel verbi ac sapientiæ suæ inter- « pretationibus indicatâ. Fateor, erravimus nos etiam « aliquandò, et simulacra quæ ipsi finximus, deos cœli « ac terræ putabamus auctores. Sed arguebat eos fra- « gilis substantiæ suæ à nobis præstita consecratio, « in quibus tantùm venerationis inerat, quantùm deco- « ris mens contulisset artificum. Verùm omnipotens « Deus ille, quem non nostris manibus fictum, sed cu

« jus nos decebat esse figmentum, errores miseratus « humanos, sapientiam suam misit in hunc mundum « carne vestitam, quæ nos doceret, Deum, qui cœlum « fecisset et terram, non in manufactis, sed in invisi- « bilibus requirendum. Vitæ et nobis leges, ac disci- « plinæ præcepta constituit, servare parcimoniam, « paupertate gaudere, mansuetudinem colere, studere « paci, puritatem cordis amplecti, patientiam custo- « dire. Sed et omnia hæc, quæ nunc adversùm nos « geritis, ventura nobis esse prædixit. Indè enim qui « erat immortalis, ipse morti se præbuit, quò nobis « patientiæ præberet exemplum. Sed nec nos suâ morte « decepit, quibus post tertiam diem resurrexit, ut mor- « tem vinceret resurgendo. Quæ autem dico, non sunt « in obscuro gesta loco, nec testibus indigent; pars « penè mundi jam major huic veritati adstipulatur. Aut « si quid in his suspectum videtur, contestatur de iis « etiam agrestis manus ignara figmenti; si minùs ad- « hùc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipsius in quo « res gesta est, testimonium. Adstipulatur his ipse in « Hierosolymis locus, et Golgothana rupes sub patibuli « onere disrupta; antrum quoque illud, quod avulsis « inferni januis corpus denuò reddidit animatum. Quòd « si terrena vobis minùs digna videntur, accipite etiam « de cœlo adstipulatorem fidelem. Solem ipsum horum « vobis produco testem, qui cùm hæc fieri per impios vi- « deret in terris, lumen suum meridie abscondit in cœlo. « Requirite in annalibus vestris; invenietis, temporibus « Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tene- « bris diem. Quòd si terræ, si cœlo, si sanguini marty- « rum fidem non accommodatis, quomodò meis verbis « allegationibusque credetis? » Et cùm penè jam his verbis auditoribus suadere cœpisset, arripi jubetur in carcerem, ibique absque tumultu populi necari. Hujus-modi ergò rationes jubet Petrus à doctoribus fidelium reddi, quæ videlicet cùm fidem antecedunt, infideles non trahant, sed inducant : quùm sequuntur, non vim fidelibus afferant, sed adjiciant robur. In hanc enim sententiam Augustinus dicit, rerum naturalium notionem fidem gignere, nutrire, roborare. Nam defendit etiam, quoniam rebus naturalibus perceptis exploratè et cognitis statim intelligitur, primùm fidem cum naturâ nullo modo pugnare, sed mirificè consentire, deindè argumenta captiosa et vana esse omnia, quæ fidei veritatem impugnant.

Sed in secundo nodo expediendo multùm omninò moræ interposuimus. Benè autem habet, quòd tertius idemque postremus nullâ dissolutione eget. Quid enim addamus quod legere operæ pretium sit, post divi Thomæ sententiam adeò perspicuè, diligenter atque enodatè in superioribus explicatam? De principiis ergò theologiæ hactenùs.

CAPUT IV.

Quæ sint quæstiones, seu conclusiones theologiæ.

Theologiæ causis expositis, consequens est ut effecta exponamus, quæ quùm in dubium vocantur, quæstiones sunt, quùm ratiocinatione coguntur, conclusiones. Quæstio igitur theologica, quoniam circà eam omnis theologi versatur labor, quid sit, et quæ illius partes, inprimis explicabimus. Nam quomodò tractanda sit, deinceps exponemus. Ne verò quempiam fallat hujus nominis ambiguitas, intelligendum est quæstionem theologicam aliquandò appellari pronuntiatum omne, quod à theologo quovis fortè etiam et temerè fuerit addubitatum. At si adeò latè theologiæ materiam quæstionemque tendamus, quæstio theologica non jam ex naturâ hujus facultatis, sed ex hominum vel stultorum arbitrio æstimabitur. Ità fiet, ut in theologiæ quæstionibus illas ponamus : *Nùm, si forma aquæ per divinam potestatem à materiâ separetur, in materiâ vel formâ seorsùm baptismus conficiatur? — Nùm asinus baptismum possit bibere?* cæterasque his similes, quas studio brevitatis omitto, ne fastidium stomacho lectoris faciam. Mihi proféctò non est cordi stultas et sine disciplinâ quæstiones, quas vitare Apostolus præcipit, in theologiæ finibus comprehendere. Finis porrò, extremaque disciplinarum, conclusiones voco. Eadem verò res est, ut à principio capitis leviter attigimus, quæstio et conclusio. Sed quùm per interrogationem elata in controversiâ ponitur, quæstio est; quùm argumentatione colligitur, conclusio. Quòd si eamdem rem argumentis suis theologus addicit et conficit, quæ in quæstionem fuerat adducta, futilissimæ scilicet illæ quæstiones theologicæ vocari nec debent, nec verò possunt, ut quæ in principiis theologiæ finiri nequeant et solvi, atque adeò ne conclusiones quidem esse doctrinæ ejus, sed indoctorum hominum commentitiæ chimeræ. Quam ergò intelligimus theologicam quæstionem? Opinor eam, quæ planè ad rem faciat, hoc est, ad theologiam spectet. Non autem spectant vanæ, ineptæ, noxiæ, sed solidæ, aptæ, commodæ. *Ego*, inquit, *sum Deus tuus docens te utilia*, Isai. 48, 17. Theologia ergò, quæ Dei nimirùm doctrina est, nullo modo inutilia colligit. Quin super fidei fundamentum, quod ab Apostolis est positum, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificat, 1 Cor. 3, 12. Nam qui ligna, fœnum et stipulam, ii non hoc ex theologiâ, sed ex errore faciunt. Maneat igitur, eam esse propriè theologicam conclusionem, quæ ex theologiæ principiis, ut effecta è causis suis, orietur. Undè illud consectarium est, nullam theologiæ quæstionem existimandam, quæ non possit ad ejusmodi initia referri, exque iis aptè et congruenter argumentando definiri. Quanquàm sunt quæstiones quasi appendices, quas, quoniam gratiâ explicandi illas quæ verè et propriè theologicæ sunt, appositè et graviter adjunguntur, jure quodam vel similitudinis, vel propinquitatis, vel etiam ordinis, theologicas itidem haud absurdè appellaveris. Verùm hoc loco et tempore de quæstione theologicâ secundùm naturam et ordinem disciplinæ loquimur.

Contingit enim aliquandò non in theologiâ modò, sed in cæteris ferè humanis etiam disciplinis, ut quæ suâpte naturâ principia sunt, idcòque à discipulo supponenda, si res viâ ordineque procederet, ea ut hominum ingenia sunt, et revocentur in dubium, et argumentationibus comprobentur; ità fiat perturbatus ac præposterus rerum ordo, ut causæ posteriores sint, prioraque effecta sumantur. Quæ res effecit, ut D. Tho-

mas cæterique theologi in quæstionibus theologicis eam etiam ponant : *Sitne Deus?* et alias omninò similes, in quibus dubium non est, prima certaque principia in dubium verti, ac perindè, ut si essent disciplinæ hujus connexiones, ex aliis quasi principiis necti. Atque hæc causa Aristoteli quoque fuit, ut in scientias omnes quatuor genera quæstionum inferret, nempè an res sit, quid sit, qualis sit, propter quam causam sit. Quæ duæ posteriores quæstiones terminari rectè atque ex ordine naturæ possunt, priores duæ non possunt; nisi fortè quùm duæ ejusdem rei definitiones sunt, quarum una per materialem causam, altera per finalem definitæ rei naturam explicant. Tunc enim definitio posterior per priorem demonstratur, ratione quodam modo et viâ naturæ servatâ. At enim rei finitio, quæ secundam illam quæstionem solvit, propemodùm ex effectis notescit; quæ licet naturâ posteriora sint, nobis, hoc est, in nostrâ cogitatione, priora sunt tamen. Illud item cùm in aliis, tùm magis in theologiæ doctrinâ usu venit, ut principia ipsa vel disposita inter se et ordinata sint, quemadmodùm causæ ipsæ in quatuor genera distributæ ordinem prioris et posterioris habent; vel certè connexa et colligata sint, ità ut ex utrisque concessis, ad alterutra dubia liceat pervenire. Quapropter si adversarius admittit principia quædam, quamvis cætera neget, ex concessis poterimus non concessa colligere, præsertim si mutuo nexu conjuncta et copulata sunt. Hinc enim theologi veteres vetus Instrumentum probant ex novo, contràque novum ex veteri; Ecclesiæ auctoritatem è libris sacris asserunt, librorum rursùm sacrorum ex Ecclesiâ. Ità ne unum quidem principium in theologiâ est, quod in quæstionem theologi non verterint, ut si à quopiam fuerit negatum, qui alia fortè principia concedet, paratissimus ex his, quæ dederit, hominem evincere, et quasi arrepto mucrone confodere. Quæ res explanata est in secundo libro diligenter, et in postremo diligentiùs explanabitur. Nec ob eas solùm causas principiorum suorum theologi quæstionem faciunt, sed eò etiam magis, ut illa explicent et exponant. Nam, quod apud rhetores olìm pueri didicimus, omni disserenti proposita est quæstio, non ei modò, qui disputatione res ambiguas jactat, sed et historicis, et poetis, qui quæstiones sibi propositas non tàm argumentatione solvunt, quàm expositione. Expositio autem fidem in auditore sæpè invenit, argumentatio facit. Ubi familiæ nostræ quosdam sæpè risi, qui in eo laborant vehementer, ut divi Thomæ rationes, quas identidem ad explicandam fidem congruentes ille adfert, perindè ac si essent demonstrationes certæ atque perspicuæ, defendant. Nam et adversarios ipsos ridere soleo, qui in eo in quo divus Thomas egregium se fidei administrum præbuit, illum impugnant quasi hostem. Nec intelligunt viri, magis ad certandum quàm ad docendum prompti, quæstiones fidei gravissimè sanctissimèque proponi, non quia fidem dubitanti auditori facere nitimur, sed quia credenti ea quæ minùs percipit et intelligit, exponere conamur. Quid igitur quæstio theologica sit, si eam ex disciplinæ ordine naturâque finiamus; quid rursùm illa sit, si ex ingenio nostro existimetur, quæ quæstiones in theologiâ primariæ, quæ appendices, quæ argumentatione potissimùm, quæ contrà potissimùm expositione solvantur, dictum est satis.

Nunc quæstio partienda est, ut ea, quæ in re dispersa atque infinita videntur esse, ratione et distributione sub uno aspectu ponantur. Quæstionum ergò theologicarum, quâcumque de re sint, duo sunt genera; alterum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ, quarum finis est scientia : si quæratur, *Pater et Filius sintne unum principium Spiritùs sancti, an duo? — Divinæ Personæ an proprietatibus relativis, an absolutis distinguantur?* Actionis autem hujusmodi exempla sunt : *Sitne pœnitentia ad salutem necessaria tanquàm medium, an etiam ut præceptum? — Nùm sacramenta novæ legis gratiam et virtutes conferant?* Cognitionis quæstiones, si generaliter loquamur, quadripartitæ sunt, cùm aut, sitne vel Deus, vel angelus, vel anima rationalis, aut quid sit, aut qualis sit, aut cur sit talis, quæritur. Quarum prima et secunda, ut diximus, ex ingenii nostri conditione, secunda et tertia ex naturâ rerum et disciplinæ ipsius explicantur.

Actionis porrò duo sunt genera, unum ad salutem necessarium, alterum earum rerum quæ utiles esse videantur. Prioris generis hæ sunt quæstiones : *Si*, exempli causâ, *honor Christi periclitetur, aut salus etiam spiritualis proximi, vir christianus mortemne pro his rebus subire debeat, annon? — De baptismo suscipiendo præceptumne Evangelii sit?* Posterioris autem generis, ut cùm quæritur : *Diluatne aqua lustralis, quam benedictam scholastici appellant, peccata venialia, planèque pœnas peccatorum tollat vi suâ, et, quod aiunt, ex opere operato, an potiùs ex operantis merito? — Nùm Eucharistiæ Sacramentum ex attrito faciat contritum?* Itemque, *an recedente fictione, quemadmodùm baptismus et pœnitentia, suum affectum sortiatur?* Plena est D. Thomæ Summa talium quæstionum. Non enim theologus semper de necessariis disserit, sed quandoque etiam de iis sine quibus salus religioque constat. Et quoniam omnia persequimur, dicendum est etiam, quæstionem theologicam, sive ad contemplationem, sive ad mores attineat, aliam naturalem esse, aliam verò supernaturalem. Supernaturalem, opinor, quæstionem vocare licet, quæ ex supernaturalibus solùm principiis definitur; naturalem autem quæstionem eam esse dico, cujus, cur ità sit, ratio naturæ constans reddi potest. Est et quæstio media, quæ partìm ex supernaturali principio, partìm ex principio naturali pendet. Primi generis exemplum est : *An omnes mortui simus?* Quam quæstionem Paulus hàc argumentatione definit : *Si pro omnibus Christus mortuus est, omnes mortui sunt;* at pro omnibus mortuus est Christus. Item : *An omnes resurgemus?* Quam sic Apostolus terminat : *Christus resurrexit*; ergò et nos resurgemus. Secundi verò generis hæc sunt exempla : *Nùm Deus sit ubique? — Nùm immutabilis? — Nùm animus hominis immortalis sit? — Nùm dividi et secari in partes possit?* Quorum omninò probationes quamvis è sacris litteris petere liceat, quà ra-

tione ad fidem utique pertinent, sunt tamen in lumine naturæ claræ et evidentes, eâque re non sunt per se fidei quæstiones, sed, ut diximus, quasi per accidens. Tertii generis, ut : *Sitne Christus risivus?— Habeatne duas voluntates, et intellectus duos, duasque item utriusque potentiæ operationes?* Quæ ex utriusque principiis patescunt. Prima ex his : *Christus est homo, et omnis homo est risivus.* Reliquæ verò ex his : *Christus duas naturas perfectas habet, divinam et humanam;* omnis aut m natura perfecta propriam sibi et operationem et potentiam vindicat.

Est deniquè alia divisio theologicæ quæstionis, ad quodcumque genus illa pertineat. Sunt enim fidei quæstiones quædam, hoc est, quæ cùm ad fidem spectent, pro earum veritate theologo est in capitis etiam discrimen veniendum. Aliæ verò sunt, quæ in utramque partem et ignorari et negari sine fidei jacturâ possunt. Hanc partitionem Augustinus cùm aliàs sæpè, tùm in libro secundo de peccato originali contrà Pelagium et Cœlestium capite vigesimo tertio commemorat. Atque penitùs partitio hæc non est solùm memoriæ commendanda, sed in oculis semper habenda, si absoluti theologi esse volumus. Utriusque generis exempla sunt; prioris hoc pacto : *An Christi anima simul atque Verbo conjuncta fuit, Deum clarè viderit?* Item : *An in locis inferis ignis purgatorius sit, ubi fidelium animæ pœnas peccatorum luant?* Posterioris Augustinus quidem varia atque innumerabilia esse dicit, et quæ certo aliquo genere complecti ac definire difficile sit; sed quæ ponit, ea sunt, cùm quæritur, *qualis, vel ubi sit Paradisus, ubi constituit Deus hominem, quem formavit ex pulvere?* quùm tamen esse illum paradisum fides christiana non dubitet; vel cùm quæritur, *ubi sit nunc Helias vel Enoch, an ibi, an alicubi alibi?* quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus vivere; vel cùm quæritur: *Utrùm in corpore, an extrà corpus in tertium cœlum sit raptus Apostolus?* quanquàm sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille, cui hoc præstitum est, salvâ utique fide nescire testatur; vel : *Quot sint cœli in quorum tertium se raptum esse commemorat?* vel: *Utrùm elementa mundi hujus conspicabilis quatuor, an plura sint? — Quid faciat solem lunamve deficere his defectibus, quos prædicere astrologi certâ temporum annumeratione consueverunt?—Cur antiqui homines tamdiù vixerint, quàm sancta Scriptura testatur, et utrùm proportione longioris ætatis filios serâ pubertate gignere cœperint?— Ubi potuerit Mathusalem vivere, qui in arcâ non fuit, qui, sicut in plerisque codicibus et græcis et latinis numerantur anni, reperitur supervixisse diluvio, vel utrùm paucioribus, qui rarissimi inveniuntur, potiùs credendum sit, in quibus ità est numerus conscriptus annorum, ut antè diluvium defunctus fuisse monstretur?* Hactenùs exempla Augustini posui. In hoc genere divus Thomas, 2 cont. gent., cap. 70, quæstionem illam esse censet : *An cœlum animatum sit? (quam inter cæteros errores Origenis Hieronymus enumerat in epistolâ ad Avitum)*; sed divo Thomæ consentire videtur Augustinus in Enchiridio, capite 57. Verùm ne diutiùs lectorem remorer, de omni isto genere quæstionum quid sentiam, et quæ præcepta danda existimem, perbreviter exponam.

Nulla theologicæ quæstionis præcepta firma stabiliaque tradi possunt, nisi ab his, qui in scholâ sese multùm ac diù exercuerunt. Itaque propria est ea præceptio scholasticorum, quoniam eorum, qui scholam negligendam esse existimant, nulla idonea, exquisita, excellens de theologiæ quæstione disputatio est, tantùm abest, ut harum rerum præceptores sint, quas nullo usu habent cognitas. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem scholasticæ theologiæ, ne dicam interitum, deplorarem, nisi vererer, ne cùm de aliis academiis quererer, Hispaniam meam immodicè extollerem, in quâ valdè his temporibus scholæ theologia viget. Sed apud nos etiam videmus, quibus exstinctis theologis, quàm in paucis spes, quantò in paucioribus facultas, quàm in multis sit audacia. Nihil verò de me ; de præceptore dicam libentiùs, qui academias hispanas adeò insigniter ingenio suo et doctrinâ illustravit, adeòque nostris hominibus et spectabiles, et amabiles reddidit, ut in eas certatìm non confluxerint modò, sed irruperint. Quòd si ille Gallis, Germanis atque Italis scripsisset, quæ erat hominis in disputando perspicuitas, elegantia et suavitas, non ità nunc apud eas gentes scholæ studia jacerent. Nam ex eo credo quibusdam usu venire, ut abhorreant à scholâ, quòd inciderint in inculta quædam et horrida de malis quæstionibus deteriùs vestigata, deterrimè etiam inventa et conclusa. Sed age, his omissis, id, quod instituimus, persequamur. Nec tamen necesse est, ut res faciles separatìm instituamus theologiæ præceptis, sita sunt enim antè oculos. Nec rursùm de iis leges ferre operæ pretium est, quæ multùm à ratione discrepent; ea enim facilè apparent, nec magnoperè admonitionem et præcepta desiderant. Quæ autem difficilia videntur esse, neque à multis intelligi possunt, de iis est diligentiùs præcipiendum.

Primum ergò officium theologi disserentis existimo, ut quæstionem quam versaturus est sæpè dispiciat, et identidem interroget se cujus generis illa sit. Aliter namque quæstiones illæ finiendæ sunt, quæ naturâ et disciplinæ ordine in theologiam veniunt, aliter quas humani ingenii vel imbecillitas, vel certè malitia movet. Nec eodem modo disserendum est de iis, quas quærimus ut exponamus, ac de aliis, quæ quæruntur ut demonstremus; longèque diversa instituitur disputatio de naturali ac supernaturali quæstione, aliique loci theologici sunt huic atque illi accommodandi. Nam cognitionis actionisque quæstiones, ut aliàs diximus, eodem ferè modo, exque eisdem locis tractandæ et solvendæ sunt.

Sed cùm uniuscujusque genus quæstionis diligenter investigandum est, tùm illud maximè, an præter fidem illa sit, an potiùs ad fidem religionemque pertineat. Cum his porrò, qui in fidei quæstione errant, velis equisque, ut dicitur, decertandum est; cum aliis verò, qui de his controversantur, in quibus salvâ fide decipi, errare, labi homines possunt, pugnare quidem, quod aliàs monui, theologi et possunt, et quandoque etiam debent, sed

cruenta pugna illis omninò interdicta est. Quàm ridiculum est enim nervos omnes corporis et animi intendere in eâ quæstione solvendâ, cujus inscientia nihil periculi habet, error nihil habet criminis? Sed in toto hoc posteriori quæstionum genere quàm magna theologo sit adhibenda moderatio, in octavo et nono libris non indiligenter exposui. Hìc dico quantùm proposito ac formularum brevitati satis est; reliqua illìnc petentur. Non enim mihi libet eadem hoc tempore et loco resumere. Illud hujus loci et temporis est theologum admonere, ut non stultas modò quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devitet, quæ sunt interdùm quoque noxiæ, verùm etiam inutiles quascumque, et vanas, quæ theologo nequeunt in usum aut cognitionis aut actionis accersiri.

In his Hieronymus illas quæstiones censet: *Quot annos vixerit Mathusalem?—Quoto ætatis suæ anno Salomon sortitus sit conjugium?* Ne forsitan Roboam undecimo ætatis illius anno natus esse credatur. In epistolâ quoque ad Vitalem, cùm posteriori harum dupliciter respondisset, ad extremum ait, Apostolum de istiusmodi interdicere quæstionibus. Et post pauca: « Relege inquit, omnes, et veteris, et novi Testamenti « libros, et tantam annorum reperies dissonantiam, et « numerum inter Judam et Israel, id est, inter regnum « utrumque confusum, ut hujuscemodi hærere quæ- « stionibus non tàm studiosi hominis quàm otiosi esse « videatur. » At benè habet, quòd non dixit, *attingere*, sed *hærere*. Nam si id genus quæstiones breviter exponere otiosum et inutile est, non ego solùm, qui in superiore libro multas ejusmodi explicui, sed Augustinus ac Hieronymus quoque ipsi arguentur. Non est igitur immorandum in hujusmodi quæstionibus minimè necessariis, licèt ad veritatem historiæ sacræ quodam modo spectare videantur; sed cùm in omni disputatione, tùm magis in eâ quæ ad fidem et salutem nihil attinet, exercenda est facilitas quædam, ne si hisce rebus disserendis diù ac multùm hæreamus, in morositatem inutilem et odiosam incidamus. At divus Augustinus supervacaneum esse existimavit quærere, ubi et quomodò sit in cœlo corpus Dominicum. Sed de fide, et symbolo, licet coràm synodi Patribus, ad novitios tamen doctrinam instituebat. Alioqui, Cajetanus, quem unum nostræ familiæ non ingenio solùm et eruditione præstantissimum audeo dicere, sed in hujus generis quæstionibus excitandis modestissimum, non est veritus, quùm sacras litteras interpretaretur, eam rem quærere, paucisque etiam explicare. At idem Augustinus eas quæstiones nullo modo patitur, quas ex ægritudine animi dicit existere: *Ecquid faciebat Deus, antequàm faceret cœlum et terram?—Ecquid ei venit in mentem, ut aliquid faceret, quùm anteà nunquàm aliquid fecerit?* Sed pœnitentiam agens, confitensque peccata, vix ægrè fert quæstiones necessarias, nedùm minùs utiles, curiosas, importunas. Non itaque eadem disputandi regula theologo præscribenda est, cùm in gymnasio certat, et cùm in cubili, aut etiam in templo luget.

Sed regula hæc erit et rationi et sanctorum auctoritati maximè consentanea, ut omnis theologus de re supernaturali disputaturus (nam hæc illi propria disputatio est), nomen theologiæ secum ipse reputet; titulum suum, hoc est, theologi, frequenter legat; quærat à se non semel, sed sæpiùs, quorsùm cœperit disputare, sciatque nullam illi quæstionem ascendam, nisi quæ ad veram, quæ suprà naturam est, Christi, Apostolorum et Prophetarum philosophiam referatur. Hujus enim præcepti quidam immemores innumeris quæstionibus, præsertìm dialecticis, physicis et metaphysicis explicandis importunissimi longissimique fuerunt. Nemo autem est longus, qui materiæ immoratur, si aliquid accersit atque attrahit, quod suo videlicet instituto congruens consentiensque sit. Nec tamen quæstiones istas, quamvis non adeò necessarias, exterminandas puto. Est enim animorum ingeniorumque exercitatio quædam non modò acuminis plena, sed etiam ad theologiam scholæ valdè utilis Nam quod Augustinus ait, nihil ad se pertinere, utrùm cœlum sicut sphæra undique concludat terram in mediâ mundi mole libratam, an eam ex unâ parte desuper velut discus operiat? item, an stet cœlum? an potiùs moveatur? hoc vel in Manichæorum invidiam et odium dicit, qui similes multas quæstiones se à magistro didicisse jactabant; vel illos certè reprehendit, qui iis excitandis et solvendis quæstionibus multùm prolixa et rebus salubribus impendenda temporum spatia occuparent; illius enim verbis libenter utimur. Cæterùm, quasi prætereuns id genus quæstiones ipse solvit, quibus tamen, ut ait, incundis atque tractandis, neque episcopo temporis satis erat, neque illis, quos ad salutem et sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupiebat informari. Nec dissimile huic est, quòd Augustinus idem curiosissimas Dioscori quæstiones reprehendit, et scribit tamen, se non idcircò ea dicere, quia istiusmodi discuntur, sed quia vano fine discuntur. Ità respondit quibusdam earum breviter, aliis vel prolixè. Ego verò si ab amico essem de rebus ejusmodi interrogatus, aut dissimulanter præterirem, aut apertè etiam responsa negarem. Nec enim dignas eas quæstiones censerem, quibus vel tantillùm temporis impertirer. Sed Augustinus erat vel in amicos liberalior, vel in Dioscorum indulgentior. Quorsùm hæc? Ut intelligant ii, qui scholæ perpetuam invidiam conflant, controversias circà Aristotelem exortas non esse disquisitiones theologi indignas, si quæ in Cicerone ambigua erant, ea non est dedignatus explicare Augustinus. Quid, quòd is ipse nescientem quid sit nihil, quid informis materia, quid formatum exanime, quid corpus, quid species in corpore, quid locus, quid tempus, quid in loco, quid in tempore, quid motus secundùm locum, quid motus non secundùm locum, quid stabilis motus, quid sit ævum, et quid sit nec in loco esse, nec usquàm, et quid sit præter tempus et semper esse, quid sit et nusquàm esse, et nusquàm non esse, et nunquàm esse, et nunquàm non esse; hæc, inquam, nescientem, nec de Deo, nec de animâ suâ quidquam rectè aut quærere aut disputare posse asseverat? Non sunt igitur quæstiones istæ physicæ et metaphysicæ à scholâ nostrâ expellendæ, ne illæ quidem, quæ Era-

smo cæterisque similibus curiosæ sophisticæque etiam visæ sunt. Sed de hoc alio loco pluribus. Nunc ad fidei quæstionem redeo, quæ nisi theologo in primis constituta sit, nihil ratione docere potest neque viâ.

In hâc igitur re vehementer elaborandum est, si in theologiâ, quis sit gradus veritatis ac falsitatis exquirimus. Id nimirùm ut theologiæ maximè proprium est, ità est omnium difficillimum. Quarè illud præstare valet nemo, nisi perfectus consummatusque theologus. Dixerit quisquam : Quid? nonnè sunt notæ aliquæ, quibus quæstiones fidei sejungi ab eis, quæ fidei non sunt, et internosci possunt? Sanè verò; sed nec cuivis contigit adire Corinthum, nec sunt ista omnium communia contritaque præcepta. Ac pertinet quidem ad omnem fidei quæstionem constituendam semper in promptu habere ejusmodi notas, et quæstionum fidei quasi indices; verùm ea magna omninò res est, egetque doctrinâ et exercitatione non parvâ. Illas itaque, si poterimus, proferemus; nec ità multa post, sed pauca antè dicenda sunt. Fidei porrò quæstio bifariàm intelligitur, una, quæ immediatè ad fidem attinet, ut verè attinent omnia, quæ Deus Ecclesiæ suæ aut verbo edidit, aut scripto; altera quæ mediatè fidei est, cujusmodi sunt omnes conclusiones, quas ordine disciplinæ ex illis prioribus colligere et definire possumus. Quæ, quoniam non in seipsis, sed in aliis tanquàm principiis revelatæ à Deo sunt, mediatè fidei dicuntur esse, et qui eas negat, is fidem negare hoc modo dicitur. Atque equidem illud etiam animadverto, eas non abs re forsitan quæstiones fidei vocari, quæ vehementer ad Ecclesiæ doctrinam pertinent, fideique sunt propter affinitatem appendices; non quòd aut ex iis pendeat fides, aut iis sublatis funditùs illa tollatur, sed quòd affecta ægraque sit, si harum rerum veritas labefiat, quæ illi hærent et adjunguntur. Oportet nempè in Ecclesiâ sanam doctrinam esse et verbum sanum, ut Apostolus ait, 1 ad Tim. 1, 10, et alibi passim. Quemadmodùm autem morbi quidam lethales sunt, alii verò non interficiunt quidem hominem, sed afficiunt tamen valetudinem; sic errores quidam non fidem exstinguunt, sed obscurant; non evertunt, sed infirmant; morbumque afferunt, non exitium. Sicut ergò quod saluti est noxium, vitæ id quoque noxium est, ità quodcumque sanæ doctrinæ adversatur, hoc fidei est etiam quodam modo adversum. Ex quo intelligitur, quæstiones illas quæ ad doctrinæ ecclesiasticæ sanitatem spectant, ad fidem suo quodam modo spectare. Sed nos hujus generis controversias non in fide propriè, sed propter fidem esse dicimus; nec qui in his errant, eos in fide, sed præter fidem errare existimamus. Atque ità rebus his primò simpliciter collocatis, reliqua deinceps subtiliùs persequemur.

CAPUT V.

Quibus notis quæstiones fidei dijudicari possint.

Quibus autem rationibus hanc dijudicandi facultatem assequi possimus, ne in constitutionem causarum fidei erremus, accuratè nunc et diligenter exponendum est. Et cardinalis quidem Turrecremata, lib. 4, Sum. Eccles., p. 2, c. 9, septem gradus ordine ponit propositionum catholicarum, quæ eædem, cùm in disputandi controversiam disceptationemque vocantur, quæstiones fidei dicuntur.

Primus earum est, quæ in libris sacris habentur expressæ. Secundus earum, quæ ex hisce per certam et necessariam consecutionem fiunt. Tertius earum, quas verbo tenùs Christus Apostolis, Apostoli Ecclesiæ tradiderunt. Quartus earum, quæ in conciliis universalibus definitæ sunt. Quintus earum, quæ à Sede apostolicâ sunt fidelibus ad credendum propositæ. Sextus illarum, quæ de fide et refutatione hæresum sancti doctores unâ mente unâque voce docuerunt. Septimus illarum est, quæ ex tertio, quarto, quinto et sexto generibus consecutione firmâ et necessariâ derivantur. Ex quibus capite sequenti distinguit etiam septem genera hæreticarum propositionum, quæ septem illis generibus propositionum fidei repugnant. At verò more jurisperitorum illa sunt tradita, quæ fortassè minutiùs in tenuissimas particulas conciduntur. Nobis tamen, qui docendi compendiariam viam et rationem profitemur, ad breviorem numerum et absolutam quamdam disciplinæ formulam redigenda sunt omnia. Cùm igitur veritas fidei, ut paulò antè diximus, bipartita sit, et hæc ad fidem mediatè, illa immediatè pertineat, necesse est, duos gradus propositionum fidei generales statim à principio collocare. Prior earum erit, quæ theologiæ legitima principia sunt, cujusmodicumque sint illa, sive primaria, sive secundaria, hoc est, ea omnia quæ Deus in se ipsis Ecclesiæ revelavit. Posterior verò gradus harum erit, quæ ex prioribus illis necessariò colliguntur. Hoc enim genus conclusionum, ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat. Ratio enim connexi, quùm concesseris superius, cogit inferius concedere : et quùm inferius negâris, superius item negare cogit. Rursùm in superiori illo gradu duos intelligimus, unum earum propositionum fidei, quas in libris canonicis sacri auctores scriptas reliquêre; alterum earum, quas verbo traditas Ecclesia, ut crederet, à Christo et Apostolis accipit. In posteriore itidem gradu duo genera intelliguntur, unum conclusionum ejusmodi, quæ è principiis solùm fidei nascuntur, alterum earum, quas non fides sola conficit sine externarum disciplinarum adjutorio, sed accitis aut uno principio aut pluribus naturæ ratione cognitis. Atque hæ quidem, tametsi non eodem loco et gradu, omnes tamen simpliciter et sine additamento quæstiones fidei vocari possunt, nempè cùm ex utrisque fidei veritas pendeat, cùm utriusque conjuncta et copulata sit. Nam quæstiones illæ quasi fidei appendices, quod nuper, et quid dico nuper? imò verò planè paulò antè dicebam, fidei quodam modo sunt, non simpliciter. Nec enim sic fidei adhærescunt, ut separari ab illâ non queant. Ægrotat sanè, ut ità dicam, in earum errore fides, non perit.

Sed quoniam Scripturæ sacræ nativa et germana sensa obscura interdùm et implicata sunt, nec semper exploratum est et cognitum quænam illa sint, quæ sine

scripto Apostoli memoriæ prodiderunt, sæpè etiam impeditum est, et quasi tenebris circumfusum, an conclusio controversa necessariò è rebus fidei ducatur, id nos modò expedire atque explanare cupimus, quibus notis et signis cognosci ac distingui possit veritas fidei, tùm illa, quæ in sacris scripta libris est, tùm quæ est verbo ab Apostolis tradita, tùm demùm ea, quæ ex harum vel alterâ, vel utrâque conficitur. Eò verò studiosiùs hoc negotium suscipimus, quòd non modò scholæ theologis utilissimum fore intelligimus, sed illis etiam maximè necessarium, quibus apostolica Sedes fidei cognitionem et censuram imposuit. Non enim parùm in se habet fructûs certa constansque ars in theologiâ disserendi; nec sine hâc arte eorum errores æquabiliter notari possunt, qui à fide Christi et antiquâ Ecclesiæ institutione desciscunt. Contrariorum enim, quod à philosophis verè dicitur, eadem est disciplina. Quarè, si veritates fidei catholicæ constituimus, errores adversos pariter designamus. Age ergo, conferamus pedem, ut aiunt, et ad rem propiùs accedamus.

De rebus perspicuis, ut dixi, nihil præcipi oportet. Itaque si Scripturæ divinæ locus, ut indè ordiamur, planum et apertum habet sensum, vel ex contextu, vel ex alio ejusdem Scripturæ loco, vel ex verborum ipsorum clarâ luce, nullum nostrum præceptum est. Ipse enim apertus Scripturæ sensus certum præ se fert catholicæ veritatis indicium (1). Quò fit, ut Lutheranorum plerasque hæreses theologus vel mediocriter Scripturæ divinæ sensu imbutus perfacilè denotet. Nullum quippè negotium est eos errores inurere, qui Scripturæ manifestò repugnant. Ut illi, Ecclesiam universalem in fide errare posse. Item, humanas omnes actiones criminosas esse. Item, tristitiam de peccatis non esse necessariam, sed inutilem. Multi deniquè alii, quos commemorare longum est. At enim de Scripturâ sacrâ dicta hæc intelligi volumus, quam esse canonicam constanter sit ab Ecclesiâ definitum. Nam, quemadmodùm in secundo libro docuimus, libellum Baruch non adeò exploratè et firmiter in sacrorum numero Ecclesia reposuit, ut aut illum esse sacrum fidei catholicæ veritas expedita sit, aut non esse sacrum, hæresis expedita sit (2). Libellus ergò iste, sive quilibet alius, qui in quæstionem citrà crimen hæreseos vocari possit, quantumvis clara et aperta inferat sensa, non statim efficiet certas atque constantes catholicæ fidei veritates. Sed transeamus ad alia, et in rerum difficiliorum judicio è superioribus libris summa quæque carpamus. Ex eo enim tempore hæc res elaborata est, ex quo locorum theologicorum firmitudinem constituimus.

Sit igitur prima præceptio. Cùm Scripturæ divinæ sensus fuerit obscurus, tunc Ecclesiæ intelligentia eadem est germana Scripturæ intelligentia, ex quâ habebitur (crepet licèt hæreticus) et catholicæ veritatis insigne certum, et ad probandas theologiæ conclusiones certi ejus, quod exquirimus, argumenti delectus (1). Si enim Ecclesia certissimum jus habet discernendi verba Dei à verbis hominum, ut in secundo libro nobis constitutum est, habebit quoque idem jus, ut in verbis ipsis sensum Dei ab hominum sensu discernat. Nisi credimus, perindè Scripturam Ecclesiæ, ut Ptolomæo Ægyptiisque concessam; vel certè, ut nunc est concessa Judæis, quos scriniarios Ecclesiæ Christi Augustinus non ineleganter appellavit. Scimus autem, utrumque depositum Ecclesiæ commissum, ut utrumque etiam perpetuâ fide conservet, reddatque simul, quas accepit, et Scripturam et Scripturæ intelligentiam. *Spiritus meus, qui est in te,* inquit Dominus per Isaiam, cap. 59, 21, *et verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui amodò, et usquè in sempiternum.* Ambas igitur res Christi Ecclesia custodit, custodietque semper, et verbum, et spiritum verbi. Item Christus Spiritum veritatis promisit Ecclesiæ, qui cum illâ maneret æternus, eique omnia suggereret, quæ illi à Christo sunt dicta. Item, cùm verum Dei Evangelium, quemadmodùm Hieronymus elegantissimè dixit, non in Scripturis sit, sed in sensu, non in superficie, sed in medullâ, non in verborum foliis, sed in radice rationis; si Ecclesia Scripturam haberet, non autem legitimum Scripturæ sensum, non haberet profectò verum Dei Evangelium, atque adeò ne fidem Christi quidem, quæ sine vero Dei Evangelio non est. Nec enim ad verba fides, sed ad sensa refertur. Alioqui et hæretici Scripturas sine sensu loquuntur, et diabolus Scripturas etiam profert; sed in intelligentiâ falsâ falsum Evangelium habent; certè non divinum, sed humanum, imò, quod pejus est, diabolicum. Cùm verò inter catholicos et hæreticos non de Scripturâ, sed de sensu plurima controversia sit, si Ecclesiæ interpretatio non est certa intelligendi norma, ecquis erit illius modi controversiæ judex? Sensum enim suum pro suâ virili quisque defendet. Quòd si in explorandâ Scripturæ intelligentiâ nullus est Ecclesiæ certus judex, audeo dicere rempublicam fuisse nullam stultiùs constitutam; nullum enim dissidiorum futurum finem, consensionem fidelium nullam, nullam fidei unitatem. Quâ sublatâ, non charitas modò et pax, sed fides etiam ipsa penitùs tollitur, atque ipsum omninò Ecclesiæ nomen. Quòd autem Apostolis Christus *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas*, Luc. 24, 45, non id propter illos tantùm, sed multò etiam magis propter Ecclesiam fecit. Ex quo intelligimus, Christum Ecclesiæ suæ librum signatum perpetuò aperuisse. Scripturæ insuper intelligentiam Apostoli Ecclesiis tra-

(1) Semper addendum est: *Accedente Ecclesiæ auctoritate*. Vide suprà, col. 93, not. (1), et col. 114, not. (1).

P. S.

(2) Vide suprà, col. 104, not. (1).

(1) Vide suprà, col. 94, not. (1).— Iterùm etiam pro claris, ut aiunt, textibus, requiritur auctoritas Ecclesiæ, ut ex illis fides certò stabiliatur. Equidem ipsius vi claritatis nunquàm forsan sese manifestavit de illis controversia; ast eo ipso consensu constat de iisdem doctrina Ecclesiæ docentis, ex cujus auctoritate illi textus in suo sensu obvio ubique admisso interpretati ad fidem pertinent.

P. S.

diderunt. Nam si non sensum, sed verba duntaxat tradidissent, non utique prædicâssent Evangelium omni creaturæ, nec docuissent omnes gentes servare quæcumque illis fuissent à Christo commendata. Qualis enim Evangelii prædicatio, qualisve doctrina absque intelligentiâ esset? Nempè qualis aut puerorum aut psittacorum est, qui sine mente dant accipiuntque sonum. At apostolicæ traditionis certior testis nemo est, quàm Ecclesia. Nam quid acceperit, ecquis clariùs evidentiùsque testabitur, quàm ipsa, quæ accepit? Scripturæ igitur sensus ab Apostolis Ecclesiæ traditus penès Ecclesiam est.

Prætereà Ecclesia columna est et firmamentum veritatis; at veritas et propriè in intellectu Scripturæ est, in Scripturâ autem impropriè tanquàm in signo; quemadmodùm urina figuratè sana dicitur, cùm animal id sit, quod est propriè sanum. Si ergò Ecclesia firmamentum est veritatis, firmam certè habet ac certam rerum cognitionem veritatum, quæ in sacris litteris continentur. Sed quid opus est plura? Jam enim quartus superior liber comproba it veram fidelemque omnem de Ecclesiæ auctoritate sententiam. Ostensum est autem multis et testimoniis et rationibus, Ecclesiam in fide errare non posse. Atqui nihil magis ad fidem attinet, quàm divinorum dictorum vera cognitio et sensus. In Ecclesia igitur explorata Scripturæ intelligentia residet, ex quà nimirùm intelligentia et compertum habere possumus fidei catholicæ signum, et eodem quoque signo errores contrarios denotare. Sanè primum hujus præceptionis clarissimum exemplum est in paradiso terrestri, in fictione Adæ de limo terræ, in Evæ formatione de costâ Adæ, deniquè in tentatione serpentis. Quæ omnia Origenistæ allegoricis figuratisque interpretationibus perverterunt. Sed cùm Ecclesia semper ea non figuratè dicta, sed propriè ad historiam acceperit, jure illos synodus sextâ actione undecimâ explosit.

Secunda præceptio. In Ecclesiæ nomine non modò fidelium omnium concio intelligitur, verùm etiam Ecclesiæ pastores et doctores, præsertim in concilio congregati (1). Hæc oste sa nobis est libro 4, cap. 4, concl. 4, et lib. 5, cap. 4, concl. 3. Præceptionis verò hujus exempla multa sunt, sed nos pauca ponemus. Illa Domini lege: *Hoc facite in meam commemorationem*, omnes semper Ecclesiæ sacerdotes intellexêre id præscribi, ut hoc idem ipsi facerent, quod et Jesus Christus tùm faciebat, hoc est, ut Eucharistiæ sacrificium offerrent. Nam post illa verba in personâ Christi prolata: *Undè et memores*, inquiunt, *nos servi tui*, etc., *offerimus majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam sanctam*, etc. Wi leffistæ igitur, qui dixerunt, non esse fundatum in Evangelio, quòd Christus missam ordinaverit, Lutherani item, ac multò etiam magis qui negant in Ecclesiâ Eucharistiæ sacrificium esse, jure à nobis hæretici habentur. Sed de hâc re in hoc, eodem libro, posteriùs. Rursùm concilium Lateranense Patrem et Filium verè et propriè rem unam eamdemque esse intellexit ex illo: *Ego et Pater unum sumus*. Ità in hoc abbas Joachimus damnatus est, qui hunc locum non ad rei ejusdem et naturæ unitatem, sed ad consensionem voluntatis unius retulisset. Pari enim errore illum alterum locum Joan. 17, 22, interpretabatur: *Charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus*. Prætereà Spiritum sanctum à Filio procedere, concilium Ephesinum ex illo Joan. 16 loco accepit: *De meo accipiet;* ex illo etiam Joan. 15, 26: *Quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis*, etc. Animam rationalem tandem formâ esse subsistentem quidem, sed essentialiter, verè ac per se humanum corpus informare, concilium Viennense, ut equidem sentio ex eo loco habuit: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem*. In eo enim quòd Deus animam homini inspirâsse dicitur, illam Patres foris venisse interpretati sunt, quemadmodùm flatus extrinsecùs venit. Non itaque spiritum hominis educi de materiâ, nec ab ipsâ pendere, sed per se omninò subsistere. In eo autem, quòd per eumdem spiritum factus est homo in animam viventem, cognovêre utique, illam corpus verè vivum efficere, atque adeò formam substantialem esse humani corporis. Item hoc traxerunt ex illo Hebr. 2, 7: *Nusquàm enim Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*. Si namque animus hominis non esset corporis vera forma, parsque omninò humanæ naturæ, sed corpori, ut nauta navi, juxtà Platonis Origenisque sententiam, assistere; sine dubio substantia esset, quod ad naturæ conditionem attineret, separata, quam nos angelum nuncupamus. Quare Deus animam rationalem assumens, angelicam naturam assumpsisset.

Hæc igitur et alia ejusmodi tametsi in Scripturâ obscuriùs continentur, Ecclesia tamen jure suo explicat, fidelibusque ad credendum exponit. Quod dùm facit, ipsius decretum non solùm non esse falsum, sed etiam stabile, fixum ratumque esse debet, perindè ac si in libris sacris patentiùs haberetur. Pastores ergò ecclesiastici, quos in Ecclesiæ voce communiter intelligimus, cùm Scripturæ certam constantemque intelligentiam præscribunt, et absolutam veritatis catholicæ exhibent formulam, et notas quoque certissimas, quibus hæreses contrariæ dijudicentur.

Tertia præceptio. Si Sedes apostolica aliquem Scripturæ sensum præfinierit, ille idem catholica veritas censenda est (1). Quam sanè præceptionem, ni opinio nos fallit, diligentissimè in sexto superiore libro demonstravimus. Multis quippè ibi ac necessariis argumentis addiximus, Sedem apostolicam in fidei judicio labi non posse. Scripturarum verò interpretatio, quùm in disceptationem illæ veniunt, fidei judicium est; non ergò in Scripturarum intelligentiâ Sedes apostolica errat, si eas ex præscripto interpretatur. Nam si non constanti judicio fixoque decreto, sed ex opinione suâ quasi prætericns exposuerit id, quod aliàs sæpè dictum est, nihil constituet omninò, quod certum exploratumque sit. Quarè si tunc erret, Scripturam vel parùm aptè interpretando, vel in sensum etiam alienum detorquendo, nihil huic præceptioni obstat. Quæ non om-

(1) Vide suprà, col. 238, not. (1).

(1) Vide suprà, col. 267, not. (1).

nia illa sensa præstituit, quæ pontifices è Scripturâ sacrâ ad res de quibus agebant suadendas accersierunt, sed illa docet firmè esse tenenda quæ fidelibus à Sede apostolicâ præstituuntur. Quibus autem signis Sedis apostolicæ conciliorumque firma judicia internoscantur, in quinto libro, cap. 5, explicatum est. Ac certè ejusmodi judicia, quæ in Scripturâ interpretandâ versantur, ad Sedem apostolicam peculiariter attinere, adeò clarè hodiè est in Clement. Univ. de summâ Trinitate et fide catholicâ diffinitum, ut minimè sit hæsitandum, quin pontificis sententia eadem et Viennensis concilii sit. Quid, quòd claves habet Petrus, ut librum clausum aperiat? Quid, quòd quæcumque solverit in terris, erunt soluta et in cœlis? Quid, quòd ab initio constitutum est, ut ex ore ejus gentes verbum Evangelii et audirent et crederent? Quid, quòd adversùm hanc petram ne portæ quidem inferi prævalere queant? Quid, quòd pro eo oravit Christus, ne deficeret fides ipsius, quò fratrum vacillantem et nutantem fidem confirmaret? At quid ego stultus contrà proverbium vetus acta ago? et argutis minutisque interrogatiunculis quasi aculeis lectorem pungo, atque ea ut modò primùmque nascentia edo, quæ in sexto libro altissimis defixa radicibus usquè adeò confirmata sunt, ut nullâ unquàm vi labefactari possint? Hujus autem præceptionis exemplum habes in Extravaganti Benedicti XI, cujus initium : *Benedictus Deus in donis suis,* ubi pronuntiat pontifex, hæreticos eos fore, qui negaverint animas justorum, simul atque è corpore excesserint, divinam essentiam clarè videre, si nihil tamen habuerint, quod pœnis purgatoriis antè expiandum sit. Hoc verò sine dubio accepit ex illo 2 Cor. 4, 17 : *Id, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ne quis autem falso errore ductus existimaret, hanc operationem æternæ gloriæ aut ad præsens mortalis vitæ tempus, aut ad futurum universale judicium esse referendam, subjungit statim Paulus, 2 Cor. 5, 1 : *Scimus enim, quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis.* Ac ne quis rursùm aliter æternam illam gloriam interpretaretur homini contigere, quàm per claram divinæ essentiæ visionem, mox rem eamdem apertiùs exponens, subdit : *Scientes quoniam, dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino : per fidem enim ambulamus, et non per speciem : audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum.* Quem locum D. Thomas, quarto adversùm gentes libro, cap. 91, pressiùs urget. Ubi quamvis et alia Scripturæ testimonia referat, sed ad meum sensum, imò ad sincerum subtileque judicium, nullum aliud est hoc testimonio præstantius, ut et illa fidei veritas comprobari, et contraria hæresis refutari queat. Præclarè itaque mihi sentire videor, si summum pontificem autumo, ex his ipsis Pauli verbis illud fidei dogma elicuisse. Ea igitur verba in falsum alium sensum peregrinumque deflectere hæreticorum erit.

Quarta præceptio. Consentiens eadem sanctorum omnium conspiransque Scripturarum intelligentia ipsissima est fidei catholicæ veritas. Quæ præceptio in septimo libro, cap. 3, concl. 5, adeò fusè latèque et explicata exemplis, et rationibus ac testimoniis confirmata est, ut ineptus ego sim, si quidquam in præsenti adjiciam.

Quinta præceptio. Si ex Apostolorum traditione communis Ecclesiæ usus unamquamlibet Scripturæ interpretationem præ se tulerit, ea ut fidei veritas tenenda est. Ut Ecclesiæ mos perpetuus expressit, in illis verbis : *Quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis.* Petro Petrique successoribus datam esse facultatem et solvendi vota, et relaxandi juramenta; qui hanc Ecclesiæ facultatem inficiatus fuerit, is verè ac jure hæreticus judicabitur. Atque hanc quoque præceptionem nec probare argumentis, nec exemplis illustrare debeo, propterea quòd in lib. 3 illam utrisque rebus patefeci.

Sexta præceptio. Quodcumque dogma fidei vel Ecclesia habuerit, vel concilium auctoritate pontificis roboratum, vel etiam summus ipse pontifex fidelibus præscripserit, vel certè sancti omnes concordissimè constantissimèque tenuerint, itâ nobis illud pro catholicâ veritate habendum est, ut contrariam sententiam hæreticam sentiamus, quamvis nec apertè, nec obscurè in Scripturâ sacrâ contineatur. Docui nimirùm in tertio libro copiosiùs, dogmata fidei non è solâ Scripturâ petenda, sed ex apostolicâ traditione. Quæ verò Christi et Apostolorum traditiones sint, non aliâ viâ et ratione meliùs investigari posse, quàm Ecclesiâ ipsâ duce atque magistrâ, superiùs non semel explanatum est. Ecclesiæ porrò auctoritatem non modò in omnium fidelium cœtu consistere, verùm etiam conciliorum decretis, Sedis apostolicæ judicio, sanctorum doctorum consensione, superioribus quoque libris expositum est satis, ut arbitror, diligenter. Christi quippè Apostolorumque doctrinam partìm scripto, partìm verbo in Ecclesiam descendisse, cùm aliàs sæpè, tùm fusiùs in tertio libro monstravi. Ostendi etiam sæpissimè, nihil per se ad Ecclesiæ fidem attinere, nisi quod Christo et Apostolis revelantibus accepit. Cùm autem neque Ecclesia, neque concilium, neque Sedes apostolica, neque sancti omnes simul possint in fidei judicio falli, quemadmodùm suis quæque locis patefacta sunt, certè quodcumque nobis fidei dogma tradiderint, si in sacris litteris non habetur, Christo Apostolisque tradentibus in Ecclesiam venit. Eodem itaque gradu habendum, ac si patenter illud Scriptura traderet. Omitto jam plura exempla hæresum notissimarum, quibus præceptionis hujus nota inusta est. Nam in tertio libro exempla sunt penè innumerabilia.

Septima præceptio. Si vel Ecclesia, vel concilium, vel Sedes apostolica, vel etiam sancti unâ mente eâdemque voce aliquam theologiæ conclusionem et confecerint, et fidelibus etiam præscripserint, hæc veritas catholica itâ censebitur, ut si esset per se à Christo revelata ; et illi qui adversetur, æquè erit hæreticus, ac si sacris litteris traditionibusve Apostolorum refraga-

retur (1). Conclusionem sanè theologiæ hìc appello eam propriè, quæ ex principiis hujus facultatis certâ et firmâ consecutione ducitur. Hujus rei exempla sunt in promptu vel plurima. Sexta synodus generalis duas esse in Christo voluntates, duasque item operationes collegit, tùm ex illo, Matth. 26, 29 : *Non sicut ego, sed sicut tu vis*, tùm ex eo, quòd Christus Deus est et homo perfectus. Concilium Lugdunense, sub Gregorio X, ratione quoque theologiæ constanti demonstravit, Spiritum sanctum ex Patre et Filio, non tanquàm ex duobus principiis sed tanquàm ex uno, non duabus spirationibus, sed unâ procedere. Pater siquidem et Filius juxtà fidem sunt unus Deus, una potentia, una sapientia; breviter, in omnibus unum, in quibus non obviat relationis oppositio ; nec enim aliter divinæ naturæ unitas in duabus personis servari potest. Cùm itaque in spirando nulla sit à Patre Filii distinctio, sequitur Patrem et Filium non esse duo principia Spiritûs sancti, sed unum; quemadmodùm non sunt duo principia creaturæ, sed unum. Quâ ex re intelligitur utrumque errâsse vehementer, Erasmum nempè et Ambrosium Catharinum; illum, quia hanc conclusionem nihil ad fidem pertinere credidit; hunc, quia eam, cùm sit theologiæ propriè conclusio, inter principia prima, hoc est, fidei articulos numeravit. Item concilium Lateranense, sub Innocentio III, ratiocinatione theologicâ adversùm Joachimum effecit, divinam essentiam nec genitam esse, nec generare. Rem videlicet genitam et generantem realiter distingui oportere; quarè si essentia divina generaret essentiam, ipsam à se non solâ cogitatione, sed re etiam esse distinctam. Item Patres ad unum omnes ex eo principio : *Hoc est corpus meum,* ratiocinati sunt, conversionem panis in corpus Christi fieri, sine quâ nec verborum illorum veritatem poterant comprehendere, nec cætera quæ fides catholica de verâ inclusione corporis Christi sub specie panis confitetur. Ità concilium Lateranense Patrum veterum consensione constituit, panem in corpus, vinumque in sanguinem transubstantiari : sic enim concilium loquitur. Hâc re constitutâ, illa fuerunt consectaria, quæ concilium Constantiense decrevit, panem post consecrationem non manere, atque adeò manere sine subjecto accidentia. In mutatione quippè et conversione quâcumque terminus, à quo mutatio et conversio initium sumit, non manet. Quarè, si per consecrationis verba panis transit in corpus, non utique perstat ille, sed perstant accidentia ejus. Item synodus Complutensis, Sixto IV in Extravag. suâ corroborante, certo theologiæ argumento, confecit ex illo Joannis 20 testimonio : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos : quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt,* non solùm sacramenti Pœnitentiæ institutionem haberi, sed confessionis etiam præceptum. Id, quod nos in Relectione de Pœnitentiâ evidentissimè deduximus. Indè ergò exempli hujus probatio petetur. Nam et reliqua delibamus, extremisque, ut dicitur, digitis attingimus, quæ latè longèque diffusiùs in lectionibus olìm quotidianis persecuti sumus.

Octava præceptio. Si scholastici theologi aliquam itidem conclusionem firmam et stabilem uno ore omnes statuerint, atque ut certum theologiæ decretum fidelibus amplectendum constanter et perpetuò docuerint, illam ut catholicam veritatem fideles sanè amplectemur (1). Constituimus autem, ut reor, hanc præceptionem in lib. 8 firmiter et necessariò, nec ad opinionem meam solùm, sed planè ad veritatem. Ac fieri potest, ut aliorum judicio errem, sed meo ità prorsùs existimo. Christi igitur animam, statìm ut est in corpore inclusa, Deum apertè vidisse, scholastici ad unum omnes fidentissimè docent. Eam rem undè sibi persuaserint, non omnibus passìm expeditum est. Sed ità esse minimè ambigitur, nisi quod Erasmus in quæstionem vocat. At quibus rationibus et testimoniis ea conclusio confecta sit, posteriùs explicabitur.

Illud modò ponimus, universos scholæ theologos in theologiæ certis constantibusque decretis præfiniendis errare non posse, sicut ne in fidem quidem : quòd eorum error, error fuisset Ecclesiæ, utpotè quùm ad cernendum hujus generis res non alios Ecclesia, quàm theologorum oculos habeat, qui si fallerentur, totum Ecclesiæ corpus in suo facerent errore versari. At enim, ut dixi, post ea, quæ lib. 8 disputata sunt, non est operæ pretium in hâc re constituendâ elaborare. Sed ne quis sit admiratus, cur, cùm inter omnes ferè theologos constet, à meque ipso sæpè affirmatum sit, ejusmodi conclusiones, quæ ex fide per explicatam consecutionem derivantur, theologiæ propriè esse, non fidei, nunc ità confundam, quasi theologia et fides eadem virtus sint. Si enim error conclusionis theologicæ error fidei est, ut est reverà, si eam negare sit hæresis, sequitur fidem atque theologiam ad eamdem pertinere virtutem, quandoquidem errores utrique facultati contrarii ad idem pertinent vitium. Sunt enim utrique hæreses. Sed non erit difficile ei qui superiora releget, hanc obterere contundereque calumniam. Diximus enim, fidem, licèt non immediatè, sed versari tamen circà eas conclusiones, quæ per evidentem et necessariam consequentiam ex articulis fidei colliguntur. Quarè necesse est ut infidelitas mediatè quoque circà conclusiones theologiæ contrarias versetur. Cùm autem ex hujusmodi adversis erroribus non ægrotatio modò fidei, sed etiam corruptio sequatur, fit, ut eorum et fidei sit indirecta quidem et consequens, sed vera et naturalis repugnantia. Quamobrem Ecclesia, tametsi intelligit ejusmodi conclusiones non è fide solùm, sed è principiis quoque naturæ pendere; quia tamen non putat, hominem rationalem ea quæ rationi perspicua sunt et manifesta negare, eum qui illas inficiatus sit, hæreticum judicat. Sumit enim,

(1) Ad eam præceptionem auctoris et superiorem revocanda sunt quæ suprà de traditione, conciliis, auctoritate Ecclesiæ, summo pontifice, curavimus adnotanda. Addendum tamen, vel rursùs dicendum hujusmodi decreta, ex lege saltem generali, ad fidem pertinere nisi quatenùs proximè vel remotè ex verbo Dei scripto vel tradito, interpretatione infallibili accedente, oriuntur. Hæc aliundè rursùs ac fusiùs tractabuntur, ubi de regulâ fidei agemus.—P. S.

(1) Vide suprà, col. 401.

maximâque ex causâ sumit, illum non in naturæ ratione, quæ erat evidens, sed in fide claudicare. At verò si quis vel consequentiam rerum aliàs perspicuam ignoraret, vel principium etiam naturale, quod cum articulo fidei ad colligendam theologiæ conclusionem sumitur, certè non esset hæreticus; ut si homo indoctus, verbi causâ, existimaret hanc enuntiationem esse falsam : *Omnis homo est risivus;* undè, quamvis crederet Christum esse hominem, non ideò arbitraretur eum posse ridere, hic profectò non esset propriè infidelis, sed stultus, qui non per se supernaturali lumini, sed naturali repugnaret. Verùm quoniam ejusmodi stultitia, quamvis per accidens et indirectè, fidei tamen ex consequenti corrumpit depravatque judicium, jure apud Ecclesiam non in stultitiâ habetur, sed in crimine. Atque hæ mihi videntur præceptiones summæ atque optimæ, in quibus tanquàm insignitæ notæ et catholicarum veritatum et hæresum contrariarum appareant. Si quis verò certiores melioresque protulerit, ei magnam habebo gratiam. Quanquàm erunt fortassè, qui reprehendent communiter illa quidem omnia, quæ præter opinionem suam in his libris meis animadvertent, separatìm autem in singulis si perspicient quædam, in quibus vel à communi ego opinione, vel à clementiâ et lenitatis specie discedo. Nam et præceptionum tertiæ et postremæ acerba cuipiam fortè severaque judicia videbuntur. Sed is primùm rationes illas expendat velim, quibus in 6 et 8 lib. usi sumus ad duas has præceptiones corroborandas ; modestiam quoque ac temperamentum, quo hujus nostri judicii acerbitatem indulgenter etiam, nisi nos sententia fallit, emollivimus. Deindè si tàm indulgens in hujus seculi temerariam insolentiam esse vult, ut asperior ei disciplinæ correctio displiceat, obsecro videat, ne dùm judicum ecclesiasticorum animos à severitate et vehementiâ ad remissionem indulgentiamque traducit, non modò forum Ecclesiæ relaxet, sed usquè ad atrium licentiæ impudentis atque adeò intolerandæ explicet. Crudele est, fateor illud : *Vexat censura columbas;* sed illud etiam dissolutum : *Dat veniam corvis;* utrùm verò hoc tempore et ætate perniciosius, non facilè dixerim. Sed quoniam eorum errores, qui de Ecclesiæ doctrinâ parùm rectè sentirent, non eodem gradu esse omnes, multis in locis perquàm breviter perstrinxi atque attigi, de his quoque errorum gradibus pauca dicantur. Accepimus enim è concilio præsertìm Constantiensi, alias propositiones hæreticas esse, alias erroneas, alias sapientes hæresim, alias temerarias, alias scandalosas, alias piarum aurium offensivas.

CAPUT VI.

De variis errorum gradibus, primùmque de hæresi et hæreticâ propositione.

Priùs verò quàm istiusmodi propositionum genera notasque definio, illud explicandum est, an omnia illa ad hæresim requirantur, quæ sunt ad hæreticum constituendum necessaria. Sunt enim auctores nobiles, qui existiment, omnem propositionem hæresim esse, quæ fidei veritati repugnet, quamvis ab ignorante sine ullâ pertinaciâ defendatur. Hæreticus autem, nisi sit pertinax, nullo modo intelligitur. Hujus autem opinionis suæ multas causas reddere conantur. Primam, quòd nisi ità esset, aliqua propositio ab uno affirmata esset hæresis, ab alio non esset ; ut si homo doctus sciens contrarium in sacris libris contineri, assereret, Moysen non Judæum fuisse, sed Ægyptium ; tunc illam propositionem hæreticam esse, hæsitari non potest. At si eadem inscitè ab aliquo homine rustico et idiotâ affirmaretur, hæretica non esset. Ità fieret, ut propositio ab asserente penderet ; quod, ut inquiunt, quàm sit erroneum, vel mediocriter docto est manifestum. Si enim propositio falsa est, à quocumque dicatur, semper erit falsa ; ergò si est propositio hæretica, à quocumque illa asseratur, semper erit hæretica. Alteram causam reddunt, quòd veritas catholica non pendet ab asserente, ut veritas catholica sit. Nam sive Judæus, sive Paganus, sive Christianus Deum esse unum et trinum affirmet, illa certè assertio catholica est ; ergò neque contraria falsitas ex eo à quo asseritur, hæresis sibi aut nomen, aut rationem vindicat ; sed absolutè et per se est hæretica, quoniam absolutè et per se cum catholicâ veritate pugnat. Cæteras causas vel ego non intelligo, vel certè indignas judico, ut à nobis referantur. Illa vehementior apparet, quæ ab illis emittitur, quòd theologi rogati an propositio aliqua hæretica sit, an non, simpliciter respondent, aut esse, aut non esse, nullâ ejus, qui asseruit, habitâ ratione. Nova autem res esset et inaudita, si theologi propositiones eas, quarum notæ quæruntur, designare nollent, nisi illis antè asserentium ingenium, conditio, doctrina et culpa innotescerent. Hinc colligunt omnem propositionem, quæ modò est hæretica, semper hæreticam fuisse ; nec Ecclesiam definitione suâ ex non hæreticâ hæreticam facere, sed id quod re ipsâ erat, ignoratum tamen et occultum, declarare. Hanc sententiam Occam. tenuit, 1 part. Dialogor., lib. 2, part. 2, c. 11, et cardinalis Turrecremata, lib. 4, part. 2, cap. 3, et Adri. 4 Senten., q. 1, de Confess., et Alphonsus Castro Zamorensis, lib. 1 de justâ hæretic. Punit. cap. 1.

At auctores alii haud deteriores, meâ quidem sententiâ (nam meliores multi credunt) ab his longè dissentiunt ; in quibus est Cajetanus 2-2, q. 1, a. 1. Divusque etiam Thomas prioris ad Corinth. cap. 11, lect. 4. Afferunt autem ad hujus sententiæ confirmationem argumenta plurima. Primum est, quòd concilium Constant. distinguit propositiones hæreticas, erroneas, sapientes hæresim ; quas res difficulter omninò secernemus, si omnis error in materiâ fidei est hæresis, priùs etiam quàm definiatur ab Ecclesiâ. Deindè, 24, q. 1, cap. *Quod autem ;* et cap. *Achatius*, et 24, q. 3, cap. *Notandum*, dicuntur aliquæ hæreses esse novæ, aliquæ veteres ; non ergò absolutè sine ullo respectu asserentis hæresis dici potest (1). Prætereà, ad hæretici rationem, quà hæreticus est, pertinacia requiritur ; ergò de ratione, hæresis est, pertinacia. Quemad-

(1) Hieronymus eodem modo loquitur in cap. 3 Epist. ad Tit.

modùm si cœnatum non nisi vespere intelligimus, nec cœna quidem nisi vespertina intelligetur. Ac certè sicut à candore candidum, ità ab hæresi nominatur hæreticus; quarè qui hæresim asserit, hæreticus ille est, ut qui habet candorem, est candidus. Quid enim absurdius dici potest, quàm veram fornicationem esse in eo, qui non est fornicarius, verum et proprium homicidium in eo, qui non est homicida? Absurdum igitur etiam est, in eo verè et propriè hæresim esse, qui non sit hæreticus. Ad hæc, hæresis est vitium non solùm intellectùs, sed etiam voluntatis, nempè crimen est, quod nisi voluntate consentiente intelligi non potest; ubi ergò nullum est crimen, nullave cordis adversùm fidem repugnantia, ibi ne ulla quidem hæresis est. Adde, quòd actus fidei catholicæ non est, nisi assentiamus propositioni catholicæ ab Ecclesià definitæ; quamdiù enim res est ambigua, neque Ecclesia alterutram controversiæ partem præfinivit, neutrius opinionis assensus fidei catholicæ judicium est. Quâ ex re intelligitur, non esse hæresim, nisi quis veritati catholicæ, quam Ecclesia certò præscripsit, refragetur. Adde etiam, quòd veritatem catholicam appellare, quam nec Ecclesia credendam proposuit, nec fideles per fidem infusam credunt; sed unusquisque probabili opinione tenet, videtur à nomine quoque ipso veritatis catholicæ alienum. Atque opinionem, quæ inficias iret, divinas personas relationibus distingui, antequàm esset ab Ecclesià definitum, nemo hæresim vocare auderet, nec veritatem catholicam, quæ adversam sententiam tueretur.

Mihi verò semper consilium fuit nominum controversias aut declinare omninò aut paucis exponere. Itaque si de hæresi propriè loquimur, non dubito quin recentior, crebriorque sententia eadem verior sit, nempè non aliud exigi ad constituendum hæreticum, quàm id, quo hæresis constituitur; hæresis quippè flagitium in aliquo homine est, illumque denominat, in quo esse constiterit. Cuicumque igitur hæresis nota verè et jure inuri potest, is verè jureque erit hæreticus; id, quod ex argumentis nunc positis quædam manifestè probant. Sed quemadmodùm urina impropriè sana dicitur, quòd signum est sanitatis, etiamsi fallax aliquandò sit, sic propositio in voce, vel in scripto vocatur hæretica, quòd signum hæresis esse soleat, quamvis interdùm ab hæresi is, qui dixerit, excusetur, quia ignorans fuit. In quo sensu illorum opinio vera est, qui arbitrantur aliquam propositionem hæreticam esse, tùm etiam cùm is qui asserit, hæreticus non est. Vel loquuntur etiam de hæresi ex genere, et objecto, ut si quispiam concubitum illum primum Jacob cum Lià, de quo Genes. 29, 23, fornicarium appellaret, non quòd reverà fornicatio fuerit, sed quòd ex genere et naturà talis sit, quamvis ignorantià interveniat. Verùm scholæ theologi, qui vocum significatus pressiùs tenent, nec concubitum Jacobi cum Lià fornicationem esse dicunt, nec acceptionem rei alienæ, furtum, nec cædem hominis, homicidium, nisi quùm et res aliena malè per injuriam attrectatur, et homo iniquè contra jus occiditur. Maneat ergò perpetuumque sit, si veram et propriam nominis rationem sequimur, hæresim non esse, cui pertinacia non est adjuncta, et omninò cætera, sine quibus crimen hæreseos verè et propriè non constat. Nec si ad fidem illa ex se pertinent, quæ à Deo sunt Ecclesiæ revelata, quanquàm in eorum fortè nos ignoratione versamur, contrarios statìm errores hæreses judicamus. Non enim si quispiam color albo contrarius est, protinùs est ater; nec si aliquid liberalitati adversatur, mox avaritiæ nomen habet. Sic igitur fieri potest, quod paulò post demonstraturi sumus, ut etiam in Christiano error aliquis sit fidei quodammodò adversus; nec hæresis tamen sit, vitium inter ea quæ fidei repugnant, vel maximum. Quemadmodùm autem (nam hoc exemplum etiam atque etiam premendum est) colori albo gilvus, glaucus et pallidus contrarii sunt, imperfectè tamen, ità quidam etiam sunt Christianorum errores, qui, cùm inchoati sint et informes, hæreseos speciem non attingunt, licèt ad eam ipsam quàm proximè accedant. Quia verò hæresis cum fide non solùm pugnat, sed summè maximèque etiam pugnat, sequitur, errorem tunc propriè hæresim esse, quùm non fidei materialiter, sed formaliter adversatur. Libet enim hoc loco scholæ verbis abuti. Sed experiar, et dicam, si potero, meliùs. Si quis fidelis in his, quæ fidei sunt, vitiosè per inscitiam erret, et flagitiosè etiam catholicam unamquamvis veritatem ignoret; ad dialecticorum legem quidem fidei contradicit, ad morumque etiam normam culpæ mortalis reus est; sed nisi videns, ut dicitur, vidensque pereat, hoc est, nisi prudens volensque se à catholico dogmate separet, nec facit sectam, neque hæresim admittit. Nondùm enim simpliciter et absolutè cum fidei formâ pugnat, si de pugnâ morali sermo sit. Nam de pugnâ dialecticâ nulla nobis quæstio nunc est. Sunt tamen ejusmodi errores informationes et inchoationes quædam hæreticæ pravitatis, ad cujus speciem indirectè, ut imperfecta ad perfecta, rediguntur, quemadmodùm hominis embryo homo quidam informis est, et inchoatus, at non simpliciter homo, sed secundùm quid. Non ergò si quispiam error fidei contrarius per ignorantiam, vel negligentiam vituperabilem fidei obrepit, illicò hæresis nominabitur, quæ est summa quædam infidelitatis species, errorque fidei catholicæ adversus, non utcumque, sed perfectè, absolutè, formaliter. Perfecta verò hæc, absoluta et formalis repugnantia, quùm sit etiam moralis, non modò dialectica, ex objecto et genere seorsùm non accipitur, nisi subjecti quoque, et voluntatis humanæ ratio habeatur. Ecquis enim nesciat, morales actus ex dispari hominum statu, conditione, affectu, notitiæque varietate diversâ, varias item nominationes, speciesque oriri? Error igitur ille: *Christus non est verus Deus*, tametsi in quocumque cujusque conditionis homine fidei repugnat, in Judæo tamen infidelitas judaica est, in pagano paganica, in christiano hæretica. Nisi adeò loquendi imperiti simus, ut hujusmodi erroris culpam in pagano hæresim appellemus. Apud nos ergò, qui multas et discrepantes infidelitatis species ex vario hominum cultu ac professione distinguimus, nihil obstat, cur non illiusmodi et rerum, et vocum genera ab

asserentibus pendeant. Quibus rebus expositis, facilè, ut opinor, intelligitur malè hæresim ratione definiri, quòd sit error catholicæ veritati contrarius; quippè cùm ista definitio una in omnes errores valeat, Judæorum, Saracenorum, paganorum, hæreticorum. Sed hoc quidem sanè luculenter, ut ab hominibus definiendi peritis, à theologis scholæ dictum est, hæresim esse ejus, qui fidem professus fuerit, pertinacem errorem, illi veritati manifestè contrarium, quæ catholica certò sit (1).

CAPUT VII.

Contrà hæresis definitionem argumenta quædam.

At enim ut hæc definitio illustrior appareat, quibusdam argumentis exploranda est.

1° Primùm christiana doctrina et institutum est hæresis, ut auctor est Philo in libello de Vitâ theoreticâ supplicum apud Eusebium libro Histor. ecclesiast secundo, c. 17. At non est error, sed ipsa potiùs catholica veritas, etc.

2° Apostata à fide et religione christianâ catholicæ veritati apertè repugnat, quam semel professus est; non tamen est hæreticus.

3° Ex verbis inordinatè prolatis, ut Hieronymus ait, incurritur hæresis; sine errore ergò et pertinaciâ hoc crimen invenitur.

4° Præterea: Dubius in fide infidelis est, de Hæreticis c. 1; si ergò anteà erat christianus, ex hujusmodi dubitatione efficietur hæreticus. Nihil enim est in genere, quin in aliquâ ejus generis specie constitutum sit. Quòd si hæsitatio illa est hæresis, qui autem hæsitat, suspensus et incertus animi pendet, nullique rei omninò assentitur; fit, ut hæresis sine errore aliquandò sit. Nam error veritati repugnans assentionem habet. Ad hæc divus Thomas part. 1, quæst. 32, art. 4, docet, quòd opinari falsum circà ea, quæ sunt nobis principaliter ex fide tradita, hoc ipso inducit hæresim, maximè si pertinacia adjungatur; sine pertinaciâ igitur hæresis esse potest. Id quod Ecclesiæ usus confirmat, quæ ex unâ actione adorandi idola, circumcidendive puerum, hominem quasi hæreticum judicat; non judicatura, si ad hæresim pertinacia nimiaque illa in errore perduratio exigeretur.

5° Adde quòd incredulitas et duritia cordis sine pertinaciâ esse non potest; discipuli ergò undecim, quorum incredulitatem et duritiam cordis Dominus increpavit, habuerunt in errore pertinaciam. At error circà resurrectionis articulum, quam Dominus ipse manifestè prædixerat, fidei catholicæ apertè erat contrarius; quarè si definitio illa vera et perfecta est, discipuli in hæreseos crimen incurrêre. Id si perabsurdum est, dicamus potiùs in eâ definitione et superesse quidquam, et etiam abesse.

Hæc verò argumenta paucis quàm fieri poterit expediemus. Non enim hoc loco nos de hæresi institutionem suscipimus, quæ nisi longissimâ oratione nullo modo absolveretur; sed quasi prætereuntes breviter, et circumscriptè explicare volumus, quidnam propriè hæresis sit, undè, quis sit hæreticus error eluceat, et quæ hæretica propositio: quam in voce, vel scripto erroris hæretici signum esse, nemo qui vir doctus sit, ignorare potest.

Ad primum igitur, hæresis græcè ab electione dicitur, ut auctor est Hieronymus in c. 5 Ep. ad Galatas, et in c. 3 Epist. ad Titum, Isidorus, lib. 8 Etymol., cap. 3., div. Thomas secundâ secundæ, quæst. 11, art. 1, et in c. 3 Epist. ad Titum. Græcam verò hanc vocem Latinus novi Testamenti interpres interdùm servat, quandoque in sectam vertit, ut ad Galatas quintâ, ubi editio nostra: *In carnis operibus secta* habet, græca habet: *Hæres.* Et Act. 28, Judæi cum Paulo inquiunt: *Nam de sectâ hâc notum est nobis, quòd ubique ei contradicitur.* Hæresis græcè Lucas dixit. Secta igitur et hæresis eadem res sunt; sed ut secta à sectando, sic hæresis ab eligendo dicitur, ἀπὸ τοῦ αἱρέομαι, quod est, *eligo*. Deindè et illud animadvertendum, nomen hæreseos apud Græcos veteres et latinos auctores generale esse, et unam quamlibet sectam designare, ut Platonicam, Stoicam, Peripateticam. At christiani scriptores, contracto vocabulo, hæresim nuncupant sectam et divisionem, quâ quis à communi se Ecclesiæ fide sejungit, privatamque opinionem eligens, è catholicâ institutione discedit. Præterea et illud, licèt sit in promptu et multorum sermone teratur, commemorandum est tamen, doctrinam evangelicam propriè neque hæresim, neque sectam appellandam, tùm quia eam non sequimur ex electione nostrâ (nec enim commentum aut inventum nostrum est), sed habemus ex traditione divinâ; ut non nobis sic, an aliter opinandi optio detur, sed Deum, quàcumque trahit retrahitque, sequamur; tùm etiam, quoniam Evangelii

(1) *Hæresis* (*αἵρεσις, electio*) indicat in se dogma privatum, seu electione privatâ et extrà auctoritatem Ecclesiæ, ac proindè contrà fidem communem habitum; hìnc *hæreticus* sibi opinionem fingit propriam, *sectamque* vel instituit vel suam facit. Sub illo respectu hæresis naturâ suâ errorem semper fundamentalem ac fidei subversivum complecteretur, neque immeritò in eo sensu ab auctore dicitur *error qui cum fide non solùm pugnat, sed summè maximèque etiam pugnat* (vid. modò suprà, et infrà, cap. X). At verò hæresis maximè sub respectu juris canonici, vel unicè in praxi, propter scilicet pœnas canonicas, definienda est, tuncque de illâ quæstio ad Ecclesiæ definitiones spectabit omninò. Porrò definitiones illæ duplici modo proferuntur; vel enim Ecclesia definit talem propositionem de fide esse, sub eodemque anathemate promulgat, atque eo ipso hæretica declaratur propositio contradictoria, vel directè pronuntiat talem propositionem formaliter contrà fidem esse, sub eodemque anathemate eam damnat. Ex hujusmodi definitionibus propositiones falsæ dicendæ sunt in se et habendæ ut *hæreses*; pœnæ autem contrà hæreticos ab eàdem Ecclesiâ latæ non incurruntur nisi ab iis qui baptizati eas cum pertinaciâ, contrà proinde ejus auctoritatem, tenent. — *Erronea* autem tantùm erit propositio, si nullâ tali definitione profligata, contrà tamen doctrinam Ecclesiæ communem, et certam pugnet. Hæc satis hìc de quibus ex professo fusiùs dicetur in tractatu *de Fide*, cùm scilicet de regulâ fidei et notis theologicis propositionum disseremus. Ostendant tamen illa eas notas *de fide, hæretica, erronea*, etc., alicui propositioni appositas, ad jus canonicum etiam pertinere, pendereque ultimò ex Ecclesiæ definitionibus et auctoritate, nec proinde adeò subtiliùs de illis esse theologis disputandum. P. S.

doctrina semper catholica et universalis fuit, ad omnes æquè pertinuit, omnesque eam omni tempore tenuerunt, qui de Deo, et veritate rectè sentirent. Cùm ergò hæresis et secta privatam quamdam disciplinam sonent, quam sibi unusquisque pro suo arbitrio et eligit, et sequitur, nimirùm catholica disciplina hominibus ad unum omnibus à Deo tradita, nec secta, nec hæresis vocanda est, quàmlibet philosophorum placita hæreses vocitentur. Auctores sunt Hieronymus, in cap. 3 Epist. ad Titum, Isidorus lib. 8 Etym., cap. 3, Theophylactus, in cap. 2 Epist. ad Colossenses, Tertullianus, in libro de Præscriptionibus hæreticorum. Quòd igitur Philo nostram religionem hæresim dicit, neque in malam partem tamen, more illius ætatis facit. Sic enim ferè ab hominibus appellabatur.

Ad secundum verò, utrùm apostasia hæresis sit, magnâ doctissimorum dissensione certatur. Sylvester, in verbo *Hæresis* 1, quæstione secundâ, affirmat, apostatam hæreticum propriè non esse. Sed in verbo *Apostata*, § 1 et 2, secum ipse, ut videtur, pugnat. Cajetanus 2-2, quæst. 11, art. 1, docet, quòd apostatæ verè hæretici sunt, quia licèt non credant in Christum, ut ait, actu elicito, profitentur tamen eum charactere christiano. In hæresim itaque incidunt, cùm desciscant à fide catholicà, quam professione tenebant. At in Summâ in verbo *Apostata*, videtur contrà sentire, inquiens: *Apostasia pejor est hæresi, utpotè excedens ipsam totaliter tollendo fidem.* Cardinalis Turrecremata, in lib. 4, part. 2, c. 13, apertè confirmat, apostatam hæreticum non esse. Quæ eadem sententia est D. Thomæ, 2-2, quæst. 11, art. 1, et quæst. 2, art. 1 ad 3, ubi expressè dicit apostasiam non importare determinatam speciem infidelitatis, sed recipere speciem à termino, ad quem est motus recedentis à fide. Ac certè usu et more loquendi sanctorum, hæreticus ille duntaxat est, qui post professionem christianæ fidei sub nomine christiano doctrinæ Christi resistit, ut Augustinus inquit, 18 de Civitate Dei, cap. 51, et lib 16, c. 2, tradit, quòd Cham, medius Noe filius, nec in primitiis Israelitarum, nec in plenitudine gentium tanquàm se ab utroque discernens, et inter utrumque remanens, typus hæreticorum fuit. Atque Origenes, in tertium caput Epistolæ ad Titum: « Hæreticus, inquit, ille est qui Christo se credere profitetur, sed « aliud de veritate christianæ fidei credit, quàm habeat « traditio definitionis ecclesiasticæ. » Et ne singulorum verba referendo prolixi et molesti simus, Ambrosius in cap. 3 Epistolæ ad Titum, Gregorius, in quinto Moralium cap. 11, Beda in Lucæ cap. 17, idem cum divo Thomâ et Augustino sentiant; nec quisquam veterum in longissimis adversùm Julianum disputationibus eum hæreticum, sed apostatam nominavit. Sed ne ratio quidem divi Thomæ pessima est; is enim, qui totam Christi doctrinam rejicit, nihil videtur eligere, sed penitùs à fide discedere. Item apostasia motum quemdam importat discedentis à fide: motus autem non habet speciem à termino à quo, sed à termino ad quem. Cùm ergò apostata ad Judæorum superstitionem et errorem accedit, judaicæ infidelitatis reus est: cùm verò ad paganismum, paganicæ infidelitatis culpam contrahit. Quo fieret, ut apostasia, si hæresis est, in duabus speciebus ejusdem proximi generis collocaretur. Rectiùs ergò divus Thomas philosophatur, cùm ait, apostasiam nullam determinatam speciem infidelitatis præ se ferre, sed ad eam redigi et reduci, ad quam apostata accessit. Nam ex eo quòd recessit à christianâ fide, apostasia speciem non habet, sed circumstantiam quamdam aggravantem, juxtà illud: *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti.* Quò magis eos miror, qui in contrariam sententiam verba D. Thomæ, rationesque deflectunt. Sed eorum argumenta videamus.

Unum est, quòd hæreticus homo per multiplicationem hæresum hæreticus esse desineret. Nam si in aliam et aliam hæresim quotidiè laberetur, quousquè totam prorsùs desereret catholicam fidem, jam ex hæretico per augmentum hæresum, priore nomine amisso, apostata fieret. Alterum argumentum est, quòd pœnæ in jure adversùm hæreticos decretæ apostatas etiam comprehendunt, id quod non esset, si illi non essent hæretici; quùm nulla lex canonica sit, quæ in hujusmodi apostatas animadvertat, nisi in hæreticis contineantur. Postremum argumentum gravius est multò, quàm cætera, quòd Bonifacius VIII apostatas hæreticos esse definierit in hæc verba: *Contrà Christianos, qui ad ritum transierint Judæorum, erit tanquàm contrà hæreticos procedendum.*

Sed primum argumentum non est difficile eludere; quàmlibet enim hæreses cumulentur, si Christum homo ille generaliter profitetur, et sub christiano vocabulo ejus fidem impugnat, hæreticus semper erit, apostata non erit. At ubi primùm et Christi nomen, et totam omninò religionem deserere instituerit, apostata fit, et nomen hæreseos amittit, non per hæresim superioribus adjectam, sed per apostasiam novam, quæ hæresis non est, sed majus aliquid hæresi. Quis autem dubitat, minora per majora aboleri, et nominibus commutatis, priora in posteriora transire? Dispositiones mutantur in habitus, et nomen dispositionis cessat. Scientia viatoris in scientiam comprehensionis vertitur, et scientia illa prior, fidesque et fidei nomen eluitur. Incontinens, incontinentiis sæpiùs iteratis, pravus efficitur, nomen illud vetus evanescit, aut certè in gravius aliud permutatur. Quapropter nihil est admirandum, si asserimus, hæreticum per apostasiam, quæ novum crimen est ab hæresi separatum, multòque gravius crimen, quàm hæresis, antiquum nomen amittere, novum comparare; præsertìm quùm hæreticus apud veteres sanctos non ille apertus hostis sit, sed falsus propheta, qui venit in vestimentis ovium; leprosus item, qui dùm rectis prava permiscet, colorem sanum maculis aspergit; Pharaonis magus, qui veritatis imaginem præ se ferens, veritati resistit; fons deniquè et nubes sine aquâ, arbor autumnalis, sidus errans, quæ omnia aquæ, fructûs, lucis speciem obtendunt. Cùm ergò hæretici nomen generalem quamdam Christi professionem connotet, non est absurdum, si, cùm connotatio abest, absit quoque hæretici vocabulum. Quem-

admodùm, si quis cœnam ad sequentem diem variis poculis quàm maximè possit, varioque item sermone produxerit, cœna jam illi, mutato tempore, in jentaculum, aut prandium etiam convertetur, nec propriè nomenclaturam priorem retinebit.

Secundum verò argumentum ità refellitur. Non est dubium, quin apostatæ in pœnas hæreticorum incurrant (1). Id quod ab ineunte Ecclesiâ perpetuò servatum est, quemadmodùm ex Cypriani opusculis vel maximè liquet. Falluntur autem in eâ re plurimi, quòd omnes Ecclesiæ leges à juris voluminibus petendas esse existimant, in quæ vel Raymondus, vel Gratianus, vel quilibet alius decreta sanè quàm plura congessit. Hinc enim Cajetanus noster præceptum jejunii quadragesimalis, quoniam in decretis pontificis, quæ passìm circumferuntur, non apparet, vix potuit constituere; eodemque labore penè confectus est, dùm legem quæreret, quâ clerici monasticam religionem professi, ad divinas præscriptas preces exsolvendum astringerentur. Multæ sunt, mihi crede, Ecclesiæ leges, quas non Scriptura, sed usus inseruit. Nec conciliorum, atque pontificum scripta omnia juris contritum volumen complectitur. Apostatarum ergò pœnas antè Bonifacium VIII mos Ecclesiæ præscripserat. Sed quoniam quispiam dubitavit, illius dubitationem pontifex in capite resolvit, definiens, non aliter adversùm apostatas, quàm contrà hæreticos procedendum. Verùm è pontificis verbis et definitione non habetur apostatas hæreticos esse; nam illa particula, *tanquàm*, similitudinem rei aliquandò, non semper veritatem affert. Cujus rei exempla non est opus in præsentiâ referre, quia in sacris et profanis litteris obvia sunt plurima. At de hoc argumento, cùm nominis etiam controversiam habeat, nimis multa dicta sunt.

Ad tertium argumentum, illud testimonium, quod Hieronymi nomine scholæ theologi, jurisque periti etiam terunt, Hieronymi non est, sed à Magistro Sententiarum acceptum divus Thomas, cæterique deinceps, ut solet, usurpârunt. At si illa Hieronymiana ad Damasum epistola de trium hypostaseon vocabulo accuratiùs relegatur, divus Hieronymus in eâ potiùs sententiâ est, ut existimet, è sensu, non è verbis hæresim æstimandam. Ecquid enim aliud sibi vult, cùm ità loquitur? « Ab Arianorum præsule et Campensibus trium hypostaseon novellum à me homine romano nomen exigitur. Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes, aiunt. Respondemus nos ità credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant; quia nescio quid veneni in syllabis latet. Et quia vocabula non edicimus, hæretici judicamur. » Et multa alia posteriùs ejusmodi, è quibus intelligas Hieronymum nihil sibi in rectâ et sanâ intelligentiâ à crimine hæreseos timuisse, sed novam vocem, ubi venenum sub melle latere suspicabatur, reformidâsse. Alioqui, illud Hilarii Hieronymus legerat: « De intelligentiâ hæresis, non de Scripturâ orta est, et sensus, non sermo, fit crimen. » Itaque ex verbis inordinatè prolatis in hæresis suspicionem incurrere fortassè possumus, in hæresim, si error in fide absit, non possumus. Quùm enim fides in intellectu sit, necesse est infidelitatem, cujus species est hæresis, in intellectu quoque esse. Item veritati nihil contrarium est, nisi error; quùm ergò hæresis fidei veritati adversetur, sine dubio est error. Sed quoniam interdùm legislatores et judices juris fictione et præsumptione, in foro exteriori crimina persequuntur dicta factaque externa, quæ hæresim testari solent, et hæreses vocant, et pro hæresibus puniunt. Quemadmodùm et in eos, qui foris deserunt fidem, opereve externo cultum idolo exhibent, quamvis ex metu id faciant, animadvertunt, ac si interiùs à fide et religione descivissent. Sed quod ad voces attinet, nihil moror. Nam sicut externa testatio et professio fidei interdùm fides nuncupatur, ità etiam externa testatio hæresis eamdem quoque nomenclaturam habet. Rerum quippè signa et imagines rerum sæpè nominibus appellantur. Quomodò proverbium illud vetus, atque laudatum, cui ego vix unquàm sum assensus, verum est in sermone vulgari: « Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. » At sermone proprio, ut diximus, hæresis apud Christianos error est ejus, qui fidem Christi generaliter se habere profitetur, nec tamen veram habet. Sed enim de rebus ipsis eos, qui fidei et religionis judicium exercent, admonendos putavi, ut non eodem modo dictorum ac factorum judicia faciant. In factis sanè, quæ ipsa per se tetra, ac flagitiosa sunt, nihil est periculi, si ritu judaico circumcidentem, aut idolo, dæmonive sacra facientem pœnis hæreticorum mulctent. Tametsi non sum nescius, viris et theologiæ, et juris peritissimis placuisse id, quod mihi ipsi non displicet, ut quoniam illiusmodi homines non sunt aut hæretici, aut apostatæ, nisi juris fictione, et præsumptione probabili, judices fidei in ea ipsa quidem externa flagitia studiosè nimis ac diligenter inquirant, nùm reverà ex interiori infidelitate proficiscantur, et prodeant. Quòd si constiterit, non errore intellectûs, sed cupiditate, metu, aut aliâ quâvis animi perturbatione id genus scelerata patrata, perfectaque fuisse; tunc illa non tanquàm hæreses, sed leviore animadversione puniendа. Verùm, quùm verba quantùmcumque inordinatè prolata, sæpè à crimine hæreseos, nonnunquàm etiam à crimine omninò vacent, in eorum sensu et mente investigandâ adhibeat judex licet diligentiam vel maximam; sed si in verbis perversis et inquinatis recta sententia dicentis appareat, sanaque et munda fides, admonendus est homo, corripiendus, terrendus quoque; clementer tamen, moderatèque mulctandus. Interdùm verò dissimulanter est vel tota pœna mortalium inscitiæ et imbecillitati condonanda; cùm liberior loquendi licentia hominum levissimorum, quamvis errorem non habeat, vehementer coercenda sit; ut quæ afferat audientibus aliquandò perniciem. At hæc ut à

(1) Pronum est concludere tàm vètari lectionem librorum apostatarum quàm hæreticorum per statuta vel leges simpliciter in libros hæreticorum latas; de quo tamen quidam dubitari posse contendunt. Nostra autem conclusio menti auctoris nostri plane consentit; sed ista etiam quæstio alibi erit definienda. — P. S.

præsenti instituto aliena, quasi primoribus labris gustata dedimus. Quæ sequuntur, ea nostra sunt; ad hoc atque tempus, et locum propriè pertinent. Quamobrem, ut breviter quidem illa, sed enodatè explicentur, ingenii quantùm potero, laboris plus penè quàm potero, adhibebo.

Ad quartum igitur argumentum, controversantur juris periti, atque theologi, an dubius in fide hæreticus sit; itemque similiter (eadem enim quæstio est) dubitare de unâ quâlibet catholicâ veritate an sit etiam hæresis. Nam esse, ratio illa posita primùm videtur ostendere. Deindè et Augustini testimonium illud Enchir. cap. 17 et 19: « Errare, est verum putare « quod falsum est, falsumque quod verum est, vel « certum habere pro incerto, incertum verò pro certo, « sive falsum, sive verum sit. » At qui de unâ quâvis fidei veritate dubitat, is habet certa pro incertis; errat ergò contrà fidem; fides enim, ut Bernardus ait, ambiguum non habet; quòd si habet, fides non est. Hæsitatio igitur istiusmodi error est cum fide pugnans. Quarè si pertinaciam habeat adjunctam, procul dubio est hæresis. Præstereà, concilium Viennense doctrinam omnem aut temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis non sit humani corporis forma, tanquàm erroneam ac veritati fidei catholicæ inimicam reprobat. Non igitur ille solùm errat in fide, eique contrarius est, qui asserit propositionem hæreticam, sed etiam qui veritatem catholicam vertit in dubium. Quorsùm insuper illud caput: *Dubius in fide infidelis est*, in titulo de Hæret. cæteris omninò capitibus præponeretur, nisi ut intelligeremus, id genus homines et hæreticos habendos esse et tanquàm hæreticos puniendos? Prætereà is qui dubitat, fidem amittit, alioquin non esset infidelis; ac fides in baptismo suscepta nisi per hæresim non amittitur. Adde quòd de ratione fidei est constans et certa firmitudo; vacillatio autem et dubitatio pertinax fidei corrumpit firmitudinem; est ergò fidei saltem indirectè contraria, atque adeò est hæresis. Eâ enim re error adversus theologicæ conclusioni hæresis est, quia fidei est indirectè corruptor. His argumentis utuntur illi, qui dubium in fide, si est in dubitando pertinax, hæreticum censent (1). Nam si ex infirmitate, non ex pertinaciâ vacillat et claudicat, omnium una sententia est, hunc hæreticum non esse: *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitàsti?* Matth. 14, 31. Dubitatio igitur hominis infirmi non funditùs tollit fidem, quam in imbecillo modicam ait Dominus esse, non nullam.

Alii verò auctores etiam ipsi eruditissimi contrà sentiunt, dubitationem in fide fidei quidem opponi privativè, non contrariè; hæresim autem fidei esse contrariam positivè; sic enim scholastici loquuntur; itaque dubitationem non propriè esse hæresim; etiamsi homo prudens vidensque dubitaverit. Quam opinionem multis et ipsi argumentis persuadere conantur. Primum est divi Thomæ testimonium prioris ad Corinth. 11, lect. 4, ubi docet, de ratione hæresis esse, ut quis privatæ disciplinæ pertinaciter inhæreat. Nam electio, ut ait, firmam importat inhæsionem; undè colligit hæreticum non esse, nisi qui spernit disciplinam fidei divinitùs traditam, et pertinaciter proprium errorem sectatur. Quæ eadem sententia Hieronymi est in cap. 4 Ep. ad Gal., et cap. 3 Epist. ad Tit., inquientis: « Hæresis ab electione dicitur, quòd scilicet eam hæ« reticus sibi eligat disciplinam, quam putat esse me« liorem. » Atque August., de Utilit. cred. ad Honorat., cap. primo: « Hæreticus, inquit, est qui falsas « opiniones vel gignit, vel sequitur. » At qui dubitat, hic neque habet firmam inhæsionem, nec alterutram quæstionis partem eligit, nec opinionem falsam aut gignit, aut sequitur; non est igitur hæreticus. Rursùm, hæresis contrariè opponitur fidei, et non per negationem aut privationem; at dubitatio, cùm non habeat assensum, nec dissensum, non adversatur fidei contrariè; nam fides assensum præ se fert. Dubitatio igitur non est hæresis. Prætereà, hæresis error est catholicæ veritati contrarius, error autem assensus est, vel dissensus falsus; cùm ergò hæsitatio nec assensus, nec dissensus sit, ne hæresis quidem est. Ad hæc, dubitatio medium quoddam est inter duas extremas controversantium partes, fides verò et hæresis duo sunt extrema summè maximèque pugnantia; dubitatio igitur, quæ inter dogma hæreticum et veritatem catholicam intermedia est, non est hæresis, sed illius particeps atque vicina. En causæ quibus auctores sanè nobiles moveri solent, ut isto modo opinentur.

Nec argumenta eos adversariorum urgent, quominùs in suâ sententiâ perstent. Etenim cùm primùm illis objicitur, dubium in fide infidelem esse, hoc ità repellunt. Infidelitas, inquiunt, tripliciter accipi potest, uno modo secundùm puram et simplicem negationem, ut dicatur quis infidelis ex hoc solo, quòd non habet fidem; et hoc modo, ut dicit sanctus Thom. 2-2, q. 10, art. 1, in his, qui nihil audiverunt de fide, non habent rationem culpæ, sed magis pœnæ. Secundò, capitur infidelitas secundùm contrarietatem ad fidem, quâ scilicet aliquis repugnât auditæ fidei vel etiam contemnit ipsam, et in hoc propriè, ut eodem loco D. Thomas affirmat, ratio infidelitatis perficitur. Tertius modus infidelitatis est medius inter duos modos prædictos, et est fluctuatio quædam inter duas partes, nec uni nec alteri adhærendo; quomodò Stephanus papa loquitur in illo cap. 1 de hæreticis. Tres verò infidelitatis species ejus esse intelliguntur, quæ propriè fidei contraria est, hoc est, non primo, aut tertio modo, sed secundo.

Errare autem eos, qui certa pro incertis habent, ità demùm esse interpretantur, si aut affirment incerta esse illa, quæ certa sunt, aut negent etiam esse certa. Error enim est propositio falsa, verbo sive affirmato sive negato. Qui verò nihil vel affirmat vel negat, hunc propriè non errare; nisi fortè is etiam errare dicitur, qui scopum non attingit, quùm sagittam quidem non jecerit, collineaturus tamen si jecisset. In quem sensum peccatores in universum errant, non ii modò, qui operantur malum,

(1) Vide Adrianum, Quodlibet 2, Gabr. 3, dist. 23, q. 2; archiep. Flor. p. 3, tit 23, c. fin.; Joan. Andr. et Panor., super cap. 1 de Hæres., August. de Anchor. in lib. de Potest. Eccles. Vide etiam Turrecrem. lib. 4, p. 2 cap. 12.

verùm etiam illi qui non faciunt bonum. Sed hoc improprium est. Alioqui, ut ad propositum revertamur, si propterea quòd fidem certam esse oportet, quisquis incertus est, errorem habet, qui opinabitur Christum esse Deum, hic quoque propriè et errabit, et erit hæreticus, nempè cùm non habet firmitudinem eam quam veritas fidei requirit. Sicut enim dubitatio fidem pellit, ità etiam opinatio. Formido namque opinationi conjuncta, perindè certo fidei assensui repugnat, ut illa dubitantis ambiguitas. At, estne quisquam tanto ductus errore, ut veram opinionem esse errorem existimet, quia cum certo assensu, quem fides exigit, simul esse non potest? Qui igitur habebit certa pro incertis, nihil aut asserendo aut inficiando, sed quia pendens animi nec veritatem catholicam, nec dogma contrarium eligit, is fictione juris hæreticus fortè erit, vocis certè proprietate non erit; cùm non sit contrariè et positivè infidelis, quanquàm est infidelis negativè, aut etiam privatè, eò quòd fides sine ullo errore et abjectâ omni formidine et cunctatione vera esse intelligitur; si autem formidinem aut cunctationem habet, fides non est.

Quod verò ex concilio Viennensi testimonium excitatur non modò non est contrà hos, sed maximè horum causam opinionemque confirmat. Cùm enim doctrinam omnem sive asserentem sive vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis humani corporis non sit forma, tanquàm erroneam, ac fidei catholicæ inimicam synodus reprobâsset, ne quispiam putaret, dubium atque assertionem eodem gradu et loco habenda esse, subjungit : « Definiens, quòd « quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere « pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis « non sit forma corporis humani, tanquàm hæreticus « sit censendus. » In quibus verbis perspicuum est, eos, qui eam rem in dubium verterent, non esse à concilio tanquàm hæreticos condemnatos, sed eos tantummodò, qui ejus rei contrarium pertinaciter assererent. Nec enim sine causâ existimandum concilium est eos, qui in dubium verterent, prætermisisse. Doctrina igitur ea, quæ in dubium vocat catholicas veritates, inimica est fidei christianæ, non consummatè et absolutè, sed imperfectè et inchoatè; nam et suo quodam modo colores medii albo inimici et contrarii sunt, et non solùm color ater extremus. Quâ ex re satis intelligitur, hæsitationem meram sine assensu atque dissensu neque errorem propriè esse, neque fidei omni ex parte inimicam.

Jam, quod caput illud : *Dubius in fide infidelis est*, antè cætera ponitur in eo titulo, qui de Hæreticis inscriptus est, non probat dubium in fide hæreticum verè esse, sed juris fictione esse. Id quod secundum ejus titul. cap. ostendit : « Qui alios, inquit Leo, cùm « potest, ab errore non revocat, seipsum errare de- « monstrat. » At qui hæreticis favent, et in eorum errore conveniunt affectu illiciente, non errante intellectu, hi juris quidem suspicione hæretici sunt, verè autem et propriè non sunt. « Error, Innocentius ait, « dist. 83, c. Error, cui non resistitur, approbatur, et « veritas, quùm minimè defensatur, opprimitur. Quid « ità ? Nec enim caret scrupulo societatis occultæ qui « manifesto facinori desinit obviare. » Et Gregorius : « Consentire, inquit, eâd. dist., c. Consentire, videtur « erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non « occurrit. » Nec Stephanus papa, cujus decretum illud esse dicitur, aliter se ipse interpretatur. Nempè docere volebat, quibusnam testibus fides habenda sit, et inter cæteros eos à testimoniorum fide rejicit, qui aut fidem veritatis ignorant, aut dubii nimirùm in fide sunt. Hos enim pontifex jure et infideles esse sumit, et in testimoniis ferendis mendaces. Quocirca primum illud caput non eò forsitan spectat, ut ex illius sententiâ homines hæretici judicentur, sed eò potiùs, ut fidei judices intelligant, quosnam sint in causâ fidei testes legitimos habituri. Absurdum enim esset, ut infideles de fide adversùs christianos testificentur, sive infideles veritatis ignoratione, aut dubitatione sint, seu multòque etiam magis errore contrario.

At eum, qui non infirmitate, sed pertinaciâ dubitat, fidei habitum amittere mihi vehementer probabile est. Nam actum fidei omnis vel pertinax, vel imbecilla dubitatio tollit, qui quidem ambiguum non habet, et si habet, actus fidei non est. Fidem verò in baptismo susceptam nonnisi per hæresim perdi, hujus opinionis auctores facilè negant. Colorem namque album non modò ater expellit, sed gilvus etiam et glaucus, ac cæteri omninò intermedii ; fides item non solùm infidelitate excluditur, sed clarâ etiam visione. Quùm enim venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Nihil igitur obstat quin et per hæresim perfectè contrariam, et per dubitationem, et opinationem, quæ ex parte fidei adversæ sunt, fides ipsa tollatur.

Enimverò quod postremo loco argumentum additur, facillimum est. Error quippè theologiæ contrarius cùm et assensum falsum habeat, et in falsitate contumaciam, indirectè licèt, undique tamen fidei adversus est, tùm ex intellectu, tùm ex voluntate. Dubitatio autem pertinax ex voluntate quidem fidei perfectè adversatur, ex intellectu non item, ut qui, quamdiù dubitat, errorem assensionemque non habeat. Quâ ex parte rationem contrariis claudicare, qui aut admiratur aut ambigit, is se, qui sit vir doctus, nescire fatetur. Cùm ergò hæresis non ex parte, sed undiquè fidei contraria sit, efficitur dubitationem hæresim propriè non esse, quantumvis dubitatio sit pertinax.

Quid ergò ? sat in hoc est, ut de fidei veritate pertinaciter dubitantes non esse hæretici videantur? Mihi quidem non videtur; quanquàm alteram earum opinionum metaphysicus probo, alteram philosophus moralis non reprobo. Ad normam siquidem metaphysicæ, legesque contrariorum à dialecticis physicisque præscriptas, dubitatio neque speciem habet, neque formam. Nihil enim affert, nihil ponit, quod aut res sit, aut formæ rationem habeat. Constat autem, quæ propriè contraria sunt, ea duas formas esse maximè repugnantes. Quo modo satis evincitur, dubitationem nec esse hæresim, nec fidei esse contrariam. At si philosophiæ moralis sequimur leges, quæ in id spectat, quod frequentissimum est, tùm verò hominem pertinaciter de veritate catholicâ dubitantem, eumdem

nullum omninò errorem habere fidei verè contrarium, prorsùs incredibile est. Quòd enim quispiam vel de conclusione aliquâ, vel de uno etiam quolibet theologiæ principio ambigat, nihil est admirandum. Quòd autem non conclusiones modò in Ecclesià certas, verùm etiam omnia catholicæ doctrinæ prima principia in dubium vertat, nulli assentiatur, nulli repugnet, nequaquàm verisimile fit; nisi velimus hominem quempiam fingere hærentem ad omnia, et nutantem, cui universarum rerum infinita quæstio sit, et nullo loco constans, et fixa veritas. Verùm pone hominem ejusmodi reperiri, qui ancipiti semper gradu pendeat, nùm, si Christum generaliter profitetur, Christi etiam doctrinam in generali probat? fac ergò eum Scripturas sacras admittere, aut certè Ecclesiæ auctoritatem. Cùm ergò is dubitaverit de uno quolibet dogmate, quod in Scripturis invenitur, vel ab Ecclesiâ definitum est, si illi ostendas aut Ecclesiæ definitionem, aut Scripturæ apertum dogma, necesse est illum aut dubium abjicere, aut credere, Ecclesiæ Scripturæque testimonia incerta esse. Nam si certa illi sunt, omnem hæsitationem pellent. Meritò igitur ecclesiastici judices et theologorum, et jurisperitorum auctoritate confirmati, eos omnes hæreseos nomine condemnant, qui de dogmate catholico pertinaciter dubitârint. Sed nunc quid pertinacia sit, ea quæ vel maximè hæreticum perficit, quàm brevissimè explanandum est.

Ad quintum autem argumentum, quòd hæresis esse sine pertinaciâ nequeat (nam id primùm quæritur) non est difficile ostendere, tùm communi omnium et theologorum, et jurisperitorum consensione, tùm gravissimis veterum testimoniis, in quibus illa præclara sunt, quæ ex Augustino referuntur, 24, quæst. 3. cap. *Dixit Apostolus;* et cap. *Qui in Ecclesiâ*. Idem colligitur ex cap. *Damnamus*, de summâ Trinitate; non enim tanquàm hæreticus condemnatur, nisi qui doctrinam fidei contrariam defendere præsumpserit; præsumptio autem (sic enim vulgus arrogantiam appellat) radix est pertinaciæ. Ex cap. unic. de summâ Trinitate in 6, illi censentur hæretici, *qui præsumpserint, aut temerario ausu asseruerint*, etc. Et in Clement. de summâ Trinitate apertiùs: *Quisquis asserere pertinaciter præsumpserit*, etc. Divus quoque Thomas tantùm abest, ut ab hâc sententiâ alienus sit, ut non modò arbitretur hæresim sine pertinaciâ reperiri non posse, sed etiam contendat, eam in hæresis ratione includi. Quam rem suadet in primis ex nominis origine; nam, ut explicatum est, hæresis græcè ab electione dicitur. Non est ergò hæreticus, nisi qui videns et prudens doctrinam eligit fidei contrariam; id quod sine pertinaciâ non fit. Utitur deindè illo Apostoli testimonio, Tim. 6, 3: *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ*, etc. Qui ergò Ecclesiæ doctrinæ resistit, atque ideò est pertinax, is duntaxat hæreticus habendus est. Præterà hæresis, ut suprà quoque diximus, fidei catholicæ maximè ac summè repugnat; non est autem perfecta fides, nisi intellectûs assensio vera voluntatis rectâ consensione firmetur. Igitur nec hæresis absoluta, et consummata est, nisi falsum intellectùs errorem prava voluntatis electio confirmet, ut quemadmodùm in fide constantia veritatis est igitur, ità in hæresi contraria insit pertinacia falsitatis. Sed benè habet, quòd in hâc re asserenda nullum adversarium habemus. Quapropter etiamsi rationes nec probabiles essent, nec satis idoneæ ad faciendam fidem; communi tamen omnium sensu ea definitionis particula comprobaretur. Non eum arbitrantur hominem quempiam hæreticum esse, quin idem in errore sit pertinax.

At quid pertinacia sit, à multis quidem addubitatum est, à paucis verò expeditum. Sive autem dicatur pertinax, quasi nimiùm tenax, seu plus etiam quàm decet animo pertendens (hæc enim minutula nimisque depicta libentiùs omitto), perspicuum est tamen, eum nunc vocari pertinacem, qui valdè nimisque etiam in errore permanet, falsamque sententiam mordicùs tenet, arctèque defendit. Ità à quibusdam definitur hoc modo: *Pertinax est, qui id tenere pertendit, quod debet dimittere*. Cui definitioni illa vel finitima, vel certè eadem: *Pertinax est, qui in errore persistit, quem deserere tenetur*. Facillimè dicuntur hæc, quis dubitat? Sed si ea pertinacia explicata est, quæ errori adjuncta facit hæreticum, plures sanè in hæreticis habebuntur, qui hæretici non sunt. Primùm enim si error contrà fidem sit, illum fugere ac declinare debeo, sive fidei contrarium esse videam, sive etiam ignorem. Errant quippè illi vehementer, qui ignorationem existimant obligandi vim à præceptis auferre. Non id, mihi crede, ignoratio efficit, ut obligatione solvamur, sed ne res aliàs vetitæ nobis impingantur ad culpam. Omnis igitur homo, etiamsi in ignoratione versetur, errores fidei contrarios simpliciter, absolutè evitare debet, si eos nondùm habet, et si habet, destituere. Itaque, si in eis perstat vel ignorans, id nimirùm tenet, quod dimittere tenebatur. Verùm isthæc omissa faciamus, quæ tenuiùs disseruntur, quàm ut quivis ea possit agnoscere, et ea persequamur, quæ facilè vel imperiti comprehendent. Enimverò, cùm homo imperitus vel ab episcopo suo est admonitus, vel à fidei judicibus, vel à theologis insignis cujuspiam academiæ, vel ab amicis etiam eruditis et piis; si adhùc errorem non deserit, in eo nimirùm perstat, quod debet dimittere. Est ergò verè pertinax, si in verbi ejus definitione neque abest quidquam, nec redundat. Nihil igitur deerit, quod ad hæresim constituendam est necessarium. Habet enim homo ille errorem fidei contrarium, in quo etiam est pertinax. At minimè ambigitur ejusmodi hominem, tametsi omninò peccat, hæreticum tamen non esse, si non existimat, sententiam suam Ecclesiæ esse contrariam, sed aut episcopum, aut inquisitores (sic vulgò appellantur), aut theologos academiæ falli. Quocircà nondùm videtur, ex iis quæ dicta sunt, pertinacia illa innotescere, quâ hæresis constituitur. Sed ne hanc rem quidem ea pertinaciæ insignia patefaciunt, quæ ut ederent, plurimi sine causâ sudârunt. Nam rei hujus quosdam notas septem, alios duodecim, alios etiam

viginti edidisse pervulgatum est. Et cùm signa ex illis quædam dubia sint, potest accidere, ut aliquandò signum dubiè datum pro certo à fidei judicibus sit acceptum; ità fiet, ut pertinax is, et hæreticus judicetur, qui hæreticus verè non est. Sed quoniam aliter jurisperiti, aliter theologi hæc et similia tractant; jurisperiti, quatenùs tenere manu res possunt; theologi, quatenùs ratione et intelligentiâ; exponamus primùm ad theologorum leges, quænam ea pertinacia sit, quæ hæresim perficit; deindè, si fieri potest, juris quoque prudentibus pertinaciæ hujus signa, notasque tradamus, non illas tàm multas, tàm varias, tàm ambiguas, sed perpaucas, fixas atque constantes.

Ad primam igitur confirmationem quinti hujus argumenti, ratio hoc theologiæ postulat, ut pertinacia, quæ hæresim facit, non sit temporis diuturnitate æstimanda, ut scilicet ille sit pertinax, qui diù in errore persistit. Certè si constaret, quòd unâ solùm horâ quispiam, Deum non esse trinum, ex animo defendisset, is hæreticus ab Ecclesiâ judicaretur, quæ ex uno actu, quamtùmvis brevi, vel adorandi idola, vel puerum circumcidendi, solet homines, tanquàm si essent hæretici, judicare; nequàm judicatura, si crimen hæreseos diuturnum longumque illud tempus exigeret. Rursùm, si quis sciens prudensque totam fidem abnegârit, quamvis brevissimam moram interposuerit, apostata verè et jurè ab Ecclesiâ censebitur; ergò et ille hæreticus judicabitur, qui manifesto fidei articulo repugnaverit, etiamsi repugnantia illa diutina et longinqua non fuerit. Prætereà, ut fidei actus omnibus suis numeris expletus sit, temporis longinquitas nulla est necessaria; ergò nec hæreseos adversa actio diuturnitatem sibi erroris vindicat et requirit. Illud rursùm ratio theologiæ docet, hæreticum eum esse, qui volens unicuilibet dogmati assentitur, tùm etiam cùm intelligit Ecclesiæ fidei esse contrarium, ut si quis posteà quàm illi constat, rem quam credit, vel sacris litteris, vel Ecclesiæ apertè definitioni refragari, sui adhùc juris sententiæque sit; hæc scilicet vera hæresis est, atque in suâ specie perfecta. Id quod egregio argumento Cajetanus demonstravit. Fides enim assensu intellectûs perficitur, ex consensione voluntatis in eo, qui rem, quam credit, cognoscit esse catholicam veritatem; ergò et infidelitas dissensu intellectûs perficitur ex consensione voluntatis, in eo, qui rem, cui assentit, cognoscit esse contrà Ecclesiæ communem fidem. Contrariorum enim contrarias oportet esse notiones. Confirmat autem hoc vel maximè præclarum illud Augustini testimonium inquientis, lib. 4 contrà Donatistas: « Constituamus aliquem id sentire « de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem « ipsam esse catholicam fidem; istum nondùm « hæreticum dico, nisi manifestâ sibi doctrinâ catholicæ « fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat, « elegerit. » Præterеà, qui sic tenet errorem fidei contrarium, ut non sit paratus ab Ecclesiâ corrigi, sine dubio est hæreticus, ut Augustinus idem in epistolâ ad Glorium et Eleusium affirmat. Sed qui videt suam opinionem adversam esse catholicæ fidei, et adhùc in eâ permanet, hic non est paratus ab Ecclesiâ corrigi, cujus videlicet auctoritatem rejicit et contemnit; verum igitur crimen hæreseos admittit. Quâ ex re intelligitur, pertinaciam eam, quæ hæreticum facit, semper solùmque in eo inveniri, qui dogma aliquod tenere pergit, cui cognoscit catholicam sententiam adversari. Id verò nominis ipsa quoque notio declarat. Pertinax quippè is dicitur, qui plus nimio in propriâ sententiâ hæret. At qui opinionem suam intelligit communi Ecclesiæ sensui et fidei repugnare, atque in eâ pertinat nimis, profectò ille in privatâ sententiâ perseverat; verè igitur est pertinax; imò hæc sola consummata pertinacia est, quæ absolutè cum fidei constantiâ pugnat, atque adeò sola ea simpliciter hæresim conficit. Nam quemadmodùm, ut paulò antè dictum est, fides eâ electione perficitur, ubi is, qui vult veritati assentiri, intelligit illam esse catholicam veritatem; sic et hæresis contrariâ omninò electione consummabitur ejus, qui adversante catholicâ fide, propriam sententiam videns volensque complectitur. Ecquis enim eo pertinacior esse potest, quem de susceptâ causâ propositâque sententiâ nulla Ecclesiæ vis, nulla catholicorum depellit auctoritas? Præclarè itaque Hieronymus interpretatur, hæreticum idcircò subversum esse, et proprio judicio condemnatum, quia suo arbitrio ab Ecclesiæ institutione discessit, quæ discessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.

Quibus rebus positis, illa consectaria sunt. Primùm, si dogma aliquod nondùm est certum et expeditum ad catholicam fidem attinere, quamvis plerique viri docti existiment à Deo esse revelatum, peccat ille quidem graviter, qui cum eo dogmate pugnat, estque item pertinax, qui plurimorum et doctissimorum auctoritatem contemnit, eamque obstinatione quâdam sententiam repudiat: sed non est hæreticus, quoniam pertinacia illa, tametsi impudens et vitiosa est, non tamen in Ecclesiam tendit, sed in viros illos eruditos ac pios, quos ille arroganter despicit, ac pro nihilo putat (1).

Illud deindè consectarium est: Si certum exploratumque sit, dogma unumquodlibet fidei veritatem esse, qui ignoraverit ejusmodi dogma ad fidem spectare catholicam, et quamvis admonitus ab episcopo, ab hisque rursùm, quibus fidei cognitio concessa est, à viris demùm doctis et piis, placitum suum præfractè nimis obstinatèque defenderit; hic temerarius, contumax, præceps, insolens, sapiens hæresim, et quibusque hujus generis nominibus notari poterit; nec tamen etiamnùm notam hæreseos habebit, quia (dicendum est enim sæpiùs) pertinacia ejus nondùm cum fidei veritate et Ecclesiæ auctoritate pugnat, sed cum eorum sententiâ, qui et fallere et falli possunt. Rectè igitur D. Thomas asseruit, eum qui paratus est corrigi secundùm Ecclesiæ determinationem, hæreticum non esse, quia non ex malitiâ errat, sed ex ignorantiâ. Quod de crassâ etiam

(1) Attamen, priusquàm peccati reus ità censeatur, id expendendum maximè, an scilicet Ecclesia aliquo modo certè illam improbaverit opinionem quam ille tenet contra plures viros pios et doctos, nec liberam in scholis permiserit. P. S.

ignorantiâ dictum accipio; nam quæ affectata est, hæc non tollit quin peccatum sit ejusmodi cujusmodi esset, si à sciente et vidente committeretur. Nempè affectatus error ex electione est, nec paratus est ille corrigi, qui de industriâ commonitionem Ecclesiæ doctrinamque declinat. At qui ex ignorantiâ non affectatâ errat, hic quodammodò invitus est et repugnans, non libens et voluntarius. Quocircà nec errorem eligit, nec gravatè feret, quùm ab Ecclesiâ corrigetur, errorem suum ipse corrigere.

Verùm nostris hisce documentis illud inprimis objicitur, quòd error iste ignorantiæ vitiosæ mortale peccatum est, præsertìm post admonitionem episcopi docti, prudentum judicum, theologorum sapientium. Peccatum autem mortale hoc non nisi sub infidelitatis genere continetur. Tres verò solùm esse infidelitatis species, D. Thomas definivit. Cùm ergò crimen ejusmodi nec paganismus, nec judaismus sit, erit profectò hæresis. Adde quòd si quis ex ignorantiâ vitiosâ et supinâ hominem occideret, verè et propriè homicida esset, in easque pœnas incurreret quæ fuerint homicidis à jure præscriptæ. Eadem verò causa subest in eis qui manus violentas clericis attulerint, atque in cæteris omninò sacrilegis. Qui igitur ex ignorantiâ crassâ post susceptum Christi baptismum, errorem habuerit fidei contrarium, is verè erit hæreticus. Actus enim, qui ex hujusmodi ignorantiâ proficiscitur, simpliciter et absolutè et volentis est et consentientis; poterit ergò excusari quidem, ne tàm gravis culpa sit, non autem ut hæreseos culpa non sit, et ejus omninò generis, cujus esset, si à non ignaro proficisceretur. Adde etiam divi Thomæ testimonium in hæc verba : « Ab errore « circà articulos fidei non possunt aliqui propter sim- « plicitatem excusari, quin sint hæretici, præsertìm « quantùm ad ea, quæ Ecclesia solemnizat, et quæ « communiter versantur in ore fidelium. Sed circà « alia, quæ indirectè pertinent ad fidei disciplinam, ut « quòd Isaac fuit filius Abrahæ, non judicatur aliquis « hæreticus, nisi ab errore non recedat, etiam viso « quid ex eo sequatur. » Hactenùs ille. Quæ verba adeò apertè cum hâc nostrâ doctrinâ pugnare videntur, ut non sit necesse argumentari. Sed Chrysostomus videtur quoque nobis adversari, qui illum Pauli locum : *Cum modestiâ corripientem eos qui resistunt veritati*, etc., de eis accipit, qui non adversandi affectu, sed studio discendæ veritatis veritati resistunt. At Paulus de hæreticis loquebatur, quos alio loco, nempè 2 ad Tim. 2, 25, semel atque iterùm commonefaciendos esse corripiendosque præcepit, sed post unam et alteram correptionem devitandos.

Quibus argumentis breviter ità respondeo. Diximus suprà dupliciter aliquod peccatum in genere et specie collocari; uno modo formaliter et directè, altero modo materialiter et reductivè. Dent mihi Latini veniam, precor, si verba minùs latina usurpârim. Sic à dialecticis accepimus, materiam in prædicamento substantiæ poni, punctum in genere quantitatis, embrionem in ejus specie animantis, cujus gratiâ à naturâ paratur; poni, inquam, non per se et propriè quidem, sed per accidens, et quasi impropriè. In moribus itidem quædam peccata sunt in suâ specie perfecta, quæ videntes et scientes de industriâ committunt, et eò propriè per se et formaliter in suâ quodque specie reponuntur. Alia verò imperfecta sunt, quæ præter intentionem ignorantes admittunt, et ejusmodi ad speciem et genus per accidens reducuntur. Error igitur ille catholicæ veritati contrarius, quandò in vitio ignorantia est, ad speciem hæresis referetur; nec tamen hæresis perfecta erit, nec perfecta infidelitas, quæ, ut antè etiam dictum est, in tres species à divo Thomâ distinguitur. Prima itaque objectio minimo negotio pellitur.

Illa altera difficilior est, ubi quæritur, cur qui hominem ignorans perimit, verè homicida est, atque adeò pœnas homicidii contrahit, si ejus ignorantia est in vitio; is autem, qui contrà fidem errat post fidem in baptismo susceptam, nec crimen hæreseos verè patrat, nec in pœnas hæreticorum incidit. Quæ sanè quæstio solvitur. Non est hæreticus nec theologorum, nec jurisperitorum usu, qui in hæresim illam imperfectam incurrit; nec hæresis illa imperfecta in frequenti vulgatoque sermone simpliciter et absolutè hæresis est; sed ille tantummodò hæreticus dicitur, qui formaliter et ex electione, quasi deditâ operâ, cum communi fide pugnat. Quarè nisi à perfectâ et consummatâ hæresi nullum hæreticum nominabimus, si frequentem eumdemque proprium hujus usum vocabuli volumus conservare. Eam rem quoniam tùm ex nominis origine, et notione, tùm ex veterum testimoniis, tùm ex communi omnium sensu paulò antè ostendebamus, nihil est necesse acta agere. Hinc illud est, de Hæret. can. *Excommunicamus* : « Excommunicamus omnem hære- « sim extollentem se adversùs catholicam fidem. » Non errorem ait extollentem se adversùm episcopum, non adversùm inquisitores, non adversùm theologos aut Parienses, aut Salmanticenses, aut Complutenses, aut Bononienses, sed adversùs catholicam fidem. Hinc etiam illud 2 ad Tim. 6, 3 : *Non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ*. Non dixit : Sanis sermonibus episcopi sui, non eorum, qui de fide inquirunt, non theologorum etiam multorum, sed *Domini nostri*, etc. Quòd si vel in divinis libris, vel in Ecclesiæ doctrinâ non acquiescit, hæreticus est; quamvis non sit nec ab amicis, nec à theologis, nec à fidei judicibus admonitus. Contrà verò, si horum omnium repudiatis et monitis et præceptis, sermonem tamen Dei et Ecclesiæ non industriâ repudiat, sed ignorantiâ, hæreticus non est. Nec verò eædem causæ subsunt, ut cætera vitia, cùm ex ignorantiâ crassâ supinâque prodierint, et nomen et speciem amittant. Non enim homicida is solùm dicitur, qui hominem datâ operâ occidit, seu qui injustè occidit, quamvis animi perturbatione aut etiam imprudens id fecerit. Atque item similiter in reliquis.

Jam D. Thomas vel prudenter fidei judices admonet, idque illis præcipit, quòd non suspicari modò, sed sumere etiam atque existimare debent; vel non putat ea, quæ in omnium Catholicorum ore versantur,

ab ullo omninò fideli ignorari posse, nisi qui errorem affectaverit; vel de hæresi imperfectâ intelligit, quæ nec pertinaciam requirit, nec absolutè et simpliciter hæreticum facit, sed quodam modo. Atque hoc responsum idem illa etiam verba recipiunt, quæ ex part. 1 suprà scripsimus.

At Chrysostomus à nobis stat, non contrà nos. Qui enim non studio certandi, sed discendæ veritatis doctrinæ resistit, cùm doceri paratus sit, eum nec Chrysostomus, nec alius quispiam hæreticum propriè vocaverit. Et illos tamen, de quibus Paulus Timotheo sermonem faciebat, grave peccatum peccavisse, verti in quæstionem non potest. Invenitur ergò, Chrysostomo auctore, error fidei contrarius, qui tametsi in vitio est, non tamen est hæresis : quia non est malitiosi error, sed ignorantis. Quòd si Chrysostomi interpretationem sequimur, non erat Paulo de hæreticis sermo, qui, quoniam obstinatè pugnaces sunt, non sunt admonendi sed vitandi. Quem sensum judices fidei videntur sequi, cùm in universum jubent, hæreticos vel omissâ fraternâ correctione denuntiari. Quod utique præceptum vulgò datum prudentiâ plenissimum est; quanquàm non omnium hæreticorum aures, ut quidam falsò putant, ità clausæ sunt veritati, ut ab amico præsertìm docto et sapienti verum audire non queant. Hanc spem, fateor, de amicis hæreticis non sunt passìm indocti habituri; paucorum erit ista fiducia, eaque prudentissimorum, sapientissimorum, conjunctissimorum, qui et prudenter intelligant, quorum non sit desperanda salus, et sapienter amicèque possint suos ad fidem Ecclesiæ revocare. De quibus non valdè obfirmatis Paulum quoque ad Timotheum loqui, haud absurdè intelligimus. Nolo autem, ut quispiam quamvis doctus et amicus, hâc periculosissimâ ætate, ubi hæretici obfirmatissimi sunt vel plerique, vel omnes, fraternâ correptione abutatur, nisi firmiter et certò existimaverit, hæreticum esse ex animo convertendum. Non enim propter conjecturas aut verisimiles, aut etiam probabiles, rem tanti momenti debet periculo exponere; præsertìm cùm experimento exploratum fuerit, quantùm nostratibus incommodi attulerit in crimine hæresis intenta correptio. Meminisse debet vir doctus et prudens, Paulum mulieri consulere, ut maneat cum viro infideli; quòd videlicet inter gentes, quibus tunc scribebat, spes erat, ut uxor virum suum ad fidem alliceret. At ubi Ecclesia comperit inter Judæos præsertìm uxores potiùs corrumpi à viris, prudentissimè sanxit, ne uxor ad fidem conversa cum viro infideli maneret. Quà lege non Pauli consilium evertit, sed firmavit. Sic fidei judices, quandò multis magnisque experimentis acceptis legem tulerunt de denuntiando hæretico, quamvis occulto, fraternæ correptionis legem à Christo præscriptam non violant, sed stabiliunt. Nisi naturæ juribus legislator repugnavit, cùm sapientissimè edixit : *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clàm dicens : Eamus, et serviamus diis alienis, quos ignoras tu, et patres tui; non parcat ei oculus tuus, ut miserearis et occultes eum, sed statim interficies*, etc. Deut r. 13. Hæc igitur lex in crimine hæresis populo servanda est diligenter, ne, dùm per falsam misericordiam homini indulget, in rem Christi publicam crudelis sit.

Ad secundam quinti argumenti confirmationem, non operæ pretium erit hoc loco disputare, an Apostoli hæretici fuerint; quod qui fatetur, quâ hunc objurgatione, an quo potiùs convicio à tanto errore coner avertere? Potestne enim, Deus immortalis, absurdius dici quidquam, quàm ministros proprios Evangelii ad unum omnes, non è fide modò alienos, verùm etiam hæreticos fuisse? Quantò et veriùs et modestiùs illi sentiunt, qui arbitrantur, Apostolos Christi non ex malitiâ, nec de industriâ, sed ex animi perturbatione et ignorantiâ peccâsse! Apertè illis Dominus mortem et resurrectionem suam prædicebat, et tamen ipsi, ut Lucas ait, non intelligebant, quæ dicebantur, et credemus nos, post tot adeòque magnas turbas excitatas, discipulos non perturbatione animi, sed malitiâ dubitasse! Nam incredulitas et duritia cordis cujusmodi illa fuerit, Evangelista nobis exposuit, inquiens, quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Illi porrò, qui viderant, digni omninò erant, quibus fides haberetur, sed falli poterant tamen. His ergò non credentes Apostoli quidam et multis et incorruptis testibus, duri erant increduli que etiam erant, at non Deo, sed hominibus. Pertinaces itaque erant adversùs homines, non adversùs Deum et Christum ejus. Quocircà Christi discipulos hæreseos insimulare, stultitiæ est manifestæ, si ea quæ diximus, in hæresis finitione constituendâ, rectè et dicta et confirmata sunt. Confirmatum est autem multa esse, quæ concurrant, ut quispiam hæreticus constituatur. Primùm errorem habeat oportet, deindè ut is error catholicæ veritati contrarius sit. Tertio loco, certum esse necesse est, atque expeditum, errorem illum veritati catholicæ repugnare. Quartò errori pertinaciam adjungi non quamvis, sed quæ cum certâ Ecclesiæ regulâ pugnet. Quintò, ut is error sit post susceptam fidei professionem in illo, qui Christo se credere profitetur.

Hactenùs theologis nostris attenuatè pressèque definivimus, quidnam hæresis sit, undè illis statìm perspicuum fiat, quænam sit hæretica propositio. Nam in mente eadem prorsùs res est, in voce autem vel scripto hæretica propositio dicitur, quæ hæresim interiorem enuntiat, illiusque est omninò signum. Quia verò solus Deus novit et corda et cogitata filiorum hominum, nemo mortalium profectò potest alterius habere clarè cognitam hæresim, et satis firmè conceptam animo atque comprehensam. Quamobrem cùm vox scriptumque ipsum, ac cætera demùm omnia externa signa fallacia aliquandò sint, non est facile certas et constantes formulas fidei judicibus exprimere, ut rectè atque ex ordine valeant de hæresibus judicare. Nam theologi, quùm compertum habuerint, propositionem aliquam fidei catholicæ esse manifestè

contrariam, subscribent fortè illicò, hæreticam illam esse, quoniam interdùm de rebus ipsis nudè positis ex genere naturâque loquuntur, et eas, quas circumstantias appellant, quandoque aut negligunt, aut certè in judicium fide ac diligentiâ deponunt. Itaque suo se munere probè functos arbitrantur, si unum illud exploraverint, an error, cujus ab eis nota quæritur, fidei apertè adversetur. Cùm autem ad hæresim perficiendam eam, quæ legibus proscripta et damnata est, quædam alia sint, ut diximus, necessaria, non videtur esse benè consultum multorum infirmitati et innocentiæ, nisi fidei censores iterùm atque iterùm admoneantur, ut diligentissimè errantium judicium, ingenium et animum studeant indagare, illudque potissimùm an eam pertinaciam habeant quæ suprà studiosè nobis et sedulò definita est, quòd in hâc re vel maximè ecclesiastici judicii cardo versatur. Nec satis est ad sententiam de hæresi ritè justèque ferendam, hæresim ipsam suspicione attigisse, sed comprehensione quâdam opus est, ut sine errore de erroribus judicetur. Nisi enim illos judex quasi manu teneat, præceps ferè erit temerariumque judicium. Quòd si in causâ sanguinis id civiles leges præscripsère, ut probationes essent luce meridianâ clariores; ecquid fieri oportet ab Ecclesiæ judicibus in eis causis decernendis in quibus non solùm res, honor, fama, vita hominis unius periclitatur, sed totius etiam generis ac familiæ præclara et sempiterna existimatio? Age ergò normas præstituamus, quibus Ecclesiæ judices tutò in hæresi dijudicandâ uti possint.

CAPUT VIII.

Regulæ tres, ad quas fidei externa judicia dirigenda sunt.

Prima formula in promptu est, *ipsius contrà se errantis testimonium*, quod in omni foro exploratum est admissi criminis argumentum, præsertìm si crimen suum reus suâ sponte et voluntate testificetur. Tametsi ea etiam confessio, quam à reo judex quæstione ac tormentis exprimit, secundùm leges tùm civiles, tùm canonicas, idonea est ad faciendam in externo judicio fidem. Sed de toto hoc et confessionis et quæstionis genere commodiùs non à jurisperitis solùm, verùm à quibusdam etiam optimis viris familiariter colloquentibus, quàm ab ullis theologis ullâ in scholâ disputatur. Nec verò quempiam velim in eum sensum formulæ hujus verba interpretari, ut reus, qui hæresis fortassè vim et naturam nescit, hæresim ipse sit suo judicio æstimaturus, illumque secuturi in sententiâ judices. Sed ità accipi oportet, ut reus cùm factorum atque dictorum suorum, tùm propriæ conscientiæ atque animi testis contrà se sit; judices ex factis, dictis mente, ingenioque illius hæresim deprehendant, cujus notionem antè oculos positam habere in omni fidei religionisque judicio debent. In hominem præceptor olim meus incidit, qui vehementer se ipse affirmaret hæreticum esse. Quid ità? rogat; cur te hæreticum esse arbitraris? Respondit se tenere contrà catholicam fidem. Hic ille urget : An tu credis catholicam fidem falsam esse? Minimè gentium, inquit iste; ideò enim me hæreticum existimo, hoc est errantem et à veritate alienum, quia contrà fidem catholicam sentio. Jam præceptor risum continere non valens : Abi, stulte, ait; eò enim minùs hæreticus es, quò magis te hæreticum opinaris; salva quippè res est, si tunc errare te sentis, quùm fidei catholicæ repugnas. Sic hominis stultitia est non tàm theologiæ rationibus, quàm prudentiæ manibus comprehensa. Mihi etiam ipsi aliquandò contigit, ut à judicibus fidei errores nescio quos denotandos acciperem; certè hominis ejus errores, ut posteà comperi, qui judicum nec jussu, nec accersitu ad tribunal venerat, sed sacerdotis cujusdam suasu et consilio, quem pœnitentiæ administrum habebat. Spontè igitur, suoque judicio hæreses adversùm se plurimas (sic censebat), excipiente notario, prodidit. Ad me ergò itum est, ut errorum notas ederem. Quos ut multos variosque conspexi, cœpi mecum ipse attentiùs cogitare, quisnam eorum auctor haberi posset. Quicumque porrò is esset, partìm ex Arii, partìm ex Macedonii, partìm ex Wicleffi, partìm ex Lutheri fontibus, quasi quosdam deduxisse rivulos videbatur. Crederes eum assiduè in omnium hæreticorum lectione versatum; quòd si ulla esset rerum consequentia et connexio, errorumve compositio et coagmentatio aliqua, mihi quoque objecta esset ista suspicio. Sed cùm cernerem, in tantâ errorum copiâ non complexionem esse, non vinculum, insaniæ hominis potiùs quàm hæreseos venit in mentem. Nolui itaque de erroribus judicare, nisi priùs auctoris ingenium et judicium exploràssem. Ergò judices rogo nùm copia sit videndi hominis. Aiunt esse, nam datus erat in custodiam, et conjectus in carcerem. Solvitur vinculis, coràm producitur, intueor oculis, animo cerno, video illum parùm sanâ mente esse. Periculum ex rebus præsentibus feci, quas longum esset commemorare; probavi ità se habere rem, ut antè ego cogitâram. Vix tamen à judicum animis opinionem infixam potui divellere, sed vici tandem, et persuasi atque, ut erant viri boni, dederunt manus, amentemque spontè confessum, suoque judicio convictum, in parentum domum cerebro vacuum quidem, sed omni etiam pœnâ vacuum dimiserunt. Ac de his nihil est necesse, ut theologi præcipiant; sunt tamen ea cognoscenda; pertinent enim ad eum usum, quem juris prudentes sunt è locis theologicis habituri, de quâ re hoc libro disserimus. Reliqua deinceps persequamur; nam formula hæc tantùm attingenda fuit.

Alteram D. Thomas protulit in primâ parte et in priorem ad Corinthios Epistolam. Ea est hujusmodi : *Si error fidei contrarius circà ea sit, quæ nullo modo est probabile ab errantibus ignorari, quia ad fidem catholicam certò pertineant*, tunc judices tutò de hæresi pronuntiabunt. Ut si, exempli causâ, homo quivis etiam de mediâ plebe, aut neget Christum cruci suffixum, verè mortuum, verè à mortuis excitatum; aut aiat superfluum esse et vanum orare pro mortuis, nullo præmio justos à Deo affici, nullo supplicio improbos, et cætera similia. Item si vir in scholâ theologiæ diù multùm-

que versatus contendat, Spiritum sanctum à Filio non procedere, aut Patrem et Filium Spiritùs ejusdem duo esse principia; aut non esse tres pœnitentiæ partes; aut christianis nullo modo esse licitum cum hostibus belligerare; aut episcopum non esse superiorem simplici sacerdote, aut quidquam ejusmodi, quod incredibile est nescire theologos ad Ecclesiæ communionem fidem attinere, præsertìm si in scholà, ut dixi, perdiù sese ac valdè exercuerunt. Quà in re non dubito, quandoque à judicibus per remissionem nimiam, aut magnam certè ignorationem erratum. Nolo enim suspicari, fidei leges per gratiam esse aut populi furori, aut potentium voluntati concessas. Fuerunt antè paucos dies theologi quidam habiti doctissimi, in iis erroribus deprehensi; quos et Lutheranorum esse proprios, et Ecclesiæ communi adversos, nemo addubitare poterat, qui vel mediocriter rebus theologicis esset instructus. Coacti sunt hæreses abjurare, quasi suspecti de hæresibus, non convicti. Cùm tamen si hæc non dico ad rhythmicorum, aut musicorum acerrimam normam, sed ad perpendiculum communis juris et vulgarem rationis formulam dirigerentur, nullum facilius erat procliviusque judicium. Turpe fuit autem ea dubitare peritos, quæ ne rustici quidem dubitant, nempè nullo pacto verisimile fieri, ut homines in earum rerum, quas diù multùmque tractàrunt, ignoratione versentur. Ecquis autem credat, viros theologicissimos (sic censebat vulgus) earum rerum inscios et rudes, quæ theologis universis notæ et pervulgatæ sunt? Erat in animo, quæ horum theologorum fuerint errata, subscribere; ut in hâc quasi imagine et ejus præscriptionis regula illustrior appareret, et admonerentur quoque futuri judices, ut alieno periculo saperent, neque animi relaxationem et mollitiem, clementiam, et misericordiam esse arbitrarentur. In illis nimirùm et reis et judicibus, ne quod perniciosum exemplum esset proditum, pertimescebam. Quod enim exemplo fit, jure fieri putant. Sed quoniam jam rei ipsi decesserunt, omnique odio carent et invidià, non putavi ejusmodi errores traducendos; quos si contestatos et consignatos ederem ad sempiternam memoriam turpitudinis, non solùm in mortuos reos, sed in vivos etiam judices viderer maledicta conferre. Quanquàm fortè ibi timeo, ubi non erat timor. Sed utcumque res habeant, jurisperitos admonui, ne in animum inducant credere, nullos esse pertinaces, nisi qui judicum monitiones præceptaque despexerint. Antè hominum hortatus istos, crede mihi, vera hæreticorum pertinacia reperitur, eorum scilicet, qui minimè ignorant opiniones suas contrà fidem Ecclesiæ venire. Ipsa verò omnium fidelium vox, idemque communis sensus, non pro unâ monitione dico, sed pro mille sufficit. Quapropter Ecclesiæ unam vocem qui spernit, hic multò pertinacior est quàm si sexcentas aut theologorum, aut judicum contempsisset. Ac de secundà quidem regulà hactenùs. Tertiam hanc habebimus.

Si de cujuspiam errantis pertinacià dubitant judices, duæ res illis sunt accuratius transigendæ (quarum una theologorum propria est, altera cum theologis jurisperitorum etiam communis : priorem ergò à theologo jurisperitus mutuabitur, posteriorem autem suo sibi jure vindicabit) : *Primùm à sapientissimis theologis illud explicatum diffinitumque habeant judices, an error, qui in judicium venit, cum fide catholicà apertè pugnet.* Nam unà ex hâc parte dupliciter hæreseos judicium excludetur, vel quia incertum est, dogma illi errori contrarium catholicæ fidei veritatem esse, vel quia repugnantia erroris ejusmodi et catholicæ veritatis, obscura est, et in opinione posita. Ut si, verbi gratià olìm negaret quis, Epistolam ad Hebræos esse Pauli, habeat autem pro certo illam esse canonicam, et de auctore Epistolæ quæstionem moveat, non de auctoritate, sunt theologi qui sentiant hæresim illam esse. Ego verò, nisi Ecclesiæ definitio obstaret, non puto, qui existimem Christi fidem in nullo extremo versari discrimine, si libri canonici auctorem nesciamus, modò sciamus librum esse canonicum. Quocircà sive Paulum, sive Lucam, seu Barnabam illius Epistolæ auctorem quispiam dixerit, si solida ei est fixaque et constans Epistolæ auctoritas, non continuò Christi fidem evertet. Cùm igitur tempore D. Hieronymi nondùm fuerit exploratè cognitum, an fidei certa veritas sit, Paulum illam ad Hebr. Epistolam scripsisse, si error adversus ad tribunal fidei tunc referretur, criminis fortassè quidem judicium fuisset, sed hæreseos judicium non fuisset. Item, Dei auxilio peculiari nos egere, ut sicut oportet, credere, sperare, diligereque possimus, fidei dogma est longè certissimum. Qui inficiabuntur, nullos esse habitus spei et charitatis infusos, illi dogmati huic, ut quidam sentiunt, repugnabunt; sed quia ea pugna, tametsi valdè probabiliter apparet, non tamen est manifestà ratione comprehensa, eorum hominum error notandus est, temeritas et imprudentia notanda, hæresis ne suspicanda quidem antè sacri concilii Tridentini decreta. Qui locus, nullo etiam commemorante, fidei censores admonet, ut id mutui, quod à theologis sunt necessariò accepturi, non à quibusvis accipiant, sed ab eruditis, expertis, exercitis. Qui scilicet cùm exploratum habeant, quinam ex theologiæ locis certi ac firmi sint, qui contrà probabiles et non necessarii, tùm argumentorum theologicorum frequenti atque expedito usu facilè quoscumque errores deprehendant, qui fidei catholicæ dilucidè refragentur. Altera erat res, ut judices diligentem navent operam, quò illis errantis pertinacia patescat. Quæ si in dubitum fortassè vertitur, et neque ex antè aut dictis aut factis, neque ex errantium statu, conditione et ingenio colligitur, non alià eam ratione meliùs deprehendent, quàm si erranti certum signum catholicæ ejus veritatis ostendant, cui error istius contradicit. Ut si proferatur apertiùs aliquis Scripturæ locus, aut definitio legitimi concilii generalis, aut decretum constans apostolicæ Sedis, aut una quælibet alia certa nota earum, quibus et catholicæ veritates, et contrariæ omninò hæreses dijudicantur. Quòd si hisce signis notisque prolatis ille cesserit, argumentum erit ignorantiæ probabilissimum : sin repugnaverit, argumentum erit pertinaciæ certissimum : præsertìm si

nec ingenii nec doctrinæ expers sit. Nam si adeò rudis et imperitus est, ut harum rerum intelligentiam nullo modo habere possit, equidem nullam certam regulam præscriptionemque constantem exprimerem, ut hominis ejuscemodi pertinacia innotesceret. Certè si qua est crassà pinguique Minervà describenda formula, ea erit sententia Ecclesiæ communis, fideliumque consensus et conspiratio eadem; quibus si iste adversetur, tùm etiam cùm videt contrà se venire omnes, pertinax atque adeò hæreticus existimabitur. Nec necesse erit tamen orbem omnium peragrare terrarum, et singulorum fidelium rogare sententiam. Nam quæ sit fidelium singulorum, neque arte aliquà, nec diligentià et inquisitione perpenditur, sed quodam quasi prudentiæ sensu judicatur. Quemadmodùm enim si quispiam neget omnem ignem calefacere, non est opus, ut contumax in naturam habeatur, propositionem illam generalem inductione et demonstratione singulorum ignium, sed significatione potiùs et ratione declarare; cùm quibusdam demonstratis, eadem sit de cæteris ratio; sic in fide Ecclesiæ ille erit pertinax, qui suæ provinciæ aut civitatis fidelibus universis in fidei sententià repugnaverit.

Sed hæc relinquamus, idque largiamur inertiæ nostræ; inepti enim sumus, ut hebetes ac rudes ad regulam et lineam exigamus. Hæc verò omnia, quæ in hâc postremà constituendà regulà diximus, si ad vulgaris prudentiæ rationem dirigas, recta fortassè erunt; sin perpendere ad exactioris disciplinæ præcepta velis, reperientur quædam fortassè non recta. Quid enim in tàm inæquabili et rerum et ingeniorum varietate præscribere nos possumus, quod æquabile inter omnes et unum omnibus esse queat? præsertìm cùm id genus causæ propemodùm conjecturales sint, in quibus judices indiciis quibusdam atque vestigiis in ipsa penetrare hominum corda pertentant, quæ si cognoscerent, non egerent perpendiculis, non normis, non regulis. Quid igitur hæresis sit, quæ hæretica propositio, quà demùm vià ac ratione utrique et theologo et jurisperito internoscenda, mihi jam satis superque dixisse videor.

CAPUT IX.

De propositione erroneà, sapiente hæresim, piarum aurium offensivà et temerarià, et scandalosà (1).

Deinceps, ut erat propositum, de propositione erroneà videamus. Cujus notio ac definitio non eadem omnibus, sed sua cuique est; ut hìc etiam verum id esse comprobes : *Quot homines, tot sententiæ.* Illud autem in primis definitum et constitutum sit, propositionem erroneam ab hæreticà non cogitatione modò, sed re etiam separari. Non enim, ut quidam existimant, concilium Constantiense, undè varia ista errorum genera accepimus, propositionem erroneam usurpat in significatione generali, ut erroris hæretici et cæterorum genus commune sit, quæ videtur esse ejus nominis propria significatio. Ecquis enim credat, quidquam aliud esse propositionem erroneam, quàm errorem? Sed concilium, ut dixi, ab hâc usurpatione longè abest : id quod statìm planum faciam, si verba Patrum adscribam : « Compertum est, inquiunt, ex « præfatis articulis plures esse notoriè hæreticos, alios « non catholicos, sed erroneos, alios scandalosos, « quosdam piarum aurium offensivos, nonnullos te- « merarios. » Quæ forma sermonis esset et falsa et absurda, si propositio erronea pro quocumque errore communiter sumeretur. Jam enim rectè quoque dici posset, post multas argumentationes enumeratas, in his quosdam esse syllogismos, quasdam inductiones, quasdam argumentationes, quod quàm sit ineptum, nemo est, qui non intelligat. Sine dubio igitur erronea propositio ab hæreticà secernitur, non tanquàm genus à specie, quod esset discrimen rationis, sed tanquàm una erroris species ab alterà; quæ vera rerum non modò vocabulorum, distinctio est.

Illud deindè constituere debemus, quod priùs forsan dictum oportuit, sed doctrina sera non est reprehendenda, præsertìm si in opportunum tempus reservata sit; constituendum ergò, catholicas veritates, non singulari modo, sed bipartito reperiri. Quædam enim sunt catholicæ veritates, quæ ità ad fidem pertinent, ut his sublatis, fides quoque ipsa tollatur. Quas nos usu frequenti, non solùm catholicas, sed fidei veritates appellavimus. Aliæ veritates sunt etiam ipsæ catholicæ et universales, nempè quas universa Ecclesia tenet, quibus licèt eversis fides quatitur, sed non evertitur tamen. Atque in hujusmodi veritatum contrariis erroribus suprà dixi fidem obscurari, non exstingui, infirmari, non perire. Has ergò nunquàm fidei veritates censui vocandas, quamvis doctrinæ christianæ veritates sint; speciales orationes applicatas uni personæ per prælatos vel religiosos plus prodesse eidem, quàm generales; fratres non teneri labore manuum victum quærere, sed licere eis esse mendicos; et complures alias similes propositiones, quas omnes catholici veras esse sine dubio existimant, ideòque veritates catholicæ vocari possunt, atque etiam debent. Quæ igitur propositiones hujus posterioris generis veritatibus contradicent, eas equidem erroneas appello; quæ quoniam doctrinæ catholicæ adversantur, errores sunt hæresi proximi, hæreses non sunt. Nec nostro more nos ità loquimur, sed est etiam hoc in more positum sermoneque majorum, ut nomen generis speciei illi absolutè tribuant, quæ est in eo genere imperfectissima. Sic Aristoteles in prædicamentis dispositionem sejunxit ab habitu : cùm tamen dispositio aliàs habitûs ipsius genus sit. Virtus quippè, quam habitum esse nemo est qui nesciat, dispositio est perfecti ad optimum. Ac ne plura exempla quæ sunt propè innumera, referamus, illud est passìm vulgi etiam ore contritum, quo animalis vocem, cùm omnium animantium communis sit, interdùm pro his solùm accipiunt, in quibus nihil aliud quàm vis animantis apparet. A quâ consuetudine ne Paulus quidem abhorruit, quùm animalem hominem dixit, quasi brutum expertemque rationis. Patres item concilii Constantiensis hoc sensu videntur esse locuti, si accuratè eorum voces expandamus. Ex quibus facilè intelligimus erroneas propo-

(1) Vide suprà, col. 597, not. 1.

sitiones contrà catholicas fuisse divisas, et inferiore quodam gradu quàm hæreticas, fuisse locatas. Error itaque, qui et minùs quidem quàm aperta hæresis, et catholicæ doctrinæ tamen contrarius est, propositio erronea vocatur. Theologi deniquè modestiores, quùm in disputationibus suis quidquam sanæ doctrinæ adversum hæreticum appellare non audent, temperato vocabulo erroneum esse confirmant. Quùm verò in hunc sensum et vulgari consuetudine alliciar, et compellar majore philosophiæ ratione, facilè me patior in eum adduci, libenterque in eo cupio retineri.

Est et propositionis erroneæ alius item gradus. Quùm enim veritas aliqua, sapientum quidem opinione vehementi, fidei veritas est, sed non est planè ab Ecclesiâ definita, nec certo argumento demonstrata; tunc veritati illi adversari non est hæreticum, sed erroneum. Videlicet hæresis, quemadmodùm suprà diximus, à voluntate quoque errantium pendet, nedùm ab intellectu. Error autem, sicut et falsitas, è rebus ipsis significatis perpenditur, nullâ asserentis habitâ ratione. Ità licet veritas illa ad fidem suâpte naturâ pertineat, quia tamen nec hoc certum nec expeditum est, hæretica pertinacia abest, error gravis et periculosus non abest. Similiter et propositio erronea tertio quodam gradu vocari potest, quæ certæ veritati catholicæ fidei adversatur, non manifestè quidem, sed sapientum omnium longè probabili ac fermè necessariâ sententiâ. Ejus quippè erratio gravis est, qui hoc defendit contumaciter, quod viri omnes docti sentiunt periculum grande catholicæ fidei conflare. Quicumque ergò vel doctrinam fidei appendicem liquidò evertit, vel fidem ipsam in discrimen adducit, vehementer ille sanè in christianâ disciplinâ errat, atque adeò ejus dicta jure appellantur erronea. Verùm de erroneâ propositione plus quàm satis dictum est.

Propositio verò sapiens hæresim à quibusdam definitur ea, quæ in significatione, quam verba primâ facie ostendunt, sensum habet hæreticum, quamvis piè intellecta sensum aliquem habeat verum; ut sunt inquiunt, istæ propositiones: *Pater est major Filio*, *Christus est creatura*, *Tres sunt dii.* Quæ definitio nec vocabuli potestatem exprimit, nec rei definitæ vim naturamque declarat, nec mutuo nexu cum illâ est copulata. Quis enim dubitet, illam propositionem: *Ridiculum est Eucharistiæ sacramentum solemni ritu per vias publicas circumferre*, Lutheranorum hæresim sapere, quâ negant in Eucharistiâ corpus Christi verum contineri? Et tamen in nullo pio sensu vera est. Hujusmodi propositiones multas in Erasmo, Joanne Carione, aliisque quibusdam hujus seculi scriptoribus passim leges, quæ nec apertas hæreses præ se ferant, nec sanum aliquem habeant sensum; sed quia hæreseos saporem quemdam et odorem referunt, meritò eas quidem dicimus hæresim sapere; qui verò illas proferunt, hos hæreticorum et saporem habere et proferre odorem. Nec exempla illa placent, quibus hi suam definitionem illustrant. Veriora equidem exempla desidero, et magis ad rem, de quâ agitur, accommodata: quamvis in hoc genere nihil ab iis requirendum est, qui omnes istos propositionum gradus permixtos esse ac confusos opinantur. Sed primum exemplum à Joannis Evangelio Christique doctrinâ sumptum est. Quòd verò Christi doctrina et Evangelium hæresim sapiat, scribere ego non auderem. Illud secundum exemplum congruens atque aptum est, si eis assentimur qui existimant, illam orationem, *Christus est creatura*, simpliciter veram esse, sed eam theologos refutâsse, quòd fœtorem quemdam ab Ario contraxerit. In quam sententiam D. Thomas multa dixit. Ac Sophronius, in sextâ synodo, planè fatetur, Christum creatum et increatum, idemque, in lib. 3, Joannes Damascenus. Sed et Hieronymus, creaturæ nomen in Christo non horret. Ego verò semper habui persuasum, enuntiationem illam et simpliciter falsam esse, et catholicæ fidei absolutè contrariam. Est enim in creaturæ voce negatio intùs inclusa, quæ Christi supposito absolutè divinitatem tollit. Nam qui dicit rem aliquam factam ex nihilo, is negat eam de substantiâ generantis exstitisse; hoc enim discrimine id quod verè et propriè factum est ab eo, quod verè et propriè est genitum, separatur. Quemadmodùm igitur illud, *Christus cœpit esse*, fidei adversum est, quoniam indè perspicuâ argumentatione sequitur, Filium Dei esse cœpisse, atque adeò aliquandò non fuisse, sic et illud, *Christus factus est ex nihilo*, fidei quoque adversatur, quòd implicitè Filius Dei de naturâ ejus, à quo exstitit, esse negatur. Sive igitur incipere, sive factum esse, seu esse creaturam, de Filio Dei verè enuntiari non possunt, quoniam inficiationem abditam et latentem continent, quæ à Filio Dei, pro quo nomen Christi accipitur, vel perpetuum esse, vel esse à Patre depellat. Itaque, ut mea fert opinio, propositiones illæ ac cæteræ ejusmodi non tanquàm sapientes hæresim, sed tanquàm hæreticæ à Nicænis Patribus sunt damnatæ. At propositionem hæreticam et sapientem hæresim eamdem esse, mihi quidem non fit verisimile. Stultus nempè haberetur is, qui quam rem vinum esse constaret, hanc vinum sapere, nisi per jocum et ridiculum, diceret. Jam Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres deos esse, cum fide apertè pugnat. Nam sensus ille, qui pius dicitur, impius est. Pari certè ratione illa propositio, *Deitas est crucifixa*, hæresim sapere diceretur; quam tamen, ut hæreticam manifestè quinta synodus condemnavit. Illa item. *Essentia generat essentiam*, in gradu sapientium hæresim locaretur, quam in hæreticarum numero poni oportere, concilium Lateranense definit. Quid illæ: *Essentia divina non est persona Patris*; *In tribus personis tres sunt deitates*, aliæque plures hujuscemodi, quas in sensu novitio, et nuper à se excogitato, quidam veras dixerunt? Sanè nihil tàm absurdum dici aut excogitari poterit, quod in sensum aliquem fictum si detorqueas verum non sit, ac rationi tùm humanæ, tùm divinæ consentaneum. Sed consentaneum non est, sensa ejusmodi commentitia, ab usuque sanctorum et Ecclesiæ aliena, pia nuncupare, et homines futiles talium sensorum excogitatione defendere. Ego certè, ut quod sentio loquar, harum propositionum auctores nihil

minùs, quàm hæreticorum saporem habuisse arbitror. Sed si in eis aliquem meo gustu percipio, inscitiæ sapor ille est, non hæreseos. Quàm verò loquendi vim et consuetudinem verborum teneo, propositiones ipsas, de quibus loquimur, non sapientes heresim dico, sed fidei manifestè contrarias. Sermones porrò istos per metaphoram figuratos, consideratâ intelligentiâ magis percipere possumus, quàm circumscriptâ definitione explicare. Quamobrem, quid hæresim sapiat, quid non sapiat, non tàm finitione et argumentatione speculatricis disciplinæ, quàm sensu quodam, gustuque prudentiæ judicatur. Videas hominem in Lutheranorum dogmatibus expugnandis, et internoscendâ mente exercitatum, qui, ut canes venatici, in libro quem legendum suscipit, hæreses odore quodam suspicionis quàm sagacissimè pervestiget, ejusque libri auctorem corruptum esse, acutissimè sentiat. Leget eum librum fortassè alius stipes sine sensu, qui nihil omninò indagare, nihil olfacere, nihil ne suspicione quidem possit attingere. Quales sunt hodiè non pauci, qui Baptistam Cremensem, Henricum Harph., Joannem Taulerum, aliosque hujus farinæ auctores quotidiè habentes in manibus, quotidiè in ore, eorum errata tamen, mentem, animum non odore ullo, non vestigiis, non sapore capiunt. Videlicet abstulit Dominus à Judâ et Hierusalem judicem et prophetam, et ariolum, et senem, et sapientem de architectis, et prudentem, non solùm eloquii mystici, sed hæresis occultæ dijudicandæ. Quidni muti sint canes, et latrare non valeant, quibus ad investigandum nulla jam est sagacitas narium? Et cùm tot signis lupi declarent, qui sint ac velint, quid quærant ac desiderent, canes tamen verè stupor oppressit, pastores verò cæcutiunt, et obsurdescunt nescio quo modo, ut nec ea, quæ à viris sagacibus monentur, audiant, neque ea, quæ à lupis geruntur, videant; nisi fortè omnes et pastores, et canes stupidi timore obmutuerunt. Atqui undelibet stupiditas accidat, ad Ecclesiæ perniciem idem est. Securi enim jam potuerunt viri improbi non modò ad aurem admovere sermonem, qui ut cancer serpat, sed patentius venenum spargere, atque evomere virus pestilentissimum erroris sui, quod, si mens non læva fuisset, etiam occultum, atque in venis inclusum à sano humore secerni, et internosci tàm poterat, adhibitâ diligentiâ et curâ, gravique et acri judicio, quàm potest color albus à nigro, aut dulcis sapor ab amaro distingui. Sed non est hujus loci, Ecclesiæ calamitatem deplorare. Nunc enim id solùm agitur, propositionum sapores magis sentiendi et gustandi viribus discernendos, quàm speculandi. Causa quippè hos, non natura distinguit. Itaque non præceptis et regulis, sed prudentiâ et sagacitate dijudicantur. Expediam brevi rem hanc, et planam exemplo uno faciam. Leges illam propositionem, *Pater major me est*, in Evangelio. Habes illius doctrinæ auctorem cognitum et perfectum; antecedentia et consequentia in Evangelio verba diligenter attendis, ejus doctrinæ principia memoriâ tenes. Jam experiere, nisi habes humore aliquo malo affectum gustum, propositionem illam, *Pater major me est*, non hæresim tibi sapere, sed modestiam. Legebat eamdem in Arianorum libris Athanasius; auctores intùs, et in cute noverat; Arianæ disciplinæ causas et effecta, principia et connexa perspexerat; et quæ in Evangelio Christi dulcis erat super mel et favum, eadem propositio in Arii libros transfusa sapiebat hæresim, eratque ejus gustui vel amarissima. Atque ut idem vinum ex vase uno sapit picem, ex altero non sapit, et res eadem illud olet, undè sit, è cœno malè, ex arculâ muliebri benè; sic una et eadem oratio ex uno corde et ore odorem spirat jucundissimum, ex altero teterrimum; ex uno saporem suavem servat, ex altero insuavem. Quemadmodùm etiam videmus, aquam è radicibus et canalibus, per quos transit, aliud atque aliud et olere, et sapere. Non itaque è rerum ipsarum orationumque naturâ sapor, odorve omnis existimandus est, sed tùm res, tùm orationes ipsæ à venis aliquandò et viis, per quas permeant, saporem et odorem accipiunt. Saporem igitur propositionum, ut dixi, non tàm scientia quàm prudentia dijudicat. Quocircà, quæ propositio hæresim sapiat, quæ contrà non sapiat, non theologi quivis, sed prudentes solùm atque experientes poterunt judicare.

Idem verò de propositione malè sonante, seu piarum aurium offensivâ dixerim. Est enim, ut linguæ nariumque, ità et aurium judicium suum, absurdos et abhorrentes sonos respuentium. Quemadmodùm autem non solùm res falsæ atque perabsurdæ, sed graves quoque ac veræ sententiæ inconditis verbis elatæ offendunt aures, acres præsertìm et acutas; sic theologorum aures teretes et religiosæ non à sententiis modò falsis et hæreticis, sed ab iis etiam abhorrent, quas intelligenti judicio percipiunt malè atque absurdè sonare, quamvis nullam in eis falsitatem hæreseos deprehendant. Dupliciter ergò de propositione malè sonante loqui possumus, uno modo generaliter, quo omnis propositio fidei contraria fidelium aures offendit, eòque magis, quò apertiùs illam vident fidei catholicæ esse contrariam; alio modo specialiter, quo gradum quemdam propositionum constituimus ab illo hæreticarum supremo distantem. Quâ ratione eas propriè malè sonantes propositiones, et piarum aurium offensivas dicimus, in quibus nullus error fidei adversus manifestè notari potest, sed absonum nescio quid atque absurdum, quod indignum esse piis et religiosis auribus videatur. Enimverò in hisce absonis et absurdis propositionibus discernendis, nollem equidem imperito atque imprudenti vulgo aures dedere, quarum est judicium pinguissimum. Sanè, quanquàm nonnullis in rebus, quæ fidelium omnium scilicet communes sunt, judicium rectum adeò doctis atque indoctis est et promiscuè et communiter à fide datum, ut quæ propositiones vulgi opinione malè sonantes habentur, intelligentium quoque judicio malè sonantes ferè sint; at promiscuum vulgus auditum plerumque hebetiorem habet, interdùm etiam teneriorem, quàm opus est; et multà sæpè tùm auribus accipit, tùm animo refert, quæ tritæ atque intelligentes aures aspernantur; quædam contrà refutat quasi absona, quæ theologos peri-

tos et sapientes non modò non lacessunt, sed ne movent quidem; theologos, inquam, peritos et sapientes. Nam in quibusdam aurium sensus fastidiosissimus est, in quibusdam etiam superbissimus. Quia igitur vel theologi quidam nonnulla respuunt, quæ aures clementes et modestas minimè offendunt; necessarium est, si res has rectè et sapienter dijudicare volumus, aurium habere sensum politum, tersum, subtilem, prudentem. Quòd si propositionum absonarum consonarumque judicium Ecclesia in vulgi auribus collocâsset, illam certè propositionem : *Beata Virgo peccatum originis à primo parente contraxit,* malè sonare et pias aures offendere judicaremus. Illâ enim auditâ, vulgus sine dubio perstringitur, percutitur, torquetur. At piarum aurium offensio crimen est. Id autem in crimine ponere, quod Ecclesia ab omni alienum crimine censuit, temerariæ insolentiæ est. Evangelii item verba quædam, si turba nobis lex est, malè sonantia fuissent, et piarum etiam aurium offensiva. Turbas quippè aliquandò Dominus vocibus ambiguis obscurisque turbavit. Quin insigniter atque asperè discipulorum quandoque teneras auriculas perculit; nam pharisæorum aures mordaci solebat radere verbo. Pharisæi, audito Christi verbo, scandalizabantur; plerisque discipulis durus erat illius sermo; turbis habere dæmonium videbatur. Nec est ambiguum hoc tempore esse pharisæos quosdam, esse stolidam turbam et multitudinem falsis opinionibus obtusam, certos demùm esse discipulos, quibus est sermo veritatis durissimus. Hi, si abusus reprehendas, qui in imaginibus et colendis et ornandis, in sacellis, templis, monasteriis sepulcrorum monumentis, sempiternisque memoriis condendis sunt plurimi; si affirmes in hujuscemodi interdùm, vel potiùs nimiùm sæpè plus vanitatem valere quàm religionem, diabolum quàm Christum; hi, inquam, fortassè dicent, te lutheranis opinionibus occupatum, intolerabiles sonos fundere. Non est igitur habenda ratio vulgi promiscui, imbecilli, perturbati, imprudentis, sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti. Nec theologia modò requirenda est, sed pietas et prudentia, sine quâ nullæ aures possunt consentaneos sonos abhorrentesque discernere.

Itaque, ut semel finiamus, cùm non sit cujusvis malè sonantem propositionem à benè sonante distinguere, prudentissimi theologi, quod jam iterùm ac sæpè dixi, consulendi à judicibus Ecclesiæ sunt, nisi volunt in harum rerum judiciis vehementer errare. Et quamvis nullam nos quidem comprehensionem habeamus, definitionem nullam, quâ judices valeant singulas in specie malè sonantes propositiones judicare; illud tamen speciatìm admonere possumus, hujuscemodi propositionum duos esse gradus, unum earum quas antè diximus hæresim sapere; videlicet, quæ fidelium gustui malè sapiunt, eædem malè sonant auditui. Verùm quia gustatûs sensus pinguior et crassior est, auditus subtilior et acutior, alter gradus malè sonantium propositionum est, quæ licet hæresim non sapiant, sonum tamen quemdam absurdum et peregrinum referunt, qui à doctrinâ sanâ, sinceroque et solidâ Ecclesiæ sermone discrepare videatur. Quâ ratione pias illas aures feriunt, et asperè, et graviter, tametsi cur ità feriant, causa sæpè occultissima est. Hujus generis illa exempla videntur oppositissima, quæ concilium Constantiense notavit : « Graduationes et magisteria universitatum esse vanâ gentilitate introducta, et tantùm prodesse Ecclesiæ, quantùm diabolum; Silvestrum et Constantinum errâsse Ecclesiam dotando; Ecclesiam romanam esse synagogam Satanæ; electionem papæ à cardinalibus per diabolum fuisse introductam. » Item : « Papam non debere dici sanctissimum propter officium : alioqui diabolus diceretur sanctus, quia est officialis Dei. » Item : « Plures Romæ nunc salvari ex conjugatis quàm ex clericis. » Item : « Monachatum non esse pietatem. » Item : « Romani episcopi monarchiam post divi Hieronymi tempus exortam esse. » Item : « Phocam instituisse, romanam Ecclesiam omnium esse Ecclesiarum caput; » et alia innumera, quæ, ne longum faciam, prætermitto. Quòd si quis adeò tenui palato est, ut has etiam propositiones hæreseos saporem referre judicet, cum eo equidem non magnoperè contenderim, præsertìm si de harum unâ et item alterâ sermo sit. Quanquàm mihi, fateor, palatum torpet quandoque ac jacet, auris subtilior et erectior est. Ità mihi videor faciliùs posse propositiones auditu quàm gustatu percipere. Sed, ut dixi, neuter sensus regulis instituitur, si defuerit prudentia et spiritus quidam dijudicandi; si verò hæc affuerint, sine præceptis nostris theologi judicium poterit esse vel rectissimum. Ac de propositione malè sonante hactenùs.

Propositio verò temeraria duobus itidem modis usurpari solet, et communiter, et propriè. Communiter, ut omnis propositio à fide aversa temeraria quoque appelletur, etiamsi hæresis manifesta sit. Ecquid enim inconsideratissimâ ac dementissimâ temeritate plenius quàm Christi Ecclesiam contradicere? Propriè autem ea vox usurpatur, quùm asseveratio ut temeraria notari potest; ut hæretica, vel erronea, vel sapiens hæresim non potest. In quem sensum post istos propositionum gradus postremum locum propositio temeraria tenet. Temeritas, porrò non uno et simplici modo intelligitur. Temerè enim ea quandoque fieri dicimus, quæ non consilio, sed fortuitò geruntur; quo modo ea temeraria sunt, quæ turbulentè et inconsultè effutita sunt. In hoc verò significatu temeritas, quæ nullo delectu aut discrimine ducitur ad judicandum, sapientiæ contraria est, in quam non casus et fortuna, sed ratio et consilium valet. Qui ergò, nullâ aut ratione aut auctoritate impulsus, res ipsas affirmat, sed temerè scribit et dictitat, vel quod in buccam venit, jure is tanquàm stultus et temerarius reprehenditur. Nam quamvis vera aliquandò dicat, sed ut vera dicat, tamen non id consilium et ratio, sed fors et casus efficit. Qualia sunt nonnulla, quæ viri quidem pii in vita rebusque gestis Christi Domini magis comminiscuntur quàm contemplantur; qui etiam scribunt non tam verè et prudenter quàm devotè ac ferventer. Quorum est interdùm cæca ac temeraria quidem et in assentiendo

credulitas, et in asserendo facilitas; sed temeritas hæc tamen non est ejusmodi, ut à fidei judicibus coerceri debeat, qui graviorum errorum censuram assumere suo jure possunt, levioris hujus vel imprudentiæ, vel stultitiæ non possunt. Fidei quippè cognitio illis mandata est, non prudentiæ, ejus præsertìm, quæ viros pios sæpè destituit. Videmus autem illiusmodi seu meditationes, seu contemplationes, licèt inconsideratè atque imprudenter, sine ratione et gravi testimonio editas, cum pietate ferè, atque adeò cum sanctitate esse conjunctas. Non decet igitur, ut simplicitas columbina severissimi tribunalis judicio vexetur, quantumvis illa sit inconsulta et imprudens. Dicitur rursùm et id temerè asseri, quod insolenter nimiùmque audacter asseritur. Quo modo omnibus in rebus asseverandi temeritas, pronuntiandique audacia turpis est quidem, sed in his, quæ ad Ecclesiæ doctrinam attinent, est periculosa vel maximè. Habet enim contemptionem superbam ecclesiasticæ regulæ; quam contemptionem nisi fidei judices coerceant et comprimant, dici non potest, quantùm discriminis omnis Ecclesiæ doctrina sit habitura. Quæ igitur non inconsultà oratione modò, sed, ut verbis utar gravioribus, confidenti audaciâ, insolentià protervâ, exultatione impudenti, jactatione superbâ, non contrà fidem dico, sed contrà ecclesiasticæ modestiæ regulam asseruntur, ea theologi in præsenti temeraria censent, atque inter errorum gradus constituunt et locant, qui, quoniam hæresum appendices sunt, à fidei judicibus sunt animadvertendi, ut Beatam Virginem non esse in cœlos cum corpore assumptam; licet fidei minimè adversum sit, sed quia communi Ecclesiæ consensioni repugnat, petulanti temeritate diceretur. Item, in baptismo non infundi parvulis informantem gratiam, et virtutes, cùm concilium Viennense contrariam opinionem duxerit eligendam. Item, Angelum non esse simul cum mundo corporeo creatum, aut ipsum etiam non esse incorporeum; cùm utriusque rei contrarium concilium Lateranense, sub Innocentio III, nos docuit. Item, diem judicii ad certum quemdam diem, mensem, annumve futurum, ut, verbi causâ, abhinc quinto, vel sexto, quod à concilio Lateranensi, sub Leone X, diligenter præcautum atque provisum est. Nec enim parva est temeritas ejus rei præsagitionem usurpare, quam inclusam divinitùs Pater in suâ posuit potestate, et neque Apostolis, neque Angelis revelavit. Item, Joannes Evangelista fuit in utero sanctificatus; atque in summâ omnes illæ propositiones, in quibus à fidei et Scripturarum lege universali quispiam sine idoneo testimonio, aut probabili ratione eximitur. Nam hujus generis exceptiones temerariæ fidei leges tametsi non tollant, præcidunt tamen. Est demùm et ea temeraria propositio, quæ in doctrinâ fidei cum celebris Universitatis communi decreto ac definitione pugnat. Quanquàm enim circumferuntur articuli Parisienses, qui non sunt articuli fidei omnes, quoniam ne hanc quidem vel longissimè tangunt; sed ejus academiæ tamen de fide et religione fixa constantiaque decreta semper Christi Ecclesia suspexit; qui verò contempserunt, inaniaque et levia, ac pro nihilo existimârunt, omnes ad unum periclitati sunt, et ii qui manifestè ab Ecclesiâ discessêre, et ii qui Ecclesiæ fuêre suspecti; postremò ii qui in occulto adhùc latent, sed se suo tempore, ut cæteri, prodent.

Propositionem autem scandalosam quidam cum piarum aurium offensivâ confundunt, ut verbis distinguantur, re eædem prorsùs sint. Atque hujus generis exempla illa ponunt : *Tyrannum potest quilibet illius subditus occidere.* — *Jejunare impertinens est christianæ perfectioni.* — *Nullum est præceptum de baptismo suscipiendo.* At iis ità perturbati sunt, et confusi errorum gradus, nullus ut sit primus, nullus ut secundus, nullus ut tertius, aut quartus. Propositio igitur scandalosa duobus similiter modis appellari solet. Priùs usurpatione communi, quâ omnis oratio, quæ occasionem ruinæ præstet, quamvis hæretica apertè sit, scandalosa dicitur. Quo sensu concilium Constantiense decimam quintam illam propositionem : *Quilibet tyrannus potest licitè à quocumque subdito occidi,* etc., tanquàm hæreticam et scandalosam condemnavit. Quales sunt item reliquæ duæ, quæ ab his in exemplum sunt positæ. At verò posteriùs scandalosa illa propriè oratio vocatur, in quâ scandalum notari potest, hæresis non potest. Qualis illa fuit enumeratio incommodorum auricularis confessionis, in quâ incommodorum enumeratione tanto cum Germaniæ scandalo Erasmus versatus est. Tales illæ sunt sive commentitiæ fabulæ, seu narrationes etiam veræ, quibus monachorum occulta vitia vel finguntur, vel deteguntur. Id quod, sine dubio, sine imbecillium offendiculo fieri non potest. Non enim hìc scandalum more vulgi usurpamus, pro eo quod aures offendit, quodve fidelis populus horret, sed pro eo, quod infirmis causam ruinæ præstat, quod antè fidelium pedes positum, eos facit in illud incurrere, irruere, offendere. Sic Ecclesiæ romanæ abusus plebi rudi objicere, atque in vulgus edere, scandalum est. Sic propositiones illæ scandalosæ sunt : *Prælatus malus verè est fur et latro.* — *Per censuras ecclesiasticas clerus populum suppeditat, et avaritiam multiplicat.* — *Sacerdotes criminosè viventes sacerdotii polluunt potestatem.* — *Clerici epistolis decretalibus studentes stulti sunt.* — *Dantes eleemosynam fratribus mendicantibus sunt excommunicati.* — *Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris.* — *Universitates et collegia vanitate hominum sunt inducta.* — *Leguminibus et piscibus venter inflatur et turget, atque adeò ad concubitum ac venereas voluptates aptissimus redditur.* Quarum nonnullæ hæresim sapiunt, non inficior; sed quamvis in verum sensum deflectantur, non solùm error, sed ipsa etiam isthæc veritas, qualiscumque illa sit, quæ fortè in his dictis inveniri potest, scandalum affert idiotis et infirmis. Non enim solùm falsa scandalum faciunt, sed aliquandò etiam vera. Ac de propositione scandalosâ satis ferè diximus. Propositionem autem schismaticam, seditiosam, maledicam et contumeliosam quorsùm attinet definire? Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ pluribus verbis à quibusdam explicantur? Res

itaque faciles et cuique per se satis expositas consultò prætereo. Quoniam liber hic noster non pollicetur, quæ passìm vulgata et contrita sunt, sed ea conatur exponere, quæ et sunt obscura, nec statim omnibus occurrentia et obvia. Sed ne Amalthæam quidem edimus, et bibliothecam rebus universis instructam. Brevitati quippè studemus, atque utinam non hoc decipiat nos brevitatis studium. Decepit enim multos quosdam, qui cùm se breves esse putarent, fuêre longissimi; alios qui cùm se breves esse laborarent, fuêre obscurissimi. Sed hæc hactenùs, jam pergamus ad reliqua.

CAPUT X.

Quemadmodùm argumenta theologiæ invenienda, atque è locis ducenda sint.

De notis et catholicæ veritatis et erroris contrarii diximus, erroresque ipsos quàm brevissimè fieri potuit, internovimus. Sequitur, ut utriusque generis nota quæratur, et formula viam rationemque docere. Quæ eadem erit ars argumenti inveniendi, ex locisque theologiæ ducendi. Quanquàm theologici argumenti investigandi quidem, atque eruendi communiora præcepta sunt. Illud enim perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex eisdem suppeditari locis. Quocircà nihil minùs hæreticus è locis theologiæ argumenta ducet, quàm theologus. Sed illius incerta, infirma, et specie veri fallacia erunt; hujus, ut qui non umbram, sed veritatem ipsam assecutus est, erunt certa, firma et constantia. Nec argumentationes tamen omnes theologus è locis certas exprimit, sed interdùm, imò sæpè etiam, probabiles. Nec id solùm, quia loci quidam incerta ferè argumenta præbent, sed quia locus firmus argumentum quandoque præbet non firmum. Nolim enim, quispiam hoc ducatur errore, ut si locus firmus est, omnia argumenta indè ducta esse firma arbitretur; aut si è contrario infirmus est locus, omnia ex eo accepta infirma esse. E sacris quippè litteris interdùmt argumenta probabilia ducuntur, ut si è sensu mystico petita sint, aut sensus etiam litteralis non sit exploratè diffinitus. Atque è diverso historiæ humanæ auctoritas, imbecilla ipsa cùm sit,certa aliquandò argumenta suppeditat. Quapropter, ubi artem et præcepta adhibuerimus, quibus argumenta è locis theologicis eruantur, adhuc judicium deest ut explorentur. Quòd si nulla judicii ratio, nullum discrimen accesserit, copia quidem argumentandi facilis et prompta erit, sed nullo in pretio tamen, nisi apud eos qui res numero æstimare solent, non pondere. Perfectus autem absolutusque theologus non modò varia è locis argumenta congeret, sed dissentientia et consentientia, certaque et incerta secernet. Quemadmodùm enim dialectici consummati facultas duabus rebus expletur, inventione ac judicio, sic theologum instructum esse oportet, cùm ad inveniendum, tùm ad judicandum, si ars illi in theologià disserendi expleta futura`est, per quam, dico et sua dogmata firmare possit, et errores contrarios refellere. Theologi porrò judicium tunc mihi videor instruxisse, cùm locorum theologicorum vim et naturam expressi. Nempe è decem partibus in quas loci theologici amplitudinem potestatemque divisi, quænam earum partium firma argumenta continerent, quæ verò infirma, patefeci; cùmque etiam veritatum catholicarum notæ eædem sint, et certissima signa, ut quæstiones fidei discernantur, et argumenta quoque certissima, ut conclusiones theologiæ probentur; non aliud mihi negotii dandum credidi in dijudicandis argumentis, quæ dogmata nostra probarent, quàm datum paulò antè fuit in iis notis edendis, quæ nostras veritates insignirent. Pars ergò illa judicandi nec post ea, quæ diximus, admonitione ac præceptis indiget, nec propriè ad locorum tractatum attinet, quem liber hic nostrâ suâ inscriptione pollicetur. Quod cùm perspicuum sit, sequitur ut disseramus (id quod præsentis est negotii) quibus rebus possimus eum, quem à locis theologiæ volumus, adipisci usum argumentandi. Ubi illud primùm occurrit, quod disciplinarum ordo rerumque contextus ipse ac connexio monet, ut quisquis è theologiæ locis invenire cupiet, is communes præceptiones teneat, quas de inveniendis argumentis dialectici tradiderunt. Hæc etenim, si est simpliciter breviterque dicendum, quibus præceptis eruuntur à locis dialecticis, eadem fermè ac quæ à theologicis, tametsi est alius quoque quidam aditus ad theologicos, ut ex iis peculiari vià et ratione argumenta deriventur, firma præsertìm, quæ usui theologi sunt necessaria vel maximè.

Primum præceptum argumenti inveniendi. Omnium autem ejusmodi præceptorum illud est caput, *ut theologus habeat omnes theologiæ notos et tractatos locos.* Notos, inquam, et tractatos locos; nec enim memorià tenuisse sat est, sed paratos et expeditos habere oportet. Primùm ergò discatur numerus naturaque locorum, qui sint, quot sint, quæ vis cujusque ac proprietas. Quæ res sive à nobis accipientur, seu ab alio, qui ad hæc scribenda paratior post me atque instructior venerit, non multùm refert. Certè quæ hisce rebus perdiscendis necessaria sunt, ea mediocriter, ut mihi videtur quidem, libris superioribus edocui. Locorum itaque numerum, vires et proprietates sive hìnc, sive aliundè ad manum habere, id est, in eorum cognitione primum.

Proximum est locos ipsos lustrâsse ac comprehendisse universos. Nam qui sacras litteras aut non legerit, aut etiam lectas minimè intellexerit, is quo pacto è primo loco argumentabitur? Qui traditiones Christi et Apostolorum nusquàm omninò observârit, quo hic modo è secundo loco argumenta ducet? Qui nec in Ecclesiæ, nec in conciliorum, nec in pontificum doctrinâ fuerit assiduus, quem huic argumentandi usum loci ejusmodi suppeditabunt? Quas verò argumentationes è sanctis auctoribus ille colliget, qui sanctorum libros ne attigerit quidem? Quam autem disserendi facultatem è scholæ theologis habere poterit, qui nullo se tempore in scholæ conflictationibus exercuerit? An è physicâ, metaphysicâ, astronomià, geometrià, is homo ratiocinabitur, qui humanam rationem his nunquàm disciplinis excoluerit? Philosophi denium et historici ecquid ei emolumenti afferent, qui non fuerit

in illorum lectione versatus? Hæc igitur omnia, cùm argumentum quærimus, complecti animo, cogitatione intelligentiâque debemus, nec locos modò habere cognitos, sed ipsos etiam diligentissimè coluisse.

Sed ais: Estne quisquam tanto inflatus errore, ut sibi se illa scire omnia persuaserit? Ego, si theologus isthæc non fuerit consecutus, nihil sanè vitupero; id reprehendo, si non secutus, nomen sibi theologi usurpaverit. Illud tamen argumentandi genus, quod ex omnibus locis aptè ducitur, perfectum et absolutum est atque omnes numeros habet, nec præter consummatum theologum cadere in quemquam potest. Cùm verò aliquid persuasum est, in quo vel mediocria argumenta compareant, id cumulatè videtur esse perfectum, propterea quòd vulgus theologorum, quid absit à perfecto non ferè intelligit; quatenùs autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod etiam, ut Cicero ait, in poematibus et picturis usu venit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea quæ laudanda non sint, ob eam, ut credit, causam, quòd insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros; sic nonnullos invenias, quos, quoniam iidem, quid in unaquâque re vitii sit, nequeunt judicare, mirificè delectent juniorum opuscula quædam; in quibus nihil reconditum et exactum est, nulla ex propriis argumenta ducta; communia omnia, vulgaria, imperfecta, ac ferè ex genere probabilium. Ità jejuna et arida illorum tota est disputatio, quæ vix unius fontis, ejusque vulgaris ac triti, aquâ communi et perexiguâ rigatur. Quantò divus Thomas copiosior et nervosior est, qui non solùm aut rationi aut auctoritati confidit, sed omni modo argumentatur, et accuratè ex omni loco disserit, testimoniisque simul ac rationibus conquisitis disputat! At obscura quædam in divi Thomæ lucubrationibus sunt, istorum verò lucubrationes sunt lucidæ. Sanè quidem. Non tamen ab illo ità dicuntur de industriâ; nec in ingenio inest, sed in rebus ipsis obscuritas. Et propria, quàm communia, obcuriora sunt. Vinum quoque aquâ mixtum clarius est quidem, sed dilutius est tamen. Merum ad bibendum difficilius, plus omninò habet virium. Ac de primo inventionis præcepto hactenùs. Reliqua persequamur.

Secundum præceptum. — *Argumentationes porrò theologorum suis locis reddere*, adeò videtur esse facile, ut non sit fortassè præcipiendum. Nemo enim tam rudis est, quin sciat eò statìm unumquodque argumentum theologiæ referre, undè petitum est, aut ad sacras litteras, aut ad concilia, etc. Quanquàm non est inutile argumenta, quæ in doctoribus probatis inveneris, ad locum suum quodque redigere. Hinc enim et thesaurum tibi comparabis ex aliorum inventis, et cùm intellexeris cujus loci usus illis defuerit, ipse per te ea quæ omissa sunt, diligenter inquires; ut in controversia Catholicorum cum Pelagianis, post sacrarum litterarum, conciliorum, Sedis apostolicæ sanctorumque testimonia, quibus Augustinus satis abundè causam obtinuit, rationes theologiæ Thomas addidit, quæ et testimoniis pondus, et causæ lucem adhiberent. Agnoscere igitur apud veteres theologos argumentationum locos plurimùm prodest, tùm in intelligendis eorum virtutibus, tùm in discernendâ variâ eorum argumentandi ratione, tùm quòd copia quædam paratur hâc diligentiâ et usu, ut non solùm quæ illi invenerint, ea habeamus in promptu, sed ut quoties è locis theologiæ quæremus, similibus in rebus similes nobis argumentationes occurrant. Atque in omni arte utrumque scire operæ pretium est, et quid et quo pacto sit faciendum. Ambas verò has res imitatione peritorum sic assequimur, ut difficile sit judicare, plusne præceptis assequamur, an exemplis. Theologos sanè, quod ad inventionem attinet, magis veterum exempla juvabunt, quàm præcepta, non dico nostra, sed ne cujuscumque quidem alterius artificis. Prudentiâ nempè argumentandi, nedùm scientiâ theologi veteres pollucrunt, qui nec indoctiores, quàm recentes isti, et certè prudentiores melioresque fuerunt viri. Nam de Scripturæ sacræ peritiâ, in quâ argumenti theologici thesaurus præcipuè inclusus est, certare cum veteribus nulli possunt. Verùm non in Scripturæ solùm intelligentiâ quærendâ, sed cùm multis aliis in rebus negligentes juniores sunt, tùm maximè in argumentis theologiæ propriis eruendis. Nec recentiores ego theologos contemno, quorum satis arguta multa, sed ut modò primùmque nascentia, depicta nimis atque minuta, si ad vetera conferantur. Quæ plus nescio quo pacto videntur habere auctoritatis, plus nervorum, plus virium, non solùm ad effectus promovendos, sed ad fidei quoque evincendos adversarios. In hâc igitur præceptione, quamvis facili, elaborandum est, si non copiam modò, sed gradus etiam argumentorum exquirimus.

Tertium præceptum. — *Multò verò magis theologo elaborandum, ut cognitis ac tractatis locis, quæstionem quam versare cupit, in locos theologiæ conjiciat.* Cùm autem illam per omnes deduxerit, considerare accuratiùs debet, quid è singulis in utramque partem dici argumentando possit. Tùm ei colligenda sunt omnia, et quæ consentire causæ propositæ, et quæ dissentire videantur, et judicio adhibito pervidendum, utramne quæstionis partem ducta argumenta probent. Vix enim, quemadmodùm suprà dixi, theologus potest ab inventione judicium separare, si veritatem quærere et amplecti est illi institutum. Nec in omni loco tamen aut pro re, aut contrà rem argumenta semper idonea reperiemus. Non enim si aut venator, aut piscator loca apta venationi ac piscationi cognoverint, quàmvis diligentiam adhibeant vel maximam, protinùs aut piscabitur hic, aut ille venabitur. Nulla quippè ars adeò esse certa potest, quæ non interdùm operis sui fructu careat. Ut igitur in disputatione nostrâ loci concurrant omnes, optabile est; si minùs, plures majoresque ponderis plus habebunt. Si verò nulli, non est minuenda artis opinio, nec de gradu dejiciendus animus, sed etiam atque etiam argumenta quærenda. Quamvis enim demersa sint, emergent tamen hæc aliquandò, si pelagus vel immensum et nostrâ diligentiâ excitetur, et divinâ gratiâ, quæ pulsantibus aperit, et quæ-

rentibus nunquàm deest. Illud autem de probabilium quæstionum genere dictum accipi velim. Nam fidei dogmata ab his locis, qui auctoritate consistunt, manant omnia. Quarè nullum apud nos certum decretum est, quod non idem è locis oriatur. Non itaque verendum, ne in fidei quæstione locorum nos argumenta destituant. Sed utcumque aderunt res (nec enim omnes eodem ingenio et solertiâ, nec similiter inquirimus), argumenta rerum hujusmodi semper quidem in locis inclusa erunt; eò autem eruentur vel pauciora, vel plura, quò inquirentis erit eruditio, ingenium ac diligentia major. Atque hæc quidem hactenùs. Patefacta enim res ipsa est, ut non sit difficile, in exquirendo argumento quid cuique faciendum sit, videre. Et multa etiam sine inquisitione se ipsa afferunt, præsertim hominibus eruditis, atque in harum rerum usu diù multùmque versatis. Quanquàm quæ cogitata, meditata, et præparata in disputationem inferuntur, ea jure illis anteponimus quæ repentinâ animi cogitatione prodeunt. Quæ quoniam celerrima est, atque ad brevissimum tempus afferre argumenta potest, ponderare non potest. Itaque ut sine errore et investigare argumenta, et invenire possimus, formula quædam constituenda est, quam si sequemur in disputatione theologicâ, nunquàm à recto tramite recedemus. Erit autem hæc formula theologorum rationi disciplinæque maximè consentanea. Ubi theologo disserendi materia fuerit oblata, quæstionem accuratè habet expendere, statuereque in primis cujus generis illa sit ex omni illâ, quam suprà explicuimus, quæstionum varietate. Nisi enim theologus naturam quæstionis comprehenderit, nec facilè intelliget qualia sint et investiganda argumenta, nec ex quibus etiam petenda locis. Quanquàm enim omnes inter se colligati atque implicati sunt, tamen ex singulis certa argumentorum genera nascuntur; nec universi, ut à principio statìm hujus operis dixi, æquè omni quæstioni accommodantur. Cùm verò genus quæstionis constituerit illud vel maximè, quod est omnium difficillimum, an fidei sit, an non sit; per omnes locos ducat eam, illos præsertìm, qui erunt quæstioni magis apti et congruentes. Nam si quæstio est supernaturalis, in eos locos conjicienda est potissimè, qui Dei auctoritate nituntur. Sin autem est naturalis, per eos præcipuè locos deducetur, qui naturæ ratione constant. Quòd si mixta quæstio est, et partìm à naturâ, partìm à revelatione pendet, per omnes ducatur oportet; cuncti enim juxtà possunt argumenta præbere. Tametsi nullius omninò generis quæstio est, quæ non per omnes locos utiliter deducatur. Naturæ quippè res sæpè Scriptura tradit, et res quoque supernaturales, vel laudat ratio, vel exponit. Ac divina auctoritas humanam fulcit, contràque humana divinæ servit. Nec verò veritas, quæ simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri et temperari potest. Sed divina et humana ratio (quod sæpissimè dixi) dissimiles non sunt, nec aliò hæc, aliò ducit illa; quin eòdem spectant ambæ, et in eumdem finem referuntur.

Itaque accepimus, majores nostros solitos execrari eos qui primùm hæc naturâ cohærentia opinione distraxissent. Quibus quidem ità sunt scholæ theologi assensi, ut nisi has duas res in disputatione suâ conjunxissent, non se putarent theologos verè esse. Conjecta itaque per omnes locos quæstione, et collectis hinc indè argumentis, sive quæ discrepare, seu quæ congruere videantur, in utramque partem disputet; sed tamen ad extremum finiat, quid verum sit, quid contrà falsum. Doceat verò primùm, quid fides Christi de eâ quæstione teneat, quibusque idoneis ac certis testimoniis id, quod tenet, evincat; deindè, quid aut præscribat, aut certè suadeat ratio. Nam si quæstio naturalis est, ratio præscribit; sin est suprà naturam, ratio suadet; quâ in re, ut modestissimè dicam, scholam apud nostros mediocriter ego juvi. Quæ antè nos non erat adeò fidei argumentis instructa; à ratione ductis res theologica propemodùm agebatur. Ordinem ego divi Thomæ immutavi. Etenim in Summâ adversùm gentes ille quidem primò rationes, mox testimonia ponit. Ego verò in lectionibus meis semper à principio docui, quid præfiniret de unâquâlibet quæstione fides, tùm quid ostenderet ratio. Sed immutationis hujus prompta est atque expedita causa. Divus porrò Thomas adversùm gentes theologiæ negotium conficere ratione debuit: quia Scripturæ testimonia apud eas vel secundo vel nullo etiam loco sunt. At apud nos, qui christianos discipulos instituimus, primas partes auctoritas habet, secundas ratio. Quin et hunc disserendi ordinem, tanquàm naturæ nostræ consentaneum magis, Augustinus probat, De morib. Eccles. cathol., c. 2; quamvis Manichæis sese attemperans, id agat interdùm, quod in disputando fatetur esse vitiosum. « Naturæ, inquit, « ordo ità se habet, ut, cùm aliquid discimus, ratio« nem præcedat auctoritas. Sed quoniam cum iis no« bis res est, qui omnia contrà ordinem et sentiunt et « loquuntur, nihilque aliud maximè dictitant, nisi ratio« nem priùs esse reddendam, morem illis geram, et « quod fateor in disputando vitiosum esse, suscipiam, » de verâ Relig. c. 24. Quo exemplo divus Thomas ad eumdem modum se gentibus accommodavit; nam in Summâ theologiæ auctoritas ferè rationi præparat hominem, ratio deinceps ad intellectum cognitionemque perducit. In ipsâ verò et auctoritate et ratione sunt gradus argumentorum, et quod cuique præstet, intelligi facilè potest, ut prima sint, quæ è Scripturâ ducuntur; secunda, quæ è traditionibus Christi et Apostolorum; tertia, quæ ex Ecclesiæ decretis; deinceps gradatim reliqua consequantur. Est autem inter theologos controversum, utra sit prior, Scripturæ auctoritas, an Ecclesiæ. Verùm hæc, sicut et cætera, quæ non ad inventionem, sed ad dispositionem attinent, non putavi esse persequenda. Atque hæc res, si quandò in contentionem venerit, quemadmodùm dijudicanda sit, satis est, nisi malè memini, suprà disputatum. Illud perspicuum est, eamdem omninò esse Spiritùs sancti in Scripturâ et Ecclesiâ auctoritatem, si res ipsas inspicias. Quarè in se quidem neutra aut prior aut major, neutra aut posterior, aut minor est. Quid est ergo, quod in hoc loco nonnunquàm dubitationem afferre solet, considerandumque videatur? Credo, si quandò

dubitatio accidit, quale sit hominis ejus ingenium, eruditio, institutum, quocum disputationem institueris, spectare decet. Ut enim sunt, qui Scripturas Ecclesiæ usui anteponunt, sic reperias multos, quibus Ecclesiæ mos et sensus majores esse videantur. Quia verò Ecclesia prior et antiquior est, dubitari non potest, ipsius auctoritatem quodammodò esse majorem, nam quòd sit et notior et crebrior, exploratum est. At in omnibus, ut dixi, ejus cum quo disseris, habenda est ratio. Sic enim Petrus Judæis ait, Epist. 2, c. 1 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem;* cùm Petri tamen sermo nullo nobis gradu inferior sit. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus. Nunc ad propositum.

Illa igitur et talia circumspicienda sunt in omni quæstione, et consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores argumentorum esse possimus, et addendo deducendoque videre, quæ omnium summa fiat, ex quo, quantùm cuique quæstioni debeatur, intelligas. Sed ut nec medici, nec imperatores, nec oratores quamvis artis præcepta perceperint, quidquam magnâ laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt, sic argumenti theologici inveniendi præcepta traduntur, illa quidem ut servemus ipsi, sed rei magnitudo usum exercitationemque desiderat. Quia igitur parùm verba prodesse nostra poterunt, nisi ad rem conferantur, ususque præcepta confirmet, necesse fuerit theses exercitationis gratiâ dicere, id quod ferè est à Peripateticis institutum. Archelaum primum scribit Diogenes in utramque partem disputàsse ; fides sit penès illum. Cicero enim hujusmodi exercitationem tradit ab Aristotele inventam. Cujus consuetudo de omnibus in contrarias partes disserendi, jure ab scholæ theologis probata est ; eò quòd quid in unâquâque re verum sit, quid contrà falsum, aliter nequeat inveniri. Quanquàm enim cognitio veritatis, ut Augustinus ad Dioscorum ait, epist. 56, omnia falsa, si modò proferantur, etiam quæ priùs inaudita erant, et dijudicare et subvertere idonea est ; quia tamen hæc ipsa veritas elucere in disputatione nequit, nisi ex utrâque parte causarum sit facta contentio, nec potest fides ullâ de re fieri, nisi priùs adversariorum persuasiones evellantur, maximè naturale est, ut antequàm probemus nostra, amoliamur adversa, et opiniones contrarias refutemus. Vix autem reperietur aliquid tàm omnibus ingeniis consentaneum et quadrans, ut neminem habeat repugnantem. « Omnis namque, ut Hilarii verbis « utar, humani eloquii sermo contradictioni obnoxius « fuit semper, non solùm quia in alio capite et mente « alia propemodùm sententia est, sed quia dissentien« tibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit « sensus animorum. » Undè existimat, philosophorum placita dici, quòd unusquisque illud fermè amplectitur, non quod ratio præscribit, sed quod placet animo : non quod dictat illa, sed quod dictat affectus. Necesse est ergò theologis variè in contrarias partes disserendo, quasi in simulacro pugnæ exercere se ipsos ; id quod D. Thomas in quæstionibus disputatis diligentissimè fecit. Cùm verò in omnium artium usu optimorum imitatio artificum valeat plurimùm, exempla in theologiâ disserendi ab his peti æquum est, qui in hâc arte excelluerunt : quorum Augustinus et Thomas sunt facilè principes, Augustinus citrà aleam, Thomas judicio peritorum. Neque enim in ancipiti solùm disputatione, in quâ de universo genere utrinque disserere copiosè licet, sed in omni omninò quæstione adeò hìnc indè uber ac dives est, ut mirandum sit, in rebus tàm multis et variis, iisque sæpè neque pervulgatis, neque tritis, egregia in utramque partem argumenta prompta illi parataque fuisse. In multos articulos, fateor, concidit omnia, et articulo ferè cuique præscripsit, velut lege quâdam, argumentationum numerum. Aridum quoque illi fuit disputandi genus, et quæstionum tractatus unâ perpetuò specie compositus. In eâ denique fuit auctorum sectâ, quæ adeò nullum florem orationis sequitur, ut apparentibus sine carne nervis, deforme videatur disputationis corpus, certè ab omni eloquentiæ ornatu alienum. Ità à doctissimo et gravissimo viro curiosi quidem homines et delicatuli longioris operis satietate, fastidio similitudinis, incultæque dictionis horrore abalienantur.

Dixit in concilio Tridentino vir eloquens sanè ac facundus, sed parùm theologus tamen, qui id suadere vellet audientibus, adversùm hæreticos, præsertìm Lutheranos, non esse magnum usum scholasticæ concertationis, oratorio potiùs more cum illis disserendum ; nostrum enim spinosum esse ac permolestum. Quæ si vera essent, exempla in theologiâ disputandi non ab his, quos antè dixi meliora peterentur. Equidem etsi non sum nescius, quàm sit, non scholæ dico in disputando mos, sed tota omninò scholæ theologia hæreticis invisa, sed eò magis existimo, scholasticam disserendi formam ad hæreses refellendas efficaciorem, quò magis hæreticis invisa est. Quòd si Lutherani academiæ subtilitate minimè capiuntur ; ne oratione quidem ad rhetorum leges artificiosè compositâ capi poterunt, quoniam grandiores sunt et callidiores effecti, quàm ut orationis artificio apprehendantur. Cùm autem nec argutum theologum pertimescant, nec rhetorem, quamvis eloquentem ; non sunt, mihi crede, aut theologi acumine, aut rhetoris flumine, hoc est, non verbis sunt, et disputatione, sed viribus et flagellis feriendi. Verùm si eo loco res sit, ut adversùm Lutherana dogmata certare cogar, eligant alii (nihil enim impedio) suave orationis genus, quo molliùs et familiariùs homines istiusmodi ad Ecclesiæ benevolentiam alliciant ; dummodò mihi relinquant scholæ ossa nervosque, ac pressam disserendi soliditatem. Quæ Augustinus porrò contrà adversarios Ecclesiæ disseruit, tametsi et inventa sunt acutiùs, et dicta subtiliùs, quàm ut quivis ea possit agnoscere ; ad refellendos tamen hæreticos tantò majorem habent efficacitatem, quantò tenuiùs ad vivum resecata sunt. Atque etiam, quùm oratorum more quasi torrens fertur oratio, quàmvis multa cujusque modi rapiat, nihil tamen ferè teneas, nihil apprehendas. Cùm autem ad scholæ normam certâ viâ et ratione premitur, contineri amplectique faciliùs

potest. Itaque præclarum à divo Thomâ accepimus morem disputandi, si eum teneremus. Nemo verò à viro gravissimo orationis delicias quærat, pigmenta muliebria, fucum puerilem, sed veras gravesque sententias, argumenta solida et propria, sermonem rei, de quâ disseritur, accommodatum. Quæ omnia D. Thomas, adeò egregiè præstitit, ut si vitia in eo pauca sint, quæ ab istis invidiosè commemorantur, plurimis tamen maximisque virtutibus illa compenset. Quanquàm, ut erat et modestus et prudens, minutissimorum articulorum numerum, legemque disputationis æquabilem tùm rudioribus, tùm magis suo illi seculo dedit. Equidem non divum Thomam modò, sed scholæ auctores quosdam alios existimo, si humaniores litteras coluissent, et quæ in scholâ didicerant, eloqui voluissent, ornatissimè splendidissimèque potuisse facere; et viros eloquentiæ studiosos, si ab scholæ instituto non abhorruissent, sed theologiam hanc didicissent, et tractare voluissent, gravissimè et copiosissimè dicere potuisse. Sed aut utrique suo studio delectati alteros contempserunt, aut nihil omni ex parte beatum, ut semper aliquid desideremus. Verùm, si alterum sit optandum, malim quidem indisertam scientiam, quàm inscitiam loquacem. Nam exempla illa disputationis theologicæ suis omnibus numeris absoluta is solùm suppeditare potest, qui eloquentiam sapientiæ conjunxerit. Age tamen, qualiacumque nostra sint, et ea ipsi afferamus, quæ etsi non meliora erunt quàm vetera, erunt tempori fortassis aptiora (1).

CAPUT XI.

Exemplum primum, ubi principium theologiæ in quæstionem vertitur.

CONTROVERSIA DE EUCHARISTIÆ SACRIFICIO. De Eucharistiæ sacrificio prima mihi cum Wicleffistis et Lutheranis controversia est. Facioque contrà institutum meum, cùm de re apertissimâ disputationem instituo. Nam si quid adeò certum et exploratum est, ut de eo inter viros doctos constanter perpetuòque convenerit, argumentari non soleo, ne rem minimè dubiam argumentando dubiam faciam. Nec verò in hoc dabo operam, ut rem planè in Ecclesiâ definitam meis ego argumentis probem; sed in id potiùs incumbam, ut unum è theologiæ principiis non tàm ratiocinatione, quàm expositione confirmem. Ità fiet ut, veritate illustratâ, omnium tenebras depellam errorum.

Quanquàm argumenta pro Eucharistiæ sacrificio certissima sunt. Quibus autem Lutherani contrà pugnant, ut ipsis quidem videtur, sunt maxima; ut ego verò sentio, frivola et commentitia sunt omnia, vix digna lucubratione, et ingenio anicularum; talia certè, propter quæ non modò à communi fidelium sensu cuique esset, sed nec ab amici unius privatâ opinione discedendum (1). At discipuli cæci magistri furentis rapiuntur errore, sibique Eucharistiam non esse sacrificium argumentando persuadent.

1° Calvinus igitur illo Apostoli testimonio inprimìs nititur: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere. Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Undè et salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi; hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.* Quo loco Paulus sacerdotium veteris Testamenti à novi sacerdotio distinguit, quòd in illo plures erant sacerdotes, in hoc unicus est sacerdos. Hujus verò rei causam explicat, quòd illi mortales erant, quare indigebant successoribus, qui in demortuorum locum subrogarentur; at Christo, qui immortalis est, nullos oportet succedentes vicarios substituere; quales ii sunt, qui nunc quotidiè sacrificant, et plures ipsi atque mortales ad umbras legis deflectunt, in quâ plures iidemque mortales facti sunt sacerdotes. Nostri quoque sacerdotes infirmi et ipsi sunt, habentque necessitatem quotidiè, quemadmodùm veteres, priùs pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi. Novi ergò isti, cùm sint veteribus simillimi, legales sacerdotes sunt, non evangelici. Confirmat autem, ut ait, hoc illud vel maximè, quòd sacerdos à Deo vocatus esse debet, quemadmodùm Aaron, ut Apostolus idem affirmat; Hebr. 7, 25, at nullam vocationem proferre nos possumus, quæ nostro sacerdotio patrocinetur. Evanescit igitur sacrificium, quod sine sacerdote esse non potest.

2° Existimat rursùm Calvinus idem, Paulum cum Ecclesiæ fide pugnare, cùm in eâdem Epistolâ 5, 4, inquit: *Nec ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat frequenter eum pati ab origine mundi. Nunc autem semel in consummationem seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit.* Quo ex loco iterùm colligit, nostros sacerdotes esse legales, qui non modò per singulos annos, verùm etiam per singulos dies intrant in sancta, offerentes alienum sanguinem, qui semel juxtà Apostolum oblatus est. Cùm verò disertè Paulus asserat, hostiam, quæ oblatione

(1) Si de methodis res ageretur, hic nostra cum auctoris methodo esset conferenda, facilique negotio ad praxim redigeretur, iisdem scilicet ac in cap. seq. exemplis adductis. Quippè 1° doctrina catholica de Eucharistiæ sacrificio, etc., pluribus in propositionibus theologicè notatis, ex traditione stabiliretur; 2° errorum opinionumque circà easdem texeretur historia; 3° deniquè, propositiones doctrinales jam regulâ fidei inconcussè fundatæ, omnimodè rationalibus argumentis ac more scholasticorum evincerentur iterùm, illustrarentur, atque, discussis opinionibus, vindicarentur. Sed hæc sufficiant.—Vid. Prologomena, ubi de methodo, n. 54, 55. P. S.

(1) Lutherus, cùm sæpè aliàs, tùm in libro de Abrogatione Missæ privatæ, et de Captivitate Babylonicâ; Œcolampadius, in libell. qui à quibusdam inscribitur, de Cœnâ Domini, c. 9; Bucerus, lib. 2 de ver. et fals. Cœn. Dom. Admin.; Calvinus, Instit. cap. 14; Protestantes, in Apolog. August.

sacrificatur, immolari et occidi necesse esse, profectò si singulis missis Christus in sacrificium offertur, singulis quoque missis interficitur. Aut ergò Pauli argumentum vanum est, cùm ait : *Alioquin oportebat, eum frequenter pati ab origine mundi*; aut si Christus in sacrificium exhibetur, verè patitur. At corpus vivum, et impassibile in altari non offerimus; oblatio igitur forsitan esse poterit, sacrificium nullo modo. Hoc verò illud argumentum est, quod Calvinus atque Œcolampadius mirè jactant; et nondùm collatâ manu, tanquàm feroces victores insultant.

3° Illum præterea locum, Hebr. 10, 1, Lutherani pressiùs urgent : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos, eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquàm potest accedentes perfectos facere, alioquin cessâssent offerri, ideò quòd nullam haberent ultrà conscientiam peccati cultores semel mundati.* Et post multa alia, quæ referre longum est, ità legimus : *Omnis quidem sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias; hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, unâ oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* Oblationes igitur veteris Testamenti imbecillas ac debiles ostendit Paulus, quòd sæpiùs iterabantur. Qui ergò in novâ lege eadem sacrificia iterant, ii suâ repetitione testes sunt, oblationes suas priores infirmas, exiguasque fuisse, atque adeò Christi oblationem fuisse imperfectam, cui quotidiè multas adjiciunt. Medicamenti enim illa virtus est, quod Chrysostomus ait, ut semel imponatur, et non frequenter. Et Theophylactus : « Pharmaca, inquit, fortiora semel etiam imposita curant; quæ autem sæpiùs iterantur et imponuntur, hoc ipso ostenduntur minùs fortia. Sed et pharmacum, quòd sæpè admovetur idem, significat eamdem ægritudinem interturbare laborantem. » Quocircà si eadem etiam hostia novis sacerdotum oblationibus, quasi idem medicamentum sæpiùs apponitur, prima Christi oblatio nec perfectè curavit ægrotos, nec consummavit in æternum sanctificatos, utpotè cùm homines novis quotidiè, ac repetitis sacrificiis curentur, sanctificentur, consummentur. Adde quòd paulò post Apostolus asserit, *ubi peccatorum remissio est, jam non esse oblationem pro peccato.* Post Christi igitur hostiam unicam, quâ omnia sunt in cruce expiata delicta, post remissas etiam per Christi sacramenta iniquitates, nulla reliqua est oblatio pro peccato. Non est itaque in Ecclesia hujusmodi sacrificium. Id quod Apostolus è vestigio testatur inquiens : *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam nulla relinquitur pro peccatis hostia.* Qui autem nullam dicit, is non baptisma solùm, sed nullam dicit hostiam superesse. Nos autem dicimus, quòd aliqua superest, contrà Apostolum ergò dicimus. Neque his occurri potest, inquiunt, prætexendo in novâ lege non varia esse aut multa sacrificia, ut olìm in lege, sed unum et idem sæpè repeti; quomodò Chrysostomus et Theophylactus occurrunt. Quoniam Apostolus è novo Testamento non solùm multarum diversarumque rerum sacrificia rejicit, sed ejusdem etiam hostiæ repetitam oblationem damnat in hæc verba, Hebr. 9, 25 : *Neque ut sæpè offerat semetipsum*, etc. At Christus in altari seipsum nunc etiam offert, ut posteriùs ex catholicorum sententiâ ostendetur. Iteratam quoque oblationem in veteri Testamento ideò factam esse dicit, Hebr. 10, quia prior erat imperfecta. Sive autem plures res, sive eadem sæpiùs offeratur, Pauli argumentum manet invictum, si prima oblatio perfecta esset, nullâ posteriore indigere; ità posteriores sacerdotes ab offerendo cessaturos. Quo fieri argumentantur, ut illud alterum catholicorum effugium vanum etiam sit, nempè, Apostolum loqui de oblatione cruentâ, quâ Christus semel in cruce defunctus est; nostras autem esse incruentas; sive enim cruentum, seu incruentum sacrificium sit, si sæpiùs resumitur, prior oblatio non perfectè sanctificavit, nec exhausit delicta præterita, pro quibus alia hostia profertur. Nullâ itaque, ut putant, rimâ effugere possumus, sed fateamur necesse est, totam ad Hebræos Epistolam novorum sacrificia sacerdotum explodere, præsertim cap. 10, ubi si Paulus de cruentâ solùm hostiâ sermonem faceret, facilè eluderetur, vel quùm ait : *Ubi autem horum remissio, jam non est oblatio pro peccato;* vel etiam magis quùm dicit : *Voluntariè peccantibus nobis, nulla relinquitur pro peccatis hostia.* Nihil enim interest, cruenta sit, an incruenta, si oblatio est et hostia pro peccato.

4° Ad hæc, Matthæus, Lucas et Paulus apertè narrant, Dominum in ultimâ cœnâ non obtulisse quidem corpus et sanguinem Deo, sed Eucharistiam discipulis accipiendam distribuisse. Optima igitur missa illa erit quæ erit primæ quàm simillima; prima autem cœna fuit, non sacrificium. Etenim si sanguinem pro peccatis tunc Christus obtulisset, jam antè crucem essent remissa peccata, nisi frustrà Christi sanguis in cœnâ oblatus est, qui peccatorum remissionem non obtinuit, quam vel nunc obtinet Patri à sacerdotibus exhibitus.

5° Ea insuper loca nobis Lutherus objicit, quibus locis calix sanguinis Christi Testamentum dicitur, Luc. 22, 1 Cor. 11; testamentum verò non est opus hæredis, sed testatoris. At sacrificium opus est nostrum. Sacramentum igitur sanguinis non est sacrificium. Hanc verò ratiocinationem, bone Deus, quanto verborum ornatu, quasi simiam purpurâ, vestit? Quæ est, inquit, tanta temeritas, ut testamentum, hoc est promissionem hæreditatis, nos opus esse nostrum dicamus, quod testatori in satisfactionem exhibemus, et ubi de acceptis gratos nos esse oportet, ibi accedamus superbi daturi accipienda; ut testator jam non suorum largitor bonorum, sed nostrorum sit acceptor! Neque enim fieri potest, ait, ut idem ab eodem simul et recipiatur, et detur, et offeratur, et acceptetur. Quàm verò insanus erit pauper et indigens, si bonum opus dicat se conferre diviti, de cujus manu accipit beneficium!

6° Asserunt etiam in hanc rem sanctorum veterum testimonia. Primùm illud Chrysostomi : « Hoc nostrum sacrificium exemplar est illius, quod Christus in cruce fecit. Non autem aliud sacrificium, sed id ipsum semper facimus, magis autem recordationem

« ipsius operamur. » Et Theophylactus : « Imò, potiùs, ait, memoriam illius oblationis facimus, quâ se « Christus obtulit. » Ex quâ correctione Œcolampadius colligit, Chrysostomo et Theophylacto missam nostram non esse propriè sacrificium corporis et sanguinis Christi, sed exemplar. Alioqui non correxissent quod verè ac propriè dictum est. Addunt illud Augustini : « Holocausti sui imaginem in Ecclesia celebran« dam dedit. » At alio rursùm loco, « Christianos, in« quit, peracti sacrificii memoriam celebrare. » Et in epistolâ quâdam ad Bonifacium docet, in Eucharistiæ immolatione nomen rerum ipsi figuræ exemplarique tribui solere. Basilius demùm apud Euthymium, hæc nostra exemplaria dixit esse veri sacrificii; non ergò sunt verum sacrificium, sed sacrificii figura.

7° Nec testimoniis solùm premere nos, sed etiam ratione volunt. Nam si sacrificio peccata redimerentur, quod Catholici astruimus, redemptio nostra à nobis quoque ipsis per nostras oblationes existeret. Ità, non solùm Christus redemptor esset, sed homines etiam sui essent redemptores. Id quod stultitiæ est manifestæ.

8° Addunt, fieri non posse, ut operatio nostra alteri peccati remissionnem conferat ex vi ipsius operis, quod nostri quidam dicunt ex opere operato. Solius enim Christi opera et actiones ex se peccata remittunt. At sacrificium et missa operatio nostra est; nefarium est igitur affirmare, quòd ratione sui et Deum propitium reddat, et deleat quoque peccata. Atque in hoc uno Lutherani hujus controversiæ statum constituendum censent. Asserunt enim se habere hanc rationem adeò firmam, certam expeditam, ut adversùs omnes portas inferi consistere queat. Hanc autem rationem videtur confirmare Irenæus in hæc verba lib. 4, c. 14 : « Non sacrificia sanctificant hominem, sed con« scientia ejus qui offert sanctificat sacrificium, pura « existens, et præstat acceptare Deum quasi ab amico. « Peccator, inquit, qui occidit mihi vitulum, quasi qui « occidat canem. Quoniam igitur cum simplicitate « Ecclesia offert, justè munus ejus purum sacrificium « apud Deum deputatum est, quemadmodùm et Pau« lus Philippensibus ait : *Repletus sum acceptis ab Epa« phrodito, quæ misistis in odorem suavitatis, hostiam « acceptam, placentem Deo.* Dixerat autem, sacrificium « hoc illud esse, quod ex Malachiæ primo capite theo« logi conantur inferre. » Nulla igitur apud nos hostia manet, quæ ex se aliorum peccata deleat, sed si quid habet, id habet ex offerente. Quo argumento nos Bucerus impugnat.

9° Præterèa, remissio peccatorum, hominis sanctificatio et justificatio est; hæc autem per fidem cuique propriam obvenit, ut ad Romanos, 3, 27, scribit Apostolus ; nulla ergò sacerdotis oblatio ex opere operato aliorum peccata remittit. Nam nec Christi operationes quidem, nisi per propriam fidem applicentur hominibus, juxta illud : *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem.* Item : *Si vi suâ oblatio sacerdotis aliorum diluit culpas, gratiam ergo hoc sacrificium confert.* Ablutio enim culparum sine gratiâ aquæ salientis in vitam æternam esse non potest. Neque elabi possumus dicentes, remitti per sacrificium peccata venialia, non etiam mortalia. Quoniam si sanguis Christi in sacrificium offertur, omnia profectò remittit, qui in omnium remissionem effusus est. Nisi frustrà ac sine causâ Catholici petimus, ut hoc sacrificium omnia crimina nostra detergat; et rursùm, *ut sit oblatio scelerum, et omnium remissio peccatorum.*

10° Præterea, cùm catholici fateamur, in hoc sacrificio sanguinem Christi contineri, fieret, ut unico sacrificio omnes peccatorum pœnæ abolerentur. Res quippè oblata infiniti valoris est. Vanum itaque esset pro iisdem plures missas celebrare. Qui verò dicunt, infinitæ hostiæ fructum à sacerdote offerente limitari, hi refelluntur à Lutheranis multiplici variâque ratione. Primùm, quòd sacramentorum fructus non definitur à ministris; ergò ne sacrificii quidem. Deindè, quia quamvis sacerdos offerens in peccato mortali sit, sacrificium tamen illi prodest, pro quo offertur. Non ergò hujus sacrificii virtus à sacerdote offerente terminum ullum accipit. Item, quia infinitæ rei pretium non minuitur, sive à paupere detur, sive à divite. Centum scilicet aurei centum valent, à quocumque tandem offerantur. Imò, quò res oblata major est, et hic, qui offert, est pauperior, eò oblatio majori habetur in pretio. Ad hæc, si semel offero sanguinem meum Deo, sanguis meus fusus est idoneus ad omnia peccata delenda, nec pretium imminuitur ab offerente. Martyres namque universi, inæquabilis licèt meriti, æquè tamen consequebantur omnium veniam peccatorum. Si igitur verè offert sacerdos sanguinem Christi, nullis eum finibus circumscribet, quin satis sit etiam semel oblatus ad omnia redimenda peccata. Sacrificium denique altaris à Christo summo sacerdote nunc etiam Patri pro nobis offertur; ab illo igitur infinitum valorem habet, quem videlicet eâdem ex causâ infinitum habuit in cruce. Neque enim illud negare possumus, cùm Christus sempiternum habeat sacerdotium undè et salvare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Atque Lateranense concilium sub Innocentio III, cap. *Firmiter*, de summâ Trinitate et fide catholicâ : « *Una*, « inquit, *est fidelium universalis Ecclesia,* » in quâ idem ipse est et sacerdos et sacrificium. Loquitur autem sine dubio de eo, quod offerimus in altari. In concilio rursùm Tridentino, definitum est, nostras omnes satisfactiones Christum offerre Patri; multò ergò magis illam victimam offeret, quàm ut Deum placemus, nos in altari probemus ad sacrificium. Quam rem non Ambrosius modò insigniter, præter Latinos cæteros, sed Græci in canone suo manifestè testantur. Sanè, quemadmodùm sacerdos non in nomine suo consecrat, et conficit Eucharistiæ sacramentum, ità non in nomine suo, sed Christi offert Eucharistiæ sacrificium. Quòd si Christi sanguis hostia nunc est ad culparum redemptionem, hujus verò sanguinis pretium nullo fine concluditur, præsertim si à Christo ipso offeratur, manet omnino, unicâ oblatione omnes culparum pœnas resolvi.

11° Contendit postremò Calvinus, Eucharistiæ sacramentum cum sacrificii voce pugnare. Eucharistia, inquit, donum est cum gratiarum actione percipiendum, sacrificium verò est pretium, quod Deus in satisfactionem accipit. Quantùm ergò interest inter dare et accipere, tantùm à sacramento sacrificium distat. Hâc enim argumentatione fit, ut reliqua sacramenta sacrificia esse non queant. Eucharistia quoque post peccata gratis remissa, post reconciliationem adeptam, vitæ nobis promittit, et gratiarum augmentum. At sacrificium cantilenam aliam canit, nempè Deum quasi adhùc iratum, tanquàm pretio quodam exhibito placari, nec esse expiata scelera, quæ sacrificium expiare dicitur. Prætereo alia argumenta ridicula; indigna enim sunt, quibus nos seriò respondeamus. Sed et illa superiora, ut antè jam dixi, tametsi in faciem apparent probabilia, diligenter tamen inspecta, vana esse deprehendentur. Id tantisper dùm explico, et fidem meam de Ecclesiæ sacrificio breviter expono, quæso, lector, attende.

Si qua disputatio est, ubi id, de quo disputetur, necesse sit definire, hanc ego vel maximè esse crediderim, quæ nobis hodiè instituitur; cùm non modò Wicleffistas et Lutheranos, sed quosdam etiam catholicos videamus, sacrificii vi et naturâ ignoratâ, in summo errore et maximarum rerum ignoratione versari. Explicaturus igitur, quidnam sacrificium sit, quidque suâ definitione contineat, illud in primis accipio, sacrificium proprium esse religionis opus, id est, ejus virtutis, quæ cultum Deo et cæremoniam affert. Est enim sacrificium quasi sacrum factum, ut Gregorius ait. Sacra verò Dei facere, haud dubiè ad Dei cultum et reverentiam pertinet. Sacrificare igitur propria est religionis actio, quæ videlicet solius Dei honori dedicata est, quemadmodùm, Augustinus contr. adver. leg. et proph. l. 1, c. 18; et de Civit. Dei, lib. 10, c. 4; Actor. quoque cap. 14, Lucas scribit.

Illud deindè sumo, sacrificium speciem esse operis sacri et religiosi; atque adeò opus sacrum quasi genus esse sacrificii. Etenim qui vocem hanc ad sacras omnes cæremonias et religionis actus extendunt, quâ ratione id faciant, ipsi viderint; certè cum perpetuo et Ecclesiæ et Scripturæ usu pugnant. Septem enim sacramenta agnoscit Ecclesia, septem sacrificia, non agnoscit. Non itaque quodcumque opus sacrum, quicumqueve religionis ritus est, sacrificium. Undè et concilium Florentinum non obscurè à sacris cæteris sacrificia distinguit. Atque in lege veteri alias fuisse leges de sacrificiis constat, alias de reliquis sacris ritibus. Quæ causa necessaria est, ne nos sacrificia cum sacris aliis confundamus. Adde quòd in sacrificio hostiam esse oportet, quæ Deo immoletur; hostiam verò in omni religiosâ cæremoniâ velle fingere ridiculum est. Adde etiam quòd sacrificium latinus interpres semper appellat, quam Græci θυσίαν; Græcis autem θυσία non est quodlibet unum sacrum opus, sed specialis religionis cæremonia, in quâ res Deo sacra vel per sanguinem, vel per ignem, vel alio quovis modo conficitur. Quanquam Theophylactus auctor est, θυσίας propriè magis esse, quæ per ignem sacrificantur, quàm ea quæ per sanguinem. Sed et Porphyrius: « Ab exhalatione, inquit, ignis, quam Græci θυμίασιν dicunt, « thysia quoque, quam sacrificium latinè appellamus, « apud Græcos antiquitùs dicta est. Nunc verò non « rectè sapimus, thysiam illum cultum appellantes, « qui sanguine celebratur. » Hactenùs Porphyrius. Sed, ut prima vocis origo illa sit, non negant auctores hi, vulgarem ejus vocis usurpationem universa ea continere, quæ vel per ignem, vel per sanguinem immolantur. Atque hæc latini interpretes sacrificia vocari perhibent. Sit itaque exploratum, sacrificium speciem quamdam esse cultûs sacri.

Quòd si ex usu rectè loquentium divinæque Scripturæ consuetudine propria ejus nominis significatio accipienda sit, inveniemus sanè, sacrificium tùm solùm esse, quùm res aliqua sacra offertur Deo. Ubi namque oblatio non est ibi ne sacrificium quidem esse potest. Qui enim aut Baptismi, aut confirmationis, aut Ordinis, aut Matrimonii, aut Unctionis extremæ sacramentum conficit, is quamvis sine dubio rem sacram et divinam faciat, sacrificium tamen facere non nisi absurdissimè diceretur. Quoniam ne ipsa quidem Eucharistia, quamdiù servatur in pyxide, sacrificii nomen habet. Tunc verè primùm hostia nuncupatur, cùm offertur. Oblatio igitur est de ratione sacrificii. Id quod Paulus sæpè docet, ut ad Hebr. 5: *Omnis*, ait, *pontifex constituitur, ut offerat sacrificia pro peccatis.* Et capite septimo: *Pro suis delictis hostiam offerre.* Et capite nono: *Munera et hostiæ offeruntur*, etc. Et capite decimo: *Eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter*, etc. Nec hìc laborare opus est, ubi nihil est ambigui. Illud addo, quod difficulter admittunt quidam, si vis et natura hujus vocabuli perpendatur, non omnem oblationem sacram sacrificium esse, sed quiddam aliud præter oblationem sacrificii vocem vindicare, quemadmodùm divus Thomas argutissimè, ut omnia, dixit. Et Theophylactus: « Doni, inquit, et victimæ exactâ ratione quidem « est discrimen; θυσίαι enim, hoc est, sacrificia sunt « per sanguinem et carnem oblationes, vel certè omnia, « quæ per ignem sacrificantur; dona autem sunt, ut « fructus, et quæcumque alia exsanguia, et igni carentia. » Quod utique discrimen Paulus in Epistolâ ad Hebræos diligenter observat: *Omnis*, ait, *pontifex constituitur, ut offerat dona et sacrificia.* Et iterùm: *Omnis pontifex ad offerendum munera et hostias, constituitur.* Atque Chrysostomus, explicans illud: *Sacrificium et oblationem noluisti*, oblationis et sacrificii hanc differentiam esse accuratè notavit. Non itaque omnis oblatio sacrificium est. Quam omninò rem illud vel maximè argumentum probat, quod cùm animalis vivi juxtà legis præscriptum fiebat oblatio, nusquàm hæc aut hostia, aut sacrificium vocabatur. Nisi velis, tùm à Judæis filios immolari in sacrificium, cùm post purificationis cæremonias Domino sistebantur. Quod quoniam absurdum est, consentiamus non omnes res Deo oblatas, hostias esse, aut sacrificia. Porrò autem si circà rem, quæ offerebatur, quippiam sacri sacerdos faciebat, ut si animalis fundebat sanguinem, si thus ardere faciebat, si conterebat frumentum, si oleo si-

milam conspersam frigebat in sartagine; tùm demùm verè sacrificium faciebat. Earum quippè rerum omnium sacrificia esse, Levitici 2 et 6 Num. 5 et 2 Paral., c. 28, legimus. Scitè ergò ac præclarè D. Thomas admonuit, in eo sitam esse rationem sacrificii, si circà rem Deo oblatam quidquam fieret, quo res ipsa sacra quodammodò conficeretur. Nam si integram, et illæsam sacerdos offerret, donum dici, et munus, non item sacrificium. Id, quod in græcâ voce θυσία explicatiùs animadvertitur, ut paulò antè dicebamus.

Quibus rebus expositis, facilè intelligitur, Lutheranos in Apologiâ Augustanâ perperâm sacrificium definiisse, quòd sit cæremonia vel opus à nobis Deo redditum, ut eum honore afficiamus. Veluti munera, primitiæ, decimæ. Hanc verò definitionem cum exemplis suis, ut alia argumenta prætereamus, satis refellit Apsotolus, tùm dona à sacrificiis distinguens, tùm magis argumentans, quòd si Christus sæpè se in sacrificium offerret, sæpè etiam pateretur.

Sed ut occultæ atque involutæ rei notitia aperiatur his, quæ dicta sunt, illud primum objicitur quòd Propheta sacrificium laudis sæpè, Ps. Scilicet 59, 106, 115, commemoraf, quod Paulus, ad Hebr. 13, 15, ininterpretatur *fructum labiorum confitentium nomini Dei.* Sacrificii igitur definitio non est tàm angustè conclusa.

Illud deindè videtur esse contrarium, quod Apostolus ad Romanos, 12, 1, scribit: *Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam.* Non ergò in sacrificio hostiam esse oportet, quæ mactetur, sed satis est, si corpus nostrum vivum ad sacrificium præbeamus.

Tertio loco, id opponitur, quod in omnium ore est, Ps. 50: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Illa demùm Phil. 4, 18: *Repletus sum his, quæ misistis in odorem suavitatis, hostiam acceptam.* Et rursùm ad Hebr. 13, 16: *Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Quibus videlicet argumentis moti quidam putaverunt, sacrificii nomen terminis esse latioribus circumscribendum; à nobis enim strictissimè coarctatum. Ego verò tantùm absum ab illâ sententiâ, ut non modo non arbitrer, veram sacrificii definitionem, quæ est à nobis antè posita, his argumentis obscurari, sed fieri etiam illustriorem existimem. Duobus quippè modis verba in sacris litteris usurpantur, uno per proprietatem, altero per figuram. Atque id quidem, licèt facillimum, est tamen animadversione dignissimum. Multos tamen et ex alienis, et ex nostris hujus rei ignoratio fefellit. Dico igitur, nomen sacrificii dupliciter in Scripturâ sacrâ accipi, et propriè, et translatè. Nos porrò, quùm res definimus, necessariâ philosophiæ ducti ratione, non quid vox per metaphoram aut alium tropum translata significet, sed quid propriè contineat, exponimus. Sacrificii itaque natura propria planè nobis definita est; at in omnibus testimoniis, quæ contrà posuimus, nominis translatio quædam et abusus est. Id quod in singulis facilè intelligimus, si ea ad veram et propriam sacrificii naturam referamus.

In primo siquidem testimonio fructus labiorum laudantium Deum hostia dicitur, cùm lingua labiaque mortificata Dei laudibus consecrantur. Quemadmodùm enim vitulus mactatus in hostiam, nullas alias edebat voces, quàm in Dei laudem et gloriam, sic lingua conviciis, detractioni, ac turpiloquio mortua, et soli Deo laudando sacra, quasi sacrificium quoddam offertur, juxtà illud, quod scriptum est, Oseæ 14: *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Quanquàm in psalmis dici potest, sacrificii hostiæque voces sine tropo usurpatas. Erat enim in lege præscriptum inter cætera gratiarum actionis sacrificium, in quo veræ hostiæ mactabantur. Sed Paulus, ut solet, per allegoriam hostias illas carnales ad labiorum laudantium Deum spirituale sacrificium traduxit.

In secundo verò testimonio expeditior et planior est metaphoræ ratio. Tunc enim offerimus corpus nostrum hostiam Deo, cùm mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, carnemque nostram peccato quidem mortuam, viventem autem justitiæ Domino offerimus. Quemadmodùm Hieronymus advers. Jovinianum: « Illa, inquit, virginitas hostia Christi est, « cujus nec mentem cogitatio, neque carnem libido « maculavit. » Atque fortassis quùm Apostolus vivam hostiam dixit, quasi pugnantibus inter se vocibus de more lusit. Similia sunt illa: *Quæ in deliciis est vidua, vivens mortua est*, 1 Tim. 5, 6, mare dulce, terra cœlestis, spiritualis caro, spiritus carneus. Non itaque ex eo, quòd Apostolus vivam hostiam dixit, statim colligere oportet, animal non esse mactandum, quùm in hostiam præbetur. Quin potiùs, si Pauli ingenium tenemus, contrario modo argumentabimur.

Jam in tertio quoque testimonio aperta translatio est. Cor namque instar frumenti contritum, et divini amoris igne quasi succensum, similitudine quâdam sacrificium vocatur. Adde quòd familiare auctoribus sacris est imaginum vocabula rebus per imagines significatis attribuere, ut nomen Davidis Christo, Ezechielis 34. Nomen etiam Petræ eidem, 1 ad Corinth. 10. Tale illud est: *Ego sum vitis vera.* Quia igitur per sacrificia illa legis externa res quædam spirituales potiores præsignabantur, has omninò res sacrificia, holocausta, hostias sacræ litteræ appellant. Ut mactationes brutorum animantium figuræ erant mortificationis carnalium et irrationalium affectuum, qui regnant in corpore; ideòque carnis mortificatio hostia dicitur, non propriè quidem, sed figuratâ dictione (1). Et hunc in modum cætera, quæ non sunt modò longo sermone explicanda. Tres ergò priores scrupulos planè excussimus; quartum verò illum faciliùs eximemus, si semel stabilitum fuerit, his in locis Apostolum non propriè loqui, sed figuratè. Id quod liquidò demonstrari potest. Primùm quia sacrificium ad religionem proximè pertinet: at eleemosyna et beneficentia ad misericordiam vel liberalitatem. Dein ex illo Oseæ testimonio: *Misericordiam volo, et non sacrificium.* Quo loco sacrificium

(1) Ad eumdem modum Augustinus, 10 de Civit. I., c. 6, loquitur cùm affirmat, verum sacrificium esse omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo. Nam, cap. 5, dixerat, sacrificium visibile esse invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum.

non obscurè à misericordiæ operibus separatur. Certè, si sacrificii vox dona pauperibus collata propriè contineret, nullo modo Propheta diceret : *Sacrificium et oblationem noluisti.* Quid igitur sibi Apostolus vult, quùm ea munera hostias vocat, quæ pauperibus tribuuntur? Nempè illa esse Deo accep tissima. Videlicet hostias credebat populus maximè placere Deo, spirareque illi odorem jucundissimum, Genes. 8, Exod. 29, Levit. 1 et 3, num. 28. Usque eò autem persuasio hæc in animis vel fidelium insederat, ut præ sacrificiis opera interdùm pietatis charitatisque contemnerent. Hujus rei Apostoli minimè ignari, et plebem rudem ad veram et germanam pietatem revocare cupientes, misericordiæ ac charitatis officia hostias appellabant, non falsò id quidem, sed verbis paululùm quâdam dicendi figurâ immutatis. Sic Paulus ad Philipp. 4, 18, hostiam acceptam dixit in odorem suavitatis. Sic Jacobus, 1, 27 : *Religionem mundam et immaculatam esse visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum.* Quam rem planè et sine verborum immutatione legis ille peritus significavit, inquiens, Marc. 12, 33 : *Diligere proximum, tanquàm se ipsum, majus est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis.* Quid ergò propriè sacrificium sit, quâ etiam ratione per tropum transferatur, satis dictum est. Nec hæc tamen nimis multa videri debent, cùm hujus vocis vi ac potestate ignoratâ, multorum disputationes vagari et errare cernamus. Erant autem hæc copiosiùs explicanda, ne immodicæ brevitatis studio raperentur verborum pondera disserentis celeritate. Sed de his hactenùs. Sequitur, ut sacrificium in species suas quàm brevissimè partiamur.

Lutherani, in Apolog. August. duas proximas sacrificii species esse aiunt, nec esse plures. Unum enim esse sacrificium propitiatorium, nempè ad placandum Deum et impetrandam veniam peccatorum, alterum εὐχαριστικόν, id est, gratiarum actionis. Has duas species sacrificii magnoperè oportere asserunt in hâc controversiâ nos in conspectu positas habere, et singulari diligentiâ cavere, ne confundantur. Id quod ipse etiam atque etiam moneo; sed illud quoque animadverto, hâc divisione multas sacrificiorum species vitiosè fuisse prætermissas. Non enim solùm vel pro peccato, vel etiam ad gratiam referendam sacrificium fieri solebat, sed et vice supplicationis, ut à Deo vitæ commoditas ac prosperitas haberetur. Quod si latinè liceret, possemus *impetratorium* vocare. Quale fuit sacrificium Jacob, Genesis 28, qualeque etiam mulier illa prætulit, quæ in proverbiis, 7, 14, dixit : *Victimas pro salute devovi.* Sanè in Levitico, 7, 11, post sacrificium pro peccato hostiæ pacificæ in duas species distribuuntur, ut aliæ sint gratiarum actiones Deo exorato, aliæ voto vel spontè susceptæ Deo exorando. At præter hæc sacrificii genera aliud fortassè fuit in hoc paratum, ut fœdus cum Deo fuso sanguine sanciretur. Cujusmodi Exod. 24, et 4 Reg. 23, mentio fit. Ut omittam sacrificium pro consecratione pontificis, quod legislator à reliquis sacrificiis distinxit, Levit. 7, 35. Nam holocaustum, quod humanæ servitutis tributum proprium erat, et ad testationem divinæ majestatis ac dominationis Deo sacrum, dubium non est, ad duas illas sacrificii species minimè pertinere. Plura itaque, quàm duo hostiarum genera fuère in veteri Testamento; at in novo utrùm unum saltem sit quæritur. Cui quæstioni statìm ego respondeo, si duo illa priùs explicuero, quæ in hâc controversiâ explicatu quidem facillima sunt, sed sunt tamen necessaria vel maximè. Illud primum est, nomen sacrificii interdùm pro re, quæ Domino offertur, interdùm verò pro actione ipsâ sacrificandi solere accipi. Pro re, ut ad Hebr. 5 : *Omnis pontifex constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Pro actione, ut in illo apud Tullium loco : *Præbere hostias ad sacrificium.* Quo modo divus Thomas hanc vocem usurpavit, nec usurpavit absurdè, cùm artificium, lanificium, et similia ad eumdem modum à doctissimis usurpentur. Alterum est, catholicos sicut Eucharistiæ sacramentum, ità Eucharistiæ sacrificium duobus modis asserere. Est enim sacramentum tantùm, hoc est species illæ vini et panis externæ, quæ corpus Christi ac sanguinem continent. Et item res et sacramentum, nempè corpus Christi et sanguis, quæ res interiùs sub speciebus continentur. Similiter etiam in oblatione et missâ nostrâ est sacrificium externum specierum panis et vini; quod Augustinus, in Psal. 37, sacrificium panis et vini nuncupavit. Est et rursùs sacrificium interius corporis et sanguinis Christi, quod Deo Patri sub speciebus illis potissimùm offerimus. Interius dico, non quòd ipsum per species non suo quodam modo videatur, sed quòd intrà species inclusum, occultum in se et indivisum sit.

His positis, sit prima conclusio : *In lege novâ verè nunc est propriè sacrificium.* Quæ omninò res primùm ex Malachiâ apertè conficitur : *Non est mihi,* ait 1, 10, *voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestrâ. A solis enim ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* At interpretantur hunc locum Lutherani de sacrificio spirituali omnibus fidelibus communi. Id quod nullo pacto defendi potest. Primùm, quia nostra opera omnia sunt tanquàm pannus menstruatæ, Isa. 64, 6. Non igitur possunt dici absolutè oblatio munda, Luthero præsertìm, qui nostras justitias peccata esse contendit. Deindè quia offerre opus nostrum tanquàm mundam oblationem et sacrificium, isti dicunt esse pharisaicum. At Propheta non loquitur de pharisaico sacrificio.

Præstereà, quia sacrificia spiritualia non sunt propria legis evangelicæ, sed communia in omni lege fuère. Propheta autem disertè loquitur de sacrificio quodam legis novæ proprio ac singulari. Postremò, quia idem propheta, c. 3, loquens rursùm de ipso eodem novæ legis sacrificio : *Sedebit,* ait, *conflans et emundans argentum, et purgabit filios Levi.* Non dicit filios Israel, sed Levi; *et erunt Domino offerentes sacrificia in justitiâ.* Peculiare ergò sacerdotium erat instituendum, et peculiares sanctificandi ministri ad peculiare sacrificium legis evangelicæ. Nam quòd Protestantes illud primi capitis referunt ad sacrificium spirituale commune omnium fidelium, hoc verò tertii capitis ad prædicationem Evan-

gelii, de quâ Paulus ad Rom. 15, *sanctificans Evangelium*, etc., suâ hâc varietate testantur se à veritatis unitate discedere. Cùmque hæc sint per figuratam dictionem sacrificia; qui ad tropos confugiunt hoc loco, ii et omnem Scripturarum vim labefactant, et sibi etiam repugnant. Fatentur enim et ipsi, non esse in sacrarum litterarum intelligentiâ ad tropos confugiendum, nisi ex proprietate vocabulorum magna absurditas sequeretur. Nec verò cum his Augustinus facit, qui libro contrà litteras Petiliani 2, cap. 86, hunc Malachiæ locum de laudis sacrificio interpretatur, de quo scriptum est, Ps. 49, 14 : *Immola Deo sacrificium laudis.* Sic enim et Septuaginta verterunt : *Ab ortu solis usque ad occasum glorificatum est nomen meum in nationibus;* id quod Apostolus explicat, inquiens ad Rom. 15, 15: *Per ipsum ergò offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Sed ne Hieronymus quidem ab his dissidet, quùm Malachiæ testimonium his verbis exponit (1) : « Ergò propriè nunc ad sacerdotes Judæorum sermo fit, qui « offerunt cæcum, et claudum, et languidum, ad im« molandum, ut sciant carnalibus victimis spirituales « victimas successuras, et nequaquàm taurorum hir« corumque sanguinem, sed thymiama, hoc est, san« ctorum orationes Domino offerendas; et non in unâ « orbis provinciâ Judæâ, sed in omni loco offerri obla« tionem nequaquàm immundam, ut à populo Israel, « sed mundum, ut in cæremoniis christianorum. » Non sunt, inquam, pro adversariis auctores hi, nec stant à mendacio contrà verum. Regula siquidem Scripturarum est, ut idem Hieronymus eodem ipso loco testatur : ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Cùm ergò in universo orbe, atque adeò apud omnes gentes una et eadem offeratur hostia munda, sacramentalis et externa quidem specierum panis et vini, ab omni carnis et cruoris fœditate aliena, interior verò incruenta etiam, quamvis corporis sanguinisque ipsa sit; quid attinet vaticinationem, quam in purissimo Christi sacrificio propriè impletam cernimus, allegoricis et spiritualibus interpretationibus invertere? Non itaque, si Augustinus atque Hieronymus in Ecclesiâ gentium laudis sacrificium, sanctorum orationes, et cæteras demùm spirituales hostias agnoscunt, quæ allegoricæ et figuratæ hostiæ sunt, idcircò verum et proprium Eucharistiæ sacrificium excludunt. Quinimò, is ipse Augustinus, ad Paulinum scribens, in missâ et sacrificio quod celebrat ac frequentat, Ecclesia omne precum, orationum laudumque genus, de quo Paulus, 1 ad Timot. 2, loquitur, contineri existimavit. Sanè quidem Eucharistiæ oblatio magnâ cum excellentiâ præstantiâque oblationum reliquarum, sacrificium est gratiarum actionis et laudis, in quo nomen Dei gloriosissimè et magnificentissimè summo splendore illustratur; Eucharistia item verum illud thymiama suavissimi odoris est, quo omnes sanctorum preces et orationes referuntur, undè jucundum et ipsæ odorem mutuantur. Quæ causa Irenæo fuit ut ex Malachiæ prophetiâ utramque hostiam in Christi Ecclesiâ futuram intelligeret, et eam quæ propriè hostia est gratiarum actionis et laudis, quam ob id ipsum Eucharistiam appellamus, et quæ figuratè per allegoriam hostia nuncupatur. Verùm ne propheticis obscurisque testimoniis Lutherani se impugnari causentur, alterum ex Evangelio clarissimum proferamus.

(1) Idem ferè in Zach. c. 8.

Exstat ergò apud Lucam, 22, 19, scriptum apertissimum testimonium ad hujus rei approbationem : *Accepto*, inquit, *pane*, *gratias egit*, *et fregit*, *et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem*, hoc est accepit, *et gratias egit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ubi illud primùm animadverto, jure Cornelium episcopum Bizontinum in concilio apud Trid. à Patribus et theologis universis explosum, qui dixerit, Christum in cœnâ non suum corpus et sanguinem obtulisse. Ritu quippè judaico gratias Deo agere, calicem in manibus accipiendo et levando, verè est hostiam gratiarum actionis offerre. Quùm itaque dixit Dominus: *Hoc facite*, planè jussit Apostolis, ut quod ipsum facere cernebant, id quoque illi facerent, Eucharistiâ, hoc est, gratiarum actionis hostiam exhibendo. Quemadmodùm Cyprianus ad Cæcilium enucleavit in hæc verba : « Scriptura dicit ut quotiescumque calicem in « commemorationem Domini et passionis ejus offeri« mus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus. » Et paulò post : « A Domino admoniti et instructi su« mus, ut calicem Domini cum vino mixtum secundùm « quod Dominus obtulit, offeramus. » Atque Irenæus: « Calicem inquit, similiter suum sanguinem confessus « est, et novi Testamenti novam docuit oblationem. « Quam ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo « mundo offert Deo ei qui alimenta nobis præstat, pri« mitias suorum munerum in novo Testamento. » Et cap. posteà 34 : « Offerimus, ait, ei Eucharistiam non « quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus, » etc. Ubi omissis auctoritatibus non dubitem ipsâ re et ratione exquirere veritatem. Quemadmodùm enim in rebus aliis contingit, ut eas sanctè ac religiosè offeramus Deo, ab illo primùm acceptas; ità, ac multò etiam magis, cùm in Eucharistiâ corpus Christi ac sanguinem cœlestis benedictionis largitate acceperimus, impii profectò erimus et ingrati nisi summam gratiam referamus, eadem dona, quæ à Deo accepimus, ipsi reddendo, juxtà illud, quod scriptum est 1 Paral. 29, 14 : *Tua sunt, Domine omnia, et quæ de manu tuâ suscepimus, reddimus tibi.* Et iterùm, Ps. 115, 12 : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam.* In quem locum Paraphrasis chaldaica sic habet : *Calicem redemptionis accipiam mundo venturo.* Nam et hunc psalmum ad mysteria et fidem Evangelii pertinere, auctor est Paulus, 2 ad Cor. 4, 13. Salutare autem Christus est, ut Simeon in Evangelio cecinit. Sed benè, accipiam, quia nisi accepero, retribuere non valeo. Et cùm generaliter nihil ex nobis Deo dare possimus, sed quod ab illo accepimus, id tanquàm jam nostrum iterùm illi reddere, cujus dono acceperamus,

peculiariter tamen hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia cœlestia erant; de cœlo ergò accipienda erant, et nomen Domini invocandum, ut tali nomine consecrata, nobis fierent corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi.

Quòd si nos piè, gratè atque sapienter sanguinem Deo proprium fundimus, ut beneficiorum non memoriam modò, sed observantiam teneamus, cur sanguinem Christi à Deo nobis propriè (1) tributum non illi refundamus, qui nobis cum Filio Filii sanguinem dedit? Hesiodus eàdem mensurà jubet reddere, quâ acceperis; aut etiam cumulatiore, si possis. Nos qui Christi sanguinem et corpus accepimus, si mensurà cumulatiore non possumus, non reddemus eàdem? Quid Christus, annon per amicitiæ vim, quasi unus nobiscum effectus, dona nobis à Patre collata pro suis existimabat? Sanè quidem. Nisi ergò stultus fuit et ingratus, accipiens panem et calicem non solùm nostro nomine gratias egit, sed Patri pro suo summo beneficio meritam ac debitam gratiam cumulatissimè retulit, certè parem Patri persolvit, et commemorandam, dùm fidelium genus erit, persolvendamque putavit. *Hoc*, ait, *facite in meam commemorationem.* Te appello, Luthere, atque adeò vos appello omnes, Lutherani, nonne intelligitis, quàm apertum vobis sit cum Christi Evangelio certamen? Vos porrò Eucharistiam percipientes, non item offerentes, Domini quidem cœnam agitis, sacrificium verò crucis non agitis. Quod vester quidam confitetur evictus. « *In nostrà, Eucharistià*, ait Bucerus, *mors Christi* « *tantum verbis, non etiam symbolis prædicatur.* » Non igitur christiana est eucharistia vestra. Christus enim non jussit ut dicamus hæc in memoriam ejus, sed ut faciamus: *Hoc facite*, ait, *in meam commemorationem.* Non est itaque in mysteriis hostia Christi dicenda solùm, sed etiam facienda. Symbolis ergò, et non verbis tantummodò sacrificii Christi memoria in altari repræsentanda erit. Alioqui, si manducatio est, non oblatio, exemplar et imago cœnæ erit, exemplar, et imago sacrificii non erit. Quantò meliùs tota per orbem Ecclesia intellexit, quæ, quùm sacerdos confectis in nomine Christi mysteriis, ait: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*, ipsius voce sacerdotis illa respondet: *Undè et memores, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta*, etc., *offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram*, etc. Nullo ergò modo negari potest, quin Ecclesia offerens corpus Christi et sanguinem in Eucharistiâ, et Christi exemplo id faciat, et evidenti ratione ducta, et præcepto denique ipsius Domini impulsa.

Sed his tamen objicitur, quòd cùm Apostolus illud Domini præceptum retulisset: *Hoc facite*, etc., è vestigio subjecit: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis*, etc. Ipsa ergò manducatio et potatio symbolum est Dominicæ passionis. Non itaque necessarium est

(1) Propriè dico, quia singulis attributus est: quo sensu et sol, cùm omnium communis sit, cujusque etiam est proprius.

offerre sacrificium, ut hostiam Christi etiam symbolis commemoremus.—Huic argumento primùm ità respondeo. Non si quispiam dicat: Quotiescumque concœnaverimus, confabulabimur, mox intelligimus concœnationem et confabulationem eamdem esse. Sic si Apostolus dixit: *Quotiescumque manducabitis*, etc., non necesse est interpretari, cœnationem Dominicæ mortis annuntiationem esse. Voluit ergò Dominus, ut quæ mensa est, ea sit nobis et altare, hoc est, ut non modò cœnaremus, verùm etiam sacrificaremus. Quarè idem instituit, ut esset simul et sacramentum, et sacrificium, quorum alterum Dominicæ cœnæ, alterum Dominicæ mortis esset symbolum. Pauli ergò sententia hæc est: Ne putetis vos satisfacturos legi, si manducetis et bibatis; quâ in re cœnæ Christi commemorationem facietis; oportet enim vos mortem etiam commemorare, id quod magis sacrificando, quàm manducando fit. Deindè non inficior equidem, quin manducando corpus, sanguinemque potando, in divisione sanguinis ex corpore, id quod in cruce gestum est, apertè designetur. « Cùm frangi« tur hostia, Augustinus ait, cùm sanguis Christi in « ora fidelium funditur, quid aliud, quàm Dominici « corporis in cruce immolatio designatur? » Sed reverà, ut diximus, in separatione sanguinis à corpore mors significari potest, non autem propriè significatur hostia, nisi corpus, quod moritur, offeratur. Quanquàm consumptio specierum oblatarum ad perfectionem sacrificii pertinet. Ità populus cum sacerdote hostiam olìm consumens, verè explebat sacrificium atque adeò hostia crucis perfectum signum dabat.

Illud pærtereà animadvertendum censeo, quamvis Christus in cœnâ nullum omninò sacrificium obtulisset, eo tamen quod dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, etc., mox verò subjungit: *Hoc facite in meam commemorationem*, satis ostendisse, nos mysticè corpus tradituros, sanguinemque effusuros; quod reipsâ apertè et sine mysterio ipse erat posteà facturus. Hoc scilicet quòd ego faciam, vos facite; sed quod ego faciam sacrificio cruento, vos facite in meam commemorationem incruento. At Dominus, ut in græcis omnibus exemplaribus videre licet, semper est usus verbo præsentis temporis. Non enim ait: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis dabitur*, sed, *quod pro vobis datur.* Nec si verbum verbo reddas, dixit: *Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur*, sed, *qui pro vobis effunditur*, Luc. 22, 20. Et apud Paulum, 2 ad Cor. 12, 24: Τοῦτο μοῦ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, id est; *Hoc meum corpus, quod pro vobis frangitur;* quemadmodùm et Ambrosius in hunc Pauli locum, et Beda enarrans Evangelium Lucæ legunt. Nec dubitandum Catholicis est (quam rem posteriùs explanabimus) in altaris sacrificio sanguinem Christi fundi non aliter ad effectum, quàm si nunc funderetur in cruce; corpus Christi item frangi ad efficientiam, perindè ut si nunc nobis in cruce frangeretur. Præterquàm quòd in sacrificio externo mysticè et tanquàm in exemplari atque imagine, et sanguis Christi funditur, et frangitur corpus. Undè Augustinus: « Quùm frangitur hostia, inquit, quid aliud, quàm Do« minici corporis in cruce immolatio designatur? » de

Consecr. dist. 2, cap. *Quùm frangitur*. Ac ne sacramentum quidem solùm, sed verum etiam corpus Christi sacerdotum manibus frangi, Romanum concilium, sub Nicolao, definivit, de consecr. dist. 2, cap. *Ego Berengarius*. Videsne quemadmodùm nobis omnia consentiunt, qui et Christum in cœnâ corpus suum, et sanguinem mysticè tradidisse, et ad eamdem nos formam instituisse, non rebus solùm et rationibus, sed verbis quoque ipsis efficimus? Nihil enim prohibet, quùm Lutheranos redarguimus, exemplaribus græcis præsertìm consentientibus adhærescere.

Sed quia Sacramentarii causantur se his ferè argumentis non premi, ut quæ majori ex parte sumant, corpus Christi verum, et sanguinem in Eucharistiâ esse, id quod isti pernegant, age, rationibus conquisitis hos quoque urgeamus. Tametsi quædam ex his, quæ antè posuimus, Sacramentarios etiam pressiùs astringunt quàm ut fugere aliquandò possint. Atque ut omittam, quòd rem perspicuam, atque è sacris litteris manifestè exploratam et comprehensam inficiantur; nolo enim hodiè hâc de re cum Sacramentariis certare; de sacrificio dico, etiamsi in speciebus panis et vini nec corpus Christi, nec sanguis essent, ut verè sunt, adhùc tamen sacrificium in altari Christianorum existere multis et gravibus argumentis posse doceri. Est hoc primùm et ex definitione sacrificii, et ex perpetuâ consuetudine Ecclesiæ gravissimum, et firmissimum argumentum, quòd sacerdotes nostri panem et vinum offerunt Deo, faciuntque sacri aliquid circà res oblatas, panem scilicet frangentes, hujusque portionem tingentes vino; adde, si placet, rem utramque etiam consumentes; verè ergò et propriè sacrificant. Si enim oblatio similæ ac farinæ conspersæ oleo in figuram mortis Christi futuræ sacrificium erat, nihil est ambiguum, quin panem oblatum frangere ac vino tingere in figuram mortis præteritæ, sacrificium sit. Quid autem in hoc opere Lutherani reprehendent? An quòd panis et vini munera à Deo accepta referimus? Arguant Abel, ac cæteros in lege naturæ patres; arguant Moysem cum scriptâ lege suâ; arguant oblationes quas in Ecclesiâ primitivâ piè offerri solere libenter illi concedunt. Quin naturam ipsam potiùs arguant, quæ nos ad gratiam referendam informavit, quam Deo tamen referre aliter non valemus, nisi dona quæ accepimus ipsi reddendo. — Sed panem frangi ac tingi reprehendent. At hisce cæremoniis crucis immolationem designamus. Mirum est autem, si hoc nobis vitio vertant, quòd Christi passionem non verbis modò, sed rebus etiam commemoremus : præsertìm cùm Dominus dixerit : *Hoc facite in meam commemorationem*. Sanè, si illud peccatum est, qui baptizant, ii quoque peccant, quoniam symbolis mortem Christi figurant. Si ergò hujus verbi definitio rectè nobis declarata et circumscripta est, sine dubio sacerdos in altari verè sacrificat, quamvis nihil aliud spectes, quàm species ipsas vini et panis externas. Atque etiam, si sacrificii partes ipsas expendas, hoc est, offerri, frangi, tingi, adde etiam consumi; cùm his rebus mysticè peragendis nihil insit vitii, quemadmodum ostensum est; fit ut non solùm verè ac propriè, sed piè etiam, atque religiosè sacerdotes nostri sacrificent. Eam quippè rem Augustinus considerans, speciem panis hostiam appellat in loco citato; quod utique nomen usque adeò in omnium fidelium et auribus et linguis inhæsit, ut vanus et stultus sit, qui illud indè evellere tentârit. Sacramentarii igitur quamvis negarent esse in Ecclesiâ corporis et sanguinis Christi sacrificium, at sacrificium panis, et vini nullo modo erant negaturi (1), ne propriam sacrificii notionem ignorare viderentur.

Prætereà, Melchisedech sacerdos erat Dei altissimi, sacrificium ergò offerebat Deo, omnis enim sacerdos constituitur, ut sacrificium offerat; at non legitur aliud quàm panem et vinum obtulisse. Cùm igitur nos ad eumdem modum et ordinem panis et vini species offeramus, propriè verèque sacrificium exhibemus. Quæ causa Ecclesiæ fuit, ut illud D. Thomæ in die festo, atque solemni Eucharistiæ celebraret : *Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech, panem et vinum obtulit*. Verùm argumentum hoc Lutherani duobus modis eludunt. Primùm negant Melchisedech Deo panem et vinum obtulisse; scilicet Abrahamo obtulit, non Deo, ut Genes. cap. 14, legitur. Id, quod Epiphanius libro 2, contrà Hæreses, heresi 55, agnovit. Deindè negant sacrificium Christi in eo fuisse secundùm ordinem Melchisedech, quòd panem et vinum obtulerit; sed in eo fuisse affirmant, quòd Christus non secundùm legem mandati carnalis, oleo isto corporeo sacerdos effectus est, sed quemadmodùm Melchisedech, oleo Spiritûs unctus sit à Deo præ participibus suis. Sic enim Apostolus ad Hebræos interpretatur. Sed scrupulus prior sic eximitur : Non inficior equidem, Melchisedech panem et vinum Abrahamo ad reficiendum exercitum contulisse; sed cùm Scriptura statìm adjecerit : *Erat enim sacerdos Dei altissimi*, nisi causa inepta est, intelligere oportet, easdem res obtulisse solitum Deo, quas tunc proferebat Abrahamo, sed huic in cibum, illi in sacrificium, quemadmodùm Cyprianus ad Cæcilium, Ambrosius, lib. 5 de Sacrament., cap. 1, Hieronymus, in Matthæi caput 26, Augustinus in Psal. 33, concione primâ, Cassiodorus, in Psalm. 109, Damascenus, lib. 4, cap. 14, Chrysostomus, homiliâ de Prodit. Judæ, auctores sunt de Consecr. dist. 2, cap. *In Calicem* et cap. *Accipite*. Scrupulum verò posteriorem hoc modo eximemus. Non, si in unâ re sacerdotium Christi simile est Melchisedechi sacerdotio, omnis illa similitudo excluditur. Quin si figura perfecta est, aptè quadrare ad multa potest. Nihil igitur obstat, cur non in sacerdotii et constitutione et oblatione, Melchisedech Christus appareat simillimus. Lex insuper, et religio nulla est sine sacerdotii munere, atque functione. Hæc enim tria itâ sunt, semperque fuêre conjuncta, ut si unum tollas, reliqua necesse sit esse sublata. *Translato*, inquit, *sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat*, ad Hebr. 7. Si ergò Christiani legem ac religionem habemus, habemus profectò et sacerdo-

(1) Sacrificium panis et vini Augustinus vocat in Psalm. 37.

tium. At sacerdos omnis in hoc paratur, ut sacrificium offerat. Christiani ergò etiamnùm sacrificium tenemus, sine quo nec sacerdotium, nec religionem, nec legem tueri possumus. At non omnes esse sacerdotes affirmant, hostiasque spirituales offerre. Sed cùm hæ non propriè sint hostiæ, sed translatè, sacerdotium quoque non proprium, sed translatum et improprium erit; translato verò sacerdotio, religionis item translatio fiet. Ità nimirùm, qui nobis sacrificium eripiunt, simul hi et veram Christi religionem conantur eripere, et falsam ejus inducere, qui juge ab Ecclesiâ auferet sacrificium. Nam et Danielis, 12, 11, testimonio constringi fortiùs potuerunt, quàm ut elabantur. Rogandi sunt videlicet adversarii, quodnam sit illud juge sacrificium, quod Antichristus ab Ecclesiâ ablaturus est per dies 1290. Et cùm in Ecclesiâ non sit aliud sacrificium juge præter id quod in altari offerimus, jure arguimus, Lutheranos esse ministros Antichristi.

Sed quid ego argumentor? Quid plura disputo? Etiamne in tàm perspicuis rebus argumentatio quærenda aut conjectura capienda est? An dubitari potest, ubi nullum peculiare sacrificium, privatìm res sacra nulla, sacerdos propriè nullus est, ibi ne religionem quidem esse posse? Tradit Plato, lib. 16 de Regno, sacerdotes magnâ claritate oportere abundare, propter eorum, quæ tractant, magnitudinem. Quapropter apud Ægyptios non licere regem absque sacerdotio imperare. In plurimis quoque Græcorum civitatibus præcipua sacra à magistratibus summis institui, atque apud Athenienses creato regi sacra maximâ esse attributa. Tradit rursùm, dialog. 8 de Regibus, oportere, ut unus semper ex magistratibus deorum alicui pro civitate sacrificet. Aristoteles deindè, lib. Polit. 3, c. 10, auctor est, in heroicis temporibus reges divinæ rei cultum exercere solitos, nisi talia essent sacrificia, quæ sacerdotium requirerent. Docet alio loco idem, in optimâ republicâ sacerdotes honoratissimos constituendos. « Neque enim, ait, agricola, neque artifex neque vilium exercitiorum quisque sacerdos est deputandus; « honos namque diis est à civibus impendendus. » Cicero et Valerius scribunt, tantum studium antiquis observantiæ religionis fuisse, ut senatus tunc, quùm florebat imperium, decreverit, ut de principum filiis pauci quidam electi Etruriæ populis ad disciplinam sacrorum percipiendam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum, et religionis auctoritatem, adduceretur ad mercedem et quæstum. Tantus honos apud veteres naturâ duce religioni est habitus, ut nulli, nisi principes et optimates, cæremoniarum ergà Deum haberent facultatem. Et volunt Lutherani adeò Christum desipuisse, ut rempublicam instituerit, in quà sacrificia omnia vulgaria passìm et contrita essent, sacerdotes, deliri etiam senes, garrulæ anus, adolescentes leves, sartores, lanii et coqui, quos, honos præfandus sit, si vel cursìm velis recensere! scilicet, sacerdotium nostrum Lutherani Turcarum more informare cupiunt, apud quos à communi populo non multùm sacerdotes differunt. Quantò religiosiùs antiqui olim Germani statuerunt, ut verberandi animadvertendique in hominem, nisi sacerdotum auctoritate, nullis esset concessa facultas, quòd judicia non humana, sed divina viderentur! Sed quid ego communes naturæ rationes profero? Ad nostras, hoc est theologicas redeamus. Apostolus fideles cupiens ab idolorum cultu deterrere, eo maximè argumento usus est, quòd si idolis immolarent, participes essent altaris et mensæ impiæ atque irreligiosæ; nam sine discrimine eamdem vocat et mensam, et altare; qui autem ad altare Christi accedunt, participes sunt hujus etiam altaris; fieri autem non posse, ut utriusque simul participes simus, nisi Deo et idolis pariter serviamus. Altare igitur habet Ecclesia; habet igitur sacrificium. Etenim sicut mensa dicitur, in quâ editur cibus, sic altare, in quo offertur sacrificium. Negent ergò altaria fidelibus Lutherani, solùm concedant mensas, quia cibum nobis esse aiunt, sacrificium non item. Nec altaris modò, sed et missæ nomenclaturam adimant, quæ cassum quiddam, et inanis vocis dono decoratum erit, si nobis in altari oblatio non est. Missæ porrò vocem ex hebræâ linguâ mutuò acceptam cùm doctissimi è nostris, tùm plerique è Lutheri familiâ testantur. Est autem Hebræis Micæa oblatio (1).

Sanè verò tùm altaria, tùm oblationem corporis et sanguinis Christi, quam missam et sacrificium appellamus, ex Apostolorum traditione nos habere exploratissimum erit, si regulas eas hùc referamus, quæ investigandis Apostolorum traditionibus libro hujus operis tertio sunt à nobis constitutæ. Certè Irenæus, lib. 4, verbis nihil obscuris affirmat, ex traditione Apostolorum esse, quod corpus et sanguinem Domini offeramus. Andreas quoque Apostolus, referente Philacteto ex litteris sacerdotum Achaiæ Egææ proconsuli, « immaculatum, ait, agnum quotidiè in altari sacrifico. » Jacobum etiam missæ celebrationem addidisse, testes sunt Patres Trullanæ synodi, can. 32. Concilium insuper Carthag. 3, ait Dominum tradidisse, ut in sacramento corporis et sanguinis ejus nihil ampliùs quàm panis et vinum offerantur. Sed, ut dixi, nihil est opus oratione longiore, ubi promptum est formulas illas quærendæ traditionis ad præsentem disputationem accommodare.

Jam Ecclesiæ auctoritas pro hâc conclusione notior et crebrior est, quàm ut indicanda sit. Nihil enim frequentiùs tùm in canone, tùm aliàs sæpè intonat, quàm, hostiam Deo se corporis et sanguinis Christi puram et immaculatam offerre.

Concilia verò ab hâc sententiâ sunt plurima, Toletanum primum, c. 5, Toletanum XI, cap. 14, Toletanum XII, c. 5, Bracharense III cap. 1, Antissiodorense, cap. 8, Carthaginense III, Ephesinum, Nicænum, cap. 14, Lateranense, sub Innocentio III. Adde etiam

(1) Deut. 16, ubi nos habemus : *Spontaneam oblationem*, Hebræi habent, *Micæam*. Quo etiam significatu concilium Carthaginense quartum, cap. 84, hoc nomen usurpavit in hæc verba : « Episcopus nullum prohibeat « ingredi Ecclesiam et audire verbum Dei, sive gentilem, sive hæreticum, sive Judæum, usque ad missam catechumenorum. » (De Consecr. dist. 1, cap. *Episcopus*.)

Trullanum, quod nomine sextæ synodi à Gratiano refertur. Adde etiam Florentinum in decreto unionis Armenorum. Sed et in concilio Constantiensi ille error condemnatus est, non esse fundatum in Evangelio, quòd Christus missam ordinaverit.

Quid Sedis apostolicæ antistites? Nempè eamdem Apostolorum et Ecclesiæ fidem profitentur. Anacletus, de Consecr. dist. 2, cap. *Episcopus;* Clemen. de Consec. d. 2, cap. *Hic ergò;* Alex. I, de Consec. d. 2, cap. *Nihil;* Euseb. de Consec. d. 1, cap. *Consulto;* Julius, de Consec. d. 2, c. *Cùm omne crimen;* Felix, de Consecr. dist. 1, cap. *Sicut non alii;* Soterus, in epistolà ad episcopos Italiæ; Syricius, ad Cimerium, Tarraconensem episcopum, cap. 1; Innocentius I, ad Exuperium, Tolos. episcopum, c. 1; Leo, ad Dioscorum epist. 79, de Cons. dist. 1, cap. *Necesse est.* Hi omnes antiqui Ecclesiæ pontifices, nam posteriores quid attinet commemorare?

Auctores verò veteres, quos Ecclesia et consecravit, et publicè dedicavit, si referre velim, negotium lectori facessetur. Itaque non omnes referam, sed nobilissimos. Docent in primis hoc est Græcis, Dionysius, cap. 3 lib. de Eccles. Hier.; Ignatius, in epist. ad Smyrnens.; Athanasius. in lib. Quæstionum ad Antiochum. quæst. 34; Gregorius Nazianzenus, in Carminib. ad episcopos; Eusebius Emissenus, de Consec. dist. 2, c. *Quia corpus.* Chrysostomus, hom. 17 in Epist. ad Hebræos, qui falso nomine Ambrosii citatur à Gratiano, de Consec. dist. 2, c. *In Christo;* Chrysost. quoque idem, lib. 6 de Sacerdot. paulò post principium. Cui Theophylactus consentit in c. 10 Epist. ad Hebr.; et Damascenus, lib. 4, cap. 14. E Latinis verò habes Irenæum, lib. 4, cap. 32 et 33, et 34 et 63; Cyprianum, lib. 2, epist. 3, quæ scribitur ad Cæcilium, de Consec. d. 2, c. 1 et 2. Atque idem repetit in sermone de Cœnâ Domini; Ambros., lib. 1 Officiorum, c. 48; Hieronymum ad Hedibiam, quæst. 2, et ad Tim. 1; Paschasium, in lib. de Paschâ, de Consecrat. d. 2, cap. *Iteratur;* August., lib. 10 de Civ., cap. 20, et lib. 17, c. 20, et lib. 20 cont. Faust., c. 18, quem locum et Calvinus et Bucerus impudenter pro se referunt; Gregorium, lib. 4 Dialogorum, c. 58, et in quâdam homilià paschali, de Consec. dist. 2, cap. *Quid sit.* Fulgentium denique, lib. 2 ad Monimum.

At omnibus his testimoniis Calvinus respondet, Eucharistiam ideò à Patribus sacrificium vocari, quia est exemplar et imago sacrificii. Nec enim aut novum aut insolitum est, rerum vocabula rerum imaginibus attribuere. Ad Galat. 3: *Antè quorum oculos Jesus Christus proscriptus est, et in vobis crucifixus.* Ad Rom. 6: *Consepulti in baptismum.* Apocal. 10: *Agnus, qui occisus est ab origine mundi;* sic autem Chrysostomum, Theophylactum et Augustinum, fidem suam de sacrificio explicuisse. Hæc Calvinus, Instit. cap. 18. Nam Bucerus, lib. 2, cap. 7, dicit quidem, alios Patrum in hâc sacrificii appellatione id spectâsse maximè: « sed alii « tamen, in usu, inquit, hujus vocis præcipuè spectâ-« runt oblationes, quas suarum rerum fideles offere-« bant et Domino consecrabant. » Id quod Lutherus etiam animadverterat, in libro illo pestilentissimo de Captivitate Babylonicâ. Sed scitum illud est, qui verecundiæ fines semel transierit, eum benè et naviter oportere esse impudentem. Primùm enim isti colligunt, si sancti auctores asserunt, Eucharistiam esse exemplar sacrificii in cruce facti, statìm haberi, non esse verum sacrificium. Quod si ad eum modum colligere licet, ne vetera quidem sacrificia propriè et verè sacrificia fuissent, quoniam omnia figura et imago erant unicæ illius hostiæ, quam Christus moriens immolavit. Utrumque igitur signum unius et ejusdem hostiæ censendum est, nostrum quidem præteritæ, illud autem legis veteris futuræ; sed utrumque tamen verè sacrificium. Nisi quis adeò insaniat, ut putet magis pertinere ad rationem sacrificii, quòd significet rem faciendam quàm quòd commemoret rem factam. Ego sanè ità judico, Eucharistiam nostram exemplar sacrificii Christi esse non posse, nisi esset quoque ipsa sacrificium. Quæ res paulò antè est à me diligenter explicata. Quemadmodùm enim cœna nostra commemoratio non esset dominicæ cœnæ, imagoque illius et exemplar, nisi verè manducaremus; sic nec Eucharistia nostra hostiæ Christi exemplar et imago esset, nisi verè sacrificaremus. Deindè illud ab his quæro, an sancti dicant, offerre nos in hoc mysterio corpus Christi et sanguinem. Bucerus negat, sed rem tamen apertam negat. Nam, ut cæteros omittam, manifestè id tradunt Cyprianus ad Cæcilium, Ambrosius lib. Officior. 1; Aug., 17 de Civ. Dei, et contr. Faustum lib. 20; Damascen., lib. 4; Irenæus item, lib. 4, ac demùm Alexander papa ad omnes orthodoxos; nolo enim esse longus in reliquis recitandis. Quòd si sanguinem Christi in hoc mysterio offerimus, verè illud est quidem sacrificium, et exemplar est tamen; quoniam hostiæ cruentæ imago incruenta est, sed ità incruenta, ut pro eo sit, ac si nunc cruor ipse effunderetur.

Atque argumenta hæc usque adeò plerosque Lutheranos cogunt, ut in sacrificio offerendo ex parte jam cum Ecclesiâ consentiant. Non enim penitùs sacrificium negant, sed in eo perstant, qui hostiam pro peccatis admittunt, eos injuriam imponere Christi perfectissimo sacrificio, quo uno cuncta sunt remissa peccata. Itaque gratiarum actionis sacrificium in Ecclesiâ esse quidem, quod eucharisticum isti vocant, sed pro peccato nullum esse, quod propitiatorium appellant.

Secunda verò nobis in hâc controversiâ conclusio certissima et ipsa est, *Eucharistiam non modò juxtà nomen suum sacrificium esse, quo Deo gratiam referamus, sed id etiam esse, quod nobis Deum placatum propitiumque reddat.* Eamdem itaque hostiam pro gratiarum actione et pro pe cato esse. Hæc primùm ostenditur ex illo loco apud Lucam, 22, 19: *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Et de calice similiter: *qui pro vobis effunditur.* Ambros. de Cons. dist. 2, c. *Si quotiescumque.* Est ergò sacrificium pro peccatis. Id quod forma consecrationis præ se fert, quæ habet: *Effundi sanguinem in remissionem peccatorum.* Nam quòd Lutherani quidam aiunt, verba, quibus hoc my-

sterium sacerdos conficit, materialiter accipi, non significativè, non est hujus loci temporisque refellere. Illud sanè exploratum est, si verba formæ materialiter acciperentur, nec sacerdotem in Christi nomine corpus sanguinemve conficere, imò ne conficere quidem ullo modo. Quin etiam, si sacerdos verba illa significativè non profert, ex vi verborum neque corpus Christi in sacramento habemus, neque sanguinem. Ex quo Sacramentariorum stultitia existit.

Deindè, *omnis sacerdos*, ut ad Hebræos tradit Apostolus, *constituitur, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* aut ergò nullus nobis sacerdos est, aut sacrificium propitiatorium habemus. Nec verò Paulus de solo legali sacerdote loquebatur, nisi ineptè argumentatus fuisset, Christum pro peccatis quoque obtulisse, quoniam sacerdos erat.

Prætereà pœnam aliquam manere, remissâ jam culpâ, non solum Ecclesiâ definiente, sed Scripturâ etiam tradente credimus. Cùm ergò corpus Christi et sanguinem Dei dono tanquàm res nostras habeamus, utique poterimus offerre Deo ad redemptionem animarum nostrarum; quemadmodùm et pœnas proprias et sanguinem quoque nostrum offerimus.

Hanc verò esse apostolicam traditionem, et Epiphanius, lib. 3 contrà hæreses, et Chrysostomus ad populum Antioch. apertè docent, et facilè per regulas suprà à me positas ostendi potest, quas permolestum erit post tàm longam disputationem ad hujus nos loci usum in præsentiâ convertere. Quanquàm una Ecclesia satis est ad hujus rei certam fidem in animis inserendam. Illa quidem cùm aliàs frequentissimè, tùm in canone maximè profitetur, plebem sanctam fidelium hanc hostiam Deo pro redemptione animarum suarum offerre.

Romanos verò pontifices supervacaneum erit recensere. Itaque duos solùm antiquissimos et sanctissimos referemus. Alexandrum, in epist. ad omnes orthodoxos, inquientem crimina atque peccata his sacrificiis deleri; cui assentitur Julius, de Consecrat. dist. 2, cap. *Cùm omne crimen.* Quibus div. etiam Gregorium addo, de Consecr. dist. 2, cap. *Quid sit.*

Nam in conciliis habemus Cabilonense de Consecr. dist. 1, cap. *Visum est.* Florentinum quoque habemus, ac Tridentinum; adde etiam si videtur et Trullanum.

Jam sancti veteres eam rem constantissimè tradunt. Chrysostomus, homil. 17 ad Hebræos, et Theophylactus in cap. 8 ejusdem Epistolæ palàm dicunt, in mysteriis et sacrificio esse remissionem peccatorum. Eusebius Emissenus hanc redemptionis oblationem vocat. Damascenus affirmat esse omnis sordis expiationem. Idem astruxit et Athanasius, lib. Quæst. ad Antiochum. Epiphanius item inducit hæresim Aerii in hæc verba : « Orat vivus, aut dispensationem facit « (id est missam); quid profuerit mortuo? » Cui respondet Epiphanius, quòd omninò prosunt preces ejusmodi defunctis, etiamsi totam culpam non abscindunt. Quem locum incredibile dictu est, quàm pravè Bucerus torquere nititur. Sed benè habet, quòd habemus alios, quos hæretici, rumpantur licet, torquere non possunt. Chrysostomus, homil. 69 ad populum Antiochenum : « Non temerè, inquit, ab Apo-« stolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis « defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim, « indè multum eis posse contingere lucrum. Cùm « enim totus constiterit populus, sacerdotalis pleni-« tudo, et tremendum proponatur sacrificium, quo-« modò non exorabimus pro his deprecantes? » Vide etiam eumdem, lib. 6, de Dignitate sacerdotali. Gregorius, lib. 4 Dialog., c. 55 : « Si culpæ, ait, post « mortem insolubiles non sunt, sicut non esse docue-« rat, multùm solet animas, etiam post mortem, sa-« cra oblatio hostiæ salutaris adjuvare. » Theophylactus, in cap. Luc. 12, in illud : *Eum timete*, etc. : « Non semper, ait, qui moriuntur peccatores, mit-« tuntur in gehennam. Sed sunt in potestate Dei, ut « etiam dimitti possint. Hoc autem dico propter obla-« tiones quæ sunt pro defunctis, quæ non parùm con-« ducunt etiam iis, qui in gravibus peccatis mortui « sunt. » Vide etiam Ambrosium, epistol. 8, lib. 2 ad Faust. et Cyprianum. lib. 1, epist. 9. Nam in sermone de Cœnâ Domini apertè dicit, hoc sacrificium esse iniquitatum expiationem. Vide etiam Paschasium de Consecrat. dist. 2, cap. *Iteratur;* et Augustinus, de Curâ pro mort. gerend. cap. 1, et lib. Conf. 9, cap. 11 et 28, et de Hæres, cap. 53, et in Enchirid., cap. 110. Possemus his theologorum sequentium manum adjungere, in hæreticorum cæde jam sæpè victricem. Sed victoribus occurrent acto jam de inimicis Ecclesiæ triumpho. Itaque ad prælium serò venient siquidem, sed ad palmam opportunè. Quanquàm hoc loco necesse fuit eos advocare, non ut nostra confirmarent argumentis ac rationibus, sed ut scholæ more pressè, atque argutè contraria refutarent. In refutandis quippè hæreticorum argumentis tantùm scholæ theologia valet, ut facilè possit ea, quæ istis videntur esse gravia, ostendere vel levissima.

Primum sanè argumentum, quod Calvinus tantoperè jactat, facillimè diluitur. Quis est enim, cui non perspicua sint illa, quæ verbis iste multis exornat et amplificat? Unicum sacerdotem nostrum præstitisse id, quod omnes illi veteres minimè præstiterunt, nempè remissionem peccatorum in sanguine proprio. Rursùm immortalem esse et perpetuum, qui semper coràm Deo pro nobis assistat, nec suorum modò vulnerum cicatrices, sed etiam sanguinem, quem effudit in cruce omnes Ecclesiæ et oblationes, et orationes, se demùm, Ecclesiamque suam Patri in sublimi altari repræsentet. Item unâ solâ oblatione confecisse, quod ne plurimis quidem veteres illi sacrificiis valuerunt. Hæc videlicet contrita sunt, et vel minutis theologis pervulgata. Illud nos addimus, quod Calvinus ignorat, discrimen esse inter sacerdotes veteres et nostros, quòd in illis nemo fuit, cujus cæteri vicarii essent; neque enim posteriores prioris alicujus gerebant vices, sed quisque suam offerebat hostiam, et suo non alterius sacerdotis nomine offerebat. Ità ex hâc parte plures omninò erant sacerdotes. Non enim in uno veluti

capite conveniebant, cujus loco administrarent. At nostri cùm in nomine Christi, et in personâ ejus accedant ad altare, quodammodò omnium unum est sacerdotium sicut episcopi ac vicarii unum judicium est. Aliundè etiam veteres illi plures erant sacerdotes, quia plures hostias, easdemque differentes exhibebant; at sacerdos à sacro faciendo dictus, ubi eamdem hostiam offert, idemque omninò sacrum conficit, aliquo modo idem est, licèt plures esse videantur. Ac reverà sacerdos, qui Deum sanguine placaret et reconciliaret mundo, unus est Christus. Nos quippè hoc sensu non dicimur sacerdotes, sed quia dispensatores sumus mysteriorum ejus, applicantes populo sanguinem, quem ille effudit in cruce, et simul cum illo offerentes. Indè enim nostra oblatio vim habet non ex nobis. Non igitur nos plures sacerdotes sumus ad eum modum, quo veteres plures fuisse tradit Apostolus. Quod verò Calvinus ait nostros sacerdotes esse infirmos ac peccatores, ut olìm in lege, magno discrimine agnoscimus. Etenim illi cùm adferrent hostias, quæ ex se placere Deo non poterant, *nec placita sunt,* inquit, *quæ tibi secundùm legem offeruntur;* cùm sanguinem, inquam, hircorum et taurorum offerrent, ad Hebr. 9, 12, si peccatores erant, per sacrificia sua nihil consequebantur. Respexit quippè Deus ad Abel et ad munera ejus, neque offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt, ut rectè Gregorius admonuit. Legis ergò infirmitas erat, quòd nec hostiam habebat, quæ ex se Deo esset accepta, nec sacerdotes impollutos, qui Deo gratiosi, gratam quoque hostiam efficerent. Sacerdotes verò nostri, tametsi infirmi sunt, nihil tamen Ecclesiæ sacrificio incommodant, utpotè quod vim suam non ab illis habet, sed à Christo summo sacerdote, in quo Patri benè complacuit, qui simul est et sacerdos et sacrificium, quemadmodùm Innocentius III in concilio dixit, de Summâ Trinitate, cap. *Firmiter.* Hostiæ igitur evangelicæ excellens præstantia est, quòd et ipsa per se Deo est quàm gratissima, et unum habet perpetuò sacerdotem sanctum atque impollutum; cujus oblatio vim tribuit sacrificio, omnibusque fidelibus memoria seculorum omnium prodest. Quocircà sicut in Christi sacramento impius administer nihil Ecclesiæ nocet; ità ne in Christi quidem sacrificio sacerdos improbus divinæ utilitatis fructu Ecclesiam privat, quamvis ipse sibi non emolumentum comparet, sed exitium. Verùm de primo argumento hactenùs.

Hujus autem confirmatio argumenti non est nunc oratione longâ infirmanda, ne novam hìc controversiam de novi sacramenti sacerdotio constituamus. Illud breviter dicimus, eos sacerdotes à Deo esse vocatos, qui ab Apostolis et eorum successoribus ritè et ordine vocati sunt. Nec verò sacerdotii nostri ratio popularis est, multorumve suffragiis declaranda, non de terrâ conficta, sed de cœlo ducta et delapsa est. *Resuscita,* inquit, *gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum,* 2 Tim. 1, 6. Et alio loco, 1 Tim. 4, 14 : *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Et in Epist. ad Titum cap. 1 : *Reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Paulus denique et Barnabas act. 14, 22, constituerunt per singulas ecclesias presbyteros in oratione et jejuniis, ut mos est, et nunc in Ecclesiâ fieri solet. Quemadmodùm igitur qui Apostolos audiebat, is Christum audiebat; ità etiam quos Apostoli vocabant, hos vocabat Christus, et quos à sacerdotio repellebant, eos Christus ipse repellebat. Nam quòd hæc nunc ab illis defensionis ratio viaque tentatur, in his Scripturæ locis de senioribus agi, qui rempublicam gererent, non de sacerdotibus, qui rem divinam facerent, satis ostendunt, quàm parùm in sacerdotii dignitate et auctoritate ponant, qui illud existiment aut à senectutis venerandâ canitie, aut ab Ecclesiæ administratione sejunctum. Aristoteles porrò non credidit, alios fore ad sacerdotium idoneos, nisi vel qui reges essent, aut principes civitatis, vel certè quos post rempublicam diù suo consilio gubernatam, aut res in bello præclarè gestas, defessos jam atque defatigatos omni curâ humanâ et labore vacuos esse oporteret, ut non nisi in ætate et auctoritate senatoriâ sacerdotium resideret. Quam naturæ institutionem Apostoli secuti, cùm sentirent sacerdotibus Ecclesiæ gubernationem fuisse à Christo commissam, eos existimârunt esse in sacerdotum ordinem cooptandos, qui verè presbyteri essent, hoc est, seniores. Ità factum est, ut presbyteri nomen in eum qui sacra facit remaneret. Sed nos eo loco locati sumus, ut non longè prospicere oporteat futuros sacerdotii casus, cùm eos in præsentiâ videamus. Deflexit enim jam de spatio curriculoque, multùmque deflexit consuetudo majorum, et eos nobis episcopi initiatos sacerdotio tradunt, qui non modò presbyteri non sunt, sed sunt etiam valdè juvenes. Ità sacerdotii auctoritas sceleratissimis Ecclesiæ hostibus ludibrio est. Verùm de episcoporum abusu minimè contendimus; in eo certamus, sacerdotis creandi rationem nos ab Apostolis, Apostolos à Christo accepisse. Quod ne dubitare possimus, certissimo est argumento, quòd Christus in cœnâ dixit : *Hoc facite in meam commemorationem.* Si enim hoc, quod præcepit facere, sacrum erat, imò, si, ut antè probatum est, sacrificium erat; Apostolos sanè tunc sacerdotes institui; nisi jussit facere, nec dedit tamen potestatem faciendi. Conficere autem Christi corpus et sanguinem, ut sacra nostra Deo faciamus, quoniam suprà naturam est, sine divinâ facultate fieri non potest. Quia verò sacrificium hoc Dominus facere jussit donec veniat, necesse est, ut copiam, quam Christus fecit Apostolis sacrificii jugis et perpetui faciendi, illi in posteros sempiternis seculorum ætatibus transfuderint. Sic enim, ut Œcumenius ait, sacerdotium Christi æternum est secundùm ordinem Melchisedech. Sed primi argumenti confirmationi refellendæ plusculùm etiam quàm concedebat ratio, largiti sumus.

In secundo verò argumento multa simul objiciuntur adversùm ea, quæ ex Ecclesiæ sententiâ diximus, sed nos exprimemus omnia perspicuè, ut res dicta propè manu tentari possit. Primùm autem illud sacerdotibus nostris opponitur, quòd offerunt alienum sanguinem id quod sine dubio falsum est, quippè cùm Christi san-

guis, dono Dei licet, noster sit tamen; noster, inquam, veluti universalis causa nostra est. Sol autem tuus ad generandum est; at non ità tuus, ut sine peculiari tuâ generet actione.

Illud deindè Calvinus objicit, Christi sanguinem semel, juxtà Apostolum, oblatum esse. Quam rem non absurdè intelligunt plurimi de oblatione cruentâ, quæ palàm antè oculos omnium posita fuit. Sic enim se idem Apostolus exposuit, quùm subjecit: *Semel in consummationem seculorum per hostiam suam apparuit.* De illâ ergò victimâ sermo fit, quæ in monte Calvariæ palàm in ore atque oculis Judææ provinciæ mactata est. Ex quo intelligitur, contrà oblationem altaris, ubi sanguis Christi in mysterio fusus, non corporis, sed mentis oculis cernitur, ne verbum quidem ullum Apostolum dicere. Æquè videlicet Pauli verba torquere adversarii possunt in eam oblationem, quam Christus in cœlis incruentam fecit, semper Patri pro nostris peccatis apparens. Sed ne me in hanc quasi fugam conferam, maximè animadvertendum censeo, oblationem non simpliciter et uno modo esse. Una enim est universalis, altera est particularis, quæ generalem illam quasi ad efficiendum applicat. Et quoniam Lutherani omnes oblationes ad unum exemplum et regulam quærunt, nos hujus divisionis exemplum ex similitudine rerum naturalium capiemus, ut horum ignoratio illustrior appareat. Illuminatio dupliciter à philosophis accipitur, et ea, quæ universalis est, et ea quæ est particularis. Videlicet, simul atque Deus produxit solem, potest dici semel mundum illuminâsse, nempè tanquàm in causâ universali. Sed sunt tamen plures quotidiè illuminationes propriæ, quæ non solùm cum generali illâ non pugnant, sed ità subserviunt, ut sine illis universalis illa aut propemodùm otiosa sit, aut certè penitùs otiosa. Sic et illud interpretamur *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* scilicet illustratione quâdam generali, quæ in hoc quidem genere una et eadem sufficiens et idonea est, atque adeò sempiterna; sed si illustrationes peculiares desint, quibus singulorum hominum mentes privatìm illuminentur, universalis illa sufficientiam habet, efficatiam non habet. Nec enim generales causæ quidam efficiunt, nisi privatis et propriis causarum secundarum actionibus vis illa faciendi communis ad singulos effectus adjungatur. Similiter ergò oblatio Christi una generalis fuit redemptionis ac sanctificationis humanæ non solùm idonea causa, sed fuit etiam omnibus numeris absoluta; cui, in genere suo dico, nihil addi, nihil detrahi possit. At sunt plures oblationes particulares, quibus universalis illa efficientia ad effecta quædam singularia contrahitur. Nemo igitur nos legales sacerdotes existimet, quòd singulis altarium sacrificiis sæpè ac privatìm offerimus, sed potiùs ità secum reputet: sacerdotes sunt illi secundi sub uno primo pontifice Christo, administri et dispensatores mysteriorum ejus.

Ac de primâ quidem hujus argumentationis parte, itemque de secundâ disputatum est; reliqua est tertia eademque postrema, in quâ Calvinus ac Bucerus insolentiùs jactant, quasi argumentum invenerint, quod refellere nequeamus. Quâ unâ in re, fateor, superiores sunt. Illi namque quomodò opinionem commentitiam confirmarent, invenerunt : ego tàm leve argumentum quâ ratione infirmem ac diluam, reperire non possum. Sed age, horum insolentiam reprimamus, jamque doceamus seriò, quàm ridiculè exultent homines non solùm doctrinæ apostolicæ ignari, sed omnis omninò philosophiæ. Primùm autem, quamvis denuò velimus sacrificii complicatam notionem evolvere, non facilè tamen reperiemus, an ea cædem occisionemque contineat, cùm animal sacrificandum est. Contrà enim dicet fortassè, quis, prophetas Baal quoddam etiam sacrificii genus præbuisse, qui lanceolis et cultris se inciderint, donec perfunderentur sanguine, 3 Reg. 18, 28. At demus illud, et concedamus argumentantibus quod ad perfectam animalis immolationem nos quoque attinere credimus, confici, dico ipsum et occidi sacrificatorem oportere, si verè sacrificatur. At corpus vivum et spirans nos offerimus; idem enim in Eucharistiâ est atque in cœlo. Sed etsi Christi corpus in Eucharistiâ vivum est, ac sanguis in corpore, non tamen à nobis aut corpus offertur quia vivum est, aut sanguis quia est in corpore. Sed illud quia mactatum, hic quia effusus in cruce. Quòd si Christus in cruce se offerens non se è conspectu nostro abstulisset, sed perpetuò penderet in cruce, antè omnium fidelium oculos omni et loco et tempore positus; nihil necesse erat, ut exemplum facti relinqueret, et in simulacrum ex animali exemplo veritas transferretur. Sicut enim ii, qui tunc fuerunt juxtà crucem, eamdem cum Christo hostiam Patri obtulerunt, si modò verè erant pii, et rem quæ gerebatur, intelligebant; sic si eadem externa crucis hostia in conspectu nostro æterna permaneret, nullo exemplari et imagine hostiæ illius indigeremus. Quia verò licet oblatio illa et mactatio externa transierit, sic tamen coràm Deo constat acceptabilis, et perpetuâ virtute consistit, ut non minùs hodiè in conspectu Patris illa sit efficax, quàm eo die, quo de saucio latere sanguis exivit; ideò verè nunc offerimus eamdem crucis hostiam cum Christo, perindè atque illi, qui erant juxtà crucem : quamvis illi nullo posito sub oculis simulacro, quia nullo tunc opus erat, cùm res ipsa viva in præsentiâ esset, atque antè oculos proposita; nobis autem per imaginem Christus hostiam illam excitavit, et quasi in quodam exemplari statuit antè oculos. Sed imago hæc et exemplar nihil reverà obstat, cur non eumdem illum sanguinem modò offeramus, quem Christus fudit in cruce, non aliter ac si nunc coràm effunderetur. Quæ est sententia Chrysostomi, falsò tamen Ambrosio attributa, de Consecr. dist. 2, c. *In Christo* (1). Adde, quòd quale fuerit sacrificium, talis est requirenda mors, ut si illud cruentum est, hæc sit etiam cruenta; sin illud incruentum erit, mors quoque erit mystica et incruenta, id est, effectus mortis, ceu nunc præsens adesset. Satis est enim ut verè et propriè sit sacrificium, quòd mors ità

(1) Vide etiam Eusebium Emissen. de consec. dist. 2, c. *Quia corpus.*

nunc ad peccati remissionem applicetur, ac si nunc Christus ipse moreretur. Id quod scriptorum veterum testimoniis confirmatur. Gregorius : « In se ipso, inquit, immortaliter vivens, iterùm in hoc mysterio « moritur. » Et Augustinus : « Semel immolatus est « in semetipso Christus, et tamen quotidiè immolatur « in sacramento. » Paschasius : « Quotidiè Christus « mysticè pro nobis immolatur, et Passio Christi in « mysterio traditur, » etc. Et Cyrillus, in concilio Ephesino, Athanasius ad Antiochum, Theophylactus, in cap. 10 Epistolæ ad Hebræos, Damascenus, in lib. 4, Gregorius demùm Nazianzenus, ut cæteros prætermittam, hanc incruentam exsanguemque immolationem vocant, unicam illam quidem, qualis non fuit alia similis, per quam ad effectum scilicet sic nobis Christus immolatur, ut illis, qui præsentes erant, quandò se in cruce offerebat. Sed quia sine effusione cruoris, quæ in præsentiâ cernatur oculis, applicatione verò cruoris jam effusi fit oblatio, rectè à Patribus incruentum sacrificium nuncupatur. Atque ad ea, quæ sunt à Lutheranis in secundo argumento dicta, diximus satis.

In tertio quoque argumento refutando post hæc nihil est necesse laborare. Docuimus enim, Christi oblationem in cruce non aliter se habere ad redimenda peccata, quàm aut lucem ad illustrandum, aut medicinam ad curandum. Lucem dico, quæ omne lumen ederet, medicinam, quæ omnes sanaret morbos. Ecquis autem dubitet causas perfectas et principales sine adjuvantibus et proximis nihil efficere? Medicamentum quippè, quamlibet præsens et salutare sit, nisi ægro corpori adjungatur, neque opem indigenti fert, nec salutem. Quòd si agnus, qui tollit peccatum mundi, sine adjutrice et sociâ causâ ipse per se expiavit nostra delicta, baptisma tollatur, pœnitentia absit, sacerdotia sileant, ministeria facessant, atque adeò omne salutis nostræ et sacramentum removeatur, et instrumentum. Præceptum illud vanum sit : *Baptizate in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti;* gratia illa vana : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* inanis sermo ille : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum;* sit denique ille falsus : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Quin etiam, si ità libet, quia oravit pro nobis Christus, non oremus; quia jejunavit, non jejunemus; quia lacrymatus est, non ploremus, colligunt enim arguti isti dialectici : quia obtulit semel Christus, nos non offeramus. Sicut ergò compatimur, ut passionis ejus participes simus, ità etiam offerimus, ut oblationis ipsius partem capiamus. Nobis sanè religio actuosa est, Lutheranis otiosa; qui nos feriatos volunt cessatione torpere, et quasi pueros delicatos nihil agere. Ità ex animis hominum extrahunt radicitùs religionem, cùm sacrifia, sacerdotes, cæterosque religionis administros tollunt. Non ergò nos repetitis oblationibus Christi sacrificium testamur fuisse imbecillum, sed causam principalem perfectamque fuisse, quæ quantumvis licet sufficiens in se et consummata sit, sine applicatione tamen causarum adjuvantium nihil efficit. Illud verò : *Unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos,* simile est, ut si dicerem, Deum unâ illustratione mundum in æternum illustrâsse. Id quod reverà fecit, quùm solem quasi sempiternum lumen accendit. Alioqui quid alio loco, nempè 2 ad Cor. 7, 1, Apostolus jubet, *ut emundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei?* Certè Christi sanguis emundavit nos ab omni delicto, et tamen Paulus ait : *Mundemus nos.* Certè unâ oblatione Christus consummavit sanctificatos; et tamen Paulus monet, ut ipsi perficiamus *sanctificationem in timore Dei.* Christus igitur mundat ac perficit, et nos quoque perficimus ac mundamus; sed ille agit nobiscum ut causa principalis, nos sub illo agimus ut causæ adjuvantes : *Dei namque adjutores sumus,* 1 Cor. 3, 9.

Sed addunt illud : *Ubi peccatorum remissio est, jam non est oblatio pro peccato.* Respondemus : Si remissio solùm est ut in causâ universali, jam non est oblatio generalis quidem pro peccato; est tamen oblatio specialis, quæ vim illius ad efficiendum applicat. Quemadmodùm si illustratio est mundi universalis, nullâ aliâ generali est opus; non enim alio sole indigemus, aliâ lunâ, aliis stellis. Sed necesse est tamen, illustrationes quotidiè singulas aeris intervenire, si terra est diebus singulis illustranda. Addunt etiam : *Post remissas per Christi sacramenta iniquitates, quorsùm oblationes facimus pro peccato?* Respondeo : Remissio iniquitatis duplex est, una perfecta, altera imperfecta. Perfecta, quùm solùm culpa, sed tota etiam pœna remittitur, de quâ illa Isaiæ 38 intelliguntur : *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea;* et Ps. 31 : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata;* et : *Projiciet in profundum maris peccata nostra,* Mich. 7, et cætera similia. Atque hæc per baptismum contingit omnibus baptizatis. Imperfectam verò illam dicimus, in quâ vel culpa remittitur, sed non tota pœna, vel remittitur pœna, remissâ jam culpâ, de quâ illud accipimus : *Propter remissionem præcedentium delictorum.* Et rursùm, Heb. 9, 15 : *In redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento.* Antiquis porrò Patribus culpas antè Christi mortem fuisse remissas, ambiguum non est; juxtà fidem quippè defuncti sunt testimonio fidei probati. Non esse autem perfectè remissas, confirmat Paulus, cùm ait, Christum mortum esse in remissionem præcedentium delictorum. Quæ si plenè Moysi, Aaron, Davidi, cæterisque sub lege et naturâ sanctis condonata fuissent, nec illis esset janua regni cœlestis occlusa, nec loci inferi in custodiam deputati. Ecquis enim dicat, omninò resoluta crimina, quorum pœnæ luuntur in carcere? Davidi rursùm homicidii et adulterii scelera relaxata, quo tempore ad Nathan prophetæ vocem peccatum confessus est, et Nathan ipse idem, 2 Reg. 12, 13, et auctor libri Ecclesiastici, cap. 47, testes sunt. At si plenam remissionem percepisset, quorsùm illa : *Dele iniquitatem meam; ampliùs lava me ab iniquitate meâ; averte faciem tuam à peccatis meis?* etc. Certè hanc ampliorem et pleniorem indulgentiam non priùs à Domino impetravit, quàm multis

suppliciis in eo Dominus acerrimè vindicâsset. Itaque si per Christi sacramenta plena cuiquam peccatorum remissio contigit, nos pro illiusmodi peccatis hostiam minimè offerimus; ut si quis proximè recens baptisma susceperit; at si peccator non est perfectam remissionem consecutus, quod in sacramento pœnitentiæ ferè accidit, pro hujus delictis sacrificium exhibemus, ut cui Deus subiratus etiamnùm est, ei fiat aliquandò propitius.

Quid igitur sibi Apostolus vult, quùm minis horribilibus audientium animos perterrefacit in hæc verba : *Voluntariè peccantibus nobis, jam non relinquitur pro peccatis hostia?* Nempè qui dicit, voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis nullam hostiam esse reliquam, is sine dubio significat, ignorantibus aliquam hostiam superesse, iis præsertìm qui antè acceptam notitiam veritatis peccaverunt, quemadmodùm Chrysostomus ac Theophylactus argumentantur. Rem ergò Apostolus verbis grandioribus exaggerat, atque, ut solet, terrorem exsuperatione injicit. Ostendit itaque, non quid clemens et misericors judex interdùm suâ lenitate concedat, sed quâ pœnâ is dignus sit, qui singulari Baptismi beneficio suscepto, Filium Dei conculcat, et sanguinem testamenti pollutum ducit, et spiritui gratiæ contumeliam facit. Indignus nimirùm est, qui fuerit hujusmodi, cui Christus iterùm crucifigatur. Toties autem nobis crucifigitur, toties immolatur, quoties ejus crux nobis et mors ad peccati remissionem applicantur. Si de justitiâ ergò agitur, nulla relinquitur pro peccatis hostia iis qui ex malitiâ peccant. Sin verò de misericordiâ Dei agitur, quæ omnem etiam sensum exsuperat, non solùm infirmis et ignorantibus aliqua superest hostia, sed iis etiam, rarò tamen, qui voluntariè peccaverunt post acceptam notitiam veritatis. Enimverò quòd hæc Apostoli oratio alta et exaggerata sit, illud primùm argumento est, quòd statìm subditur : *Terribilis autem quædam expectatio judicii*, etc. Atque è vestigio : *Irritam quis faciens legem Moysi*, etc. Post pauca : *Rememoramini pristinos dies*, etc., et tandem : *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Illud deindè hoc confirmat maximè, quòd in cap. 6, cùm dixisset : *Impossibile est eos*, etc., ne existimaretur nulla esse rerum expectatio meliorum, quasi à desperatione ad spem revocare cupiens : *Confidimus*, ait, *de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ità loquimur*, ex quo temperamento Hieronymus, lib. advers. Jovin. 2, colligit Apostolum Hebræos per exaggerationem territâsse.

Est et aliud responsum dignum, nisi me fallunt omnia, quod magnoperè animadvertatur. Videlicet, hostia pro peccato duobus modis intelligi potest. Uno modo pro pœnâ, altero etiam pro culpâ. Quòd enim peccati vox pro pœnâ peccati usurpatur, illa demonstrant, Rom. 7, 20 : *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Et rursùm Luc. 7, 47 : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.* Quo loco multorum peccatorum pœnas multa Dominus peccata vocat. Nam culpas antè fuisse remissas, qui superiores lacrymas consideraverit, is vocare in dubium non poterit. Et quæ dilexerat, et ingemuerat, ea certè culparum veniam fuerat consecuta. Sed cui in præsenti dicitur : *Remittuntur tibi peccata, vade in pace*, ei plenissima indulgentia conceditur, omniumque pœnarum persolutio. In pœnis verò locum habet, ut majori dilectioni major remissio respondeat, minorique etiam minor; nam culpæ vel simul remittuntur omnes, vel nullæ. Machabæorum sententia vulgò etiam sermone teritur, *Sanctam et salubrem cogitationem esse pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Ubi pœnas purgatorias pro culpis debitas peccata sine dubio appellavit. Simile est illud Dan. 4, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Pœnas autem Daniel pecuniâ redimendas existimabat; nam culpas aut pœnitentia diluit, aut certè sine argento gratia resolvit. Atqui sive figuratè nomen causæ ad effectum transferatur, sive remissio pœnæ ad integram remissionem culpæ pertineat, non valdè interest quidem; tametsi D. Thomas atque Innocentius hujusmodi locutiones improprias esse testantur, quibus peccata deleri, detergi, ablui, remitti dicuntur, quia solvuntur pœnæ (1). Jam ergò, cùm Apostolus ait, nullam hostiam superesse pro peccato, pro culpâ propriè intelligendus est. Cui sententiæ non est illa contraria, relinqui pœnitentiæ sacramentum quod judicium est, non sacrificium, relinqui etiam hostiam pro pœnâ, quæ impropriè dicitur hostia pro peccato. Sed quæris, quid causæ plerisque antiquorum fuerit, ut baptismum hostiam appellaverint, ideòque dixerint non superesse hostiam pro peccato, quia baptismus repeti non potest. Sanè quia in baptismo Christo commorimur, et per hoc sacramentum applicatur nobis hostia crucis, ad plenam peccati remissionem; hìnc illi baptisma translatitiè hostiam nuncupârunt, ac post baptisma semel acceptum nullam hostiam esse reliquam interpretati sunt; quia baptisma secundum non est. At in pœnitentiæ sacramento non applicatur mors Christi per modum hostiæ, sed per modum judicii. Itaque quamvis pœnitentia post baptisma supersit, non proindè tamen hostia superest pro peccato. Sed de tertio argumento nimiùm multa.

Quartum verò non confutatione eget, sed reprehensione. Ecqua enim vel inscitia vel imprudentia est, ea adversùm nos testimonia excitare, quæ à nobis faciunt maximè? Constat sanè, eucharistici sacrificii partes quartuor esse, unam consecrationem corporis et sanguinis, alteram oblationem, tertiam fractionem, postremam consumptionem (2). His quippè quatuor partibus nostrum sacrificium redintegrari, confici, absolvi, qui negaverit, nihil illum de ratione perfecti sacrificii didicisse, nihil quæsisse, nihil scire convincam. Consecrationem porrò atque oblationem cum gratiarum actione conjunctam ex Evangelio colligi os

(1) Sermo est de mortalibus, quæ simpliciter, et quasi per antonomasiam peccata dicuntur. Nam venialia hoc penitùs sacrificio delentur. (De Cons. dist. 2, c. *Iteratur*, et c. *Utrùm*.)

(2) Probabilissimum est, specierum quoque mixtionem ad sacrificii integritatem attinere. Nam ab Apostol. Eccles. traditum ambiguum non est.

tendimus paulò antè; fractio autem apertissimè traditur. In eo discrimen est, quòd Lutherani in fractione nihil mysticum esse arbitrantur, sed solam panis distributionem, nempè, ut sua cuique portio contingat; at Ecclesia sancta, quùm hostiam frangit, Dominici corporis in cruce fractionem significando, Christi hostiam commemorat, quemadmodùm Christus ipse et verbo et exemplo commemorandam tradidit. Quòd verò ad plenam hujus sacrificii rationem consumptio specierum attineat, concilium Toletanum duodecimum testatur, inquiens : *Quale erit sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Augustinus insuper in libro Sententiarum Prosperi consentit, dùm sanguis de calice in ora fidelium funditur, Dominici corporis immolationem, sanguinisque effusionem designari. Spectat ergò ad perfectam significationem sacrificii consumptio specierum. Quæ causa catholicis perpetuò fuit, ut dùm sacerdos species sumit, non edere illum dicant, edat licet, sed consumere. Ut intelligamus, in missâ potiùs haberi rationem consumptionis quàm manducationis, magisque sacrificium spectari quàm cœnam. Quod Lutherani sentientes, negaverunt Christum corpus suum sanguinemque sumpsisse, ne consumpsisse et sacrificâsse probaretur. Verùm ratio primùm convivii hoc exigit, ut cibi communionem et consociationem habeat; alioqui, qui ad cœnam invitat, is non convictor esset, sed conditor, instructorque convivii. Atque accubationem epularem amicorum, tametsi meliùs nostri convivium, benè tamen Græci tùm compotationem, tùm concœnationem vocant; ut qui vocat ad cœnam, nec concœnator ipse et compotator est, non solùm non urbanum convivium ineat, sed ne convivium quidem. Deindè, ut Chrysostomus argumentatur, ne discipuli horrerent carnem et sanguinem, necesse erat, ut Christus prior ipse degustaret. Christus certè, quod se videbant facere, id ut facerent, jussit Apostolis. Intellexit autem semper Ecclesia sacerdotibus injunctum esse, ut sumerent; sumpsit ergò et Christus, nisi sacerdos omnibus suis numeris absolutus, non absolutum, sed inchoatum sacrificium fecerit.

Nec me fugit, D. Thomam aliquandò, ut videtur quidem, docuisse, sacrificium antè fractionem hostiæ esse peractum, sumptionemque spectare propriè ad sacramentum, oblationem verò ad sacrificium; et rursùm asserere, fractionem hostiæ non ità esse necessariam ut si omittatur, sacrificium maneat imperfectum; quòd videlicet hujus rei significatio non ad corpus Christi verum, sed ad mysticum referatur; non ergò fractio in partibus sacrificii numeranda est. Quòd autem sacrificium antè fractionem peragatur, id magno argumento sit, sacerdotem statìm à consecratione illa verba dicere : *Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram*, etc. Jam ergò, nondùm fractâ hostiâ, et oblatio est et sacrificium. Verùm qui D. Thomam nobis objicit, id ille agit, ut et secum ipse Thomas, et cum verâ sacrificii ratione pugnet. Ejus enim in secundâ secundæ verba non obscura sunt, sacrificium propriè dici, cùm circa res oblatas aliquid fit. Quam rem illo etiam exemplo confirmat, ut quùm panis frangitur et comeditur. Undè colligit, primitias oblationes esse, non autem sacrificium, quia nihil sacrum circà eas fiebat. Hostiam igitur aliquandò antè fractionem non solùm D. Thomas, sed etiam Ecclesia vocat eo more, quo rem instantem et proximam quasi præsentem nominamus. Sic Cicero, *præbere*, ait, *hostias ad sacrificium.* Ubi animal sacrificandum hostiam appellat. Quin et in Levitico, et in aliis quoque plerisque locis holocaustum, hostia ac sacrificium ab eo, quod proximè futurum est, nomen accipiunt. Sed et panem ipsum antè consecrationem hostiam vulgò appellamus, à quâ appellatione ne D. quidem Thomas abhorret. Sacerdos porrò, antè consecrationem, dicit se offerre *sancta sacrificia, illibata*, etc. Quis autem theologus tàm insigniter stultus fuit, ut peractum sacrificium antè hostiam consecratam existimaverit? Atque ut de occulto et interiore sanguinis et corporis sacrificio nihil dicam, externum certè et mysticum solâ oblatione non constat. Cùm itaque circà species antè fractionem nihil sit à sacrificio factum, ne sacrificium quidem peractum est. Item, cùm symbolis rerum, Christo instituente, debeamus mortem ipsius agere, si verum et perfectum nostrum sacrificium est, ejusque victimæ absolutum exemplar, quam Christus in cruce præbuit, nullum autem sit rerum symbolum antequàm species frangantur, misceantur, consumentur, certissimum accipere argumentum possumus, antè fractionem nondùm esse expletum sacrificium. Manet igitur, non consecrationem modò et oblationem, verùm et fractionem quoque ac consumptionem ad integritatem externi sacrificii pertinere. Quæ res non pertenui nobis argumento, indicioque patefacta est, sed gravi, constantique ratione; præterquàm quòd ab Apostolis has nos sacrificii partes accepisse, promptissimum est ostendere; nam Christum tradidisse, satis suprà est à me demonstratum. Ut Lutherani argumenta probabiliora deinceps excogitent, siquidem quartum hoc, quod modò diluimus, improbabile est, improbabile esse dico, Lucæ Paulique testimoniis uti, ut Eucharíæ sacrificium explodatur.

Nam ratio ea quæ adjungitur, captiosa est, et verisimilitudine fallere imperitos potest. Primùm autem, qui Lutheranis responderet Christum in cœnâ sacrificium, non pro peccato quidem, sed gratiarum tamen actionis obtulisse, hic non ab illis facilè eluderetur. Ejus enim rei probabilem rationem redderet, quòd cùm sacrificii cruenti dies instaret jam planè, aut certè jam appropinquaret hora, non oportebat hostiam in cœnâ pro peccato mysticam exhibere, cùm impenderet generalis hostia illa, in quâ Patri complacuit omnia peccata resolvi. Quanquàm et sanguinem circumcisionis pro nobis Christus obtulit, et jejunavit, flevitque pro nobis; nec tamen remissio ea peccati secuta est, quæ à cruce tandem expectanda erat. Quemadmodùm enim martyrii plena efficacitas non in quâlibet sanguinis effusione est, sed in eâ demùm, in quâ martyrium consummatur, quamvis sanguinem suum Deo

statìm à principio martyr obtulerit; sic passionis Christi perpetuæ vis illa absoluta et perfecta non in initio, aut medio, sed in fine fuit. Deindè mysticæ oblationis effectus non is est, quem falsò existimant Lutherani nos credere, nempè, ut omnes culpas pœnasque resolvat. Quâ de re paulò post dicturi sumus. Alia enim efficientia hostiæ illius est, quam Christus palàm mactavit in cruce; alia illius est, quam sub speciebus definitis mysticè præbuit in cœnâ. Illa generalis est, sicut diximus, nec per sacrificium modò, sed per omnia sigillatìm sacramenta ad effecta longè diversa applicatur; hæc peculiaris efficientia est, et sub speciebus certis ad peculiaria quædam effecta concluditur. Obtulit ergò Christus hostiam in cœnâ tùm pro culpâ veniali, tùm pro pœnâ quæ pro culpâ etiam mortali deberetur. Quin in peccato solvendo sacrificii peculiaris effectus est. Hunc verò habuit in cœnâ sanguis oblatus; nam in cruce vim remissionis habuit generalem. Sed quoniam, ut modò dixi, hanc rem sumus in confutatione sequentium argumentorum fusiùs explicaturi, pergamus ordine refellere argumenta quæ restant.

Quinto verò argumento refutando Roffensis episcopus, calicem, ait, novum Testamentum ideò dici, quia novi testamenti confirmatio est. Quem vocis usum ut probare testimoniis non queo, ità non audeo explodere. Illud affirmo, nomen hoc pro re, quæ ex testamento obvenit, interdùm accipi, ut in Epistolâ ad Hebræos, capite septimo : *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus.* Sic enim promissionis vocabulum pro re, quæ promittitur, Scripturæ auctores usurpant; ad Hebræos sexto : *Imitatores eorum, qui fide et patientiâ hæreditabunt promissiones;* ad Hebræos nono : *Repromissionem accipiant æternæ hæreditatis;* et Actorum primo : *Expectarent promissionem Patris.* Si ergò promissio pro re promissâ accipitur, et testamentum Luthero ipsi quoque promissio est; nihil mirum, si pro re ipsâ, quæ testamento est relicta, usurpetur. Ac prima res, eademque potissima, quam nobis in testamento suo legavit Christus, fuit sanguis. Quid igitur obstat, cur rem, quam beneficio testatoris habuerim, non ego in funus ejus exsequiasque rependam? Quid, inquam, obstat, cur quod de manu morientis accepimus, non id nos viventi illi reddamus? Nisi illud frustrà atque importunè repetimus : *Tua sunt, Domine, omnia; et quæ de tuâ manu suscepimus, reddimus tibi.* Quòd autem calix impropriè dicatur testamentum, manifestum est. Sive enim, ut Innocentio placet, testamentum promissio est; sive, ut Ulpianus verè sentit, sententia est voluntatis justa de eo, quod post mortem fieri voluerimus; omninò liquet, calicem nec promissionem propriè, nec sententiam esse, sed rem, quæ testatoris promissione voluntatisque sententiâ relinquitur. Hanc verò nos hostiam præbere ad sacrificium quis prohibet? Sed de quinto argumento hactenùs.

Jam argumento sexto quid attinet respondere, nisi eadem velim, quæ suprà dixi, verba repetere? Colligunt enim, acuti scilicet dialectici, si Eucharistia exemplar et imago est, non esse illam verè ac propriè sacrificium. Quæ sanè collectio perridicula est. Quid enim stultius dici potest, quàm legis veteris hostias sacrificia non fuisse, quòd verorum exemplaria fuerint? Innocentius porrò III quosdam meritò irridet, qui putârint in sacramento non esse corporis Christi et sanguinis veritatem; ex eo, quòd Scriptura interdùm commemorat, id quod in altari suscipitur mysterium, imaginem, figuram et exemplum esse. Quorum errorem pontifex doctè, graviterque refellit; si enim, quia figura est sacramentum altaris veritas esse negatur, ergò nec mors, nec resurrectio Christi veritas est credenda; siquidem eas similitudinem et imaginem esse, Apostolus, tradit, ac Petrus quoque scribit, Christum exemplum nobis in suâ passione reliquisse. Nihil igitur obstat, cur non in externo sacrificio forma sit, species, imago et exemplar sacrificii crucis, in sanguine verò et corpore, quæ sunt res intùs inclusæ, ejusdem sacrificii existat veritas. Sed quoniam in cruce, quod aliàs diximus, palàm et sine mysterio hostia cruenta fuit, in altari occultè et mysticè abscondita; ne eodem modo, quo Christus, sacrificare putaremur, rectè cum suo Chrysostomo Theophylactus admonuit, nos non immolare Christum, quemadmodùm se ipse in cruce immolavit, sed potiùs illam crucis hostiam commemorare. Verùm, quia commemoratio nostra otiosa et umbratilis non est, sed efficit, quod significat; quanquàm non Christum occidimus, qui resurgens ex mortuis jam non moritur, Christi tamen mortem applicamus, ceu nunc facta sit. Applicamus autem non fide solâ, aut solis verbis, sed etiam symbolis. Post illa namque verba : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur,* non ait Dominus : *Hoc credite;* non : *Hoc dicite;* sed : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ causa, nisi me fallit animus, Apostolo fuit, ut veteris legis symbola, quoniam vacua erant, umbras appellaret, non ipsas imagines rerum. Nam Evangelium ipsas rerum imagines quasi vivas continet, non ad significationem modò, sed ad efficientiam. Ut baptismus imago est spiritualis ablutionis, quæ per Christi sanguinem facta in cruce est, sed habet tamen res ità conjunctas, ac si Christus ipse nunc pro baptizato sanguinem funderet. Quocircà et aliquandò idem ausus est dicere, in singulis baptizatis Christum crucifigi; non illâ solùm loquendi formâ, quâ Joannes Evangelista scripsit, Agnum occisum esse ab origine mundi, sed ità potiùs ut ad effectum idem prorsùs sit, ac si Christus verè nunc pro his, qui baptisma suscipiunt, crucifigeretur.

Nec verò existimo, quùm Paulus legem dixit umbram habere futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, de significatu disceptâsse, quod plerique interpretati sunt, ut umbra signum obscurum et imperfectum, imago rei expressum, perfectumque signum intelligatur. Quæ ut vera esse non inficior, ità à præcipuo Apostoli instituto esse aliena judico. Id quod ex verbis ejusdem Apostoli manifestè conficitur. Ait enim : *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquàm potest accedentes per-*

fectos facere, etc. Quia igitur hostiæ illæ vim efficiendi non habebant, ideò legem umbram habere dixit futurorum in lege gratiæ bonorum. Umbra quippè ignis non id efficit, quod ignis; nec umbra hominis idem præstat, atque homo; neque enim in agendo quidquam aut imbecillius umbrâ, aut inanius est. Sacramenta verò et sacrificium nostrum imagines rerum sunt, non pictæ, vel umbratiles, inanesque ad efficiendum, et imbecillæ; sed cùm ad vivum rerum ipsarum expressæ, tùm, si ità loqui liceat, ad efficacitatem res ipsæ vivæ, quarum imagines sunt; tanta Christi, et Evangelii potentia est, ut eamdem vim penitùs symbolis imaginibusque tribuerit, quam res ipsæ haberent, si quùm earum commemoratio fit, verè patrarentur. Sed in sexti argumenti reprehensione multùm temporis insumpsi. Nihil enim reprehensione opus erat, sed ut loca eadem diligenter isti pertractarent, et bonâ fide relegerent. Ibi enim planè reperirent, auctores sanctos, et verum in Ecclesiâ corporis et sanguinis Christi sacrificium, et verissimum quoque exemplar affirmare; alterum in externâ formâ et figurâ, alterum in re, quæ inclusa atque abdita in mysterio latet occulto. Quanquàm Euthymius antè consecrationem exemplar interpretatur; post consecrationem autem sacrificii veritatem. In quem etiam modum Basilium exponit Damascenus quarto libro, capite decimo quinto.

In septimo argumento existimant homines parùm in theologiâ exerciti, actus nostros nostræ redemptionis, sanctificationis, ablutionis nullo modo causas esse. Quæ si vera essent, illa omnia essent falsa. *Omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se*, 1 Joan. 3,3. Item 2 Cor. 7, 1 : *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritûs, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Item Dan. 4, 24 : *Peccata tua eleemosynis redime.* Item Prov. 15, 27 : *Per misericordiam et fidem purgantur peccata.* Item Prov. 16, 6 : *Misericordiâ et veritate redimitur iniquitas;* et cætera id genus, quæ in sacris litteris passìm occurrunt. Neque ex his, quemadmodùm isti falsò judicant, quidquam de Christi in nos gratiâ, merito, vi et redemptione detrahitur; quin gratiæ Dei et Christi multò magis attribuitur. Exemplum ponam ex naturâ, ut gratiæ vis manifestiùs eluceat. Res universas ad suum quemque finem vi quâdam ingenitâ referri, philosophis omnibus exploratum est. Sic igni, ut ad locum naturæ suæ congruentem ascenderet, levitatem indidit procreator ille mundi Deus: ut verò calefaceret, quæ erat actio ignis naturæ conveniens, impertiit calorem. Id quod in reliquis promptum est cernere, quæ sic à principio et formâ interiore moventur, ut non solùm non repugnent, sed agi spontè videantur. Animalia porrò non modò hanc inclinationem et formam à naturâ habent, verùm ipsa etiam se movent actionibus quibusdam suis, et ad quærendum sibi consentiens bonum, et ad propulsanda adversantia mala. Quæ res præcipuè in hominibus illustrior apparet, qui quoniam non aguntur, ut servi, sed liberè potius agunt, ut domini, ratione eligunt media, et se ipsi cient, ut per talia media fines propositos consequantur. Nec idcircò tamen aut primæ causæ virtus minor est, aut potestas infirmior; imò hoc uberior et major, quòd *attingit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, Sap. 8, 1. Ecqua enim vis eâ fortior esse potuit, quæ adeò suaves et congruentes impetus in rerum naturâ posuit, ut eas nullâ vi quidem illatâ moveat, sed vehementissimè moveat tamen? Quæ Dei virtus eximia, insignisque suavitas multò latiùs in gratuitis effectis, quàm in naturalibus se effundit. Non enim solùm vitales operationes, quæ suprà naturam sunt, in se edit mortalis homo per gratiæ formam et virtutes, sed ad vitam ipsam capiendam suâ se actione parat, et vivendi sibi causa est. Quemadmodùm enim, si materia dispositiones quibus ad suscipiendam formam ignis præparatur, ipsa in se faceret, eadem sibi causa esset effectrix, ut à formâ illâ informaretur, sic quoniam præparationes vivificantis gratiæ homo in se efficit, ipse in suì generatione Dei adjutor existit. Quâ in re, ut dixi, suavior et effusior gratia quàm natura est. Vitam namque à naturâ datam curare ac tueri ipse valeas, salutem quærere, morbos pellere adversos, tùm externis quibusdam medicamentis adhibitis, tùm animæ viribus interiùs excitatis. At vitæ causa tibi esse non poteris, sed aliundè eam accipis, nullâ interveniente operatione tuâ, dispositione tuâ nullâ. Dispositio quippè omnis, quâ ad animam corpus aptatur, à patre generante editur, à filio genito nullo modo. In nativitate verò spiritali is ipse, qui nascitur, non solùm principium est, ut post ægritudinem sanus sit, verùm etiam, ut postquàm fuerit mortuus, et vitam habeat, et abundantiùs habeat. Præclarè itaque dictum illud est, atque ad philosophiæ rationem aptè : *Justus ex fide suâ vivet.* Ex quo Hieronymus colligit, hominem sibi esse vivificationis suæ causam. Nempè actus fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, quibus Deus utitur ad animum vivificandum, homo ipse in se facit, gratuito quàmvis, et supernaturali auxilio permotus. Ne certes, quasi actus nostri gratiæ remissionisque culparum causæ efficientes sint; cùm nihil aliud quàm disponant animum, ut gratiam Dei justitiamque recipiat. Quemadmodùm calor præparatio est, quæ ligni materiam efficiat, ut et formam ignis capiat, et naturam. Sed sicut homo alteri homini non est causa animæ rationalis, sed causa tamen est, ut per rationalem animam vivat; sic homo licet causa gratiæ non sit, causa tamen sibi est, ut per gratiam vivat. Cujus sententiæ illa jam consectaria sunt, 1 Petr. 1, 22 : *Animas vestras castificantes.* Item, Jerem. 4, 14 : *Ablue à malitiâ cor tuum.* Item 2 Tim. 2, 21 : *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et ad omne opus bonum paratum.* At vasa hæc quidem Deus ipse fecit in honorem et præparavit in gloriam. Sed si non à voluntate nostrâ purgatio animæ nostræ fieret, ut Damascenus argumentatur, non utique dixisset Paulus : *Si quis emundaverit se*, etc.

Verùm hæc subtiliùs fortassè disseruntur, quàm ut ea Lutherani omnis omninò philosophiæ ignari possint agnoscere. Illud breviter intelligant, nos in salu-

tis nostræ opere, sanctificatione, purgatione, curatione, Dei adjutores esse : *In die*, inquit, *salutis adjuvi te*, 2 Cor. 6, 2; ac rursùm, 1 Cor. 15, 10 : *Gratia Dei mecum*. Nam de peccatorum redemptione quæstio est multò facilior. Eà nempè voce aliquandò persolutionem pœnarum Scriptura significat, quæ post culpam remissam manent. Has autem non modò Chirstus per sacramenta sua, sed nos etiam jejuniis nostris eleemosynisque resolvimus. Pretia itaque Deo constituta, quùm pro pœnis debitis enumeramus ac pendimus, tunc peccata nostra redimimus. Nec verò pretium hoc æquale natura nostra, sed Dei gratia fecit, qui tùm pro culpis graviores pœnas, tùm pro pœnis graviorem posset compensationem exigere. Sed hæc pretia ille pepigit, lege clementiæ et misericordiæ quidem, sed æquitate justitiàque permixtæ. Quòd si ad peccatorum redemptionem pretia hæc, nostra licet, momenti alicujus sunt tamen, quoniam ità suâ is lege constituit, qui arbitrio propriæ voluntatis rerum omnium justus æstimator est, quantò veriùs et justiùs nostras ipsi iniquitates redimemus, Christi corpus et sanguinem in altari offerendo, Christi, inquam, qui nobis est factus sanctificatio, justitia et redemptio! Ac tametsi redemptor noster unus est ille, sed quia nobis tamen nostrisque actionibus utitur ad effectum redemptionis explendum, eum quoque in hâc parte nos juvamus. Nec gloria redemptoris minuitur indè, sed augetur, qui non naturæ divinæ modò, verùm divinæ operationis socios nos etiam fecerit et consortes. Sed in hoc argumento refutando multùm omninò operæ laborisque consumpsimus; præsertìm cùm proximè quædam horum simus adhùc latiùs explicaturi.

In octavo enim argumento ridiculi citharœdi chordâ semper oberrant eàdem, cùm causas Deo adjutrices in redemptionis humanæ opere negant. Quæ stultitia cujusmodi sit, exemplo naturæ demonstrare possumus. Fuerunt quidam usque adeò naturalis sapientiæ imperiti, ut opinarentur, causas secundas (sic enim appellant physici) nihil omninò ex se agere, sed rerum omnium effectorem Deum ad præsentiam causarum, quæ secundæ proximæque dicuntur, per seipsum omnes effectus edere. Quæ deliratio incredibilis stultissimorum hominum è scholâ philosophiæ non modò sibilis sed etiam convicio explosa est. Verùm quod isti in naturâ, idem in his quæ suprà naturam sunt; Lutherani peccant, quùm soli Deo redemptionem tribuentes, causas adjutrices accipiunt, quasi blasphemia sit, quod in naturâ sapientissimi quique dixêre, id nos in gratiâ dicere, nempè causas esse adjuvantes et proximas, quibus prima et principalis utatur, ut res supernaturales efficiat. Quo loco vis et potestas illius eò præclariùs exstat atque eminet, quò magis se homini confert, cum illoque communicat, non modò ut sit, sed ut causa etiam sit, quæ, vi licet acceptâ divinitùs, verè efficiat tamen, et Deum quoque ipsum in rebus faciendis adjuvet. Nam et Apostolus non dubitavit scribere, Dei nos adjutores esse, dispensatoresque et ministros mysteriorum ejus; item, se plantâsse, et ut sapientem architectum fundamentum posuisse, ac filios per Evangelium in Christo genuisse. Ut illa prætereamus : *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc. *Quæcumque solveritis super terram* (1), etc. *Quorum remiseritis peccata*, etc. Ex quibus Constantiensis synodus apertè confecit, sacerdotem verè absolvere, verè conficere. Quæ si certissima sunt, ut sunt sanè, nihil necesse est, quod Albertus Pighius facit, sacrificium operationem nostram esse negare. Multò enim doctiùs D. Thomas asseruit, quem locum breviter perstrinxi paulò antè, sacrificium oblationem esse, et ejus actum virtutis, quæ Dei cultu pio continetur. Nostra igitur est operatio, non inficior equidem. Sed duplices sunt operationes nostræ. Quædam, quas nostro nomine reddimus, et quæ nostrâ gratiâ meritisque nituntur, ut eleemosyna et jejunium. Alteræ verò sunt, quæ non à nobis efficacitatem habent, sed prorsùs à Christo, ut baptismus et absolutio sacerdotis in pœnitentiæ sacramento. Quia enim sacerdos non in suo, sed in nomine Christi baptizat et absolvit, istiusmodi actiones, in quibus purum nudumque ministerium est, non à ministro vim accipiunt, sed à Christo, cujus reverà magis dicuntur esse, quàm nostræ. Nam ille est, qui baptizat, ille est, qui absolvit. Quocircà, sive justus administer sit, sive injustus, ad effectum sacramenti nil omninò interest. Sicut refert etiam nihil, qui ignem accendit, et ad exustionem admovet, frigidus an calidus ille sit. Tantùm quippè caloris impertit, non quantùm habet ipse, sed quantùm habet ignis admotus. Priores igitur operationes nostræ non conferunt aliis peccati remissionem ex opere operato, id est, ex vi rei factæ; sed quemcumque effectum sortiuntur, ex merito eum nostro sortiuntur. At posterioris generis operationes ex se possunt peccata remittere, quia, ut diximus, Christi sunt potiùs, quàm nostræ. Ità, si semel nos Christi sacramenta conficimus, eaque aliis admovemus, ex vi rerum effectarum et aliorum culpas pœnasque resolvimus, et gratiam Christi impartimur, non nostram.

Sacrificium porrò altaris, quod primo argumento refutando explicui, in posteriore operationum genere includitur. Non enim suo nomine sacerdos hostiam præbet, sed Christi; nec suum meritum et gratiam Deo repræsentat, sed Christi; nec suum offert sanguinem, sed Christi. Quemadmodùm autem, si ignem faceret, et ad comburendum adjungeret, ignis effectionem induceret; sic cùm sanguinem Christi in altari conficiat, eumdemque suâ oblatione applicet, sanguinis Christi efficientiam affert. Quo fit, ut nec sacrificii hujus effectus aut à bono administro major sit, aut à malo minor, nec sacerdotis iniquitas effectum hujus impediat sacrificii, quemadmodùm Innocentius, lib. 3 de sacro altar. mysterio, c. 5, testatur. Non est autem dogma hoc nuper inventum; nam auctorum etiam veterum libris pervulgatum est. Id Gregorius tradit, 1 q. 1 cap. *Multi;* Augustinus de consecr. dist. secundâ, c. *Utrùm*, Hieron. advers. Lucif.; Chrysostomus, homiliâ 2 in

(1) Vide Ambrosium, lib. 1 de Pœn., c. 2. Novatus enim aiebat, se Domino offerre honorem, cùm ei soli remittendorum criminum potestatem tribuebat.

secundam ad Timoth. Epistolam, cujus verba libuit subscribere : « Sacra, inquit, oblatio, sive Petrus, sive « Paulus, sive cujusvis meriti sacerdos offerat, eadem « est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque « sacerdotes modò conficiunt. Nihil habet ista, quàm « illa minùs. Cur id? Quia non hanc sanctificant ho« mines, sed Christus, qui antè sacrificaverat. Qui « autem hanc illâ minùs habere putat, ignorat Chri« stum esse, qui nunc etiam adest atque operatur. » Hactenùs ille. Quam rem exemplo philosophiæ apertiùs exponemus. Docent sanè philosophi, causas administras non eodem modo esse omnes. Quædam enim non agunt, nisi qualitatem similem à principali causâ receperint; ut aer non illuminat oculos, nisi sol lumen cum eo communicaverit; aqua non calefacit, nisi priùs ab igne calorem habuerit. In quo genere eò effectus vel major, vel minor est, quò forma et virtus agendi magis vel minùs fuerit adjuvanti causæ communicata. Quâ etiam formâ et virtute si caruerit, nihil penitùs aget, ut aer sine lumine, sine calore aqua, etc. Aliæ sunt causæ adjutrices, quæ vim principalium causarum applicant, ut is, qui admovet ignem ad stipulam, vel lignum. In quo genere actionis non facit diversos effectus diversa applicantium qualitas, modò ignis idem applicetur. Ministri autem et sacramenti, et sacrificii christiani, sunt causæ secundi generis. Non enim per sanctitatem participatam reliquos ipsi sanctificant, nec mundant alios, quia priùs à Christo ipsi mundati sunt. Sed qualescumque sint, si Christi aut sacramentum exhibent, aut præbent sacrificium, eumdem Christi sanguinem et merita adjungunt.

Irenæus verò primùm non de solo altaris sacrificio loquitur, sed de cæteris quoque oblationibus quæ figuratè sacrificia dicuntur. Id quod facilè apparet, quoniam Pauli testimonium ad Philippenses excitat, ubi de eleemosynis sermo fit. Illud etiam refert : *Respexit Deus ad Abel, et ad munera ejus?* et item illud : *Si offers munus tuum ad altare*, etc. Deindè Irenæus sermonem apertè facit de sacrificio in ordine ad offerentem. At ne hostia quidem altaris eum, qui offert, purificat, si ipse nequam et impurus est. Quin magis ex oblatione sacrilegâ inquinatur. Undè et ait, lib. 4, c. 14, quòd si quis timorem Dei non habeat, nequaquàm per id quod rectè foris oblatum est sacrificium, ad se ducit Deum, intùs habens peccatum. Nec oblatio talis, inquit, proderit ei aliquid. Præthereà, sacrificium altaris non solius administri est, sed Ecclesiæ totius. Ità, licet sacerdoti malo offerenti non prosit, sed noceat, at ei, pro quo offertur, utile est non sacerdotis merito, sed Ecclesiæ. Quam rem exposuit Irenæus eo etiam capite in hæc verba : « Quia igitur cum simplicitate Ecclesia of« fert, justè munus ejus purum sacrificium deputatum « est. » Cùm verò in Ecclesiâ Dei caput etiam includatur, quod est Christus, consequens fit, non oportere, ut sanctitas sacerdotis administrantis sanctificet sacrificium, quod et per se sanctum est, et ab impolluto sacerdote oblatum. Idem quippè est et sacerdos et sacrificium Christus Jesus. Cùm ergò argumentum illud, quod istis firmissimum et gravissimum videbatur, responsis omni luce clarioribus ego refellerim, qualia obsecro erunt argumenta reliqua? in quibus ad probandum vis nulla est, ad contradicendum est profectò imbecilla.

Videlicet argumentum nonum minimo negotio refutabitur. In remissione enim peccati duo intelliguntur, et condonatio culpæ, et resolutio pœnæ. Atque illa quidem vel per propriam fidem et charitatem contingit hominibus, vel per fidei sacramentum; hæc verò per fidem etiam et charitatem alienam. Ecclesiæ nempè societas fratrum fidelium pœnas communes per amicitiam facit; quam rem probare, alterius loci ac temporis est. Multò verò magis hanc pœnæ relaxationem vir justus à Christi passione participat; Christi autem passio per sacrificium altaris non solùm commemoratur, sed communicatur etiam. Sacerdotis igitur oblatio ei, pro quo fit, bis conducit ad relaxandam pœnam, et quia sacerdotis ipsius opus meritorium est, quod ille ad solvendam pœnam proximo suo benignè ac liberaliter impartitur; et quia Ecclesiæ atque adeò Christi sacrificium est; quem effectum sacrificio ex opere operato attribuimus, nam priorem illum habet ex opere operantis. Quarè si sacerdos probus est, et suam operam et satisfactionem vult fratri indigenti dare, dupliciter, ut modò dicebam, illius commodis et utilitati servit; sin est improbus, una est utilitas sacrificii, quæ ab Ecclesiâ et Christo offerente proficiscitur, quam omninò minister sacrilegus non intercipit. Sicut ne eleemosynæ quidem fructum domino adimit servus, qui eam distribuit, detestabilis.

In hujus autem confirmatione argumenti vis sacrificii in peccato remittendo quæritur, culpasne remittat, an pœnas; an utrasque potiùs et culpas et pœnas. De quâ re tres video sententias ferri, quarum nullam probo. Unam ut oblatio sacra culpas etiam mortales remittere possit, atque adeò gratiam conferre; alteram, quæ in remissione peccati nullam vim sacrificio tribuit, nisi ad impetrandum : quomodò eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat, quia orationis loco apud Deum est, per quam ea bona impetramus. Id quod Ecclesiasticus exponit, inquiens : *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo.* Nec ideò tamen sacrificium propitiatorium esse negant. Quoniam et is, qui veniam alteri impetrat, illum propitium reddidisse dicitur, quem suis precibus placavit. Per hanc igitur viam et rationem hoc sacrificium non pœnas solùm aiunt, sed culpas etiam omnes veniales mortalesque remittere. Tertia sententia est, quæ sacrificium ex opere operato in pœnas valere dicat, in culpas nullo modo. Satisfactionem itaque in altaris hostiâ esse et exsolutionem pœnæ, non expiationem et remissionem culpæ. Ad hunc enim effectum sacramenta parata esse, ad illum verò esse institutum sacrificium.

Sanè qui primam illam opinionem induerunt, hi eisdem argumentis utuntur, quæ nos attigimus, quòd Alexander et Julius tradunt, crimina omnia hoc sacrificio deleri; Athanasius, Cyprianus et Damascenus affirmant omnes sordes expiari; Chrysostomus et

Theophylactus non obscurè docent, esse remissionem peccatorum. Quòd si ex verbis illis: *Quorum remiseritis peccata*, etc., colligunt theologi, ministros posse et culpas omnes remittere, et gratiam ex opere operato conferre; cur nos aliter eadem verba de sacrificio interpretemur? Præsertìm cùm peccata propriè vocentur culpæ, reatus verò pœnæ non nisi per tropum, quo effectus significatur nomine causæ. Atqui confugere ad tropos theologo non licet, quandò nihil absurdi est in proprio sermone.

Rursùm sancti Patres docuêre sacrificium hoc crimina abluere, sordesque detergere. Qui autem abluit, et detergit sordes, is maculam tollit; non ergò solas pœnas hæc hostia resolvit, sed culpas quoque, in quibus maculam intelligimus. Remissâ enim culpâ, manet pœna, non macula. Adde, quòd sanguis Christi mysticè hìc funditur in remissionem peccatorum, quemadmodùm nos ipsa forma consecrationis instituit; at sanguis Christi pro culpis etiam effusus est, non pro pœnis tantùm. Utrasque ergò hoc sacrificium solvit. Postremò, cùm idem Christus Patri offeratur in altari, qui se Patri offert in cœlo, sicut oblatio, quam sancta sanctorum ingressus Patri exhibet, mortales etiam culpas remittit; ità et ea, quæ in altari fit, culpas remittet, et pœnas.

Nec secunda opinatio præsidiis suis destituta est. Quoniam post oblatum sacrificium pro peccato, ut fideles intelligerent vim orationis, in hostiâ ad illud delendum, esse, Ecclesia his verbis deprecatur: *Sit hoc sacrificium intercessio salutaris ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contrà mundi pericula firmamentum, sit remissio omnium peccatorum.* Atque D. Thomas, in 4, distinctione duodecimâ, quæstione secundâ, articulo secundo, quæst. secundâ, cùm in primo argumento objecisset illud: *Sit ablutio scelerum*, etc., respondit hujusmodi locutiones esse improprias. Dicitur enim hoc sacramentum scelera abluere, quia ipsa impedit, contrà ipsa robur ministrando. Et ad quartum: « Eucharistia, ait, in quantùm est sacrificium, habet effectum in illis, pro quibus offertur; « in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu; et « ideò si eos dispositos inveniat, eis gratiam obtinet « virtute veri sacrificii, à quo omnis gratia in nos influxit; et per consequens peccata mortalia in eis « delet, non sicut causa proxima, sed in quantùm gratiam contritionis eis impetrat. » Hactenùs divus Thomas.

Tertia demùm opinio, (si opiniones tamen istas habeo dicere, quas video cum communi Catholicorum sensu pugnare) quoniam in hostiæ hujus efficaciâ peccata mortalia nescit à venialibus secernere, ne utraque concedat per sacrificium remitti, ad pœnas utrorumque necessariò confugiendum putat, quæ est his potissima ratio ità sentiendi.

Harum trium sententiarum, ut dixi, nulli prorsùs assentior. Nec enim illa prima vera est, nisi omnes theologi fallantur, qui uno ore animoque dissentiunt. Nam si culpæ mortales per sacrificium solverentur, pœnitentiæ sacramentum non esset ad salutem necessarium. Ubi enim sacerdos eas semel oblato sacrificio delèsset, non esset opus easdem iterùm culpas alio remedio exstinguere. Neque Deus, qui non abundat in superfluis, duo externa signa proximè ad eumdem effectum institueret. Constat autem, pœnitentiæ sacramentum ad remittendas culpas fuisse institutum. Quòd si sacrificium altaris ex se quoque peccata aboleret, duobus externis signis indiscriminatìm ad culpæ remissionem abuteremur. Hanc cùm adeò facilè sacrificium exhiberet, pœnitentiæ disciplina penitùs eluderetur, quoniam sacrificium offerre, remedium est cuique vel promptissimum. Quid quòd culpas mortales sine confessione sacerdotes remitterent, oblatis videlicet sacrificiis? Id si fieri à sacerdote potest, frustrà confessionis præceptum Ecclesia urgeret. Siquidem sacerdotes et sine cognitione causæ, et sine confessione peccantium culpas universas per sacrificium solverent. Ità post baptisma susceptum aliqua superesset hostia pro peccatis. Id quod retrò diximus antiquis omnibus expositoribus repugnare; novos enim fortassè isti contemnent.

Ex quo Ambrosii Catharini deliratio patet, peccata antè baptismum admissa per crucis sacrificium remitti, post baptismum verò omnia per sacrificium altaris. Hostiam quippè crucis generalem causam esse remissionis peccatorum, sive antè baptismum, sive posteà commissa sint, tùm ad Romanos et Hebræos tradit Apostolus, tùm etiam nos manifestissimè probaremus, nisi stultum esset commenta improbabilia refellere. Illa potiùs refellenda sunt, quæ isti contrà afferebant. Alexander, Julius, Athanasius, etc., sacrificium aiunt delere crimina, peccataque remittere. Hoc tribus modis refutamus. Primùm diximus, nec ità multò antè, cùm pœnæ pro culpis debitæ delentur, solvuntur, remittuntur, tunc crimina deleri, solvi, remitti. Quo sensu Ecclesia per indulgentias concedit peccatorum omnium plenissimam veniam, id est, pœnarum omnium, quas peccando contraximus. Nec refert multùm an impropriè et figuratè illa sint dicta, an sine figurâ et propriè, quia scilicet non est plenè remissa culpa, quandiù peccator reus est solvendæ pœnæ.

Deindè, cùm ad perfectionem sacrificii pertineat sumptio, quemadmodùm superiùs ostendimus (nisi enim consumeretur, non existimabant veteres consummatum et perfectum esse sacrificium), nihil mirum est, si corpus et sanguis Christi, quoniam gratiam conferunt, dùm sumuntur, culpas omnes ex consequenti remittant; nempè is effectus gratiæ proprius et conjunctus est. Atque hoc Ecclesia videtur significare, cùm ait: *Sumpta sacramenta, quæsumus, Domine, omnia crimina nostra detergant.* Quibus verbis intelligi voluit, sacrificium, si culpam spectes, non quia offertur, delere crimen, sed quia sumitur. Eâdem enim hâc ratione et sacramentum est, et perfectio sacrificii. Postremò, D. Thomas in quartum sententiarum, ut modò citatum est, respondit, sermones illos ad eam formam esse redigendos, quâ hæc, quæ oratione impetrantur, dicitur oratio facere. In quem sensum dictum est: *Vi-*

tam præsta puram, Solve vincla reis, etc. Quò Moyses etiam spectâsse videtur, cùm præscriptis singulis hostiis pro peccato subjungit, Levit. 4 et 5: *Et orabit pro eo sacerdos, et dimittetur.*

At verò ridiculum est, si verba illa: *Quorum remiseritis peccata*, etc., simpliciter ad culpas pœnasque referimus, omnia similia, utcumque, ubicumque, et à quocumque dicantur, ad eumdem quoque modum interpretari. Aliud est, mihi crede, judices constituere, qui de peccatis sententiam ferant, qui retinendi ac solvendi habeant potestatem, qui pro culparum vel levitate vel gravitate severiorem mitioremve pœnam injungant; aliud post gratiam initam et sacramentum reconciliationis acceptum, altaris Domini participem fieri. Quòd si post remissam culpam nulla prorsùs maneret pœna, nec post mortales condonatas, veniales admitterentur, nihil esset opus, post institutum Pœnitentiæ sacramentum hostiam propitiationis habere. At hâc etiam in re præcipuè nobis indulsit Christus, qui non solùm pœnitentiam dedit ad reparandam resarciendamque amissam gratiam, sed sacramentum Eucharistiæ, idemque altaris sacrificium reliquit, quo gratiam sartam tectam haberemus. Hoc enim sacrificio non modò pro conciliatâ amicitiâ par pari referimus, verùm etiam subiratum judicem et pœnam temporalem pro admissâ ac remissâ culpâ minitantem propitium reddimus; hoc sacrificio detergimus pedes, et quod Apostolis aqua in pelvim missa contulit, id ac multò etiam magis pœnitentibus tribuit sanguis missus in calicem; hoc denique oblato sacrificio disponimur, abluimur, præparamur, ut ad mensam Dominicam puriter, nedùm amicè, valeamus accedere, epulisque accumbere divûm. Ordo igitur rerum, sacramentorumque natura poscit, ne remissionem peccatorum eodem modo in Pœnitentiæ sacramento, et in altaris hostiâ interpretemur. Nec ad tropos hìc fugimus. Explicatum est namque, resolutionem pœnæ ad remissionem integram peccati attinere, nec esse plenè remissam culpam, pro quâ manet solvenda pœna. Ac si sanctorum dicta hoc sanè loco ad tropum deflecteremus; nec sine necessariâ causâ, nec sine pervulgatâ ejus vocis usurpatione id faceremus.

At ablutio criminum sine aquâ gratiæ non est, nec, nisi maculam habeat, quidquam aut tergitur, aut abluitur. Ego, lector, nolo ablutionis et maculæ metaphoras ad vivum resecare, quemadmodùm ii, qui ista subtiliùs inquirunt, fortassè verè, sed ad communem utilitatem parùm. Nam si Scripturæ ac veterum testimonia semper ad illam normam velimus exigere, inveniemus, ea quandoque à veritate discrepare. Id quod uno solùm exemplo manifestum faciam, quoniam vel mihi ipsi jam hujus disputationis longitudo molesta est. Davidi ad peccati confessionem culpam esse remissam, nemo vocare in dubium potest, nisi qui ea, quæ paulò antè scripsimus, aut non legerit, aut nunquàm secum reputaverit. *Dixi*, ait, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino*, etc. Sed quòd remissâ culpâ nondùm fuisset plenam munditiem consecutus, is ipse testatur, inquiens: *Ampliùs lava me ab iniquitate meâ, et à peccato meo munda me.* Item: *Asperges me*, etc. Qui *ampliùs* dicit, hic lotum se esse procul dubio sentit, sed non plenè atque perfectè. Macula igitur aliqua relicta erat, sordes aliquæ permanebant, quæ non fuerant penitùs priore ablutione detersæ. In hunc ergò modum dixêre veteres sacrificium abluere crimen, sordesque purgare, quàmvis scirent, per pœnitentiam antè et remissam culpam, et gratiam justificationis acceptam. Pœnæ itaque resolutionem, quoniam purgatio et medicamentum animi est pœna omnis, ablutionem detersionemque appellàrunt veteres, vel certè senserunt, per gratiam imperfectam non plenè sanari, ablui, mundari cor humanum, quoniam habitus vitiorum inhærentes, et inclinationes quasdam ad bonum commutabile ex peccato trahimus; quæ omninò res cùm statim per quamlibet contritionem evanescant, tùm exploratum est, quasi sordes animi et morbos esse. Benignè igitur fecit Dominus in voluntate suâ Sion, cùm post sacrificium cordis humiliati atque contriti quo deletur culpa, alterum acceptat sacrificium justitiæ, quo solvitur pœna. Utroque purgantur sordes, utroque abluimur et mundamur, sed non eodem modo. Multæ enim variæque purificationes, à rebus diversis existunt, quas si similes omnes esse velis, stultum te esse fateare. Nam peccati maculam omninò totam, ità ut ne vestigium maneat quidem, per quamvis gratiæ ablutionem penitùs elui, nec ratio admittit, nec auctoritas.

Sed sanguis Christi offertur, et mysticè funditur in remissionem omnium peccatorum. Mihi profectò sæpissimè de eâ re cogitanti maximè illud considerandum videri solet, quod in superioris cujusdam argumenti refutatione breviter admonui, sanguinem Christi in omnibus quidem sacramentis operari, sed in singulis suum cuique proprium effectum edere, juxtà cujusque peculiarem et significationem et naturam. Quemadmodùm causa universalis prima non totam vim in singulis adjuvantibus causis effundit, sed ad illarum omninò vires vel perfectas vel imperfectas se attemperat, et varios quasi partus procreat perfectione et imperfectione differentes; sic Christi sanguis per se quidem et in baptismo et in pœnitentiâ remissionem peccatorum facit, sed non similiter tamen. Nam in baptismo, quoniam regeneratio est, totam perfectè culpam pœnamque resolvit; in pœnitentiâ verò, quoniam est judicium, et satisfactionem habet adjunctam, culpam resolvit, pœnam non plenè, donec satisfactio fuerit expleta. Atque in reliquis sacramentis omnibus remissio quidem peccatorum est, sed quodam modo et quasi per accidens. Quia nimirùm non sunt per se aut confirmatio, aut eucharistia, aut ordo, aut matrimonium ad remittendum peccatum instituta; sed proprias tamen operationes habere nequeunt sine gratiâ, quæ si peccata in animâ reperiat, ea depellit, ut contraria. Sacrificium altaris invenio, cùm ad veritatem cœpi revocare rationem, quia per se propitiatorium est, ex se quoque ad remissionem peccati institutum.

Verùm cùm species habeat panis et vini, idemque et altare hic et mensa sit, ratio ipsa rerum et ordo naturæ postulat, ut hujus altaris effectus in illis existat, qui

mensæ hujus participes esse possunt, nempè accepto sacramento reconciliationis, antequàm ad amicorum convivium accedere absurdum est. In his autem culpa mortalis remissa est. Quarè sanguis Christi in speciebus panis et vini per se quidem remissionem pœnæ et culparum venialium tribuit; interdùm tamen, quàmvis per accidens, tribuit etiam mortalium; non quia offertur, sed quia sumitur. Tunc enim, ut sæpè dixi, consummatur sacrificium. Quod cùm fortè invenit hominem in peccato mortali, ignorato tamen, gratiam confert, illumque justificat, si D. Thomæ auctori credimus.

Quamobrem, tametsi Christi sanguis offertur, et mysticè funditur in remissionem peccatorum (ut jam argumento respondeamus), ex significatione tamen specierum panis et vini, tanquàm ex causâ instrumentali et adjutrice definitur, ut eam remissionem efficiat, cujus participes sunt ii, qui non indignè ad altare Domini accedunt, id est, qui nullius culpæ mortalis sibi sunt conscii, quam non priùs per pœnitentiam eluerint. De effectu sacrificii ex opere operato sermo sit; nam quasi orationis loco ad impetrandam gratiam scio pro mortali posse etiam offerri. Nec tamen effectum semper habere necesse est, et quasi lege editâ pœnitentiam peccatori, atque adeò veniam impetrare, tametsi oratio hæc est Deo gratiosa vel maximè. Sed objicis: Exauditus est Filius semper pro suâ reverentiâ, et hoc sacrificium semper offert Patri Filius; sempiternum ergò effectum habet. Nec enim oratio Filii frustrà et vanè fundi potest. Cui argumento respondeo. Quas Christus per se ipse fundit preces, eas omni et tempore et loco exaudit Pater; at quas ille offert per homines non semper exaudit. Sicut causa prima quos effectus per se sine adjutrice aliâ voluit edere, in his nihil frustrà egit aliquandò. At cùm per secundas causas operatur, frustrà quandoque agere dicitur, hoc est, quandoque finis evanescit non à præcipuâ causâ, sed omninò ab adjutrice. Ad eumdem quoque modum, si Christus in cœlo hoc sacrificium offert, ut verè offert, non ad omnem effectum sanguinis instituit offerre, sed ad effectum sub certis speciebus et figuris definitum. Prima igitur sententia sic nobis refutata sit.

Qui verò solam vim impetrandi in altaris hostiâ ponunt, hi in pœnis peccatorum primùm errant; quas sacrificio sanguinis Christi tanquàm pretio exhibito redimi, quoniam res nota erat, perstrinximus breviter paulò antè. Si enim eleemosynis peccatorum pœnæ redimuntur, cur negemus, Christi sanguine oblato in altari redimi? Ecquis autem ferat, sacrificiis veteris legis pœnas resolvi, sacrificio novæ legis non resolvi? An vilior est Deo sanguis Christi, quàm sanguis hirci? Sed, quemadmodùm in sacramentis, non modò quia actio nostra meritoria est, satisfactionem habet adjunctam pro pœnâ culpæ debitâ, verùm etiam ex eo, quòd per talia signa propriè nobis sanguis Christi applicatur, vi ipsius sanguinis, et major gratia confertur, et major pars pœnæ remittitur, sic in sacrificio altaris non solùm quia oblatio nostra meritum habet, sed quia per ejusmodi externum signum passionis Christi commemoratio atque adeò applicatio fit, ex opere operato, id est, virtute sanguinis ipsius cumulatior pœnæ remissio et offerenti contingit, et iis etiam, pro quibus offertur. De vivis intelligo; nam in defunctis non subest causa eadem. Ad hos quippè sicut merita Christi per indulgentias non nisi ad modum suffragii perveniunt, ità forsan nec sacrificii vis, nisi orationis et suffragii locum habet. At vivis per viam redemptionis et pretii prodest, quod lege justitiæ acceptandum est, perindè ut si quanta pecunia debetur, tanta etiam exsolvatur.

Errant deindè isti in culpis venialibus, quas hoc omninò sacrificio deleri, testes sunt et scholæ theologi, et veteres etiam sancti. Nec enim minore Ecclesiæ consensione venialia per sacrificium altaris, quàm per aquam benedictam, per orationem Dominicam, aut similia hujusmodi religionis opera, remittuntur. Estque argumentum in promptu certissimum, quòd ex vi formæ, quâ consecratur sanguis, specierumque panis et vini, retrò collegimus peccata amicorum, qui videlicet ad mensam Dominicam haud indignè accedunt, per hoc sacrificium resolvi. Illa autem levia sunt et venialia, quæ in amicis etiam inveniri queunt. Ut apertè Christi ergà nos providentiam et benignitatem intelligas, qui gravioribus morbis graviorem pœnitentiæ curationem adhibuit, leviores autem faciliori sacrificii medicamento curavit. Sed hæc hactenùs. Isti, atque etiam qui tertiam sententiam secuti sunt, videant, quomodò tueri causam suam possint, cùm non solùm pœnas, sed veniales etiam culpas per altaris hostiam remitti, ratio et veritas ipsa convincat. Ac de argumenti noni confirmatione, vereor ne nimiùm multa dixerimus.

Decimum verò argumentum quæstionem perobscuram habet de valore sacrificii, ubi quibusdam theologis, quos video doctissimos habitos in scholâ, placuisse intelligo mirabilia quædam; sed nihil est tàm improbabile, quin argumentando probabile quandoque appareat, his præsertìm qui de facie rerum judicant, et argutiis suis fumos theologiæ persequuntur. Horum de valore missæ sententias refellere longum et molestum erit. Meam itaque breviter exponam, quantùm videlicet satis erit, ut argumento huic respondeatur. Primùm ergò vocari in dubium non debet, quin valor missæ ratione quâdamtenùs infinitus sit, hoc est, ad sufficientiam, non ad efficientiam. Nam sicut Dei virtus et potentia sufficiens est quidem, ut infinitum effectum edat, quoniam infinita ipsa est, sed semper tamen edit finitum, quia infinitum capere res creata non potest; sic Christi sanguis ubicumque reperiatur, sive in cruce, sive in altari, infiniti pretii est, quia idoneus, ut pro infinitis, si essent, hominibus satisfaceret; sed quoniam sunt finiti semper, effectus semper finitus est, quàmvis pretium sanguinis nullo fine circumscriptum sit. Ac de hostiâ crucis quidem nulla hodiè nobis controversia est; hostiam verò altaris infiniti valoris esse, duobus argumentis explorare perceptum est et cognitum. Unum illud est, quod refutare modò nitimur. In eâ enim parte, docet sacrificium in-

finitum esse, quia sanguinem Deo infiniti pretii exhibet, difficile factu est, efficacitatem illius argumentationis non probare.

Alterum argumentum est, quòd si valor missæ finitus esset, minùs satisfacerent pro pœnâ debitâ decem homines, qui offerrent sacrificium, quàm si duo tantummodò offerrent. Si enim rem quamcumque finitam decem hominibus partiaris, non tanta portio obveniet singulis, quanta duobus contingeret, si inter duos solùm divideretur. Ità, si decem audirent missam, valor distributus in plures, minor in quocumque illorum existeret, quàm si duo tantùm sacrificio interessent. Item, quò plures ministri vel in altari, vel in choro sacrificio solemni inservirent, eò minorem hostiæ partem acciperent. Quarè qui post me vel auditor, vel adjutor ad missam accederet, is fructûs mihi et satisfactionis partem adimeret. Quæ profectò omnia absurda sunt. Quibus rebus efficitur, ut si duo fideles sacerdoti stipem et eleemosynam conferant, qui pro illis hostiam præbeat, non sit prior minorem ex Christi sanguine utilitatem percepturus, quàm si posterior nullus omninò exstitisset. Quemadmodùm, si juxtà crucem quis unà cum Christo Patri offerret sanguinem illum, nihil consequeretur minùs si solus, quàm si infiniti tunc simul adessent, qui idem cum Filio sacrificium exhiberent. Eadem quippè hostia in cruce atque in altari est; tametsi ibi patens, hìc in mysterio abscondita. Nec sacerdos tamen laboris sui mercedem quamlibet accipere à multis pro missâ unâ potest, sed quæ satis erit, ut de altari ad sobrietatem comedat. Non enim sanguinis Christi fructum meritumque vendit, sed operas suas, ministeriumque locat. Quocircà nihil omninò plus à pluribus vindicare potest ac si minor esset utilitas in pluribus, quàm in uno. Omnis autem opinio in hoc consentiat necesse est, sacerdotem, sive pro paucis, sive pro multis celebret, cibum vitæ necessarium expetere suo jure posse. Quem si unus non dederit, nulli facit injuriam, si expetierit à pluribus. Quin injurius es tu, si cogas sacerdotem, ut solùm pro te ille hostiam præbeat, nisi tu illi præbeas cibum. Qui quantus quàmque sit homini necessarius, prudentia magis quàm theologia dijudicat. Uno in tempore et loco non satis erit argenteus nummus, alio forsitan plus nimio erit.

Sanè quòd de utilitate sacrificii diximus, rectè Cajetanus admonuit, hoc ad eos tantùm qui offerunt referendum esse. Nam qui non offerunt, ii non æqualem partem accipiunt, si pro pluribus, ac si pro uno duntaxat offerretur. Ut si sacerdos suâ sponte à nemine amicorum invitatus, pro illis absentibus sacrificet, dico, non tantùm valere multis, quantùm valeret uni, si pro uno illorum singulariter sacrificaretur. Ad satisfactionem loquor; ad impetrationem namque nulla vis minor in sacrificio est, quod pro multis offertur, quàm in eo, quod pro uno solo. Quæ omninò res cunctis orationibus communis est, quibus nihil detrimenti ad impetrandum est, quòd pro pluribus effunduntur. At adjutores auditoresque missarum, ii etiam, qui sacerdoti alimenta ministrant, vel quoquo modo sacrificio inserviant, reverà offerunt sacrificium, ideòque pro suâ devotione quisque partem capit hostiæ illius. Certè quò causa adjutrix sacrificii principali causæ conjunctior est, eò magis pro pœnâ satisfacit; ut sacerdos plus quàm diaconus, diaconus plus quàm subdiaconus, subdiaconus plus quàm acolythus, acolythus plus quàm auditor; horum autem utrumque excellit is, qui sacerdoti stipendium vitæ necessarium dederit. Atque hi etiam, quò devotiùs ac religiosiùs suo quisque munere fungentur, eò magis satisfacient. Tanta verò devotio et religio in offerendo sacrificium esse poterit, ut unâ oblatione tota pœna debita resolvatur. Nec enim si sacrificium infiniti valoris est, idcircò tota semper pœna redimitur. Quoniam infinitum est in genere causæ universalis, quam infinitam licèt causæ adjuvantes ad finitos effectus determinare solent, tantò vel majores, vel minores, quantò vis adjuvantium causarum vel major, vel minor est. Id quod in primâ rerum naturalium causâ cernimus, quæ tametsi infinitæ virtutis ipsa est, per causas secundas finitos effectus edit tantos et tales, quantos et quales causarum adjutricum vis et natura poscit. Nec sacerdos sacrificio imponit limites ex merito et sanctitate, sed ex intentione et applicatione suâ, quâ huic, aut illi pro quo offert, sacrificii virtutem applicat. Sanè, quemadmodùm parvulis baptizatis per ministri intentionem Christi sanguis applicatur, certusque gradus gratiæ confertur, non quem administri sanctitas præfinivit, sed quem præscribere voluit Christus (nam quotus gradus ille sit, mortalibus ignotum est), sic his, pro quibus sacrificium offertur, si simul iidem non offerunt, certus gradus pœnæ remittitur, quem nos ignoramus, Christus suâ voluntate præstituit. Sed ut adulti eò majorem à baptismo gratiam percipiunt, quò religiosiùs et devotiùs percipiunt baptismum, ità à sacrificio majorem utilitatem capiet is qui sacrificium sanctiùs et ferventiùs offeret. Parvulis porrò ablutio peculiaris ministri vim crucis ad certum gradum gratiæ definit, quem æqualem in omnibus illis esse credimus, quòd æqualis in omnibus dispositio est; adultis verò quoniam non est eadem dispositio, sed alia cuique atque alia, non idem gratiæ gradus, sed alius alii confertur. Quo modo vim sacrificii universalem et infinitam sacerdotis singularis oblatio determinat, vel ad certam et æqualem remissionem pœnæ in his, qui eodem modo se habent ad sacrificium, vel etiam ad inæqualem in iis, qui cùm causæ adjuvantes sint sacrificii, aliter atque aliter afficiuntur, hoc est benè, meliùs, optimè.

Quòd si Christi sanguis tam propriè noster esset, quàm suus cujusque proprius est, sine dubio Christi sanguine oblato, tota pœna, quamvis infinita, solveretur. At, sicuti diximus, noster est Christi sanguis eo modo, quo lux solis nostra est, nempè ut causa universalis, cujus vis major minorve recipitur pro eo ut subjectum magis minùsque disponitur, pro eoque ut causæ adjuvantes majus minusve opis ferunt ad effectum. Atque post hæc in refutando argumento decimo otiosum erit verba plura prodigere.

Undecimum quoque argumentum ridendum magis erat quàm refutandum. Sed ridicula missa, præsertim cùm in tantà hominum cæcitate et miserià nihil est quod rideamus. Prior ergò ejus argumenti particula facillimè eluditur. Nulla enim repugnantia est, quin convenit maximè, ut quà re Deo gratiam referimus benefico, eam rem offeramus irato. Eisdem quippè muneribus, bove, ove, agno, veteres patres et gratiam Deo referebant, et illum placare curabant. Quem in modum nos corpus et sanguinem Christi, divino nobis dono concessa munera, Deo et propitiatoriè reddimus, et eucharisticè. Nam quòd putent sacrificiorum species confundi, si idem eucharisticum et propitiatorium sit, in eo mirificè isti falluntur. Non enim confunditur triplex animæ vis vegetandi, sentiendi, intelligendi, si in unà rationali animà tres excellenter existant. Ex quo intelligitur, si veteris legis multa, eademque varia sacrificia unum novæ legis omnia transierint, ubi contineantur et emineant, non hanc esse specierum permixtionem confusam, sed christiani sacrificii excellentiam perfectam. Deindè in moribus hoc videmus, ut diversa virtutum ac vitiorum genera in unam actionem coeant, si huic diversi fines accedant. Idem scilicet actus est furtum et sacrilegium, idem misericordia et religio. Nihil igitur vetat, quin eadem hostia, ad diversos relata fines, et propitiatoria sit, et eucharistica. Deum sanè nos in remissione etiam peccati et misericordem et justum agnoscimus, ut et gratis remittat peccata, et pretio remittat tamen. *Justificati gratis per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,* ait Apostolus ad Rom. 3, 24. Et rursùm, 1 Cor. 6, 20 : *Empti estis pretio magno.* Donavit autem Christus nobis pretium hoc, gratisque donavit, ut debita nostra solvamus. Quamobrem tùm filio, tùm patri ingentes gratias agimus; imò, ut aliquandò diximus, par pari referimus. Quia verò pretium istud acceptum licèt, sed nostrum est tamen, verè hoc exhibito peccata nostra redimimus, Deumque suis beneficiis placamus. Quam rem Irenæus, lib. 4, cap. 34, in hæc verba prosequitur : « Qui nullius est indigens Deus, in se assu« mit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet « nobis retributionem bonorum suorum, sicut Domi« nus ait : *Venite, benedicti*, etc. Ità et verbum dedit « populo faciendarum oblationum, quamvis non indi« geret eis; ità et nos offerre vult munus ad altare. » Hactenùs Irenæus. Et Cœlestinus hujus nominis primus, in epist. 3 ad omnes Galliarum episcopos, eleganter exclamat : « O misericordiam Dei, qui nostra « vis esse merita, quæ tua sunt dona; et pro his, quæ « liberaliter largitus es, æterna præmia es daturus! » Quæ causa Christo Domino fuit, ut initio statìm cœnæ gratias egerit, accipiens panem et vinum, ut distribueret discipulis. Accipiebat ergò ipse, qui dabat, et ideò gratias agebat. Quo modo nos et gratias agimus Deo pro accepto munere, et damus acceptum pro redemptione animarum nostrarum. Quæ omnia ferè in argumento 2, pro primâ conclusione, et in argum. 3, pro conclusione 2, et in responsione ad argum. 5 explicata sunt. Nam et posterior hujus undecimi argumenti particula in responsione ad tertium satis confutata est. Cur autem Eucharistia sacrificium sit, cætera sacramenta non sint, non est illa causa, quam isti reddunt; sed quia in Eucharistià corpus et sanguis Christi verè manent, in cæteris sacramentis non manent. Undè cùm tàm pretiosa munera in Eucharistià habeamus, offerre ea Deo et possumus jure, et debemus. Sine oblatione autem sacrificium non est. In Eucharistiæ quoque oblatione mysticè Christus et incruentè immolatur, ideòque ibi hostia est, in aliis sacramentis non est. Propriè dico; nam per translationem baptismus quandoque hostia dicitur. Abeant ergò cæci et indocti Lutherani, quos in uno hoc exemplo patefecimus disciplinarum omnium ignaros esse, theologiæ, philosophiæ, dialecticæ, grammaticæ. Nec enim rem tantummodò, sed sacrificii etiam nomen, ignorant.

CAPUT XIII.

Exemplum secundum, ubi theologiæ conclusio in quæstionem vertitur.

QUÆSTIO DE VISIONE ANIMÆ CHRISTI. — Quanquàm in singulis præcedentibus libris, Lutheranorum nos malitia coegit de uno aliquo theologiæ principio disserere, atque adeò quæstionum, quæ præter naturæ ac disciplinæ ordinem in controversiam veniunt, multa exempla ponere; sed capite superiore tàm in eo pugnæ genere stylum diligentiùs exercuimus, et quasi ad spectaculum liberiore disputatione lusimus. Tametsi non ludicrum hoc, sed verum certamen fuit, quod spectante orbe in Tridentino concilio certavimus. Ubi Patribus magnum lumen accendimus, tenebras adversariorum dispulimus, theologi visi sumus, audaciùs verò fecimus, quàm scholæ auctores cæteri. Illi enim jejunè solent, nullis ornamentis orationis adhibitis, hæreticorum sensa rationesque referre; nos autem illa ipsa hæreticorum argumenta ità amplificavimus, auximus, ornavimus, ut et quæ arma inimici habent, acuisse videamur, et quæ non habent, suppeditâsse. Sed, quod aliàs sæpè dixi, veritas mendacium superat, miris licèt modis instructum et ornatum. Verùm, ne plus justo volumen excrescat, non ad eum morem reliqua copiosè exempla persequemur, sed angustè et contractè disputabimus, atque utriusque partis argumenta non omnia sed præcipua breviter perstringemus.

Agedùm ergò, illa sit nobis secunda quæstio, an Christi anima statìm ab initio creationis suæ Deum clarè viderit? Sunt enim in utramque partem argumenta adeò probabilia, ut neutra firmè stabilita videantur. Bucerus porrò negat Christi animam fuisse à principio perfectam. Erasmus in dubium vocat. Theologi vix ostendunt. Qui verò inficiantur, ii hujusmodi argumentis uti possunt.

1. Primùm, in Christo fuit fides, sicut scriptum est, in Isa. 11, 5 : *Erit fides cinctorium renum ejus.* Non ergò mens ejus videbat Deum, quoniam *fides argumentum est non apparentium*, ait Paulus ad Hebræos 11, 1.

2. Deindè, Christus spem habuit, quemadmodùm

ipse Patri loquens ait, Ps. 21, 10 : *Spes mea ab uberibus matris meæ.* Quod autem videt quis, quid sperat?

3. Prætereà, timuit, ut videre est apud Marcum, cap. 14, *Timor autem futuri et incerti mali est*, ait Aristoteles, Rhetoric. libro 2. Non igitur videbat clarè Deum, in quo nihil ut futurum incertumve cognoscitur.

4. Prætereà, crevit gratiâ non solùm apud homines, sed etiam apud Deum, Luc. 2, 24. Non itaque erat beatus, nec videbat Deum, quia beati crescere in gratiâ non queunt.

5. In notitiâ insuper et visione beatâ nulla rerum cognitarum successio est. At Deus Christi animæ quædam demonstrabat, alia celabat posteà demonstraturus, juxtà illud Joan. 5, 20 : *Pater omnia demonstrat filio, quæ ipse facit, et majora his demonstrabit ei opera.* Et rursùm, Marc. 13, 32 : *De die illâ nemo scit, nec filius.*

6. Præstantius item et jucundius est gloriam et honorem consequi per opera digna, quàm sine ullo omninò merito. Christus ergò animæ suæ felicitatem tanquàm virtutis præmium accepit. Quarè non est in primo instanti visionem Dei consecutus. Meritum enim præmium antecedit, laborque mercedem. Nec fieri potest ut simul quis et mereatur beatitudinem, et beatus sit, nisi simul sit anima et in viâ, et in viæ termino.

Confirmant autem argumentum hoc sacrarum litterarum testimonia plurima. Ut illud, Isa. 53, 11 : *Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur. Satiabimur* autem, ait Ps. 16, 15, *cùm apparuerit gloria Dei.* Item, Ps. 44, 8 : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Item, cùm dixisset Ps. 15, 9 : *Caro mea requiescet in spe;* et : *Non derelinques animam meam in inferno*, subjicit Christus ipse : *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Non igitur antè mortem adimpleverat eum Deus lætitiâ vultûs sui; quâ de re ne ad faciem quidem videbat Deum. Item, Apoc. 5, 12 : *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere dignitatem et sapientiam;* non ergò antè mortem acceperat, sed meritus est eas accipere moriendo. Item, Isa. 62, 11 : *Ecce salvator tuus venit, ecce merces ejus cum eo, et opus illius coràm illo.* En merces, en opus; gloriam ergò animæ commeruit. Nam gloria corporis, tametsi merces fuit operis sui Christo, non tamen fuit simul cum eo. Item Hebr. 2, 10 : *Decebat eum, propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Quid autem per consummationem intelligat Paulus quanquàm nomen ipsum præ se fert, in eâdem Epistolâ exponit, inquiens, cap. 11 : *Ut non sine nobis consummarentur.* Finem ergò suum Christus per passionem adeptus est.

Postremò, non potest esse cum summo gaudio summa tristitia conjuncta; at qui videt Deum, is maximè gaudet; Christus verò maximè tristatus est, juxtà illud : *Tristis est anima mea*, etc. Et iterùm : *Repleta est malis anima mea.* Non ergò Deum videbat, nisi velis duo simul contraria in eodem subjecto exstitisse, eandemque animam pariter et repletam malis, et repletam lætitiâ cum vultu Dei. Hæc videlicet sunt argumenta potissima, quæ è locis theologiæ contrà veram theologiæ conclusionem depromuntur. Nam si quæ sunt alia, vel facilia sunt, et cuique in promptu parata, vel ad ea, quæ posuimus, omnia referuntur. Sed nihil movere nos debet, ut ab scholæ decreto recedamus.

Omnes autem theologi definiunt, *Christum ab instanti conceptionis Dei essentiam vidisse.* Quæ conclusio licèt solâ theologorum auctoritate probaretur, satis firma habenda esset, quemadmodùm lib. 8 constituimus; sed his quoque argumentis demonstratur.

Primùm ex illo Joan. 1, 14 : *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Quo loco D. Thomas advertit, gloriam animæ Christi ex personali unione verbi et animæ esse derivatam : id enim Evangelista non obscurè significat, cùm, voce eâdem repetitâ, ait : *Gloriam quasi unigeniti à Patre.* Illam sanè animam talem existimemus necesse est, qualem decebat eam esse, quæ esset Deo conjuncta vel maximè; nimirum undecumque perfectam, omnibusque omninò numeris absolutam. Quod qui non sentiat, hic de unione personali Dei et hominis stultissimè sentiet. Jam si anima Christi unita Verbo non fuisset glorificata, fuisset profectò imperfecta. Magna quippè humanæ menti perfectio deest, si felicitas deest. Ac videre Deum per speculum in ænigmate, imperfecti hominis esse, testis est Paulus in hæc verba 2 Cor. 13, 10 : *Cùm venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus; quandò autem factus sum vir, evacuavi, quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte*, etc. Quia igitur ab utero Christus non sapiebat ut parvulus, sed vir omninò perfectus erat, ab utero quoque Deum facie ad faciem videbat. Id quod Jeremias prædixit, inquiens, cap. 31 : *Novum creavit Dominus super terram : Femina circumdabit virum.* Adde, quòd cui communicatur esse, ei etiam communicatur propria rei operatio, quæ consequitur esse, ut cui datur esse ignitum eidem quoque datur ut calefaciat; et cui daretur esse sol, is sine dubio illuminaret. At propria Dei actio est videre seipsum; hâc enim visione beatus est : ergò, cùm anima Christi haberet esse divinum, habebat item suo modo divinæ naturæ propriam actionem, atque adeò videbat Deum. Adde etiam, quòd major erat unio animæ Christi cum Verbo, quàm unio beatorum; sed ex hâc existit claritas in intellectu beati, ut Deum videat : ergò multò magis ex illâ talis claritas orietur. Id divus Thomas hâc ratione confirmat : « Quantò receptivum propinquius est causæ influenti, tantò abundantiùs et « pleniùs recipit influentiam ejus. » Sed mens Christi propinquior erat causæ luminis gloriæ, quàm omnes angeli beati : pleniùs ergò atque perfectiùs cognoscebat Deum.

Argumentatur prætereà D. Thomas, gloriam in animâ, fieri ex eo, quòd divinitas sit præsens intellectui, sicut lumen in aere ex præsentiâ solis. Quia enim *gloria Dei ingrediebatur per viam orientalem, terra*

splendebat à majestate ejus, ait Ezech. 43, 2. Cùm ergò lux ipsa non solùm ingressa fuerit in animam Christi, sed ei fuerit in idem esse personale conjuncta; claritas gloriosa indè secuta est, ut splendor sequitur solem. Prætereà Deus attingitur à naturâ intellectuali per cognitionem et amorem; at anima Christi propinquissimè attingebat Deum, quia erat Deo propinquissima : ergò ejus propriæ actiones, notitia et amor, non longè, sed proximè Deum attingebant. Mens verò, cùm est viatrix, peregrinatur à Domino, à longèque repromissiones aspicit; cùm autem videt per speciem, præsens est et propinqua, ut ad Corinthios et ad Hebræos tradit Apostolus. Si ergò anima Christi peregrina et hospes erat super terram, certè non erat Deo per cognitionem proxima, sed angeli erant Deo proximiores.

Nec me fugit, posse à calumniantibus objici, aliud esse quòd res sit præsens animæ secundùm esse reale, aliud quòd sit præsens secundùm esse intelligibile. Anima enim nostra intellectui nostro conjunctissima est, si esse reale consideres. Sed quia conjuncta non est secundùm esse intelligibile, videre eam inse, quamdiù mortali corpore circumdamur, non valemus.

At hæc objectio haberet fortassè locum, si filius Dei animæ rationali, perindè ut lapidi aut stipiti fuisset unitus, nec in unione illâ esse intellectuale primò spectatum exquisitumque fuisset. Verùm Patres Ecclesiæ veteres, mentem potissimè assumptam credidère, per mentem animam, per animam vel ipsam carnem. August. in « libro de agone christiano : « Invisibilis, ait, et incom« mutabilis veritas per spiritum animam, et per ani« mam corpus accepit. » Et in epist. ad Volusianum : « Ipsa magnitudo, inquit, divinæ virtutis animam sibi « rationalem, et per eamdem corpus humanum, to« tumque omninò hominem in melius mutandum coo« ptavit. » Ac Damascenus, in lib. 3, « unitum esse ait « carni per medium intellectum verbum Dei. » Quam rem divus Thomas, p. 3, quæst. 6, diviné, ut omnia, explicavit. Atque hæc causa, nì fallor, Evangelistæ fuit, cur non diceret, aut filium, aut vitam, aut lucem, sed Verbum carnem factum esse. Verbum enim prolem mentis apertè significat, et naturam intellectualem præ se fert. Quorsùm autem Joannes diceret, primum intelligibile, hoc est, Verbum extremo illi, id est, carni se junxisse, nisi ut moneret, Sapientiam Dei attigisse quidem à fine usque ad finem fortiter, sed disposuisse tamen omnia suaviter, et carnem sibi propter animam univisse? Etenim quod per se intelligibile erat, id cui se priùs quàm intellectui mentique conjungeret? Nempè ex fine assumptionis liquidò apparet, quid Dei verbum in eâ conjunctione expetierit. De quâ re, quoniam non ità multò post latiùs dicturus sum, nunc illud satis est, finem hominis Dei notitiâ constare. Qui ergò factus est homo, ut hominem ad finem suum, id est, ad claram Dei cognitionem duceret, is mentem sibi præcipuè conjunxit, quâ finis prænoscitur, quæritur, possidetur.

Hoc verò illa etiam argumentatio confirmat. Filius Dei in hoc natus est, et ad hoc venit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati. *Ecce*, ait Deus in Isa. 55, 4, *testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. Ut autem testis perfectus sit, illa res in eo prima quæritur, ut hoc probè cognoscat et teneat, de quo testimonium est laturus. Si dux itidem, et præceptor consummatus quispiam habendus est, scire illum oportet et finem, quo ducat, et veritatem omninò quam doceat. At Christus testis veritatis erat, à Patre dux et præceptor constitutus; quocircà necesse erat, ut à Dei verbo mens potissimùm et ratio hominis in ipsâ unione perficerentur. Nec laborare diù opus est, ut invenias, quandò Apostoli gloriam quasi unigeniti à Patre viderint, cùm Petrus, Epist. 2, cap. 1, id significantissimis verbis patefaciat : *Non indoctas fabulas secuti*, ait, *notam facimus Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo Patre honorem, et gloriam, voce delapsâ ad eum hujuscemodi à magnificâ gloriâ : « Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui; ipsum audite; » et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cùm essemus in monte sancto cum ipso. Virtutem et potentiam* vocat, quâ Verbum caro factum est; *præsentiam* verò, quâ habitavit in nobis; at virtutem et præsentiam simul, quia filius hominis erat in cœlo, hoc est, ejus anima videbat Deum, et vivebat tamen in mortali corpore super terram (1). Ità enim prænuntiaverat David in paucissima verba : *Beatum faciet eum in terrâ*. Nam quòd beatus aliquis quasi transiens fuerit in terrâ, in Scripturis sæpè legimus. Sed quòd habitaverit in nobis quasi colonus, et quasi viator declinans ad manendum, hæc præsentia potentiæ miraculum est. Sanè viderunt gloriam animæ in corpore tanquàm in speculo, ideò aptè dixit, *speculantes*, gloriam autem quasi unigeniti in *voce delapsâ à magnificâ gloriâ : Hic est*, etc. Testis oculatus est : *Ipsum audite;* doctor veritatis exploratæ ac visæ, est : *Ipsum audite;* dux est, qui et viam sciat, et terminum sciat : *Ipsum audite*, atque adeò videte et contrectate; nam habitat in vobis, quamvis gloria ea sit apud me, quam in præsentiâ cernitis. Sed de primo Joannis testimonio nimiùm multa. Secundum principale testimonium pro eâ conclusione comprobandâ illud est Joan. 1, 14 : *Verbum habitavit in nobis, plenum gratiæ et veritatis*. Undè divus Thomas bifariàm colligit. Sive enim plenitudinem gratiæ in Christi animâ ponas, sive plenitudinem veritatis, utrinque conficitur, eam Dei essentiam vidisse. Gratia quippè viæ in ordine ad gratiam patriæ imperfecta est, tantùmque deficit à plenitudine, quantùm à perfectione deficit. Quarè, si imperfecta gratia in Christo fuit, non fuit nimirùm gratiâ plenus. Objicit autem, Beatam Virginem, dùm vitam etiam mortalem degeret, plenam gratiâ fuisse, nec vidisse tamen Deum. Verùm hunc scrupulum eximit tertiâ parte, quæstione septimâ, articulo decimo. Non enim fuit Christus gratiâ plenus ex parte, sed omni modo, ut articulo primo et nono ejusdem quæstionis ostenderat. Nempè *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, pacificans*, etc.,

(1) Memento scriptum esse : *Non videbit me homo, et vivet*; ad Christum id esse referendum ostendit Joannes, cap. 10. (Vide Cajetanum in Ps. 8, Jerem. 4.)

cessariò demonstrare ; nihil, ut mihi videtur quidem, temerè facturus sum, si de eâ ipsâ quæstione disputo, quam tàm multa et præclara ingenia versârunt. Non enim rem actam agam, sed, nisi me fallit animus, planè utilem, ne dicam necessariam ; præsertìm cùm Cajetanus etiam noster suî valdè dissimilis scripserit, se credere quidem animam rationalem incorruptibilem esse, at nescire tamen (1). Quâ in re cum Henrico et Scoto ex parte consentit, quos idem miris olìm modis exploserat ; ex parte, inquam, quoniam non alios quidem, sed se scire inficiatus est.

Ut ergò hæc controversia, quàm fieri poterit, accuratissimè constituatur, principio argumentabimur, hanc quæstionem nullo modo ad fidem attinere, deindè non posse naturæ ratione demonstrari.

1. Docet porrò Augustinus, idque non semel, sed sæpiùs, non esse fidei quæstionem, an animæ rationales ex traduce sint, an potiùs ex nihilo in singulis oreentur singulæ. At si anima hominis ex traduce vi seminis propagaretur, sine dubio esset ut generabilis, ità etiam corruptibilis.

2. Dein Sadducæi existimabant animum hominis esse mortalem ; nec tamen habebantur hæretici ; quin ut religiosos eos colebat fidelis populus.

3. Prætereà, quatuor sunt Scripturæ testimonia, quibus vel maximè animorum immortalitas doceri potest. Unum illud est Eccles. 12, 7 : *Donec revertatur pulvis in terram, undè erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Alterum Sap. 2, 23 : *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Tertium Matth. 10, 28 : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Quartum, quo Dominus in Evangelio utitur, Matth. 22, 32 : *Ego sum Deus Abraham, Isaac, et Jacob. Non est Deus mortuorum, sed viventium.* Etenim quod Augustinus, q. 33 in Num., affirmat, ex lege Moysis esse cæteris evidentius, id ne probabile quidem mihi videri solet, ut animas ab interitu [illegible] cemus. Ex quatuor autem illis, qu[illegible] Augustinus referuntur, primum [illegible]p. 9, infirmum esse addocet lib[illegible] credunt animas per propaginem gene-[illegible]. Infirmum ergò etiam est contrà eos qui dixerint eas cum corporibus interire. At sicut scriptum est, ait, *donec spiritus redeat ad eum, qui dedit illum*, sic etiam legimus : *Spiritus vadens, et non rediens.* Secundum item refellet fortassè quispiam dicens, non ibi de animâ sermonem esse, sed de homine, quem Deus per gratiam fecit à principio immortalem. Undè statìm subjicitur : *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Tertium autem de morte spirituali animæ, hoc est, de æternâ, interpretari licet, de quâ illud habes : *Dentes leonis, dentes ejus interficientes animas hominum.* Quæ res suadetur quia protinùs additur : *Eum timete, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittendi in gehennam.* Quarè D. Thomas nec in primâ parte, nec in Summâ contrà gentes, nec in quæstione de animâ hoc testimonium voluit usurpare. Nam quartum de resurrectione agit, non de immortalitate. Sic enim Dominus ait : *De resurrectione autem mortuorum non legistis*, etc. Nihil verò prohibet, ut anima cum corpore simul intereat, et posteà cum corpore simul exsurgat. Non ergò fidei decretum est animas esse immortales.

4. Quòd verò naturali argumentatione animæ immortalitas nequeat ostendi, illa prima conjectura est, quòd cùm Ambrosius et Augustinus, ut id probarent, omnes nervos intenderint, nihil omninò confecêre. Non autem præcellimus Ambrosium et Augustinum.

5. Ad hæc, cùm Scotus, Jandunus, Cajetanus divi Thomæ rationes expenderint, viri scilicet magno ingenio, magnâque philosophiæ eruditione præditi, at pronuntiaverunt tandem, rem non esse demonstratam, sed creditam. Non est autem verisimile rationes eas, si evidentes essent, ac lucidæ, nullum evidentiæ lumen acribus acutisque oculis allaturas.

6. Prætereà, Aristoteles non idem semper in hâc re, sed tùm hoc, tùm illud scripsit ; non est ergò probabile, eum in tantâ varietate et inconstantiâ certam exploratamque animæ immortalitatem habuisse. Nam quòd pro animæ rationalis incorruptione aliquandò senserit, ut cætera loca omittam, quæ et D. Thomas, 2 advers. gent., cap. 79, et Ferrariensis, in commentariis, afferunt, is locus planus et expeditus est, qui secundo libro de Gener. animæ capite tertio habetur, ubi apertè docet Aristoteles, mentem hominis non in seminis virtute esse, ut reliquas animas, sed extrinsecùs advenire. Quòd si non educitur de potentiâ materiæ, nec à generante homine vi seminis editur, certè subsistens est, nec à materiâ dependet. Quòd verò de hâc sententiâ interdùm etiam desciverit [illegible] jetanus multifariàm suadet, et [illegible]augere, si sua fit verisimile, primò [illegible] in lib. 3 de Animâ, aniprinci[illegible]tatem, nisi incidat in errorem Averrois, vel in Pythagoræ deliramentum. Secundò, quia libro primo de cœlo asserit, quidquid incorruptibile sit, id perpetuum etiam fuisse. Tertiò, quia in Ethic. Lib 1, Solonem reprehendit, qui asseruerit, post mortem veram superesse hominis beatitudinem. Undè et deplorat brevem hominis felicitatem, et opes, ac divitias tanquàm felicitatis adjumenta requirit. Nec de hominis animo post mortem verbum ullum in illo reperies. Non est autem credibile, eum, si existimaret animam esse immortalem, nec de modo, quo intelligeret separata, nec de ejus felicitate quidquam vel breviter perstricturum. Quartò, ex prooemio libri de Animâ, ubi illud fundamentum jecit, si intelligere est phantasia, aut non sine phantasiâ, non contingit animam separari ; in tertio autem libro posuit antecedens, quòd intelligere non est sine phantasiâ ; undè et consequens, etc. Quintò, quia non Gregorius Nyssenus modò, quem div. Thomas refert, verùm etiam Justinus Martyr, in libro admonitorio gentium, et Theodoretus, libro quinto de Curat. gr. Affect., consentiunt, Aristotelem animorum immortalitatem nega-

(1) In cap. 9 Epist. ad Romanos contrà scripserat, et in part. 2, et in lib. 3 de Animâ.

quippè *nemo vidit unquàm*, nec Moyses, nec Joannes, nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Evangelistæ: *Unigenitus, qui est in sinu Patris,* qui vidit arcana, *ipse enarravit.* Ne verò hoc ad divinitatem Filii, non etiam ad humanitatem referatur, tùm ratio prohibet, tùm auctoritas. Ratio illa est, quòd Christus testis veritatis erat à Patre destinatus, non solùm quia Deus, sed quia homo. Quarè ex utrâque naturâ opus erat testimonium esse perfectum. Auctoritas ejusdem Christi est, quia hanc rem posteà manifestiùs exposuit, inquiens: *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur,* etc. Et protinùs: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Quo loco verè Cajetanus et diligenter advertit, verbum *ascendit*, non præsentis, sed præteriti temporis esse; quæ res ex græco exemplari patet. Quod enim Joannes aptè dixerat: *Deum nemo vidit unquàm*, id nunc aliis verbis Christus ait: *Nemo ascendit in cœlum.* Tunc enim homo secundùm animam in cœlo esse dicitur, quùm videt Deum. Quo sensu latroni dictum est: *Hodiè mecum eris in paradiso.* Et Angeli in custodiam hominum definiti, quia semper vident faciem Patris, qui in cœlis est, semper quoque in cœlis esse dicuntur, quamvis in terrâ sæpè sint. Antè Christum ergò sicut nemo viderat Deum, ità nemo in cœlum ascenderat. Ut autem quasi manu tangeres, sermonem de Christo secundùm naturam humanam fieri, appositè subjunctum est: *Filius hominis, qui est in cœlo.* In quam sententiam Patri ipse posteà locutus est: *Volo, Pater, ut ubi sum ego, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Joan.* 17, 24. Nec Baptista hanc Christi in testificando perfectionem tacuit, imò in hâc quoque re suum Joan. [illegible] testimonio excelli professus est, inquiens, Nec verò insciu[illegible] [v]idit, et audivit, hoc testatur. loca ad Christi divinitatem retun[illegible] [theo]logos hæc ferè Christus et videbat Deum, et ubique erat. Sed [illegible] bellum erat illis cum Arianis et Eunomianis acerrimum, ob idque omnibus testimoniis, quibus poterant, Christi Deitatem asserebant, præsertìm cùm res erat in promptu et facillima, quemadmodùm fermè in præscriptis locis. Nam illud: *Nemo ascendit in cœlum, nisi Filius hominis, qui est in cœlo,* quo pacto verè ac propriè in divinitatem quadrare possit, non satis intelligo. Non enim Filius hominis, quia Deus erat, tunc in cœlum ascenderat, sed quia homo. Quomodò autem in cœlum ascendisset, nisi secundùm animam, vix explicari queat. Cogor itaque cum Cajetano hunc Evangelii locum ad adstruendam animæ Christi gloriam urgere.

Quintum testimonium, quo D. Thomas uti[tur], exstat ejusdem Evangelii capite octavo: *Et si e[go t]estimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio undè veni, et quò vado.* Et posteriùs: *Si dixero quia nescio Deum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum et sermonem ejus servo.* Quòd enim sermo sit de scientiâ, ut à fide distinguitur, illa verba videntur ostendere: *Ero similis vobis, mendax.* Judæi quippè fidem habebant eo tempore, quàmvis cum Christo certarent. Quòd autem secundùm humanitatem loqueretur, illud probat: *Scio eum, et sermonem ejus servo.*

Hoc verò divi Thomæ argumentum video refutari posse. Quoniam est quædam scientia sanctorum, quæ cum charitate conjuncta est, quàmvis evidentiam non habet. *In hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observamus. Qui dicit se nôsse Deum, et mandata ejus non servat, mendax est,* 1 Joan. 2, 3. De hâc scientiâ si quis contendat Christum Joannis cap. 8 sermonem facere, vix refelli poterit. Quin dicet fortassè quispiam, hæc divi Thomæ argumenta probare id quidem quod deceat, non id tamen, quod oporteat. Ità congruentia illa esse, cogentia non item. Sed nos primùm non id agimus, omnia divi Thomæ argumenta, ea etiam quæ ad certam theologiæ conclusionem probandam afferuntur, certa esse et necessaria. Nimirùm enim in veteribus quoque theologis, in summis Ecclesiæ pontificibus, in conciliis tandem quædam argumenta invenias, quæ suadeant quidem, non cogant; at certis aliis exploratisque permixta, non modò totum disputationis corpus exornent, verùm etiam confirment. Probabilia igitur argumenta necessariis adjuncta, tantùm abest ut reprehendenda sint, ut sint etiam commendanda. Quanquàm istis equidem argumentis utor, dùm adsunt; cùm absunt, non requiro. Illud hujus generis videtur esse: *In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi,* Coloss. 1, 3. Illos autem in Christo non fuisse omnes, si scientia ei beatorum defuisset. Simile est hoc, Christum fuisse caput, non solùm hominum, sed etiam angelorum, Eph. 1, Coloss. 2. Incongruens verò esse, ut membra capiti scientiâ et claritate antecellerent. In hoc denique [pr]obabilium genere forsitan et illud est, 2 Cor. 3, *[illegible] possent inten[illegible] [ministra]tio mortis fuit in gloriâ, ità ut non [illegible] faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus quæ eva[cuatur] [illegible]. Nam nec glorificatum est, quod clarum [illegible]riùs; propter excellentem gloriam. Si enim quod evacuatur, per gloriam est, multò magis quod manet, in gloriâ est,* etc., usque ad illud: *Nos autem revelatâ facie,* etc. Non ergò decebat, ut primus novi testamenti minister spiritûs atque animæ gloriâ careret, ex quâ non solùm facies, sed totum corpus glorificaretur, ex integro, Matth. 27. (Vide Orig., hom. 12 in Exod.) Hæc igitur dicta in primis sint.

Deindè (quæ res certè est animadversione dignissima), non mihi illi probari possunt, qui ea in theologiâ argumenta confundunt, quæ id, quod decet, ostendunt; quasi non interdùm idem etiam oporteat, quasive indecora omnia paria sint, et non sint quædam à quibus et ratio, et theologia omnis abhorreat.

Sanè argumenta, quæ confirmant esse quidquam in religione nostrâ congruens et decens, ea omninò bipartita sunt. Quædam enim sunt ejusmodi, ut etiam si

(1) Affirmat Hieronymus Christum juxta suscepti corporis dispensationem à Patre audire quid loquatur; ergò juxtà humanam naturam et vidit, et audivit, etc. (In Isa. c. 50.)

non exstitisset ea res, quæ probanda sumitur, nihil tamen inconsentaneum emergeret; ut cùm theologi ostendunt, decuisse, ut Deus ad reparandum humanum genus, carnem sumeret; utque ex divinis personis filius is esset, decuisse, cæteraque id genus plurima, quæ decentia fuisse vel maximè theologus probat quidem; sed quandò alia Deus remedia peccato nostro parâsset, quæ innumera sine dubio potuit, nullum rationis incommodum, nihil Deo indecorum haberetur. Talia verò argumenta nil profectò in theologià demonstrant, sed solùm explicant, id quod fide credimus, congruentissimum Deo nobisque fuisse. Altera argumenta sunt, quæ ita monstrant quidquam consentaneum esse, ut nisi res sic se habeat, aliquid semper emergat, quod nullo modo aut divinæ naturæ, aut rationi humanæ consentiens videatur. Ut Divam Virginem intactam exstitisse post partum, Scriptura sacra in sensu litterali nusquàm forsan edocuit; ità tradit apertè, in conceptu et partu virginem exstitisse. Sed quoniam indecens Virgini erat, ut integritatem tàm singulari et miraculo et mysterio conservatam ipsa posteà volens, ut dicitur, et prudens labefaceret, et quæ præter naturæ ordinem incorrupta permanserat, eadem se exponeret corruptori, adeò fidelium animis inhæsit perpetuæ hujus virginitatis firma sententia, ut etiamsi nulla fuisset apostolica traditio, ea tamen ratio esset idonea ad faciendam fidem iis qui non ad contentionem informati, sed ad disciplinam sunt vel mediocriter instituti. Nec aliter ego puto, in præsenti quæstione philosophandum. Cùm enim ostendimus non decere, ut Verbum Dei animam intellectualem imperfectam, scientiàque ac sapientià vacuam assumeret, causam nos obtinuisse arbitramur. Quia res contraria scilicet adeò indigna Verbi sapientià et providentià est, ut ne verisimilis fiat quidem, si de unione personali Verbi et animæ rectè sentimus. Consentiamus igitur, cæteris Ecclesiæ sanctis gratiam per partes distributam, nempè *secundùm mensuram donationis Christi*, at Christo ipsi non fuisse datum spiritum ad mensuram. Tantam enim gratiam dari congruebat, quantam anima capere illa posset, tantam, quantam in rebus esse ipsa gratiæ natura pateretur. Quod verò de spiritu gratiæ dicimus, id ut de spiritu sapientiæ, scientiæ intellectùsque dicatur, subest omninò causa eadem. *Tantò enim melior omnibus est angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*, Hebr. 1, 4. Itaque unctus est à Deo oleo exultationis præ participibus suis. Non ergò solùm habuit parem cum angelis felicitatem, sed multò etiam majorem. Quocircà, ut fruebatur, ità quoque videbat Deum. Quod qui negant, ii non ab scholà modò, verùm à theologiæ veteris institutione desciscunt.

Ambrosius, de Incarnat. Dom. sac. cap. 7 : « Deus « in carne perfectionem naturæ assumpsit humanæ, « suscepit sensum hominis, » etc. Perfectam ergò animam assumpsit Verbum, non imperfectam. Et liber 7, epist. 47 ad Irenæum : « Accepit plenitudinem naturæ « et perfectionis humanæ; sicut Deo nihil deerat, ità « nec hominis consummationi, ut esset perfectus in « utrâque formâ, undè et David dicit : *Speciosus for-* « *mâ*, » etc.

Augustinus, in lib. de Trin. : « Mox ut Verbum « venit in uterum, factum est perfectus homo. » Et super Exod. : « Non habuit omninò Christus juxtà « animæ meritum, quo posset proficere. » Et illum vers. Ps. 64 : *Beatus quem elegisti, et assumpsisti*, de unità humanitate interpretatur.

Remigius in illud : *Et ecce aperti sunt ei cœli*, « sed « numquid tunc primò, aperti sunt ei cœli, etiam se- « cundùm humanam naturam? Fides enim Ecclesiæ « tenet, quòd non minùs aperti sunt ei cœli antè « quàm post. »

Græcus, quem refert sæpissimè div. Thomas in Catenâ, quamvis hoc loco vitiosa sit lectio, et tribuatur Gregorio Nazianzeno : « Dicitur, ait, secundùm hu- « manitatem proficere, non quòd ipsa suscipiat au- « gmentum, quæ ab initio fuerit perfecta, sed ex eo « quòd paulatìm manifestabatur. »

Damascenus, lib. 3 : « Qui proficere dicunt Chri- « stum gratiâ, non venerantur unionem, quæ est se- « cundùm hypostasim. »

Theophylactus : « Divina erant quæ dicebantur et « agebantur à puero, non quasi duodecim annorum, « sed quasi perfecti viri. Evangelista verò interpreta- « tur quid sit proficere illum sapientià : subdit enim, « et staturâ. Profectum enim ætatis, sapientiæ dicit « profectum. »

Hieronymus, in Isa. cap. 7 (1) : « Licet multa post « secula de eo Evangelista testetur : *Puer autem pro-* « *ficiebat*, etc., et hoc dicatur, ut veritas humani cor- « poris approbetur; tamen adhùc pannis involutus « habebat boni malique judicium, ut per hæc verba « noscamus, infantiam humani corporis divinæ non « præjudicâsse sapientiæ. » Et in Jerem. c. 31 (2) : « Juxtà incrementa quidem ætatis proficere videbitur « sapientià, sed perfectus vir in utero femineo con- « tinebitur. »

Leo, epist. 65, ad Leonem Aug. : « Deitas assum- « ptam naturam beatificans, ut glorificata in glorifi- « cante permaneat. » Loquebatur autem de incarnatione. Et alio item loco Cyrillum citat in hæc verba, « Assumpsit Verbum humanitatis naturam in suâ « ratione perfectam. » Et Cyrillus ipse, in Joan. lib. 1 cap. 17 : « Vidimus, inquit, gloriam Christi adeò su- « blimiorem creaturarum gloriâ, ut mentis quisque « compos nulli alii, quàm unigenito Dei filio illam « convenire fateretur. Plenus enim erat veritate et « gratiâ. Non enim mensura sibi datur ut cæteris, sed « ut inperfecto perfecta inest. Sed si plena est, in- « quies, gloria ejus gratiæ et veritatis, quomodò sa- « pientià et gratià profecisse apud Lucam scribitur? « aut quid accedere potest ad plenum? Illorum potiùs « de Jesu opinio, quàm illius perfecta crescebat gratia, « ut magis in dies cognoscentes, magis illum proce- « dere ac gratià crescere arbitrarentur. » Vide etiam cap 20, in illud : *De plenitudine ejus omnes accepimus.*

(1) In illud : *Ut sciat reprobare malum*, etc.
(2) In illud : *Novum creavit Dominus*, etc.

Multa sunt ejusmodi veterum testimonia, quæ nos gratiâ brevitatis omittimus, cùm hæc etiam, quæ recitavimus, sine ullâ aut expositione aut argumentatione perstrinxerimus. Nunc argumenta contrariæ partis breviter quoque refellemus. Non enim hoc loco volumus, nisi per quasdam summas et signa data rudiores admonere, ut in similibus quæstionibus, quæ non sunt theologorum usu contritæ, se diligentiùs versentur. Invenient quippè semper, si quæsierint; atque in præsenti etiam quæstione non dubito eum longè plura inventurum, cui et uberior lectio, et major eruditio fuerit.

Primum autem argumentum nihil difficile est, si intelligamus justitiam ibi et fidem pro justis et fidelibus usurpari, cujus rei non modò Hieronymus auctor est, in comment. super Isaiam, sed 70 etiam Interpretes. (Vide div. Thom. p. 3, q. 7, art. 3.)

Ad secundum facilior adhùc responsio est. Dicitur enim Deus spes Christi, quia in Deo erat fiducia ejus, non in homine. Item quia multa etiam à Deo sperabat, quàmvis non speraret gloriam animæ quam jam habebat. (D. Thom. p. 3, q. 7, art. 4.)

Ad tertium vide S. Thomam, part. 3, quæst. 15, art. 7.

Ad quartum vide S. Thomam, part. 3, quæst. 7, art. 12. Ubi etiam respondet illi Evangelii testimonio. Ac nos etiam paulò antè veteres referebamus non paucos, qui nullo modo admitterent, aut gratiam, aut sapientiam Christi potuisse in seipsam aliquandò proficere; adeò plenus ab initio et gratiâ et sapientiâ fuit. Sed qui in hominum existimatione crescit, tametsi idem ipse omninò perseveret, eum dicit Scriptura crescere: *Proficiebat David valens et crescens*, 1 Paral. 11, 9. Item: *Crevit Josaphat, et magnificatus est usque in sublime*, 2 Paral. 17, 12. Item: *Illum oportet crescere, me autem minui*, Joan. 3, 30. Quia verò sæpè quod hominibus altum est, abominatio est antè Deum, ne existimares ostentationem esse præstigiosam et pharisaicam: *Talis*, inquit, *erat Deo intùs, qualem se homini exhibebat foris, nec hominibus probabatur solùm, sed etiam Deo*. Voluit enim Evangelista illud forsitan commemorare, quod de Samuele scriptum est, 1 Reg. 2, 26: *Puer autem Samuel proficiebat atque crescebat, et placebat tàm Deo quàm hominibus*. At D. Thomas docet, Christum crevisse in effectibus et operibus gratiæ et sapientiæ; quia in dies perfectiora opera faciebat. Quod autem in effectu crescit, hoc crescere quandoque dicitur. Ut ibi: *Verbum Dei crescebat*, Act. 6, 7, et rursùm: *Fortiter crescebat verbum Dei*, ibid. 19, 20.

In quinto argumento duo testimonia referuntur, quibus Ariani Filii sapientiam atque adeò divinitatem impugnare sunt soliti. Quæ causa quibusdam Patribus fuit, ut ea de Filio juxtà humanam naturam interpretando, satis se putârint adversariis respondisse. Ac reverà in eâ pugnâ, quam, cum Ario gerebamus, sat illud erat, ut in hâc parte ictus ejus conatusque omnes eluderentur. Sed nobis opus est universos errores evincere, et Christi etiam animam ab omni ignoratione vindicare, quæ de ejus dignitate quidquam detrahere videatur. Ambrosius porrò, libro quinto de Fide, cap. 8, non audet asserere, tametsi cum Ario disputabat, Christum secundùm humanitatem, aut in sapientiâ profecisse, aud quidquam penitùs ignorâsse, si hæc vocabula propriè capiamus. Contrariam verò sententiam nonnullos ait tenuisse; sed *qui fuerint*, inquit, *intimidiores, quàm ego sum*. Divus sanè Thomas non dubitat, vel ejusdem Ambrosii auctoritate, confirmare Christum non secundùm scientiam aut beatam aut infusam, sed secundùm aliam acquisitam seu experimentalem quippiam aliquandò ignorâsse, quod posteà didicerit. Didicit enim ex iis, quæ passus est. Itaque si de scientiâ hâc experimentali sermo sit, Pater demonstrabat Filio ea quæ faciebat per illum mirabilia; majora tempore futuro demonstraturus, quoniam et majora facturus. Secundùm hanc scientiam item diem judicii nescivit, antequàm esset; nam tunc experietur, cùm judicium fiet. Probabiliter dicta sint hæc, non negamus; verum nihil necesse est in has nos angustias conjicere, quippè cùm sit alia horum locorum intelligentia sanior. Ac de priore quidem testimonio sic sentio. Reprehensus fuerat à Judæis Christus, et quòd sabbatum solveret, et quòd se æqualem faceret Deo. Respondet ergò simul utrique calumniæ in hæc verba: *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*. Ubi primùm sic potentiæ æqualitatem agnoscit, ut nihil sibi arrogare videatur. Agnoscit enim Patris etiam auctoritatem, cui accepta refert quæcumque facit. *Non potest*, ait, *Filius à se facere quidquam*. Deindè itâ arguentes redarguit: Cur me, ô Judæi, reprehenditis? Eâdem certè ratione et Patrem meum reprehenditis. Quoniam non ex meo capite, ut dicitur, quæ facio, ea ego confingo; nec affectu et libidine opera edo, sed à Patre accepi id, quod facio: *Non potest*, etc. Non autem somnio accipio aut opinione aliqua commentitia, sed visu certissimo atque clarissimo cerno et comprehendo operantem Patrem, et quæcumque ille facit, hæc ipsa eadem ego non clausis oculis, sed videns similiter facio. Si ergo me carpitis, quasi opera illicita faciam in sabbato, facio autem eadem quæ Pater meus, eodemque modo facio; coarguite, si itâ lubet, Deum ipsum, quem ego operum omnium meorum auctorem et principium habeo. Ut autem probet se videre Patrem facientem opera, subdit: *Pater enim diligit Filium*: ideòque nihil illum celat, sed in conspectu ejus, ipsoque adeò cernente omnia facit. Nec solùm quæ antehàc fecit, ea coràm Filio fecit, sed et majora, quæ facturus est, in conspectu Filii, Filioque proindè spectante simulque faciente, faciet. Quibus verbis non negat Filium intelligere res priùs omninò quàm fiant, sed humano more loquitur, et se nostris sermonibus accommodat. Tunc enim res ostendere dicimur, cùm itâ præsentes sunt, ut non ad intellectum, sed quasi digito ad sensum demonstremus. Quæ est nobis certitudo maxima. Nec obstat quòd verbo futuri utitur, *demonstrabit*, in his, quæ æterno Deo præsentia sunt. Sic enim solet Scriptura nobis, nostroque tempori res æternas attemperare. Pater siquidem Verbum et genuit, et gignit, et semper gignet. Quanquàm qui subjungit: *Ut vos miremini*, is de demonstratione quâ-

dam futurâ videtur loqui, quæ cæteris etiam pateat. Quarè ex hoc loco nihil contrà gloriam animæ Christi haberi potest.

Posterius quoque testimonium nihil contrà nos facit. Primùm, Hieronymus, in Matth. 24, Ambrosiusque, lib. 5 de Fide, negant, illa verba, *Neque Filius,* nisi in paucis quibusdam græcis exemplaribus haberi. Quin Ambrosius contendit, ea ab hæreticis esse interposita. Eadem quippè lectio Matthæi et Marci erat. Matthæi verò Evangelium Ariani corruperant, eisdem quoque verbis adjectis, quæ modò nec latina, nec græca exemplaria habent. Deindè etiamsi ità fuisset ab Evangelistis scriptum, in eo sensu Filius nescire dicitur, quia scire se dissimulat, nec vult aliis revelare. Pater siquidem scit quia Filio manifestat; Filius nescit, quia occultat, nec alios scire facit. Quòd autem verbum, *scire,* in hunc modum aliquandò accipiatur, et usu vulgi contrito liquet, et Ambrosius probat ex illo Gen. 18, 21 : *Descendam, et videbo utrùm clamorem opere compleverint; an non est ità, ut sciam.* Simile est illud Ps. 52, 3 : *Deus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens,* etc. (1). Et ubi nos habemus : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat an diligatis eum,* editio 70 habebat : *Ut sciat an diligatis eum.* Sed de hâc re vide Ambrosium, Hieronymum, Augustinum ac Patres cæteros. In his enim, quæ pervulgata sunt, longus ego esse nec debeo, nec volo.

Ad sextum respondet egregiè D. Thom. p. 3, q. 19, art. 3; vide illum. Primum verò testimonium, quo illa ratio confirmata est, verba proximè antecedentia explicant. *Si posuerit,* ait, *pro peccato animam suam, videbit semen longævum,* etc., et statìm : *Pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit et saturabitur.* Secundum testimonium D. Thomas sic interpretatur, ut dicat Chrristum meruisse manifestationem unctionis quidem, juxtà illud : *Propter quod Deus exaltabit illum,* etc., sed unctionem ipsam non meruisse; in Scripturâ autem tunc rem aliquam fieri aliquandò dici, cùm innotescit : *Data est mihi omnis potestas,* etc. Quia ergò Christus dilexit justitiam, etc., ideò exaltavit eum Deus in regem dæmonum, hominum et angelorum; ungere enim est regem constituere.

Respondet item, idque meliùs, hunc sensum esse, ut virga directionis esset virga regni tui, ut diligeres justitiam, etc., propterеà, id est, ut hæc egregiè faceres, unxit te Deus oleo, etc. Illud est simile : *Homo ridet, flet, discurrit, propterеà intellectum habet, et animam rationalem.* Non enim necesse est, ea quæ antecedunt, causam esse eorum, quæ sequuntur. Ut ibi : *Propterеà sapientia Dei dixit,* etc., Luc 11. Nec si diceretur expressè : *Unxit te Deus oleo lætitiæ, quoniam dilexisti justitiam,* etc., quidquam contrà nos faceret. Nam more Scripturæ fit, ut interdùm effectus loco causæ ponatur. Ut ibi : *Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus,* Ps. 16, 6.

Tertiò demùm respondere possumus, actiones Christi non fuisse meritorias causas unctionis, sed quasi materiales et dispositivas. Docet enim D. Thomas, tertiâ parte, quæstione trigesimâ quartâ, articulo tertio, sanctificatum fuisse Christum per proprium actum. Quemadmodùm ergò verè dicimus, materiam ligni fuisse calore dispositam, propterеà fuisse ignitam; hominem fuisse contritum, propterеà ei gratiam justificationis esse donatam : sic dicere Propheta potuit, Christum optimos actus in primo instanti habuisse, propterеà fuisse oleo Spiritûs sancti perunctum. Nec opus est, ut vox illa, *propterеà,* causam efficientem aut meritoriam denotet, sed satis erit, si sit causa quæ disponat subjectum, quasi materialis.

De tertio verò testimonio sic habeto. Divus Thomas existimat, in eo psalmo de resurrectionis æternâ vitâ agi non solùm in Christo, sed in membris. Nam illa omnium capitis et membrorum resurrectio, vitaque plena deliciis, fructus passionis Christi fuit, qui, ut Paulus ait, *conresuscitavit nos, et consedere fecit in cœlestibus,* tunc scilicet, cùm ipse excitatus sedit à dextris Dei. Si ergò Christus in hoc loco non in personâ suâ modò, sed in membrorum personâ loquitur, nihil est difficile intellectu. Quòd si Saulo dicebat : *Cur me persequeris?* quia membra ipsius Paulus insectabatur, dicere quoque potuit Patri : *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Quoniam gloria nostra gloria Christi est, non minùs quàm ignominia laborque noster Christi omninò est. Mox etiam non video equidem, cur non propriè de Christo ipso accipiamus, quòd post resurrectionem adimpletus lætitiâ fuerit cum vultu Dei. Antè enim et corpus vacuum erat eâ voluptate, quæ à visione Dei in corpus emanat, et anima non undique plena erat lætitiâ; quin appetitus sensitivus totus tristitiæ angorique patebat. Post passionem ergò implevit eum lætitiâ Deus cum vultu suo. Quoniam etsi priùs Dei vultum clarè plenèque videbat, non tamen affectus appetitusque omnis plenè perfectèque gaudebat. Quâ de re in refutatione postremi argumenti nonnihil adjiciemus, quod sit animadversione dignissimum.

Quartum insuper testimonium facilem intelligentiam habet; nam et scriptum à poetâ est, Priami faciem dignam fuisse imperio. In quinto autem mercedem Christi Isaias vocat fidelium populum. *Postula à me,* inquit, *et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Undè è vestigio subdit : *Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino.* Justinus verò Martyr, in dialogo cum Tryphone, aliter legit et interpretatur hunc locum. « *En tibi,* inquit, *servator adest, qui mercedem suam* « *reddit, opusque suum antè se.* Verè enim Christus id « quod meruit, hoc est, mercedem operis sui nobis « reddidit. » At Hieronymus planè [illegible]pretatur, hoc ideò dici, quia Salv[illegible] ipse judex [illegible] omnium, ut reddat [illegible]que secundùm opera sua, justis præmia, peccatoribus [illegible]na supplicia.

De sexto testimonio denique nil aliud in præsentiâ

(1) Qui dissimulat, is exhibet se ad modum nescientis. Sic Marcus 12 : *Cùm vidisset,* inquit, *à longè ficum habentem folia, venit, si quid fortè inveniret in eâ.* Sicut ergò ille qui præstat speciem fingentis, et aliquid prudenter simulat, dicitur fingere, *fingit enim se longius ire,* sic qui gerit speciem, et formam nescientis, dissimulatque aliquid se scire, cùm nescire Scriptura dicit.

dico, nisi gloriam Christi antè passionem nondùm fuisse consummatam; sed quidquid propter nos et propter nostram salutem ad absolutam hominis glorificationem deerat, hoc non dubium est per passionem suam Christum meruisse. Sanè verò non eodem modo omnia ædificia consummantur; quibusdam enim vel parietes desunt, aliis non deest nisi tectum. Nos itaque consummamur acceptâ non solùm gloriâ corporis, verùm etiam animæ, quoniam utriusque partis gloria deerat, at Christo non nisi alterius duntaxat: quarè per illius adjunctionem consummatus est.

Ad posteriorem argumentum D. Thomas respondet, de Passionibus animæ articulo decimo ad nonum, contraria non posse esse in eodem per se quidem, sed bene per accidens, ut cùm quis in navi deambulans fertur in contrarium ejus, ad quod navis movetur: « Ità, inquit, in superiori ratione animæ Christi erat « gaudium per se, quia per actum proprium; dolor « autem per accidens, quia per corporis passionem. » Deindè respondet, quòd gaudium illud et dolor non erant contraria, quia non erant de eodem. Verùm responsum illud prius refelli potest. Quoniam locales motus si in eodem contrarii aliquandò sunt, nihil mirum est, quippè cùm tota ferè eorum substantia et ratio externus quidam respectus sit. Ità Pater et Filius relationes contrarias per se ferunt, et ordine ad diversos terminos esse in eodem verè possunt. At in formis et qualitatibus absolutis id fieri nequit, ut sive per se, sive per accidens duo contraria in eodem subjecto sint. Pugnat enim cum naturâ rerum, ut aqua simul calida et frigida sit, præsertìm in summo; nec si quis contendat alterum esse per se, alterum per antiperistasin. Gaudium verò et tristitia qualitates sunt absolutæ. Sed et posterius responsum quispiam coarguet, quoniam Christus videns rationes in Dei essentiâ divinas, de suâ morte lætabatur, quam cernebat Dei et rationi et voluntati conformem. Tristabatur autem de eâdem, quia erat malum naturæ contrarium. Quarè objectum materiale gaudii atque tristitiæ idem erat. Ut gaudium porrò tristitiæ contrarium sit, sat est utrumque in materiali objecto convenire. Nam formalis gaudii tristitiæque ratio discrepat semper, sive de eâdem re, sive de aliâ atque aliâ tristemur et gaudeamus. Non ergò negare possumus, si in Christi voluntate gaudium summum summaque tristitia de morte suâ fuit, quin duo simul in eodem fuerint contraria. Atque hæ animi affectiones se vicissìm expellunt, tametsi non res eadem objecta est. Nimirùm enim, cùm pellere tristitiam volumus, aliis non modò rationibus, sed rebus etiam gaudere curamus. Quod argumentum est eas affectiones esse contrarias.

Cæterùm difficultas hæc tribus modis videtur expediri. Primùm enim dicet fortassè quispiam, in appetitu intellectuali Christi, quæ voluntas propriè vocatur, [illegible] tristitiam exstitisse. Quoniam illa animæ portio Deo fruebatur [illegible] plenissimè. Quemadmodùm autem à superiore potentiâ non derivabatur gaudium ad inferiores, ut salutis nostræ mysterium in Christi passione transigeretur; sic ab inferiore potentiâ non perveniebat ad superiorem dolor. Non fuit itaque in Christi voluntate tristitia, sed in appetitu sensitivo fuit, qui propriè tristitiæ subjectum est. Quam sententiam visus est Dominus significare, cùm ait, Matth. 26, 38: *Tristis est anima mea.* Appetitus enim animalis, quia animalis est, non est intellectualis, sed sensitivus. Cui etiam sententiæ favet D. Thomas p. 3, quæst. 15, art. 4 et 6, et qu. 46, art. 7 et 8. Nam Scoti argumenta abundè refutat Cajetanus. Quod si verum est, jam contraria non sunt in eodem subjecto proximo; sed gaudium in voluntate, tristitia in appetitu sensitivo. Ideòque propriè ne contraria quidem sunt. D. Thomas p. 3, q. 18, art. 6, in corp., et q. 46, art. 8 ad 1.

Huic verò responsioni illud objicitur, quòd Dominus habuit in voluntate actum, quo mortem verè noluit; at tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt, ut Augustinus ait. Prior propositio, quanquàm eam Cajetanus negat, probatur, primò ex divo Thomâ, p. 3, qu. 18, art. 6, ubi dicit, quòd voluntas naturalis et voluntas sensualitatis aliud voluit in Christo, quàm divina voluntas. Et art. 5, refert Augustinum contrà Maximinum, in hæc verba: « In hoc quod Christus « ait: *Non quod volo, sed quod tu*, aliud se ostendit vo- « luisse, quàm Pater; quod nisi humano corde non « posset. » Ac reverà ex illo Evangelii testimonio non solùm sancti veteres, sed synodus sexta sub Agathone collegit, et duas voluntates in Christo, et duas voluntatum operationes. Sanè qui ait: *Non sicut ego volo*, is actum voluntatis apertè significat. Verùm Cajetanus elaberetur dicens, appetitum sensitivum vocari interdùm voluntatem. De quâ Ambrosium hunc Evangelii locum explicare, divus ipse Thomas interpretatur p. 3, q. 18, art. 2. Quin D. Thomas quæstionis decimæ octavæ tertiæ partis articuli quinti argumentum tertium non poterat refellere, si admisisset, Christi voluntatem aliquid velle, quod non habuerit: « Beatus « enim est, ut Augustinus docet, qui habet quæcum- « que vult. » In reliquis certè beatis probabilissimè Cajetanus ejusmodi volitiones negat, quoniam in illo statu otiosæ sunt. Cùm ergò Christus secundùm intellectum et voluntatem perfectè fuerit beatus, non videtur ejusmodi volitiones habuisse.

Possumus deindè postremum hoc argumentum eludere, etiamsi dicimus, id quod reverà probabile est, in voluntate Christi intellectuali, quæ propriè voluntas est, non tristitiam modò, sed summam maximamque fuisse. Quia enim in hostiâ pro peccato cordis contritio voluntatisque tristitia potissimè desideratur: *sacrificium* quippè *Deo spiritus contribulatus*, etc., et tristitia spiritualis hæc contraria est peccato medicina, quod sedem suam præcipuè in voluntate habet, consentaneum profectò erat, ut Filius Dei hostiam se pro peccato exhibiturus, non solùm corporis et animæ sensitivæ dolores, sed angores quoque spiritûs et voluntatis tristitiam susciperet, quo pro culpis nostris omnibus hostia illa Deo acceptissima omnibus omninò modis contereretur. Sic verè *languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit,*

Isa. 53, 4. Sic non modò *vulneratus est propter iniquitates nostras*, sed *attritus est propter scelera nostra. Sic disciplina pacis nostræ super eum, et livore atque dolore ejus sanati sumus.* Sic *Dominus eum voluit infirmitate conterere*, qui posuit *pro peccato animam suam.*

Augustinus insuper, de Civ. Lib. 14, asserit, Christum eos naturæ nostræ defectus suscepisse, qui perfectioni gratiæ non repugnant quidem, sed de amore boni et sanctà charitate veniunt. At commendat magis charitatem suam Christus, si tristitiam quoque eam Deo pro culpis nostris in sacrificium præbuit, quam nos Deo pro illis debemus maximè. Planè item Ambrosius ad Gratianum imperatorem dixit: *Sicut susceperat voluntatem meam, suscepit tristitiam meam.* Nam voluntas propriè appetitus intellectualis est. Et velle propriè actus voluntatis est; ait autem: *Non sicut ego volo.*

Voluntatis etiam dolor hominis propriè tristitia est; nam qui in solo appetitu sensitivo reperitur, hic animantis magis dolor est quàm hominis. Decuit autem, ut per dolorem propriè humanum humana peccata solverentur. Ità, cùm dixit: *Repleta est malis anima mea*, omnem animæ appetitum repletum dolore intellexit, sive sensualem, sive rationalem. Quoniam et pronomen, *mea*, rationalem magis quàm sensualem præ se fert. Ea si vera sunt, ut videntur esse, nihil obstat, cur non per potentiam supernaturalem et gaudium summum et summa tristitia in eodem subjecto fuerint; tùm quia nec propriè contraria erant, cùm oppositio debeat fieri circà idem, ut divus Thomas sæpè sumit; tùm quia quod præter naturæ ordinem à Deo fit, id in naturæ leges referre velle stultum est. Miraculum fuit, quòd idem homo esset et viator, et comprehensor; miraculum, quòd à glorià animæ nihil derivaretur ad corpus; miraculum, quòd à sup rioris gaudio potentiæ nihil solatii in inferiores redundaret; miraculum, quòd inferioribus perturbatis, nec superiores turbarentur, nec à suà perpetuà operatione cessarent, nec remitterent opus, nec quietem et delectationem vel ex minimà parte resolverent. Inter hæc miracula propter mysterium nostræ redemptionis explendum, quanquàm voluntas Deo viso fruebatur, suscepit tamen spontè tristitiam quantam maximam capere potuit; re[illegible] [illegible]em capere tantam quanta maxima esse in esset quàm charitas, [illegible] dolor pro peccatis non minor neret. [illegible] superemineret.

Sed et olìm juvenis, ut hìnc jam nos demum [illegible] cemus, coràm celebri theologorum concione diximus, quòd sicut per totam vitam Dominus gloriam animæ quasi premebat, ne in corpus efflueret, sic saltem in cruce retinuit gaudium, quod suàpte naturà ex clarà Dei notitià prodiret. Gaudium, fateor, ex Deo viso in voluntate necessariò nasci, non secùs atque ex sole lumen, calorem ex igne. Sed retraxit aliquando sol radios suos; et ne calefaceret, comprehensus est etiam ignis; quarè nihil mirum videri cuipiam debet, si in hominum redemptione per hominis unius dolores explenda voluptas omnis reprimeretur, quam aliàs ex visione Dei proficisci naturæ ratio demonstrat. Nec obstat, quòd beatitudinem Benedictus hujus nominis duodecimus definivit in visione et fruitione consistere. Christus autem beatus fuit in via. Quoniam illud pontifex tradit de beatitudine consummatà. Christus autem licet habuerit essentiam beatitudinis, non tamen accidentia, quæ indè per se etiam consequuntur; decuit enim eum per passionem consummari. Quanquàm et fruitio sine gaudio intelligi potest; fruitur enim arboris suæ fructibus tunc etiam homo, cùm per morbum voluptatem nullam capit ex eis. Ità Christus non solùm videbat, sed etiam fruebatur, quamvis derelictus à Deo, omnique penitùs solatio destitutus non gaudebat. Quemadmodùm, ut cæteri martyres, gaudium sibi futurum antè oculos posuit, ut crucem sustineret, confusione contemptà, ad Hebræos 12 cap. Ubi miris omninò modis et charitatem suam in nos commendavit et exemplum. Certè sive primo, sive secundo, seu tertio modo quæstionem solvas, miraculum facis; sed est hoc postremum eò plausibilius, quò majores in nobis igniculos excitat tùm pœnitentiæ, tùm amoris, tùm gratitudinis. Sed sit jam hujus quæstionis finis. Perspicuum est enim, in re sterili et jejunà non parvam et exiguam copiam è locis theologiæ suppeditatam. Restat tertium quæstionis genus pertractandum ejus, quæ à fide et naturà pendet, de quà re capite sequenti disseremus.

CAPUT XIII.

In quo ea quæstio vocatur in dubium, quæ cùm naturalis sit, tùm etiam ad fidem pertinet.

Disputatio de animi immortalitate. — Quoniam de eo genere argumentorum dictum est, quæ et ad fidei principia explicanda spectant, et ad conclusiones theologiæ confirmandas, deinceps de iis, quæ ad rerum etiam naturalium probationem attinent, disputandum est. Sunt autem naturales quæstiones in duplici differentià. Quædam enim solis naturæ argumentis probari possunt, aliæ fidei etiam auctoritate confirmantur. Et in naturæ ratione quidem nullum inter hæc duo genera discrimen est. Utriusque enim quæstionis argumenta ex eisdem omninò locis petenda sunt, hoc est, ex humanis disciplinis. Quæ argumenta omnia tribus ultimis locis continentur. In hoc differunt, quòd quæstiones posteriores, quoniam fidei sunt, latiùs patent, atque ex omni loco comprobari possunt. In hoc genere illa est, quam hoc capite versamus, an animus hominis immortalis sit, quem[illegible] Socrati, Platoni, Theophrasto, Themistio, [illegible] philosophis visum est: an potius [illegible] melioribusque [illegible]retio, Galeno, Plinio, Alexandro video [illegible]. Nec me verò reprehensores vituperare debent, quòd [illegible] aggrediar, quæ diligentissimè est à pluribus disceptata. In quibus D. Thomam esse constat, cujus tanta est in utramque partem argumentorum copia, ut nihil addi posse videatur. Sed quoniam fidei argumenta nulla ferè protulit, naturæ verò rationes Henricus atque Scotus probabiliter suadere aiunt, non ne-

Col. 1, 19. Et iterùm : *In ipso inhabitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Col. 2, 9. Nulla ergò ei gratiæ perfectio aut plenitudo defuit. Ità habuit gratiam consummatam, cum quâ gloria animæ conjuncta et colligata est.

Quòd autem anima illa habuerit scientiæ ac veritatis plenitudinem, probat tertiâ parte, quæstione nonâ, articulo primo et secundo, quæstione item decimâ, articulo quarto. Videlicet, non in Christo omnem plenitudinem inhabitâsse, quia plenitudo ei scientiæ defuisset. Nam, cùm venit quod plenum et perfectum est, evacuatur quod ex parte est. Non igitur cognoscebat ex parte anima Christi Deum, sed plenè atque perfectè. Quocircà non erat in eâ fides, sed visio.

Atqui hujus argumenti vim et nervos omnes Cajetanus frangit, cùm probabili ratione contendit, legi oportere : *Plenus gratiæ et veritatis*, *Joannes testimonium perhibet de his.* Frangeret sanè, si probabilis sententia esset. Verùm vulgatâ editione reprehensâ, græcis latinisque exemplaribus rejectis, interpretibus suggillatis, sanctis expositoribus explosis quid probabile fore putamus? Ecclesia certè meliùs intellexit verba illa : *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*, per parenthesim fuisse interjecta, cùm ait : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (cujus gloriam vidimus, quasi unigeniti à Patre) *plenum gratiæ et veritatis.*

Tertium pro illâ conclusione testimonium mox in eodem Evangelio sequitur : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, quia gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Quæ sententia superiori connexa, nisi cæci sumus, apertissimè ostendit, verba ea : *Plenum gratiæ et veritatis*, ad Christum esse referenda. Sed hâc re missâ, id, quod instat agamus. Accepit igitur Christus gratiam et veritatem, ut ex eo gratia in omnes et veritas emanarent. Habuit itaque maximam et perfectissimam gratiam et veritatem. Quia enim sol lucem habuit, ut inde omnia lumen acciperent, habuit nimirùm maximam et perfectissimam lucem. Quarè, sicut perfectissima lux omnes lucis effectus edere potest, perfectissimaque justitia omnes effectus justitiæ ; sic Christi gratia et veritas omnes habebant gratiæ et veritatis effectus. Undè Dionysius, cap. 4, de div. nom., ait solem, quia universalis causa generationis est, ad ea omnia suâ virtute se extendere, quæ sub generationem cadunt. At effectus præcipuus gratiæ et veritatis consummatæ est videre Deum.

Prætereà, salus humanæ naturæ finis fuit humanitatis assumptæ. Per hanc enim, tanquàm per instrumentum, operatus est Deus salutem in medio [illegible] Undè et Christum Apostolus, ad H[illegible] *[illegible]utis eorum. multos filios in gloriam* [illegible] *[illegible]um suum*, inquit, *ut ado-* Et alio [illegible] *reciperemus.* Instrumenti verò dispositio et qualitas præcipuè quidem pensatur ex fine. Salus autem animæ intellectu sano constat et voluntate sanâ. At voluntas per gratiam sanatur, intellectus per veritatem. Perfectam igitur oportuit habuisse et gratiam et veritatem eum, per quem cæteris omnibus salus futura erat, omnisque omninò et gratia et veritas. Quia principium in unoquoque genere oportet esse perfectum, sicut solem videmus in genere lucidorum, ignem in genere calidorum. A principio ergò Christi voluntas perfectè amabat Deum ex gratiâ perfectâ, et perfectè cognoscebat ex perfectâ veritate. Jam felicitas animæ in perfectis Dei et amore et cognitione sita est. Felix itaque erat ab initio Christi anima, ideòque videbat Deum.

Prætereà, illud quod est in potentiâ, reducitur in actum per id quod est in actu ; oportet enim esse lucidum, per quod illustrantur alia. Cùm ergò per Christum gratiam, veritatem, gloriam cæteri essent habituri, ipse profectò simul atque cæteros illum ad finem movere cœpit, et gratiam habuit, et veritatem, et gloriam. Eam verò motionem ab initio nimirùm inchoavit. Ea demùm, quæ à primis causis moventur in finem, quâdam solent temporis successione perfici ; at causæ ipsæ moventes à principio statìm suam, largiente, providenteque naturâ, perfectionem habent. Ut ignis cum substantiâ calorem accepit, aqua paulatìm fit calida. Cœlestia quoque corpora mox omninò suas virtutes accepêre quibus in tempore res terrestres inferioresque perficerent. Deus ergò, qui per Christi humanitatem, et gratiam, et gloriam erat omnibus communicaturus, eas licèt res cæteris in tempore largiatur, at Christi animæ ab initio statìm contulit. Nam cur non corpori gloriam ab initio daret, causæ sunt in promptu expeditæ.

Quartum pro illâ conclusione testimonium è vestigio subditur : *Deum nemo vidit unquàm : Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ubi in homine piscatore videre licet et rerum contextum admirabilem, et compositionem disciplinæ incredibilem. Quod ut perspicias, lector, quæso, diligenter attende. Nullum porrò fidei negotium ritè transigitur, si omnes testes auriti sint, oculatus nullus. Quin, ut Augustinus ait, auritis credimus, quia audierunt à fide dignis, qui oculis suis rem se vidisse testificarentur. Cùm ergò Moyses et Joannes Baptista, primus et postremus è lege antiquâ, atque adeò Prophetæ omnes, è novâ item lege Apostoli Christi testes fuerint ex auditu universi, oportuit unum esse pro omnibus, qui ex visu testimonium daret. Testis autem ejusmodi, qui non pro mille, dico, esset, sed pro mille millibus, esse non poterat, nisi et justus esset, ne scilicet vellet fallere, et sapiens etiam, ne ipse utique falleretur. Quocircà neces[illegible] plenum fuisse gratiâ et veritate [illegible]mus. Etenim [illegible] timo et absolutissi[illegible] [illegible]mus erat, quia plenus veri- quia [illegible]ssimus.

Quia igitur plenitudo testificationis et absoluta omninò perfectio ex visu est, ideòque ex auditu testis plenus veritate non est, cùm Scriptura de Joanne dixisset : *Non erat ille lux*, *sed ut testimonium perhiberet de luce ;* de Christo verò : *Erat lux vera*, etc., et de Moyse : *Lex per Moysem data est ;* illa etiam illicò nexuit : *De plenitudine ejus omnes*, Moyses, Joannes, Prophetæ, Apostoli, prorsùsque testes in universum omnes *accepimus*, quia et lux erat, et plenus gratiâ et veritate erat, et gratia et veritas per eum facta erat, et denique testis ex visu erat. *Deum*

visse. Quis autem credat, tantos talesque viros falsum testimonium dixisse? Nisi etiam Alexander Aphrodisæus insignis præter cæteros Peripateticus falsò etiam magistro suo hanc sententiam imposuit.

7. Prætereà, animorum immortalitas cum Dei ergà homines providentià adeò conjuncta et colligata est, ut qui illam negârit, is hanc quoque inficiaturus sit; qui verò hanc concesserit, eum necesse sit illam admittere, quemadmodùm suprà diximus. At Dei ergà res humanas providentia non potest esse per rationes humanas manifesta, sed solùm ex divinis oraculis exploratè percipitur. Id quod Propheta testatur, inquiens Ps. 72, 16: *Existimabam, ut cognoscerem hoc; labor est antè me, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum.* Et iterùm Ps. 93, 11: *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tuâ docueris eum.*

8. Prætereà, ad indagandam animi immortalitatem illa rectissima via est, quam Aristoteles est ingressus, nempè animi operatio propria. Sicut enim res se habet ad operationem, ità se habet ad esse. Experimento autem quotidiano ille probavit, animam nostram nihil sine phantasmate intelligere. Pendere itaque à corpore, non solùm ut species intelligibilium accipiat, sed ut eis etiam utatur, resque ipsas intelligat. Respondent, pendere animi propriam actionem à corpore, non tanquàm à subjecto, sed tanquàm ab objecto. Verùm hæc responsio refellitur, quia si, quantùm rationis lumen et sensuum indagatio docet, nulla nostra intellectio sine corpore est, nihil refert hoc, an illo modo sit; cùm utrinque probabilissimè colligatur, animam, si extrà corpus esset, in modum glirium torpentem omni opere vacaturam. Experimur siquidem, species intelligibiles et in fieri et in operari à phantasmate dependere. Hinc enim Aristoteles vacillavit, nec quidquam effecit, si effecit tamen, nisi animas cum corporibus interire; ne vanæ scilicet et otiosæ extrà corpora remanerent.

9. Confirmat autem hoc vel maximè, quòd si animus per se subsisteret, atque adeò immortalis esset, non indigeret corpore, quemadmodùm aliæ formæ, propter esse, sed solùm propter operationem. Necesse quippè est, eum species intelligibiles à corporibus per corporis sensus emendicare. Alioqui intellectus per se in naturà subsistens, ideòque à corporis gravitate et materiæ imperfectione liber, nullo se modo corpori colligaret, sed ex se haberet species ingenitas, quibus sine corporis adjumento intelligeret. Videmus autem, species à corpore acceptas à corpore etiam in operando pendere. Ideò enim necesse est intelligentem phantasmata speculari. Non ergò per illas anima à corpore separata intelliget. Alias verò species non habet superinditas. Quarè sejuncta à corpore, somno otioque torpebit, quod est absurdum.

10. Sexta insuper synodus, act. 11, tradit animam hominis non esse immortalem per naturam, sed per gratiam illam à morte coercentem. Et rursùm: « Non, « inquit, naturam propriè immortalem habent animæ, « sed gratiâ id sortitæ sunt. » Nulla ergò ratio naturalis animæ immortalitatem monstrare potest, utpotè cùm sit suâpte naturâ mortalis.

11. Adde unum et viginti argumenta, quibus S. Th. probabiliter egit, ut anima corruptibilis videretur. Quæ si ego hìc repetam, molestus ero. Nam his alia adjicere non video quî possem, nisi Janduno, aliisque hujus farinæ auctoribus velim esse simillimus, qui ut argumenta afferant, quibus animi mortalitas probari posse videatur, ea ponunt, quibus suadeant eum non esse formam actumque corporis essentialiter. Quæ argumenta Cajetanus in lib. 3 de Animâ retulit, fecissetque fortassè multò prudentiùs, si contempsisset.

12. Adde etiam, quod Scotus argumentis quæ probant animam esse immortalem, argutè respondet. Si ergo rationes inventæ à prioribus non demonstrant, alias verò excogitare novas non opis est nostræ, fateamur animam immortaliter vivere, nullo certo naturæ argumento patescere. Hæc afferre brevissimè potui, quibus illi uterentur, qui animorum immortalitatem infirmare pergerent. Quam tamen et fides catholica firmissimè docet, et certa naturæ ratio. Id quod conclusiones rationesque sequentes patefacient.

Prima conclusio. *Animum hominis esse mortalem, fidei catholicæ manifestè repugnat.* — Genes. 37: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Job. 21: *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt.* Sapient. item cap. 2, 3, 4 et 5 apertissimè traditur, animas cum corporibus non interire. Eccl. 12: *Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* 2 Machab. 12: *Sancta ergò et salubris*, etc. (1). Matth. 10: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Joan. 12: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Philip. 1: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Primæ ad Cor. 15, pro absurdissimo Apostolus colligit: *Ergò et qui dormierunt in Christo, perierunt. Si in hàc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Et posteriùs referens illam insipientium vocem: *Manducemus, et bibamus, cràs enim moriemur*, illicò subdit: *Nolite seduci. Corrumpunt*, etc. 2 Cor 5: *Dùm sumus in corpore, peregrinamur à Domino; audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis, peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Deum.* Et paulò antè: *Scimus, quòd si terrestris domus nostra*, etc. Sed de Scripturæ testimoniis, quæ D. Thomas dixit esse infinita, satis multa recitavimus. Quanquàm vereor, ne quis nos jure ac meritò reprehendat, qui in re non dubiâ usi fuerimus testibus non necessariis. Præsertìm cùm ii, qui animæ immortalitatem inficiantur, nec Christo, nec Evangelio credant, Ecclesiæ verò sanctorumque

(1) Justinus in colloquio cum Tryphone, illud affert, quod pythonissa spiritum Samuelis evocavit. In qq. verò gentium, q. 75, citat illud: *Infernus subtùs te conturbatus est in occursum adventùs tui.* Quod de Nabuchodonosoro dictum esse ambiguum non est. Et q. 76, illud: *Hodiè mecum eris in paradiso.*

fidem pro nihilo putent. Ità supervacaneum videtur esse, ex iis locis, quæ auctoritatem fidei continent, argumenta depromere. Nec conclusio hæc propriè theologica est, ut sit argumentationibus theologiæ confirmanda. Quin theologia, quà ratione effectrix est, et agendi muneri incumbit, illa duo habet primaria fundamenta, Deum esse hominis et principium et finem, atque adeò procuratorem, esseque item animorum perpetuam vitam, in quâ remunerator Deus sit inquirentium se, Hebr. 11, 6. Quæ nisi fidelis penitùs habeat infixa, et animo quasi insculpta, non dico media et finem consequi felicitatis suæ, sed ne ad Deum quidem accedere potest, ut ab eo media finemque requirat. Cùm igitur prima cujusque disciplinæ principia tanquàm notissimæ anticipationes supponantur, nihil opus erat vel ea testimonia referre, quæ ex sacris litteris commemoravimus. Nisi quòd sunt quidam adeò curiosi, qui etiam optârint, Paulum de animorum incorruptione manifestiùs loqui. Quod perindè est, ac si quis philosophus adeò esset insigniter stultus, ut in philosophorum libris, præsertìmque Aristotelis, cuperet principium illud sæpè et clarè resumi: *Quodlibet est, vel non est*. Verùm de hâc primâ propositione, quoniam est antè oculos posita, diximus satis.

Secunda propositio. *Animus naturaliter est immortalis, et non ex dono gratuito.* Fuêre porrò quidam Arabes, qui dicerent, animum naturâ esse mortalem, sed in novissimo cum corpore immortaliter suscitandum. Simili autem errore detentus posset quispiam dicere, animum cum corpore statìm quidem interiturum, si naturæ suæ relinqueretur, sed vi divinæ potentiæ fieri, ut vel ad præmia, vel ad pœnas conservetur æternus.

Hoc qui assereret, Scripturas facilè in sensum suum detorqueret. Non enim affirmant illæ, animum esse naturâ suâ immortalem, sed solùm eum aiunt manere post mortem. Sicut corpus post resurrectionem fides astruit perpetuam vitam habiturum, non tamen id in naturâ corporis, sed in divinâ potentiâ erit. Quam sententiam sextæ synodi verba retrò citata sonare videntur. Atque Augustinus, 10 super Gen. ad litt. c. 23, in illam magis opinionem inclinat, quæ docet animas à parentibus generari. Quæ si vera sententia est, non est animus suâ naturâ immortalis. Id quod solebam equidem, non tanquàm hæreticum, sed tanquàm erroneum condemnare; semper quippè malui citrà lineam consistere, quàm transire, stultæque ignorantiæ, potiùs argui, quàm insolentiæ temerariæ. At si rem diligentiùs animadvertas, non dubites, huic errori hæreseos notam inurendam, quandò ad Sedem apostolicam referatur.

Primùm, quia manifestum est, quosdam philosophos naturæ ratione duce animorum immortalitatem et vestigâsse, et invenisse. Non est ergò supernaturalis animorum perpetua vita, aut dono eis gratuito concessa. *Quis enim hominum scire poterit consilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus, nisi dederit sapientiam, et miserit Spiritum sanctum suum de altissimis?* Sap. 9, 13.

Deindè, in concilio Lateranensi, sub Leone X, sessione octavâ, definitur, hæreticum esse dicere quòd ex principiis philosophiæ sequitur animam esse mortalem. Et tamen si naturaliter esset anima corruptibilis, hujus corruptionis esset causa aliqua naturalis: « Item, « cùm nonnulli, inquit, ausi sint dicere de naturâ animæ « rationalis quòd mortalis sit, et aliqui temerè philoso- « phantes secundùm philosophiam saltem verum esse « asseverent, damnamus omnes asserentes animam « rationalem mortalem esse; cùm illa non solùm per « se et essentialiter humani corporis forma sit, verùm « etiam immortalis. » Hactenùs concilium.

Præstereà, non theologi modò, verùm fideles etiam universi animarum immortalitatem ità à majoribus accepimus, ut non per miraculum eas incorruptibiles, sed per naturam esse credamus. Hic autem Ecclesiæ consensus certissimo nobis argumento esse debet catholici dogmatis. Quòd autem idem in hâc re theologi ac fideles sentiant omnes, vel ex eo liquet, quòd asserentem quemcumque, animos esse mortales, statìm exhorrent. Eàdem quippè fide inscriptum in mente habent, angelos et hominum animas naturâ suâ, ut intellectuales, ità quoque immortales esse. Adde, quòd post Augustini seculum nemo fidelium in dubium vertit, quin animæ rationales creentur ex nihilo, et singulæ singulis corporibus infundantur, ut concilii Lateranensis verbo utar. Quòd si non generantur vi naturæ animæ rationales, nec de potentiâ materiæ educuntur, sed foris veniunt, nimirùm ex se subsistunt; quarè non cum corpore intereunt. Illud verò testimonium: *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ne Augustinus quidem ipse expedit. Si enim foris venit spiritus hominis, consequens fit, ut nullâ vi agentis naturalis propagetur. Quocircà, si ingenitus naturâ est, naturâ quoque est incorruptus. Nec enim naturales causæ corrumpunt aliquid, nisi quod eædem possunt gignere. Nam quòd interpretatur Augustinus Deum primò homini spiritum dedisse, cùm inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, in illo verò, qui cæterorum hominum caput erat, cæteris dedisse spiritum, hoc (pace tanti viri dictum sit) nullâ ex parte argumenti vires infringit. Cùm enim Moyses, in principio Geneseos, rerum naturalium propriam vim et naturam exprimat, quod in primo homine significatum est, id de reliquis etiam intelligitur, Scriptura porrò, ut ostenderet viventia reliqua viribus naturæ edi posse, ait: *Germinet terra herbam virentem*, etc. Et rursùm: *Producant aquæ reptile animæ viventis*, etc. Et iterùm: *Producat terra jumenta et reptilia*, etc. (1). Nemini quippè ambiguum esse potest, prima cetorum, jumentorum, serpentium, leonum individua à Deo sine mediâ causâ adjuvante condita createque fuisse. Ob id namque adjunctum est: *Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas*. Item: *Et fecit Deus bestias terræ juxtà species suas*, etc. At significare Scriptura voluit, sic tunc à Deo hujusmodi animantia esse edita, ut in vi tamen ele-

(1) Cajetanus turpiter hic lapsus est, non intelligens Scripturæ sensum.

mentorum et corporum, quæ ex elementis conflarentur, illorum generationem sitam esse censeremus. Sed enim, cùm ad hominem ventum est, ne hujus similis conditio crederetur, de corpore ait : *Fecit Deus hominem ex limo terræ;* de animo autem : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Quod differentis conditionis varium discrimen à Moyse adeò accuratè observatum manifestè indicat, cæterorum viventium animas in potentiâ materiæ esse; hominis spiritum, quo factus est in animam viventem, non esse, sed à Deo creari et infundi, qui solus ejus et spirator et creator est. Præterquàm quòd qui dicit : *Redeat ad Deum, qui dedit illum,* is non obscurè docet, spiritum non perire, sed manere. Explicat enim id, quod paulò antè dixerat : *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Alioqui, quomodò ad Deum vadit, si dissolvitur, tanquàm mollis aer, et sicut umbra ac fumus evanescit? Quemadmodùm autem corporis naturam exprimit, cùm ait : *Revertatur pulvis in terram suam undè erat,* sic naturam spiritûs manifestat inquiens : *Et spiritus redeat ad Deum,* etc. Jam quod Augustinus affert, *spiritus vadens, et non rediens,* à nobis est. Non enim Scriptura dicit, *spiritus veniens, et non rediens,* sed *spiritus vadens,* scilicet à corpore, *et non rediens,* etc.

Præthereà, stulti illi, quorum error Sap. cap 2, inducitur, animum existimabant naturaliter esse mortalem. Non enim de miraculo loquebantur, sed de naturâ. At Sapiens non modò cum illis apertè pugnat, verùm etiam ut insipientes et insensatos reprehendit. Animos ergò sentit naturâ esse immortales.

Tertia propositio. *Erroneum est, ne dicam hæreticum, astruere, animæ immortalitatem naturali ratione demonstrari non posse.* Si enim naturam habet incorruptibilem, hujus rei vel à priori, vel à posteriori ratio aliqua demonstrativa erit. Nulla siquidem propositio ex naturâ rei et connexione terminorum per se ac necessaria est, quin vel ex effectu vel ex proprietate, vel ex definitione, vel ex causâ subjecti ostendi necessariò queat. Sed ais : Quadratura circuli demonstrabilis est quidem, sed demonstratio adhùc inventa non apparet. Sic ergò Scotus, Jandunusque sentiunt animæ quidem immortalitatem ostendi posse, at non esse ostensam tamen.

Quarta propositio. *Periculosum, ac temerarium est, ne quid amplius addam, affirmare, quòd nullum argumentum hactenùs inventum verè demonstrat animæ immortalitatem.* Quia argumentum, quod sumitur ex operatione propriâ, vel etiam ex potentiâ, quæ substantiam rei necessariè naturaliterque consequitur, verè ostendit qualisnam sit ejus rei natura, atque ubstantia. Theologi verò tùm ex propriâ operatione, tùm ex propriâ potentiâ, intellectione scilicet et intellectu, animi incorruptionem argumentantur. Syllogismi igitur illi veræ sunt demonstrationes. Dicet fortassè quispiam : Non nego demonstrationes esse, sed nobis demonstrationes esse nego, quibus argumenta illa certa et clara non sunt, quamvis idonea ex se sint, ut certitudinem atque evidentiam pariant. O insolentem temeritatem, cæteros ex tuo ingenio metiri, exque tuis aliorum oculos æstimare, asserere, mel quidem ex naturâ suâ dulce esse, sed dulce tamen fuisse nemini, quia tibi non fuerit, nullum videre id posse, quod tu non videas ; omnibus obscurum esse quod tibi non pateat! Ait D. Thomas, ex præmissis manifestè ostendi posse animam humanam non corrumpi cum corpore ; concludit verò in hæc verba, 2 cont. Gent. cap. 79 : « Patet igitur, « quòd intellectus humanus est incorruptibilis ; ergò « et anima humana, quæ est intellectiva substantia. « Item, part. 1, q. 75, art 2 et 6 : Necesse est dicere, « animam intellectualem esse incorpoream, subsistentem, incorruptibilem. » Scotus contrà, homil. 4 de Provid. : « Non sunt, inquit, rationes patentes, et necessariæ. » Affirmat Chrysostomus, qui philosophi de animi immortalitate dubitent, eos addubitare, an in meridie sit dies : et credemus nos, viros et sanctissimos et modestissimos evidentiam, quam non habebant, fuisse ementitos! Atque Augustinus asseverat, philosophos quosdam naturali ratione animæ immortalitatem invenisse : « Quanquàm pauci, ait (1), idque « ægrè invenerunt, » de Trin. 13, c. 9. Prætereà, Deus non deficit in necessariis ad vitam juxtà naturæ rationem benè et constanter instituendam. At vix homo potest vitam rectè et justè instituere, nisi et Deum esse sentiat, et animos esse immortales ; vix, inquam, aut certè nullo modo. Qui enim vel sine Deo fuère, vel animum putàrunt cum corpore interire, eos ferè perditissimis moribus fuisse memoriæ proditum est. Quam omninò rem Sapiens, capite 2, vers. 2, sapienter expressit. Nam simul atque impii illam opinionem induerunt, animos mori, consequenter de omni bono futuræ vitæ desperantes, et nihil post mortem mali timentes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. *Post hæc,* inquiunt, *erimus tanquam si non fuerimus. Venite ergò, et fruamur bonis, quæ sunt,* etc. Et Augustinus Confessionum lib. 6, capite postremo : « Nisi credidissem, « ait, restare post mortem animæ vitam, et fructus « meritorum, quod Epicurus credere noluit, Epicurus « palmam in animo meo accepisset. De atheis autem « cùm Propheta illud posuisset : *Non est Deus;* statìm « subjunxit : *Corrupti et abominabiles facti sunt?* » etc. Sic Justinus, in dialogo cum Tryphone : « Eorum, in« quit, sententia, qui Deum me atque te curare ne« gant, quò spectet, non est difficile cognoscere. Im« punitas enim, et licentia faciendi, et dicendi, quæ « velint omnia, eos consequitur, qui nec supplicia me« tuant, nec beneficium ullum à Deo spectent. » Divinæ itaque procurationis fuit, ut in morum et vitæ necessariâ regulâ duces naturæ ac magistros non conjecturis et opinionibus imbueret, quæ hùc atque illùc facilè traherentur, sed certâ constantique ratione. Sic enim scriptum est, Ps. 93, 6 : *Qui docet hominum*

(1) Mirum est Scotum hunc Augustini locum citavisse, ut opinionem suam confirmaret. Resurrectionem Augustinus ait, non ratione sed auctoritate teneri; at de immortalitate animæ contrà dicit. Nam et lib. de Civ. Dei 1, c. 12, scribit Platonem, quâ mente immortalitatem animæ vidit, ne quis sibi mortem consisceret, prohibendam judicàsse.

scientiam. Et iterùm, Job. 35, 11 : *Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos.* Quòd si animantibus cæteris dati à naturâ sunt quidam instinctus, et quasi anticipatæ cogitationes, non vagæ et inhabiles, sed fixæ firmæque, ut ad bonum naturæ congruens recta ferantur, retrahantur à noxâ, cur in eorum salutem mentibus, quos naturæ auctor ad aliorum institutionem comparavit, inditas esse certas, et constantes prænotiones inficiemur, sine quibus ad veritatem bonitatis non satis instructi informatique fuissent? Non enim melior est belluarum conditio quàm nostra. Nihil verò piget, eadem sæpè verba resumere (vid. lib. 10, cap 4).

Hinc barbaræ etiam nationes pœnas improbos luere cum sapientibus consenserunt, atque adeò animos esse immortales. Deus enim semper ea, quæ cuique naturæ necessaria sunt, providentissimè curat. Quis autem communes animi corruptiones incertas esse asseveret? Sed ais tandem : Quænam istæ rationes sunt necessariæ et evidentes, quæ Scoto et Cajetano probabiles et obscuræ visæ sunt? Dicam, si illud priùs commemoravero, quod ab Aristotele prudentissimè dictum est, lib. Ethic., stultum esse, æqualem in omnibus certitudinem et evidentiam exigere. In naturalibus quippè disciplinis minor est, quàm in mathematicis; in moralibus minor est etiam, quàm in naturalibus. At in dispari certitudine tàm stultus nemo est, quin scientiæ illis nomen impertiat. Syllogismi ergò illi et faciunt scire, et verè demonstrationes sunt, quibus et de naturâ, et de moribus philosophamur; quamvis in eis rationibus non adeò magna aut necessitas aut evidentia insit. Prima igitur ratio demonstrativa, auctore Chrysostomo, Homil. 4, de provid. vel fato, est hæc : Qui animum esse mortalem ait, is neget necesse est, Deum humanarum rerum esse et procuratorem et judicem. Si enim justi migrant affecti injuriis, improbi rerum omnium abundantiâ potiti, nec post mortem aut merces, aut supplicium est, nulla certè est in cœlo pietas, quæ talia curet; nulla justitia, quæ vel malos puniat, vel tribuat præmia bonis. Et cætera, quæ capite 4 hujus libri latiùs persecutus sum.

Respondet Scotus, argumentum hoc infirmius multò esse, quàm reliqua. Non enim, ait, ratione naturæ notum est, esse unum rectorem hominum secundùm leges justitiæ retribuentem et punientem. Quæ responsio bifariàm confici potest. Priùs, quia Sapiens, cùm hoc eodem argumento usus esset, hujus rei ignorationem inscitiam esse dixit sacramentorum Dei. Quòd si inter mysteria Dei censet et Dei providentiam, et animorum immortalitatem, non est cur nos inter perspicua censeamus. Verba autem illius sic habent : *Et nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum*, Sap. 2, 22. Posteriùs, quia Justinus martyr et philosophus, in libro de Aristotelis reprehensione, docet gentes non scientiâ, quæ ad demonstrandum valet, de Deo creatâque naturâ disputationes confecisse, sed probabili ratione suam explicâsse sententiam. Et posteà : « Hæc, inquit, etiam satis declarant, verum esse, quod à nobis de gentium philosophis dictum est, eos non scientiâ demonstrandi de naturis disseruisse, sed conjecturâ verisimilique ratione suam explicavisse sententiam. » Adde his, quòd divus Thomas hoc argumentum ubique gentium prætermisit, non prætermissurus, si certum et necessarium esset.

Verumenimverò nulla me hujus generis argumenta movere possunt, ut ab eâ sententiâ discedam, quam Chrysostomo video placuisse. Habuit quippè pro re perspicuâ et constanti non alium negaturum, Deum esse hominum et gubernatorem et judicem, nisi eum, qui dixisset in corde suo : *Non est Deus.* Sed quia hæc res suprà, ut dixi, manifesto argumento nobis demonstrata est, cap. 4, ad 7, et accuratiùs est posteà demonstranda, satis nunc confectum esse arbitramur, si rationem illam, quæ animæ immortalitatem doceat, cò tandem ducere probaverimus, ut non possit Dei ergà homines providentia justitiaque constare, nisi animæ incorruptio consistat. Nam quòd Scotus aliter eludi hanc ratiocinationem putat, perridiculum est : « Ut admittamus, ait, Deum pro meritis et præmia « bonis, et malis supplicia retribuere; non exigua « tamen improborum vindicta est culpæ turpitudo « ipsa, cruciatus animi, conscientiæque flagellum. « Abundè verò magna merces et præmium, fructus « ipse virtutis, quo mirificè delectantur probi. » In quam sententiam illud Augustini citat omnium sermone contritum. *Voluisti, Domine, et ità est, ut omnis inordinatus animus sibi ipsi sit pœna.* Poterat et illud ex Apostolo afferre : *Mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes*, Rom. 1, 27. Quæ cùm dicit, parùm attentè considerat, in quos laqueos incurrat. Primum enim nodum illum explicet necesse est : *Si in hâc vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus*, 1 Cor. 15, 19.

Deindè, Propheta non existimavit quæstionem hanc expediri posse, nisi ad fines bonorum et malorum referretur, hoc est, ad novissima, quæ probos improbosque manerent, ex præsentibus autem aut bonis, aut malis illam non modò non solvi, sed etiam implicari *Mei*, inquit, Ps. 72, *moti sunt pedes, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns*, etc. *Existimabam, ut cognoscerem hoc ; labor est antè me, donec intelligam in novissimis eorum. Quomodò facti sunt in desolationem*, etc. Nec aliter aut Jeremias, cap. 12, aut Habacuc, cap. 1, 2 et 3, huic quæstioni respondendum putaverunt. Quorum ergò sensum libentiùs exponerem, nisi ad alia festinaret oratio.

Prætereà, valdè restrictum Deum facimus, qui suis id solùm in mercedis loco numeret, quòd animo æquo, imò verò etiam gaudenti ac libenti servierunt. O præmium singulare, quod eripit spem futuri cujusque boni, quæ sola, ut ait Cicero, hominem in miseriis consolatur! Quis enim dubitet mortalium animos in arduis adversisque rebus spe futurorum erigi et sublevari, frangi autem et concidere, si cum omnium rerum desperatione confligant? Talem mihi rempublicam finge, ubi pessimi cives metum omnem pœnæ et futuræ

vindicationis abjiciant, optimi verò de spe futuræ gratiæ ac beneficii depellantur; et cùm nec probis lex adhibuerit calcaria, nec improbis frenos, civitas non dico benè morata, sed ne esse quidem poterit. Ità qui eam sine præmio pœnâque constituit, hunc tu ipse stultissimum judicabis. Quale ergò est ejus reipublicæ Deo procurationem administrationemque tribuere, quam nemo vir sapiens sibi assignari pateretur? Demonstratum est igitur, animas esse immortales, tàm evidenti et necessariâ ratione, quæ refelli non valeat, nisi Deum facias aut improvidum esse, et negligentem rerum hominis, aut eam stultè urbem constituisse, in quâ nullus supplicii timor sit, præmii exspectatio nulla.

At sapiens ait, animorum incorruptionem ad Dei sacramenta pertinere. Primùm id ego negare verè possum. Nec enim rem hanc ille in mysteria retulit, sed quòd via impiorum prosperetur, quòd ubique relinquant lætitiæ signa, quòd opprimant pauperem justum, nec viduæ parcant, etc., et in his omnibus Deus non taceat modò, verùm etiam probos duriter et acerbè, improbos contrà blandè et molliter tractare videatur. Hæc scilicet Dei sacramenta sunt, quæ humana ratio comprehendit aut vix, aut nullo certè modo. Deindè sunt naturales res quædam in oculis omnium clarè positæ, aliæ latent in occulto tenebris densissimis circumfusæ. Quæ naturæ mysteria rectissimè dixeris. In his, fateor, animi immortalitas est, quæ à paucis quidem, idque difficulter, sed investigari tamen atque inveniri potest. Justini autem verba magnâ ex parte vera sunt; at universas demonstrationes philosophis eripere, tùm absurdum est, tùm Paulo etiam contrarium, quemadmodùm refutando septimo argumento patefiet. Nam D Thomas ejusmodi argumentationibus uti non solet, quamvis sint liquidæ et exploratæ. Cavet enim, ne argumentando de genere in genus transeat, quod Aristoteles in demonstrandi arte docuit esse vitiosum. Constat verò, in hâc ratiocinatione à Dei providentiâ et justitiâ ad animi incorruptionem transiliri, quæ in eodem genere non existunt. Verùm de primâ demonstratione satis.

Secunda est hujusmodi, ut à protervis refelli queat, à viris rectè institutis non queat. Eam verò in probatione quartæ propositionis postremam fecimus. Confirmat illam Cicero, lib. de Senect., hunc in modum : « Sicut satis probatur Deum esse, « quia nulla natio tàm fera est, quin Deum habendum « sciat, ità apud omnes gentes communi consensu firma- « tum est, animos defunctorum interitu esse liberos. « Quam omninò rem funeris cæremoniis testatam es- « se voluerunt. Nec enim eas corporibus impertirent, « nisi animos sacros esse ac divinos in animum indu- « xissent. » Hìc verò, ut Cicero, 1 Tuscul. 1, affirmat, « et mercedem funeris sepulturæque constitui, nefas es- « se putàrunt, et brutis animantibus hujusmodi honores « negaverunt. » Quas duas rationes Sapiens, ut mihi videre videor, perstrinxit. Unam cùm ait, cap. 1 : *Nec mercedem speraverunt justitiæ;* alteram cùm subdit : *Nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Sanè qui judicat unum esse interitum hominum et jumentorum, is cùm animum suum summâ ignominiâ et dedecore afficiat, non hominum ritu ac religione, sed sepulturâ asini sepeliendus erat, ut dignum haberet suâ opinione et sententiâ funus. Sed de secundâ ratione hactenùs. Tertiam significat magis Scriptura, quàm explicat, cùm è vestigio subjicit : *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Hominem quippè ad imaginem Dei esse factum, eò quòd natura intellectualis est, verti in dubium non potest. Ex eâ ergò parte homini incorruptio convenit, quâ intellectum habet. Animum igitur, undè homo intelligit et similis Deo est, inexterminabilem esse oportet. Quæ ratio, quoniam ex hominis naturâ et formâ propriâ ducitur, atque ideò non ex alienis et extraneis, sed ex propriis aptisque principiis, diligentiùs nobis et illustranda, et exponenda est. Id quod D. Thomas divinè fecit; intelligebat enim, hanc esse certam expeditamque viam, quâ ad animi immortalitatem veniretur.

Primum igitur fundamentum hujus demonstrationis est, formam omnem intellectualem esse subsistentem, hoc est, esse ejus non à materiâ pendere. Hanc propositionem ostendit div. Thomas, contr. 2 Gent. c. 15. Quia intellectus non eget corpore sustinente, cùm intellectio nec recipiatur in corpore, nec per corpus fiat. At dicis : Non eget corpore quidem tanquàm subjecto, sed eget tanquàm objecto. Verùm hoc duobus modis manifestè refellitur. Primùm enim animal non esset per se subsistens, quia indiget ad propriam operationem externis objectis. Deindè id, quod per accidens alicui convenit, non variat judicium de naturâ rei : ut lapis, qui in loco superiore detinetur, etc. Cùm ergò anima intellectiva ex naturâ propriæ operationis non sustentetur à corpore, consequens est, quòd per se non pendet ab illo. Quia actus non potest per se à corpore pendere, nisi tanquàm à materiâ et subjecto, in quo recipitur. (Vide D. Thomam, de Animâ q. 14, et 2 contrà Gent., c. 55 et 79.) Certè si intellectio in corpore susciperetur, nec omnes res sinè discrimine intellectus perciperet, nec universale cognosceret, sed solùm singulare. Quòd si hujusmodi argumenta tibi evidentia non sunt, memento, nec cæteros ex tuo ingenio æstimandos esse, neque hìc evidentiam mathematicam requirendam. Sed jam tempus est, ut objectiones oppositas refellamus.

Prima ergò sic repellitur : Fidei quæstionem duobus modis interpretari possumus, et ex naturâ suâ, et quoad nos. Ex naturâ suâ illa fidei quæstio est, quæ est à Deo Ecclesiæ revelata, quamvis à plerisque ignoretur. Ut Spiritum à Patre Filioque procedere, ipse Spiritus Apostolis revelavit. Item, animas sanctorum statìm ut à corpore exierint, videre Deum. De quibus licuit olìm variè sentire, et sine fidei discrimine aut affirmare, aut negare, cùm neutra res scilicet erat planè ab Ecclesiâ definita. Ità quoad nos non semper fidei quæstiones illæ sunt habitæ; sed salvâ fide, viri quidam docti contrariam veritati sententiam tenuerunt. Quomodò asseruit Augustinus, non esse fidei quæ-

stionem, nùm anima rationalis ex traduce sit (1). Nunc autem cùm post ea tempora theologorum fideliumque omnium consensu firmatum sit animum non per generationem, sed per creationem existere, sine dubio ad fidem illa quæstio pertinet. Nec tamen si hoc fuit aliquandò in controversiâ positum, eadem de animæ immortalitate causa subest, quæ nunquàm est à catholicis in dubium vocata. Sed de primo argumento satis.

At secundo nihil est difficile respondere, cùm videamus, non solùm sub infideli principe, quales Romani tunc erant, sed sub imperatore catholico multos in Germaniâ nunc publicè manifestas hæreses profiteri. Tantùm refert principes habere et fideles, et qui hæreticorum insolentissimam temeritatem coercere tùm velint, tùm etiam possint. Præterquàm quòd, ubi factiones sunt, ibi favore partium in republicâ tolerantur; quid dico tolerantur? quæruntur, foventur, stringuntur homines deterrimi ac sceleratissimi. Hoc in statu res Judæorum publica cùm esset, non est sanè mirandum, si Sadducæos ferret carnalis populus, homines videlicet factiosos, qui et carni usque adeò inservirent, ut omnem spiritum esse negarent. Quemadmodùm autem gentes tales esse volebant deos, quales ipsi etiam essent, nempè adulteros bellatores, raptores, sic plebs vitiis corrupta eos vult habere religionis præsides, qui non religati sint, sed liberi, non spiritûs servi, sed mancipia carnis. Verùm in argumento facillimo refutando plura quàm necesse erat verba consumpsimus.

Tertium verò brevissimè refellemus. Nam primum illud testimonium certissimè probare animorum immortalitatem ostensum est à nobis paulò antè. Secundum etiam quantùm momenti habeat, nunc explicabamus. At tertium nullâ responsione eludi potest. Si enim homines animam non possunt occidere, corpus autem occidere possunt, certum est, animas non cum corporibus interire. Item, si animas Deus mittit in gehennam, non ergò cum corpore moriuntur. Quartum denique Cajetanus affirmat, probare quidem simpliciter animæ immortalitatem, undè Sadducæos de resurrectione vinceret, qui ideò negabant mortuos resurgere, quia credebant cum corpore animam mori. Per synecdochen autem Scriptura nomina Abraham, Isaac et Jacob pro animis eorum usurpat. Quo loco Ambrosius Catharinus eum, ut sæpè aliàs, sine causâ reprehendit. Coarguit enim Theophylactum, imò verò Hieronymum, qui Cajetano illius auctor sententiæ fuit. At D. Thomæ expositio præclarior est; non repugno. Nec D. Thomas solùm illum locum sine figurâ intellexit, sed Chrysostomus, Theophylactus etiam, atque Ambrosius. At dicis : Quomodò Abraham illo tempore vivus erat? Respondet Chrysostomus, homil. 71 in Matth., quomodò Adam posteaquàm de ligno vetito comedit, sententiâ tamen prolatâ mortuus erat; sic Abraham pollicitatione resurrectionis certissimâ vivus erat. Alioqui, quid sibi Ecclesia vult, cùm ait : *Regem, cui omnia vivunt, et cui non pereunt corpora nostra?* At de tertio argumento hactenùs.

Quartum autem jam antè expeditum est. Diximus enim, in septimo hujus operis libro, sanctos veteres non tàm humanas disciplinas, quàm divinas litteras coluisse. Quæ causa fuit, ut in rebus naturæ perobscuris ratione vulgari contenti essent, nec meliores requirerent. Conclusionum itaque naturalium à philosophis petenda demonstratio est, præsertìmque à D. Thomâ, perfecto, meâ sententiâ, philosopho, cujus admirabilem naturam et ingenium cùm gratia perfecisset, tùm ubique aliàs, tùm in libro contrà Gentes maximè quidquid expeti ab hominibus ingenio poterat, id unus videtur ad miraculum præstitisse.

Ad quintum deindè argumentum, Scoto, Janduno, Cajetano rationes probabiles visæ sunt, non item necessariæ. Scotus porrò et Jandunus (nam de Cajetano dicam posteà), videntur demonstrationes mathematicas quæsiisse. Si enim sapere ad sobrietatem vellent, et ei naturam, de quâ disseritur, attentè perpenderent, sanè intelligerent, rationes, quæ animæ incorruptionem probant, non suadere, sed vincere, si non protervum et repugnantem, certè docilem hominem, et ad disciplinæ leges benè informatum. (*Desunt ad reliqua argumenta responsiones.*)

(1) Hieronymi perpetua constansque sententia fuit, animas in singulis corporibus creari singulas; quem post tota Ecclesia secuta est, de Eccl. Doct. c. 14 : animas enim non creari, sed ex parentum semine esse, Luciferianorum error fuit, ut Augustinus refert de Hæres. c. 81. Ac cùm certè Zacharias, c. 12, ait : *Dixit Dominus extendens cœlum, fundans terram, fingens spiritum hominis*, in eo nihil aliud significat, nisi ea opera à Deo ipso sine causâ subjectâ subserviente patrari, quemadmodùm Hieronymus idem admonuit. (Vide Isaiam, cap. 42 et 45).

AD LECTOREM.

En damus tibi, candide lector, Reverendi quondàm P. F. Melchioris Cani, Ordinis Prædicatorum, de Locis Theologicis duodecim libros perfectos quidem, limatos, atque omnibus (ut aiunt) numeris absolutos. Te tamen admonitum velimus, duos huic operi deesse libros, quos auctor morte præventus reliquit infectos. Nec tamen hoc te moveat, et ab ejus lectione removeat; illi enim etsi huic operi non accesserint, tamen quòd ad perfectionem ejus attinet, parùm, aut nihil facere, quilibet etiam mediocriter eruditus facilè judicare poterit. Quapropter auctoris labore fruere. Quod si feceris, quantùm utilitatis indè sis reportaturus, tu ipse posteà libenter fateberis (1).

(1) Equidem et nos cum editore priori duos postremos clarissimi auctoris libros vehementer desideramus. Attamen, quantùm de illorum materiis ex diversis ipsius locis, nempè ex lib. 1, cap. 1, lib. 3, cap. 1

VINCENTII LIRINENSIS VITA.

Vincentius natus est Tulli Leucorum in Galliâ, nobili in primis familiâ, patre Epirochio : si vera sunt quæ de Lupo Trecensi Episcopo, quem Vincentii fratrem germanum fuisse constat ex epistolâ Eucherii ad Hilarium de *laude eremi*, narrantur apud Surium in vitâ ejus. Primò militiam secularem sectatus, militiæ Lirinensis excubias, ut verbo Sidonii utamur, posteà desudavit; quippè qui in insulâ Lirinensi factus monachus et presbyter, ibi elegantissimum illud *Commonitorium* scripsit adversùs hæreses quod toties bono publico editum est. At vir modestissimus, utilitatem potiùs Christianorum spectans quàm terrestris gloriæ vanitatem, quemadmodùm de se dicebat Salvianus, nomen huic Operi suum subtraxit, quod sub Peregrini nomine vulgavit. Testis Gennadius in Catalogo virorum illustrium. Testis etiam ipse Vincentius in initio *Commonitorii*. Scripsit autem anno tertio post habitam Synodum Ephesinam, id est, anno Christi quadringentesimo trigesimo quarto, ut ipsemet docet. Mortuus est sub imperio Theodosii et Valentiniani, id est, antè annum 450, ut rectè observatum est à viris eruditis. In disciplinam ejus traditus est Salonius Eucherii Lugdunensis Episcopi filius, ut ipse Eucherius testatur. Existimant plerique illum esse auctorem Vincentianarum objectionum adversùs quas scripsit Prosper Aquitanus. Sed cùm ea opinio à viris celeberrimis explosa sit, tùm speciali dissertatione in eam incubuit Bartholomæus Petrus Duacensis in præfatione ad *Commonitorium.*

Quamvis hodiernâ tempestate Vincentii Lirinensis nomen sit apud omnes in orbe catholico florentissimum, ecclesiastici scriptoris judicio doctrinâque probatissimi testimonium de eo non referre non possumus : « Vincentius Lirinensis, inquit Godescardus in vit. Patr., eos (hæreticos ipsius coævos) refellit generalibus luculentisque principiis quæ cuique dogmatizare audenti usquè ad mundi finem rectè applicabuntur. Quibus addere est eloquii ; eruditionis, ingeniique splendorem. Præterea pagina quælibet nescio quo pietatis suffimine lectorem allicit sibique conciliat. Nullus est controversiarum liber tot res tantâ verborum paucitate continens. »

Hæc Godescardus. Nunc lectorem hoc unum monitum volumus, Vincentii *Commonitorium* nos exhibere, quale emaculatum annotatumque à Stephano Baluzio ad duorum codicum Regiæ Bibliothecæ Parisiensis fidem, et notis novis illustratum à D. Joanne Salinas, Can. Reg. Lateranensi, iterùm Romæ prodiit anno 1765. Quæ editio omnium longè est completissima ; cui tamen nonnullas recentioris notulas adjecimus.

VINCENTII LIRINENSIS
Commonitorium.

INCIPIT TRACTATUS (1) *Peregrini pro Catholicæ fidei antiquitate et universitate adversùs prophanas omnium Hæreticorum novitates.*

I. DICENTE Scripturâ et monente, *Interroga patres tuos, et dicent tibi; seniores tuos, et adnuntiabunt tibi,* *Deut.* 32, et item, *Verbis sapientium adcommoda aurem tuam, Eccli.* 6, et item, *Fili mi* (1), *hos sermones ne obliviscaris, mea autem verba custodiat cor tuum, Prov.* 3, videtur mihi minimo omnium servorum Dei Peregrino quòd res non minimæ utilitatis, Domino adjuvante, futura sit, si ea quæ fideliter à sanctis patribus accepi litteris comprehendam, infirmitati certè propriæ pernecessaria ; quippè cùm adsit in promptu undè imbecillitas memoriæ meæ adsiduâ lectione reparetur. Ad quod me negotium non solùm fructus operis, sed etiam consideratio temporis et opportunitas loci adhortatur. Tempus : propterea quòd cùm ab eo omnia humana rapiantur, et nos ex eo aliquid invicem rapere

et postrem., lib. 12, cap. 1, potuerimus judicare, compensationes lector habebit multas, in *Cursu Scripturæ Sacræ*, et in adjunctis copiosis ad calcem hujus voluminis de traditione, pro libro 13, in quo sibi proponebat Canus de Scripturæ expositione tractare ; alias verò pro libro 14 et ultimo, in tractatu *de verâ Religione*, ubi dissertationes speciales reperiet lector contrà Judæos, paganos, Mahumetanos seu Sarracenos de quorum impugnatione quæstionum auctor in præfato libro instituere volebat. P. S.

(1) Baluzius et Joseph Antelmius ferunt hanc libri epigraphem legi in tribus Mss. Bibl. reg., ablatis voculis *natione Galli*, quæ in antiquioribus comparent editionibus. Suspicor cum Costerio à Lir. hunc titulum præfixum fuisse operi : *Commonitorium Peregrini adversùs hæreticos;* ut Tertull. inscripsit aureum opus, à quo non pauca decerpsit Vincentius : *De Præscript. adv. hæret.* Favet opinioni Gennadius dicens « texuisse « disputationem , quam absconso nomine attitulavit, » vel ut legit Corbeiensis Codex *prætitulavit Peregrini adversum hæreticos*. Præsertim quia tractatûs nomine ab antiquis intelliguntur non tam disputationes contrà hæreticos, quam sermones ad populum habiti. Hinc noster cap. 40 Commonitorii ait : « Posuit tertio doctores, qui Tractatores nunc appellantur, eò quòd per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur. »

(1) In vetusto Cod. Reg. scriptum est : *Fili meus, serm.* In Recentiori verò *Fili, meos sermones*. Bal.

debemus quod in vitam proficiat æternam; præsertìm cùm et appropinquantis divini Judicii terribilis quædam exspectatio augeri efflagitet studia Religionis, et novorum Hæreticorum fraudulentia multùm curæ et attentionis indicat. Locus (1) autem, quòd urbium frequentiam turbasque vitantes, remotioris (2) villulæ et in eâ secretum monasterii incolamus habitaculum, ubi absque magnâ distractione fieri possit illud quod canitur in psalmo: *Vacate*, inquit, *et videte quoniam ego sum Dominus*, *Psal.* 45. Sed et propositi nostri ratio in id convenit; quippè qui cùm aliquandiù variis ac tristibus secularis militiæ turbinibus volveremur, tandem nos in portum Religionis, cunctis semper fidissimum, Christo adspirante condidimus; ut ibi depositis vanitatis ac superbiæ flatibus, Christianæ humilitatis sacrificio placantes Deum, non solùm præsentis vitæ naufragia, sed etiam futuri seculi incendia vitare possimus. Sed jam in nomine Domini quod instat adgrediar, ut scilicet à majoribus tradita et apud nos deposita describam, relatoris fide potiùs quàm auctoris præsumptione; hâc tamen scribendi lege servatâ, ut nequaquàm omnia, sed tantùm necessaria quæque perstringam, neque id ornato et exacto sed facili communique sermone, ut pleraque significata potiùs quàm explicata videantur. Scribant ii lautè et accuratè qui ad hoc munus vel ingenii fiduciâ vel officii ratione ducuntur. Me verò sublevandæ recordationis vel potiùs oblivionis meæ gratiâ Commonitorium (3) mihimet parâsse suffecerit: quod tamen paulatim, recolendo quæ didici, emendare et implere quotidiè, Domino præstante, conabor. Atque hoc ipsum idcircò præmonui, ut si fortè elapsum nobis, in manus sanctorum devenerit, nihil in eo temerè reprehendant, quod adhuc videant promissâ emendatione limandum.

II. Sæpè igitur magno studio et summâ attentione perquirens à quamplurimis sanctitate et doctrinâ præstantibus viris quonam modo possim certâ quâdam et quasi generali ac regulari viâ catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli, quòd sive ego, sive quis alius vellet exsurgentium hæreticorum fraudes deprehendere laqueosque vitare, et in fide sanâ sanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet: primùm scilicet divinæ legis auctoritate, tùm deindè Ecclesiæ catholicæ traditione. Hìc forsitan requirat aliquis: Cùm sit perfectus Scripturarum Canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsâ suâ altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius; aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cælestius; aliter postremò Nestorius. Atque idcircò multùm necesse est, propter tantos tàm varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici et Catholici sensûs normam dirigatur. In ipsâ item Catholicâ Ecclesiâ magnoperè curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est etenim (1) verè proprièque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ità demùm fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem verò ità, si ab his sensibus nullatenùs recedamus quos sanctos majores ac patres nostros celebrâsse manifestum est: consensionem quoque itidem, si, in ipsâ vetustate, omnium vel certè penè omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.

III. Quid igitur tunc faciet Christianus catholicus, si se aliqua Ecclesiæ particula ab universalis fidei communione præciderit? Quid utique nisi ut pestifero corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat? Quid si novella aliqua contagio non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam com-

(1) Insula Lerina vel Lirinus, quæ jacet Lat. 43° 30' 6" Long. 24° 42' 55". Lerina hodie nomen S. *Honorati* habet, qui celeberrimi quondàm totius Galliæ monasterii in illâ insulâ auctor fuit et conditor.

(2) Ergo in insulâ illâ, præter monasterium, erat aliqua habitatio hominum secularium. Remotiorem porrò villulam vocavit Lirinum: quia cùm insula esset in mari Mediterraneo, manifestum erat eam remotam esse ab urbibus et oppidis.

(3) Vincentii tempestate in usu erat Commonitorii vox: tùm ad significanda mandata legatis scripto data, ut à Theodosio Commonitorium Elpidio comiti datum Ephesum proficiscenti ad Synodum, et alterum à Zosimo Faustino consignatum, quùm in Africam missus fuit. Frequentiùs tamen sumebatur pro lege à mandante præscripta, ut exsequatur, quod constat ex Epist. Innocentii Papæ pro Joanne Chrysostomo. Hìc verò, ut rectè observat Baluzius in notis, significat scriptionis genus, cujusmodi sunt adversaria ad sublevandam memoriam.

(1) Proprietate catholici nominis usi sunt Patres ad refellendos hæreticos, quoniam juxtà Prophetarum vaticinia per Orbem diffundenda erat Ecclesia, et non coarctanda in angulum parvæ regionis, vel in Terræ particulam; alioquin ut rectè arguit Optatus lib. 2 de Schism. Donatist. num. 1: « Ubi erit proprietas Catho« lici nominis, quùm indè dicta sit Catholica, quòd sit « rationabilis et ubique diffusa. » Quod nomen quia honorificum, spemque salutis complectens, invident Hæretici nobis, conanturque eripere, ut olim Christiani nomen invidit Julianus Apostata. At Romanæ Ecclesiæ filiis convenire acutè ex ipsâ hæreticorum mente demonstrat Augustinus lib. Op. Imperfecti num. 75: « Athanasianos, inquit, vel Homousianos Ariani Catho« licos vocant, non et alii hæretici. Vos autem non so« lùm à Catholicis, sed etiam ab Hæreticis à vobis dis« sentientibus, et vobis similibus, Pelagiani vocamini: « quemadmodùm non tantùm à Catholicà, sed etiam « ab hæresibus vocantur Ariani. Vos verò soli nos ap« pellatis Traducianos, sicut illi Homousianos, sicut « Donatistæ Macarianos, sicut Manichæi Pharisæos, et « cæteri hæretici diversis nominibus. Nec mirum esse « debet, quòd novi hæretici, catholicis à quibus exeunt « novum nomen imponant (quod placuit etiam vanitati « hæreticorum nostri ævi). Hoc enim, et alii fecerunt, « quandò similiter exierunt. »

maculare conetur? Tunc item providebit ut antiquitati inhæreat, quæ prorsùm jam non potest ab ullâ novitatis fraude seduci. Quid si in ipsâ vetustate, duorum aut trium hominum, vel certè civitatis unius aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? Tunc omninò curabit ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si quà sunt, universaliter antiquitùs universalis Ecclesiæ (1) decreta præponat. Quid si tale aliquid emergat ubi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit ut collatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, eorum duntaxat qui diversis licèt temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione et fide permanentes, magistri probabiles exstiterunt; et quicquid non unus aut duo tantùm, sed omnes pariter uno eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ullâ dubitatione credendum.

IV. Sed ut planiora fiant quæ dicimus, exemplis singillatim illustranda sunt et paulò uberiùs exaggeranda; ne immodicæ brevitatis studio rapiantur rerum pondera orationis celeritate. Tempore Donati (2), à quo Donatistæ, cùm sese (3) multa pars Africæ in erroris sui furias præcipitaret, cùmque immemor nominis, religionis, professionis, unius hominis sacrilegam temeritatem Ecclesiæ Christi præponeret, tunc quicumque per Africam constituti, profano schismate detestato, universis mundi Ecclesiis adsociati sunt, soli ex illis omnibus intrà sacraria catholicæ fidei salvi esse potuerunt; egregiam profectò relinquentes posteris formam, quemadmodùm scilicet deinceps, bono more, unius aut certè paucorum vesaniæ universorum sanitas anteferretur. Item quandò Arianorum venenum non jam portiunculam quamdam, sed penè orbem totum contaminaverat, adeò ut propè cunctis Latini sermonis Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur, quidnam potissimùm in tantâ rerum confusione sequendum foret, tunc quisquis verus Christi amator et cultor exstitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo, nullâ contagii ipsius peste maculatus est. Cujus quidem temporis periculo satis superque monstratum est quantùm invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Hunc siquidem non solùm parvæ res, sed etiam maximæ labefactatæ sunt. Nec enim tantùm adfinitates, cognationes, amicitiæ, domus, verùm etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, universum postremò Romanum Imperium funditùs concussum et emotum est. Namque cùm prophana ipsa Arianorum novitas, velut quædam Bellona aut furia, capto primo omnium Imperatore (1), cuncta deindè palatii culmina legibus novis subjugâsset, nequaquàm deinceps destitit universa miscere atque vexare, privata ac publica, sacra prophanaque omnia, nullum boni et veri gerere discrimen, sed quoscumque conlibuisset, tanquàm de loco superiore percutere. Tunc temeratæ conjuges, depullatæ (2)

(1) Vetustus Codex Regius habet, *Universalis Concilii decreta*. Baluzius.

(2) Donatum Magnum hic intelligit Vincentius, à quo appellatos fuisse Donatistas in Divi Possidii Vitâ luculento Optati testimonio probatum est; quem locum consulat lector. Observare tamen oportet longâ ætate post schisma invectum appellatos fuisse ex Donati parte ejus sectatores, quùm primò dicerentur ex parte Majorini. Hinc in relatione Anulini Proconsulis ad Constantinum legitur : « Libellus Ecclesiæ Catholicæ « criminum Cæciliani traditus à parte Majorini. » Similiter Augustinus dùm de libello loquitur ait ablatum fuisse *à parte Majorini*. At quia circà ann. Ch. 370, jam dicebatur Donati pars; « quasi verè, inquit Optatus, populum cum Deo divisisset, ut intrepidè suam « diceret partem : » proptereà iste S. Vir lib. 3 de Schism. Donatist. num. 3, disserens de libello, quem Constantino dederunt Capito, Nasucius, Dignus, et cæteri Episcopi, vocat eos *partis Donati*, et non Majorini, fortè substituendo notius nomen antiquo. At ingenuè nihilominùs Optati lapsum fateri debemus : quia ex tali libello infert Romæ à Melchiade, et Concilio ab eodem celebrato proscriptum fuisse Donatum Magnum; quùm in Collatione concesserint Catholici Præsules damnatum esse Donatum esse à Casis Nigris. Vide Augustinum in Brev. Collat. diei tertiæ cap. 12 et 17, et in lib. Retract. cap. 21.

(3) Quarto seculo, Optato teste, major erat numerus Catholicorum in Africâ, quùm lib. 2, n. 1, Donatistis vix particulam concedat, dicens : « Ergò ut « Ecclesia in particulâ Africæ, in angulo parvæ regio- « nis, apud vos esse possit, apud nos in aliâ parte « Africæ non erit? » At eodem labente seculo ac vergente, longè plures erant Schismatici, ut refert Possidius in Augustini Vitâ cap. 7, dùm ait : « Per sanctum « illum virum, levare in Africâ Ecclesia Catholica « exorsa est caput, quæ..... rebaptizante Donati parte « majorem multitudinem Afrorum, seducta et oppressa « jacebat. » Suspicor ità crevisse factionem, quia intrà unius seculi spatium vix unus, et alter, Optatus nempè, et Augustinus, inventi sunt, qui scriptis illorum aperirent fraudes ac dolos, convincerentque insidias, quùm interim Donatistæ *omnes per singula loca maledicis vocibus perstreperent*, ut loquitur Optatus lib. 1, num. 4, quibus ipse *ab aliquâ occasione arreptâ respondit*. Quo modo, inquit Optatus, « satisfiet, et desideriis « aliquorum. Nam à multis sæpè desideratum est, ut « ad eruendam veritatem, ab aliquibus defensoribus « conflictus partium haberetur; et fieri potuit. »

(1) Constantium intelligit, de quo acerrimè queritur Hilarius Pictavensis libro contrà eumdem edito anno Chr. 360. At candidè fateri oportet quòd Imperatorem prorsùs excusat alter ejusdem meriti vir Gregorius Nazianzenus Invectivâ 1, in Julianum eâdem scribens tempestate; et de patratis acerbè incusat aulicos, totam in istos refundens invidiam.

(2) Ità antiquiores editiones, Duacensi exceptâ, quæ fert *depopulatæ*. Notum est viduis, virginibus, ac pœnitentibus nullas impositas fuisse vestes. In Missali Francorum lib. 3, Liturgiæ Gallicanæ numer. 11, extat benedictio vestimentorum Viduæ, quæ comparet etiam, in ordine Romano. Hinc Sanctus Asterius Amaseæ Hellesponti Metropolis Antistes in Oratione Sanctæ Euphemiæ, inquit numer. 3 : « Adstat Virgo pullâ « veste, ac pallio philosophiam professa. » Et iterùm num. 4, « casta virgo in pullis vestibus sedens sola, « manus ambas extendit in cœlum. » Floruit Asterius circà 4 seculi finem Arcadio Imperatore. Ut autem viduis Ariani detraxerunt pullas vestes, ità Donatistæ sacratis Deo virginibus mitellas abstulerunt. « Detra- « xistis, inquit Optatus lib. 6, n. 4, non capitis orna- « menta, sed bonæ voluntatis indicia. Jam consecratos « Deo sparsistis immundis cineribus crines, jussistis « etiam falsâ aquâ perfundi. Et utinam vel id quod tu- « listis, velociter reponeretis : protraxistis moras, ut « retroactæ in pristino habitu, aliquæ diutiùs remane- « rent, retractis signis, quibus se jamdudùm contrà « petitores et raptores muniverant. Qui quùm viderent « præscriptionem sibi jamdudùm oppositam, à vobis

viduæ, prophanatæ virgines, monasteria demolita (1), disturbati clerici, verberati levitæ, acti in exilium sacerdotes, oppleta sanctis ergastula, carceres, metalla (2) : quorum pars maxima, interdictis urbibus, protrusi atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, contriti et tabefacti sunt. Atque hæc omnia numquid ullam aliam ob causam, nisi utique dùm pro cœlesti dogmate humanæ superstitiones introducuntur, dùm benè fundata antiquitas scelestâ novitate subruitur, dùm superiorum instituta violantur, dùm rescinduntur scita patrum, dùm convelluntur definita majorum, dùm sese intrà sacratæ atque incorruptæ vetustatis castissimos limites prophanæ ac novellæ curiositatis libido non continet?

V. Sed forsitan odio novitatis et amore vetustatis hæc fingimus. Quisquis hoc æstimat, beato saltem credat Ambrosio, qui, in secundo ad Imperatorem Gratianum libro, acerbitatem temporis ipse deplorans, ait : « Sed jam satis, inquit, omnipotens Deus, nostro « exilio nostroque sanguine Confessorum neces, exilia « Sacerdotum, et nefas tantæ impietatis eluimus. « Satis claruit eos qui violaverint fidem tutos esse non « posse. » *Ambros. lib. 2 de fide cap. 4, aliàs* 16. Item in tertio ejusdem operis libro : « Servemus igitur, in- « quit, præcepta majorum, nec hæreditaria signacula « ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum il- « lum propheticum non Seniores, non Potestates, non « Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt : soli Christo « explanandi ejus prærogativa servata est. Librum sa- « cerdotalem quis nostrûm resignare audeat, signatum « à Confessoribus, et multorum jam martyrio conse- « cratum? Quem qui resignare coacti sunt (3) posteà « tamen damnatâ fraude signârunt; qui violare non « ausi sunt, Confessores et martyres exstiterunt. Quo- « modò fidem eorum possumus denegare quorum vic- « toriam prædicamus? » *Ibid. lib. 3. cap.* 7, *aliàs* 15. Prædicamus planè, inquam, ô venerande Ambrosi! prædicamus planè, laudantesque miramur. Nam quis ille tàm demens est qui eos, etsi adsequi non evaleat, non exoptet sequi quos à defensione fidei majorum nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non satellites, non Imperator, non imperium, non homines, non dæmones? quos, inquam, pro religiosæ vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit (1) ut per eos prostratas restauraret Ecclesias, exstinctos spiritales populos vivificaret, dejectas sacerdotum coronas, reponeret, nefarias illas novellæ impietatis non litteras, sed lituras, infuso cœlitùs Episcopis fidelium lacrymarum fonte, deleret, universum postremò jam penè mundum sævâ repentinæ hæreseos tempestate perculsum ad antiquam fidem à novellâ perfidiâ, ad antiquam sanitatem à novitatis vesaniâ, ad antiquam lucem à novitatis cæcitate revocaret. Sed in hâc divinâ quâdam Confessorum (2) virtute illud est etiam nobis vel maximè considerandum, quòd tunc apud ipsam Ecclesiæ vetustatem non partis alicujus, sed universitatis ab iis est suscepta defensio. Neque enim fas erat,

« esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt; nec « visus est unusquisque sibi peccàsse, dùm talem rapuit, qualem viderat, quandò ut uxorem acciperet « postulabat. »

(1) Cod. Reg. habet, *dilacerata monasteria.* Baluzius.

(2) Lucifer Calaritanus, in lib. Quòd moriendum pro Filio Dei. Constantium culpat, quia « omnia metalla, « ut loquitur, omniaque loca, exilia vocari quæ puta- « bantur digna, nostro tuæ calliditati resistentium re- « plèsti numero : relegando insontes, fame, siti, nudi- « tate vexando. » Quinimò restauravit morem à Constantino abrogatum leg, 2, de pœn. Cod. Theod. ut « si quis in ludum fuerit, vel in metallum damnatus, « minimè in ejus facie scribatur..... Quò facies, quæ « ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, « minimè maculetur, » illud testante Hilario num. 5 et 11 libri contrà eumdem : « Querela famosa est, ait, « jussos à te Episcopos non esse, quos condemnare « nullus audebat, etiam nunc in ecclesiasticis fronti- « bus scriptos metallicæ damnationis titulo recen- « seri. »

(3) Intelligit Ambrosius Episcopos Arimino lapsos anno Christi 359, quos fidem ejurare coegit Constantius die 10 Oct. ejusdem anni, dùm paupertate, et ætate lassis Episcopis, reditum ad propria negat. Quæ tantorum malorum fuerit causa Severus Sulpicius prodit lib. 2 Historiæ sacræ, c. 41, disserens de legatis ad Imperatorem missis : « Ex parte nostrorum, inquit, « leguntur homines adolescentes, parùm docti et parùm cauti : ab Arianis autem missi senes, callidi, et ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud « Regem superiores facilè exstiterunt. » At cognito dolo Ariminenses Episcopi contestabantur corpus Domini, et quidquid in Ecclesiâ sanctum est, se nihil mali fuisse suspicatos, quæ flentes asserebant parati, et subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum Blasphemias condemnare, ut loquitur Hieronymus in Dialogo cont. Luciferianos.

(1) Hi Sancti Viri per quos tàm mira operatus est Deus, fuêre Athanasius, Hilarius, Eusebius et Ambrosius. Hinc Hieronymus in Dialogo cont. Luciferianos ait : « Tunc triumphatorem suum Athanasium Ægy- « ptus excepit, tunc Hilarium de prælio hæreticorum « revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est, tunc « ad reditum Eusebii lugubres vestes Italia mutavit. » De Ambrosio verò post Hieronymum ad annum Gratiani XI, loquitur Prosper in Chronico, dicens : Post Auxentii « seram mortem, Mediolani Ambrosio Epi- « scopo constituto, omnis ad fidem rectam Italia con- « vertitur, » id est, regionum illarum portio, quæ Vicario Italiæ parebat, nempe Insubria, Æmilia et Liguria. Suâ namque prædicatione Ambrosius distractas Ecclesias junxit, ac nexuit cum fidei vertice, ac custode Romano Pontifice. Hinc in Commentariis super Lucam per id temporis conscriptis lib. 9, cap. 20, gratulatur de hæresi subactâ in sui episcopatûs exordio dicens : « Dissensionum omnium procella deferbuit : « cuncti secularis cupiditatis ardores, æstusque omnes « quibus Italiæ populus per Judaicæ olim Arianæ pro- « ximæ sævitatis incendia coquebatur, sereno jam spiramine temperatur. » Undè Felix Ennodius in ejus laudem cecinit lib. 1 Carm. num. xv, hymno vi.

Adjunctus hinc Apostolis,
Reduxit expulsam fidem,
Dixit triumphos martyrum,
Linguæ virentis laureis.

Et hæc sinceræ fidei prædicatio causa fuit, Romano Pontifice annuente, ut Metropolitica haberi cœperit Mediolanensis Ecclesia; quod doctè ac solerter vidit Benedictus Bacchinius in dissert. de Eccles Hierarchiæ originibus parte 2, num. 10.

(2) Ità prorsùs Codd. Regii, quùm editiones haberent *Confessionum.* Baluzius.

ut tanti ac tales viri unius aut duorum hominum errabundas sibique ipsis contrarias suspiciones tàm magno molimine adsererent, aut verò pro alicujus provinciolæ temerariâ quâdam conspiratione certarent; sed omnium sanctæ Ecclesiæ sacerdotum apostolicæ et catholicæ veritatis hæredum decreta et definita sectantes, maluerunt semetipsos quàm vetustæ universitatis fidem prodere. Undè et ad tantam gloriam pervenire meruerunt, ut non solùm Confessores, verùm etiam Confessorum principes jure meritòque habeantur.

VI. Magnum hoc igitur eorumdem beatorum exemplum, planèque divinum, et veris quibusque Catholicis indefessâ meditatione recolendum, qui modum septemplicis candelabri septenâ sancti Spiritûs luce radiante, clarissimam posteris formulam præmonstràrunt quonam modo deinceps per singula quæque errorum vaniloquia, sacratæ vetustatis auctoritate prophanæ novitatis conteratur audacia. Neque hoc sanè novum. Siquidem mos iste semper in Ecclesiâ viguit ut quò quisque foret religiosor, eò promptiùs novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena sunt omnia. Sed ne longum fiat, unum aliquod, et hoc ab Apostolicâ potissimùm Sede sumemus; ut omnes luce clariùs videant beatorum Apostolorum beata successio quantâ vi semper, quanto studio, quantâ contentione defenderit susceptæ semel Religionis integritatem. Quondàm igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginensis (1) Episcopus, primus omnium mortalium contrà divinum Canonem, contrà universalis Ecclesiæ regulam, contrà sensum omnium consacerdotum, contrà morem atque instituta majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantùm mali invexit, ut non solùm Hæreticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbuerit erroris. Cùm ergò undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversùm sacerdotes pro suo quisque studio retinerentur, tunc beatæ memoriæ Papa Stephanus (2) Apostolicæ Sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret quantùm loci auctoritate superabat. Denique in Epistolâ (1) quæ tunc ad Africam missa est, his verbis sanxit : Nihil novandum nisi quod traditum est. Intelligebat etenim vir sanctus et prudens nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à patribus suscepta forent, eâdem fide filiis consignarentur ; nosque Religionem, non quà vellemus ducere, sed potiùs quà illa duceret sequi oportere ; idque esse proprium Christianæ modestiæ et gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare. Quis ergò tunc universi negotii exitus ? Quis utique nisi usitatus et solitus ? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas. Sed fortè tunc ipsi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt ? Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus adsertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divinæ legis oracula, sed planè novo ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur nisi sola tanti moliminis causa ipsa illa suscepta, ipsa defensa, laudata novitatis professio destituisset. Quid postremò ? Ipsius Africani Concilii (2) sive decreti quæ vires ? Donante Deo, nullæ ; sed universa tanquàm somnia, tanquàm fabulæ, tanquàm superflua, abolita, antiquata (3) calcata sunt. Et, ô rerum mira conversio ! Auctores ejusdem opinionis Catholici, consectatores verò Hæretici judicantur ; absolvuntur magistri, condemnantur discipuli ; conscriptores librorum filii regni erunt, adsertores verò gehenna suscipiet. Nam quis ille tam demens est qui illud sanctorum omnium et Episcoporum et Martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum cæteris collegis suis in æternum dubitet regnaturum esse cum Christo ? Aut quis tam contrà sacrilegus qui Donatistas et cæteras pestes, quæ illius auctoritate Concilii

(1) Secundus Carthaginensium præsulum, quorum memoria ad nos usquè pervenit. Sub eo duo celebrata fuère Carthaginensia Concilia, primum de hæreticis baptizandis ab Episcopis Proconsularis Africæ ac Numidiæ, in tertii seculi initio. Nam Tertullianus qui certò, ut fertur, lapsus est circà hæreticorum baptisma, ait in libro de Baptismo edito post annum Chr. 200 : « Circà hæreticos sanè quid custodiendum sit dignè « quis retractet ? ad nos enim editum est ; » quibus verbis ad Agrippini respexisse decretum concedet æquus lector. Hinc non satis rectè à P. Harduino affixum est tale Concilium ann. Chr. 215, præsertim quùm Cyprianus in Ep. 73, ad Jubajanum datâ anno Chr. 254, dicat : « Apud nos non nova aut repentina « res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hære« ticis ad Ecclesiam veniunt, quandò multi jam anni « sunt, et longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ « memoriæ viro convenientes in unum plurimi Episco« pi hoc statuerunt. » Alterum Concilium, in quo sancitus canon : *Ne clericus ullus tutelam, curamve susciperet*, celebratum fuit circ. ann. Chr. 215.

(2) Celebrato a Cypriano III, Carthaginensi Concilio in causâ rebaptizationis anno Chr. 255 vel 256, Kal. Sept. cum Episcopis 87 Proconsularis Provinciæ, Numidiæ, ac Mauritaniæ, graviter commotus est Stephanus, qui paulò antè Lucio successerat. Undè coactà anno 256, Romæ synodo acres aculeatasque dedit ad Africam, ac Firmilianum, Helenum Tarsi, aliosque Apostolicas litteras, et si fidem habemus Dyonisio Alexandrino in Epist. ad Xystum, statuit « non com« municandum esse his, qui rebaptizant : sed debere « considerare magnitudinem rei, quia non, quicum« que, sed permagni, et nobiles Episcopi viri sunt, « quibus hoc visum est. »

(1) Deperditâ epistolâ sententiam servatam habemus in Ep. 74, Cypriani ad Pompeianum. Consultus enim à Pompeio Sabratensi Episcopo hæc ex Stephani epistolâ decerpsit : « Si quis ergò à quàcumque hæresi venerit « ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut « manus illi imponatur in pœnitentiam ; quùm ipsi hæ« retici proprio alterutrum ad se venientes non bapti« zent, sed communicent tantùm. » Non errâsse Pontificem in rebaptizationis negotio tantâ argumentorum luce probat Doctissimus Pater D. Constantius Coustant, tom. 1, Epist. Pontif. à pag. 2217, ut nimiùm tardus, vel malignus sit, qui illis non suadetur.

(2) Tertium intelligit Africæ universale, quod singulari modestiâ refellit Augustinus lib. 2 et 3, de Bapt. cont. Donatist.

(3) Suspicor Lirinensem ad hæc Hieronymi in Dialogo contrà Luciferianos respexisse : « Conatus est B. « Cyprianus, inquit, contritos lacus fugere, nec bibere « de aquâ alienâ : et idcircò hæreticorum baptisma « reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ Urbis Epi-

rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget arsuros esse cum diabolo?

VII. Quod quidem mihi divinitùs videtur promulgatum esse judicium propter eorum maximè fraudulentiam qui cùm sub alieno nomine hæresim concinnare machinentur, captant plerumquè veteris cujuspiam viri scripta paulò involutiùs edita, quæ pro ipsâ sui obscuritate dogmati suo quasi congruant; ut illud nescio quid quodcunque proferunt, neque primi neque soli sentire videantur. Quorum ego nequitiam duplici odio dignam judico, vel eò quòd hæreseos venenum propinare aliis non pertimescunt, vel eò etiam quòd sancti cujusque viri memoriam tanquàm sopitos jam cineres prophanâ manu ventilant, et quæ silentio sepeliri oportebat, redivivâ opinione diffamant, sequentes omninò vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiavit. Undè tantam læsæ pietatis meruit offensam ut etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur, beatis illis fratribus multùm longèque dissimilis, qui nuditatem ipsam reverendi patris neque suis temerare oculis, neque alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eum : quod est erratum sancti viri nec approbâsse nec prodidisse (1); atque idcircò beatâ in posteros benedictione donati sunt. Sed ad propositum redeamus. Magno igitur metu nobis immutatæ fidei ac temeratæ religionis piaculum pertimescendum est; à quo nos solùm constitutionis Ecclesiasticæ disciplina, sed etiam censura Apostolicæ deterret auctoritatis. Scitum enim cunctis est quàm graviter, quàm severè, quàm vehementer invehatur in quosdam beatus Apostolus Paulus, qui mirâ levitate nimiùm citò translati fuerant ab eo qui eos vocaverat in gratiam Christi, in aliud Evangelium (1), quod non est aliud; 2 *Tim.* 4, qui coacervârant sibi magistros ad sua desideria, à veritate quidem auditum avertentes, conversi verò ad fabulas; 1 *Tim.* 5, habentes damnationem quòd primam fidem irritam fecissent; quos deceperant ii de quibus ad Romanos fratres scribit idem Apostolus : *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissentiones et offendicula, præter doctrinam quam ipsi didicistis, faciunt; et declinate ab illis. Hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium*, *Rom.* 16. *Qui intrant per domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; semper discentes, et ad scientiam veritatis nunquàm pervenientes*, 2 *Tim.* 3. *Vaniloqui et seductores, qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ*, *Tit.* 1. *Homines corrupti mente, reprobi circà fidem*, 2 *Tim.* 3, superbi, et nihil scientes, sed languentes circà quæstiones et pugnas verborum; qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem : simul autem et otiosi discunt circumire domos; non solùm autem otiosi, sed et verbosi, et curiosi loquentes quæ non oportet, 1 *Tim.* 5 : qui bonam conscientiam repellentes, circà fidem naufragaverunt, 1 *Tim.* 1 : quorum prophana vaniloquia multùm proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit, 2 *Tim.* 2. Benè autem quod de iis item scribitur : *Sed ultrà non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.* 2 *Tim.* 3.

VIII. Cùm ergò tales quidam circumeuntes provincias et civitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad Galatas (1) devenissent, cùmque his auditis Galatæ nauseâ quâdam veritatis affecti, Apostolicæ Catholicæque doctrinæ manna revomentes, hæreticæ novitatis sordibus oblectarentur, ità sese Apostolicæ potestatis exeruit auctoritas, ut summâ cum severitate

« scopum, super hâc re ad Africanam synodum direxit, « sed conatus ejus frustrà fuit. Denique illi ipsi Episcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum « emisère decretum. » Baluzius observat eo sensu Hieronymum dixisse novum emissum esse ab Afric. decretum, quia cernebat à meliori ac majori parte Donatistarum scelus damnari in rebaptizandis hæreticis. Utcumque tamen se habeat quod Hieronymus refert, certum est post Stephani obitum Xysto sedente, Dionysio Alexandrino sequestro pacem restitutam fuisse Romanam inter, et Aricanam Ecclesiam. Undè à Pontio in Vitâ Cypriani num. 14, Xystus appellatur *bonus et pacificus Sacerdos.* Et Cyprianus Ep. 80 aliàs 82. Successum de Xysti passione monet, aitque à « nuntiis « quos Romam, ut exploratam veritatem haberet, miserat, de gravissimâ persecutione et Papæ martyrio se factum fuisse certiorem. » Hæc pax fortè in causâ fuit, ut multi ex Afris veritatem intelligerent, præsertìm quùm Cypriano teste quidam cum Stephano communem haberent sententiam.

(1) Filios verenda patris sui superjecto dorsis pallio aversos operuisse est, ut Gregorius 25 Moral., cap. 22, loquitur, bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicere, ut tamen hæc ab aliis occultent : « Operimentum, inquit, aversi deferunt, quia judicantes factum et venerantes magisterium nolunt videre, quod « tegunt. » Quod prudens optimi Pontificis ac Vincentii monitum, summoperè commendat celebris ex Protestantium parte editor Cypriani Joannes Fellus Episcopus Oxoniensis; at aliis placet Patrum castigare errata, inter quos libenter nomen professus est suum Clericus; quam ob causam in Ep. 6 Crit. et Eccles. culpat dissimulationes omnes in Ecclesiasticâ historiâ ut illicitas. At demus magnorum hominum esse castiganda peccata, ne fortè incauti illa sequantur; quo tamen modo id à quibusdam est præstitum, non dico christianum, sed nec ingenuum decet hominem, nempè cum amaritudine, rabie, acerbitate; dolosè levia errata invidiosis vocibus exaggerando, præteritis dissimulatisque ingentibus meritis. De tali ac tantâ iniquitate graviter postulatus est Clericus ipse à viris probitate et doctrinâ conspicuis, quod opus fuit advertere, morem ipsi gerendo, ne quid notitiâ dignum dissimuletur in Ecclesiasticâ historiâ.

(1) Hoc Apostolicum testimonium non aliter à Tertulliano lib. 4 cont. Marcionem, et Hieronymo in Commentariis super hanc epistolam laudatur, reluctante tamen Erasmo.

(2) Falsi hi fratres docebant hominem ex operibus legis justificandum, deceperuntque Galatas, ut circumcisionem, ac alias legis ceremonias unà cum Christi lege velut ad salutem necessarias observarent. Hinc Paulum deprimebant inter Apostolos, eum insimulantes, velut aliis contradicentem. Qui Ephesi morans, ubi rescivit, epistolâ ægris Galatarum animis ità medetur; 1. improborum coercet audaciam, dignitatem sui Apostolatûs defendens. 2. doctrinæ suæ concordiam cum aliis Apostolis ex habitâ cum illis collatione probat. 3. accersitis rationibus ac veteris Scripturæ testimoniis seductos ab errore revocat. Epistolam scripsit circa ann. Chr. æræ 56, à Chr. morte 23.

decerneret : *Sed licèt nos*, inquit, *aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit, Gal.* 1. Quid est quod ait, *Sed licèt nos?* Cur non potiùs, *Sed licèt ego?* Hoc est : Etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Joannes, etiamsi postremò omnis Apostolorum chorus evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus, anathema sit. Tremenda districtio, propter adserendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris coapostolis pepercisse! Parùm est : *Etiamsi angelus,* inquit, *de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus, anathema sit.* Non suffecerat ad custodiam traditæ semel fidei, humanæ conditionis commemorâsse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset. *Licèt nos,* inquit, *aut angelus de cœlo.* Non quia sancti cœlestesque angeli peccare jam possint; sed hoc est quod dicit : Si etiam, inquit, fiat quod non potest fieri, quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit. Sed hæc forsitan perfunctoriè prælocutus est, et humano potiùs effudit impetu, quàm divinâ ratione decrevit. Absit. Sequitur enim, et hoc ipsum ingenti molimine iteratæ insinuationis inculcat : *Sicut prædiximus, et nunc iterùm dico : Si quis vobis evangelizaverit, præterquàm quod accepistis, anathema sit.* Non dixit : Si quis vobis annuntiaverit præterquàm quod accepistis, benedictus sit, laudetur, recipiatur ; sed, *anathema sit,* inquit, id est, separatus, segregatus, exclusus, ne unius ovis dirum contagium innoxium gregem Christi venenatâ permixtione contaminet.

IX. Sed forsitan Galatis ista tantùm præcepta sunt. Ergò et illa solis Galatis imperata sunt quæ in ejusdem Epistolæ sequentibus commemorantur : qualia sunt hæc : *Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invidentes, Gal.* 5, et reliqua. Quod si absurdum est, et omnibus ex æquo imperata sunt, restat ut sicut hæc morum mandata, ità etiam illa quæ de fide cauta sunt omnes pari modo comprehendant, et sicut nemini licet invicem provocare aut invidere invicem, ità nemini liceat, præter id quod Ecclesia Catholica usquequaquè evangelizat accipere. Aut forsitan tunc jubebatur, si quis annuntiâsset præterquàm quod annuntiatum fuerat, anathematizari ; nunc verò jam non jubetur. Ergò et illud quod item ibi ait : *Dico autem, spiritu ambulate, et desiderium carnis non perficietis,* tunc tantùm jubebatur, modò verò jam non jubetur. Quòd si impium pariter et perniciosum est ità credere, necessariò sequitur ut sicut hæc cunctis ætatibus observanda sunt, ità illa quoque quæ de non mutandâ fide sancita sunt cunctis ætatibus imperata sint. Annuntiare ergò aliquid Christianis catholicis, præter id quod acceperunt nunquàm licuit, nusquàm licet, nunquàm licebit ; et anathematizare eos qui annuntiant aliquid præterquàm quod semel acceptum est, nunquàm non oportuit, nusquàm non oportet, nunquàm non oportebit. Quæ cùm ità sint, estne aliquis vel tantæ audaciæ qui præter id quod apud Ecclesiam annuntiatum est annuntiet, vel tantæ levitatis qui præter id quod ab Ecclesiâ accepit accipiat? Clamat, et repetendo clamat, et omnibus, et semper, et ubique per litteras suas clamat ille, ille vas electionis, ille magister gentium, ille Apostolorum tuba, ille terrarum præco, ille cœlorum conscius, ut si quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur. Et contrà reclamant ranæ quædam, et cyniphes, et muscæ (1) morituræ, quales sunt Pelagiani, et hoc Catholicis : Nobis, inquiunt, auctoribus, nobis principibus, nobis expositoribus, damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, rejicite antiquam fidem, paterna instituta, majorum deposita ; et recipite : quænam illa tandem? horreo dicere : sunt enim tàm superba, ut mihi non modò afirmari, sed ne refelli quidem sine aliquo piaculo posse videantur.

X. Sed dicet aliquis : Cur ergò persæpè divinitùs sinuntur excellentes quædam personæ in Ecclesiâ constitutæ res novas Catholicis annuntiare? Recta interrogatio et digna quæ diligentiùs atque uberiùs pertractetur : cui tamen non ingenio proprio, sed divinæ legis auctoritate, Ecclesiastici magisterii documento satisfaciendum est. Audiamus ergò sanctum Moysen ; et ipse nos doceat cur docti viri, et qui propter scientiæ gratiam ab Apostolo etiam prophetæ nuncupantur, proferre interdùm permittantur nova dogmata, quæ vetus Testamentum allegorico sermone deos alienos appellare consuevit, eò quòd scilicet ità ab hæreticis ipsorum opiniones sicut à gentibus dii sui observentur. Scribit ergò in Deuteronomio beatus Moyses : *Si surrexerit,* inquit, *in medio tuî propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, Deut.* 13, id est, magister in Ecclesiâ constitutus, quem discipuli vel auditores sui ex aliquâ revelatione docere arbitrentur. Quid deindè? *et prædixerit,* inquit, *signum atque portentum, et evenerit quod locutus est.* Magnus profectò nescio quis signatur magister et tantæ scientiæ qui sectatoribus propriis non solùm quæ humana sunt nôsse, verùm etiam quæ suprà hominem sunt prænoscere posse videatur ; quales ferè discipuli sui jactitant fuisse Valentinum, Donatum, Photinum, Apollinarem, cæterosque ejusmodi. Quid posteà? *et dixerit,* inquit, *tibi : Eamus, et sequamur deos alienos quos ignoras, et serviamus eis.* Qui sunt dii alieni, nisi errores extranei quos ignorabas, id est, novi et inauditi? *Et*

(1) Suspicatur P. Macedo respexisse Gelasium Pontificem ad hunc Vincentii locum, dùm in Epist. ad Episcopos per Picenum constitutos, vocat delirum quemdam senem Pelagianum *muscam morituram*, quùm vulgata lectio, ut ille loquitur, habeat *muscæ morientes ;* undè in Comment. Eccl. Polem. cap. XI, infert Lirinensem non fuisse Pelagianâ lue infectum. Poterat addere, appellari etiam *ranam* à Gelasio. « Oblatus est « nobis, inquit, miserabilis senex Seneca nomine, in « Pelagianæ voraginis cœno, sicut de quibusdam in « Apocalypsi legimus, velut una ranarum imprudenter « immersus. At Gelasio notum fuisse Vincentii opus, non credo : alioquin illi meritum rependisset honorem in recensione librorum, et testimonium illud Eccl. 10, v. 1, *de muscis morituris* fortè legit in Optato Milevitano lib. 7, num. 4, vel Augustino lib. 2 cont. Ep. Petiliani cap. x, ubi ait : « Propter numerositatem muscis « arbitror esse comparatos ; sed hi exterminant oleum « suavitatis, qui non ipsam Dei gratiam, sed hominum « mores intuentur. »

serviamus eis, id est, credamus eis, sequamur eos. Quid ad extremum? *non audies*, inquit, *verba prophetæ illius aut somniatoris*. Et quare, oro te, à Deo non prohibetur doceri quod à Deo prohibetur audiri? *Quia*, inquit, *tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat utrùm diligatis eum an non, in toto corde et in totâ animâ vestrâ.* Luce clariùs aperta causa est cur interdùm divina Providentia quosdam Ecclesiarum magistros nova quædam dogmata prædicare patiatur. *Ut tentet vos*, inquit, *Dominus Deus vester*. Et profectò magna tentatio est cùm ille quem tu prophetam, quem prophetarum discipulum, quem doctorem et adsertorem veritatis putes, quem summâ veneratione et amore complexus sis, is subitò latenter noxios subinducat errores, quos nec citò deprehendere valeas, dùm antiqui magisterii duceris præjudicio, nec facilè damnare fas ducas, dùm magistri veteris præpediris affectu.

XI. Hic forsitan efflagitet aliquis ut ea quæ sancti Moysi verbis adserta sunt, Ecclesiasticis aliquibus demonstrentur exemplis. Æqua expostulatio, nec diù differenda. Nam ut à proximis et manifestis incipiam, qualem fuisse nuper tentationem putamus, cùm infelix ille Nestorius, subitò ex ove conversus in lupum, gregem Christi lacerare cœpisset, cùm eum hi ipsi qui rodebantur ex magnâ adhuc parte ovem crederent, ideòque morsibus ejus magis paterent? Nam quis eum facilè errare arbitraretur quem tanto Imperii judicio (1) electum, tanto sacerdotum studio prosecutum videret; qui cùm magno sanctorum amore, summo populi favore celebraretur, quotidiè palàm divina tractabat eloquia, et noxios quosque Judæorum et Gentilium confutabat errores? Quo tandem iste modo non cuivis fidem faceret se recta docere, recta prædicare, recta sentire, qui ut uni hæresi suæ auditum patefaceret, cunctarum hæreseon (2) blasphemias insectabatur? Sed hoc erat illud quod Moyses ait: *Tentat vos Dominus Deus vester si diligatis eum an non.* Et ut Nestorium prætereamus, in quo plus semper admirationis quàm utilitatis, plus famæ quàm experientiæ fuit, quem opinione vulgi aliquamdiù magnum humana magis fecerat gratia quàm divina, eos potiùs commemoremus qui multis profectibus multâque industriâ præditi non parvæ tentationi Catholicis hominibus exstiterunt. Velut apud Pannonias majorum memoriâ Photinus Ecclesiam Sirmitanam tentâsse memoratur: ubi cùm magno omnium favore in sacerdotium fuisset ascitus, et aliquandiù tanquàm Catholicus administraret, subitò, sicut malus ille propheta aut somniator quem Moyses significat, creditam sibi plebem Dei persuadere cœpit ut sequeretur deos alienos, id est, errores extraneos, quos anteà nesciebat. Sed hoc usitatum. Illud verò perniciosum, quòd ad tantum nefas non mediocribus adminiculis utebatur. Nam erat et ingenii viribus valens et doctrinæ opibus (1) excellens et eloquio

(1) Erepto è vivis Sisinio, ortis dissidiis inter clericos, Constantinopolitanæ Ecclesiæ à Theodosio juniore renuntiatus est Præsul, Nestorius, qui Antiochiæ sub habitu et professione monachi vivebat. Et ut narrat Socrates lib. 7, cap. 29, ordinatus fuit anno Christi 428, 4 Id. Apr. bonis omnibus applaudentibus, gratulantibusque quasi alter futurus esset Chrysostomus. Consulat lector Cælestini epist ad eumdem parte 1, Concil. Ephes. cap. 17, Cyrilli epist. ad Theodosium part. 3, Conc. ejusdem.

(2) Vix urbem Ecclesiamque ingressus, in primâ quam habuit concione, Theodosium allocutus est celebri illâ sententiâ, quæ sicut nonnullis placuit, itâ truculenta, et arrogans aliis apparuit: « Da mihi, Imperator, puram ab hæreticis terram, et ego cœlum « vicissim tibi dabo : everte mecum hæreticos, et ego « tecum Persas evertam. » Undè acriter insequi exorsus est cujuscumque sectæ homines voce et manu, Præfectorum urbis potentiâ fretus. Et si fides Gothofredo post Baronium, ampla illa Theodosii lex in Hæreticos lata omnes anno Ch. 428, circà Maii finem, prodiit Nestorio auctore. Vide Comm. Gothofredi in leg. 65 Codic. Theod., et Socratem lib. 7, cap. 28 et sequ.

(1) De Photino natione Galatâ, ità in Chronico Eusebii ab Hieronymo aucto ad ann. 379 juxta editionem, Arnaldi Pontaci Vasatensis Episcopi : « Photinus in « Galatiâ moritur, à quo Photinianorum dogma indu« ctum, qui multa continentiæ, et ingenii bona uno su« perbiæ malo perdidit. » At Joannes Clericus in præf. Artis Crit. Edition. Germanicæ pag. 15, ad sequentem transfert Basilium voces illas, « qui multa continentiæ « et ingenii bona uno superbiæ malo perdidit, » quod probat ex MSS., « temerariam correctionem, ut ait, « non passis, et ex Nazianzeno. » Miror hæc excidisse homini, qui ubique veritatis amorem ac candoris ingenuitatem præfert ac jactat. Sanè Pontacus sex vidit MSS. Codd. Vaticanos, quorum duo tantùm recentiores ac infimæ notæ tribuunt Basilio, quàm quatuor alii notâ ac vetustate digniores constanter Photino ingenii laudem, ac superbiæ malum adjudicent; quibus addere liceat duos alios, nempè Cod. Bibl. Vat. Palatinæ num. 818, et alterum Bibl. Card. Ottoboni lit. G. IV, 1. In Bibliothecâ etiam Christianæ duo sunt Codices num. 553 et 560 Chronici Eusebiani ab Hieronymo aucti, et tamen illa minimè in Basilio comparent, quamvis nullam passi sint temerariam correctionem; et reverà Scaliger in notis ad hunc locum testatur adjecta illa à quodam fuisse ad oram, ut à textu extranea. Quæ diximus, Patrum etiam auctoritate firmantur. De Photini ingenio, ac superbiâ satis sit audire Epiphanium in hær. 71, ubi sic loquitur : « Photinus insaniâ « non minimâ elatus, et suprà omnes furiosus fac« tus, etc., fuit loquax et acutæ linguæ, et qui multos « posset pronuntiatione, et dicendi promptitudine de« cipere. » De Basilio verò alia sunt prorsùs judicia Patrum, nam à Conc. Ephesino « Magnus et Sanctis« simus est appellatus : gloria Ecclesiæ et verè famulus « Dei. » Ab Athanasio Ep. ad Joannem « Orbis lumen, « vox et tuba orbis. Doctrinæ palatium » à Greg. Nazianzen. Ep. 10. Ab Augustino lib. 1, cont. Julian. cap. 5, num. 18, *insignis vir, et clarâ præditus sanctitate;* cujus ingens meritum sic divinitùs B. Ephremo ostensum est. Nam quærens à Deo, ut ostenderet sibi qualis quantusque vir esset Basilius : « Annuit votis « Deus et oranti Ephremo oblata est è regione Altaris « species columnæ immensæ adeò ut jungeret cœlum « terris, vocesque sonuêre in hæc verba : Qualem vidisti « columnam igneam, talem credito esse Basilium : » quod grave testimonium exstat in tom. 1 Bibl. Orient. pag. 59, num. XI, magno Ecclesiæ bono, ac litterariæ Reipublicæ incremento editæ à viro Clariss. Josepho Simonio Assemano. Nec obstat nedùm ab hæreticis, sed et à Catholicis de supercilio accusatum fuisse Basilium, quibus et ipse respondit Ep. 164, illosque Nazianzeni pia gravitas notat, *ut iniquos et acerbos rerum judices.* Orat. in laudem Basilii, ac posterorum memoriæ testatum reliquit « virum hunc, et se ab ambi« tione et theatricâ quâdam ingenii ostentatione abhor« ruisse. »

præpotens; quippè qui utroque sermone copiosè et graviter disputaret et scriberet: quod monumentis librorum suorum manifestatur, quos idem partìm græco, partìm latino sermone composuit. Sed benè quòd commissæ ipsi oves Christi multùm pro catholicâ fide vigilantes et cautæ, citò ad præmonentis Moysi eloquia respexerunt, et prophetæ atque pastoris sui licèt admirarentur eloquentiam, tentationem tamen non ignorârunt. Nam quem anteà quasi arietem gregis sequebantur, eumdem deinceps veluti lupum fugere cœperunt. Neque solùm Photini sed etiam Apollinaris (1) exemplo istius Ecclesiasticæ tentationis periculum discimus, et simul ad observandæ diligentiùs fidei custodiam commonemur. Etenim ipse auditoribus suis magnos æstus (2) et magnas generavit angustias; quippè cùm eos hùc Ecclesiæ traheret auctoritas, hùc magistri retraheret consuetudo; cùmque inter utraque nutabundi et fluctuantes, quid potiùs sibi seligendum foret non expedirent. Sed forsitan ejusmodi ille vir erat qui dignus esset facilè contemni. Imò verò tantus ac talis cui nimiùm citò in plurimis crederetur. Nam quid illo præstantius, acumine, exercitatione, doctrinâ? Quàm multas ille hæreses multis voluminibus oppresserit, quot inimicos fidei confutaverit errores, indicio est opus illud triginta non minùs librorum, nobilissimum ac maximum, quo insanas Porphyrii calumnias magnâ probationum mole confudit. Longum est universa ipsius opera commemorare; quibus profectò summis ædificatoribus Ecclesiæ par esse potuisset, nisi prophanâ illâ hæreticæ curiositatis libidine novum nescio quid adinvenisset quo et cunctos labores suos velut cujusdam lepræ admixtione fœdaret et committeret ut doctrina ejus non tàm ædificatio, quàm tentatio potiùs Ecclesiastica diceretur.

(1) Præter Apollinarium Hierapolitanum Antistitem magni nominis virum, qui sub M. Antonio floruit, circà quarti seculi medium duo exstiterunt Apollinarii pater nempè et filius ambo Alexandrini genere, ac uterque Laodiceam se contulit sub Theodoto urbis Episcopo, commoratique ibi sunt sub Georgio illius successore. At ab isto fuère à communione semoti, licet pater in presbyterorum, ac filius in Lectorum ordinem esset cooptatus. Quâ autem de causâ incertum est dissentientibus veteribus. Nonnulli dicunt ob arctissimum amicitiæ vinculum, quo Epiphanio Sophistæ homini gentili uterque erat junctus; alii, ut Sozomenus, quia Athanasio communicaverant Laodiceam transeunte, ut Alexandriam ab exilio rediret; quoniam notum Apollinariis erat Georgium parùm in Trinitatis professione sibi constare. Utcumque res acciderit, Apollinaris filius illatam injuriam impotenter ferens, artis suæ fiducia fretus, et ulciscendi cupiditate novam excogitavit hæresim; quam nec disseminare quievit paulo post Laodiceno Episcopo renuntiato. Et quia antequàm in infortunium delaberetur, Sanctis viris Epiphanio, Athanasio, Basilio, Serapioni, aliisque fidei defensoribus erat apprimè charus: propterea funestior ejus lapsus Ecclesiæ accidit, uberioresque lacrymas Epiphanio et Basilio expressit, infelicem tanti viri exitum deplorantibus. Consulat Lector. Dionys. Petav. tom. 5, Theol. Dog. lib. 1, cap. 6, num. 2 et 3.

(2) Hæc est lectio Cod. Reg. Unde confirmatur conjectura Barthol. Petri Duac., qui in margine edit. suæ adnotavit hic legendum *æstus* pro eo quod editiones habebant *actus*. Baluzius.

XII. Hìc à me forsitan deposcatur ut horum quos suprà commemoravi hæreses exponam, Nestorii scilicet, Apollinaris, et Photini. Hoc quidem ad rem de quâ nunc agimus non attinet. Propositum etenim nobis est, non singulorum errores persequi, sed paucorum exempla proferre, quibus evidenter ac perspicuè demonstretur illud quod Moyses ait, quia scilicet si quandò Ecclesiasticus aliquis magister, et ipse interpretandis prophetarum mysteriis propheta, novi quiddam in Ecclesiam Dei tentet inducere, ad tentationem id nostram fieri Providentia divina patiatur. Utile igitur fuerit, in excursu, quid suprà memorati hæretici sentiant breviter exponere, id est, Photinus, Apollinaris, Nestorius. Photini ergò secta hæc est. Dicit Deum singulum esse et solitarium, et more Judaico confitendum. Trinitatis plenitudinem negat, neque ullam Dei Verbi aut ullam Spiritûs sancti putat esse personam. Christum verò hominem tantummodò solitarium adserit, cui principium adscribit ex Mariâ: et hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris et solum Christum hominem colere debere. Hæc ergò Photinus. Apollinaris verò in unitate quidem Trinitatis quasi consentire se jactitat, et hoc ipsum non plenâ fidei (1) sanitate; sed in Domini incarnatione apertâ professione blasphemat. Dicit enim in ipsâ Salvatoris nostri carne aut animam humanam penitùs non fuisse, aut certè talem fuisse cui mens et ratio non esset. Sed et ipsam Domini carnem non de sanctæ Virginis Mariæ carne susceptam, sed de cœlo in Virginem descendisse dicebat; eamque nutabundus semper et dubius modò coæternam Deo Verbo, modò de Verbi divinitate factam prædicabat. Nolebat enim in Christo esse duas substantias, unam divinam, alteram humanam, unam ex Patre, alteram ex matre; sed ipsam Verbi naturam putabat esse discissam, quasi aliud ejus permaneret in Deo, aliud verò versum fuisset in carnem; ut cùm veritas dicat ex duabus substantiis unum esse Christum, ille contrarius veritati ex unâ Christi divinitate duas adserat factas esse substantias. Hæc itaque Apollinaris. Nestorius autem contrario Apollinari morbo, dùm sese duas in Christo substantias distinguere simulat, duas introducit repentè personas, et inaudito scelere duos

(1) Miror doctissimum virum Dionysium Petavium tom. 5. Theolog. dogm. lib. 1, cap. 6, n. 15, oppositum legere, quasi nempè Vincentius dixerit, *et ipsum plenâ fidei sanitate*, reclamantibus editionibus, ac contextu ipso: præsertim quia non latuit virum omnigenâ eruditione refertum à Basilio in Ep. 293, et à Gregorio Nazianzeno in Ep. 1, ad Cled. pag. 744, reprehensum fuisse Apollinarem, ut in Sabellii errorem inclinantem, cujus rei testes hic posterior affert libros illius. Hinc minimè audiendus Leontius in lib. de sectis Act. 4, tom. 11, Bibl. PP. dùm affirmat hominem non errare circà Trinitatem. « Tametsi, inquit, Gregorii « ambo etiam hâc in parte erroris illum arguant. » Sed præter Gregorios exstat etiam Basilius et Lirinensis, ut alios omittam; unde suspicor non pervenisse ad Leontium Apollinaris libros, in quibus erratum deprehendit Nazianzenus : nisi fortè quis dicere malit, hominem contraria dogmata vulgâsse, quod accidere illi potuit, dum « in tractandâ Theologiâ non e Scripturis, « sed ex humanis inventis argumenta petebat, » quemadmodum ait Basilius.

esse vult filios Dei, duos Christos, unum Deum, alterum hominem, unum qui ex Patre, alterum qui sit generatus ex matre. Atque ideò asserit sanctam Mariam non *Theotocon*, sed *Christotocon* esse dicendam : quia scilicet ex eâ non ille Christus qui Deus, sed ille qui erat homo, natus sit. Quòd si quis eum putat in litteris suis unum Christum dicere et unam Christi prædicare personam, non temerè credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona faciliùs suaderet et mala, sicut ait Apostolus : *Per bonum mihi operatus est mortem*, Rom. 7. Aut ergò, ut diximus, fraudulentiæ causâ quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum et unam Christi personam credere se jactitat, aut certè post partum jam Virginis ità in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptûs seu partûs Virginei tempore, et aliquantò posteà duos Christos fuisse contendat; ut cùm scilicet Christus homo communis primùm et solitarius natus sit, et nec dùm Dei Verbo personæ unitate sociatus, posteà in eum adsumentis Verbi persona descenderit; et licèt nunc in Dei gloriâ maneat adsumptus, aliquandiù tamen nihil inter illum et cæteros homines interfuisse videatur.

XIII. Hæc ergò Nestorius, Apollinaris, Photinus adversùs Catholicam fidem rabidi canes latrant : Photinus, Trinitatem non confitendo; Apollinaris, convertibilem Verbi dicendo naturam, et duas in Christo substantias non confitendo, et aut totam Christi animam aut certè mentem atque rationem in animâ denegando, et adserendo pro sensu mentis fuisse Dei Verbum; Nestorius, duos Christos aut semper esse, aut aliquandiù fuisse adseverando. Ecclesia verò Catholica et de Deo et de Salvatore nostro recta sentiens, nec in Trinitatis mysterio nec in Christi incarnatione blasphemat. Nam et unam divinitatem in Trinitatis plenitudine et Trinitatis æqualitatem in unâ atque eâdem majestate veneratur, et unum Christum Jesum, non duos, eumdemque Deum pariter atque hominem confitetur. Unam quidem in eo personam, sed duas substantias; duas substantias, sed unam credit esse personam : duas substantias, quia mutabile non est Verbum Dei, ut ipsum verteretur in carnem; unam personam, ne duos profitendo filios, quaternitatem videatur colere, non Trinitatem. Sed operæ pretium est ut id ipsum etiam atque etiam distinctiùs et expressiùs enucleemus. In Deo una substantia, sed tres personæ; in Christo duæ substantiæ, sed una persona. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud; in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Quomodò in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia et persona Patris, alia Filii, alia Spiritûs sancti; sed tamen Patris et Filii et Spiritûs sancti non alia et alia, sed una eademque natura. Quomodò in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? Quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis; sed tamen deitas et humanitas non alter et alter, sed unus idemque Christus, unus idemque filius Dei, et unius ejusdemque Christi et filii Dei una eademque persona; sicut in homine aliud caro, et aliud anima, sed unus idemque homo anima et caro. In Petro et Paulo aliud anima, aliud caro; nec tamen duo Petri, caro et anima; aut alter Paulus anima, et alter caro; sed unus idemque Petrus, unus idemque Paulus, ex duplici diversâque subsistens animi corporisque naturâ. Ità igitur in uno eodemque Christo duæ substantiæ sunt; sed una divina, altera humana; una ex Patre Deo, altera ex matre Virgine; una coæterna et æqualis Patri, altera ex tempore et minor Patre; una consubstantialis Patri, altera consubstantialis matri; unus tamen idemque Christus in utrâque substantiâ. Non ergò alter Christus Deus, alter homo; non alter increatus, alter creatus; non alter impassibilis, alter passibilis; non alter æqualis Patri, alter minor Patre; non alter ex Patre, alter ex matre; sed unus idemque Christus Deus et homo, idem non creatus et creatus, idem incommutabilis et impassibilis, idem commutatus et passus, idem Patri et æqualis et minor, idem ex Patre antè secula genitus, idem in seculo ex matre generatus, perfectus Deus, perfectus homo. In Deo summa divinitas, in homine plena humanitas. Plena, inquam, humanitas : quippè quæ animam simul habeat et carnem, sed carnem veram, nostram, maternam, animam verò intellectu præditam, mente ac ratione pollentem. Est ergò in Christo verbum, anima, caro; sed hoc totum unus est Christus, unus filius Dei, et unus Salvator ac Redemptor noster. Unus autem, non corruptibili nescio quâ divinitatis et humanitatis confusione, sed integrâ et singulari quâdam unitate personæ. Neque enim illa conjunctio alterum in alterum convertit atque mutavit (qui est error proprius Arianorum) (1), sed ità in unum potiùs utrumque compegit, ut manente semper in Christo singula-

(1) Ut Ariani faciliùs improvidis suaderent Verbum alterius esse à Patre substantiæ, passum asseruêre in carne; ac animæ instar fuisse corpori divinitatem illam Verbi veluti secundariam aiebant; undè ex eorum mente in humanitatem quasi conversa erat divinitas, dùm substantivæ hominis formæ in Christo locum tenuit. Hunc errorem assumptæ humanitatis destruentem fidem præter Lirinensem exprobat illis Leontius de sect. Act 2, Athanasius in lib. de salutari Adventu, et in altero de incarnatione Christi : ac potissimùm Hilarius in toto lib. x de Trinitate, undè numer. 9, ait : « Volunt plerique eorum ex passionis metu, et infirmitate patiendi, non in naturâ eum impassibilis Dei « fuisse..... Sed inferioris à Deo Patre naturæ, et humanæ passionis trepidaverit metu, et ad corporalis « pœnæ congemuerit atrocitatem. » Quæ quùm ità sint, jam sine ambiguitate ullâ facilè dirimitur tota controversia, quam Claudianus Mamertus, Berengarius ac Joannes quidam apud Philippum bonæ spei Abbatem excitârunt Hilario, quasi humanas in Christo Passiones neganti num. 23 ejusdem libri dùm inquit : « Passus « quidem est Dominus Jesus Christus, dùm cæditur, « dùm suspenditur, dùm crucifigitur, dùm moritur : « sed in corpus Domini irruens Passio, nec non fuit « Passio, nec tamen naturam Passionis exseruit, dùm « et pœnali ministerio desævit, et virtus corporis sine « sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit. » Sensus ergò est : Passio quâ cæsus est Christus, fuit ex parte corporis, seu humanitatis à Verbo assumptæ, quæ sensu, dolore, tolerantiâ demutata est; sed vera non fuit ex parte Verbi, quod demutationis effectibus caruerit : et hoc est quod Hilarius inquit Filium Dei *vim pœnæ in se desævientis sine sensu pœnæ excepisse*. Consulat Lect. generalem præfat. præmissam Operibus D. Hilarii Edit. P. Coustant. § III.

ritate unius ejusdemque personæ, in æternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturæ; quò scilicet nec unquàm Deus corpus esse incipiat, nec aliquandò corpus, corpus esse desistat. Quod etiam humanæ conditionis demonstratur exemplo. Neque enim in præsenti tantùm, sed in futuro quoque, unusquisque hominum ex animâ constabit et corpore, nec tamen unquàm aut corpus in animam aut anima vertetur in corpus; sed unoquoque hominum sine fine victuro, in unoquoque hominum sine fine necessariò utriusque substantiæ differentia permanebit. Ità in Christo quoque utriusque substantiæ sua cuique in æternum proprietas, salvâ tamen personæ unitate, retinenda est.

XIV. Sed cùm personam sæpiùs nominamus, et dicimus quòd Deus per personam homo factus sit, vehementer verendum est ne hoc dicere videamur quòd Deus verbum solâ imitatione actionis quæ sunt nostra susceperit, et quidquid illud est conversationis humanæ, quasi adumbratus, non quasi verus homo fecerit; sicut in theatris fieri solet, ubi unus plures effingit repentè personas, quarum ipse nulla est. Quotiescumque etenim aliqua suscipitur imitatio actionis alienæ, ità aliorum officia aut opera patrantur, ut tamen hi qui agunt, non sint ipsi quos agunt. Neque enim (ut, verbi gratiâ, secularium et Manichæorum (1) utamur exemplis), cùm actor tragicus Sacerdotem effingit aut regem, sacerdos aut rex est. Nam desinente actu simul et ea quam susceperat persona desistit. Absit hoc à nobis nefarium scelestumque ludibrium. Manichæorum sit ista dementia; qui phantasiæ prædicatores, aiunt Filium Dei Deum, personam hominis non substantiâ extitisse, sed actu putativo quodam et conversatione simulâsse. Catholica verò fides ità Verbum Dei hominem factum esse dicit, ut quæ nostra sunt, non fallaciter et adumbratè, sed verè expressèque susciperet, et quæ erant humana, non quasi aliena imitaretur, sed potiùs ut sua gereret; et prorsùs quod agebat, hoc etiam esset. Sicut ipsi nos quoque in eo quod loquimur, sapimus, vivimus, subsistimus, non imitamur homines, sed sumus. Neque enim Petrus et Joannes, ut eos potissimùm nominem, imitando erant homines, sed subsistendo. Neque enim Paulus simulabat Apostolum, aut fingebat Paulum; sed erat Apostolus, et subsistebat Paulus. Ità etiam Deus Verbum adsumendo et habendo carnem, loquendo, faciendo, patiendo per carnem, sine ullà tamen suæ corruptione naturæ, hoc omninò præstare dignatus est ut hominem perfectum non imitaretur aut fingeret, sed exhiberet, ut homo verus non videretur aut putaretur, sed esset atque subsisteret. Igitur sicut anima connexa carni, nec in carnem tamen versa, non imitatur hominem, sed est homo, et homo non per simulationem, sed per substantiam, ità etiam Verbum Deus, absque ullà sui conversione, uniendo se homini, non confundendo, non imitando factus est homo, sed subsistendo. Abjiciatur ergo tota penitùs personæ illius intelligentia quæ fingendo imitatione suscipitur, ubi semper alius est et aliud simulatur, ubi ille qui agit, nunquàm is est quem agit. Absit etenim ut hoc fallaci modo Deus Verbum personam hominis suscepisse credatur; sed ità potiùs ut incommutabili suâ manente substantiâ, et in se perfecti hominis suscipiendo naturam, ipse caro, ipse homo, ipse persona hominis existeret, non simulatoria, sed vera, non imitativa, sed substantiva, non denique quæ cum actione desisteret, sed quæ prorsùs in substantiâ permaneret.

XV. Hæc igitur in Christo personæ unitas nequaquàm post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta atque perfecta est. Vehementer enim prævacere debemus, ut Christum non modò unum, sed etiam semper unum confiteamur: quia intoleranda blasphemia est ut etiamsi nunc eum unum esse concedas, aliquandò tamen non unum, sed duos fuisse contendas, unum scilicet post tempus baptismatis, duos verò sub tempore nativitatis. Quod immensum sacrilegium non aliter profectò vitare poterimus nisi unitum hominem Deo, sed unitate personæ, non ab ascensu, vel resurrectione, vel baptismo, sed jam in matre, jam in utero, jam denique in ipsâ virginali conceptione fateamur: propter quam personæ unitatem indifferenter atque promiscuè et quæ Dei sunt propria tribuuntur homini, et quæ carnis propria adscribuntur Deo. Indè est enim quod divinitùs scriptum est et filium hominis descendisse de cœlo, et Dominum majestatis crucifixum in terrâ, Joan. 3. 1 Cor. 2. Indè etiam est ut carne Domini factâ, carne Domini creatâ, ipsum Verbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta, scientia creata dicatur; sicut in præscientiâ manus ipsius et pedes ejus fossi esse referuntur. Per hanc, inquam, personæ unitatem illud quoque similis mysterii ratione perfectum est, ut carne Verbi ex integrâ matre nascente, ipse Deus Verbum natus ex Virgine catholicissimè credatur, impiissimè denegetur. Quæ cùm ità sint, absit ut quisquam sanctam Mariam divinæ gratiæ privilegiis et speciali gloriâ fraudare conetur. Est enim singulari quodam Domini ac Dei nostri, Filii autem sui, munere verissimè ac beatissimè *theotocos* confitenda; sed non eo modo *theotocos* quo impia quædam hæresis suspicatur, quæ adserit eam Dei matrem solâ appellatione dicendam, quòd eum scilicet pepererit hominem qui posteà factus est Deus; sicut dicimus Presbyteri matrem, aut Episcopi matrem, non jam Presbyterum aut Episcopum pariendo, sed eum generando hominem qui posteà Presbyter vel Episcopus factus est. Non ità, inquam, sancta Maria *theotocos*, sed ideò potiùs quoniam, ut suprà dictum est, jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quod propter singularem quamdam atque unicam personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ità homo in Deo, Deus est.

XVI. Sed jam ea quæ suprà de memoratis hæresi-

(1) Arbitratur Baluzius à sciolo quodam adjectam fuisse parenthesi *Manichæorum* vocem: qui Vincentium non intelligens, putavit comparationem eam sumi à Manichæis. Deinde ad voces *Sacerdotem effingit*, ait, tragœdos et comœdos induisse palam Episcopi personam, non secùs ac aliorum hominum.

bus vel de catholicâ fide breviter dicta sunt renovandæ causâ memoriæ breviùs strictiùsque repetamus; quò scilicet et intelligantur iterata pleniùs, et firmiùs inculcata teneantur. Anathema igitur Photino non recipienti plenitudinem Trinitatis, et Christum hominem tantummodò solitarium prædicanti. Anathema Apollinari adserenti in Christo conversæ divinitatis corruptionem, et auferenti perfectæ humanitatis proprietatem. Anathema Nestorio neganti ex Virgine Deum natum, adserenti duos Christos, et explosâ Trinitatis fide, quaternitatem nobis introducenti. Beata (1) verò Catholica Ecclesia, quæ unum Deum in Trinitatis plenitudine et item Trinitatis æqualitatem in unâ Divinitate veneratur; ut neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, neque item Trinitatis distinctio unitatem separet Deitatis. Beata, inquam, Ecclesia, quæ in Christo duas veras perfectasque substantias, sed unam Christi credit esse personam, ut neque naturarum distinctio unitatem personæ dividat, neque item personæ unitas differentiam confundat substantiarum. Beata, inquam, Ecclesia, quæ ut unum semper Christum esse et fuisse fateatur, unitum hominem Deo, non post partum, sed jam in ipso matris utero confitetur. Beata, inquam, Ecclesia, quæ Deum factum hominem non conversione naturæ, sed personæ ratione intelligit, personæ autem non simulatoriæ et transeuntis, sed substantivæ ac permanentis. Beata, inquam, Ecclesia, quæ hanc personæ unitatem tantam vim habere prædicat ut propter eam miro ineffabilique mysterio et divina homini et Deo adscribat humana. Nam propter eam et hominem de cœlo secundùm Deum descendisse non abnegat, et Deum secundùm hominem credit in terrâ factum, passum, et crucifixum. Propter ea denique et hominem Dei filium et Deum filium Virginis confitetur. Beata igitur ac veneranda, benedicta, et sacrosancta, et omninò supernæ illi angelorum laudationi comparanda confessio, quæ unum Dominum Deum trinâ sanctificatione glorificat. Idcircò etenim vel maximè unitatem Christi prædicat, ne mysterium Trinitatis excedat. Hæc in excursu dicta sint, aliàs, si Deo placuerit, uberiùs tractanda et explicanda. Nunc ad propositum redeamus.

XVII. Dicebamus ergo in superioribus quòd in Ecclesiâ Dei tentatio esset populi, error magistri, et tantò major tentatio quantò ipse esset doctior qui erraret. Quòd primùm Scripturæ auctoritate, deindè ecclesiasticis docebamus exemplis, eorum scilicet commemoratione qui cùm aliquandiù sanæ fidei forent habiti, ad extremum tamen aut in alienam decidissent sectam, aut ipsi suam hæresim condidissent. Magna profectò res, et ad discendum utilis, et ad recolendum necessaria; quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare atque inculcare debemus; ut omnes verè Catholici noverint se cum Ecclesiâ doctores recipere, non cum doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere. Sed ego ità arbitror, quòd cùm multos in hoc tentandi genere proferre valeamus, nemo penè sit qui Origenis tentationi valeat comparari; in quo plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira exstiterunt, ut inter initia habendam cunctis adsertionibus ejus fidem quivis ille facilè judicaret. Nam si vita facit auctoritatem, magna illi industria, magna pudicitia (1), patientia, tolerantia. Si genus vel

(1) Quùm tot, et tantæ olìm fuerint, quemadmodùm et nunc sunt, otiosæ hæreticorum fraudulentiæ contrà Trinitatis Incarnationisque mysteria, stat nihilominùs catholicæ fidei integritas, tanquàm rupes valida, et immota adversùs omnes ventos, pluvias, torrentes, quia, inquit Hilarius lib. 2. de Trinit. numer. 22. « Ut quædam medicamentorum genera sunt « ità comparata, ut non singulis tantùm ægritudinibus « utilia sint, sed omnibus in commune medeantur « habeantque in se virtutem generalis auxilii; ità « et fides catholica non adversùs singulas pestes, sed « contrà omnes morbos opem medelæ communis impertit; non infirmanda genere, non vincenda nu- « mero, non diversitate fallenda; sed una atque « eadem adversùm singula omniaque consistit. Magnum « est enim, tot in unâ eâ esse remedia, quot morbi « sunt; et totidem veritatis esse doctrinas, quotidem « erunt studia falsitatis. Contrahantur in unum no- « mina hæreticorum, et omnes scholæ prodeant: « audiant unum ingenitum Deum patrem, et unum « unigenitum Dei Filium perfecti Patris perfectam « progeniem, » etc. quæ sequuntur.

(1) Pudicitiæ amore suum evirare corpus ausus fuit, non tàm ferro exsectis genitalibus, quàm cicutam illis adhibendo, ut Athenienses Hierophantas, ad compescendam libidinem illevisse testis est ipse lib. 7. cont. Celsum: licet in diversas abeant etiam veteres Patres opiniones, quod candidè oportuit fateri. Hoc grande facinus ipse, etsi serò, damnavit tamen, vehementerque absterruit alios tom. 15, ad cap. 19, vers. 12, in Matthæum, tùm Scripturarum auctoritate, tùm rationum pondere, ne conviciis, ac ignominiâ afficiendos, se omnibus præbeant; et his verbis appositè Philonem, et Sextum arguit: « At his, inquit, Sa- « crarum litterarum circà illam sententiam minimè « assecutis fides habenda non est; nam si inter fruc- « tus Spiritûs, cum charitate, et gaudio, et patientiâ, « et reliquis quoque castitas recensetur, hanc potiùs « tanquàm fructum dare, et masculum corpus à Deo « datum, conservare oportet, quàm aliud quidpiam « audere, adeò ut transgrediatur aliquis per apposi- « tum ad rem de quâ agitur hocce præceptum: Non « vitiabis aspectum barbæ tuæ, Lev. 19, v. 27..... » Et allatis Scripturæ locis nonnullis ferventiori fide præditos juvenes sic alloquitur: « Jam verò cum « animo suo cogitet, qui tale facinus commissurus « est: quænam ab iis sit passurus, qui probris eum, « et conviciis appetentes, his verbis utentur: Non in- « trabit Eunuchus attritis, vel amputatis testiculis in « Ecclesiam Domini; virum hunc inter castratos « numerantes. » Deindè paulò post subdit: « Quas « nam verò capitis gravedines patiuntur, quas verti- « gines, quæ mentem etiam quandoquè invadunt, et « imaginum formatricem animæ vim sibi novas, et « inusitatas ex hâc materiâ (semine) fingentem species « perturbant. » Quibus si addatur, id quod acutè vidit Augustinus lib. 6, prioris operis adv. Julianum cap. 14, num. 41, spadones etiam carnalis concupiscentiæ urgeri stimulis, « minùs quidem laboriosè, ne, inquit, « concumbendi quamvis irritus ipse conatus in eam « turpitudinem veniat, propter quam Calligonum Va- « lentiniani junioris Eunuchum gladio novimus ultore « punitum meretricis confessione convictum; neque « enim, et in Lib. Ecclesiastico adhiberetur indè simi- « litudo atque diceretur: » Videns oculis, et ingemiscens, quasi spado complectens virginem, et suspirans, « *nisi et ipsi moverentur concupiscentiæ carnalis effectibus, licet destituti carnis effectibus*; » si, inquam, ve-

eruditio, quid eo nobilius (1), qui primùm in eâ domo natus est quæ est illustrata martyrio, deindè pro Christo non solùm patre sed omni quoque facultate privatus, tantùm inter sanctæ paupertatis profecit augustias ut pro nomine Dominicæ confessionis (2) sæpiùs, ut ferunt, adfligeretur. Neque verò hæc in illo sola erant quæ cuncta posteà tentationi forent, sed tanta etiam vis ingenii, tàm profundi, tàm acris, tàm elegantis ut omnes penè multùm longèque superaret; tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnificentia ut pauca forent divinæ, penè fortassè nulla humanæ philosophiæ quæ non penitùs adsequeretur: cujus scientiæ cùm Græca concederent (3), Hebræa quoque elaborata sunt. Eloquentiam verò quid memorem, cujus fuit tàm amœna, tâm lactea, tam dulcis oratio ut mihi ex ore ipsius non tàm verba quàm mella quædam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimpidavit, quæ factu ardua non ut facillima viderentur effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodò nexibus adsertiones suas texuit? Imò planè nemo unquàm magistrorum fuit qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis. Sed, credo, pauca conscripsit? Nemo mortalium plura; ut mihi sua omnia non solùm non perlegi, sed ne inveniri quidem posse videantur: cui ne quicquam ad scientiæ instrumenta deesset, etiam plenitudo exabundavit ætatis (1). Sed forsitan discipulis parùm felix? Quis unquàm felicior? Nempè innumeri ex sinu suo doctores, innumeri sacerdotes, confessores et martyres extiterunt. Jam verò quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exsequi valeat? Quis non ad eum paulò religiosor ex ultimis mundi partibus advolavit? Quis Christianorum non penè ut prophetam, quis philosophorum non ut magistrum veneratus est? Quàm autem non solùm privatæ conditioni, sed ipsi quoque fuerit reverendus imperio declarant historiæ, quæ eum à matre (2) Alexandri Imperatoris accitum ferunt, cœlestis utique sapientiæ merito, cujus et ille gratiâ et amore illa flagrabat. Sed et ejusdem Epistolæ testimonium perhibent quas ad Philippum Imperatorem (3), qui primus Romanorum Principum Christia-

rum est hoc, quod ait Sanctus Doctor, certè nihil juvat exsiccatione, vel exsectione proprium evirare corpus. Consulat Lector Baron. ad ann. 230, et Huetium lib. 1, Origen. cap. 1, num. 13, adversùs Halloix, qui Origenis factum excusandum suscepit l. 4, Orig. def.

(1) Genere fuit Ægyptius, Alexandriæque natus anno Chr. 185, ac Commodi 6, Eleutheri Papæ 9, Friario Materno, et M. Attilo Bradua Coss. Ejus pater fuit Leonides Martyr, qui supplicium tulit capitis x. Kal. Maii; quùm Lætus præesset Ægypto, ac ritu ferino in Ecclesiæ filios sæviret.

(2) Doctissimus Præsul Huetius lib. 9, Origen. cap. 1, n. 9, ex Epiphanio in hær. 64. cap. 1, hoc præclarum eximiumque opus ab Origene præstitum commemorat an. 18, suæ ætatis, quùm à Demetrio Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo, Catechumenorum cura ei fuisset demandata: in quo sicut summâ cum laude nomen Domini confessus est: ità exindè nunquam gentes homini pepercerunt. Quùm enim Ægyptiorum Deorum ministris mos esset abraso vertice in prophani Serapidis gradibus populum alloqui, cum palmarum ramis, ut ad sacra obeunda ascenderent, quo more gravissimæ illorum cæremoniæ continebantur: ille acceptis palmarum surculis erecto fortique animo altâ voce sic compellabat adstantes: *Adeste, accipite ramum, non Templi idolis consecrati, sed Christi.* Undè animis Ethnicorum in se concitatis fugere, latitare, ac latebras commutare coactus est. Acciderunt autem hæc sub Aquilâ Alexandriæ Præfecto.

(3) Amarus eruditæ antiquitatis censor Joannes Clericus in quæst. 2. Hieronymianâ suadere conatur, Origenem imperitissimum Hebraicæ linguæ fuisse, reluctantibus Tillemontio, Montefalconio, et Fabricio. Non vacat hìc nec lubet Clerici expendere argumenta, quùm notarum angustiæ id non permittant; undè satis sit observare, ità ab Origene consultos fuisse Judæos in difficilioribus locis, quod nedùm Hieronymus, verùm etiam ipse testatur, ut aliquandò cum illis publicè decertârit, ac sapientissimum illorum Alexandriæ ex Scripturâ juxtà hebraicam veritatem convicerit; quod refert ipse lib. 1, cont. Celsum: « His verbis, « inquit, memini me urgere vehementer Judæum, qui « sapiens habebatur apud suos, quùmque non posset « se explicare, respondit sicut decebat Judæum. » Deindè non raró Origenes ipse testatur Hebraicos Codices à se diligenter fuisse inspectos, ut mederetur editionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, ac 70 interpretum, ubi erant depravatæ. Hinc t. 8 Commentar. in Joannem pag. 130. Edit. Huetii t. 2, disserens de porcis è rupe præcipitatis, ac in mare per Dæmones suffocatis, observat non rectè legi in loco Gerasenorum, vel Gadarenorum; quia « Gergesa, inquit, à quâ « Gergesei, urbs est antiqua juxtà stagnum, quod nunc « Tiberiadis vocamus, juxtà quam rupes est stagnum « adjacens, è quâ ostenditur porcos à Dæmoniis in « præceps delatos fuisse..... » Et paulò post subdit: « Tale erratum in Lege, et Prophetis circà nomina licet « cernere, ut accuratè perspeximus ab Hebræis edocti, « cum ipsorum exemplaribus nostra comparantes, « quæ testimonium habent ab editionibus Aquilæ, « Symmachi, et Theodotionis, quæ non sunt depra- « vatæ. » Consulat lector Fabricium tom. 5. lib. 5. cap. 1. p. 223., et 224. Tillemontium in Mon. Eccl. de Origene disserentem, et D. Bernardum à Montefalconis in Præfat. ad Hexapla Origen.

(1) Vixit annos 69, quùm labore confectum Tyri summum virum mors consumpsit ann. post Ch. ortum 254, quo anno Interamnæ Gallus et Volusianus interfecti sunt. Eàdem in urbe sepultus est, cujus sepulcri vestigia bodiè superesse, qui loca illa lustrârunt, apud Huetium lib. 1. Origen. cap. 4, num. 7 et 9, referunt.

(2) Mammæa nempè, quæ quùm Antiochiæ moraretur, Origenem accersivit. Post Severi verò mortem, sub Zepherino Romam venit, non assectandæ Mammææ studio, quod censuit Baronius, sed desiderio penitùs cognoscendæ Romanæ Ecclesiæ omnium antiquissimæ, teste Euseb. lib. 6. Eccl. Hist. cap. 10.

(3) Eusebius Cæsareensis in Chronico ab Hieronymo aucto ad ann. Chr. 247, hæc habet: « Romano- « rum xxiii, Philippus regnavit annis 7. Philippus « Philippum filium suum consortem regni facit pri- « musque omnium ex Romanis Imperatoribus Chri- « stianus fuit. » Et ad an. 254, ait à Decio fuisse illos interfectos ob odium in Christianam religionem. Eusebio concinit Orosius lib. 7 Hist. cap. 20, aliique quorum testimonia præterire libet. In actis S. Pontii Martyris à Baluzio ex vetustis codicibus editis fertur à S. hoc viro fuisse ad fidem conversos. At Pagius longâ dissertatione probat fabulosa esse omnia, quæ de Philippis Christianam religionem amplexis feruntur, nixus testimoniis Ambrosii, Sulpicii, aliorumque dicentium Constantinum fuisse primum Imperatorem Christianum; ac ex nummis, in quibus certa Philipporum gentilitatis signa deprehenduntur, Petavius tom. 2 de Doct. temp. lib. 11, cap. 27, post Baronium ex Zonarâ observat quosdam nominis similitudine deceptos, ad Philippum Imperatorem accommodâsse,

nus fuit, Christiani magisterii auctoritate conscripsi. De cujus incredibili quâdam scientiâ si quis referentibus nobis Christianum non accepit testimonium, saltem testificantibus philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namque impius ille Porphyrius (1) excitum se famâ ipsius Alexandriam puerum ferè perrexisse, ibique eum vidisse jam senem, sed planè talem tantumque qui arcem totius scientiæ condidisset. Dies me citiùs defecerit quàm ea quæ in illo viro præclara exstiterunt vel ex minimâ saltem parte perstringam : quæ tamen omnia non solùm ad Religionis gloriam, sed etiam ad tentationis magnitudinem pertinebant. Quotus enim quisque tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tantæ gratiæ virum aut facilè deponeret, ac non illâ potiùs uteretur sententiâ, se cum Origene errare malle, quàm cum aliis vera sentire? et quid plura? Eò res decidit ut tantæ personæ, tanti doctoris, tanti prophetæ, non humana aliqua, sed, ut exitus docuit, nimiùm periculosa tentatio plurimos à fidei integritate deduceret. Quamobrem hic Origenes tantus ac talis, dùm gratiâ Dei insolentiùs abutitur, dùm ingenio suo nimiùm indulget, sibique satis credit, cùm parvi pendit antiquam Christianæ Religionis simplicitatem, dùm se plus cunctis sapere præsumit, dùm ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula (2) novo more interpretatur, meruit ut de se quoque Ecclesiæ Dei diceretur : *Si surrexerit in medio tuî propheta*, Deut. 13. Et paulò post : *Non audies*, inquit, *verba prophetæ illius.* Et item : *Quia tentat vos*, inquit, *Dominus Deus vester utrùm diligatis eum an non.* Verè non solùm tentatio, sed etiam magna tentatio deditam sibi atque in se pendentem Ecclesiam admiratione ingenii, scientiæ, eloquentiæ, conversationis, et gratiæ, nihil de se suspicantem, nihil verentem, subitò à veteri Religione in novam prophanitatem sensìm paulatìmque traducere. Sed dicet aliquis corruptos esse Origenis libros. Non resisto ; quin potiùs et malo. Nam id à quibusdam et traditum et scriptum est, non Catholicis tantùm, verùm etiam Hæreticis. Sed illud est quod nunc debemus advertere etsi non ipsum, libros tamen sub nomine suo editos, magnæ esse tentationi : qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes, non ut alieni, sed quasi sui et leguntur et amantur ; ut etsi in errore concipiendo Origenis non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis auctoritas valere videatur.

XVIII. Sed et Tertulliani quoque eadem ratio est Nam sicut ille apud Græcos, ità hic apud Latinos nostrorum omnium facilè princeps judicandus est. Quid enim hoc viro doctius, quid in divinis atque humanis rebus exercitatius? Nempè omnem philosophiam et cunctas philosophorum sectas, auctores, adsertoresque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum ac studiorum varietatem mirâ quâdam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tàm gravi ac vehementi excelluit ut sibi nihil penè ad expugnandum proposuerit quod non aut acumine inruperit, aut pondere eliserit? Jam porrò orationis suæ laudes quis exsequi valeat, quæ, tantâ nescio quâ rationum necessitate concerta est ut ad consensum suî quos suadere non potuerit impellat ; cujus quot penè verba, tot sententiæ sunt ; quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnostici, cæterique ; quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus, evertit. Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic, inquam, Tertullianus, catholici dogmatis, id est, universalis ac vetustæ fidei parùm tenax, ac disertior multò quàm felicior, mutatâ deinceps sententiâ, fecit ad extremum quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit : *Sequenti*, inquit, *errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*, Hilarius in Matth. c. 5. Et fuit ipse quoque in Ecclesiâ magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantùm commemorabo, quòd contrà Moysi præceptum exsurgentes in Ecclesiâ novellas Montani furias et insana illa insanarum mulierum novitii dogmatis somnia (1) veras prophetias adseverando, meruit ut de se

quæ Philippo Ægypti Augustali conveniunt ; quod asserit præsertim de Epistolis Origenis. Huetius lib. 1 Origen. cap. 2, num. 12, ait occultè à Fabiano fuisse initiatum Philippum Antiochiæ sub Babylâ ; et ideò celebratum à Catholicis id fuit, non reprehensum à gentilibus, quia eos latuit. Suspicor amplexum fuisse Philippum Christianam Religionem, quod ei exprobant nonnulli, quasi sic tegere posset crimina. Hoc testantur præter suprà laudatos Leontius Antiochenus, Chrysostomus, et auctor Chronici Alexandrini ; sed non plenè, hinc multa, quæ gentilitatis erant, retinuit, nec fidem in posteros Imperatores transfudit. Quæ suspicio multis firmari posset monumentis.

(1) Valesius, et post illum Huetius ex hoc Porphyrii testimonio inferunt duos exstitisse Origenes, ambos Ammonii discipulos : nostrum, qui vulgò Adamantius est dictus, de quo Porphyrius tradit multam ex scriptis apud posteros gloriam fuisse consecutum, sibique adolescenti valdè notum ; alterum verò qui fuit Herennii, et Plotini condiscipulus, de quo frequens mentio in vitâ Plotini ab eodem Porphyrio scriptâ ; nihilque posterorum memoriæ reliquit præter libellum de Dæmonibus, ut constat ex Longino. Fuit autem hic condiscipulus, et æqualis Porphyrii Romæ, si Eunapio fides. Verùm, ut utriusque Origenis latum appareat discrimen, oportet advertere Adamantium imperantibus Gallo et Volusiano ex Eusebio obiisse : alterum verò ex Porphyrio in vitâ Plotini sub Gallieno in vivis fuisse, ac librum quemdam elaborâsse.

(2) Quæ fuerint hæc Scripturarum capitula exponit Epiphanius in Anchoratu numer. 54 et 62, exordia scilicet Genesis : « Plerique, inquit, allegoricè de « Paradiso disputant, atque inter cæteros furiosus « Origenes adumbratam nescio quam speciem pro « veritate in mundum invexit. » Et posteriori num., « iterùm : « Redeo ad Originem (quod ipsi Deus ignoscat) : absurdissimam aliam fabulam, et allegoriam « fallendis hominibus proposuit, etc. » Vide S. Virum loc. laud. Oportet tamen hìc advertere, quòd licet ab Origene peccatum sit ob frequentes allegorias, inter veteres tamen nemo accuratiùs illo etiam litteralem Scripturæ sensum exposuit, ut probè notum est illis, qui ejus lucubrationes evolverunt. Hinc optandum sanè est, ut paulò æquiores in Origenem fuissent nonnulli etiam ex veteribus ; qui strenuè quùm usi essent hominis laboribus, graves posteà ei lites excitârunt.

(1) Intelligit Priscillam et Maximillam, nobiles ac opulentas feminas, quæ Ecclesias plures auro primùm, deindè nefariis corrupêre dogmatibus. De his ac Montano Prosper in Chronico ad Consulat. Cethegi et Clari,

quoque et scripturis suis diceretur: *Si surrexerit in medio tuî propheta.* Et mox: *Non audies verba prophetæ illius.* Quare? *Quia,* inquit, *tentat vos Dominus vester utrùm diligatis eum an non.*

XIX. His igitur tot ac tantis cæterisque ejusmodi Ecclesiasticorum exemplorum molibus evidenter advertere, et secundùm Deuteronomii leges luce clariùs intelligere debemus, quòd si quandò aliquis Ecclesiasticus magister à fide aberraverit, ad tentationem id nostram fieri Providentia divina patiatur, utrùm diligamus Deum an non in toto corde et in totâ animâ nostrâ.

XX. Quæ cùm ità sint, ille est verus et germanus Catholicus qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ Religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam; sed hæc cuncta despiciens, et in fide fixus, stabilis, permanens, quicquid universaliter antiquitùs Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solùm sibi tenendum credendumque decernit; quicquid verò ab aliquo deinceps uno præter omnes vel contra omnes sanctos novum et inauditum subindici senserit, id non ad Religionem sed ad tentationem potiùs intelligit pertinere, tùm præcipuè beati Apostoli Pauli eruditus eloquiis: hoc est enim quod in primâ ad Corinthios Epistolâ scribit: *Oportet,* inquit, *et hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis,* 1 *Cor.* 11; ac si diceret: Ob hoc hæreseon non statìm divinitùs eradicantur auctores, ut probati manifesti fiant, id est, ut unusquisque quàm tenax et fidelis et fixus catholicæ fidei sit amator appareat. Et reverà, cùm quæque novitas ebullit, statìm cernitur frumentorum gravitas et levitas palearum; tunc sine magno molimine excutitur ab areâ quod nullo pondere intrà aream tenebatur. Namque alii illicò prorsùs avolant; alii verò tantummodò excussi, et perire metuunt, et redire erubescunt saucii, semineces ac semivivi; quippè qui tantam veneni hauserint quantitatem quæ nec occidat nec digeratur, nec mori cogat nec vivere sinat, heu miseranda conditio! quantis illi curarum æstibus, quantis turbinibus exagitantur? Nunc etenim, quà ventus impulerit, incitato errore rapiuntur; nunc in semetipsos reversi, tanquàm contrarii fluctus, reliduntur, nunc temerariâ præsumptione et ea quæ incerta videntur adprobant; nunc irrationali metu, etiam quæ certa sunt expavescunt; incerti quà eant, quà redeant, quid adpetant, quid fugiant, quid teneant, quid dimittant. Quæ quidem dubii et malè penduli cordis afflictio divinæ ergà se miserationis est medicina, si sapiant. Idcircò etenim extrà tutissimum catholicæ fidei portum diversis cogitationum quatiuntur, verberantur, ac penè enecantur procellis, ut excussa in altum elatæ mentis vela deponant, quæ malè novitatum ventis expanderant, seseque intrà fidissimam stationem placidæ ac bonæ matris reducant et teneant, atque amaros illos turbulentosque errorum fluctus primitùs revomant, ut possint deinceps vivæ et salientis aquæ fluenta potare. Dediscant benè quod didicerant non benè; et ex toto Ecclesiæ dogmate quod intellectu capi potest capiant, quod non potest credant.

XXI. Quæ cùm ità sint, iterùm atque iterùm eadem mecum revolvens et reputans, mirari satis nequeo tantam quorumdam hominum vesaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam postremò errandi libidinem ut contenti non sint traditâ semel et acceptâ antiquitùs credendi regulâ, sed nova ac nova in diem quærant, semperque aliquid gestiant Religioni addere, mutare, detrahere; quasi non cœleste dogma sit quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici nisi assiduâ emendatione, imò potiùs reprehensione non possit, cùm divina clament oracula: *Ne transferas terminos quos posuerunt patres tui, Prov.* 22; et: *Super judicantem ne judices, Eccli.* 8; et: *Scindentem sepem mordebit eum serpens, Eccles.* 10, et illud apostolicum, quo omnes omnium hæreseon sceleratæ novitates velut quodam spiritali gladio sæpè truncatæ semperque truncandæ sunt: *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circà fidem exciderunt,* 1, *Tim.* 6. Et post hæc inveniuntur aliqui tantâ inveteratæ frontis duritiâ, tantâ impudentiæ incude, tanto adamante pertinaciæ, qui tantis eloquiorum cœlestium molibus non succumbant, tantis ponderibus non fatiscant, tantis malleis non conquassentur, tantis postremò fulminibus non conterantur? *Devita,* inquit, *prophanas vocum novitates:* Non dixit *antiquitates,* non dixit *vetustates;* imò planè quid è contrario sequeretur ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas; et si prophana est novitas, sacrata est vetustas. *Et oppositiones,* inquit, *falsi nominis scientiæ.* Verè falsum nomen apud doctrinas Hæreticorum; ut ignorantia scientiæ, et caligo serenitatis, et tenebræ luminis appellatione fucentur. *Quam quidam,* inquit, *promittentes, circà fidem exciderunt.*

qui incidit in ann. Christi 170: « Hâc tempestate pseudo-« prophetia, quæ Cataphrygas nominatur, accepit exor-« dium, Montano auctore, Priscâ Maximillâque insanis « vatibus. Nomen errori Provincia Phrygiâ dedit, « quia inventores ejus illic primitùs exstiterunt, ibique « vixerunt, et nunc etiam in eisdem partibus populos « habent. Adventum Spiritûs Sancti à Domino promis-« sum, in se potiùs, quàm in Apostolos fuisse asserunt: « secundas nuptias pro fornicationibus habent; et ideò « dicunt eas permisisse Apostolum Paulum, quia ex « parte sciebat, et ex parte prophetabat; nondùm enim « venerat quod perfectum est. Hoc autem perfectum « in Montanum, et in ejus prophetissas venisse delirant. » Vixit Tertullianus usque ad mediam ætatem Ecclesiæ presbyter; « invidiâ posteà, inquit Hieronymus *in Catal.* « *Scrip. Eccl. cap.* 53, et contumeliis Clericorum Romanæ Ecclesiæ, ad Montani dogma delapsus, in multis li-« bris meminit novæ prophetiæ: specialiter autem ad-« versùm Ecclesiam texuit volumina: de pudicitiâ, de « persecutione, de jejuniis, de Monogamiâ, de extasi li-« bros sex, et septimum quem adversùs Apollonium « composuit. » Dolendus sanè hominis lapsus, quia Hieronymo eodem teste in Epist. ad Magnum, inter Latinos nihil Tertulliano eruditius, vel acutius; quandò Apologeticus ejus, et contrà Gentes libri, cunctam seculi obtinent disciplinam. Fertur vixisse usque ad decrepitam ætatem.

Quid promittentes exciderunt, nisi novam nescio quam ignoratamque doctrinam? Audias etenim quosdam ipsorum dicere : Venite, ô insipientes et miseri, qui vulgò Catholici vocitamini, et discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis antè seculis latuit, nuper verò revelata et ostensa est; sed discite furtim atque secretim : delectabit enim vos. Et item : Cùm didiceritis, latenter docete; ne mundus audiat, nec Ecclesia sciat : paucis namque concessum est tanti mysterii capere secretum. Nonne hæc verba sunt illius meretricis quæ apud Salomonis Proverbia vocat ad se prætereuntes viam qui dirigunt iter suum? *Qui est*, inquit, *vestrùm insipientissimus, divertat ad me.* Inopes autem sensu exhortatur dicens : *Panes occultos libenter attingite, et aquam dulcem furtim bibite.* Quid deindè? *At ille*, inquit, *nescit quoniam terrigenæ apud eam pereunt*, *Prov.* 9. Qui sunt isti terrigenæ? Exponat Apostolus : *Qui circà fidem*, inquit, *exciderunt*, 2 *Tim.* 2.

XXII. Sed operæ pretium est totum ipsum Apostoli capitulum diligentiùs pertractare. *O Timothee*, inquit, *depositum custodi*, *devitans profanas vocum novitates.* *O!* Exclamatio ista et præscientiæ est pariter et charitatis. Prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat, errores. Quis est hodiè Timotheus nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram divini cultûs scientiam vel habere ipsi debent vel aliis infundere? Quid est, *depositum custodi*? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus, superseminent zizania super illud tritici bonum semen quod seminaverat filius hominis in agro suo, *Depositum*, inquit, *custodi*. Quid est *depositum*? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitâsti; rem non ingenii, sed doctrinæ, non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam : in quâ non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi*; catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penès te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde : nolo mihi pro aliis alia subjicias : nolo pro auro aut impudenter plumbum aut fraudulenter æramenta supponas : nolo auri speciem, sed naturam planè. O Timothee, O Sacerdos, O Tractator, O Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ, esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divi dogmatis gemmas exsculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur, te exponente illustriùs, quod antè obscuriùs credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur quod antè vetustas non intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didicisti doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.

XXIII. Sed forsitan dicit aliquis : Nullusne ergò in Ecclesiâ Christi profectus habebitur Religionis? Habeatur planè, et maximus. Nam quis ille est tàm invidus hominibus, tàm exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ità tamen ut verè profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet ut in semetipsum unaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet et multùm vehementerque proficiat tàm singulorum quàm omnium, tàm unius hominis quàm totius Ecclesiæ, ætatum ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eâdemque sententiâ. Imitetur animarum religio rationem corporum : quæ licèt annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quæ erant permanent. Multùm interest inter pueritiæ florem et senectutis maturitatem; sed iidem tamen ipsi fiunt senes qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominùs eademque natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum; et si qua illa sunt quæ ævi maturioris ætate pariuntur, jam in seminis ratione proserta sunt; ut nihil novum posteà proferatur in senibus quod non in pueris jam antè latitaverit. Undè non dubium est hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandioribus partes ac formas numerus detexat ætatis quas in parvulis Creatoris sapientia præformaverat. Quòd si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur : ità etiam Christianæ Religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat, et universis partium suarum mensuris cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit, quod nihil prætereà permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam definitionis sustineat varietatem. Exempli gratiâ : Severunt majores nostri antiquitùs in hâc ecclesiasticâ segete triticeæ fideï semina : iniquum valdè et incongruum est ut nos eorum posteri pro germanâ veritate frumenti subdititium zizaniæ legamus errorem. Quin potiùs hoc rectum et consequens est ut primis atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis tritiсei quoque dogmatis frugem demetamus; ut cùm aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, et nunc lætetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur : addatur licèt species, forma, distinctio, eadem tamen cujusque generis natura permaneat. Absit etenim ut rosea illa catholici sensûs plantaria in carduos spinasque vertantur. Absit inquam, ut in isto spiritali paradiso de cinnamomi et balsami surculis lolium repentè atque aconita proveniant. Quodcumque igitur in hâc Ecclesiâ Dei agriculturâ fide patrum satum est, hoc idem filiorum industriâ decet excolatur et observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim ut prisca illa cœ-

lestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant, licet, evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, horreo dicere quantum exscindendæ atque abolendæ Religionis periculum consequatur. Abdicatâ etenim quâlibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito, abdicabuntur. Porrò autem sigillatìm partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? sed è contrà, si novitia veteribus, extranea domesticis, et profana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necesse est ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum, sed sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar ubi erat anteà castæ et incorruptæ sacrarium veritatis. Sed avertat hoc à suorum mentibus nefas divina pietas, sitque hic potiùs impiorum furor. Christi verò Ecclesia, sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquàm permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed omni industriâ hoc unum studet ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua sunt illa antiquitùs informata et inchoata, accuret et poliat; si qua jam expressa et enucleata consolidet, firmet; si qua jam confirmata et definita, custodiat; deniquè quid unquàm aliud Conciliorum decretis enisa est nisi ut quod antea simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentiùs crederetur, quod anteà lentiùs prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur, quod anteà securiùs colebatur, hoc idem posteà sollicitiùs excoleretur? Hoc, inquam semper, neque quicquam prætereà, Hæreticorum novitatibus excitata, conciliorum suorum decretis catholica perfecit Ecclesia, nisi ut quod priùs à Majoribus solâ traditione susceperat, hoc deindè posteris etiam per Scripturæ chirographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, et plerumquè, propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum (1) novæ appellationis proprietate signando.

XXIV. Sed ad Apostolum redeamus. *O Timothee*, inquit, *depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates.* Devita, inquit, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solùm tactu, sed etiam visu afflatuque percutiant. Quid est devitare? *cùm hujusmodi nec cibum sumere*, 1 Cor. 5. Quid est, devita? *Si quis*, inquit, *venit ad vos, et hanc doctrinam non affert*, 2 Joann. Quam doctrinam, nisi catholicam et universalem, et unam eamdemque per singulas ætatum successiones incorruptâ veritatis traditione manentem, et usque in secula sine fine mansuram? Quid tùm? *Nolite*, inquit, *recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis. Prophanas*, inquit, *vocum novitates.* Quid est *prophanas?* Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitùs extraneas. *Prophanas*, inquit, *vocum novitates.* Vocum, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt vetustati atque antiquitati contrariæ: quæ si recipiantur, necesse est ut fides beatorum patrum, aut tota, aut certè magnâ ex parte violetur; necesse est ut omnes omnium ætatum fideles, omnes sancti omnes casti, continentes, virgines, omnes clerici, levitæ et sacerdotes, tanta confessorum millia, tanti martyrum exercitus, tanta urbium, tanta populorum celebritas et multitudo, tot insulæ, provinciæ, reges, gentes, regna, nationes, totus postremò jam penè terrarum orbis, per catholicam fidem Christo capiti incorporatus, tanto seculorum tractu ignorâsse, errâsse, blasphemâsse, nesciisse quid crederet, pronuntietur. *Prophanas*, inquit, *vocum novitates devita*: quas recipere atque sectari nunquàm Catholicorum, semper verò Hæreticorum fuit. Et reverà, quæ unquàm hæresis nisi sub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquàm hæreses instituit nisi qui se priùs ab Ecclesiæ catholicæ universitatis et antiquitatis consensione discreverit? Quod ità esse luce clariùs exempla demonstrant. Quis enim unquàm antè profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præsumpsit arbitrii ut ad hoc in bonis rebus per actus singulos adjuvandum necessariam Dei gratiam non putaret? Quis antè prodigiosum discipulum ejus Cœlestium (1) reatu prævaricationis Adæ omne

(1) Placuit Ecclesiæ, ac bonis omnibus, ne fucus à desperatis hominibus veritati fieret; ut aliquandò antiquus fidei sensus, novæ appellationis proprietate signaretur; at indignati sunt nonnulli, inter quos Joannes Clericus, tomo primo Artis Criticæ, ubi culpat voces ab Ecclesiâ sacratas, nempè Transubstantiationis, Consubstantialis, et similium quasi voces nihili: verùm injusta est reprehensio, taliterque iste se gerit, ac si quis diceret, ut Hilarius loquitur libr. adv. Constantium Imperatorem num. 16: « Nolo adversùm « nova venena novas medicamentorum comparationes, « nolo adversùm novos hostes nova bella, nolo ad« versùm novas insidias concilia recentia.... Novitates « vocum, sed prophanas devitare jubet Apostolus: tu « cur pias excludis? quùm præsertim ab eo dictum « sit: Omnis scriptura divinitùs inspirata utilis est. « Innascibilem, scriptum nunquàm legis: numquid ex « hoc negandum erit, quia novum est? Decernis si« milem Patri Filium. Evangelia non prædicant: quid est, « quòd non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, « in alio submovetur. Ubi impietatis occasio, novitas « admittitur: ubi autem religionis MAXIMA ET SOLA « CAUTELA EST, excluditur. » Quare autem Clericus disserens de vocibus nihil significantibus in exemplum adducat voces illas ab Ecclesiâ sacratas, quis prudens intelligere potest, quandò ex sensu et voluntate Ecclesiæ jam legitimus illis vocibus affixus est sensus? quod fas semper fuit, eritque, licet frendentibus ferocioribus, et fortè insanis Criticis, Poetâ dicente: *Licuit semperque licebit Signatum præsente notâ procudere nomen.*

(1) Natu nobilis fuit, sed naturæ vitio Eunuchus matris utero editus. An ob hanc causam à Lirinensi appelletur prodigiosus, incertum est; Patres tamen S. Mauri post Garnerium verisimile putant. Certè in Commonitorio Marii Mercatoris oblato Ecclesiæ Constantinopolitanæ ac Theodosio, hæc in illius exordio leguntur: *Cœlestius quidem Eunuchus matris utero editus.*

humanum genus denegavit adstrictum? Quis antè sacrilegum Arium trinitatis unitatem discindere, quis antè sceleratum Sabellium unitatis Trinitatem confundere ausus est? Quis antè crudelissimum Novatianum (1) crudelem Deum dixit, eò quòd mallet mortem morientis quàm ut revertatur et vivat? Quis antè magum Simonem, apostolicâ districtione percussum (à quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum (2) continuâ et occultâ successione manavit) auctorem malorum (3), id est, scelerum, impietatum, flagitiorumque nostrorum ausus est dicere creatorem Deum? Quippè quem adserit talem hominum manibus ipsam suis creare naturam, quæ proprio quodam motu et necessariæ cujusdam voluntatis impulsu nihil aliud possit, nihil aliud velit nisi peccare, eò quòd furiis vitiorum omnium exagitata et inflammata in omnia turpitudinum barathra inexhaustâ cupiditate rapiatur. Innumera sunt talia, quæ brevitatis studio prætermittimus : quibus tamen cunctis satis evidenter perspicuèque monstratur hoc apud omnes ferè hæreses quasi solemne esse ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, et per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent. Contrà verò Catholicorum hoc verè proprium, deposita sanctorum patrum et commissa servare, damnare profanas novitates, et sicut dixit atque iterùm prædixit Apostolus, *si quis annuntiaverit præterquàm quod acceptum est, anathema sit*, Gal. 1.

XXV. Hìc fortassè aliquis interroget an et Hæretici divinæ Scripturæ testimoniis utantur. Utuntur planè, et vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Moysi, per Regum libros; per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatìm, sive publicè, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquàm penè de suo proferunt quod non etiam Scripturæ verbis (1) adumbrare conentur. Lege Pauli Samosateni opuscula, Priscilliani, Eunomii, Joviniani, reliquarumque pestium; cernas infinitam exemplorum congeriem, propè nullam omitti paginam quæ non novi aut veteris Testamenti sententiis fucata et colorata sit. Sed tantò magis cavendi et pertimescendi sunt, quantò occultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant. Sciunt enim fætores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi et simplices exhalentur; atque idcircò eos cœlestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille qui humanum facilè despiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt quod hi solent (2), qui parvulis austera quædam temperaturi pocula, priùs oras melle circumlinunt, ut incauta ætas cùm dulcedinem præsenserit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam iis curæ est qui mala gramina et noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè ubi suprascriptum legerit remedium, suspicetur venenum. Indè denique et Salvator clamabat : *Attendite vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, ab intùs autem sunt lupi rapaces*, Matth. 7. Quid est vestitus ovium, nisi Prophetarum et Apostolorum proloquia, quæ iidem, ovili quâdam sinceritate, agno illi immaculato, qui

(1) Nemo ex his Vincentii verbis inferat, nullam esse pro peccantibus indulgentiam, remissionemque servatam dixisse Novatianum. Error namque ejus sequens fuit, quem anteà defenderat Tertullianus; inficiabatur fuisse Ecclesiæ concessam potestatem, ut atrociora illa peccata, apostasiæ nempè à fide, homicidii, ac fornicationis, per se remitteret, quùm talium delictorum venia esset soli Deo reservata. Undè statuebat de illis perpetuò agendam esse pœnitentiam. Pro minoribus verò peccatis agnovit in Ecclesiâ dimittendi facultatem. Vide Petavium, tom. IV. Theol. dogm. lib. 3. Eccl. Hierar. cap. 12 num. 6.

(2) Simonis impura, et nefanda dogmata, quæ latè describuntur ab Irenæo, Epiphanio, et Theodoreto, discipulos defensoresque multos nacta sunt, ut Saturninum, Basilidem, hujusque filios Epiphanem, et Isidorum. Quorum infelices hæredes exstitêre Cerdon, et Marcion, ac tertio Ecclesiæ seculo Manichæi; his successêre Priscillianistæ, quos Manichæorum cognatos appellat S. Leo in ep. olim 93, nunc 15, cap. 4. Undè Prosper in Chronico ad Coss. Ausonium, et Olybrium : *Eâ tempestate Priscillianus Episcopus de Gallæciâ, ex Manichæorum et Gnosticorum dogmate, hæresim nominis sui condidit.* Gnosticos autem à Simone sua habuisse exordia testis est Irenæus.

(3) Optâsse Simonem tanquàm Deum ab omnibus glorificari, à multisque pro tali habitum, testis est Irenæus lib. 1. adv. hær. cap. 20 ex Edit. Erasmi; hinc non adeò facilè exponi potest, quomodò dixerit, Dei creatoris impulsu et necessitate ferri homines ad malum. Ex Irenæo autem hæc habemus. Quùm impius sublimissimam se profiteretur virtutem, ac Helenam quamdam, primam suæ mentis conceptionem, per hanc dicebat angelos atque archangelos conditos; à quibus fabricatus Orbis ac præposterè moderatus, ad emendationem rerum, ut ipse veniret, compulerunt. Undè addebat, ut Irenæus ait, « prophetas à mundi « fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias; « quapropter monebat, ne ulteriùs curarent eos, hi « qui in eum, et in Helenam ejus spem habebant, et « ut liberos agere quæ velint. Secundùm enim ipsius « gratiam salvari homines, sed non secundùm operas « justas. Nec enim esse naturaliter operationes justas, « sed ex accidentiâ, quemadmodùm posuerunt qui « mundum fecerunt Angeli, per hujusmodi præcepta « in servitutem deducentes homines. » Propter hæc fortè Lirinensis dixit ex ejus mente necessitate impelli homines ad malum.

(1) Quæ fusè hìc et sequentibus numeris, de Scripturæ abusu apud hæreticos, ait Lirinensis, decerpta sunt ex lib. Tertulliani de Præscript., præsertim cap. 38, 39 et 40. Vide infrà.

(2) An hæc de parvulis incautè austera pocula sorbentibus, decerpserit ex lib. 4 Lucretii de Naturâ rerum, definire non audeo; similia tamen sunt his, quæ iste canit, dùm præter meritum se extollit :

.... Pueris absinthia tetra medentes
Quùm dare conantur, priùs oras pocula circùm
Contingunt mellis dulci flavoque liquore :
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenùs, intereà perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potiùs tali facto recreata valescat.

At quia minimè valescit, qui amarum obscœnumque ebibit errorem, licet colore multo obductum; proptereà S. Vir consultò illorum profert exemplum, qui *noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant*, ex quibus certa funestaque oritur mors.

tollit peccatum mundi, tanquàm vellera quædam texuerunt? Qui sunt lupi rapaces, nisi sensus Hæreticorum feri et rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant et gregem Christi quaquà possunt dilacerant? Sed ut falláciùs incautis ovibus obrepant, manente luporum ferociâ, deponunt lupinam speciem, et sese divinæ legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt, ut cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquàm aculeos dentium pertimescat. Sed quid ait Salvator? *Ex fructibus eorum cognoscetis eos :* id est, cùm cœperint divinas illas voces non jam proferre tantùm, sed etiam exponere, nec adhùc jactare solùm, sed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligetur, tunc novitium virus exhalabitur, tunc profanæ novitates aperientur ; tunc primùm scindi sepem videas, tunc transferri patrum terminos, tunc Catholicam fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dogma lacerari. Tales erant ii quos percutit Apostolus Paulus in secundâ ad Corinthios Epistolâ, dicens : *Nam ejusmodi*, inquit, *pseudoapostoli, sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi?* 2 Cor. 11. Quid est *transfigurantes se in Apostolos Christi?* Proferebant Apostoli divinæ legis exempla ; proferebant et illi. Proferebant Apostoli psalmorum auctoritates ; proferebant et illi. Proferebant Apostoli sententias Prophetarum ; et illi nihilominùs proferebant. Sed cùm ea quæ similiter protulerant, interpretari non similiter cœpissent, tunc simplices à subdolis, tunc infucati à fucatis, tunc recti à perversis, tunc postremò veri Apostoli à falsis Apostolis discernebantur. *Et non mirum*, inquit. *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis.* Non est ergò magnum si ministri ejus transfigurantur sicut ministri justitiæ. Ergò secundùm Apostoli Pauli magisterium, quotiescumque vel pseudoapostoli vel pseudoprophetæ vel pseudodoctores divinæ legis sententias proferunt, quibus malè interpretatis errores suos adstruere conentur, non dubium est quin auctoris sui callida machinamenta sectentur, quæ ille nunquàm profectò comminisceretur, nisi sciret omninò nullam esse ad fallendum faciliorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris subinducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur auctoritas.

XXVI. Sed dicet aliquis : Undè probatur quia sacræ legis exemplis Diabolus uti soleat? Legat Evangelia, in quibus scribitur : *Tunc assumpsit illum Diabolus*, id est, Dominum Salvatorem, *et statuit illum super pinnam templi, et dixit ei : Si filius Dei es, mitte te deorsùm. Scriptum est enim quòd angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis ; in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, *Matth.* 4. Quid hic faciet misellis hominibus qui ipsum Dominum majestatis Scripturarum testimoniis appetivit? *Si*, inquit, *filius Dei es, mitte te deorsùm.* Quare? *Scriptum est enim*, inquit. Magnoperè nobis doctrina loci istius attendenda atque retinenda est, ut tanto evangelicæ auctoritatis exemplo, quandò aliquos apostolica seu prophetica verba proferre contra catholicam fidem viderimus, diabolum per eos loqui minimè dubitemus. Nam sicut tunc caput capiti, ità nunc quoque membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli membris Christi, perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, Hæretici postremò Catholicis. Sed quid tandem dicunt? *Si*, inquit, *filius Dei es*, *mitte te deorsùm;* hoc est, si filius esse vis Dei et hæreditatem regni cœlestis accipere, mitte te deorsùm, id est, ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrinâ et traditione demitte. Ac si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem : Undè probas, undè doces quòd Ecclesiæ Catholicæ universalem et antiquam fidem dimittere debeam? statìm ille : *Scriptum est enim.* Et continuò mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo et malo more interpretatis, ex arce catholicâ in hæreseos barathrum infelix anima præcipitetur. Jam verò illis quæ sequuntur promissionibus miro modo incautos homines Hæretici decipere consueverunt. Audent etenim polliceri et docere quòd in Ecclesiâ suâ, id est, in communionis suæ conventiculo, magna et specialis ac planè personalis quædam sit Dei gratia, adeò ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ullâ industriâ, etiamsi nec petant, nec quærant, nec pulsent, quicumque illi ad numerum suum pertinent, tamen ità divinitùs dispensentur ut angelicis evecti manibus, id est, angelicâ protectione servati, nunquàm possint offendere ad lapidem pedem suum, id est, nunquàm scandalizari.

XXVII. Sed dicet aliquis : Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus et Diabolus et discipuli ejus utuntur, quorum alii sunt pseudoapostoli, alii pseudoprophetæ et pseudomagistri, et omnes ex toto Hæretici, quid facient Catholici homines et matris Ecclesiæ filii? Quonam modo in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio Commonitorii istius sanctos et doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut divinum Canonem secundùm universalis Ecclesiæ traditiones et juxtà Catholici dogmatis regulas interpretentur ; in quâ item Catholicâ et apostolicâ Ecclesiâ sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem. Et si quandò pars contrà universitatem, novitas contrà vetustatem, unius vel paucorum errantium dissensio contrà omnium vel certè multò plurium Catholicorum consensionem rebellaverit, præferant partis corruptioni universitatis integritatem : in quâ eâdem universitate, novitatis profanitati antiquitatis religionem, itemque in ipsâ vetustate, unius sive paucissimorum temeritati primùm omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta præponant ; tunc deindè, si id minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum. Quibus, adjuvante Domino, fideliter, sobriè, sollicitè observatis, non magnâ difficultate noxios quosque exsurgentium Hæreticorum deprehendemus errores.

XXVIII. Hic jam consequens esse video ut exemplis demonstrem quonam modo prophanæ Hæreticorum novitates prolatis atque collatis veterum magistrorum concordantibus sibimet sententiis et

deprehendantur et condemnentur. Quæ tamen antiqua sanctorum patrum consensio non in omnibus divinæ legis quæstiunculis, sed solum certè præcipuè in fidei regulâ magno nobis studio et investiganda est et sequenda. Sed neque semper neque omnes hæreses hoc modo impugnandæ sunt, sed novitiæ recentesque tantummodò, cùm primùm scilicet exoriuntur, antè quàm infalsare vetustæ fidei regulas ipsius temporis vetantur angustiis, ac priusquàm manante latiùs veneno, majorum volumina vitiare conentur. Cæterùm dilatatæ et inveteratæ hæreses nequaquàm hâc viâ adgrediendæ sunt, eò quòd prolixo temporum tractu longa iis fruendæ veritatis patuerit occasio. Atque ideò quascumque illas antiquiores vel schismatum vel hæreseon profanitates nullo modo nos oportet nisi aut solâ, si opus est, Scripturarum auctoritate convincere, aut certè jam antiquitùs universalibus sacerdotum catholicorum Conciliis convictas damnatasque vitare. Itaque, cùm primùm mali cujusque erroris putredo erumpere cœperit, et ad defensionem suî quædam sacræ legis verba furari, eaque fallaciter et fraudulenter exponere, statim interpretando Canoni majorum sententiæ congregandæ sunt; quibus illud quodcumque exsurget novitium, ideòque profanum et absque ullâ ambage prodatur, et sine ullâ retractatione damnetur. Sed eorum duntaxat patrum sentententiæ conferendæ sunt, qui in fide et communione Catholicâ sanctè, sapienter, constanter viventes (1), docentes, et permanentes, vel mori in Christo fideliter vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum est ut quicquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quicquid verò, quamvis ille sanctus et doctus, quamvis Confessor et Martyr, præter omnes aut etiam contrà omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas à communis et publicæ ac generalis sententiæ auctoritate secretum sit; ne cum summo æternæ salutis periculo, juxtà sacrilegam Hæreticorum et Schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiquâ veritate dimissâ, unius hominis novitium sectemur errorem. Quorum beatorum patrum sanctum catholicumque consensum, ne quis sibi temerè contemnendum fortè arbitretur, ait in primâ ad Corinthios Apostolus: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesiâ primùm Apostolos* (quorum ipse unus erat), *secundò Prophetas* (qualem in Actibus Apostolorum legimus Agabum), *tertiò Doctores*, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apostolus etiam Prophetas interdùm nuncupat, eò quòd per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur. Hos ergò in Ecclesiâ Dei divinitùs per tempora et loca dispensatos quisquis in sensu catholici dogmatis unum aliquid in Christo sententes contempserit, non hominem contemnit, sed Deum: à quorum veridicâ unitate ne discrepet, impensiùs obtestatur idem Apostolus dicens: *Obsecro autem vos, fratres, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ*, 1 Cor. 1. Quòd si quis ab eorum sententiæ communione desciverit, audiet illud ejusdem Apostoli: *Non est Deus dissensionis, sed pacis*, 1 *Cor.* 14 (id est, non ejus qui à consentiendi unitate defecerit, sed eorum qui in consentiendi pace permanserint) *sicut in omnibus*, inquit, *Ecclesiis sanctorum doceo*, id est, Catholicorum: quæ ideò sanctæ sunt, quia in fidei communione persistunt. Et ne quis forsitan, prætermissis cæteris, se solum audiri, sibi soli credi adrogaret, paulò post ait: *An à vobis*, inquit, *verbum Dei processit, aut in vos solos devenit?* Et ne hoc quasi perfunctoriè acciperetur, adjecit: *Si quis*, inquit, *videtur propheta esse aut spiritalis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata.* Quæ utique mandata, nisi ut si quis est propheta aut spiritalis, id est, spiritalium rerum magister, summo studio æqualitatis et unitatis cultor existat; ut scilicet neque opiniones suas cæteris præferat (1), et ab universorum sensibus non recedat. *Cujus rei mandata qui ignorat*, inquit, *ignorabitur:* id est, qui aut nescita non discit, aut scita contemnit, ignorabitur, hoc est, indignus habebitur qui inter unitos fide et exæquatos humilitate divinitùs respiciatur: quo malo nescio an quicquam acerbius cogitari queat. Quod tamen juxtà apostolicam comminationem Pelagiano illi provenisse cernimus Juliano (2),

(1) Ex hoc loco infert Dallæus, in libro de Vero usu Patrum, inconstantes fuisse Patres in fidei doctrinâ. At Lirinensis hæc monens est: quia per plura in superioribus ostenderat non raro divino judicio humanâque infirmitate accidere, ut Ecclesiastici viri magni meriti ac scientiæ labantur, et contrà Apostolum nova dogmata annuntient, quod probârat exemplis Photini, Apollinaris, Nestorii, Origenis, ac Tertulliani; ne quis prætextu auctoritatis horum perversa sectaretur dogmata, ut in fine 24, num. ait: hàc de causâ prudenter hic monet, haud audiendos esse illos, qui constanter non docuerunt, et vixerunt in Ecclesiâ. Undè in num. 45, loquens de Sacerdotibus, qui Ephesi convenerant, inquit: « Hoc optimum factu « visum est ut in medium SS. Patrum sententiæ pro« ferrentur; quorum alios Confessores, omnes verò « Catholicos, Sacerdotes fuisse, et permansisse con« staret, ut scilicet ratè atque solemniter ex eorum « consensu atque decreto antiquum dogma firmaretur. »

(1) Appositè hæc præscribit Lirinensis ex Apostoli sensu. Nam duo Corinthiis in laud. loco præcipit: primum, ut sacrarum litterarum interpres in priores spectet, à quibus Verbum Dei processit in posteros. *An*, inquit, *à vobis Verbum Dei processit?* alterum, ne quisquam sensum suum tenaci contentione defendat, sed priùs reliquos Ecclesiæ Doctores consulat; ut si viderit omnibus probari id quod sentit, tutò jam teneat: sin reprobari, tutò jam deserat; quod innuit quùm ait: *Aut in vos solos pervenit.* Consulat lector doctiss. virum Melch. Canum liber 7 de locis Theol. cap. 3.

(2) Inter hæreticos, qui Ecclesiam turbare conati sunt, ac stylo fidei vexare sententias, præcipuus exstitit Julianus præsertim ex quo sub Zosimo ann. Chr. 418, ab Eclanensi dejectus est Episcopatu, imò pulsus ex Italiâ, vagus, et extorris nullibi sedem certam habens. Nam primò Constantinopolim fugit, sed ann. Chr. 431, vel 432, post Ephesinam Synodum

qui se collegarum sensui aut incorporare neglexit, aut excorporare præsumpsit. Sed jam tempus est ut pollicitum proferamus exemplum, ubi et quomodo sanctorum patrum sententiæ congregatæ sint, ut secundùm eas ex decreto atque auctoritate Concilii ecclesiasticæ fidei regula figeretur. Quod quò commodiùs fiat, hìc sit jam hujus Commonitorii modus; ut cætera quæ sequuntur, ab alio sumamus exordio.

ejectus in Gallias migravit. Anno verò 439, Xysto Papâ sedente, seu per fraudem, seu per speciem voluit se ab errore vindicare, cujus dolis Leonis prudentia, et sagacitas restitit, Prospero teste in Chronico: « Hâc tempestate, inquit, Julianus Eclanensis « jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem du« dùm amissi Episcopatûs intemperans cupido exagi« tabat multimodâ arte fallendi correctionis speciem « præferens, molitus est in communionem Ecclesiæ « irrepere. Sed his insidiis Sixtus Papa Diaconi Leonis « hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pesti« feris conatibus patere permisit: et ità omnes Ca« tholicos de rejectione fallacis bestiæ fecit gaudere, « quasi tunc primùm superbissimam hæresim Aposto« licus gladius detruncâsset. » Et quoniam fallax hereticus novas turbas sub Leone jam Pontifice circà ann. Chr. 444, ciebat: propterea adversùs saucium fidei hostem, jamque multis debilitatum ictibus movit arma Leo, teste altero Prospero in op. de Promissionibus et Prædictionibus Dei cap. 6, part. 4. Addit Vignerius, et post eum PP. S. Mauri, hunc ipsum infelicem hæreticum post longas hàc illàcque aberrationes, ob quas alter Cain profugus, et extorris à Fulgentio appellatur, ultimi denique perfugii loco viculum quemdam in Siciliâ incoluisse; ubi suæ sectæ homines docens, factus est ex Episcopo ludimagister, quam occupationem longè antè ei destinârat Augustinus, ut genio et eruditioni ejus congruentem in lib. 2. Op. imper. num. 51: « Loqueris de homonymis, et « æquivocis: quomodò ergò te ipsi saltem Pelagiani « intellecturi sunt nisi priùs ad scholas Dialecticorum, « ubicumque terrarum potuerint inveniri, propter hæc « dicenda mittantur? An fortè et categorias Aristotelis, « antequàm tuos libros legant, eis exponens ipse le« cturus es? Cur non et hoc facias, homo ingeniosis« simus, quandoquidem à deceptis miseris pasceris « otiosus? » Sic Hieronymus de pseudodiacono Celedensi Anniano aiebat: « Copiosissimè pascitur, ut « alienæ blasphemiæ verba frivola subministret. »

SECUNDUM COMMONITORIUM.

Interlapsum est (1), *neque ex eo amplius quicquam quàm postrema particula remansit, id est, sola recapitulatio, quæ et subjecta est.*

XXIX. Quæ cùm ità sint, jam tempus est ut ea quæ duobus his Commonitoriis dicta sunt, in hujus secundi fine recapitulemus. Diximus in superioribus hanc fuisse semper et esse hodièque Catholicorum consuetudinem, ut fidem veram duobus his modis adprobent, primùm divini Canonis auctoritate, deindè Ecclesiæ Catholicæ traditione; non quia Canon solus non sibi ad universa sufficiat, sed quia verba divina pro suo plerique arbitratu interpretantes, varias opiniones erroresque concipiant, atque ideò necesse sit ut ad unam ecclesiastici sensûs regulam Scripturæ cœlestis intelligentia dirigatur, in his duntaxat præcipuè quæstionibus quibus totius Catholici dogmatis fundamenta nituntur. Item diximus in ipsâ rursùs Ecclesiâ universitatis pariter et antiquitatis consensionem spectari oportere; ne aut ab unitatis integritate in partem schismatis abrumpamur, aut à vetustatis religione in hæreseon novitates præcipitemur. Item diximus in ipsâ Ecclesiæ vetustate duo quædam vehementer studioseque observanda, quibus penitùs inhærere deberent quicumque hæretici esse nollent: primùm, si quid esset antiquitùs ab omnibus Ecclesiæ Catholicæ sacerdotibus universalis Concilii auctoritate decretum; deindè si qua nova exsurgeret quæstio, ubi id minimè reperiretur, recurrendum ad sanctorum patrum sententias, eorum duntaxat qui suis quisque temporibus et locis in unitate communionis et fidei permanentes, magistri probabiles exstitissent, et quicquid uno sensu atque consensu tenuisse invenirentur, id Ecclesiæ verum et catholicum absque ullo scrupulo judicaretur. Quod ne præsumptione magis nostrâ quàm auctoritate ecclesiasticâ promere videremur, exemplum adhibuimus sancti Concilii quod antè triennium (1) fermè in Asiâ apud Ephesum celebratum est VV. CC. Basso Antiochoque Consulibus: ubi cùm de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic forsitan profana novitas in modum perfidiæ Ariminensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo ducenti ferè numero (2) convenerant, hoc catholicissimum, fidelissimum, atque optimum factu visum est ut in medium sanctorum patrum sententiæ proferrentur, quorum alios martyres, alios confessores, omnes verò catholicos sacerdotes fuisse et permansisse constaret;

(1) Hæ duæ lineæ, quibus admonetur Lector de jacturâ secundi Commonitorii, exstant in antiquis editionibus, itemque in recentiore ex Codd. Regiis, ad quorum fidem Baluzius Lirinensis castigavit opus; retinere autem eas cum omnibus placuit.

(1) Celebrata est Synodus ann. Ch. 431, in Ecclesiâ, quæ appellatur Maria; de quâ sic Prosper in Chron.: « Congregatâ apud Ephesum plus ducentorum « Synodo Sacerdotum, Nestorius cum hæresi nominis « sui, et cum multis Pelagianis, qui cognatum errori « suo adjuvabant dogma, damnatur. » Vide eumdem in lib. cont. Collat. 21, cap. numer. 2.

(2) In act. 1. Concil., post subscriptiones Episcoporum hæc leguntur: « Postquàm hi omnes Nestorii « depositioni subscripsissent, accesserunt alii Epis« copi ad sanctam Synodum, qui et ipsi quoque præ« positæ damnationi subscripserunt; Episcopi itaque, « qui ipsum Nestorium deposuerunt, plures quàm du« centi exstitere: aliqui enim locum tenuerunt alio« rum Episcoporum, qui ad Ephesiorum Metropolim « venire non potuerunt. »

ut scilicet ritè atque solemniter ex eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis religio confirmaretur et prophanæ novitatis blasphemia condemnaretur. Quod cùm ità factum foret, jure meritòque impius ille Nestorius catholicæ vetustati contrarius (1), beatus verò Cyrillus sacrosanctæ antiquitati consentaneus judicatus est. Et ut ad fidem rerum nihil deesset, tàm nomina et numerum (licèt ordinem fuissemus obliti) edidimus eorum patrum juxtà quorum ibidem concinentem sibi concordemque sententiam et legis sacræ proloquia exposita sunt, et divini dogmatis regula constabilita est : quos, ad confirmandam memoriam, hìc quoque recensere nequaquàm superfluum est.

XXX. Sunt ergo hi viri quorum in illo Concilio vel tanquàm judicum vel tanquàm testium scripta recitata sunt. Sanctus Petrus (1) Alexandrinus Episcopus (2) doctor præstantissimus et martyr beatissimus. Sanctus Athanasius, ejusdem civitatis antistes, magister fidelissimus et confessor eminentissimus. Sanctus Theophilus (3), ejusdem item urbis Episcopus, vir fide, vitâ, scientiâ satis clarus, cui successit venerandus Cyrillus, qui nunc Alexandrinam illustrat Ecclesiam.

(1) Hoc licet verum, non tamen desperatæ conscientiæ homines deterruit, quin Nestorium impurum hominem susceperint defendendum, ac diris calumniis proscindendum sanctum Cyrillum. Et ne commemorem impostorem illum, qui Nestorium pro sancto vendidit, ac Cyrillum quasi Apollinaristarum hæresis restauratorem, magnâ probationum mole à doctiss. Petavio convictum tom. v. de Incarn. lib. 6; certè mirum est Clericum Ep. 6. Crit. et Eccles. hæc indecora Cyrillo protulisse : *hominem in Ephesinâ Synodo æqui atque iniqui exiguam habuisse rationem.* Et quoniam SS. Ascetæ Isidori Pelusiotæ epistolis abutitur, ut offusæ veritati dispellantur tenebræ, hæc pauca observare placuit : Quatuor Isidori exstant epistolæ ad Cyrillum, nempè 310, 323, 324, et 370. In primâ certè comparationem instituit Theophilum inter et Chrysostomum; ut sicut ille hunc oppressit, ità Cyrillus Nestorium. Verùm hoc non tàm ex suo, quàm aliorum sensu dicit : « Multi, ex iis qui sunt Ephesum « coacti, te traducunt, ut privatam persequentem ini« micitiam, non quæ sunt Christi rectâ sententiâ quæ« rentem. Sororis Theophili, inquiunt, filius est, qui « ejus animum imitatur; ut enim ille manifestum fu« rorem effudit in religiosum, ac Deo amicum Joan« nem; sic et hic superbire gestit. » Opus autem erat in his querelis criticum adhibere lumen. Nam si ab impiis hominibus confictæ illæ fuerunt, ut reverà, teste Concilio ipso in Ep. ad Clerum Constantinopolitanum, multa nedùm Cyrillo, sed etiam Memnoni ab hæreticis imposita fuère crimina : jam rationis ordo poscebat pro nullis habendas esse inimicorum fidei criminationes; *qui enim*, ut lepidè ait Augustinus lib. 1. adv. Parmenianum cap. 6, num. 11, *justissimè victus est, eâ cæcitate de innocente judice murmurat, quâ cæcitate de innocente adversario litigabat.* Et sanè de industriâ Pelusiota his quæ recitata sunt addit : *licèt magnum latumque sit discrimen inter eos qui judicantur.* Probè namque noverat optimus Vir Cyrillum, ut ipse loquitur in Epist. 370, nonnisi *S. Athanasii sequi ac tenere doctrinam*, Nestorio adversùs hanc impiam profitente et sectante; quam ob causam in eàdem laud. Epist. S. Virum mirificè extollit, ut magni illius *Marci speciem atque habitum præferentem*, et in ep. 324, appellat *virum admirandum*, quùm in epist. præcedente 323, summoperè commendet, quia *Sanctorum Patrum sensum, ac Athanasii præsertim, circà Incarnationis mysterium strenuè sectabatur*, et defendebat. Nil ergò mirum et novum, si ob perversitatem doctrinæ Nestorio restitit, postquàm nihil officiorum ac benevolentiæ omiserat, ut perditum hominem ab errore revocaret, quod liquet ex epistolis ad eum directis, ac ex illâ ad Ægyptios monachos datâ. Quùm enim ad hos Nestorii homiliis venenum pervenisset, ne peste simplices corriperentur homines, gravi monuit epistolâ, ubi veram eos docebat fidem, cujus exemplaribus Constantinopolim adductis, complures in antiquâ fide firmati sunt; hinc principes et magistratus, scriptis ad Cyrillum litteris, gratias ei egerunt. Ità exulceratus fuit contrà Alexandrinum Antistitem Nestorii animus, omniaque molitus est, ut eum ulcisceretur; qui Imperatoris humanitate abusus, calumniis in illum commovit, quod acres minacesque ad Cyrillum destinatæ epistolæ probant, quibus impudentis ac irrequieti animi turbarumque appetentis culpatur. At paulò post discussis nebulis serena veritatis facies apparuit, Nestorio pro hæretico et impio agnito, dùm interim Cyrillus totius Orbis consensu summæ probitatis vir, *ac sacrosanctæ antiquitati*, ut loquitur Vincentius noster, *consentaneus est judicatus.* Propter quæ ingentia in Catholicam fidem merita, et ut majore cum auctoritate in Synodo Apostolicæ sedis legatum ageret, phrygio à Cœlestino Papâ donatus fuit, nempè mitrâ : quam Card. de Noris lib. 2 hist. Pelag. cap. XII, æstimat phrygium dictam, quoniam erat peculiare tegumentum capitis, quo Phryges utebantur; hinc Latinus apud Virg. Æneid. 9, vers. 616, exprobrat Phrygibus Æneæ sociis, quòd mitras in capite gestarent.

Et tunicæ manicas, et habent redimicula mitræ,
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges!

Consulat Lect. laud. Card. et multa veterum testimonia apud eum rem illustrantia comperiet.

(1) At non minùs ordinis, quàm numeri oblitus est S. Vir. Ordinis, quia post Petrum, et Athanasium memorandi erant Julius, et Felix, post Theophilum Cyprianus, deindè Ambrosius, quibus subdendi erant Nazianzenus, Basilius, ac Nyssenus, non prætermisso Attico Episcopo Constantinopolitano, et Amphilochio Iconii præsule, quorum testimonia postremò fuère in Synodo laudata. Undè infertur, numeri etiam fuisse oblitum, quia non decem, ut paulò post ait, sed duodecim fuerunt tanquàm testes, judices, ac consiliarii in Synodo introducti. Et sanè Amphilochii et Attici retinenda esse testimonia ex fide MSS. Codicum, ac ex Mario Mercatore ostendit P. Harduinus tom. 1. Concil. pag. 147; quibus addere liceat vetustissimum codicem Bibl. Vaticanæ num. 1342, etiam testimonia illa exhibentem, qui à Baronio in annalibus frequenter appellatur Collectio Cresconiana.

(2) Eusebius hist. Eccle. lib. 8. cap. 13. Edit. Vales. enumerans eos, qui Alexandriæ, et per totam Ægyptum ac Thebaidem nobili martyrio perfuncti erant : « Primus omnium, inquit, nominandus est Pe« trus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, Christianæ « religionis doctor eximius. » Ejus liber de Divinitate nedùm in Ephesinâ Synodo, verùm, et paulò post in Chalcedonensi commendatus est. Contigit ejus martyrium ann. 311, nono persecutionis ann. sub Maximiano Imperatore, si persecutio Diocletiani cœpit an. Ch. 302, et non 303, quod tamen opinantur peritissimi Chronologi.

(3) De Theophilo, et Joanne Chrysostomo hæc habet Prosper in Chron. ad Cons. Vincentii, et Fraviti, qui incidit in ann. Ch. 401 : « Joannes Constantino« politanus, et Theophilus Alexandrinus illustres Epi« scopi habentur. Sed utrumque obscuravit discordia, « quæ eò usque processit, ut Joannes à Theophilo op« pressus, Pontum exilio pergere cogeretur; quùm « tamen communionem ejus maxima pars Episcopo« rum, Romani Pontificis exemplum secuta, servave« rit. »

Et ne forsitan unius civitatis ac provinciæ doctrina hæc putaretur, adhibita sunt etiam illa Cappadociæ lumina, Sanctus Gregorius Episcopus et confessor de Nazianzo; Sanctus Basilius, Cæsareæ Cappadociæ Episcopus et confessor; Sanctus item alter Gregorius Nyssenus Episcopus, fidei, conversationis, integritatis et sapientiæ merito, fratre Basilio dignissimus. Sed ne sola Græcia aut Oriens tantùm, verùm etiam Occidentalis et Latinus orbis ità semper sensisse adprobaretur, lectæ sunt quoque ibi quædam ad quosdam Epistolæ sancti Felicis (1) martyris et sancti Julii, urbis Romæ Episcoporum. Et ut non solùm caput orbis, verùm etiam latera illi judicio testimonium perhiberent, adhibitus est à Meridie beatissimus Cyprianus Episcopus Carthaginensis et martyr; à Septentrione sanctus Ambrosius Mediolanensis Episcopus. Hi sunt igitur omnes apud Ephesum sacrato Decalogi numero magistri, consiliarii, testes, judicesque producti; quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, credens testimonio, obediens judicio, absque tædio, præsumptione, et gratiâ de fidei regulis pronuntiavit. Quanquàm multò amplior majorum numerus adhiberi potuerit, sed necesse non fuit; quia neque multitudine testium negotii tempora occupari oportebat, et decem illos non aliud verè sensisse quàm cæteros omnes collegas suos nemo dubitabat.

XXXI. Post quæ omnia, adjecimus etiam beati Cyrilli sententiam, quæ gestis ipsis ecclesiasticis continetur. Namque cùm lecta esset Sancti Capreoli (1), Episcopi Carthaginensis Epistola, qui nihil aliud intendebat et precabatur nisi ut, expugnatâ novitate, antiquitas (2) defenderetur, ità Episcopus Cyrillus prolocutus est et definivit. Quod hìc quoque interponere non abs re videtur. Ait enim in fine gestorum : *Et hæc*, inquit, *quæ lecta est Epistola venerandi et multùm religiosi Episcopi Carthaginensis Capreoli, fidei gestorum inseretur; cujus aperta sententia est. Vult etenim antiquæ fidei dogmata confirmari, novitia verò et superfluè adinventa et impiè promulgata, reprobari atque damnari. Omnes Episcopi adclamaverunt : Hæ omnium voces sunt, hæc omnes dicimus, hoc omnium votum est.* Quæ tandem omnium voces, aut quæ omnium vota, nisi ut quod erat antiquitùs traditum teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur? Post quæ admirati sumus et prædicavimus quanta Concilii illius fuerit humilitas et sanctitas, ut tot numero sacerdotes, penè ex majori parte Metropolitani, tantæ eruditionis tantæque doctrinæ ut propè omnes possent de dogmatibus disputare, quibus propterea ipsa in unum congregatio audendi ab se aliquid et statuendi addere videretur fiduciam, nihil tamen novarent, nihil præsu-

(1) In Ephesinâ Synodo priùs recitata fuêre Julii verba, deindè Felicis; at à Lirinensi, et Hypatio Ephesiorum Episcopo in Collat. cum Acephalis, ut temporum requirit ordo, Felix Julio præponitur; qui nequaquàm fuit ille à Constantio in Liberii locum suffectus, sed alter illius nominis primus, die 27 Decemb. ann. 269, ordinatus, ac die 22 Dec. ann. 274, vità functus. Quod liquet ex nomine Maximini præsulis Alexandrini, ad quem Pontificis directa fuit Epistola à Synodo laudata, occasione Pauli Samosateni è suâ Ecclesiâ ejecti. Nam encyclica Antiocheni Concilii epistola Dionysio Romano, ac Maximino fuit directa; undè arguere licet, hunc supparem et æqualem fuisse Felici primo, Dionysii Alexandrini successorem, et hæredem. Michael Lequien probat spurium fuisse Felicis testimonium in Synodo laudatum : verùm ex Liberato, et Hypatio P. Constant tom. 1. Pontif. Ep. §. unico de Felicis Papæ scriptis ostendit prorsùs genuinum esse, licèt spontè concedat ab Acephalis falsas aut adulteratas Felicis vulgatas epistolas. At ambo hi doctissimi viri magnâ rationum mole compulsi sustinent cum Leontio Byzantino, qui Justiniano imperante floruit in lib. de sectis act. 8, fragmentum in Concil. Ephesino recitatum non esse Julii Papæ, sed potiùs Apollinarii, aut cujusdam Timothei eâdem peste correpti, non quia in Epistolâ aliquid compareat orthodoxæ fidei adversum, præsertim in fragmento, quo usum est Concilium, ut ait Leontius; sed quòd Apollinaristæ ut Julii circumduxerint, floccifaciendum. Hæc autem sunt argumenta, quibus docti viri moventur. I. Nyssenus in opere contrà Apollinarem multa refert, quæ hâc epistolâ continentur, eaque ut prava refutat. II. Leontius ex plurium exemplarium fide loc. cit. asseruit non Julii sed Timothei, qui Apollinarem habuit magistrum, esse epistolam. III. quod cum Leontio profert alter Severianorum adversarius, ipsa phrasis non convenit Julio tanquàm conversa è latino, quùm sit nimis græca. IV. hanc in fronte præfert inscriptionem : *Domino meo desideratissimo*, quæ in alterâ sine dubio Julio supposita etiam comparet. V. ille Prosdocius, ad quem epistola est missa, nec presbyter, vel Episcopus nominatur contra morem Romanorum Præsulum. VI. sub Catholicis verbis infandæ doctrinæ semina latent : nam ubi de corpore loquitur, nusquàm *mente præditum, vel animatum* dicit; quinimò hæc, quæ num. 4, habet, Apollinaristam produnt : « qui « autem propter unitionem cum increato Deo corpus « divinum prædicat, et secundùm compositionem, quâ « simul utrumque est, tanquàm unum increatum Deum « adorat, beatus erit. » Nullam tamen crediderunt accurati viri notam inferre SS. Synodo; quia quùm per manus multorum Julii circumferretur nomine epistola, in quâ nihil apertè falsum, non erat cur diffideret inscriptioni; verùm ubi plures aliæ ex eâdem prodière officinâ, quibus Eutychiani vehementer abutebantur, coacti sunt fidei amatores, in retegendo auctore, operam impendere suam. Elaborata videtur epistola post Macedonii hæresim, et sic post ann. Ch. 260.

(1) Capreolus Aurelio successit, at quo anno incertum est, apparet tamen circà ann. Ch. 430. Hunc ad Synodum Theodosius per litteras invitavit cum Afris Præsulibus, et nominatim Augustinum. Sed quùm novem ferè mensibus antè concilii celebrationem Augustinus cœlum petiisset, et unà simul ob temporis acerbitatem, Vandalis Genserico duce omnia vastantibus ac depopulantibus, Primas Synodum haud cogere posset, ut ab illâ electi Ephesum mitterentur, vel saltem honorifica, ac solemnis legatio : voluit nihilominùs pro Ecclesiasticæ disciplinæ observantiâ, Besulam Carthaginensem Diaconum, ad Synodum dirigere; cujus legationis meminit ipse Capreolus in Epist. ad Vitalem, et Tonantium, quam ex MS. Codice Sirmondus edidit.

(2) Capreoli verba hæc sunt : « Vestram sanctitatem iterùm atque iterùm rogatam cupio, ut Spiritu « Sancto cooperante quem cordibus vestris, in omni« bus quæ acturi estis, præstò futurum non dubito, « novas doctrinas, et antehàc Ecclesiasticis auribus « inusitatas, priscæ auctoritatis robore instructi è me« dio profligetis, atque ità quibuscumque novis errori« bus resistatis. » Hujus epistolæ fragmentum recitat Ferrandus in Ep. ad Pelagium et Anatolium, S. R. E. Diaconos, aliâ tamen latinitate.

merent, nihil sibi penitùs adrogarent, sed omnimodis præcaverent ne aliquid posteris traderent quod ipsi à patribus non accepissent, et non solùm in præsenti rem benè disponerent, verùm etiam post futuris exempla præberent ut et ipsi scilicet sacratæ vetustatis dogmata colerent, profanæ verò novitatis adinventa damnarent. Invecti etiam sumus in Nestorii sceleratam præsumptionem, quòd sacram Scripturam se primum et solum intelligere (1), et omnes eos ignoràsse jactaret, quicumque antè se, magisterii munere præditi, divina eloquia tractavissent, universos scilicet sacerdotes, universos confessores et martyres, quorum alii explanàssent Dei legem, alii verò explanantibus consensissent vel credidissent, totam postremò etiam nunc errare et semper erràsse adseveraret Ecclesiam, quæ, ut ipsi videbatur, ignaros erroneosque doctores et secuta esset et sequeretur.

XXXII. Quæ omnia licèt cumulatè abundèque sufficerent ad profanas quasque novitates obruendas et exstinguendas, tamen ne quid deesse tantæ plenitudini videretur, ad extremum adjecimus geminam Apostolicæ Sedis auctoritatem, unam scilicet sancti Papæ Sixti (2) qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat, alteram decessoris sui beatæ memoriæ Papæ Cœlestini, quam hìc quoque interponere necessarium judicavimus. Ait itaque sanctus Papa Xistus in Epistolà quam de causà Nestorii Antiocheno (1) misit Episcopo : *Ergo*, inquit, *quia, sicut ait Apostolus, fides una est, quæ evidenter obtinuit, dicenda credamus et tenenda dicamus.* Quæ sunt tandem illa credenda et dicenda? Sequitur, et ait : *Nihil ultrà*, inquit, *liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides et credulitas nullâ cœni permixtione turbetur.* Omninò apostolicè : ut majorum credulitatem perspicuitatis lumine ornaret, novitias verò profanitates cœni permixtione describeret. Sed et sanctus Papa Cœlestinus pari modo eàdemque sententià. Ait enim in Epistolà quam Gallorum sacerdotibus misit, arguens eorum conniventiam quòd antiquam fidem silentio destituentes, profanas novitates exsurgere paterentur : *Meritò*, inquit, *causa nos respicit, si silentio foveamus errorem. Ergò corripiantur hujusmodi; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.* Hìc aliquis fortassè addubitet quinam sint illi quos habere prohibeat liberum pro voluntate sermonem, vetustatis prædicatores, an novitatis adinventores. Ipse dicat, dubitationem legentium ipse dissolvat. Sequitur enim : *Desinat*, inquit, *si ità res est* (id est, si ità est ut apud me quidam urbes et provincias vestras criminantur, quòd eas quibusdam novitatibus consentire noxià dissimulatione faciatis), *desinat itaque*, inquit, *si ità res est, incessere novitas vetustatem.* Ergò hæc fuit beati Cœlestini beata sententia, ut non vetustas cessaret obruere novitatem, sed potiùs novitas desineret incessere vetustatem.

XXXIII. Quibus apostolicisque catholicis decretis quisquis refragatur, insultet primùm omnium necesse est memoriæ sancti Cœlestini, qui statuit ut desineret incessere novitas vetustatem, deindè irrideat definita sancti Xysti, qui censuit ne ultrà quicquam liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati, sed et beati Cyrilli statuta contemnat, qui venerandi Capreoli zelum magnâ prædicatione laudavit quòd antiqua fidei dogmata confirmari cuperet, novitia verò adinventa damnari, Ephesinam quoque synodum, id est, totius penè Orientis sanctorum Episcoporum judicata proculcet, quibus divinitùs placuit nihil aliud posteris credendum decernere nisi quod sacrata sibique in Christo consen-

(1) Constat hoc ex quatertione 23, cujus verba recitantur etiam à Mario Mercatore in vers. act. 6. Ephes. Conc. licet paulò aliter : « Animadverto, *inquit* « *Nestorius*, plebem nostram multum religionis, et « maximum pietatis fervorem habere; verùm propter « dogmatum notitiæ divinæ ignorationem graviter « errare ac labi. Hoc tamen ipsi populo vitio vertendum non est, sed *doctoribus* (quod quâ modestiâ « dixerim tribuendum); quibus etiam non suppetit, ut « vobis aliquid de exactioribus dogmatibus proponant. » Quibus recitatis in Synodo presbyter Alexandrinus Petrus, et notariorum primicerius dixit : *En hic apertè affirmat, neminem ex doctoribus, qui antè illum exstiterunt, ea populis locutum quæ ipse locutus est.* Idem etiam, qui discipulis suis suasit, ut nihil reverentiæ deferrent Ecclesiæ per orbem terrarum diffusæ, fuit Montanus, testibus Apollinari, et Eusebio. Vide Melch. Can. lib. 3 de Loc. Theol. in exordio.

(2) Rectè à Card. Thomasio tom 1 Instit. Theolog. Xystus scribitur, quùm à Baluzio Sixtus appelletur. Nàm teste P. Cousta t sic in minùs vetustis exemplaribus repræsentatur, contrà Græcorum, et antiquorum monumentorum fidem. Successit autem Xystus Cœlestino ann. Ch. 432, Aetio et Valerio Coss., de quo ità Prosper in Chronico : « Romanæ Ecclesiæ XLII. « Episcopus præficitur Xystus, annis VIII, diebus XIX, « totius Urbis pace, et consensione mirabili. » Unde quùm scriberet Vincentius ann. Ch. 434, rectè dixit ab eo tunc Romanam illustrari Ecclesiam. Qui olim quùm romanæ Ecclesiæ presbyter esset, à Pelagianis quasi sui erroris defensor jactabatur. Verùm ubi Afrorum industria detexit Pelagianorum technas, primus omnium coràm populo Romano post Zosimum Pontificem in Pelagianos anathema pronuntiavit, datis ad Augustinum, et Alypium epistolis, quibus mirè Dei gratia commendabatur. Undè in rescripto suo Augustinus ei congaudens : « Quantâ nos putas, inquit, ista « tua prolixiora scripta vel exultatione legisse, vel « curà, ut legantur quibus valuimus aliis, obtulisse, « atque adhuc quibus valemus, offerre? Quid enim « gratius legi, vel audiri potest, quàm gratiæ Dei tàm « pura defensio adversùs inimicos ejus ex ore ejus, « qui eorumdem inimicorum magni momenti patronus « antè jactabatur? » Vide epist. nunc 191. De Xysto III. videtur loqui S. Leo serm. 82, cap. 5, disserens de Dedicatione Ecclesiæ, fortè S. Mariæ ad Nives, quam extructam, vel restauratam esse ab optimo Pontifice, refert nedùm liber Pontificalis, sed et Adrianus Papa in Epist. ad Carolum Magnum : « Martyres, ac « martyrum Matrem, sed etiam illius memoriam justo « honore veneramini, qui hoc die antiquam festivitatem hujus loci consecratione geminavit : magnificus « quidem structor parietum, sed magnificentior ædificator animarum, ultrà ævi sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus institutionum ejus « etiam in ipso frueretur devota posteritas, et habitando, quod condidit, et faciendo quod docuit. »

(1) Joanni nempè. Data verò fuit epist. xv, kalen. Oct. Theodosio xiv. et Maximo Coss. ann. Ch. 433. pace factâ Cyrillum inter et Joannem, quod liquet ex alterâ epistolâ ad Cyrillum eâdem die missâ.

tiens sanctorum patrum tenuisset antiquitas, quique etiam vociferantes et adclamantes, uno ore testificati sunt has esse omnium voces, hoc omnes optare, hoc omnes censere; ut sicut universi ferè antè Nestorium hæretici, contemnentes vetustatem, et adserentes novitatem, damnati fuissent, ità ipse quoque Nestorius, auctor novitatis, et impugnator vetustatis, condemnaretur. Quorum sacrosanctæ et cœlestis gratiæ munere inspirata consensio si cui displicet, quid aliud sequitur, nisi ut profanitatem Nestorii adserat non jure damnatam? Ad extremum quoque universam Christi Ecclesiam et magistros ejus Apostolos et prophetas, præcipuèque tamen beatum Apostolum Paulum, velut quædam purgamenta contemnat; illam, quòd à Religione colendæ et excolendæ semel sibi traditæ fidei nunquàm recesserit; illum verò, qui scripserit : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates*, et item : *Si quis vobis annuntiaverit præterquàm quod accepistis, anathema sit.* Quòd si neque apostolica definita neque ecclesiastica decreta temeranda sunt, quibus secundùm sacrosanctam universitatis et antiquitatis consensionem cuncti semper hæretici, et ad extremum Pelagius, Cœlestius, Nestorius, jure meritòque damnati sunt, necesse est profectò omnibus deinceps Catholicis, qui sese Ecclesiæ matris legitimos filios probare student, ut sanctæ sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur, immoriantur, profanas verò profanorum novitates detestentur, horrescant, insectentur, persequantur.

Hæc sunt ferè quæ duobus Commonitoriis latiùs disserta, aliquantò nunc breviùs recapitulandi lege constricta sunt; ut memoria mea, cui adminiculandæ ista confecimus, et commonendi assiduitate reparetur, et prolixitatis fastidio non obruatur.

TERTULLIANI VITA.

Tertullianus (Quintus Septimius Florentius), provinciæ Africæ, civitatis Carthaginensis, patre centurione proconsulari, primus Latinorum, post Victorem et Apollonium ab Hieronymo ponitur. Vir acris et vehementis ingenii sub Severo principe et Antonio Caracallâ maximè floruit, multaque scripsit volumina, quæ pleraque perfectissima controversiarum exempla habentur. *Quid Tertulliano acutius*, inquit Hieronymus? *Apologeticus ejus, et contrà gentes libri cunctam seculi obtinent disciplinam.* Haud minoris fit liber de *Præscriptionibus adversus hæreticos*, qui Lirinensis *Commonitorium* quodam modo generâsse à multis dicitur; idem enim argumentum uterque pertractavit; et Vincentius, qui Tertulliano perhonorificum testimonium reddit in suo *Commonitorio*, ut suprà videre est, plurima ab hoc in suum derivavit opus.

Referunt Cyprianum absque Tertulliani lectione ne unam quidem diem præteriisse, ac dicere solitum : *Da magistrum*, Tertullianum videlicet significans.

Hic usquè ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansit; posteà ad Montani dogma delapsus, ab ingenio simul ac à fide descivisse visus est. Montanum posteà dereliquit; sed nedùm erroris remearet viam, in miseriæ cumulum accessit, ut sectæ cuidam hæreticorum nomen proprium inderet. Circà annum 216 Romæ annosus obiit.

Egregiæ Tertulliani editioni curas dedit Jac. Pamelius Antuerpiæ 1579 et Parisiis 1635, quæ non multò post recusa est. Omnium verò prætantissima judicatur edit. Venet. 1746, in-folio, ex quâ librum de *Præscriptionibus* excerpsimus, cui præterea argumentum à Jac. Pamelio contextum præfigetur. Nobis etiam perutilis fuit edit. Joann. Jos. Mariæ Tommasi, tom. I *Institut. Theol. antiq. Patrum*, Romæ 1709 primùm excusa, et quæ iterùm Romæ 1765 typis seorsim mandata est.

ARGUMENTUM,

AUCTORE JACOBO PAMELIO.

Adversùs hæreticos sive hæreses tùm temporis grassantes scripturus Tertullianus, videns disputationibus nihil aut parùm profici, certis Præscriptionibus, sive doctrinarum retractatu (uti ipse alibi loquitur) revincendos existimavit.

1. — Priusquàm autem ad propositum veniat, docet non oportere nos admirari super hæreses, eò quòd prænuntiatæ fuerint.

2. — Sed abominandas potiùs, et præcavendas, tanquàm mortem æternam adferentes, nihil virium habentes, nisi apud eos qui in fide infirmi sunt.

3. — Neque scandalizari quemquam oportere, si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr lapsus à regulâ fuerit; quia ex personis non probatur fides, sed ex fide personæ.

4. — Quin potiùs memores simus tàm Dominicarum, quàm Apostolicarum litterarum, quæ futuras hæreses prænuntiârunt, et fugiendas præfinierunt.
5. — Non modò dissensionum et schismatum, sed etiam ipsarum hæreseon nomina.
6. — Quippè cùm Epistolà ad Titum Apostolus hæreticum describens, *hæreses* dictas insinuet, græcâ voce, ex interpretatione *electionis*, quâ quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas, utitur.
7. — Ipsas denique hæreses, quùm à philosophiâ subornentur, eo et curiositatis nomine etiam caveri oportere ab Apostolo præscriptum.
8. — Nihil autem obstare illud : *Quærite et invenietis :* id enim dictum ad eos, quibus nondùm agnitus Christus.
9. — Nobis autem, qui jam credidimus, aliud non quærendum.
10. — Alioqui si semper quærimus, nunquàm inveniemus, nunquàm credemus.
11. — Nemo enim quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit.
12. — Si tamen adhuc quærendum sit, non apud hæreticos, ad quos vetamur accedere; sed in nostro, à nostris, et de nostro quæramus.
13. — Regulam enim (seu Symbolum) fidei nobis præscriptam, ut jam hinc, quid credamus, profiteamur.
14. — Hanc à Christo institutam nullas apud nos habere quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, et quæ hæreticos faciunt.
15. — Porrò ad propositum veniens Tertullianus, præscribit non admittendos hæreticos ad ullam de Scripturis disputationem.
16. — Primum, quòd fides nostra obsequium Apostolo debeat, disputationem prohibenti, dùm post unam correptionem convenire hæreticum interdixit.
17. — Deindè quòd nihil proficiat congressio Scripturarum; quùm hæreses quasdam non recipiant et si quas recipiant, adjectionibus et detractionibus intervertant, aut non recipiant integras, et si aliquatenùs integras, diversas expositiones comminiscantur.
18. — Ille etiam, cujus causâ in congressum Scripturarum discendis, incertior discedet, de pari altercatione negandi et defendendi.
19. — Illud itaque solùm disputandum, quibus competat fides, cujus sint Scripturæ; à quo, per quos, et quibus sit tradita disciplina, quâ Christiani fiunt.
20. — Atqui à Christo unam ejusdem fidei doctrinam Apostolis traditam, qui eam nationibus promulgaverunt, et Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus cæteræ Ecclesiæ quotidiè mutuantur ut Ecclesiæ fiant; ità ut tot ac tantæ Ecclesiæ, una sit illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes.
21. — Hanc itaque dirigit alteram Præscriptionem : Non alios recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit; et proindè eam doctrinam recipiendam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis tàm vivâ voce quàm per Epistolas, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit; hoc itaque testimonium veritatis doctrinæ nostræ, quod cum Ecclesiis Apostolicis communicemus.
22. — Apostolos autem (quidquid in contrarium soleat dicere diversa pars) omnia et sciisse et tradidisse, quibus et omnes Scripturas edisserere dignatus est, et Spiritum sanctum misit, qui eos deduceret in omnem veritatem.
23. — In Petro enim non reprehensam ignorantiam aliquam à Paulo, sed conversationem.
24. — Idque pro temporibus, personis, et causis.
25. — Neque verò occultum aliquod Evangelium prædicâsse Apostolos.
26. — Quanquàm non passìm, nec inconsideratè omnibus.
27. — Unam etiam regulam fidei eos instituisse, tàm ad Ecclesias correptas posteà emendatas, quàm ad eas quas commendârunt.
28. — Quod autem apud multos unum invenitur, non censeri erratum, sed traditum.
29. — Hæreses potiùs errâsse, quæ verâ doctrinâ sunt posteriores.
30. — Marcionem enim, et Valentinum, in catholicam primò doctrinam apud Ecclesiam Romanensem sub episcopatu Euleutheri credidisse, donec ob inquietam curiositatem semel et iterùm ejecti, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminârunt. Atque idem de aliis judicium; qui virtutibus et miraculis novos se apostolos esse probare nequeunt.
31. — Id itaque esse verum, et Dominicum, quod prius sit traditum; falsum quod posterius.
32. — Si interim quædam sint hæreses jam indè ab ætate apostolicâ, præscribendum uti evolvant ordinem episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, aut Apostolicis viris habeat antecessorem, quemadmodùm Smyrnæorum, et Romanorum Ecclesia; quod quùm probare non possint, in communicationem non recipiantur.
33. — Quid? quòd jam tùm ab Apostolis et demonstratæ et ejeratæ fuerint; ex quibus et reliquas hæreses omnes sua semina sumpsisse.
34. — Atque adeò, quùm habeant cum illis consortium suæ prædicationis, habere etiam damnationis consortium, maximè quùm ab Apostolis prænuntiatæ fuerint.

35. — Nullam è contrario dictarum Præscriptionum competere adversùs nostram disciplinam.

36. — Percurrenti enim Ecclesias apostolicas, apud quas adhuc ipsæ Cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur, et inter eas Romanam, undè nobis quoque auctoritas præstò est (ubi Petrus, et Paulus coronati), constabit eamdem ab Apostolis suam potàsse fidem; per quam aquâ signat, Spiritu sancto vestit, Eucharistiâ pascit.

37. — Quùm igitur iis veritas adjudicetur, quicumque in eâ regulâ incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis accepit; constare propositum suum, non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quùm Christiani non sint, et proindè exhæredati à possessione christianarum litterarum.

38. — Maximè quùm illis non possit succedere corruptela doctrinæ sine corruptelâ instrumentorum, deprehensâ in Scripturis detractione, vel adjectione, vel transmutatione, et interpolatione, quâ alius manu scripturas, alius sensu expositiones intervertit.

39. — In eo, comparandi illis, qui Virgiliocentonas et Homerocentonas composuisse leguntur.

40. — Fieri hæc autem eodem diaboli instinctu, qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmulatur; exempli gratiâ, qui quosdam tinguit, expiationem delictorum de lavacro repromittit, signat in frontibus, celebrat et panis oblationem.

41. — Non omittendam denique, quâ contrà eos præscribamus, ipsius etiam hæreticæ conversationis descriptionem; ubi, quis catechumenus, quis fidelis, incertum: pariter enim adeunt, pariter audiunt, pariter orant; qui pacem cum omnibus miscent; quorum mulieres audeant exorcismos agere, forsitan et tinguere. Quorum ordinationes temerariæ; et alius hodiè episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodiè presbyter, qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.

42. — In verbi quoque administratione negotium illis esse, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi; nec suis præsidibus reverentiam præstant; et hìc apud eos schismata non parere, quantumvis tamen à regulis suis inter se varient, et etiam ab auctoribus suis.

43. — Notata etiam fuisse eorum commercia cum magis, circulatoribus, astrologis, philosophis, ut adeò doctrinæ ipsorum non veræ index sit disciplina non bona.

44. — Postremò, si fortè Præscriptionibus his non moveantur, ad futuri judicii metum et hæreticos provocat et eos qui aures hæreticis accommodant.

Cæterùm, præter quàm quòd ad librum hunc adludat auctor infrà, initio librorum adversùs Hermogenem, 4 adversùs Marcionem, et adversùs Praxean, eam repetens Præscriptionem, de quâ c. 28, 29 et 31. *Id verum esse quod prius sit traditum; falsum quod posterius;* certè etiam nominatìm ejus meminit lib. de Carne Christi, et lib. 1 adv. Marcionem. Priori loco: *Sed plenius*, inquit, *ejusmodi Præscriptionibus adversùs omnes hæreses, alibi jam usi sumus.* Posteriori: *Sed alius*, inquit, *libellus hunc gradum sustinebit, adversùs hæreticos, etiam sine retractatu doctrinam revincendos, quòd hæc sint de Pæscriptione novitatis.* Ubi duos titulos hujus libri indicat: *De Præscriptionibus adversùs Hæreses*, sive, *adversùs Hæreticos.* Minimè verò illum, quem quidam brevitatis gratiâ legunt, *De Præscriptionibus Hæreticorum;* quia ille argumento libri contradicit; in quo (uti in nostris annotationibus latiùs) Præscriptionibus variis utitur, non hæreticorum, sed adversùs hæreses.

Q. SEPTIMII F. TERTULLIANI

De Præscriptionibus (1)

ADVERSUS HÆRETICOS LIBER

CAPUT PRIMUM. Conditio præsentium temporum, etiam hanc admonitionem provocat nostram, non oportere nos mirari super hæreses istas, sive quia sunt: futuræ enim prænuntiabantur; sive quia fidem quorumdam subvertunt: ad hoc enim sunt, ut fides, habendo tentationem, haberet etiam probationem. Vanè ergò, et inconsideratè plerique hoc ipso scandalizantur, quòd tantùm hæreses valeant (1). Quantùm si non fuissent! Cùm quid sortitum est, ut omnimodò fit, causam accipit ob quam sit. Hæc vim consequitur, per quam sit, ne esse non possit.

(1) Juris romani vocabulum à Tertulliano usurpatum quoad varias ejus significationes, ut omnibus patet.

(1) In vet. edit.: *Quòd tantùm hæreses valeant, quantùm sunt.* Inferiùs verò: *Sicut causam accipit ob quam sit, sic vim consequitur,* etc. Clarior et dilucidior lectio Tomm.

Caput II. — Febrem denique inter cæteros mortiferos et cruciarios exitus erogando homini deputatam (1), neque quia est miramur, est enim; neque quia erogat hominem, ad hoc enim est. Proindè hæreses ad languorem, et interitum fidei productas, si expavescimus hoc eas posse, prius est ut expavescamus hoc ea esse, quæ dùm sunt, habent posse; et dùm possunt, habent esse. Sed enim febrem, ut malum et de causâ, et de potentiâ suâ, ut notum est, abominamur potiùs quàm miramur; et quantùm in nobis est, præcavemus, non habentes abolitionem ejus in nostrâ potestate. Hæreses verò mortem æternam, et majoris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari, quòd hoc possint, quàm devitare ne possint: cùm habeant devitandi potestatem. Cæterùm nihil valebunt, si illas tantùm valere non mirantur. Aut enim dùm mirantur, in scandalum subministrantur: aut quia scandalizantur, ideò mirantur, quasi, quòd tantùm valeant, ex aliquâ veniat veritate. Mirum scilicet ut malum vires suas habeat: nisi quòd hæreses apud eos multùm valeant, qui in fide non valent. In pugnâ pugilum et gladiatorum, plerùmque non quia fortis est, vincit quis, aut quia non potest vinci; sed quoniam ille qui victus est, nullis viribus fuit: adeò idem ille victor benevalenti posteà comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses de quorumdam infirmitatibus habent quod valent, nihil valentes si in benevalentem fidem incurrant.

Caput III.—Solent quidem isti miriones (2) etiam de quibusdam personis ab hæresi captis, ædificari in ruinam. Quarè ille vel ille fidelissimi, prudentissimi, et usitatissimi in ecclesiâ, in illam partem (3) transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet: Neque prudentes, neque fideles, neque usitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demutare? Et hoc mirum (opinor) ut probatus aliquis retrò posteà excidat? Saül bonus præ cæteris, livore posteà evertitur. David, vir bonus secundùm cor Domini, posteà cædis et stupri reus est. Salomon omni gratiâ, et sapientiâ donatus à Domino, ad idololatriam à mulieribus inducitur. Soli enim Dei Filio servabatur sine delicto permanere. Quid ergò si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr (4) lapsus à regulâ fuerit, ideò hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem, an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis; nemo major, nisi christianus; nemo autem christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit (5).

(1) Nempè hæresis febri comparata hominem enervat, et languescere facit.

(2) Fortè *Infirmiores*, Tommas. Optimè; quid enim *Miriones* hìc, eo etiam sensu, quo accipiuntur à Rhenano?

(3) Schisma vel hæresim.

(4) De viduis, de virginibus, de doctoribus, et de martyribus vdie Christ. Lupum latè doctèque ad hunc Tertull. locum disserentem.

(5) Præclarè Lupus Tertullianum vindicat; eum enim ab errore qui solos ad perseverantiam electos garrit fieri veraciter justos, omninò alienum ostendit, et quo sensu Christianis vocabulum tàm hìc quàm circà finem capitis accipiendum sit, edocet.

Tu, ut homo, extrinsecùs unumquemque nôsti: putas quod vides: vides autem quousque oculos habes. Sed *oculi*, inquit, *Domini alti. Homo in faciem, Deus in præcordia contemplatur.* Et ideò *cognoscit Dominus qui sunt ejus; et plantam, quam non plantavit Pater, eradicat;* et: *De primis novissimos* ostendit: et *ventilabrum in manu portat ad purgandam aream suam.* Avolent quantùm volent paleæ levis fidei, quocumque afflatu tentationum, eò purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati diverterunt? Nec tamen proptereà cæteri quoque discedendum à vestigiis ejus putaverunt; sed qui scierunt illum vitæ esse verbum, et à Deo venisse, perseveraverunt in comitatu ejus usque ad finem: cùm illis, si vellent et ipsi discedere, placidè obtulisset. Minus est si et Apostolum ejus aliqui Phigellus, et Hermogenes (1), et Philetus, et Hymæneus (2) reliquerunt; ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis ejus, si à quibusdam deseruntur, cùm ea nos ostendant Christianos, quæ patimur ad exemplum ipsius Christi: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, sed non fuerunt ex nobis; si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum*, Joan. 2.

Caput IV. — Quin potiùs memores simus tàm Dominicarum prænuntiationum, quàm apostolicarum litterarum, quæ nobis et futuras hæreses prænuntiârunt, et fugiendas præfinierunt: et sicut esse illas non expavescimus, ità posse id propter quod fugiendæ sunt non miremur. Instruit Dominus (3) multos esse venturos sub pellibus ovium rapaces lupos. Quænam istæ sunt pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecùs superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus, et spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecùs delitescentes? Qui pseudoprophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? Qui pseudoapostoli, nisi adulteri evangelizatores? Qui antichristi interìm et semper, nisi Christi rebelles? Nunc sunt hæreses non minùs doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quàm, cùm antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio et martyres facit, hæresis apostatas tantùm (4). Et ideò *hæreses* quoque *oportebat*

(1) Paulus, 2 ad Timot. 1, 15: *Scis hoc, quòd aversi sunt à me omnes, qui in Asiâ sunt, ex quibus et Phigellus et Hermogenes.* De his Ambrosius: *Fallaciâ pleni erant.* Hermogenem verò Tertullianus lib. de *Resurrect. carnis*, cap. 24, inter hæreticos resurrectionem carnis abnegantes recenset.

(2) Paulus ibid., c. 2, 17 et 18: *Et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus, et Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes: Resurrectionem esse jam factam; et subverterunt quorumdam fidem.*

(3) Eadem penè ad verbum D. Cyprianus lib. *adv. Novatianum*, ibi: « Prædixerat quidem Dominus, « multos esse venturos, sub pellibus ovium, rapaces « lupos. Qui sunt isti rapaces lupi, nisi sensus sub« doli? »

(4) Tertulliani tempore, quo hæreses erant inermes; ast ubi cœperunt principum gladio, vel Reipublicæ auctoritate armari, ipso Antichristo in Catholicos fuerunt crudeliores, feceruntque non tantùm apostatas, sed et martyres. Cæterùm Hæreticos posse, licet non occidant, iniquis censuris martyres efficere, docet Lupus.

esse, ut probabiles quique manifestarentur, 1 Cor. 11, tàm qui in persecutionibus steterint, quàm qui ad hæreses non exorbitaverint. Neque enim eos *probabiles* intelligi jubet, qui in hæresim fidem demutant : sicut ex diverso sibi interpretantur, quia dixit alibi : *Omnia examinate; quod bonum est, tenete*, 1 Thess. 5; quasi non liceat, omnibus malè examinatis, in electionem alicujus mali impingere per errorem.

Caput v. — Porrò si dissensiones et schismata increpat, quæ sine dubio mala sunt, et incontinenti (1) hæreses subjungit; quòd malis adjungat, malum utique profitetur, et quidem majus : cùm ideò credidisse se dicat de schismatibus et dissensionibus, quia sciret etiam hæreses oportere esse. Ostendit enim gravioris mali prospectu de levioribus se facilè credidisse : certè non ut ideò de malis crediderit, quia hæreses bonæ essent, sed uti de pejoris quoque notæ tentationibus præmoneret non esse mirandum, quas diceret tendere ad *probabiles* quosque manifestandos, scilicet quos non potuerint depravare. Denique si totum capitulum ad unitatem continendam, et separationes coercendas sapit; hæreses verò non minùs ab unitate divellunt, quàm schismata et dissensiones : sine dubio et hæreses in eâ conditione reprehensionis constituit, in quâ schismata et dissensiones. Ac per hoc non eos *probabiles* facit, qui in hæreses diverterint, cùm maximè diverti ab ejusmodi objurget, edocens unum omnes loqui, et idipsum sapere, quod etiam hæreses non sinunt.

Caput vi. — Nec diutiùs de isto, si idem est Paulus, qui et alibi hæreses inter carnalia crimina numerat, scribens ad Galatas; et qui Tito suggerit, hominem hæreticum (2) post primam correptionem recusandum, quòd perversus sit ejusmodi et delinquat ut à semetipso damnatus. Sed et in omni penè epistolâ de adulterinis doctrinis fugiendis inculcans, hæreses taxat, quarum opera sunt adulteræ doctrinæ : *hæreses* dictæ græcâ voce ex interpretatione *electionis* (3), quâ quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas, utitur. Ideò et sibi damnatum dixit hæreticum, quia et in quo damnatur, sibi elegit. Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt; sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis. Providerat jam tunc (1) Spiritus sanctus futurum in virgine quâdam Philumene (2) Angelum seductionis, transfigurantem se in Angelum lucis : cujus signis et præstigiis Apelles inductus, novam hæresin induxit.

Caput vii. — Hæ sunt doctrinæ hominum et dæmoniorum, prurientibus auribus natæ de ingenio sapientiæ secularis, quam Dominus *stultitiam* vocans, *stulta mundi* in confusionem etiam philosophiæ ipsius elegit. Ea est enim materia sapientiæ secularis, temeraria interpres divinæ naturæ, et dispositionis. Ipsæ denique hæreses à philosophiâ subornantur. Indè Æones et formæ (3) nescio quæ, et trinitas hominis (4) apud Valentinum : Platonicus fuerat. Indè Marcionis Deus melior de tranquillitate : à Stoicis venerat. Et ut anima interire dicatur, ab Epicureis observatur. Et ut carnis restitutio negetur, de unâ omnium philosophorum scholâ sumitur. Et ubi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eædem materiæ apud hæreticos et philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur. Undè malum? Et quarè? Et, undè homo? Et quomodò? Et quod proximè Valentinus proposuit : Undè Deus? Scilicet de enthymesi, et ectromate (5). Miserum Aristotelem! qui illis dialecticam instituit, artificem struendi et destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omninò tractaverit (6). Hinc illæ fabulæ et genealogiæ interminabiles et quæstiones infructuosæ, et sermones serpentes velut cancer; à quibus nos Apostolus refrenans, nominatim philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses : *Videte, ne quis vos circumveniat per philosophiam et inanem seductionem, secundùm traditionem hominum, præter providentiam Spiritûs sancti* (7). Fuerat Athenis, et istam sapientiam humanam, assectatricem et interpolatricem veritatis, de congressibus noverat, ipsam quoque in suas hæreses multipartitam varietate sectarum invicem repugnantium. Quid ergò Athenis et Hierosolymis? Quid Academiæ et Ecclesiæ? Quid hæreticis et Christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis est; qui et ipse tradiderat, Domi-

(1) *Incontinenti*, statim. Rhenanus.

(2) Hodiè hunc Pauli locum constanter legimus : *Hæreticum hominem post unam aut alteram correptionem devita*. Codices aliqui omiserunt voces *aut alteram*, teste Tertulliano hic, S. Cypriano Ep. 55, et lib. 3, cap. 78, ad Quirinum; Ambrosio pluribus in locis, ac Hilaro Romanæ Ecclesiæ Diacono. S. Hieronymus verò ait, in Græcis legi : *Post unam*, in Latinis Codicibus. *Post unam et alteram.*

(3) Hæreseos vocabulum potest accipi in bonam et malam partem; apud philosophos sectas opinionesque, apud Theologos doctrinas ab Orthodoxâ fide absonas denotat.

(1) Citatur hic locus, laudaturque à S. Hieronymo in cap. 1 ad Galat.

(2) Philumene puella Alexandrina, quæ à familiari dæmone obsessa multa mentiebatur; hujus impudicæ mulieris amore captus Apelles librum scripsit visionibus plenum, cui titulus : *Philumenæ prophetiæ et phaneroses*, teste Eusebio, lib. 5 Hist. Eccl.

(3) Agobardi codex habet : *Et formæ nescio quæ infinitæ hominum.*

(4) Hæc trinitas sunt homo hylicus seu choicus, id est, materialis aut terrenus; psychicus, seu animalis; et spiritalis.

(5) Valentini hæresis plena verbis abditis, obscuris, subdolis.

(6) Sapientes malis benè utuntur; mali bonis abutuntur.

(7) *Fabulæ* ad Judæorum Evangelii lucem refugientium deliria, et ridicula commenta spectant, *interminabiles* verò *genealogiæ* ad Basilidianos et Valentinianos, Gnosticæ pravitatis ramos.

num *in simplicitate cordis* esse quærendum. Viderint qui Stoicum, et Platonicum, et Dialecticum, Christianismum (1) protulerunt.

Caput viii. — Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium. Cùm credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim priùs credimus, non esse quod ultrà credere debeamus. Venio itaque ad illum articulum, quem et nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, et hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem (2). Scriptum est, inquiunt : *Quærite, et invenietis*, Matth. 7. Quandò hanc vocem Dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cùm adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset : et cùm adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronuntiàsset ; cùm etiam Joannes (3) de illo certus, esse desisset. Meritò ergò tunc dictum est : *Quærite, et invenietis;* quandò quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus erat et hoc quantùm ad Judæos. Ad illos enim pertinet totus sermo suggillationis istius, qui habebant ubi quærerent Christum : *Habent*, inquit, Luc. 16, *Moysen et Heliam* (4), id est, Legem et Prophetas Christum prædicantes ; secundùm quod et alibi apertè : *Scrutamini Scripturas*, inquit Joan. 5, *in quibus salutem speratis. Illæ enim de me loquuntur.* Hoc erit : *Quærite, et invenietis.* Nam et sequentia in Judæos competere manifestum est : *Pulsate, et aperietur vobis.* Judæi retrò penès Deum fuerant ; dehinc ejecti ob delicta, extrà Deum esse cœperunt. Nationes verò nunquàm penès Deum ; nisi stillicidium de situlâ et pulvis ex areâ ; et foris semper. Itaque qui foris semper, quomodò pulsabit eò, ubi nunquàm fuit ? Quam januam novit, in quam nec receptus, nec ejectus aliquandò ? An qui scit se intùs fuisse et foràs actum, is potiùs pulsavit, et ostium novit ? Etiam, *Petite, et accipietis*, ei competit, qui sciebat à quo esset petendum, à quo et erat aliquid repromissum, à Deo scilicet Abraham, Isaac et Jacob ; quem nationes non magis noverant, quàm ullam repromissionem ejus. Et ideò ad Israel loquebatur : *Non sum*, inquit, *missus*, *nisi ad oves perditas domûs Israel*, *Matth.* 15. Nondùm canibus jactabat panem filiorum : nondùm in viam nationum ire mandabat. Siquidem in fine præcepit, ut vaderent ad docendas et tinguendas nationes ; consecuturi mox Spiritum sanctum Paracletum, qui illos deducturus esset in omnem veritatem. Et hoc ergà illos facit. Quòd si nationibus destinati doctores Apostoli, ipsi quoque doctorem consecuturi erant Paracletum ; multò magis vacabat ergà nos : *Quærite, et invenietis ;* quibus ultrò erat obventura doctrina per Apostolos, et ipsis apostolis per Spiritum sanctum. Omnia quidem dicta Domini omnibus posita sunt, quæ per aures Judæorum ad nos transierunt ; sed pleraque in personas (1) directa, non proprietatem admonitionis nobis constituerent, sed exemplum.

Caput ix. — Cedo nunc spontè de gradu isto. Omnibus dictum sit : *Quærite, et invenietis ;* tamen et hìc expetit sensus certæ interpretationis gubernaculum (2). Nulla vox divina ità dissoluta (3) est et diffusa, ut verba tantùm defendantur, et ratio verborum non constituatur. Sed in primis hoc propono : Unum utique et certum aliquid institutum esse à Christo (4), quod credere omnimodò debeant nationes (5) ; et idcircò quærere, ut possint, cùm invenerint, credere. Unius porrò et certi instituti infinita inquisitio non potest esse. Quærendum est donec invenias, et credendum ubi inveneris : nihil ampliùs, nisi custodiendum quod credidisti : dùm hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideòque nec requirendum ; cùm id inveneris et credideris quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quàm quod instituit. De hoc quidem si quis dubitat, constabit penès nos (6) esse id, quod à Christo institutum est. Interìm ex fiduciâ probationis prævenio, admonens quosdam nihil esse quærendum ultrà quod crediderunt ; id esse quod quærere debuerunt : ne, *Quærite, et invenietis*, sine disciplinâ rationis interpretentur.

Caput x. — Ratio autem dicti hujus in tribus articulis consistit : In re, in tempore, in modo. In re, ut quid sit quærendum consideres. In tempore, ut quandò. In modo, ut quousque. Igitur quærendum est, quod Christus instituit, utique quandò non invenis, utique

(1) Hinc patet, Christianis exosas esse debere sophisticas quæstiones et captatiunculas logicas, quibus religionis et theologiæ puritas conspurcatur. Quorsùm enim à Platone aut Aristotele, qui ethnici ambo et à veritate alieni, pendebis, ut christianus sis ? Quorsùm illorum opiniones aut errores cum christianis dogmatibus permiscebis ?

(2) Rectè hìc Tertullianus vanæ curiositati non favere Evangelicum præceptum, Matth. 7, 7, docet et probat.

(3) Post excessum scilicet Joannis Baptistæ.

(4) In omnibus codicibus græcis et latinis legitur : *Habent Moysem et Prophetas.*

(1) Subintellige : *Judæorum.*

(2) Generatìm omnis sacrarum litterarum sensus seu expositio requirit certæ interpretationis gubernaculum, id est, rationem ; nam non satis est ipsas voces honorare, sed divinæ Veritatis mens est investiganda, et constanter tenenda, juxtà illud Evangelicum : *Scrutamini Scripturas.* Hujus verò rectæ interpretationis donum fuit primitivæ Ecclesiæ charisma, quod licèt jamdiù in singulis privatisque cessaverit, recta tamen per ipsum interpretatio permanet in Ecclesiæ thesauro, seu deposito, quod Timotheo tradidit Paulus, commendavitque, dicens : *Custodi*, servaturque à legitimis Apostolorum, præsertìm Petri, successoribus.

(3) In libris utriusque fœderis contenta.

(4) Non solùm inculcatur hìc christianæ fidei unitas, juxtà verbum Apostoli dicentis : *Una fides*, etc. ; sed et Gnostici redarguuntur, qui cùm verbum Dei scriptum repellerent, evangelicam, nescio quam, prædicabant veritatem, vivâ duntaxat voce traditam ; quem errorem à Judæis ipsi acceperant eorum antesignanis.

(5) Credas hìc Tertullianum propheticè refellere Calvinianorum dogma, quo garriunt, unumquemque justificari et salvari in quâlibet fide, seu hæresi ; unum namque Evangelium, una fides à Deo missa cunctis per orbem nationibus, est uniuscujusque saluti necessaria.

(6) Non apud omnes Christi fideles, sed apud Catholicos, qui perpetuâ et nunquàm interruptâ successione fidem, quam à Christo acceperunt, integram sartamque tectam servârunt.

donec invenias. Invenisti autem cùm credidisti; nam non credidisses, si non invenisses; sicut nec quæsiisses, nisi ut invenires. Ad hoc ergò quæris ut invenias, et ad hoc invenis ut credas. Omnem prolationem quærendi et inveniendi credendo fixisti. Hunc tibi modum statuit fructus ipse quærendi (1). Hanc tibi fossam determinavit ipse qui te non vult aliud credere, quàm quod instituit, ideòque nec quærere. Cæterùm, si quia et alia tanta ab aliis sunt instituta, propterea in tantum quærere debemus, in quantum possumus invenire (2), semper quæremus, et nunquàm omninò credemus. Ubi enim erit finis quærendi? Ubi statio (3) credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit: *Quærite et invenietis.* Apud Valentinum? Sed et Apelles hâc me pronuntiatione pulsabit; et Hebion, et Simon, et omnes ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi addicant. Ero itaque nusquàm, dùm ubique convenior: *Quærite, et invenietis;* et (4) velut si nusquàm, et quasi qui nunquàm apprehenderim illud, quod Christus instituit, quòd quæri oportet, quod credi necesse est.

Caput xi. — Impunè erratur, nisi delinquatur, quamvis errare delinquere est. Impunè, inquam, vagatur, qui nihil deserit (5). At enim si quod debui credere, credidi, et aliud denuò puto requirendum, spero utique et aliud esse inveniendum; nullo modo speraturus istud, nisi quia aut non credideram qui videbar credidisse, aut desii credidisse. Ità fidem meam deserens, negator invenior. Semel dixerim: Nemo quærit, nisi qui aut non habuit, aut perdidit. Perdiderat unam ex decem drachmis anus illa, et ideò quærebat; ubi tamen invenit, quærere desiit. Panem vicinus non habebat, et ideò pulsabat; ubi tamen apertum est ei, et accepit, pulsare cessavit. Vidua à judice petebat audiri, quia non admittebatur; sed ubi audita est, hactenùs institit. Adeò finis et quærendi et pulsandi, et petendi. *Petenti enim dabitur*, inquit, *et pulsanti aperietur, et quærenti invenietur*, *Luc.* 11. Viderit qui quærit semper, quia non invenit; illic enim quærit ubi non invenietur. Viderit qui semper pulsat, quia nunquàm aperietur; illic enim pulsat ubi nemo est. Viderit qui semper petit, quia nunquàm audietur; ab eo enim petit, qui non audit.

Caput xii. — Nobis etsi quærendum esset (1) adhuc et semper, ubi tamen quæri oportet? Apud hæreticos, ubi omnia extranea et adversaria nostræ veritati; ad quos vetamur accedere? Quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam, ab inimico domini sui, sperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus regibus, donativum et stipendium captat, nisi planè desertor, et transfuga, et rebellis? Etiam anus illa intrà tectum suum drachmam requirebat; etiam pulsator ille vicini januam tundebat; etiam vidua illa non inimicum, licèt durum judicem, interpellabat. Nemo indè instrui potest, undè destruitur. Nemo ab eo illuminatur (2), à quo contenebratur. Quæramus ergò in nostro, et à nostris, et de nostro; idque duntaxat, quod salvâ regulâ fidei potest in quæstionem devenire.

Caput xiii. — Regula (3) est autem fidei, ut jam hìnc quid defendamus profiteamur, illa scilicet quâ creditur unum omninò Deum esse, nec alium præter mundi Conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primò omnium emissum; id Verbum Filium ejus appellatum, in nomine Dei variè visum à Patriarchis, in Prophetis semper auditum, postremò delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in Virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, et ex eâ natum (4) egisse Jesum Christum; exindè prædicâsse novam legem, et novam promissionem regni cœlorum; virtutes fecisse; fixum cruci; tertiâ die resurrexisse; in cœlos ereptum sedisse (5) ad dexteram Patris; misisse vicariam vim Spiritûs sancti, qui credentes agat; venturum cum claritate ad sumendos Sanctos in vitæ æternæ et promissorum cœlestium

(1) In libro Ursini legitur: *Fructus ipse credendi.* Sed nihil mutandum.

(2) Apud hæreticos, quorum instituta inter se non solùm diversa, sed et aversa plerùmque, veritas non est quærenda.

(3) Verba *fixisti*, *fossam*, *statio*, allegoricam ostendunt locutionem, à re castrensi desumptam.

(4) Malè Lupus hoc loco legit: *Velint me sic esse nusquàm, quasi*, etc. Sensus est: *Velut si nusquàm (apprehenderim), et quasi qui nunquàm*, etc.

(5) Gnostici docebant, eos, qui reperiendæ veritatis studio in errorem incidebant, et per hæreticorum sectas vagabantur, expertes esse peccati. Hoc sic explicat Tertullianus, ut concedat permissum non Catholico, sed Pagano, Judæo, Apostatæ, aut Hæretico, qui veritatem aut nunquàm habuerunt, aut desertores, et negatores illius fuerunt, veritatem inquirere; quæ semel ac inventa fuerit, non ampliùs quærenda.

(1) F. Georgius Ambianensis legit: *Nobis etsi quærendum esset (adhuc est semper) ubi tamen quæri oportet?* Utraque lectio retineri potest. A Catholicis quærenda quidem veritas, sed non apud hæreticos, non adversùs nostrum dogma, sed quæ salvâ regulâ fidei potest in quæstionem devenire; exemplo D. Cypriani, qui sua circà Baptismum dubia retulit ad synodos, ad episcopos, ad doctores denique catholicæ Ecclesiæ; quæsivit nempè *in nostro, à nostris et de nostro.*

(2) De illuminatione, id est, Baptismo, ità scribit S. Augustinus, lib. 2 contrà epistolam Parmeniani cap. 13, n. 30: « De iis verò, qui ab Ecclesiæ unitate separati sunt, nulla jam quæstio est, quin et habeant et dare possint (Baptismum), et quin perniciosè habeant perniciosèque tradant extra vinculum pacis. Hoc enim jam in ipsâ totius orbis unitate discussum, consideratum, perfectum, atque confirmatum est, » etc. (Vide eumdem S. doctorem in lib. 4 de Baptismo, cap. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17.) Tommasi.

(3) Regulam hìc vocat Tertullianus quod vulgò Apostolorum Symbolum vocamus, cujus velut synopsim dat. Qui verò quæ ab Apostolis sunt, quæve post Apostolos ad veritatis dilucidationem, addita, scire velit, legat Lupum latè et doctè hìc disserentem.

(4) Ursini codex: *Exisse Jesum Christum.* Lectio autem Agobardi juxtà Rigaltium est retinenda: *Egisse Jesum Christum*, hoc est, eam hominis personam induisse, omniaque egisse, quæ de Jesu Christo fuerant prædicta.

(5) Sedere quòd dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem; ad dexteram verò, hoc est, in summâ beatitudine, ubi justitia et pax et gaudium est; verba sunt Augustini, lib. de Fide et Symbolo, cap. 3.

fructum, et ad prophanos adjudicandos (1) igni perpetuo, factâ utriusque partis resuscitatione (2) cum carnis restitutione.

Caput xiv. — Hæc regula à Christo, ut probabitur, instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, et quæ hæreticos faciunt. Cæterùm manente formâ ejus in suo ordine, quantumlibet quæras, et tractes, et omnem libidinem curiositatis effundas, si quid tibi videtur vel ambiguitate pendere, vel obscuritate obumbrari, est utique frater aliqui (3) doctor gratiâ scientiæ donatus : est aliqui inter exercitatos conversatus, aliqui tecum curiosus, tecum tamen quærens, novissimè ignorare melius est, ne quod non debeas nôris, quia quod debeas nôsti. *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit*, non exercitatio Scripturarum (4). Fides (5) in regulâ posita est : habes legem, et salutem de observatione legis; exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei; cedat gloria saluti. Certè aut non obstrepant, aut quiescant. Adversùs regulam nihil scire est. Ut non inimici essent veritatis hæretici, ut de refugiendis eis non præmoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui et ipsi adhuc se quærere profiteantur? Si enim adhuc verè quærunt, nihil adhuc certi repererunt : et ideò quæcumque videntur interìm tenere, dubitationem suam ostendunt quamdiù quærunt. Itaque tu, qui perindè quæris, spectans ad eos qui et ipsi quærunt, dubius à dubiis, incertus ab incertis, cæcus à cæcis, in foveam deducaris necesse est. Sed cùm decipiendi gratiâ prætendunt se adhuc quærere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent; denique ubi adierint ad nos, statìm, quæ dicebant quærenda esse, defendunt; jam illos sic debemus refutare, ut sciant nos non Christo, sed sibi negatores esse. Cùm enim quærunt adhuc, nondùm tenent; cùm autem non tenent, nondùm crediderunt; cùm autem nondùm crediderunt, non sunt Christiani. At cùm tenent quidem et credunt, quærendum tamen dicunt ut defendant; antequàm defendant, negant quod credunt, confitentes se nondùm credidisse, dùm quærunt. Qui ergò nec sibi sunt Christiani, quantò magis nobis! Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt?

Caput xv. — Sed ipsi de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent. Aliundè scilicet (6) loqui possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei? Venimus igitur ad propositum (1) : hoc enim dirigebamus, et hoc præstruebamus adlocutionis præfatione, ut jam hinc de eo congrediamur, de quo adversarii provocant. Scripturas obtendunt, et hâc suâ audaciâ statìm quosdam movent; in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem. Si hæ sunt illæ vires eorum (2), uti eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio Scripturarum; ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit.

Caput xvi. — Hoc de consilio diffidentiæ, aut de studio aliter ineundæ constitutionis induxerim, nisi ratio constiterit, in primis illa, quòd fides nostra obsequium Apostolo debeat prohibenti quæstiones inire, novis vocibus aures accommodare, hæreticum post unam correptionem convenire, non post disputationem. Adeò interdixit disputationem, correptionem designans causam hæretici conveniendi; et hoc unam, scilicet, quia non est Christianus; ne more Christiani, semel et iterùm et sub duobus aut tribus testibus castigandus videretur; cùm ob hoc sit castigandus, propter quòd non sit cum illo disputandum. Deindè quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi planè (3) ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri.

Caput xvii. — Ista hæresis non recipit (4) quasdam Scripturas : et si quas recipit, non recipit integras; adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit : et si aliquatenùs integras præstat, nihilominùs diversas expositiones commentata convertit. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantùm et corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò nolunt (5) agnoscere ea, per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex falso composuerunt (6), et quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur? ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris nisi bilem de blasphematione.

(1) Videtur Tertullianus de igne, qui in inferno statuitur, hìc et alibi loqui, contrà id quod docuerunt posteà Besa et Calvinus, qui statum miserum tantummodò damnatorum per ignem intelligi prædicant.

(2) *Utriusque partis*, scilicet piorum et impiorum.

(3) *Aliqui* apud Tert. pro *aliquis*. Doctores verò alii creati ex charismate, alii ex humano labore, studio et exercitatione.

(4) Non utitur hìc Tertullianus, juxtà morem Africanum, ad litteram Dominicis verbis, ut cuique patet.

(5) Fides ad salutem necessaria, quæ in regulâ, seu Symbolo posita est. Cætera in hoc capite contenta sunt clara, et expositione non indigent ullâ.

(6) Albaspinæus interrogationis signum expungit, quasi auctor intelligat, hæreticos, præsertìm Gnosticos, potuisse in probationem eorum dogmatum ea adducere philosophorum scripta, ex quibus sua hausissent commenta.

(1) Hucusquè præfatus est Tertullianus; deinceps contendit non esse cum Gnosticis de Scripturis altercandum, non quòd ecclesiasticæ causæ ut dubiæ diffidat, sed ne illi blasphemiarum spurcitias Scripturarum divinarum contextas involucris nobis obtrudant.

(2) Hoc est, an his armis uti possint, sive an Scripturæ sint arma eorum, juxtà Albaspinæum suprà laudatum.

(3) Sic in codice Divionensi; in libro verò Agobardi legitur : *Quo ineat*. Explicari hæc videntur istis mox sequentibus : *Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione; nihil consequeris . nisi bilem de blasphematione.*

(4) Mos hic omnium hæreticorum, qui eos Scripturarum libros, vel capita, per quæ eorum hæreses evertuntur, à canone eliminant, vel perversè exponunt, ut in suos sensus detorqueant, et ignaros decipiant.

(5) Malè in codice Agob. et Divion. : *Necessariò volunt.*

(6) Intelligit libros apocryphos ab aliquibus hæreticis efformatos, ab aliis deindè receptos.

Caput xviii. — Ille verò, si quis est, cujus causâ in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deverget (1)? Hoc ipso motus, quòd te videat nihil promovisse æquo gradu negandi et defendendi adversâ parte, statu certè pari, altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet. Hæc utique et ipsi habent in nos retorquere. Necesse est enim et illos dicere, à nobis potiùs adulteria Scripturarum, et expositionum mendacio inferri, qui proindè sibi defendant veritatem.

Caput xix. —Ergò non ad Scripturas provocandum est; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parùm certa (2). Nam etsi non ità evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, illud priùs proponi, quod nunc solùm disputandum est (3), quibus competat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo, et per quos, et quandò, et quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei christianæ, illìc erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum.

Caput xx. — Christus Jesus, Dominus noster, permittat dicere interìm, quisquis est, cujuscumque Dei Filius, cujuscumque fidei præceptor, cujuscumque mercedis repromissor: quid esset, quid fuisset, quam Patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quamdiù in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palàm, sive discentibus seorsùm; ex quibus duodecim præcipuos lateri suo adlegerat, destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso, reliquos undecim digrediens ad Patrem post resurrectionem, jussit ire et docere nationes intinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum. Statìm igitur Apostoli (quos hæc appellatio *missos* interpretatur), assumpto per sortem duodecimo Matthiâ, in locum Judæ ex auctoritate prophetiæ, quæ est in psalmo David 108 (4), consecuti promissam vim Spiritûs sancti ad virtutes et eloquium, primò (5) per Judæam contestatâ fide in Jesum Christum, et Ecclesiis institutis, dehìnc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proindè Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt; à quibus (6) traducem fidei et semina doctrinæ certæ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidiè mutuantur, ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, ex quâ omnes. Sic omnes primæ, et omnes apostolicæ, dùm unà omnes probant unitatem. Dùm est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis (1): quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem sacramenti (2) una traditio.

Caput xxi. — Hìnc igitur dirigimus præscriptionem: Si (3) Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit: quia *nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit.* Nec aliis videtur revelàsse Filius, quàm Apostolis, quos misit ad prædicandum utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit; et hìc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tàm vivâ (quod aiunt) voce, quàm per Epistolas posteà. Si hæc ità sunt, constat proindè, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit; omnem verò doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contrà veritatem Ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei. Superest ergò, uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam suprà edidimus, de Apostolorum traditione censeatur; et ex hoc ipso, an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quòd nulla doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis.

Caput xxii. — Sed quoniam tàm expedita probatio est, ut si statìm proferatur, nihil jam sit retractandum, ac si prolata non sit à nobis, locum interìm demus diversæ parti, si quid putant ad infirmandam hanc præscriptionem movere se posse. Solent dicere, non omnia Apostolos scîsse; eàdem agitati dementiâ, quâ rursùs convertunt, omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse, in utroque Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minùs instructos, aut parùm simplices Apostolos miserit. Quis igitur integræ mentis credere potest, aliquid eos ignoràsse, quos magistros Dominus dedit, individuos habens in comitatu, in discipulatu, in convictu; quibus obscura quæque seorsìm disserebat, illis dicens datum esse cognoscere arcana, quæ populo intelligere non li-

sique per manus, apostolicam doctrinam inter se communicaverunt, ità ut omnes apostolicæ dici possint.

(1) Inutilis cum hæreticis altercatio, qui quùm facilè, juxtà Hieronymum, in fine lib. contrà Luciferianos, vinci possint, persuaderi non possunt; et quod Catholici verissimè iis exprobrant, ipsos scilicet non intelligere, sed corrumpere Scripturas, id ipsum vicissìm Catholicis objiciunt.

(2) *Aut par incertæ*, emendat, legitque Rigaltius.

(3) Ne inutilis prorsùs evadat altercatio cum hæreticis, præsertìm Gnosticis, hæc omnia priùs despicienda sunt.

(4) *Et episcopatum ejus accipiet alter.*

(5) Ecclesia condita priùs Hierosolymis ex Judæis, undè apud prophanos Christiani Judæorum appellatione veniebant.

(6) Per metaphoram è re rusticâ sumptam Tertullianus vocat hìc traducem fidei, translationem fidei de unâ Ecclesiâ in aliam; Ecclesiæ namque mutuo, qua-

(1) Hæc sunt jura vera Ecclesiæ. Ubi priùs legebatur *contestatio*, Rhenanus benè correxit *contesseratio*, quæ vox à tesserâ efformata conjunctionem denotat familiariorem, quæ per signum fiat.

(2) Hoc est Symboli, seu regulæ ejusdem fidei: nam sacramentum hìc accipitur pro toto christiano dogmate.

(3) In codice Agobardi et Divionensi legitur: ***Si*** *Deus Jesus Christus.*

ceret? Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ *petram* dictum, claves regni cœlorum consecutum, et solvendi et alligandi in cœlis et in terris potestatem? Latuit et Joannem aliquid, dilectissimum Domino, pectori ejus incubantem, cui soli Dominus Judam traditorem præmonstravit, quem loco suo filium Mariæ demandavit? Quid eos ignoràsse voluit, quibus etiam gloriam suam exhibuit, et Moysen et Eliam, et insuper de cœlo Patris vocem, non quasi cæteros reprobans, sed quoniam *in tribus testibus stabit omne verbum?* Ignoraverunt itaque et illi, quibus post resurrectionem quoque in itinere omnes Scripturas edisserere dignatus est. Dixerat planè aliquandò : *Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis modò ea sustinere*, Luc. 24; tamen adjiciens : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipse vos deducet in omnem veritatem*, Joan. 16 : ostendit illos nihil ignoràsse, quos *omnem veritatem* consecuturos per *Spiritum veritatis* repromiserat : et utique implevit repromissum, probantibus Actis Apostolorum descensum Spiritûs sancti. Quam Scripturam qui non recipiunt, nec Spiritûs sancti possunt esse, qui necdùm discentibus Spiritum possint agnoscere missum; sed nec Ecclesiam se dicant defendere, qui, quandò et quibus incunabulis institutum est hoc corpus, probare non habent. Tanti enim (1) est illis non habere probationes eorum, quæ defendunt, ne pariter admittantur traductiones eorum, quæ mentiuntur.

Caput XXIII. — Proponunt ergò ad suggillandam ignorantiam aliquam Apostolorum, quòd Petrus et qui cum eo reprehensi sint à Paulo. Adeò, inquiunt, aliquid eis defuit, ut ex hoc etiam illud struant, potuisse posteà pleniorem scientiam supervenire, qualis obvenerit Paulo reprehendenti antecessores. Possumus et hìc Acta Apostolorum repudiantibus dicere : Priùs est uti ostendatis quis iste Paulus, et quid antè Apostolum, et quomodò Apostolus; quatenùs et alias ad quæstiones plurimùm eo utuntur. Neque enim (2) si ipse se Apostolorum de persecutore profitetur, sufficit unicuique examinare (3) credenti, quandò nec Dominus ipse de se testimonium dixerit. Sed credant sine Scripturis (4), ut credant adversùs Scripturas; tamen doceant ex eo, quòd allegant Petrum à Paulo reprehensum, aliam Evangelii formam à Paulo superinductam, citrà eam, quam præmiserat Petrus et cæteri. Quin demutatus in prædicatorem de persecutore, deducitur ad fratres à fratribus, ut unus ex fratribus, et ad illos ab illis, qui ab Apostolis fidem induerant. Dehìnc, sicut ipse enarrat, ascendit Hierosolymam cognoscendi Petri causâ, ex officio et jure scilicet ejusdem fidei et prædicationis. Nam et illi non essent admirati de persecutore factum prædicatorem, si aliquid contrarium prædicaret; nec Dominum præ툴eà magnificàssent, quia adversarius ejus Paulus obvenerat. Itaque et dexteram ei dederunt, signum concordiæ et convenientiæ; et inter se distributionem officii ordinaverunt, non separationem Evangelii : nec ut aliud alter, sed ut aliis alter prædicaret, Petrus in circumcisionem, Paulus in nationes. Cæterùm (1) si reprehensus est Petrus, quòd, cùm convixisset ethnicis, posteà se à convictu eorum separabat personarum respectu; utique conversationis fuit vitium, non prædicationis. Non enim ex hoc alius Deus quàm Creator, et alius Christus, quàm ex Mariâ; et alia spes quàm resurrectio annuntiabatur.

Caput XXIV. — Non mihi tàm benè est, imò non mihi tàm malè est, ut Apostolos committam. Sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam superiorem (2), respondebo quasi pro Petro : ipsum Paulum dixisse, factum se esse omnibus omnia, Judæis Judæum, non Judæis non Judæum, ut omnes lucrificaret. Adeò pro temporibus, et personis, et causis quædam reprehendebant, in quæ et ipsi æquè pro temporibus et personis et causis committebant; quemadmodùm, si et Petrus reprehenderet Paulum, quòd prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum, viderint qui de Apostolis judicant. Benè quòd Petrus Paulo et in martyrio adæquatur (3). Sed etsi in tertium usque cœlum ereptus Paulus, et in Paradisum delatus audiit quædam illic, non possunt videri ea fuisse, quæ illum in aliam doctrinam instructiorem præstarent; cùm ità fuerit conditio eorum, ut nulli hominum proderentur. Quòd si ad alicujus conscientiam manavit nescio quid

(1) « Hæc Tertulliani verba, ait ad hunc locum Albaspinæus, tàm involuta sunt, ut eorum sententiam « interpretes expiscati non sint. Ait igitur, multa ab « hæreticis doceri ac defendi, quæ tametsi veræ fidei « consentanea sint, ad ea tamen stabilienda Scripturæ auctoritate et præsidio eos uti nolle, ne scilicet « ex eisdem Scripturæ locis aut libellis eorum, mendacia convellantur, et in lucem exponantur. Ità fieri, « ut libellum, quo Acta Apostolorum continentur, « maximo cum incommodo recusent (illud enim *tanti* « hoc istic significat), quia ex hoc uno origo Ecclesiæ « et formatio, quam fatentur, demonstrari potest. Per « traductiones enim cave depravationes intelligas cum « Rhenano. Sed traductio apud Tert. est illustratio, « demonstratio, detectio. Nam apud eumdem traducere est in lucem exponere, aperire, detegere, » etc.

(2) Codex Ursini : *quod ipse.*

(3) Hìc Lupus legit *examinatè*, quæ vox Afris non insueta.

(4) Liber Ursini : *Sed credunt sanè Scripturis.* Vulgata lectio est retinenda. Sensus verò hujus loci aliquantulùm obscuri est : Qui non recipiunt Acta Apostolorum, credunt tamen Paulum de persecutione factum Apostolum, quod, repudiatis Actis, nullâ aliâ authenticâ Scripturâ contestantur. Sed credant quidem sine Scripturis, ut alia credant adversùs Scripturas; doceant tamen, etc.

(1) Non erravit Petrus in fide, vel in prædicatione fidei, sed in facto, seu in conversatione in quam cadit reprehensio Pauli; undè malè abutuntur romanæ Sedis hostes hoc Tertulliani loco, ex quo confectum putant, summum Pontificem reprehensioni verè esse obnoxium.

(2) Per *doctrinam superiorem* intelligenda hìc est, quam Apostoli antè Pauli adventum prædicàrunt; nam Gnostici solas Epistolas Pauli recipientes, non solùm Petrum, sed et Joannem ac Jacobum cum Paulo committebant.

(3) Summa hujus capitis, juxtà Priorium, videtur esse hæc : Detur, sed non concedatur, Petrum et Paulum pares non fuisse, sive dispari exstitisse sententiâ; æquales tamen omninò fuisse fatendum in martyrio, quod pro Christo fortiter passi sunt.

illud, et hoc se aliqua hæresis sequi affirmat; aut Paulus secreti proditi reus est, aut et alius posteà in Paradisum ereptus debet ostendi, cui permissum sit eloqui, quæ Paulo mutire non licuit (1).

CAPUT XXV. — Sed, ut diximus, eadem dementia est, cùm confitentur quidem nihil Apostolos ignorâsse, nec diversa inter se prædicâsse; sed non omnia volunt (2) illos omnibus revelàsse; quædam enim palàm et universis, quædam secretò et paucis demandâsse; quia et hoc verbo usus est Paulus ad Timotheum: *O Timothee, depositum custodi* (3). Et rursùm: *Bonum depositum custodi.* Quod hoc depositum est tàm tacitum, ut alteri doctrinæ deputetur? an illius denuntiationis, de quâ ait: *Hanc denuntiationem commendo apud te, fili Timothee? Denuntio tibi antè Deum, qui vivificat omnia, et Jesum Christum, qui testificatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut custodias præceptum.* Quod autem præceptum, quæ denuntiatio? Ex suprà et infrà scriptis intelligitur, non nescio quid subostendi hoc dicto de remotiore doctrinâ, sed potiùs inculcari de non admittendâ aliâ præter eam, quam audierat ab ipso, et puto palàm: *Coram multis*, inquit, *testibus.* Quos multos testes, si nolunt Ecclesiam intelligi, nihil interest, quandò nihil tacitum fuerit, quod sub multis testibus proferebatur. Sed nec quia illum voluit *hæc fidelibus hominibus demandare, qui idonei sint et alios docere;* id quoque in argumentum occulti alicujus Evangelii interpretandum est. Nam cùm dicit, *hæc*, de eis dicit, de quibus in præsenti scribebat; de occultis autem ut de absentibus apud conscientiam non *hæc*, sed *illa* dixisset.

CAPUT XXVI. — Porrò consequens erat, ut cui demandabat Evangelii administrationem, non passim nec inconsideratè administrandam adjiceret, secundùm Dominicam vocem (4) ne margaritam porcis, et sanctum canibus jactaret. Dominus palàm edixit, sine ullà significatione alicujus taciti sacramenti. Ipse præceperat, si quid in tenebris et in abscondito audìssent, in luce et in tectis prædicarent (5). Ipse per similitudinem præfiguraverat, ne unam mnam, id est, unum verbum ejus, sine fructu in abdito reservarent. Ipse docebat, lucernam non sub modium abstrudi solere, sed in candelabrum constitui, *ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Hæc Apostoli aut neglexerunt, aut minimè intellexerunt; si non adimpleverunt abscondentes aliquid de lumine, id est, de Dei verbo et Christi Sacramento. Neminem, quod scio, verebantur, non Judæorum vim, non ethnicorum; quò magis utique in Ecclesiâ liberè prædicabant, qui in synagogis et in locis publicis non tacebant. Imò neque Judæos convertere, neque ethnicos inducere potuissent, nisi quod credi ab eis volebant, ordine exponerent. Multò magis jam credentibus Ecclesiis nihil subtraxissent, quod aliis paucis seorsùm demandarent: quanquàm, etsi quædam inter domesticos (1), ut ità dixerim, disserebant, non tamen ea fuisse credendum est, quæ aliam regulam fidei superducerent, diversam et contrariam illi, quam catholicè (2) in medium proferebant: ut alium Deum in Ecclesiâ dicerent, alium in hospitio; et aliam Christi substantiam designarent in aperto, aliam in secreto; et aliam spem resurrectionis apud omnes annuntiarent, aliam apud paucos: cùm ipsi obsecrarent in Epistolis suis, ut idipsum et unum loquerentur omnes, et non essent schismata et dissensiones in Ecclesiâ, quia sive Paulus, sive alii, eadem prædicarent. Alioquin meminerant: *Sit sermo vester* (3): *Est, est; Non, non: quod ampliùs, hoc à malo est,* Matth. 5, ne scilicet Evangelium in diversitate tractarent.

CAPUT XXVII. — Si ergò incredibile est, vel ignoràsse Apostolos plenitudinem prædicationis, vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidisse, videamus, ne fortè Apostoli quidem simpliciter et plenè, Ecclesiæ (4) autem suo vitio aliter acceperint, quàm Apostoli proferebant. Omnia ista scrupulositatis incitamenta invenias prætendi ab hæreticis. Tenent correptas ab Apostolis Ecclesias: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?* et: *Tàm benè currebatis, quis vos impediit?* Ipsumque principium: *Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium.* Item ad Corinthios scriptum, quòd essent adhuc carnales, qui lacte educarentur, nondùm idonei ad pabulum; qui putarent se scire aliquid, quandò nondùm scirent quemadmodùm sciri oporteret. Cùm correptas Ecclesias opponunt, credunt emendatas. Sed et illas recognoscant, de quarum fide (5) et scientiâ et conversa-

(1) S. Joannes Chrysostomus est hìc adeundus, qui vult nec Petrum simulando, nec reprehendendo Paulum deliquisse.

(2) Ostendit in hoc capite Tertullianus contrà Gnosticos, nullam doctrinam arcanam esse admittendam; illi enim garriebant, secreta verba, quæ Paulus in raptu suo audiverat, esse sua dogmata, et ipsa per Pauli discipulos ad se solos pervenisse.

(3) Quodnam hoc depositum? respondet Theodoretus: Existimo, Apostolum appellare « depositum, « gratiam Spiritûs sancti, quam accepit Timotheus « per ordinationem. » Meliùs Primasius Uticensis episcopus exponit sic: *Fidei per me prædicatæ depositum;* quod Apostolus non soli Timotheo, sed cunctis episcopis ac doctoribus mandat firmè ac fidè custodiendum.

(4) Indè eruitur disciplina arcani, de quo sanctus Augustinus, ac alii latini Patres frequenter meminerunt, ut videre est apud Schelestratium.

(5) Licet Evangelium non sit projiciendum canibus, hoc est, Gentilibus et Catechumenis, non est tamen subtrahendum fidelibus et initiatis, quod fuse hic a Tertulliano probatur.

(1) Domestici Apostolorum sunt eorum in fundandis Ecclesiis adjutores et socii; quales S. Paulo Lucas et Barnabas, S. Petro Marcus et Glaucias.

(2) Catholicè legendum, non catholicæ, ut in antiquis exemplaribus, juxtà Rigaltium.

(3) Hoc est, non solùm verus, sed et sincerus, ac nequaquàm ambagibus involutus.

(4) Hæretici, Gnostici potissimùm, quos Tertullianus hìc urget, Ecclesias Apostolorum documenta aut non intellexisse, aut suo vitio aliter accepisse somniabant, exemplo ducto à Galatis et à Corinthiis per Paulum correptis, quibus Tertullianus rectè reponit, *si correptas Ecclesias opponunt, credunt emendatas.*

(5) De fide quidem et dilectione, quæ hìc conversatio appellatur, commendat Apostolus Romanos, Ephesios, Philippenses; de scientiâ vero peculiariter Ro

tione Apostolus gaudet, et Deo gratias agit : quæ tamen hodiè cum illis correptis unius institutionis jura miscent.

CAPUT XXVIII. — Age nunc : omnes (1) erraverint ; deceptus sit et Apostolus de testimonio reddendo quibusdam ; nullam respexerit Spiritus sanctus uti eam in veritatem deduceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre, ut esset doctor veritatis ; neglexerit officium Dei villicus, Christi vicarius, sinens Ecclesias aliter interìm intelligere, aliter credere, quàm ipse per Apostolos prædicabat : ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint ? Nullus inter multos (2) eventus est unus excitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm, quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Audeat ergò aliquis dicere, illos errâsse, qui tradiderunt ?

CAPUT XXIX. — Quoquo modo (3) sit erratum, tamdiù utique regnavit error, quamdiù hæreses non erant ; aliquos Marcionitas et Valentinianos liberanda veritas exspectabat ; intereà, perperam evangelizabatur, perperàm credebatur, tot millia millium perperàm tincta, tot opera fidei perperàm administrata, tot virtutes, tot charismata (4) perperàm operata, tot sacerdotia, tot ministeria (5) perperàm functa ; tot denique martyria perperàm coronata. Aut si non perperàm, nec in vacuum, quale est (6) ut antè res Dei currerent, quàm cujus Dei notum esset ? antè Christiani, quàm Christus inventus ? antè hæresis, quàm vera doctrina (7) ? Sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit ; post rem similitudo succedit. Cæterùm satis ineptum, ut prior in doctrina hæresis habeatur : vel quoniam ipsa est, quæ futuras hæreses cavendas prænuntiabat. Ad ejus doctrinæ Ecclesiam scriptum est, imò ipsa doctrina ad Ecclesiam scribit : *Etsi Angelus de cœlo aliter evangelizaverit citrà quàm nos, anathema sit*, Gal. 1.

CAPUT XXX. — Ubi tunc Marcion, Ponticus (1) nauclerus (2) Stoicæ studiosus ? Ubi Valentinus, Platonicæ sectator (3) ? Nam constat illos, neque adeò olìm fuisse (4), Antonini ferè principatu, et in catholicæ (5) primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub episcopatu Eleutheri benedicti, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quâ fratres quoque vitiabant (6), semel et iterùm ejecti, Marcion (7) quidem cum ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum (8) discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodùm idem Marcion pœnitentiam confessus, cùm conditioni datæ sibi occurrit, ità pacem recepturus, si cæteros quos perditioni erudîsset, Ecclesiæ restitueret, morte præventus est (9). Oportebat enim hæreses esse, nec tamen ideò bonum hæreses, quia eas esse oportebat. Quasi non et malum oportuerit esse. Nam et Dominum tradi oportebat ; sed *væ* traditori ! ne quis etiam hìnc hæreses defendat. Si et (10) Apellis stemma re tractandum est, tàm non vetus et ipse, quàm Marcion institutor et præformator ejus ; sed lapsus in feminam desertor continentiæ Marcionensis (11), ab oculis sanctissimi magistri Alexandriam secessit. Indè post annos regressus non melior, nisi tantùm quia jam non Marcionites, in alteram feminam impegit, illam virginem Philumenem (quam suprà (12) edidimus), posteà verò immane prostibulum et ipsam ; cujus energemate (13) circumventus, quas ab eâ didicit, Phaneroseis scripsit. Adhuc in seculo supersunt qui meminerint

manos, ad quos, cap. 15, ait : *Quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientiâ.*

(1) Scilicet Ecclesiæ. Hìc Tertullianus ob oculos ponit multas ineptias, quæ ex Gnosticorum deliramentis procedebant.

(2) Male Rigaltius legit : *Eventus unus est ; exitus variàsse*, etc. Sensus est : Non potuissent Ecclesiæ catholicæ toto orbe dispersæ in unam convenire fidem, si aut non benè fuissent edoctæ, aut suo vitio Evangelium aliter accepissent. Si ergò apud multos eadem doctrina, hæc ab Apostolis, qui eam tradiderunt, dimanavit.

(3) Hoc est : Demus Gnosticis, primitivas Ecclesias omnes ex quâvis causâ errâsse. Ergò usque ad Marcionitarum et Valentinianorum exortum erraverunt, et deviare à Deo permissæ sunt ; quod absurdum. Idipsum nostri temporis Aristarchis possumus, ait Pamelius, optimè respondere, qui hactenùs errâsse Ecclesiam dicere non verentur : *Si aliquos* Lutheranos, aut Calvinistas, aut Anabaptistas *liberanda veritas expectabat*, etc.

(4) Virtutes et charismata hìc sunt signa et potestas edendi miracula, ac Spiritùs sancti dona.

(5) In codice Agobardi *mysteria ;* hoc verò non benè cohæret.

(6) Primarium ac necessarium rectæ prædicationis ac fidei fundamentum est notitia veri Dei et veri Christi.

(7) Hæresis veram doctrinam supponit et sequitur, eamque adulterare satagit.

(1) S. Epiphanius in Panario : *Marcion fuit genere Ponticus ex eâ parte quæ Helenopontus dicitur, oppido Sinope*

(2) *Nauclerus ;* monachus anachoreta et episcopi Sinopensis filius fuit Marcion ; ut tamen possibile sit, juxtà Rhenanum, majores ejus naucleros exstitisse.

(3) Ut Marcion Stoicæ sectæ, sic Valentinus Platonicæ adhæsit.

(4) Hoc est, non admodùm antiquos, respectu Tertulliani ; nam Eleutherus ab ann. Christi 179 ad 194 pontificatum tenuit. Tertullianus verò initio tertii seculi scribebat.

(5) Videlicet Ecclesiæ.

(6) In veteri exemplari : *Quam fratres quoque vitabant ;* hoc est, eorum curiositatem etiam plebi christianæ odiosam fuisse.

(7) Hæc Marcionis historia, et ducenta sestertia ab eo Ecclesiæ collata, cum his quæ ab alliis veteribus scripta sunt, non planè cohærent.

(8) Vox *discidium* Tertulliano non insueta ; sensus : Omninò segregati.

(9) Videtur hìc Tertullianus Marcionem confundere cum Cerdone, cui potiùs quadrant hæc, juxtà Epiphanium.

(10) De Apelle S. Epiphanius, hær. 43 : « Non ille « sanctus, et ab Apostolo commendatus, sed diver- « sus..... à quo Appelleciani. Hic Luciani discipulus « et Marcionis auditor fuit. Adversùs magistrum et « adversùs ipsam veritatem armâsse se videtur. »

(11) Describit Tertullianus continentiam Marcionis, quâ nuptias vetabat, lib. 1 adv. eumdem, cap. 79.

(12) Cap. 6.

(13) Græca hæc vox, quæ in bonam et malam partem sumitur, hìc dæmoniacam vexationem Philumenes denotat.

eorum, etiam proprii discentes et successores ipsorum, ne se posteriores negare possint. Quanquàm et de operibus suis, ut dixit Dominus, revincuntur. Si enim Marcion novum Testamentum à vetere separavit, posterior est eo, quod separavit, quia separare non posset, nisi quod unitum fuit. Unitum ergò antè quàm separaretur, posteà separatum, posteriorem ostendit separatorem. Item Valentinus, aliter exponens et sine dubio emendans, hoc nomine quidquid emendat ut mendosum retrò, anterius fuisse demonstrat. Hos ut insigniores et frequentiores adulteros veritatis nominamus. Cæterùm et Nigidius (1) nescio quis, et Hermogenes (2), et multi alii, qui adhuc ambulant pervertentes vias Dei, ostendant mihi ex quâ auctoritate prodierunt. Si alium Deum prædicant, quomodò ejus Dei rebus, et litteris, et nominibus utuntur adversùs quem prædicant? Si eumdem, quomodò aliter? probent (3) se novos Apostolos esse; dicant Christum iterùm descendisse, iterùm ipsum docuisse, iterùm crucifixum, iterùm mortuum, iterùm resuscitatum: sic enim Apostolos solet facere, dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ et ipse (4). Volo igitur et virtutes eorum proferri; nisi quòd agnosco maximam virtutem eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur; illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt (5).

Cap. xxxi. — Sed (6) ab excessu revertar ad principalitatem veritatis, et posteritatem mendacii disputandam, ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum semen frumenti à Domino seminatum in primore constituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimico diabolo posteà superducit. Propriè enim doctrinarum distinctionem figurat, quia et alibi verbum Dei seminis similitudo est. Ità ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit priùs traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit adversùs posteriores quasque hæreses, quibus nulla constantia de conscientiâ competit ad deferendam sibi veritatem.

Cap. xxxii. — Cæterùm, si quæ audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergò origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis (1) vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ (2) census suos deferunt: sicut Smyrnæorum Ecclesia (3) Polycarpum ab Joanne collocatum refert; sicut Romanorum (4), Clementem à Petro ordinatum itidem; perindè utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolicâ comparata, ex diversitate et contrarietate suâ pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici, quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ità et apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt, et aliter prædicaverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licèt nullum ex Apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur, tamen in eâdem fide conspirantes, non minùs apostolicæ deputantur pro (5) consanguinitate doctrinæ. Ità omnes hæreses ad utramque formam à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquà putant apostolicas. Sed adeò nec sunt, nec probare possunt quòd non sunt; nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem (6) sacramenti nullo modo apostolicæ.

Cap. xxxiii. — Adhibeo (7) super hæc ipsarum doctrinarum recognitionem, quæ tunc sub Apostolis fuerunt, ab iisdem Apostolis et demonstratæ et ejeratæ. Nam et sic faciliùs traducentur, dùm aut jam tunc fuisse deprehendentur, aut ex illis, quæ jam tunc fuerunt, semina sumpsisse. Paulus in primâ ad Corinthios notat negatores et dubitatores resurrectionis. Hæc opinio propria Sadducæorum (8); partem ejus usurpat Marcion et Apelles, et Valentinus, et si qui alii resurrectionem carnis infringunt. Et ad Galatas scribens, invehitur in observatores et defensores circumcisionis et legis: Hebionis hæresis est. Timotheum instruens, nuptiarum quoque interdictores suggillat: ità instituunt Marcion et Apelles, ejus secutor. Æquè tangit eos, qui

(1) Nigidii errores refert ac refellit Arnobius in libris contrà Gentes. Hic gentilis philosophus, non hæreticus fuit.
(2) Alius ab eo, quem laudat Apostolus, 2 Timoth. 1; juxtà Augustinum, fuit Sabellianus, sive Praxeanus.
(3) Probent signis novam missionem.
(4) Locus hic correptus. Rigaltius legit: *Sic enim Apostolus descripsit. Dare præterea virtutem*, etc.
(5) Gnosticis fortassè, Tertulliani tempore, accidit, quod Calvino contigisse testatur in ejus vitâ Bolsecus, ut scilicet de vivo mortuum redderet. (Vide Bellarm. de Notis Eccl. lib. 4, cap. 14. t. 2 Controv.
(6) A digressione de Valentino, Marcione, aliisque hæreticis apostolicis temporibus posterioribus. Cætera luce clariora.

(1) Etiam Apostolorum tempore Ecclesiam fœdàrunt hæretici, puta Simon Magus, Menander, Saturninus, Basilides, Nicolaus, aliique plurimi; sed nullus eorum ex Apostolis, vel apostolicis viris qui cum Apostolis perseveraverit.
(2) *Census suos*, origines suas.
(3) Teste Irenæo, Polycarpi discipulo, l. 3, c. 3.
(4) De primo Petri successore, vide clarissimum Ursinum in suâ Hist. Eccl. lib. 1.
(5) Consanguineæ sunt doctrinæ, quæ ab uno eodemque auctore traditæ, quasi ab uno parente.
(6) Sacramentum hic sumitur pro fide ac religione, juxtà Albaspinæum, non pro juramento, quod fideles antequàm baptizarentur, in limine Ecclesiæ dicerent.
(7) Demonstratur hic, hæreses Tertulliani tempore exortas, ab Apostolis demonstratas et damnatas.
(8) Non Cerinthi, ut videtur existimare S. Epiphanius, hæresi 28.

dicerent (1) factam jam resurrectionem; id de se Valentiniani asseverant. Sed et cùm genealogias indeterminatas nominat (2), Valentinus agnoscitur, apud quem Æon ille nescio quid novi, et non unius nominis, generat è suà charitate sensum et veritatem; et hi æquè procreant duos, sermonem et vitam; dehinc et isti generant hominem et Ecclesiam; estque hæc prima ogdoas Æonum. Exindè decem alii, et duodecim reliqui Æones miris nominibus oriuntur, in meram fabulam triginta Æonum. Item Apostolus cùm improbat elementis servientes (3), aliquid Hermogenis ostendit, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparat, et ità matrem elementorum Deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat. Joannes verò (4) in Apocalypsi idolothyta edentes et stupra committentes jubetur castigare. Sunt et nunc alii (5) Nicolaitæ; Caiana (6) hæresis dicitur. At (7) in Epistolà eos maximè antichristos vocat, qui Christum negarent in carne venisse, et qui non putarent Jesum esse Filium Dei; illud Marcion, hoc Hebion vindicavit. Simonianæ autem magiæ disciplina Angelis (8) serviens, utique et ipsa inter idololatrias deputabatur, et à Petro Apostolo in ipso Simone damnabatur.

Caput xxxiv.—Hæc sunt, ut arbitror, genera doctrinarum adulterinarum, quæ sub Apostolis fuisse ab ipsis Apostolis discimus; et tamen nullam invenimus institutionem inter tot diversitates perversitatum, quæ de Deo Creatore universorum controversiam moverit. Nemo alterum Deum ausus est suspicari; faciliùs de Filio quàm de Patre hæsitabatur (9), donec Marcion, præter Creatorem, alium Deum solius bonitatis induceret; Apelles (1) creatorem angelorum nescio quem gloriosum superioris Dei, faceret Deum legis et Israelis, illum igneum affirmans; Valentinus Æonas suos spargeret, et unius Æonis vitium in originem deduceret Dei creatoris. His solis (2) et his primis revelata est veritas Divinitatis; majorem scilicet dignationem et pleniorem gratiam à diabolo consecutis, qui Deum sic quoque voluerit æmulari, ut de doctrinis venenorum (quod Dominus negavit) ipse faceret discipulos super magistrum. Eligant igitur sibi tempora universæ hæreses, quæ quandò fuerint, dùm non intersit quæ quandò, dùm de veritate non sint : utique quæ ab Apostolis nominatæ non fuerunt, sub Apostolis fuisse non possunt. Si enim fuissent, nominarentur et ipsæ, ut et ipsæ coercendæ. Quæ verò sub Apostolis fuerunt, in suà nominatione damnantur. Sive ergò eædem nunc sunt aliquantò expolitiores (3), quæ sub Apostolis rudes, habent suam exindè damnationem; sive aliæ quidem fuerunt, aliæ quidem fuerunt, aliæ autem posteà obortæ quiddam ex illis usurpaverunt, habendo cum eis consortium prædicationis, habeant necesse est etiam consortium damnationis, præcedente illo fine supradicto posteritatis; quo, etsi nihil de damnatitiis participarent, de ætate solà præjudicarentur, tantò magis adulteræ, quantò nec ab Apostolis nominatæ. Undè firmiùs constat, has esse, quæ adhuc tunc nuntiabantur futuræ.

Caput xxxv. — His definitionibus provocatæ à nobis et revictæ hæreses omnes (sive quæ posteræ, sive quæ coætaneæ Apostolorum, dummodò diversæ; sive generaliter, sive specialiter notatæ ab eis, dummodò prædamnatæ) audeant respondere et ipsæ aliquas ejusmodi præscriptiones adversùs nostram disciplinam. Si enim negant veritatem ejus (4), debent probare illam quoque hæresin esse, eàdem formà revictam, quà ipsæ revincuntur, et ostendere simul, ubinam quærenda sit veritas, quam apud illas non esse jam constat. Posterior nostra res non est, imò omnibus prior est. Hoc erit testimonium veritatis ubique occupantis principatum. Quod ab Apostolis utique non damnatur, imò defenditur, hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant qui extraneam quamque damnaverunt, suam ostendunt, ideòque et defendunt.

Caput xxxvi. — Age jam qui voles curiositatem meliùs exercere in negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhuc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur (5); apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est

(1) Hymenæus et Philetus, juxtà Apostolum, *à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse jam factam.*

(2) 1 Ad Timoth. 1 : *Neque intenderent fabulis et genealogiis indeterminatis, quæ quæstiones magis præstant, quàm ædificationem.* Et c. 4 : *Ineptas et aniles fabulas devita.* Hìc Apostolus suggillat Hebræos, quorum magnum genealogiæ studium post combustos ab Herode veteres eorum libros.

(3) Gal. 4, 9 : *Quomodò convertimini iterùm ad infirma et egena elementa?* In Epistolà ad Colossenses 2, 8, philosophiam Apostolus appellat *secundùm elementa mundi.*

(4) Tertullianus Apocalypsim verum Joannis Apostoli fœtum optimè agnoscit, non Cerinthi hæretici, ut aliqui tempore S. Dionysii, Patriarchæ Alexandrini, somniàrunt. (Vide Euseb. Hist. Eccl. lib. 7, cap. 28.)

(5) Clemens Alexandrinus, lib. 2 Strom., de Gnosticis ait : « Dicunt se sequi Nicolaum, adducentes ejus « viri aliquid litterarum monumentis mandatum, sed « ab eis detortum. »

(6) Caianos affirmat Irenæus, lib. 1, c. 35, Simonis Magi et Carpocratis progeniem, patresque Valentinianorum. Hi Cain, Esaü, Sodomitas, Core, Dathan et Abiron, Judam Iscariotem, aliosque reprobos ut suos fratres et auctores venerabantur.

(7) Testatur Hieronymus in Catal. viror. illustr. Joannem Apostolum Evangelium suum, adeòque et primam Epistolam *adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, et maximè contrà Hebionitarum tunc dogma consurgens,* scripsisse.

(8) Malis Angelis Simoniani utpotè magi inserviebant.

(9) Vide progressum hæreticorum, de quibus verissimè dici potest : *Parvus error in principio, maximus in fine.*

(1) Non primus Apelles Angelis adscripsit creationem mundi; primus auctor hujusce erroris, juxtà Irenæum, Simon Magus. Idem dicas de Valentino non verè parenti Æonum.

(2) Sarcasmus lepidus; nam ironicè hæc dicuntur.

(3) Utpotè humana commenta, quippè facile est inventis addere.

(4) Caput hoc anacæphaleosis est plurium præcedentium.

(5) Sic vulgò; meliùs in exemplari Agobardi legitur : *Præsident.*

ibi Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicences. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces (1), habes Romam (2), undè nobis quoque auctoritas præstò est. Ista quàm felix Ecclesia! (cui totam doctrinam Apostoli (3) cum sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni Dominicæ (4) adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu (5) coronatur; ubi Apostolus Joannes posteà quàm in oleum igneum demersus, nihil passus est (6), in insulam relegatur.) Videamus quid didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserârit (7). Unum Deum novit Creatorem universitatis, et Christum Jesum ex virgine Mariâ Filium Dei creatoris, et carnis resurrectionem; legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et indè potat fidem (8); eam aquâ signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistiâ pascit, martyrio exhortatur, et ità adversùs hanc institutionem neminem recipit. Hæc est institutio, non dico jam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de quâ hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex illâ, ex quo factæ sunt adversùs illam. Etiam de olivæ nucleo mitis et opimæ et necessariæ asper oleaster oritur; etiam de papavere (9) ficùs gratissimæ et suavissimæ ventosa et vana caprificus exurgit. Ità et hæreses de nostro fructificaverunt, non nostræ, degeneres veritatis grano, et mendacio sylvestres.

Caput xxxvii. — Si hæc ità se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in eâ regulâ incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit; constat ratio propositi nostri (10), definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo quod de suâ electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ità Christiani nullum jus christianarum capiunt litterarum. Ad quos meritò dicendum est : Qui estis? quandò, et undè venistis? quid in meo agitis, non mei? quo denique, Marcion, jure, sylvam meam cædis? quâ licentiâ, Valentine, fontes meos transvertis? quâ potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio. Quid hìc cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olìm possideo; prior possideo; habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, ità teneo. Vos certè exhæredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Undè autem extranei, et inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio, adversùs Apostolos aut protulit, aut recepit?

Caput xxxviii. — Illìc igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinæ invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sine corruptelâ instrumentorum ejus, ità et nobis integritas doctrinæ non competîsset sine integritate eorum, per quæ doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in Scripturis deprehensum, detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt Scripturæ ab initio suo; ex illis sumus, antequàm aliter fuit, antequàm à vobis interpolarentur. Cùm autem omnis interpolatio posterior credenda sit, veniens utique ex causâ æmulationis, quæ neque prior neque domestica unquàm est ejus, quod æmulatur, tàm incredibile est sapienti cuique, ut nos adulterum stylum intulisse videamur Scripturis, qui sumus à principio et primi, quàm illos non intulisse, qui sunt et posteri et adversi. Alius (1) manu Scripturas, alius sensûs expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro Instrumento uti videtur, non callidiore ingenio, quàm Marcion, manus intulit veritati. Marcion exertè et palàm machærâ, non stylo usus est : quoniam ad materiam suam cædem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit : quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit; et tamen plus abstulit et plus adjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, et adjiciens dispositiones non comparentium rerum.

Caput xxxix. — Hæc sunt ingenia de spiritalibus nequitiæ, cum quibus luctatio est nobis, fratres, meritò contemplanda; fidei necessaria, ut electi manifestentur, ut reprobi detegantur. Et ideò habent vim, et in excogitandis instruendisque erroribus facilitatem non adeò mirandam, quasi difficilem et inexplicabi-

(1) Luculentissimum testimonium Ecclesiæ romanæ.

(2) Convincit locus hic hæreticos, secundùm Priorium, qui universalem adimunt pontifici romano auctoritatem, ut intrà præfecti urbici jurisdictionem, quæ intrà centum lapides claudebatur, adstringant.

(3) Petrus et Paulus, Apostolorum principes.

(4) Eusebius, Hist. Eccl. lib. 3, c. 1 : « Petrus ad « extremum, cùm Romæ versaretur, capite deorsùm « statuto, sic enim perpeti cupiebat, cruci suffixus « est. »

(5) Puta Baptistæ.

(6) Vide Euseb. in Chron., an. 95.

(7) Id Tertull. in 4 adv. Marcion libro, c. 5 : *De societate Sacramenti confœderantur.*

(8) Hoc est, baptizat, confirmat, Eucharistiâ pascit.

(9) Ficus pomum Cato dixit; posteà inter J. Cons. hæsitatum fuit, an pomorum appellatione venirent ficus. Communiter *grossi* dicuntur, quos hic Tertullianus papaveres ob similitudinem appellat.

(10) In hoc capite clarissimè ostenditur, hæreticos tanquam à Scripturis alienos, sine Scripturis esse convincendos.

(1) Hæreticis, ut aliter quàm Catholici docerent, opus fuit Scripturas vel alterare, vel alio modo exponere. Sic Marcion de veteri Testamento nihil recipiebat, de novo quædam tantùm decerpserat, ex Evangelio scilicet Lucæ, et Epistolis aliquibus Pauli Apostoli, resecans ex ipsis quidquid suæ non favebat opinioni; Valentinus autem parciùs se gessit, neque machærâ, seu cultro (resecando), non stylo (negando) usus est.

lem, cùm de secularibus quoque scripturis exemplum præstò sit ejusmodi facilitatis. Vides hodiè ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materià secundùm versus, versibus secundùm materiam concinnatis. Denique Hosidius (1) Geta Medæam tragœdiam ex Virgilio plenissimè exsuxit. Meus quidam propinquus (2) ab eodem poetâ inter cætera styli sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homerocentones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc indè compositis in unum sarciunt corpus. Et utique (3) fœcundior divina litteratura ad facultatem cujusque materiæ. Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materias subministrarent, cùm legam, oportere hæreses esse, quæ sine Scripturis esse non possunt.

Caput xl. — Sed (4) quæritur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? A diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem; qui ipsas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum mysteriis æmulatur. Tinguit (5) et ipse quosdam, utique credentes et fideles suos; expiationem (6) delictorum de lavacro repromittit, et si adhuc initiat Mithræ (7), signat illic (8) in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem, et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit coronam (9). Quid, quòd et summum pontificem in unis nuptiis statuit? Habet et virgines; habet et continentes. Cæterùm si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotolia officia, insignia et privilegia, si sacrificalia ministeria, et instrumenta et vasa ipsorum sacrificiorum ac piaculorum et votorum curiositates consideremus; nonne manifestè diabolus morositatem (1) illam judaicæ legis imitatus est? Qui ergò ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tàm æmulanter affectavit exprimere in negotiis idololatriæ, utique et idem et eodem ingenio gestiit, et potuit instrumenta quoque divinarum rerum, et sanctorum christianorum, sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ et æmulæ fidei attemperare. Et ideò, neque à diabolo immissa esse spiritualia nequitiæ, ex quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet; neque ab idololatriâ distare hæreses, quùm et auctoris, et operis ejusdem sint, cujus et idololatria. Deum aut fingunt alium adversùs Creatorem, aut si unicum Creatorem confitentur, aliter eum disserunt, quàm in vero est. Itaque omne mendacium, quod de Deo dicunt, quodammodò genus est idololatriæ.

Caput xli. —Non omittam ipsius etiam conversationis hæreticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit; sine gravitate, sine (2) auctoritate, sine disciplinâ ut fidei suæ congruens. In primis quis cathecumenus, quis fidelis, incertum est; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam ethnici si supervenerint, Sanctum (3) canibus, et porcis margaritas, licèt non veras, jactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penès nos curam *lenocinium* vocant; pacem quoque passìm cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licèt diversa tractantibus, dùm ad unius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Antè sunt perfecti catechumeni, quàm edocti. Ipsæ (4) mulieres hæreticæ quàm procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tinguere. Ordinationes eorum temerariæ, leves (5), inconstantes, nunc neophytos conlocant, nunc seculo obstrictos (6), nunc apostatas nostros, ut gloriâ eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquàm faciliùs proficitur, quàm in castris rebellium, ubi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodiè episcopus, cràs alius; hodiè diaconus, qui cràs lector; hodiè presbyter, qui cràs laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera injungunt.

Caput xlii. —De verbi autem administratione quid dicam; cùm hoc sit negotium illis, non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus, non si adjacentibus elevationem operentur; quoniam et ipsum opus eorum non de suo

(1) Pamelius legit *Ovidius*, cujus Medæa laudatur in libro de Oratoribus; additumque *Geta*, ut distingueretur à *Nasone*. Rigaltius retinet lectionem nostram, aitque Hosidium hunc fortassè fuisse illum, qui sub Claudio consul fuit cum Vasellio. Medææ fragmentum edidit Scriverius in Collect. veter. tragicor.

(2) Quis fuerit propinquus ille Tertulliani, haud ignobilis fortè poeta, ignoratur.

(3) Sacras Scripturas esse thesaurum, in quarum *vel brevi dictione variam sententiarum vim, et immensas divitias invenire licet*, ait Chrysostomus, hom. 2 in Genesim.

(4) Pro *sed quæritur*, *sequetur* in aliquibus edition. legitur, ex errore typothetarum.

(5) Loquitur etiam Augustinus, lib. 2, c. 10, adversùs Parmenianum, et alibi, de Paganorum baptismo.

(6) Aug., adversùs Cresconium lib. 2, c. 25 : « Et « ipsi non in nomine sacerdotum suorum, sed Deorum, « de quibus vana opinantur, se sanctificari putant. » Hic verò Rigaltius ex codice Agobardi legit *expositionem*, interpretaturque *depositionem*.

(7) De deo Mithrâ Ambrosius ep. 12 : « Quem Cœlestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt, « pro diversitate nominis, non pro numinis varietate. »

(8) Illic, hoc est, in castris Satanæ, in mysteriis Mithræ, christiana confirmatio æmulatur, imò et panis oblatio. Audi Justinum in 2 Apologiâ : « Quòd namque « panis, et poculum aquæ in sacrificiis ejus, qui initia« tur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certè « scitis, aut cognoscere potestis. »

(9) Quid sibi velit hoc : *Sub gladio redimit coronam*, explicat Tertullianus lib. de Coronâ militis, cap. 15, ubi dicit, in mysteriis Mithræ æmulatum quasi martyrii mimum fuisse.

(1) *Morositatem*, hoc est, morum et rituum Judaicorum scrupulositatem, juxtà Rigalt.

(2) In jure romano nihil à senatu decidi poterat, nisi à consulibus relatum fuisset, et hoc fieri, ipsis auctoribus, dicebat.

(3) *Sanctum* hìc denotat Eucharistiam.

(4) Agit Tertullianus de Ponticis præsertim Marcionitarum mulieribus, hìc et lib. 1, cap. 1, adversùs Marcionem.

(5) Ordinationes hæreticorum vagæ, et non ad Ecclesiarum certarum servitium ac utilitatem; hinc inferius dicitur : *Alius hodiè episcopus*, etc.

(6) Hoc est, eos, qui præfecturâ aliquâ apud gentiles fungebantur, curiales servos reipublicæ.

proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua ædificent. Adime illis legem Moysi et Prophetas, et Creatorem Deum, accusationem eloqui non habent. Ità fit ut ruinas faciliùs operentur stantium ædificiorum, quàm extructiones jacentium ruinarum. Ad hæc solummodò opera humiles et blandi et submissi agunt. Cæterùm nec suis præsidibus reverentiam noverunt. Et hoc est quòd schismata apud hæreticos ferè non sunt; quia cùm sint (1), non parent. Schisma est unitas ipsis. Mentior si non etiam à regulis suis variant inter se, dùm unusquisque proindè suo arbitrio modulatur quæ accepit; quemadmodùm de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam suam et originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Deniquè penitùs inspectæ hæreses omnes, in multis cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, sine lare vagantur.

Caput xliii. — Notata sunt etiam commercia hæreticorum cum (2) magis quàm pluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis, curiositati deditis. *Quærite, et invenietis*, ubique meminerunt. Adeò et de genere conversationis (3) qualitas fidei æstimari potest; doctrinæ index (4) disciplina est. Negant, Deum timendum : itaque libera sunt illis omnia et soluta. Ubi autem Deus non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, meritò et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta et diligentia attonita (5), et cura sollicita, et adlectio explorata (6), et communicatio (7) deliberata, et promotio emerita (8), et subjectio religiosa, et apparitio devota, et processio modesta, et Ecclesia universa, et Dei omnia.

Caput xliv. — Proindè hæc pressioris apud nos testimonia disciplinæ ad probationem veritatis accedunt; à quâ devertere nemini expedit, qui meminerit futuri judicii, quo omnes necesse est apud Christi tribunal adstare, reddentes rationem, inprimis ipsius fidei. Quid ergò dicent, qui illam stupraverint adulterio hæretico virginem traditam à Christo? Credo allegabunt, nihil unquàm sibi ab illo vel ab Apostolis ejus, de sævis et perversis doctrinis futuris prænuntiatum, et de cavendis abominandisque præceptum. Agnoscant (1) suam potiùs culpam, quàm illorum qui nos tantò antè præstruxerunt. Adjicient prætereà multa de auctoritate cujusque doctoris hæretici, illos maximè doctrinæ suæ fidem confirmâsse, mortuos (2) suscitâsse, debiles reformâsse, futura significâsse, uti meritò Apostoli crederentur. Quasi nec hoc scriptum sit, venturos multos, qui etiam virtutes maximas ederent, ad fallaciam muniendam corruptæ prædicationis. Itaque veniam merebuntur (3); qui verò memores dominicarum et apostolicarum denuntiationum in fide integri steterint, credo de veniâ periclitabuntur, respondente Domino : Prænuntiaveram planè futuros fallaciæ magistros in meo nomine, et Prophetarum et Apostolorum etiam, et discentibus meis eadem ad vos prædicare mandaveram; semel Evangelium, et ejusdem regulæ doctrinam Apostolis meis delegaveram; sed quùm vos non credideritis, libuit mihi posteà aliqua indè mutare (4). Resurrectionem promiseram etiam carnis; sed recogitavi, ne implere non possem. Natum me ostenderam ex Virgine; sed posteà turpe mihi visum est. Patrem dixeram, qui solem et pluvias facit; sed alius me Pater me melior adoptavit. Prohibueram vos aurem accommodare hæreticis; sed erravi. Talia capit opinari eos, qui exorbitant, et fidei veritatis periculum non cavent.

Caput xlv. — Sed nunc quidem generaliter actum est à nobis adversùs hæreses omnes certis et justis et necessariis præscriptionibus repellendas à conlatione Scripturarum. De reliquo, si Dei gratia annuerit, etiam specialiter quibusdam respondebimus (5). Hæc in fide veritatis ci..... legentibus pax et gratia Domini nostri Jesu Christi in æternum.

(1) Sunt quidem schismata, imò et innumera; sed in hoc consentire videntur, quòd similiter adversentur catholicæ fidei, quæ omnes similiter novitates anathematizat.
(2) Vetustiores hæretici, ut Simoniani, Gnostici, Carpocratiani, magiâ infames fuerunt.
(3) *A fructibus* nempè *eorum cognoscetis eos.*
(4) Aliqui legunt *judex*, quod hìc idem sonat ac *index*.
(5) Apud Catholicos *diligentia at, tonita*, id est formidolosa, ne incidat quis in peccatum.
(6) Mores explorabantur eorum, qui clero adoptabantur.
(7) Communicabant in divinis cum probatissimis quibusque.
(8) Honores non pretio, sed meritò adipiscebantur.

(1) Hæretici inexcusabiles erunt antè tribunal Christi, quia hæreses fuerunt ipsis prænuntiatæ.
(2) Hæretici magos circulatoresque imitati, non miracula, sed miraculorum simulacra edebant, ut discipulos deciperent.
(3) Ironicè hoc dictum, ut et sequentia.
(4) Est hìc durus, sed verus sarcasmus in Marcionitas.
(5) Hoc etiam præstitit Tertullianus. Scripsit enim adversùs Praxeam, Marcionem, Judæos, Hermogenem, Valentinianos, Apollonium, et hæreses omnes.

FRATRUM A WALENBURCH VITA.

Adrianus et Petrus à *Walenburch* Roterodami apud Batavos ex inclytà ac consulari stirpe in lucem editi, patre Cornelio van Walenburch, matre Annâ Kievit, avo paterno Petro van Walemburch, consule olim Roterodamensi, aviâ Mariâ van Varik. Trivialibus ac altioribus studiis in patria confectis, Petrus unà cum fratre Adriano (de quo plura sequuntur) Gallias lustravit, ibique simul juris utriusque laurea donati, Roterodamum

reduces, in urbe patriâ novum Oratorium condere meditabantur. Sed cùm eorum studium primoribus cleri hollandici non probaretur, dotes suas alibi impensuri in Germaniam profecti sunt, ibique summos dein Ecclesiæ honores asseculi. Ac primò quidem hæserunt Dusseldorfii in aulâ Ducis Neoburgici, cui inprimìs grati, plures ex proceribus ejus è lutheranâ hæresi ad fidem catholicam reduxerunt.

Petrus potiorem ætatis suæ partem transegit Moguntiæ, Ecclesiarum ibidem Collegiatarum SS. Petri et Victoris canonicus. Anno 1658, à Joanne Philippo de Schonborn, archiepiscopo electore Moguntino, assumptus in Suffraganeum, titulo Mysiensis episcopi consecratur, atque anno 1659, Collegiatæ D. Petri Decanus installatur. Hinc anno 1669, fratre Adriano Suffraganeo Coloniensi, rebus humanis erepto, Coloniam ab archiepiscopo elector, Maximiliano Henrico Bavaro, vocatus est, illi ut succederet. Undè tùm vicarii, quæ Moguntiæ gessit munia, tùm beneficia quæ ibi consecutus erat ecclesiastica, anno sequente dimisit, factus Suffraganeus Coloniensis, Ecclesiæque illius metropolitanæ canonicus presbyter capitularis. Vitâ functus est Coloniæ, die 21 decembris 1675, episcopatûs sui anno 17.

Adrianus, fratrum duorum natu major, in theologiæ ac SS. Patrum studio longè eminentior, totum penè vitæ studium, unà cum fratre, stabiliendis fidei catholicæ dogmatibus contrà hæreticorum calumnias, transegit. Fixo tandem Coloniæ apud Ubios domicilio, metropolitanæ illic Ecclesiæ canonicus presbyter ac capitularis, dein à principe electore Maximiliano Henrico Bavaro assumptus in Suffraganeum, atque vicarium generalem in pontificalibus, anno 1661, episcopus Adrianopolitanus consecratur. Publicis etiam electoratûs Coloniensis negotiis admotus fuit Adrianus à Walenburch, tandem piis operibus, immortuus Coloniæ, die 11 septembris 1669, episcopatûs anno 8.

Porrò hi duo fratres, non infulis tantùm ac virtutibus, sed et eruditione theologicâ inclyti, cùm ab incunabulis inter Protestantes enutriti, controversis fidei dogmatibus incubuissent, in his quoque laudem anterioribus theologis catholicis facilè præripuerunt, sequacibus facem prætulerunt, à gravissimis ejusdem ævi theologis magnoperè commendati.

Elucubrationes eorum diversis temporibus editæ, primis Germaniæ inferioris principibus catholicis inscriptæ, nonnullæ etiam ad ipsorum petitionem exaratæ, duobus demùm voluminibus comprehensæ, prodierunt hoc titulo : *Tractatus generales de Controversiis fidei*, fol. 2 vol., Coloniæ Agrippinæ, apud Joan. Wilh. Friessem, anno 1669.

« Hæc duo volumina, inquit Arnaldus, inter omnium eorum manus esse deberent, qui theologiæ dant « operam. »

Opusculum prodiit Coloniæ, anno 1682, in-12.

Exstat epistola Petri à Walenburch, ad calcem operis Arnaldi, cui titulus : *Apologie pour les Catholiques*, etc., in quâ Petrus à Walenburch gratulatur Jacobo Roos, suo cognato, quòd ad Ecclesiam catholicam redierit.

DE CONTROVERSIIS
TRACTATUS GENERALES.

TRACTATUS PRIMUS
EXAMEN PRINCIPIORUM FIDEI.

INTRODUCTIO.

Principium est positio immediata, quâ non est altera prior. Sic dicimus : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est*, Hebr. 6, 11 ; et : Deo affirmanti assentiendum est.

Tenent Protestantes per modum principii : 1° Solam Scripturam sufficere ad probandos articulos fidei. 2° Dari veram interpretationem Scripturæ ad probandam fidem. Catholici tenent unum esse solum principium fidei : Verbum Dei ab Ecclesiâ propositum.

Commune principium est : Doctrinam christianam primorum seculorum, quæ in libris sanctorum Patrum et antiquorum conciliorum reperitur, esse incorruptam, saltem quoad articulos necessarios.

EXAMEN PRIMUM.

§ 1. Protestantes docent : *Articulos necessarios ex solâ Scripturâ esse probandos.*

Docent hoc Reformati in Conf. Belg. art. 7. Angl. poster. art. 6 et 20. Idem docent Lutherani in conf. Wirtemb. art. 30, Bohem. cap. 1. Utrique idem statuunt de articulis morum. (Conf. Gall. art. 5, Belg. art. 7, Bohem. cap. 1.)

§ 2. *Quomodò Protestantes doceant : Articulos necessarios esse in S. Scripturâ.*

Volunt Protestantes necessarios articulos fidei et morum, perfectissimo modo, clarè et perspicuè contineri in S. Scripturâ. Ità Confess. Helvet. poster. art.

1, pr. art. 1, Belg. art. 7, Bohem. cap. 1, Wirtemb. art. 3. — Per istam doctrinam excludunt se Protestantes à consequentiis : nam qui manifesta promittit, non habet interpretationes ad quas confugiat : et illa continentur in Scripturâ perfectiùs et exactiùs, quæ terminis expressis, vel æquivalentibus in eâ leguntur, quàm quæ per solam consequentiam deducuntur.

§ 3. *Ex primo Protestantium principio præcludi viam ad omnes controversias.*

Petimus à Protestantibus quinam sint articuli necessarii fidei et morum? Indagavimus publicam eorum ex Confessionibus, privatam ex doctoribus sententiam : et eam invenimus dissonantiam, quam tractatu separato exhibuimus. — Hinc concludimus, nisi certò statuerit Ecclesia Lutherana vel Reformata, quinam sint articuli necessarii, probaveritque eos esse necessarios, nullius momenti habendam esse ipsorum promissionem de sufficientiâ solius S. Scripturæ ad probandos articulos necessarios.

§ 4. *Ex primo Protestantium principio præcludi viam ad singulas controversias.*

In omni controversiâ particulari primùm indagandum est, an agatur de articulo necessario; nam divisio in Ecclesiâ facienda non est, nisi propter errorem in articulo necessario. — Quæratur de communione sub utrâque specie. Doceant Lutherani : Ex sententiâ Ecclesiæ suæ, eum articulum esse necessarium. Et quomodò hoc præstabunt? Calixtus Lutheranus asserit eum articulum non esse simpliciter necessarium. (Resp. ad Theol. Mogunt. num. 26.) — Ergò ipsi Lutherani præcludunt sibi viam ad hanc controversiam, non valentes docere de sententiâ Ecclesiæ suæ. Idem obtinet in omnibus ferè controversiis, quas contrà Catholicos movent Lutherani et Reformati.

§ 5. *Ex primo principio Protestantium destrui omnes controversias.*

Docent Protestantes omnes articulos necessarios probari ex solâ Scripturâ. Ostendant ergò ex S. Scripturâ quinam sint articuli necessarii; ubi ipsa dicat hos esse articulos necessarios, eosque sufficere. Sed id non præstant. Quomodò ipsorum Ecclesia est vera, quæ hic nihil certi habet? Quomodò ullam controversiam Catholicis movebunt legitimè, nescientes, an ob errorem in articulo necessario ab eâ recesserint?

§ 6. *Ex primo principio Protestantium destrui singulas controversias.*

Ponatur controversia : An infantes fidelium salventur sine baptismo? Reformati affirmant, Catholici negant. Petimus à Reformatis (idem est in aliis particularibus controversiis, etiam cum Lutheranis) ubi Scriptura dicat eum articulum esse necessarium? Non petimus an ille articulus possit probari ex Scripturâ : non petimus an sit verus, vel falsus; sed illud urgemus : Ubi legatur in Scripturâ eum articulum esse necessarium?

Transeuntes autem de controversiâ in controversiam, quæ nobis est cum Lutheranis et Reformatis, petentesque an Scriptura dicat hunc, vel illum articulum esse necessarium, inveniemus omnes particulares controversias tolli, et Protestantes nullum allegare posse, propter quem ab unitate Ecclesiæ catholicæ recesserint.

§ 7. *Ex primo Protestantium principio præcludi viam, et destrui omnes et singulas controversias, quas terminis negativis proponunt.*

Docent Protestantes : Non esse invocandos sanctos; non esse Purgatorium. Petimus : Vel positivè *creditis* illos articulos; vel tantùm *non creditis*. Si posterius, non erunt articuli necessarii, quia, secundùm vos, omnia necessaria docentur clarè et evidenter in Scripturâ, atque ea sunt positivè credenda. Sin prius, petimus an credatis eos articulos esse necessarios? Sententiam Ecclesiæ vestræ proferre non potestis. Idemque erit de aliis articulis. — Si rursùm petamus ut doceatis ex Scripturâ vestros articulos negativos esse veros et necessarios, nihil invenietis quod proferatis.

§ 8. *Protestantes suâ praxi subvertere suam doctrinam.*

De aliquali unitate inter Lutheranos et Reformatos, vel prætensâ, vel initâ, videri potest synodus Delphensis (in synod. Dordrecht. sess. 26, pag. 98. Corranus, apud Bor., lib. 3 Histor. Synod. Sendum, die 14 Apr. 1570). Quæque pars suæ inhæsit Confessioni. Sed ubi Scriptura determinavit eos solos articulos esse necessarios, in quibus vestræ Confessiones conveniunt? ubi determinavit articulos, inter vos controversos, non esse necessarios? ubi determinavit articulos inter Protestantes et Catholicos in controversiam tractos, esse magis necessarios, quàm inter ipsos Protestantes controversos?

Reformati, in synodo nationali Carentonicâ, anno 1631, decreverunt in hæc verba : « Cùm Ecclesiæ « Confessionis Augustanæ conveniant cum aliis Re« formatis in principiis et punctis fundamentalibus « religionis, statuit synodus fideles dictæ Confessionis « posse, nullâ præmissâ abjuratione opinionum quas « tenent contrariarum fidei dictarum Ecclesiarum no« strarum, admitti ad cœnam. » Hìc nulla adest S. Scripturæ auctoritas, ubi tamen oportebat magnoperè. Ità nullam possunt assignare justam causam, cur à Catholicâ communione recesserint, postquàm Lutheranos, suo judicio errantes, censuerunt ad cœnam suam esse admittendos; neque enim possunt ostendere, se graviori fundamento à Catholicâ communione abstinuisse.

EXAMEN SECUNDUM.

De secundo Protestantium principio : *Dari veram Scripturæ interpretationem ad probandam fidem.*

§ 1. *De interprete S. Scripturæ, et judice controversiarum.*

Primò agendum de interprete S. Scripturæ. Quandò Protestantes S. Scripturam judicem nominant controversiarum, intelligunt Deum per Scripturas loquentem, Spiritum sanctum per Scripturas pronun-

tiantem; ità ut Scriptura sit vox judicis supremi. (Vide Conf. Helv. post., art. 2, Scot. art. 18, Wirtemb. art. de Script.)

Catholici fatentur eo sensu Scripturam posse dici judicem, sicut aliquandò leges imperatorum dicuntur lites decidere et dijudicare. Cùm tamen leges non sint propriè judices, sed regula et norma, seu mensura secundùm quam judicatur. Et hanc rem ex jure civili appositè notavit Cujacius, dicens : « Prætorem esse « legem loquentem, legem autem mutum prætorem. » Itaque nisi sit instituenda de nomine quæstio, Protestantes per judicem, normam, regulam et mensuram, idem intelligunt, uti videri potest Conf. Gall. art. 4 et 5, Belg. art. 7, Mels. in Præm. Phil. Sobr.

Neque nos negamus Scripturam esse normam et regulam decidendarum controversiarum fidei. Sed quia Protestantes volunt Scripturam *solam* esse normam et regulam fidei, indè quæritur 1° an Scriptura contineat omnes articulos necessarios et revelatos? quod tractabimus, agentes de Testimoniis, seu Traditionibus. 2° An præter Scripturam detur infallibilis judex controversiarum fidei? Ubi non quæritur an Ecclesia sit judex? id enim fatetur Conf. Wirtemb. de Eccl. Bohæm. cap. 1. Helv. pr. art. 15. Angl. pr. art. 20. Non etiam quæritur an Ecclesia sit infallibilis judex controversiarum, quoad articulos necessarios? quia hoc fatentur Protestantes, et eo ipso totam causam nobis tradunt. Ità igitur est quæstio : An Ecclesia sit infallibilis judex controversiarum ex dono Spiritûs sancti, et promissione Christi, sine ullâ restrictione ad articulos, sive omnibus necessarios, sive non omnibus necessarios? et hoc pertinet ad materiam de Ecclesiâ.

Diximus de Scripturâ et Ecclesiâ; sequuntur concilia, quibus Protestantes non eripiunt interpretationem verbi Dei; sed dicunt conciliorum definitiones amplectendas, quatenùs non dissentiunt à Scripturâ. (Conf. Helv. poster. art. Angl., pr. art. 21, Scot. art. 20, Wirtemb. de Concil). Hoc autem resolvitur per quæstiones de Traditionibus, et Ecclesiæ infallibilitate.

Quid statuendum sit de antiquorum Patrum interpretationibus et primorum seculorum conciliis dicemus in Examine 4, quod est principii communis.

§ 2. *De interpretatione S. Scripturæ.*

Docent Protestantes : Dari veram interpretationem Scripturæ ad probandam fidem. Ubi observandum dari multas interpretationes veras et bonas; quæ tamen non sufficiunt ad probandum articulum fidei, qui non tantùm debet esse verus, sed etiam revelatus. Eum in finem promiserunt *interpretationem Scripturæ per Scripturam.*

Possemus totam hanc materiam ex ratione unitatis et charitatis ecclesiasticæ facilè resolvere, quandoquidem Conf. Helv. poster. docet : « Illam duntaxat « Scripturæ interpretationem pro orthodoxâ et ge« nuinâ agnoscimus quæ cum regulâ fidei et chari« tatis congruit. » Nam quæ est Protestantium interpretatio, quæ conveniat *cum regulâ fidei?* Si ipsorum sententias spectemus, facit in articulis necessariis discordia, ut nihil certi habeant, adeòque nec regulam fidei, cui subjiciantur singuli. Nobis regula fidei est, *verbum Dei ab Ecclesiâ propositum;* à quo recessêre Protestantes, Ecclesiam gravissimorum errorum accusantes. Quæ potest etiam esse Protestantium interpretatio, congruens cum *regulâ charitatis?* Hæc enim non reperitur, nisi in integritate unitatis, quam nefando schismate diruperunt. Quascumque igitur afferunt interpretationes, eæ non conveniunt cum regulâ fidei et charitatis; non sunt agnoscendæ ut orthodoxæ et genuinæ. Non tamen hoc, licèt solido fundamento examen ulteriùs declinamus. Veniamus ad particularia.

§ 3. *Quotuplex sit quæstio theologica seu fidei?*

Ponatur hæc quæstio : *An Deus sit?* Potest ea considerari ut vera, ut cognita lumine naturali, ut cognita supernaturali revelatione. In ratione veræ, habet se indifferenter ad omnes scientias. Quatenùs cognita est lumine naturali, et per rationem, pertinet ad philosophiam. Quatenùs cognita est supernaturali revelatione, pertinet ad theologiam. Ratio est, quia conclusiones, in se consideratæ, possunt se habere *ut materiale* ad diversas scientias. Si per unum tantùm medium, v. g., naturale, cognoscuntur, pertinebunt ad unam solam scientiam naturalem. Sin cognoscantur per unum solum medium supernaturale, pertinebunt ad unam solam scientiam supernaturalem. Tandem, si cognoscantur medio naturali et supernaturali, pertinebunt ad scientiam naturalem et supernaturalem. Quia ratio et principium cognoscendi conclusionem, habet se *ut objectum formale,* seu ratio formalis objectiva; à quâ ad hanc vel illam, ad unam vel plures scientias pertineat, ut communiter docent theologi. —Hinc sequitur esse quasdam quæstiones theologicas et fidei, quæ sub unâ tantùm ratione formali, scilicet revelatione supernaturali, considerari possunt; seu, in quibus unio extremorum nonnisi à proprio aliquo theologiæ principio dependet; quales sunt omnes, quæ fidei mysteria concernunt, quæque ex hoc capite merè theologicæ vocari possunt. Quasdam verò sub diversâ ratione formali considerari; et tàm ex philosophiæ, quàm theologiæ principiis deduci posse : undè quibusdam dicuntur quæstiones mixtæ, seu mediæ, quòd tàm ad philosophiam, quàm ad theologiam pertineant. — Cùm agimus de quæstione theologicâ, non distinguimus inter necessariam, seu fundamentalem, et non necessariam, quia utræque considerantur ut cognoscibiles revelatione supernaturali.

§ 4. *Quomodò dictæ quæstiones sint probandæ?*

Quæstiones, quæ tantùm cognoscuntur per revelationem supernaturalem, non possunt probari ex principio rationis, seu medio naturali, quia ratione unionis prædicati cum subjecto, tantùm dependent à medio, seu principio supernaturali; et si eædem quæstiones probari possent medio ex ratione petito, necessariò sequeretur, vel quòd in iis ratio unionis prædicati cum subjecto etiam à medio ex ratione

petito dependeret; vel quòd quæstio aliqua possit medio confirmari, à quo unio extremorum non dependet, quod contradictorium est.

Atque hinc rectè observat Canus post S. Thomam, eos esse fidei inimicos, religionique nostræ etiam noxios, qui ea, quæ tantùm ex revelatione supernaturali cognoscuntur, naturæ rationibus conantur ostendere. Si enim quæ argumenta similibus probandis afferuntur, congruentia illa esse, non evidentia, probabilia, non necessaria, suadere, non cogere; adducere, non evincere. (Vide Canum, lib. 12, cap. 12.)

Aliæ autem quæstiones, quæ non sunt merè theologicæ, sed per naturale lumen attingi possunt, quandò sunt etiam à Deo supernaturaliter revelatæ, possunt tùm ex principio rationis, tùm medio supernaturali probari. — In his tamen observandum est, quandò proponitur quæstio fidei, quæ etiam naturali lumine cognosci potest, incipiendum esse à probatione per medium supernaturale : neque enim primariò quæritur an secundùm rationem et philosophiam conclusio sit vera, sed an sit à Deo supernaturaliter revelata. His præmissis, videamus quales probationes judicent Protestantes adducendas in probationem fidei, earumque vim examinemus.

§ 5. *Reformati docent 1° propositiones universales à ratione, quoad materiale, esse in Scripturâ.*

Reformati, promittentes explicationem Scripturæ per Scripturam, non paucas propositiones, à ratione petitas, tribuunt ipsi Scripturæ; ut videantur medio ex Scripturâ petito confirmare conclusiones fidei. De his audiendus Vedelius, lib. 1, cap. 12, Reformatorum sententiam proponens. — Docet, ad probandam conclusionem fidei, posse sumi unam propositionem Scripturæ, et alteram rationis, undè sequatur conclusio theologica. Et tunc præmissam rationis non habendam pro philosophicâ, sed theologicâ; quia licèt, non quoad formale, saltem quoad materiale, in Scripturâ continetur. Dicunt, v. g., Reformati : Omne corpus naturale est in loco; Christi corpus est naturale : Ergò Christi corpus est in loco. Ubi major propositio, quoad materiale, est in Scripturâ, quæ hinc indè de corporibus naturalibus loquitur, et nulla alia corpora agnoscit vel proponit, quàm quæ in loco sunt, ut ex inductione apparet.

Resp. Materiale dicitur hìc in ordine ad voces, tanquàm ad signa; sic quoad materiale, illud in Scripturà à quibusdam dicitur contineri, quod per bonam consequentiam ex Scripturà deducitur; quoad formale, quod etiam quantùm ad ipsas voces, vel saltem æquivalentes, in Scripturâ exstat. Sed non ideò propositio universalis est supernaturaliter revelata, quia de multis particularibus in Scripturâ fit mentio : nam à multis particularibus ad universale non obtinet consequentia. Valet sequela ab unâ indefinitâ propositione ad universalem, quandò in indefinitâ enuntiatur prædicatum essentiale de essentià, vel proprietas logica de essentiâ, quia prædicatum essentiale non potest non convenire essentiæ, et proprietas logica est convertibilis cum essentiâ. Verùm, si propositiones indefinitæ enuntient tantùm proprietatem physicam de subjecto, qualis illa Videlii est : *Omne corpus naturale est in loco;* tunc non licet indè per inductionem formare conclusionem universalem quæ habeat majorem certitudinem, quàm physicam.

Ubi advertendum dari 1° propositiones absolutè necessarias, v. g., ex metaphysicâ : *Quilibet est, vel non est;* et ex logicâ : *Omnis homo est animal; omnis homo est rationalis; omne animal est corpus.* Sunt enim hæ propositiones ità necessariæ, ut repugnet instantiam ullibi dari, quâ subvertantur. Dari 2° propositiones, non absolutè, sed physicè necessarias, seu intuitu causarum secundarum, v. g. : *Omnis ignis urit; omne grave tendit deorsùm.* Potest enim Deus facere ut ignis non urat, et grave non deorsùm, sed sursùm feratur. Et licèt non daretur instantia, quòd Deus hoc aliquandò fecisset, nullus tamen dubitaret an Deus hoc posset facere. Si quis diceret : *Ignis naturâ suâ cupit urere; grave naturâ suâ cupit tendere deorsùm,* enuntiaret proprietatem logicam de essentiâ, et absolutè necessariam. Verùm, si quis dicat : *Ignis urit; grave tendit deorsùm,* enuntiat proprietatem physicam de subjecto, consistentem in operatione causæ secundæ; quæ operatio cùm sit distincta ab essentiâ et proprietate logicâ, sine dubio impediri potest per potentiam divinam. Imò ipsa Scriptura habet varias propositiones universales, quæ sunt tantùm physicè necessariæ, v. g. : *Omnis arbor bona bonos fructus facit,* Matth. 7, 17. Quis enim dubitat an Deus hoc possit impedire? Interìm ea propositio, prout in Scripturâ est, est supernaturaliter revelata; et infallibiliter verum est *omnem arborem bonam, necessitate physicâ, bonos fructus facere.* — Ità propositio Vedelii : *Omne corpus naturale est in loco,* non est absolutè necessaria, tùm quia, *esse in loco,* non est prædicatum essentiale, vel proprietas logica corporis naturalis, tùm quia ejus oppositum non involvit contradictionem. Si ergò vellet propositiones, physicè tantùm necessarias, esse revelatas, quoad physicam necessitatem, suamque propositionem inter eas haberet, recta esset ejus sententia, sed nihil concluderet.

Nulla igitur propositio universalis, quæ per inductionem ex Scripturâ deduci potest, habenda est absolutè necessaria; nisi de ejus absolutâ necessitate evidenter constet. Et si non evidenter constet de absolutâ necessitate, talis propositio est habenda ut tantùm physicè necessaria. Per inductionem, v. g., Vedelianam, ex Scripturâ desumptam, prodit hæc universalis : *Omnis natura humana singularis subsistit subsistentiâ propriâ, et est persona.* Nam Scriptura hinc indè de naturis humanis singularibus mentionem facit, nec alias agnoscit vel proponit, quàm quæ subsistunt subsistentiâ propriâ, et sunt personæ.

Si respondeat Vedeljus Photinianis, qui prædictâ universali propositione abutuntur, dari in Scripturâ instantiam, *ubi in unâ Christi personâ duæ realiter*

distinctæ naturæ sint, nos similiter respondemus dari in Scripturà instantiam, *ubi in SS. Eucharistià corpus Christi realiter in pluribus locis sit præsens.* Neque regerere potest Vedelius nos ità petere principium; quia idem dicent Vedelio Photiniani. Nec absurdum est aliquid, de quo controvertitur, instantiæ loco adhiberi, quando præter illud non datur aliud, quod ab universali propositione excipi potest.

In formà dicimus ad argumentum Vedelii, majorem illam: *Omne corpus naturale est in loco*, non esse revelatam, tanquàm absolutè necessariam; neque per inductionem, ut absolutè necessariam, probari ex Scripturà.

§ 6. *Reformati docent 2° propositiones à ratione, esse tantùm instrumenta, non principia.*

Vedelius suum principium explicat 2°, quòd propositiones à ratione, cùm in argumento theologico alterutrius præmissæ loco adhibentur, non se habeant in ordine ad conclusionem theologicam, ut tanquàm *principium* probent *veritatem sententiarum;* sed tanquàm *instrumentum* ostendant veritatem connexionum.

Resp. nos hìc non agere de principiis formalibus, quæ modum argumentandi concernunt, quæque *formalia* principia vocari possunt; quia certum est hæc tantùm ut instrumenta concurrere ad conclusionem; nec sententiarum, sed connexionum tantùm veritatem concernere. Agimus de principiis materialibus, quæ præmissæ locum habent.

Vedelius accepit vocem *instrumenti*, pro eo quod intellectui ad hoc duntaxat inservit, ut ex materialibus principiis syllogismum extruere et conclusionem inferre possit, quo modo instrumenti vox materiæ syllogismi opponitur, et formalibus tantùm principiis congruit; variis enim locis opponit propositionem rationis medio termino ex Scripturà desumpto.

Vedelius utitur principiis rationis, non tantùm ut instrumentis, sed ut principiis materialibus conclusionum fidei. Reformati nequeunt diffiteri se uti propositionibus rationis loco majoris in principali syllogismo, ut vidimus. Major autem propositio, sive ea ex Scripturà, sive ex ratione petita sit, materiale conclusionis principium est. Si major propositio esset Scripturæ, minor rationis, concederet Vedelius conclusionem à tali majore dependere, ut à solo instrumento formali. Cur ergò diversum statuit, si propositio rationis obtineat locum majoris? Si utraque præmissa esset rationis, vel utraque supernaturaliter revelata, conclusio ab utrâque dependeret, tanquàm à principio materiali. Undè igitur illa differentia, si altera sit rationis, altera supernaturaliter revelata? Conclusio sequitur, quia præmissæ secundùm figuram et modum rectè dispositæ sunt; quòd autem illarum utraque, vel alterutra naturaliter nota est, id non pertinet simpliciter ad esse conclusionis, de quo hìc agitur, sed facit conclusionem dici, vel naturaliter notam, si dependet à præmissis naturaliter notis; vel theologicam, si dependet ab unâ præmissâ rationis alterâ supernaturaliter revelatâ.

Undè *veritas connexionum* in syllogismo pendet à principiis formalibus syllogismi: veritas sententiæ per consequentiam deductæ pendet ab utrâque præmissarum, sive sint rationis, sive alterutra illarum supernaturaliter revelata. Nec Vedelius in philosophià aliud evincet, nec in theologià. Sic enim dicitur communiter consequentiam esse bonam, quandò forma syllogismi est bona; dicitur consequens esse verum, quandò conclusio, quoad materiam, benè sequitur ex præmissis. Si autem consideretur consequens, non ut consequens, sed ut propositio independens, tunc veritas, vel falsitas desumitur ex conformitate, vel difformitate cum objecto.

§ 7. *Reformati docent 3° se adhibere principia rationis secundùm ductum Scripturæ.*

Dicunt Reformati se utendo principiis rationis, sequi exemplum Christi, qui, Luc. 24, per experientiam sensuum probavit discipulis suis se habere verum corpus. Et ità Reformatos probare per experientiam sensuum in Eucharistià non esse verum corpus; v. g.: *Omne corpus naturale, ubi est præsens, sub sensum cadit; Christi corpus est corpus naturale: ergò.*—Resp. De minore non est dubium. Sed negamus majorem esse absolutæ necessitatis. Sic possunt dicere Photiniani secundùm ductum Scripturæ, principia sua ad controversiam, quæ est de dualitate personarum in Christo, applicare. Nam etiam illorum minor est in Scripturà; v. g.: *Omnis natura humana singularis est persona; Christi natura humana est natura humana singularis: ergò.* Quæ hìc est differentia inter Reformatos et Photinianos? Instant Reformati: « De quo Christus testatur, quòd verum et naturale corpus sit, de eo in fidei controversiis « non possumus aliter loqui, quàm corporis natura jubet; atqui de suo corpore Christus testatur, quòd « sit verum et naturale corpus: ergò. » Et consequenter dicendum non est Christum esse præsentem, ubi nec videtur, nec tangitur. — Resp. Major non est absolutè necessaria. Indè enim sequeretur propositiones physicè tantùm necessarias, majoris loco adhiberi posse. Et quis sanus negabit, quòd per Dei potentiam fieri possit, ut aliquod verum corpus alicubi præsens sit, et salvâ manente ejus essentià, ab illo, cui præsens est, nec visu, nec tactu percipiatur? — Christus testatur suum corpus esse verum corpus, et naturale corpus; sed indè non sequitur, non alia de eo prædicata, quàm naturalia enuntianda esse; alioqui nihil supernaturale ei tribuendum esset, cùm corporis natura non jubeat, supernaturalia corpori naturali tribuere.

Eodem modo dicent Photiniani: « De quo Christus « testatur, quòd verus homo sit, de eo in fidei contro- « versiis aliter loqui non possumus, quàm natura ho- « minis jubet; atqui de se testatur Christus, quòd verus « homo sit: ergò nec de eo aliter loqui possumus, quàm « hominis natura jubet. » Jam verò ea est hominis natura, ut nuspiàm sine proprià subsistentià, seu personalitate existat. Ergò nec Christi humana natura sine

subsistentiâ, seu personalitate propriâ existit. Vides, lector, quò tandem hæc opinio Reformatorum deveniat.

§ 8. *Reformatos non stare promissis de interpretatione Scripturæ per Scripturam.*

Hactenùs ostendimus quomodò Reformati, promittentes interpretationem Scripturæ per Scripturam, quælibet argumenta philosophica nobis proponant; ostendentes, non tantùm inanem esse novam Vedelii philosophiam, sed etiam illa ponere, quæ viam parent ad subversionem plerorumque fidei mysteriorum. — Usi verò sumus (paucis mutatis et additis) argumentis, ipsisque verbis Joannis Musæi in Acad. Jen. Prof. Lutherani, quem cùm Reformati fratris loco habeant, futurum speramus, uti fraternam correctionem nec iniquè, nec gravatè accipiant.

§ 9. *Declaratio sententiæ Lutheranorum.*

Lutherani agentes de quæstionibus merè theologicis, eas intelligunt, *quæ in modo et entitate supernaturales sunt :* in modo supernaturales vocant, *cùm res, quæ revelatur, est ordinis naturalis, cognoscitur tamen per revelationem supernaturalem;* in entitate supernaturales, *quandò res non potest attingi per vires naturæ, cognoscitur tamen per revelationem supernaturalem.* — Ad probandas tales conclusiones, rectè dicunt, quandò una propositio est Scripturæ, non debere alteram tantùm esse probabilem, vel ut plurimùm veram. Rectè dicunt, non esse adhibendam propositionem rationis, quæ sit physicè tantùm necessaria. Rectè dicunt, non esse adhibendas alias propositiones rationis, quàm absolutè necessarias.

Observandum vocem *principium*, quatenùs significat integram propositionem, vel præmissam, sumi 1° vel generaliter pro principio materiali, ex quo conclusio dependet; quo sensu et major, et minor propositio est principium. Vel 2° specialiter, pro proprio conclusionis principio. Vel 3° pro eo, undè principia cujuscumque rei sumuntur; sicut ratio et philosophia est philosophicarum; Scriptura (sive sola, ut volunt Lutherani, sive cum verbo Dei tradito, ut volunt Catholici) theologicarum conclusionum principium appellatur.

His positis, dicit Musæus : « Quandò in aliquâ disci« plinâ, cum principio proprio, aliud diversis disciplinis « commune principium ad conclusionis illationem con« currit, tunc illud dicitur absolutè conclusionis princi« pium, à quo ipsa, tanquàm à principio disciplinæ « proprio, dependet. » Nos non negamus, quandò in argumento una propositio est Scripturæ, altera rationis evidentis et necessariæ, tunc speciale et proprium principium conclusionis theologicæ, esse propositionem Scripturæ : undè etiam conclusio habeat, quòd ad theologiam pertineat. Sicut vicissìm, contrà Reformatos, nobiscum tenet Musæus, in tali argumento, propositionem rationis esse principium materiale, et veram causam conclusionis.

Idem Musæus dicit ulteriùs, lib. 2, cap. 13, § 27 : « Sola Scriptura S. est genuinum et proprium princi« pium theologicarum conclusionum. » Ubi vox, principium, sumitur in tertiâ significatione declaratâ; estque hic sensus, inquit Musæus : « Solam Scripturam S. esse « id, ex quo, tanquàm ex domicilio, propria principia « conclusionum theologicarum desumenda sunt. » Nos etiam dicimus S. Scripturam, cum verbo Dei tradito, esse id solum, undè, tanquàm ex domicilio, propria principia conclusionum theologicarum desumenda sint. Et in his pax est cum Lutheranis.

§ 10. *Quæ sit difficultas cum Lutheranis, de interpretatione S. Scripturæ, et consequentiis.*

Refert Musæus, lib. 2, cap. 13, § 12, exortâ divisione ab Ecclesiâ catholicâ, judicâsse Protestantes non esse desumendas probationes fidei, ex *Traditione, decretis conciliorum*, etc., et promisisse se omnia probaturos ex solo verbo Dei. Sicut hoc tempore, ità etiam illo, tota controversia fuit de articulis, quos hæc, aut illa pars sustinebat esse fidei, quorumque contradictorium docebat esse errorem in fide. — Lutherani ergò promittentes se probaturos omnes suos articulos ex solâ Scripturâ, necessariò intellexerunt se probaturos suas conclusiones sub ratione articuli fidei : ità ut contradictorium esset error in fide. Non examinamus hìc, an Lutherani, in materiis controversis adversùs Catholicos, habeant conclusiones, quæ sequantur ex unâ propositione Scripturæ, et alterâ rationis evidentis ac necessariæ; sed an tales conclusiones sint fidei, et contradictorium error in fide. — Si Lutherani, promittentes *omnium dogmatum probationem ex solâ Scripturâ*, voluerunt afferre probationem, quæ ex utriusque partis sententiâ sufficeret probando articulo fidei, et cujus contradictorium esset error in fide ; laudabilis fuit promissio, procedens nimirùm à concessis ad concedenda. Sin autem cum Musæo dicas, Protestantes « ad nihil « aliud se obstrinxisse, nisi quòd velint medium, seu « principium proprium, ex solâ Scripturâ depromere; » nullius momenti erit illa promissio, quæ nihil affert utrinque concessum. Neque enim catholica Ecclesia ejusmodi conclusiones acceptavit unquàm, ut sufficientes probando articulo fidei, ità ut contradictorium sit error in fide. An putârunt Catholicos adeò temerarios, ut dimitterent traditiones et auctoritatem conciliorum, et pro compensatione acceptarent probationem suo judicio insufficientem? — Promissionem igitur Lutheranorum acceperunt Catholici, quatenùs apud Catholicos sufficiebat probando articulo fidei, hoc est, quatenùs fieret per terminos expressos, vel æquivalentes S. Scripturæ; illud enim solùm, ex utriusque partis confessione, erat sufficiens. Et hoc est fundamentum Methodi Augustinianæ, uti benè advertit Musæus, de Convers. Hom. disp. 9, cap. 3, thes. 58.

§ 11. *Quas probationes admittant controversiæ terminis negativis propositæ.*

Difficultas in hoc consistit, quandò una pars contendentium sustinet affirmativè quæstionem propositam esse supernaturaliter revelatam, altera pars sustinet negativè eamdem quæstionem propositam esse falsam ; quænam probationes rectè à parte negante adduci possint? — Quæstiones, quæ in controversiam veniunt, si sint mixtæ, sicut earum veritas probari po-

test tùm ex verbo Dei, tùm ex ratione, ità falsitas ostendi potest tùm ex verbo Dei, tùm ex ratione. Verùm quia quæstio mixta non defenditur, ut naturaliter nota, sed ut supernaturaliter revelata, incipiendum est à refutatione ex verbo Dei. — Sin autem defendatur quæstio, ut solo lumine supernaturali nota, tunc refutatio propriè non potest institui positivè ex solà ratione. Cùm enim unio extremorum, v. g., in hâc quæstione : *Purgatorium est existens,* dependeat à solà revelatione supernaturali, ex sententià defendentis et affirmantis ; non potest oppugnans suam negationem : *Purgatorium non existit,* probare ex solo lumine naturali, sed necessariò instituenda est confutatio ex verbo Dei, seu revelatione supernaturali. — Tunc autem, assumptâ unâ propositione Scripturæ, et alterâ rationis evidentis ac absolutè necessariæ (si quæ talis daretur), benè sequeretur non esse revelatam affirmativam, v. g. : *Purgatorium est existens;* non tamen sequeretur negativam, v. g. : *Purgatorium non existit,* esse supernaturaliter revelatam, uti in antecedentibus dictum.

§ 12. *Quas probationes promiserint Protestantes pro suis articulis negativis.*

Discimus in Methodo Augustinianâ, juxtà Protestantes, *reprobationem confutationemque* dogmatum et errorum omnium ex Scripturâ petendam esse, eosdemque docere Confessiones suas esse fundatas *in puro et expresso* verbo Dei. In Confessionibus autem suis promiscuè ponunt articulos affirmativos et negativos, eosque profitentur se credere. — Cùm igitur dicant se credere positivè articulos negativos, necesse est ut eos probent tanquàm supernaturaliter revelatos. At supernaturaliter revelatos probare non possunt, nisi terminis expressis, vel æquivalentibus S. Scripturæ ; nam quæ per consequentiam derivatur probatio, non fit ex principio utrinque concesso.

EXAMEN TERTIUM.

De principio Catholico : *Verbum Dei ab Ecclesiâ propositum.*

§ 1. *De Verbo Dei.*

Verbum Dei catholicum, seu toti Ecclesiæ commune, est nota sensum divinæ mentis hominibus per auctores canonicos manifestans.

Propositio 1. « Illud omne et solum est verbum Dei « toti Ecclesiæ commune, quod Deus revelavit per Pro- « phetas, Apostolos et auctores canonicos. » — Propositio 2. « Catholica Ecclesia nihil recipit ut verbum Dei, « quod Deus revelavit post tempora Apostolorum. » — Propositio 3. « Catholica Ecclesia non credit, fide « catholicâ, ulla miracula, quæ evenerunt post tem- « pora Apostolorum. »

§ 2. *De verbo Dei scripto.*

Verbum Dei scriptum vocamus, quod à Deo revelatum est, et ab auctore canonico litteris consignatum.

Propositio 1. « Illud omne est verbum Dei scriptum, « quod in Scripturâ expressè legitur. » Hoc nullus negat.—Propositio 2. « Revelatâ propositione universali, « etiam revelatæ sunt formaliter omnes particulares « sub universali contentæ. » Admittimus, dicit Cocceius, disp. 27, n. 14. — Propositio 3. « Revelatâ quâ- « cumque re, simul revelantur modi intrinseci ejusdem « rei ; » v. g., revelatâ sapientiâ divinâ, formaliter revelatur realitas et infinitas sapientiæ divinæ ; et ratio est, quia nec realitas, nec infinitas sapientiæ divinæ affert quidditatem sive essentiam novam, distinctam formaliter à sapientiâ divinâ. — Propositio 4. « Reve- « lato definito, revelatur formaliter definitio, seu partes « definitionis. » Regula bona, inquit Cocceius, disp. 27, thes. 15.—Propositio 5. « Revelatâ definitione, forma- « liter revelatur definitum. » — Propositio 6. *Revelato toto physico, revelantur partes physicæ,* v. g., dùm revelatur quòd Christus sit homo, revelatur etiam quòd Christus habeat corpus et animam. — Propositio 7. « Revelatâ propositione indefinità, quæ enuntiat præ- « dicatum essentiale, vel proprietatem logicam de sub- « jecto, ea æquivalet universali. » Hanc sine contradictione refert Cocceius, disp. 27, thes. 19.—Propositio 8. « Revelato uno correlativorum, etiam formaliter reve- « latum est alterum correlativum. » Non contradicit Cocceius, disp. 27, thes. 19.—Propositio 9. « Quidquid « in Scripturis prædicatur de naturâ singulari rationali, « potest etiam formaliter prædicari de supposito sin- « gulari, v. g. : Dominum Deum tuum adorabis, » ubi mandatur adoratio Dei ; et hæc revelatio formaliter identificatur supposito divino. Undè, licèt Scriptura non dicat expressè Spiritum S. esse adorandum, quia tamen dicit Spiritum S. esse Deum, quidquid prædicatur in Scripturâ de naturâ divinâ, formaliter identificatur Spiritui sancto, et de eo prædicari potest. Atque hìnc contrà Lutheranos illud efficitur, Christum Dominum in SS. Eucharistiâ esse adorandum, quia licèt S. Scriptura id expressè non dicat, est tamen formaliter revelatum Deum esse adorandum ; cùmque illud prædicatum conveniat naturæ divinæ, etiam convenit Christo in Eucharistiâ existenti, quem verum esse Deum nobiscum fatentur Lutherani. — Propositio 10. « Revelatâ in Scripturâ sacrâ affirmatione unius contra- « dictoriorum, contrariorum, vel disparatorum, revela- « tur formaliter negatio contradictoriorum, contrario- « rum, vel disparatorum. » Et hoc valet in contradictoriis quoad necessitatem absolutam, in reliquis quoad necessitatem physicam. — Propositio 11. « Omnis exce- « ptio formaliter supponit regulam, » v. g., Scriptura dicit esse aliquod peccatum, quod non remittitur *in futuro seculo, Matth.* 11, 32, ubi supponitur formaliter aliqua peccata remitti in futuro seculo.—Propositio 12. « Revelato effectu, etiam formaliter revelata est causa. » Effectus enim sine causâ perfectè cognosci nequit, et conceptus formalis effectûs involvit notitiam causæ, propter quam res est. — Propositio 13. « Revelatâ « actione causæ efficientis, etiam formaliter revelatus « est terminus, seu effectus proprius ejus actionis. » Nam sicut effectus formaliter supponit causam, v. g., caro Christi supponit nativitatem, ità actio causæ efficientis importat effectum, v. g., nativitas Christi importat carnem Christi, et ea invicem sibi testimonium reddunt.

§ 3. *De consequentiis ex Scripturâ deductis.*

Propositio 1. « Nulla conclusio, quæ tantùm deducitur ex unâ præmissarum, quæ est Scripturæ, et ex alterâ rationis evidentis ac necessariæ, est fidei catholicæ, sive illa conclusio consideretur, ut deducta ex præmissis in formâ dispositis, sive consideretur independenter à formâ, sed tantùm ut virtualiter contenta in præmissâ revelatâ. » Hæc propositio nullum habet dubium apud Catholicos. Sunt enim doctores qui infirmant tales conclusiones esse fidei; sunt qui negant. Undè apud hos et illos certum est, eas non esse fidei catholicæ; sive non esse necesse ut omnes eas agnoscant pro revelatis. Atque ideò propositiones sic deductas nunquàm definit Ecclesia esse fidei; sed solùm decernit eas esse certas, et contrarium esse periculosum ac temerarium.—Propositio 2. « Lutherani non possunt docere tales conclusiones esse fidei catholicæ. » Probatur, quia Calixtus docet ob contradictorium talis conclusionis hominem non damnari. Ergò ex sententiâ Calixti, tales conclusiones non sunt fidei catholicæ; harum enim contradictorium semper damnat. Quid, quòd nullas tales conclusiones habeant Lutherani?

§ 4. *De Verbo Dei non scripto.*

Verbum Dei non scriptum vocamus, *quod à Deo revelatum est, sed à nullo auctore canonico litteris mandatum.* Talis erat doctrina Christi et Apostolorum, antequàm scriberetur novum Testamentum; et tales dicit Ecclesia catholica esse varios articulos, tàm fidei, quàm morum, qui per Apostolos quidem Ecclesiis insinuati sunt, non tamen ab auctoribus canonicis conscripti. De his agemus in tractatu *de Testimoniis seu Traditionibus.*

§ 5. *De Ecclesiâ, quæ proponit verbum Dei.*

Per Ecclesiam catholicam intelligimus, « omnes Catholicos toto orbe diffusos, vel concilium generale, cui præsidet, vel quod approbat summus pontifex. »

Omnes fideles toto orbe diffusos rectè dici Ecclesiam, nemo negat. Concilium generale rectè dici Ecclesiam, vel non negabunt Protestantes, vel eis licebit vocare congregationem doctorum Ecclesiæ, quibus promisit Christus ut non errent.—Esse necessarium, ut sit Ecclesia proponens verbum Dei, agnoscit Melanchton, loc. comm. de Eccl. Calvin. lib. 4 Instit., cap. 11, § 4. Conf. Helv. poster. art. 1, 7, 18. Et S. August. in prolog. de Doctr. Christ. S. Iren. lib. 3, cap. 4. S. Hilar. in Matth. can. 13.—Itaque necesse est credere Verbo Dei per Ecclesiam proposito, modò nobis constet hanc Ecclesiam nec decipi, nec decipere.

§ 6. *Fideles antè et post concilium Tridentinum habuisse eamdem fidem.*

In conciliis generalibus frequenter factæ sunt novæ definitiones, seu propositiones articulorum fidei, v. g., baptismum extrà Ecclesiam collatum esse validum, nec iterandum; de quo S. Augustinus, lib. 1 contr. Crescon., cap. 32: « Cùm inter episcopos anterioris ætatis, quàm esse inciperet pars Donati, ista quæstio fluctuaret, et varias haberet inter se collegarum, salvâ unitate, sententias, hoc per universam catholicam (concil. Nicæn. can. 8), quæ toto orbe diffunditur, observari placuit, quod tenemus. » Ecclesiæ propositio non facit ut aliquid incipiat esse revelatum, quod anteà non erat revelatum à Deo; sed facit ut omnibus et singulis possit constare, articulum, v. g., de validitate baptismi extrà Ecclesiam collati, esse à Deo revelatum. Cùmque post eam definitionem omnes episcopi et doctores crederent eum articulum esse à Deo revelatum, non habuerunt diversam fidem ab iis, qui antè definitionem seu propositum Ecclesiæ contrariam sententiam, salvâ unitate, defendebant. Quia ratio formalis fidei, *auctoritas Dei revelantis*, ab utrisque æqualiter tenebatur, ut una et indivisibilis, eamque statuebant amplectendam juxtà propositionem Ecclesiæ, diversitate sententiarum manente circà solum materiale revelati; quia formale revelati tali materiali convenire, necdùm ipsis constabat. Si post definitionem Ecclesiæ esset diversitas sententiarum circà articulum ab Ecclesiâ propositum, ea diversitas non esset tantùm circà *materiale* fidei, sed etiam circà *formale*, quia constaret de formali revelatione, et negaretur verbum Dei ab Ecclesiâ propositum, essetque diversa fides.

Ità nullus hæreat in varietate sententiarum, quæ antè concilium Tridentinum inter Catholicos reperiebantur. Si enim maximi viri nihilominùs fuerunt Catholici, dicamus Protestantibus cum S. Augustino, lib. 2 de Bapt., cap. 14: « Venite ad cathedram concordantem, quam Cyprianus non deseruit fluctuantem. » Consentit in hanc rem Haberkornius, Disp. Theol. contr. P. Rosenthal., thes. 24.

§ 7. *De propositione Ecclesiæ.*

Propositio 1. « Ecclesia proponit verbum Dei per concilia generalia, confirmata à summo Ecclesiæ totius Pastore, vel per summum Pastorem cum concilio generali. » Itaque asserimus verbum Dei proponi per Ecclesiam, id est, per pontificem cum concilio, vel per concilium cum pontifice, in quo omnes Catholici conveniunt. Vide Bellarminum hoc modo loquentem, de Judic. Contr., lib. 3 de Verb. Dei. cap. 3. Tanner. Tom. 3, disp. 1, 9, 4, dub. 6, assert. 5.

Necessitatem propositionis docet Christus, Joan. 20, 22: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Requiritur enim, vel ut Christus immediatè per se loquatur, vel ut mediatè per Ecclesiam loquatur. Vide S. Augustinum, tract. 89 in Joan. Ad hoc pertinet textus Matth. 10, 40: *Qui recipit vos, me recipit.* Luc. 10, 16: *Qui vos spernit, me spernit.* 2 Cor. 13, 3: *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Ubi observandum Apostolos fuisse locutos ex immediatâ revelatione, Ecclesiam verò loqui citrà novam revelationem.

Propositio 2. « Longè verius est infallibilitatem pontificiæ definitionis et propositionis non pendere à concilio generali; adeòque pontificem etiam extrà concilium generale, circà dubiam aliquam fidei quæstionem, infallibiliter definire. » Hæc est longè

communior et verior theologorum sententia. Probationem videre licet apud Tannerum, loc. cit. Canum, toto lib. 6.

Cæterùm, ut ait Bellarminus, lib. 4 de Rom. Pont., cap. 2 : « Catholici omnes conveniunt Pontificem solum, vel cum suo particulari concilio aliquid in re dubiâ statuentem, sive errare possit, sive non, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. » Propositio 3. « In disputatione contrà Protestantes, satis est, id quod apud omnes Catholicos in confesso, et de fide certum, atque adeò propriè contrà ipsos controversum est, defendendum suscipere, pontificem nimirùm, si cum generali concilio aliquid circà fidem definiat, errare in definiendo non posse. » Ratio est, quia propositio secunda non est tàm certa atque prima, nec apud Catholicos usquequaquè extrà controversiam, imò inter ipsosmet Catholicos etiamnùm controversa. Ità expressè Tannerus, loco cit.

Sufficit, quod diximus; et eum modum secutus est D. Veronius, tom. 3, lat. part. 5, in Galliâ; D. Nihusius., Wecher., num. 16, in Germaniâ; Velerianus Magn., Judic. de cathol. Reg. cred. lib. 5, cap. 3, ex Italiâ; et alii non pauci invenerunt utilem.

Propositio 4. *Concilia particularia, à summo Pontifice confirmata, in fide et moribus errare non possunt.* Hæc propositio confirmatur uti secunda, et non est tàm certa ac prima, quæ fide catholicâ tenenda est : ideòque illam nemo Catholicorum negat; hanc verò non desunt, qui negent. Vide Bellarm., lib. 2 de Conc. cap. 5. — Propositio 5. *Nullus articulus est fide catholicâ credendus, nisi proponatur universæ Ecclesiæ.* Ratio est, quia hoc solum est verè catholicum, quod ab omnibus est credendum. (Vide Bellarm., lib. 4 de Rom. Pontif., cap. 5.) — Propositio 6. « Articulus fidei catholicæ innotescit per praxim universalis Ecclesiæ. » Ratio est, quia universalis Ecclesia habet promissionem non errandi. — Propositio 7. « Nulla praxis universalis Ecclesiæ est definitiva, nisi sufficienter constet de illâ praxi. » Ratio est, quia alioquin non haberetur ut sufficienter proponens. Ubi ergò non planè constat de eâ praxi, pacis studium observandum est, expectandaque vel generalis concilii definitio, vel decretum summi pontificis, uti dictum propositione 1 et 2. Quousque autem valeat praxis Ecclesiæ, vide Canum lib. 2, cap. 7, et lib. 4, cap. ult.

§ 8. *De articulis morum ab Ecclesiâ catholicâ propositis.*

Propositio 1. « Dantur articuli morum, qui ab Ecclesiâ catholicâ proponuntur, sive in generali concilio, sive per praxim universalis Ecclesiæ, ut à Deo revelati. » Hoc nullus negat. — Propositio 2. « Omnes articuli morum, ab Ecclesiâ catholicâ propositi, sunt liciti. » Nec enim probari potest illos contravenire ulli prohibitioni. — Propositio 3. « Credendum est omnes articulos morum ab Ecclesiâ catholicâ propositos, esse licitos. » Probatur : *Ubi non est lex, nec prævaricatio, Rom.* 4, 15. Hoc, generaliter revelatum, est positivè credendum. Sub hâc universali continentur omnes particulares. Hinc, si non est lex prohibens invocationem sanctorum, venerationem reliquiarum, etc., credendum est invocationem sanctorum et venerationem reliquiarum esse licitam. Talis autem lex nulla est. — Propositio 4. « Credendum est omnes articulos morum ab Ecclesiâ catholicâ propositos, esse utiles. » Probatur 1° : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom.* 8, 28. Et sub istâ universalitate omnes passiones continentur, atque utilitas designatur. 2° : *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite*, 1 *Cor.* 10, 31. Item, 1 *Petr.* 4, 11 : *In omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum.* Utile autem esse, honorare Deum, testatur ipse Deus : *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum*, 1 *Reg.* 2, 30. — Propositio 5. « Credendum est ordinationes morum ab Ecclesiâ catholicâ constitutas, esse etiam præceptas ex institutione divinâ. » Probatur 1° : *Omnia honestè et secundùm ordinem fiant in vobis*, 1 *Cor.* 14, 40. Quod cùm generaliter præceptum sit, etiam concernit omnes particulares ordinationes morum, vel pro honestate, vel pro debito ordine servitii divini. 2° : *Omnia ad ædificationem fiant*, 1 *Cor.* 14, 26. Ubi comprehendi particulares morum ordinationes, per se patet.

§ 9. *Ulterior declaratio ex sententiis Protestantium.*

Dicunt 1°, in ritibus, precibus publicis, et jejuniis particularium Ecclesiarum posse esse diversitatem. — Dicunt 2°, ritus et consuetudines ad alendam concordiam et obedientiam subditorum institutos, esse servandos, et eos, qui publicè transgrediuntur, peccare ob scandalum. — Dicunt 3°, traditiones et cæremonias ecclesiasticas, quæ cum verbo Dei non pugnant, et sunt auctoritate publicâ institutæ atque probatæ, non esse privato consilio, vel datâ operâ violandas. — In prædictis nulla est difficultas. Sed Protestantes volunt cultum Dei removendum esse à legibus humanis, neque putandum quòd Deus colatur earum observatione. Hoc negant Catholici, habemusque consentientem Zanchium, *lib.* 1 *de leg.*, *tit. de Tradit.*, dari *cæremonias in cultu divino*, ab Ecclesiâ institutas. Conf. Bohem. dicentem : « Et festos dies Beatæ Virginis, ad Dei laudem et gloriam honorificè celebrant. » Conf. Helvet. poster., *art.* 24. At verò Conf. August. Apolog. dicit : « Apud adversarios canunt Psalmos, non ut discant aut orent (contrarium est verum) sed cultûs causâ, quasi illud opus sit cultus. » Verùm si relata ad Deum oratio non sit cultus, quis supererit in Ecclesiâ cultus, nisi merè internus ?

Dicunt ea opera *propriè* dici cultum, quibus Deus pronuntiat se honore affici. Dicunt etiam adiaphora posse fieri ex fide, ità ut ea opera Deo placeant, alio tamen modo, quàm cultus propriè dictus. Sed sic erit quæstio de nomine, an, v. g., observatio jejunii ab Ecclesiâ instituti, sit cultus *propriè* dictus. Nonne legitur de Annâ, quòd erat *serviens* die ac nocte in jejuniis et obsecrationibus? ubi, fatente Bezâ, designatur cultus. Habemus mandatum, *Coloss.* 3, 17, ut omnia in nomen Domini Jesu Christi, et in gloriam Dei, 2 *Cor.* 10, 12, faciamus; ut in omnibus honorificetur

Deus per Jesum Christum, 1 *Petr.* 4, 11. Illane fiunt sine cultu?

Neque hìc obstat 1° : *Sine causâ colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Loquitur enim eo loco Christus de mandatis verbo Dei contrariis. S. Chrysost., *Hom.* 52 *in Matth.* Vel Christus procedit comparativè, volens mandata Dei magis servari. S. Cyrill. Alexandr., *lib.* 3 *in cap.* 29 *Isa.* Hanc intelligentiam si Protestantes repudient, quomodò defendent suas cæremonias? Nonne sunt mandata hominum, et doctrinæ hominum, quæ cum scandalo non sunt negligendæ? Non obstat 2°, quòd cultus voluntarius (ità enim legunt *Coloss.* 2, 23) censeatur illicitus. Agitur enim de cultu, qui caput non tenet, et Angelorum religionem confingit. Talis voluntarius cultus est illicitus. Et quis dicat voluntariam abstinentiam ex se esse illicitam, aut ab Apostolo, eam alibi commendante, prohibitam? Quis dicat voluntariam indictorum ab Ecclesiâ jejuniorum observationem esse damnandam, cùm ipsi Protestantes merè voluntariam urgeant observationem? An propterеà eorum jejunia sunt improbanda? Et tamen agitur dicto loco de abstinentiâ *secundùm præcepta et doctrinas hominum*, ut sciamus de iis præceptis agi, quibus à Deo abducuntur homines. — Non obstat 3° : *Omne quod non est ex fide, peccatum est. Rom.* 14, 23. Qui autem aliquid Dei colendi causâ facit, nesciente vel dubitante conscientiâ, an Deus hoc modo coli velit, is non agit ex fide, quia ignorat, an hoc suum opus placeat Deo, an verò displiceat; et Deum contemnit, eò quòd facere aliquid audet, etiamsi Deo displiceat.

Resp. 1° : Nos esse certos ex fide, diximus, § 8, *suprà.* 2° Agit Apostolus de comestione, vultque credi (uti vobis placet) omnia esse munda, et hoc non credentem, peccare comedendo. Quid hoc contrà nos? Si requiritur fides ut non peccemus, quomodò vos docebitis, omnes actiones vestras ex fide descendere, nisi nobiscum idem statuatis? 3° Si quod ex fide est, peccatum non est, quomodò docetis omnia opera justi esse peccata?

§ 10. *De distinctione articulorum necessariorum.*

Articuli necessarii necessitate medii dicuntur, sine quibus creditis quòd nullus absolutè, secundùm legem Dei ordinariam, salvari potest. Ratio est, quia Deus ea statuit tanquàm media, sine quibus via æterna obtineri nequeat. — Articuli necessarii necessitate præcepti dicuntur, qui ex præcepto divino credi quidem debent, sed sine quibus aliqui absolutè salvari possunt, habitis scilicet necessariis necessitate medii, etsi reliqua invincibiliter ignorantur; et tales articuli sunt, qui concernunt sacramenta.

In sequenti paragrapho dicemus quinam sint articuli necessarii omnibus et singulis, vel necessitate præcepti. Nec enim putamus necesse ut hæc duo separemus, cùm inter Christianos (ubi sufficienter promulgatum est Evangelium Christi) ordinariè nullus reperiatur, cui ista non innotuerint.

§ 11. *Quinam articuli sint omnibus et singulis necessarii.*

Propositio 1. « Ex solâ Scripturâ sufficienter haberi « nequit, quinam sint articuli omnibus et singulis ne« cessarii. » Probatur 1°, quia Protestantes legerunt Scripturam diligenter, et tamen hactenùs non invenerunt catalogum articulorum necessariorum, qui sufficienter ex solâ Scripturâ, sub illâ qualitate, probentur. 2° Quia in statuendis articulis necessariis, nec Lutherani cum Lutheranis, nec Reformati cum Reformatis conveniunt. 3° Quia nullum concilium, nullus doctor catholicus unquàm dixit ex solâ Scripturâ sufficienter probari quinam sint articuli necessarii. — Propositio 2. « Citrà traditionem verbi Dei non scri« pti, et testimonium Ecclesiæ, sciri nequit quinam « sint articuli necessarii. » Probatur 1° : Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, non potest sufficienter sciri Scripturam esse divinam; et tamen hoc ipsum, juxtà Protestantes, antè omnia sciendum est. 2° Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, nullus probare potest quinam articuli sint necessarii. 3° Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, nullus cognoscere potest verum sensum articulorum necessariorum. Ergò non possunt sciri, sicut oportet. — Propositio 3. « Ex fide « catholicâ certum est omnibus et singulis fidelibus « proponi in Ecclesiâ catholicâ, quidquid est necessa« rium ad salutem. » Patet ex praxi universalis Ecclesiæ, dùm simplicibus proponit catechismos ordinarios; et semper tenuit iis comprehendi omnem doctrinam ad salutem necessariam : licèt pro varietate locorum ii catechismi plus minùsve contineant. — Propositio 4. « Communis sententia Doctorum Catholicorum est, « articulos omnibus et singulis necessarios ex præ« cepto divino, comprehendi Symbolo Apostolico, « quoad fidem, et quoad mores spe divinâ roboran« dos, præcepto orationis; et eosdem charitate divinâ « illustrandos, præceptis decalogi ; demùm fide eorum « Sacramentorum, quibus unusquisque juxtà conditio« nem suam debet uti. » Habet hæc sententia non exiguum fundamentum in ordinariis catechismis Ecclesiæ catholicæ, in quibus nihil prædictorum omitti solet. Quantùm ad articulos fidei, etiam simplices debent credere verba cum vero sensu; non quoad subtiliores et magis proprios conceptus, sed quoad substantiam; v. g., rusticus credit Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum; et tamen non credit tres deos, sed unum Deum; nec requiritur ut rusticus intelligat distinctionem naturæ à personalitate. Quantùm ad articulos morum, quandọ praxis est necessaria, ipsa cognitio, quæ propter praxim est, est etiam necessaria, quia omnes debent benè vivere, et in necessitatibus pro auxilio, certis etiam temporibus pro gratiarum actione ad Deum se convertere. Ideò Oratio et Decalogus sunt omnibus necessaria. Sacramentorum cognitio est magis, vel minùs necessaria, prout ipsa praxis est magis vel minùs necessaria.

In reliquis omnibus ignorantia non præjudicat saluti. Si tamen de reliquis sit definitio Ecclesiæ, nullus potest Verbo Dei per Ecclesiam proposito reluctari, sine

præjudicio salutis. Hoc autem negativum est, ideòque semper obligat, *non contradicere.*

Propositio 5. *Reformati, Lutherani, etc., non conveniunt cum Catholicis in fide Symboli Apostolici.* Probatur 1. Catholici credentes *Ecclesiam*, intelligunt unam illam Ecclesiam, quæ communissimè dicitur Catholica, quamque Protestantes vocant Pontificiam. Hic idem non credunt Protestantes. 2. Catholici credentes *Sanctam* Ecclesiam, intelligunt eam regi Spiritu Sancto, et ab eo duci in omnem veritatem, et nunquàm errare in doctrinâ Fidei. Quid simile credunt Protestantes? 3. Catholici credentes Ecclesiam Catholicam, intelligunt eam, juxtà promissiones divinas, in prædicatione Evangelii, in administratione sacramentorum, in professione fidei semper perseverantem. Nonne hìc vacillant Protestantes?

Peti potest, an explicitè credendum sit, 1. animam esse immortalem, sine quo nihil crederemus de vitâ futurâ. 2. Peccatum originale, vel habenda cognitio peccati in genere, quod est fundamentum redemptionis. 3. Necessitas gratiæ ad justitiam obtinendam.

Resp. sufficientem fidem eorum necessariam esse, non autem explicitam. Nam qui sperat vitam æternam, satis sibi credit animæ immortalitatem. Qui credit in Deum, ut justificatorem, satis sibi credit esse necessarium auxilium melius ad salutem, quamvis de hoc specialiter non cogitet. Et idem est de remissione peccatorum, etsi de peccato originali, sub proprio conceptu non cogitet.

§ 12. *Quot sint præcepta fidei.*

Propositio 1. « Datur præceptum interius credendi. » Probatur : Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, 1 Joan. 3, 23. — Propositio 2 : « Datur præceptum interius non subtrahendi « assensum veritati revelatæ. » Probatur : *Justus autem meus ex fide vivit. Quòd si subtraxerit se, non placebit animæ meæ*, Hebr. 10, 38. *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. 16, 16.—Propositio 3 : « Datur « præceptum non negandi exteriùs fidem. » Probatur : *Qui negaverit me coràm hominibus, negabo et ego eum coràm Patre meo, qui in cœlis est*, Matt. 10, 33.—Propositio 4 : « Datur præceptum aliquandò exteriùs con- « fitendi fidem. » Probatur : *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, Rom.* 10, 10.

Quantùm ad præcepta morum, ea in Scripturis reperiri circà Decalogum, circà Orationem, circà Sacramenta omnibus necessaria, certum est; quæ tamen hìc non adducimus, quia nullam difficultatem habent huic loco propriam.

§ 13. *De assensu catholico et resolutione fidei.*

Ut aliquis fide divinâ assentiatur verbo Dei, requiritur 1°, ut aliquod verbum Dei, sive ut objectum, quod creditur, sit à Deo revelatum : *Cum accepissetis à nobis verbum auditûs Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut verè est) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis*. 1 Thess. 2, 13. Requiritur 2°, ut illud objectum sufficienter nobis proponatur : *Timuitque populus Dominum, et crediderunt Domino et Moysi servo ejus*, Exod. 14, 13. Crediderunt Domino revelanti, et Moysi, hoc est, per Moysem. Ità enim legitur de Joanne Baptistâ : *Ut omnes crederent per illum.*

Primi fideles, exortâ quæstione de legalibus, non habuerunt recursum ad Spiritum internum, licèt tunc primitiæ Spiritûs sancti abundantiore defluxu ad multos pervenirent; non ad solam Scripturam, sed ad ministerium ordinarium, ad illos, qui à Deo constituti erant rectores et pastores Ecclesiæ. Atque hìnc Apostolicum concilium propositam quæstionem definivit : *Visum est Spiritui sancto et nobis, Act.* 15, 28 ; hoc est, visum est Spiritui sancto per nos docenti. Neque dicendum putaverunt : Visum est Spiritui sancto per nos docenti. Neque dicendum putaverunt : Visum est Spiritui sancto et Scripturæ ; aut : Visum est Spiritui sancto, et huic, aut illi revelanti ; sed : Visum est Spiritui sancto et *nobis*, in ministerio publico constitutis.

Requiritur 3°, ut veritas, quæ proponitur credenda, sit evidenter credibilis. Nobis autem fit talis, si consideremus notas veræ Ecclesiæ, promissionesque Ecclesiæ divinitùs factas, divinitùs præstitas. *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis*, Marc. 16, 20. Requiritur 4° gratia interna Spiritûs sancti, sine quâ nemo potest credere sicut oportet. Probatur : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum*, Joan. 6, 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis*, etc. Philipp. 1, 29.

His positis, difficile non est determinare, in quid ultimatè resolvatur fides. Interrogatus quomodò pervenerit ad fidem, respondebit : Per docentem Ecclesiam. Iterùm interrogatus quomodò sciverit Ecclesiam catholicam esse audiendam, respondebit : Ex signis, seu notis veræ Ecclesiæ. Posteà interrogatus quid crediderit, respondebit : Verbum Dei ab Ecclesiâ propositum. Tandem interrogatus cui crediderit, respondebit : Deo revelanti. Itaque ex parte objecti, veritas Dei revelantis est ratio formalis, in quam ultimatè resolvitur fides. Testimonium enim Ecclesiæ proponit, et manifestâ credibilitate docet objectum formale fidei. Ratio rei creditæ est revelatio divina ; ratio cognitionis nostræ, proximè movens, propositio Ecclesiæ ; illa prior est naturâ, hæc prior quoad nos, illa posterior quoad nos, hæc posterior naturâ. —Verùm si quæratur de causâ, quæ generat fidem in mentibus nostris, nullum est dubium quin interna Spiritûs sancti gratia sit effectiva fidei. Atque ità neque Ecclesia, quæ plantat, est aliquid ; neque rationes moventes, quibus animus irrigatur, ut assensum præbeat docenti Ecclesiæ, sunt aliquid ; sed qui incrementum dat Deus, cujus opus et donum est, ut credamus.

§ 14. *De iis quæ requiruntur ad probandum articulum fidei.*

Hìc diversitas est inter ea quæ requiruntur ad assensum fidei, et ea quæ requiruntur ad probationem fidei. Licèt enim requiratur gratia Spiritûs sancti, ut,

v. g., infidelis assentiatur fidei, non tamen requiritur infideli gratia Spiritûs sancti, ut infideli sufficienter proponatur et probetur veritas fidei. Imò qui probaturus est fidem, nihil roboris addit suo argumento, si alleget se habere Spiritum sanctum, nisi illud ipsum aliundè probaverit. — Ut probetur fides, requiritur 1°, verbum Dei : *Quomodò credent ei, quem non audierunt?* Rom. 10, 14. Et hoc apud omnes in confesso est. Requiritur 2°, ut sit, qui proponat verbum Dei : *Quomodò audient sine prædicante?* Ibid. Et de hoc etiam quod sciamus, nulla lis est, nisi fortè cum Enthusiastis, contrà quos hìc non agimus. 3° Ut de fidelitate proponentis verbum Dei sufficienter constet. Si enim auctoritas proponentis vacillet, non poterit nobis sufficienter constare de verbo Dei quod proponitur. Hìnc dicimus tria dicta requiri et sufficere.—Itaque probaturi fidem catholicam, antè omnia docemus esse Ecclesiam proponentem verbum Dei, et ostendimus ejus auctoritatem fidelitatemque in proponendo. Hoc sufficienter præstito, nullum est dubium quin illud sit verbum Dei, quod ab Ecclesiâ proponitur; nec quidquam superest, quod possit requiri ad probandam fidem.

§ 15. *De fide implicitâ.*

Superest ut nonnihil dicamus de fide implicitâ, tùm ad præcedentium elucidationem, tùm ut occurramus opportunis quorumdam cavillationibus. Explicitè credere, est credere aliquid in seipso, ità ut illud sit proximum objectum in quod cadit assensus fidei. Implicitè credere, est credere in alio tantùm, quia quod sic creditur, reverà non expressè cognoscitur, neque intellectus format proprium et distinctum conceptum propositionis, quæ implicitè tantùm credi dicitur, sed alterius in quâ ille continetur. — Fidem implicitam et virtualem esse, quandò creditur principium aliquod, simul cum conclusione quæ indè deduci potest, adeò certum est, ut nullus possit contradicere. Explicitè, v. g., credimus Christum esse verum hominem; nonne simul implicitè et virtualiter credimus Christum esse visibilem? Qui credit Christum esse verum hominem, immediatè attingit essentiam hominis, et essentia hominis est proximum objectum ejus assensûs; visibilitas autem immediatè non attingitur. Sed quia sub ratione proprietatis, logicè immediatè fluit ab essentiâ, dicitur implicitè credi et attingi cum essentiâ explicitè creditâ, tanquàm conclusio in suo principio, undè et probari potest. Atque hàc ratione fides implicita est in intellectu. — Deindè, si quis credit uni articulo per Ecclesiam proposito, ob veritatem Dei revelantis, necessariò paratus est assentiri reliquis articulis, à Deo per Ecclesiam propositis. Ratio manifesta est; si enim quis credit ob veritatem Dei revelantis, hæc ratio formalis assensûs extenditur ad omnia quæ Deus revelavit, et in omnibus est eadem, licèt objecta materialia sint diversa. Undè non potest aliquis fidelis judicare dictam rationem formalem nunc sequendam esse, nunc repudiandam; sed si in uno articulo eam sequatur, necessariò judicat in omnibus sequendam esse; atque ità paratus est credere quidquid Deus per Ecclesiam docet esse revelatum. Nam si quis unum credat, et alterum neget, cùm utrumque sit à Deo revelatum, talis est *proprio judicio condemnatus.* Et quomodò? quia credens unum, eo ipso approbat rationem formalem credendi circà omnia objecta materialia fidei. Quocircà, si neget unum materiale fidei, cùm in eo ipso inveniatur ratio formalis credendi, condemnatur priore judicio, quo uni veritati revelatæ assensum præbens, rationem formalem credendi circà omnia revelata probavit, et eam probando, contradictorium dissensum condemnavit.—Tandem dicimus aliquem implicitè credere per relationem ad alios explicitè credentes, Ecclesiam scilicet. Ità, qui credit quod Ecclesia credit, paratus est omnia amplecti, quæ Deus per Ecclesiam proposuit credenda. Et quia fide divinâ credit Ecclesiam regi à Spiritu sancto, necessariò paratus esse debet in nullo dissentire ab Ecclesiâ. Imò si exactè agendum est, catholicus credens Ecclesiam omnes veritates fidei fideliter proponere, eo ipso formaliter credit et amplectitur omnes et singulas particulares veritates fidei ab Ecclesiâ propositas. Neque necesse est ut explicitam notitiam habeat omnium particularium veritatum fidei, ut verè et formaliter dicatur singulas credere. Sicut formaliter de omnibus et singulis hominibus dicit, est animal, qui dicit, omnis homo est animal, licèt longè maximam hominum partem non noverit. Hoc tamen nihil impedit quominùs aliqua sint explicitè credenda, de quorum necessitate actum est in præcedentibus.

EXAMEN QUARTUM.

De principio communi. — *Doctrinam christianam primorum seculorum, quæ in libris SS. Patrum et antiquorum conciliorum reperitur, esse incorruptam, saltem quoad articulos saluti necessarios.*

§ 1. *Sententia partium.*

Concilium Tridentinum, sess. 4, statuit non esse permittendam interpretationem Scripturæ, *contrà unanimem consensum Patrum.* Ubi notandum interpretationem Scripturæ non tantùm eam improbari, quæ unanimi consensui Patrum Scripturam interpretantium contravenit, sed absolutè, quæ unanimi consensui Patrum est dissentanea.—Protestantes docent communiter SS. Patres primorum seculorum in articulis fidei necessariis non erràsse. Calvinus, Instit. lib. 4, c. 2, § 3, et lib. 4, cap. 8; Molin. *Défense de la foi*, lib. 2, art. 2; Du Plessis, *Préface du Mystère d'iniq.*; Hund. part. 1, c. 6, n. 71, part. 2, cap. 1, n. 18.— Eo non obstante, Reformati hanc legem ponunt: Ministri in concionibus *non allegabunt, nisi benè sobriè, scripta antiquorum doctorum.* Volunt ut in disputatione de fide *non detur locus scriptis antiquorum doctorum pro judicio et decisione causæ.* Iidem illi qui nolunt astringi consentientibus SS. Patrum testimoniis, volunt omnes doctores et professores theologiæ *tractare Scripturam in omni puritate, juxtà analogiam fidei et confessionis nostrarum Ecclesiarum Galliæ, quam signabunt, et disciplinæ ecclesiasticæ.* Vid. Discipl. Eccl. Mittelburg., art. 37. — Illi cupiunt tractari Scripturam juxtà analogiam fi-

dei reformatæ; nos juxtà analogiam fideì ab Apostolis usque ad hæc tempora continuatæ; illi juxta analogiam Confessionis Ecclesiarum Reformatarum Galliæ; nos juxtà analogiam Confessionum per unanimem consensum Patrum traditarum; illi juxtà analogiam disciplinæ gallicæ recens fabricatæ; nos juxtà analogiam conciliorum generalium. Hæc vestra libertas est, quam deprædicatis, ut ab obedientiâ catholicæ Ecclesiæ exempti, gravissimo servitutis jugo premamini, constricti catenis gallicæ Confessionis et disciplinæ ecclesiasticæ. An hoc est quod ingeminatis, SS. Patres subjectos debere manere Scripturis, ut omnia subjiciantur vestræ Confessioni et disciplinæ ecclesiasticæ?

§ 2. *De consensu SS. Patrum in explicatione sanctæ Scripturæ.*

S. Irenæus, lib. 4, cap. 63: « Agnitio vera est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, et character corporis Christi, secundùm successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, Ecclesiam tradiderunt, quæ pervenit usque ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque additamentum, neque ablationem recipiens, et lectio sine falsificatione, et secundùm Scripturas expositio legitima et diligens, et sine periculo, et sine blasphemiâ, et præcipuum dilectionis munus, quod est pretiosius quàm agnitio, gloriosius autem quàm prophetia, omnibus autem charismatibus supereminentius. » S. Leo, epist., decr. 97, postquàm hæreticam, deindè catholicam proposuisset sententiam, et illam ex Scripturâ refutâsset, hanc confirmâsset, adducturus SS. Patrum Scripturam explicantium testimonia, sic præfatur: « Ut autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subjiciendas esse sermoni. Quibus si digneris attendere recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quàm quod sancti Patres nostri toto orbe docuerunt; nec quemquam ab illis, nisi solos impios hæreticos discrepare. » Theodoretus, dialog. 1, post adductos multos Patres Scripturam interpretantes, ità concludit: « Hi viri fuerunt successores SS. Apostolorum, et nonnullis usuvenit, ut sacrâ eorum et admirabili visione fruerentur. Plurimi autem eorum martyrii coronis exornati sunt. Fasne ergò tibi videtur blasphemiam et maledicam linguam adversùs eos vibrare? »

§ 3. *De consensu SS. Patrum in rebus fidei et morum.*

Legitur in concilio Chalcedonensi: « Si aliquos reperit de suis cordibus sinceritatem pietatis ejicientes, et ea quæ creduntur, arte verborum in dubium perducentes, præter expositionem SS. Patrum, væ illis ab utrâque sententiâ, id est, Dei et imperatoris! » In eodem concilio, Dioscorus dixit: « An vultis fidem SS. Patrum innovare! Sancta synodus dixit: Si quis innovat, anathema sit. Si quis discutit, anathema sit. Sanctorum Patrum fidem servemus. » S. Pacianus: « At ego hucusque securus ipsâ Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus, nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsivi. Tu postquàm à reliquo corpore segregatus es, et à matre divisus, » etc. S. Epiphanius comparativè procedit: « Jam verò utri tandem illorum periliores sunt? an errore deceptus homuncio, qui nunc tandem emersit, et adhùc hodiè superstes est? An qui antè nos testes exstiterunt, quique antè nos eamdem traditionem in Ecclesiâ tenuerunt, quam et ipsi à parentibus suis acceperant, et ipsorum parentes à majoribus suis didicerant, quemadmodum Ecclesia, quam à Patribus suis accepit rectam ac sinceram fidem cum traditionibus ad hunc usque diem observat? facessat igitur, » etc.

Conclusio. — In reipublicæ judiciis usuvenit, ubi Scripturæ deest instrumentum, ut testibus habeatur fides; et sicut in rebus humanis oculatos testes, ità in fide auritos suscipimus, quia fides ex auditu est. Quæ unquàm respublica scripto omnia, nihil sine scripto probandum decrevit? Scripturâ maximè utimur propter litigiosos; viri boni solo verbo in veritate et officio continentur. Si dubia legis occurrit interpretatio, à communi doctorum sententiâ non est in judicando recedendum. Si incerta S. Scripturæ intelligentia, audiendi consulendique sunt SS. Patres, viri docti, sancti, Apostolis vicini, quorum sanctitatem veneratur orbis universus; ideòque communia eorum placita nullo modo negligenda, sed fideliter amplectenda sunt. Vide S. Basil., de Spirit. S. cap. 29.

TRACTATUS SECUNDUS.

METHODUS AUGUSTINIANA.

Ea Methodus tribus absolvitur partibus. 1° Proponit et supponit principia probationum, quæ in præcedentibus examinata sunt. 2° Defendit. 3° Probat. — *Augustinianam* dicimus, quia ex praxi S. Augustini deducitur.

Pars prima.

Principia probandi fidem, vel sunt Protestantium, vel Catholicorum, vel utrique parti communia. Horum necessitas ex eo constat, quòd ordinata veritatis indagatio supponat aliqua principia. Primum Protestantium principium est: *Solam Scripturam sufficere ad probandos articulos fidei.* Ità Reformati in Conf. Belg.,

art. 5; Lutherani, in præfat. Conf. August. S. Augustinus, lib. 1 cont. Maximin., in princ. : « Maximinus « dicit : *Si quid de divinis Scripturis protuleris, quod « commune est omnibus, necesse est ut audiamus.* Hæ « verò voces, quæ extrà Scripturam sunt, nullo casu « à nobis suscipiuntur. Prætereà cùm ipse Dominus « moneat nos, et dicat : *Sine causâ colunt me, docentes « mandata et præcepta hominum.* » Idem S. August. de Util. cred. cap. 14 : « Hoc, hæretice, principio me « docturus es. » Porrò hanc doctrinam intelligunt de articulis fidei ad salutem necessariis, docentque Protestantes : « Omnia ad salutem necessaria clarè et perspicuè contineri in Scripturâ, adeò ut interpreta- « tione seu consequentiâ non egeant. » Alterum Protestantium principium est : *Dari veram interpretationem Scripturæ ad probandam fidem.* Ità Reformati in Conf. Helv. art. 2; Conf. Wirtemb., tit. de S. Script. S. Augustinus, in actis cum Felice Manichæo, lib. 1, cap. 17 : « Felix dixit : *Ipsa se Scriptura interpreta- « tur.* » Hoc principium concernit articulos non necessarios, vel solam illustrationem necessariorum.

Principium catholicum est unicum : *Verbum Dei ab Ecclesiâ propositum.* Et sicut ratio verbi Dei abstrahit à scripto et non scripto, ità pariter utrumque comprehendit; nobis verò innotescit per Ecclesiæ propositionem, id est, vel per praxim universalis Ecclesiæ, vel per definitionem concilii generalis. Patet hoc ipsum, tùm ex concilio Tridentino, *sess.* 4, tùm ex professione fidei catholicæ. — S. Augustinus, contra epist. fund. cap. 5 : « Ego verò Evangelio non crederem, « nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. » Et contrà Crescon. lib. 1, cap. 33 : « Quamvis hujus « rei certè de Scripturis canonicis non proferatur « exemplum, earumdem tamen Scripturarum, etiam « in hâc re, à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, « quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum « Scripturarum commendat auctoritas. »

Ultimum, et nobis cum Protestantibus commune principium est : *Doctrinam Christianam primorum seculorum, quæ in libris SS. Patrum et antiquorum conciliorum continetur, esse incorruptam, saltem quoad articulos fidei ad salutem necessarios.* Hoc esse principium nostrum, manifestum est ex principio catholico. Et licèt in publicis Protestantium Confessionibus non reperiatur, est tamen apud ipsos communissimum, uti ex Reformatis testatur Eilbrachtus, Viâ Compend. cap. 5, et in Epanorth. ad d. caput. De Lutheranis idem probat Hermannus Fley, in Annalib. Circ. Westph. in præfat., n. 5.

Postquàm S. Augustinus adduxisset uniformem variorum Doctorum Ecclesiæ doctrinam, lib. 2 cont. Julian. Pelag. c. 3, addit : « Agnosce, fili Juliane, « consonas catholicas voces, et ab eis desine disso- « nare. »

Ex dictis resultat duplex probandi modus, isque vel per terminos expressos, seu æquivalentes, vel per interpretationem, seu consequentiam, juxtà naturam principiorum.

Pars ij.

Defensiva Methodus, scuto non absimilis, absolvitur quatuor observationibus, quas præcedunt nonnulla privilegia, Protestantibus concedenda gratìs, alioquin à limine cujuscumque controversiæ arcendis.

Privilegium 1. Non eis disputabimus venerabilem titulum Restauratorum Ecclesiæ, sed eos tanquàm tales admittemus. (Vide S. Augustinum, contr. Epist. fund. cap. 4.)

Privilegium 2. Non arguemus ipsorum Biblia in linguam vulgarem translata.

Privilegium 3. Eorum probationibus non opponemus successionem episcoporum, Ecclesiæ catholicæ antiquitatem, auctoritatem, etc. — Addimus, compendii causâ, nos manus daturos, si vel unum articulum fidei suæ controversum probaverint, vel nostræ contradictorium evicerint, eo modo, qui sufficiat ad stabiliendum, vel destruendum dogma fidei.

Observa 1°. — Status quæstionis utrinque proponendus terminis professionis fidei catechismi, aut libri publicè recepti. — Ità fecit S. Augustinus, contr. Epist. fund. cap. 5. — Deindè, ut status quæstionis sit magis perspicuus, nunquàm permittemus, ut plures quæstiones per modum unius proponantur, sed una tantùm. Insuper notabimus ea, quæ non sunt fidei, et alia, de quibus nobis cum Protestantibus convenit. Atque hâc ratione non disputabunt de quæstionibus merè scholasticis, concessa non probabunt, nec transilient de quæstione in quæstionem, aut nobis alienam affingent doctrinam, de quibus frequenter conqueritur S. Augustinus, contr. Jul. Pelag. lib. 3, cap. 3, 7, 18, et lib. 5, cap. ult., et cont. Maximin. lib. 3, in princ. Tandem, quotiescumque non concluditur quod est in quæstione, committitur fallacia dialectica, quæ dicitur *ignorantia elenchi.*

Observa 2°. — Protestantibus in omni controversiâ, sive affirment, sive negent, saltem primo loco incumbere onus probandi : incipiendo à probatione suæ fidei, deindè pergendo ad improbationem catholicæ. — Ratio 1. Quia sunt *accusatores* nostri, in conf. August. *art.* 21. Catech. Heidelb. Dom. 30, quæst. 80. Gall. *art.* 28. Actorem autem debere probare suam accusationem, sive affirmet, sive neget, apud omnes in confesso est. (Vide S. August. in opere brev. collat. 3 diei, cap. 2.) — Ratio 2. Quia dicunt se repurgâsse doctrinam christianam ab erroribus, et restaurâsse Ecclesiæ collapsæ ruinas. Ità Conf. August. tit. de

conjug. Sacerd. Conf. Gall. *art.* 31. Hinc speciosus titulus *Reformatorum* Ecclesiæ. Jam ille, qui reformat, debet errores demonstrare, ne deformator potiùs quàm reformator accedat. — Ratio 3. Quia *recesserunt* à priore unione, quam habebant cum Ecclesiâ catholicâ. Patet ex præfat. et concl. Conf. Saxon. et Conf. Helvet. poster., *art.* 17. Et nisi justas recedendi rationes allegârint, frustrà recesserunt. (Vide S. August. *loc. cit. cap.* 3.) — Ratio 4. Negativis Protestantium articulis magis est propria, quòd doceant doctrinam nostram, v. g., de Purgatorio, adversari Scripturis. Sic Conf. Helv. poster. *art.* 26, atque adeò se abusus sustulisse, qui contrà Scripturam recepti erant. Ità Conf. August. *art.* 21. — Cur ergò sit catholici primo loco defendere, manifestum est ex dictis. Facilius etiam est rectè defendere, quàm solidè probare. Defendenti sufficit adversos solùm ictus debitè rejicere; neque necesse est ut de suo quidquam producat. Nam quidquid ex Scripturâ, ex antiquitate, aut ratione catholicus allegaverit, præter obscurationem legitimæ victoriæ (cujus, ob ingentem fructum ad auditores pervenientem, magna est habenda ratio) eludent Protestantes, omnesque adhibebit vires, ut clypeo mutato, ab onere probandi liberetur. — Sic quandò constrictus adversarius non poterit ultrà progredi, communiter petet : « Quomodò ergò intelligitur iste « locus? » Quid aget catholicus? dabitne verum sensum loci allegati? nequaquàm; nec enim quidquàm promisit. Respondebit ergò hactenùs non probatum, et se non accessisse tanquàm doctorem, sed qui, in gradu respondentis consistens, audiat an adversarius promissa solvat. Verùm, ut auditoribus aliquatenùs satisfiat, promittet catholicus se probaturum suo loco, sed non ante quàm constiterit in omnibus defecisse. Ubi tamen cum honoratioribus vel indoctioribus agitur, moderandus est rigor methodi; et per opportunas interrogationes insinuandus veniet verus sensus loci allegati; cum pertinacibus verò procedendum jure stricto. Porrò hæc observatio locum habet, ex quocumque principio probet adversarius.

Observa 3°. — Prior Protestantium probatio debet esse per terminos expressos, æquivalentes seu æquipollentes, S. Scripturæ, sine additione, detractione, aut mutatione — S. Augustinus urget ea loca, *quæ non egeant interpretatione*, de Unit. Eccl. cap. 19. Fundatur hæc observatio in primo Protestantium principio, et publicâ ipsorum promissione nos docendi per *solam* Scripturam. Cùmque eorum doctores generaliter decernant, « omnia ad salutem necessaria clarè, « et perspicuè, et evidenter in Scripturâ reperiri, » nihil æquius est quàm disquirere primo loco de quæstionibus fidei necessariis, et ubi, *legatur* earum decisio; nam præter terminos expressos nihil legitur in Scripturâ. Ità S. Augustinus agit ex promissione adversariorum suorum, cont. Epist. fund. cap. 14. Deindè, multiplex est ratio postulandi terminos expressos. 1° Conditio testamenti, cujus verba non sunt inutilia, nec carent sensu. Sic S. Augustinus, in Psal. 21 : « Sedet Christus in cœlo, et contradicitur ejus testa« mento? Aperi, legamus, fratres sumus, quare con« tendimus? » 2° Ambiguitas, seu incertitudo interpretationum vel consequentiarum. (Vide S. August. cont. Epist. fundam. cap. 12.) Quia 3° expressi termini à nemine in dubium revocantur. 4° Populus non capit consequentias et humanarum contentionum animosa certamina. (Vide S. August. de Unit. Eccl. cap. 7.) Et 5° monitio Apostolica . *Formam habe sanorum verborum*, 2 Timoth. 1, 13. —Neque tantùm in affirmativis, sed etiam in articulis negativis requiruntur termini expressi, cùm ipsi doceant ex Scripturâ petendam esse *reprobationem dogmatum*, *aut errorum confutationem omnium*. Ità Conf. Helv. post. art. 1. Et conclusio Conf. Gall. determinat omnes Confessionis articulos, *integrè fundatos in puro et expresso verbo Dei.* Quid, quòd generaliter dicant Confessiones suas formatas ex verbo Dei? S. August. de Unit. Eccl. c. 12 : « Aliud, inquit, evangelizat, etc., aut legat mihi hoc « in Scripturis sanctis. » — Ex dictis patet quo jure petamus terminos expressos. Cùmque non rarò inter indoctos agatur, qui, licèt subtilitatum incapaces, solius tamen Scripturæ promissionibus inescati sunt, oportet eorum infirmitati, quantùm fieri potest, condescendere, et, si necesse, eorum uti Bibliis, ut eò faciliùs errantes ad veritatem reducamus. Dicamus ergò cum S. Augustino, de Unit. Eccl. capite 17 : « Hoc nobis legant, quid morantur? quid tergiversa« tur? quid impediunt salutem gentium? legant hoc, « et cum ipsâ lectione novos Apostolos (restauratores « Ecclesiæ) mittant. »

Ut autem liberaliùs agamus, notandum, 1° nos unius tantùm articuli controversi probationem exigere. Ità quoque egit S. Augustinus, contr. Epist. fund. cap. 14 : « Sed non sum avarus, unum horum doce. » Et de Unit. Eccl. cap. 17 : « Legant nobis hoc de Scri« pturis sanctis, et credimus. Hoc, inquam, nobis ex « canone divinorum librorum legant. » Quocircà, dicimus cum eodem Augustino, de Unit. Eccl. cap. 14 : « Si apertum aliquod, et manifestum testimonium ex « Scripturis canonicis protulerint, fatemur ad eos esse « transeundum. » 2° Nec totius articuli, sed ejus tantùm partis, quæ controvertitur. 3° Nec istius partis quoad litteras et syllabas, sed quoad significationem. Quandocumquè enim inter nos et Protestantes convenit, terminos, qui adducuntur, esse æquivalentes, non est disputandum de nomine. Attendendum tamen ne termini æquivalentes redoleant aliquam fallaciam, uti notat S. Augustinus, cont. Epist. fund. cap. 5 et 6. — Porrò cùm Protestantes allegant Scripturam, dicendum cum S. Augustino, contr. Fortunat. : « Agnosco et « amplector testmonia divinarum Scripturarum; » sed ibi non legitur, quod est in quæstione. Si dicant eum locum sic *debere intelligi*, respondeat cum S. Augustino, de Unit. Eccl. cap. 24 : « Aliquid manifestum, « quod interprete non egeat, à vobis flagitamus. » Nam posteà examinabitur, quanti facienda sit ista interpretatio. Interim *fateantur* Protestantes in allegato Scripturæ loco non *legi*, quod eorum Confessio fidei docet. Utentur quidem infinitis digressionibus, ne *fa-*

teantur, sed fortiter instandum : et si præfractus fuerit, urgeri potest omnibus modis, ut auditores sentiant, cui parti hactenùs adhæserint.

Habitâ confessione, non statìm admittendi sunt ad probationes, sed instandum, ut *fateantur* nullum alium ex Scripturâ produci posse locum, ubi legatur quod est in quæstione. Similiter urgenda confessio de tribus aut quatuor præcipuis controversiis, in quibus ipsi affirmant, et postmodùm generaliter, quòd ne vel unum probare possint. Tùm prælegenda professio fidei catholicæ; et si non valeat contradictorium ex Scripturâ monstrare, ad singulos articulos urgenda erit talis confessio. Ratio dictorum est, quia utimur jure nostro; et omnium interest scire an ullus articulus controversus, eo modo in doctrinâ adversâ probetur, aut in nostrâ improbetur. Eâdem ferè ratione egit S. Augustinus cum Felice Manichæo, quem etiam ad fidem catholicam convertit, de act. cum Felic. lib. 1, cap. 13, 14 et 18. — Ex hâc observatione sequitur auditoribus diligenter inculcandum, quomodò Protestantes promittant solam Scripturam, doceantque omnia ad salutem necessaria ibidem clarè et absque interpretatione reperiri, nullum tamen dogma controversum in Scripturâ *legi* posse; adeòque manifestum esse, nullum articulum controversum secundùm ipsos esse necessarium ad salutem. Ergò *fateantur* oportet se ab Ecclesiâ catholicâ recessisse propter ea dogmata, quæ ad salutem non sunt necessaria. — Tandem hæc observatio locum habet, sive probent Protestantes ex primo suo principio, sive ex nostro, sive ex communi. Verùm ex Patribus et conciliis non sunt audiendi, nisi priùs omnibus pateat scripturales eorum promissiones inaniter jactari.

Observa 4°. — Posterior Protestantium probatio debet esse per interpretationem, explicationem, glosam vel consequentiam sufficientem ad articulum fidei, idque ex principiis supradictis, incipiendo à probationibus Scripturæ. — Ubi notandum hìc non agi de articulis ad salutem necessariis, quos illi volunt clarè et absque interpretatione in S. Scripturâ contineri. Cùm enim manifesta promiserint, cum S. Augustino dicimus, contr. Epist. fundam. cap. 23 : « Non habent « ergò isti interpretationes ad quas revertantur. » Et sicut antè diximus catholicum non obligari ad dandam veram loci allegati explicationem, ità non exiguum victoriæ dispendium erit, si suas interpretationes Protestantium interpretationibus opponat. Poterit tamen catholicus doctior, post designatos aliquos defectus (de quibus mox dicetur), insinuare veram loci intelligentiam, vel per opportunas interrogationes ex circumstantiis verborum Scripturæ petitas, vel per explicationem SS. Patrum, qui dicti loci evidentiam non viderunt; ità tamen, ut illud quod affert, non ut absolutè verum asserat, ne relinquantur partes defendentis, ac quæstio mutetur. Verùm si agatur cum homine pervicace, standum erit in rigore methodi, urgendusque ut formet integrum syllogismum, atque ità concludat, ut argumentum *sufficiat ad fundandum articulum fidei*; nam probabilia probabiliter solvuntur. Hìnc S. Augustinus, cont. Julian. Pelag. lib. 3, cap. 7 : « Dialecticorum quasi jaculis oneratus acutis, in cer« tamen procedis, et jactas plumbeos pugiones, di« cens, » etc. Neque disputandum est de thesi, seu de valore consequentiarum in genere, sed de hypothesi : *An hæc particularis consequentia sufficiat ad fundandum articulum fidei?* Si petant rationem negati, dicemus, nullam particularem Protestantium interpretationem vel consequentiam sufficere ad articulum fidei et assignabimus unum, vel plures ex sequentibus defectibus.

Primò, *Protestantes nullâ auctoritate formant suam interpretationem vel consequentiam*. Oritur hic defectus ex publicis adversæ partis confessionibus. Sic Helvetica post art. 2, declarat, « Scripturas sanctas non « esse interpretationis privatæ. » Scotica art. 28, « Scripturæ interpretationem, neque ad privatam ali« quam, aut publicam personam pertinere. » Wirtembergica, de S. Scripturâ veram sententiam Scripturæ vult apud eos esse quærendam, *qui Spiritu divino excitati sunt*. Atque idcircò urgemus Protestantes, ut doceant, quâ auctoritate hanc particularem forment interpretationem aut consequentiam? Quod cùm nequeant, *fateantur* se non habere legitimam auctoritatem. Habitâ confessione, non statìm assignandus est secundus defectus, sed similiter urgenda de aliis confessio, uti dictum observ. 3. Atque hæc notatio etiam valet pro sequentibus defectibus.

Secundò, *Protestantium interpretatio seu consequentia non legitur in Scripturâ;* fundatur hic defectus in secundo Protestantium principio, quo docent, « dari ve« ram interpretationem Scripturæ, quam ex ipsâ pe« tendam esse, » affirmat Conf. Helv. pr. art. 2, adeò *ut ipsa interpres sit suî*. Deindè convenit inter nos dari interpretationem Scripturæ per Scripturam; id est, multa loca veteris Testamenti explicari per Scripturam novi Testamenti. Cùm ergò Scriptura duobus modis aliquid doceat, vel simpliciter, vel per interpretationem, meritò, conformiter altero Protestantium principio, petimus, an hæc particularis interpretatio, vel consequentia legatur in Scripturâ, vel certè, ut *fateantur* hunc defectum reperiri, uti dictum de primo defectu. Nec enim minùs Ariani et antiqui hæretici venditabant scripturales suas interpretationes, quàm moderni Protestantes. Dicebat autem Felix Manichæus, de act. cum Felic. lib. 1, cap. 17 : « Ipsa se « Scriptura interpretatur. » Cui S. Augustinus : « Si « ergò hìc nòsti aliquem esse locum, ubi hoc dicat « ipsa Scriptura, etc., aperi ad locum, quem nòsti, « et lege mihi. »

Tertiò, *Scriptura non judicat de bonitate hujus interpretationis vel consequentiæ*. Oritur hic defectus ex eo, quòd Protestantes statuant Scripturam sacram omnium controversiarum solum judicem; Conf. Helv. poster. art. 2. Lutherani, in Colloquio Ratisbon. thes. 2. Hìnc jure nostro petimus : Quis judicabit de bonitate hujus particularis interpretationis, vel consequentiæ, an sufficiat ad articulum fidei? — Dicimus cum S. Augustino contr. Maximin. lib. 3, cap. 26 : « Undè ergò tibi per-

« suasum est cætera superiora Patrem dixisse, hoc « autem Filium? undè, quæso, distinguis? undè dis- « cernis? » Si ex Scripturâ, producatur illa, *legamus;* aut fatere, uti suprà. Non enim Aristoteles, aut philosophia, non judicium rationis aut discretionis judicare poterit; nam præter illorum insufficientiam, assignaretur alius judex præter Scripturam. Vide S. August. contr. Julian. Pelag. lib. 2, cap. 10, et lib. 6, cap. 2.

Quartò, *Protestantes possunt errare in formandâ interpretatione vel consequentiâ.* Radicatur hic defectus in infirmitate humanâ, quæ non raró errori subjicitur: nam *omnis homo mendax,* Psal. 116. Imò *omnes homines sunt mendaces, et ipsâ vanitate vaniores,* ut habet Conf. Belg. art. 6. Sic etiam Felix Manichæus apud S. Augustinum (de Actis cum Felice, lib. 1, cap. 6): « Omnis homo mendax, solus Deus verax, Scripturæ « Dei loquuntur. » — Juxtà hanc adversæ partis positionem dicit S. Augustinus, contr. Julian. Pelagian. lib. 3, cap 18: « Interponis Apostoli testimonium, « non ad quod ab ipso positum est, sed ad quod ipse « arbitraris. » Quocircà et nos petimus an Protestantes possint errare in hâc particulari interpretatione vel consequentiâ? aut *fateantur,* sicut in primo defectu, et iterùm: Undè sciemus Protestantes de facto non errare in hâc particulari interpretatione vel consequentiâ? Urgemus hìc certitudinem quoad nos defendentes.

Quintò, *nullus SS. Patrum vidit particularem Protestantium interpretationem vel consequentiam.* Defectus hic oritur ex eo, quòd teste Eilbrachtio, in Epanorth. annot. 9, ad cap. 22, Protestantes doceant suas interpretationes esse claras, evidentes, perspicuas, necessarias, et Scripturæ consentaneas. — Quapropter optimo jure petimus an aliquis ex SS. Patribus hunc particularem Scripturæ locum ità fuerit interpretatus, sicut Protestantes faciunt? aut *fateantur,* ut suprà in primo defectu. S. Augustinus, contr. Epist. fund. cap. 3: « Justum puto esse, quod postulo, hâc « sanè lege servatâ, ut vobiscum non orem, non con- « venticula celebrem, non Manichæi nomen acci- « piam, si non mihi (sed tantùm tibi) de omnibus « rebus (imò de unâ re) ad salutem animæ pertinen- « tibus sine ullâ caligine rationem perspicuam dede- « ritis. » — Nota hos quinque defectus esse magis ad captum populi quàm alios sequentes.

Sextò, *altera præmissarum est solius rationis.* Hic defectus communem originem habet cum quarto defectu, à quo tamen differt, quòd ille respiciat conclusionem ex qualibuscumque præmissis deductam, hic verò defectus respiciat conclusionem ab unâ præmissâ rationis dependentem, atque adeò fallibilem. Hinc urgemus Protestantes, ut fateantur hanc particularem conclusionem deduci ex antecedenti, cujus altera præmissarum est rationis tantùm, et non Scripturæ, adeò ut in asserendâ tali conclusione errare possit. Reliqua ut in primo defectu. Respondemus etiam, negando alteram præmissarum juxtà Scripturam; quod et in aliis defectibus usuvenit.

Septimò, *Scriptura non judicat hanc conclusionem esse fidei, quæ deducta est ex antecedente, cujus altera propositio est solius rationis.* Hic defectus communem originem habet cum tertio defectu; differt autem ab eo, quòd ille contempletur conclusionem respectu quarumque præmissarum, hic autem quæratur judex particularis consequentiæ ex alterâ propositione rationis deductæ. Differt etiam à quarto et sexto defectu, in quibus variè consideratur fallibilitas; hìc autem spectetur defectus judicis circà bonitatem talis conclusionis.

Undè *fateantur* Protestantes, Scripturam non judicare quòd hæc conclusio, deducta ex antecedente, cujus altera propositio non est Scripturæ, sed solius rationis, sit fidei; vel assignent decretum judicis. Reliqua ut in primo defectu.

Octavò, *syllogismus peccat vel in materiâ, vel in formâ.* Hic defectus communem habet originem cum quarto defectu. Priores septem defectus nihil statuunt de veritate, aut falsitate naturali, tùm totalis argumenti à Protestantibus producti, tùm ejus propositionis, quæ non erat Scripturæ. Hic autem defectus provenit vel ex falsitate unius propositionis, vel ex formâ indebitâ. Ideò dicimus nullum à Protestantibus produci argumentum, ad stabiliendum dogma controversum, quod non peccet in materiâ vel in formâ. — Hunc defectum assignabit Catholicus respondendo breviter more solito: Concedo, Nego, Distinguo. Ut autem multiloquium adversarii cohibeat, urgebit formam syllogismi, petetque concludi, quod est negatum. — Quòd si importuna nectat sophismata, meminerit Apostoli, Coloss. 2, 8: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.* Itaque detegantur sophismata, et, ut in primo defectu, *fateatur,* antequàm transeat ad alia. Interim ne auditores fructu conferentiæ priventur, notandi erunt defectus superiores, quod in omni argumento fieri potest, necnon auditoribus inculcandum, Protestantes promisisse solam Scripturam, et scripturales interpretationes seu consequentias, illos autem nobis velle obtrudere reformationem, per inanem et fallacem philosophiam, qualis conflatur ex materiâ peccante et formâ fallente.

Nonò, *non est formaliter revelata hæc particularis conclusio.* Hic defectus respicit conclusionem, cujus altera præmissarum est Scripturæ, altera supponitur rationis veræ et evidentis; in quo differt à quarto et sexto defectu. Monstratur autem ex naturâ articuli fidei, quia nihil est formaliter fidei, nisi sit formaliter revelatum. Cùmque ex prædictis defectibus constet, Protestantes pro nullo articulo controverso habere conclusiones formaliter revelatas, meritò, ut in primo defectu, *fateri* debent nullas particulares ipsorum conclusiones esse formaliter revelatas. — Hæc observatio locum suo modo habere potest, sive Protestantes ex secundo suo principio, sive ex nostro, conentur probare. Quòd si adducant argumenta in totum à ratione petita, priores quinque defectus ea prorsùs enervant.

Et hactenùs quidem de hypothesi, sive de consequentiis particularibus adversæ partis. An autem illud,

quod tantùm probatur per consequentiam firmam, necessariam, evidentem, deductam ex duabus propositionibus, quarum una est in Scripturâ, altera evidens et necessaria, adeòque infallibilis infallibilitate naturali juxtà lumen rationis, positis in formâ argumenti evidentis et necessarii, adeòque naturaliter infallibilis, sit non tantùm verum et certum, sed etiam articulus fidei, ejusque contradictorium error in fide? Affirmant Protestantes, et aliqui doctores catholici volunt esse *probabiliter fidei*. Omnes autem doctores catholici in eo conveniunt, quòd non sit articulus *fidei catholicæ*, id est, qui *ab omnibus credi* debeat. Ratio est quia Ecclesia catholica dictam quæstionem nunquàm definivit, aut tanquàm revelatam fidelibus credendam proposuit, atque ità limites merè scholasticos nunquàm est egressa.

Pars iij.

Probativa methodus, gladio persimilis, tribus observationibus perficitur. — Observa 1°, statum quæstionis esse tenendum, uti parte 2, observat. 1, fuit constitutum. — Observa 2° : Catholici est secundo loco probare, idque incipiendo à probatione fidei catholicæ, deindè pergendo ad improbationem doctrinæ contrariæ, ità tamen ut fiat ex abundantiâ juris, quia per partem secundam convicti sunt Protestantes. Non permittat autem catholicus ut Protestantes, antè plenam probationem, quidquam objiciant, sive catholicus probet ex principio suo, sive ex principiis Protestantium, sive ex principio communi. — Observa 3° : Omnis catholica probatio debet esse per terminos expressos, seu æquivalentes, sine additione, detractione, aut mutatione.

Probatio prima desumitur ex conciliis generalibus, aut praxi universalis Ecclesiæ, hoc est, ex conciliis generalibus ab anno sexcentesimo ad nos usque habitis, vel ex praxi universalis Ecclesiæ ab eodem tempore sufficienter testatâ. Nam antiquorum conciliorum, et praxis primitivæ Ecclesiæ testimonia pertinent ad principium commune.

Protestantes tenentur acquiescere huic probationi, 1° quia convicti sunt erroris in suâ doctrinâ, et multa produxerunt argumenta nullo robore prædita. (Vide S. August. de Util. cred. cap. 8 et 9.) Si enim ulla fides amplexanda ; si ex secundâ parte constat, nec Protestantium, nec ullam à nostrâ diversam doctrinam esse tenendam ; vel supererit fides catholica sola sequenda, vel certè non erit fides in terris ; *fateantur* igitur Protestantes alicujus Ecclesiæ sectandam esse fidem ; nam suæ Ecclesiæ fidem sectandam non esse jam constat ; et nullam aliam valentes designare, solius catholicæ fidem sequendam esse meritò statuent. — Tenentur acquiescere 2°, quia non probant crimina Ecclesiæ catholicæ objecta, uti constat ex parte secundâ. (Vide S. Augustinum, Opusc. brev. collat. 3 diei, cap. 3.) Debent igitur fateri permanendum esse in unione Ecclesiæ catholicæ, ejusque definitiones amplectendas. — Tenentur acquiescere 3°, quia agnoscunt Scripturam. Nam si Catholicorum auctoritate commoti Scripturas amplectimur, æquum est ut interpretationem Scripturæ apud eosdem quæramus, cùm Ecclesia catholica utrumque æqualiter habeat à Christo. Ità S. Augustinus, de Util. cred. cap. 14. Quòd si hoc fateantur Protestantes, nullius concilii catholici determinationi facilè obloquentur. — Tenentur acquiescere 4°, quia Catholici satisfaciunt suo principio. Cùm enim totâ parte secundâ supposuerimus Protestantium principia, ex quibus tamen, ne quidem pro uno articulo controverso potuerunt concludere, conveniens est ut catholico principio similiter supposito, eas probationes audiant, quibus nullo modo possunt contradicere. Quod cùm *fateri* debeant Protestantes, necesse est ut Ecclesiæ catholicæ determinationibus et observationibus acquiescant.

Probatio secunda. Desumitur ex S. Scripturâ, incipiendo scilicet ab iis quæstionibus, quæ expressis et manifestis S. Scripturæ testimoniis nituntur, ut aberrans populus ea legere possit. S. Augustinus, de Unit. Eccl. cap. 5 : « Hoc enim prædico atque propono, ut « quæque aperta et manifesta deligamus. » Item : « Sed « et illa interìm seponenda sunt, quæ obscurè sunt « posita. » Verba enim Scripturæ in sensu communi et obvio intelligenda sunt, nisi aliundè sufficiens ratio detur, cur à proprio et litterali sensu sit recedendum. — Postquàm igitur Catholicus textum aliquem S. Scripturæ adduxerit, in quo hoc legitur, quod docent Catholici, *fateri* debent Protestantes doctrinam Catholicam probari expressis S. Scripturæ terminis. Deindè alia sunt adducenda S. Scripturæ loca, quibus eadem quæstio probatur, et post singula dicendum, *fateantur*, etc. Tandem alii sunt producendi pro duabus aut tribus controversiis principalioribus, et æqualis exigenda confessio. — His factis, monendi sunt auditores de insufficientiâ probationum adversæ partis, et simul de efficaciâ probationis catholicæ. Errantes præcipuè sunt instruendi in materiâ de Ecclesiâ, ex quâ omnes omninò quæstiones resolvuntur. (Vide S. Augustinum, *de Unit. Eccl. cap.* 22.)

Probatio tertia, ex SS. Patribus S. Scripturam explicantibus. Nam communis SS. Patrum consensus in exponendis Scripturis divinis, sufficiens probatio et testimonium est ejus, quod in primitivâ Ecclesiâ fuit creditum, atque adeò ad desumendum articulum fidei, Protestantibus etiam debet sufficere, quia cujuscumque judicio prudentis, SS. Patrum consentiens Scripturarum explicatio præferenda est particularibus Protestantium explicationibus. *Fateantur* ergò Protestantes doctrinam catholicam probari terminis expressis SS. Patrum Scripturam explicantium. — Tenentur autem Protestantes acquiescere, 1°, quia SS. Patres Scriptu-

ras tractârunt cum ingenti gloriâ. Sic S. August. contrà Julian. lib. 2, cap. 1 : « Sententiis episcoporum, « qui Scripturas sanctas ingenti gloriâ tractaverunt, « tua, Juliane, Domino adjuvante, machinamenta sub« vertam. » Et cap. 4 : « Ità (hunc locum) intellexit « Ambrosius, ità Cyprianus, ità Gregorius, ut de aliis « interim taceam simili præditis auctoritate doctori« bus. » — Tenentur acquiescere 2°, quia, teste S. Augustino, ibid., cap. 9, SS. Patres per Scripturas defenderunt et probârunt fidem catholicam, quibus, tanquàm doctoribus, episcopis, et circà exorientes fidei quæstiones, ex doctrinâ S. Augustini, ibid. cap. 10, judicibus, et ex sensu Ecclesiæ loquentibus, obediendum est.

Probatio quarta, ex SS. Patribus Scripturam non explicantibus. Probationis hoc genus nobis sufficit ad articulum fidei, quia continet praxim universalis Ecclesiæ quam credimus infallibilem. Debet etiam sufficere Protestantibus, quoad articulos necessarios, quod idcircò primo loco examinare fas est. Cùm enim dicant universalem primorum seculorum Ecclesiam in necessariis non errâsse, nequeunt SS. Patrum consona testimonia rejicere. Hoc ipsum fateantur.

Generales notiones circà usum SS. Patrum. — Prima: Quandò adduximus aliquem ex SS. Patribus locum, sive S. Scripturam explicantem, sive non, qui haud incertis et ambiguis, sed claris et manifestis verbis doctrinam proponit catholicam, urgendus est adversarius, ut *fateatur;* vel ipsi dicendum : *Da parem, et acquiescimus.* — Secunda : Non alia sunt producenda loca, quàm clara et manifesta, quæque terminis expressis illud doceant, quod est in quæstione. Ità fecit S. August., lib. 2 contrà Julian., cap. 5. Servit hoc incapacitati auditorum, et præsciuditur adversæ parti occasio cavillandi. — Tertia : Ob dictam rationem consultum est in conferentiâ, unum solum Patrem producere loquentem, antequàm ad alios veniatur. Sic dicit S. Augustinus, ibid. cap. 10 : « Nolo esse plures, » etc.; et anteà, lib. 1, cap. 3 : « Ponam pauca paucorum, qui« bus tamen nostri contradictores cogantur erubescere « et cedere. » Ad unumquemque locum exigenda confessio Protestantium, vel dicendum : *Da parem.* — Quarta : Non sunt alleganda loca SS. Patrum nisi pro articulis necessariis, ipsisque fidei fundamentis. Ità S. Augustinus, ibid. lib. 1, cap. 6 : « Hoc autem, undè « nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. » Nam de reliquis facilior debet esse modus. — Quinta : Consensus SS. Patrum considerari potest, vel quatenùs est virorum doctorum et sanctorum, qui facit ut eorum sententias Protestantium opinionibus præferamus, vel quatenùs proponit sententiam primitivæ Ecclesiæ; et is sufficit ad probandum articulum fidei, quia ejus est Ecclesiæ, quam in articulis ad salutem necessariis à veritate non defecisse inter nos et Protestantes convenit. Hinc S. Augustinus, cont. Julian. lib. 2, cap. 10 : « Quod invenerunt (SS. Patres) in « Ecclesiâ, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; « quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. » Cui accedit quòd cùm nondùm ageretur lis nostra, sententia tamen pro nobis fuit pronuntiata, quod et notat S. Augustinus, asserens priores Patres decidisse posteriores controversias, tempore S. Augustini ortas. — Sexta : Quòd si contingat, uti sæpè evenit, SS. Patres in explicatione Scripturæ non convenire, illud non obstat quominùs verum sit, nos in doctrinâ catholicâ SS. Patrum consentientes S. Scripturæ explicationes sequi. Ratio est quia non est necesse ad probandum aliquod dogma fidei, ut omnes, vel plures Patres in explicatione ejusdem loci particularis conveniant; sed sufficit, si in tali primitivæ Ecclesiæ dogmate consentientes, unanimiter judicent illud fundari in Scripturis, licèt idem dogma nunc ex uno, nunc variis S. Scripturæ locis deducant. Videatur S. August., contr. Julian. lib. 1, cap. 6. — Neque enim Ecclesia solet determinare aliquod dogma fundari in hoc, vel illo particulari loco Scripturæ; sed videns unanimem SS. Patrum in tali dogmate, per varia licèt Scripturæ loca explicato, consensum, ipsum dogma tenendum decernit, quia fundatur in Scripturis. Quòd si Protestantibus hæc ratio non satisfaciat, nullo modo poterunt tenere aliquod dogma tanquàm fidei, quod, post dissentientes partis suæ interpretes, ex Scripturis divinis eruere conantur, cùm ipsi doceant unicum esse Scripturæ certum et determinatum sensum. Quantò igitur meliùs Ecclesia catholica non rejicit SS. Patrum Scripturam explicantium diversimodè sententias, quoniam nihil impedit quominùs, secundùm S. Augustinum, lib. 12 Confess., cap. 25 et 31, ex eodem Scripturæ loco diversæ et verissimæ possint erui sententiæ, etiam à Spiritu sancto intentæ! — Septima : Catholici non docent quòd dicta SS. Patrum Scripturam explicantium, evidenter vel legitimè sequantur ex iis Scripturæ locis quæ interpretantur; sicut etiam Ecclesia catholica nunquàm docuit, ideò aliquod dogma ab omnibus esse credendum, quia per bonam, firmam, aut etiam evidentem consequentiam ex aliquo loco S. Scripturæ deducitur; non enim habemus fidem Peripateticam, sed sufficit nos aliquod dogma tenere, quod per Apostolos ipsorum successoribus, et indè SS. Patribus traditum ab Ecclesiâ nobis credendum proponitur; idque eò firmiùs, quia vidimus Protestantes consequentiis suis in diversa rapi, nec unum solùm articulum controversum probare posse. — Octava : SS. Patres judicare de exorientibus fidei controversiis, constans est S. Augustini et antiquitatis sententia; erant enim episcopi, doctores et rectores Ecclesiæ Dei, lib. 3 contr. Julian., cap. 10, de Unit. Eccl. cap. 2, et contr. Julian., lib. 6, cap. 11.

Conclusio. — Meminerit lector omnes probationes catholicas procedere per terminos expressos ejus, quod allegatur in probationem; adeòque dicimus catholicum sufficienter probaturum fidem catholicam, non debere uti suis interpretationibus et consequentiis. Ratio est quia tàm nostræ quàm Protestantium particulares consequentiæ patiuntur plerumque novem defectus suprà enumeratos. Et quamvis bonum atque utile sit iis, tàm ex Scripturâ, quàm ex SS. Patribus deductis, uti in concionibus et scholasticis exercitationibus, ubi tamen cum Protestantibus de fide agitur,

populus eas vix capit, obscuratur victoria, adversariorum confusio sub iis delitescit, et quæstionem fidei moderatur inanis aut insufficiens philosophia. Adeòque nullatenùs consultum est ut iis primo loco utamur. Insistendum ergò verbis claris et manifestis, sive ex Scripturâ productis, sive ex SS. Patribus, juxtà sensum Ecclesiæ sui temporis loquentibus. Hinc S. Augustinus, contr. Julian. lib. 1, cap. 4 : « Introduxi te « sedandum, atque sanandum, non in alicujus philoso« phi auditorium, sed in SS. Patrum pacificum atque « honorandum conventum. » Quocircà Protestantibus tot tantisque ponderibus auctoritatum superatis, necnon veritate patefactâ et undequaquè legitimè firmatâ, tunc conveniens erit, ad tollendas minores difficultates, ad illustrationem necessariorum, ad efficaciùs persuadendum, consequentias adhibere. Finis enim disputationis non debet esse commendatio scientiæ nostræ, aut ingenii nostri ostentatio, sed patefactio veritatis fidei, animarum conversio, incrementum Ecclesiæ, et honor Christi ac Dei, cui gloria in secula seculorum.

TRACTATUS TERTIUS.

DE ARTICULIS NECESSARIIS.

Sectio i. — *De Articulis necessariis in genere.*

Articulus fidei et morum necessarius dicitur, sine quo credito vel facto, et justitia in hâc vitâ, et salus æterna in futurâ vitâ, tanquàm finis hominis obtineri nequit.

Articuli necessarii necessitate medii dicuntur, sine quibus creditis, vel factis, nullus hominum absolutè, secundùm legem Dei ordinariam, salvari potest. Ratio est quia Deus ea statuit tanquàm media, sine quibus justitia et vita æterna non obtinetur. Et tales articuli sunt simpliciter necessarii, magis quàm ii, qui tantùm sunt necessarii ex necessitate præcepti, v. g., virtualis saltem pœnitentia est necessaria ad remissionem peccati.

Articuli necessarii necessitate præcepti dicuntur, qui ex præcepto divino credi quidem debent, sed sine quibus aliqui absolutè salvari possunt, habitis scilicet necessariis necessitate medii, et si reliqua invincibiliter ignorentur; et tales articuli sunt, qui concernunt Sacramenta.

Tandem omnes omninò articuli ità sunt omnibus et singulis necessarii, ut cognitâ propositione universalis Ecclesiæ, nullus sine præjudicio salutis contradicat. Imò positâ cognitione veritatis et erroris, si quis alteri assensum præbiturus est, necessarium est ad salutem veritati assentiri, non errori.

Sectio ii. — *Agendum de necessariis ex necessitate præcepti.*

Tractandum de articulis omnibus et singulis necessariis, vel necessitate medii, vel necessitate præcepti. Nec enim putamus necesse ut hæc duo separemus, cùm inter Christianos (ubi sufficienter et abundanter promulgatum est Evangelium Christi) nullus sit, qui non teneatur credere omnes articulos necessarios, quos Deus præcepit credi. — Quidquid tandem statuendum sit de eâ quæstione, an fortè inter Christianos sint aliqui, qui, ob invincibilem ignorantiam, à nonnullis ex præcepto divino credendis possint excusari, et iis non creditis, salutem obtinere? Quidquid etiam sit de iis quæstionibus, quæ versantur circà solos articulos necessarios necessitate medii, in quibus agitur plerùmque ex piâ sententiâ de divinâ bonitate ejusque misericordiâ.

Sectio iii. — *Protestantes non posse determinare articulos necessarios ex solâ S. Scripturâ.*

Ponimus, tanquàm rem, quæ de facili evincitur : *Ex solâ Scripturâ sufficienter haberi non posse, quinam sint articuli omnibus et singulis necessarii.* — Nam Protestantes volunt, 1° singulos Christianos posse errare in fidei essentialibus. 2° Etiam concilia generalia errare posse in fidei essentialibus. — Deindè volunt solam rationem cognoscendi et amplectendi fidem veram, consistere in examine sacrorum Bibliorum, post invocationem Spiritûs sancti. — Hinc sequitur 1° unumquemque Protestantem, invocato Spiritu sancto, debere determinare quinam sint libri canonici; 2° unumquemque Protestantem debere legere, vel audire legi tota Biblia, imò perlustrare diversas versiones, quo, Spiritu S. invocato, discernat quænam versio sit conformis originali textui, ab ipsis auctoribus canonicis conscripto; licèt interim certò sciat originalem textum sibi nunquàm exhibendum; 3° omnes illos Protestantes, qui (consulto Spiritu sancto) non certissimè et indubitatò dijudicant de libris canonicis, non habere veram fidem, nec posse esse participes regni cœlorum. Jam consideret unusquisque Protestantium, coràm Deo judice, an unquàm ei obligationi conatus sit satisfacere, et an sibi persuadeat se tàm certò isti obligationi posse satisfacere, ut indè velit salutem suam æternam, vel damnationem æternam dependere. Si hoc nec præstitit, nec præstare potest, frustrà dixerit articulos necessarios ex solâ S. Scripturâ sufficienter haberi posse. — Unusquisque Protestantium tenetur, invocato Spiritu sancto, dijudicare ex S. Scripturâ quinam sint articuli necessarii. Atque hinc sequitur, omnes illos, qui non certissimè et indubitanter statuunt hos esse articulos necessarios, carere fide divinâ, nec posse esse participes regni cœlorum. Quomodò autem singuli Protestantes isti obligationi satisfacient? — Nam usque in hoc tempus Protestantes legerunt S.

Scripturam diligenter, nec tamen invenerunt catalogum articulorum necessariorum, qui sufficienter, ex solâ S. Scripturâ, sub illâ qualitate probentur. — In statuendis articulis necessariis, nec Lutherani cum Lutheranis, nec Reformati cum reformatis conveniunt. — Nullum concilium, nullus ex sanctis Patribus, nullus pontifex, nullus doctor catholicus unquàm docuit, ex solâ S. Scripturâ sufficienter doceri quinam sint articuli necessarii.

Sectio iv. — *Protestantes absurdè determinare, quorum respectu necessaria in S. Bibliis sint clara.*

Dicunt nobis Protestantes quâ ratione certâ et infallibili inveniuntur articuli necessarii. Respondent Remonstrantes : « Ea tantùm ad salutem scitu ac creditu « esse necessaria, quæ vel in claris apertisque Scri- « pturarum verbis, vel per apertam et sole clariorem « consequentiam necessaria esse cuivis mentis tantùm « suæ compoti constare potest. » Episcopius : « Cùm « Evangelium attentè à quoquam legitur vel auditur, « posse tùm absque ullo supernaturali lumine percipi « sensum omnium, quæ scitu, creditu, factu, speratu « necessaria in Evangelio proponuntur. » Et è Lutheranis Calixtus : « Quæ ad salutem necessaria sunt, in- « veniuntur in sacrarum litterarum locis perspicuis et « apertis, de quorum sensu nemo, qui verba intelligit, « ambigere potest. »

At contrà 1°, undè probatur hæc regula ? Nullus allegatur textus in negotio tanti momenti. — Contrà 2°, an vultis ut in verbo vestro hanc regulam admittamus, qui vos ipsos errori obnoxios esse non diffitemini? Haud expedit. — Contrà 3°, si tantùm requiratur judicium naturale, ut cognoscamus in Scripturâ articulos necessarios, eorumdemque necessitatem, quomodò non verum est, quod vobis objiciunt Reformati ? Sic nihil fore necessarium ex omnibus articulis, unquàm in controversiam vocatis, vel vocandis. Qui enim eos in controversiam vocant, videntur sibi mentis suæ compotes. — Neque vobis licet dicere, eos, qui errant in necessariis, esse passionibus præoccupatos, quia tantumdem de vobis dicent. Et quis judicabit, vosne, an illi, sitis mentis compotes, an impotes? Contrà 4°, si articuli necessarii sint tam clarè in S. Scripturâ, undè ne quidem inter vos ipsos quidquam certi de iis habetis? An etiam inter vos sunt, qui oculos claudunt, ne solem videant? — Reformati, ut hanc Scyllam Libertinismi evadant, incidunt in Charybdin spiritûs privati, docentes omnia necessaria esse quidem clarè, et evidenter in Scripturâ, sed eam evidentiam non omnibus quidem absolutè, qui mentis suæ compotes sunt, verùm omnibus *regenitis* esse conspicuam.

At contrà 1°, quibus id nititur S. Scripturæ testimoniis? Nam si inter vos ipsos, in statuendis articulis fidei necessariis, non est eadem sententia, quomodò credemus eos articulos vobis (qui regeniti esse vultis) esse evidentes? manifesta S. Scripturæ testimonia in hanc rem non habetis. — Contrà 2°, quinam sunt illi regeniti? Scitis quid Remonstrantes vobis objiciant. (Vide Tract. de Articulis necess., cap. 5. — Contrà 3°, si requiratur status regenerationis, ut quis per S. Scripturam intelligat quinam sint articuli necessarii, ergò oportet esse fidelem, antequàm aliquis per S. Scripturam intelligat quinam sint articuli necessarii. Ratio est, quia nullus regeneratur, nisi fiat fidelis. Ergò dantur fideles et regeniti, qui necdùm sciunt per Scripturam quinam sint articuli necessarii ; ergò dantur fideles et regeniti, qui non credunt articulos necessarios. Hoc, quàm absurdum sit, ipsi perspicitis.—Hactenùs spectavimus Cadmeam prolem, domesticâ digladiatione se invicem conficientem. Victoria manet apud Ecclesiam catholicam, à quâ Arminiani Reformatos, et hi illos immeritò recessisse convincunt. Pars utraque oppugnat adversam , et dùm utraque cadit, Ecclesia catholica à suis adversariis liberatur. — Undè dicimus, exemplo S. Hilarii, lib. 7 de Trin., col. 89 : « Hæretici igitur omnes contrà « Ecclesiam veniunt; sed dùm hæretici omnes se in- « vicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria « enim eorum Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, « dùm in eo hæresis contrà alteram pugnat, quod in « hæresi alterâ Ecclesiæ fides condemnat. »

Sectio v. — *Fundamenta Protestantium 1° tollere disciplinam ecclesiasticam.*

Docent è Protestantibus multi disciplinam ecclesiasticam rectè administratam, esse notam veræ Ecclesiæ. Undè illud est consequens : Si quæ sit Ecclesia, cujus publica doctrina tollit disciplinam ecclesiasticam, non posse eam censeri veram Ecclesiam, cùm indè ab initio judicatum fuerit Ecclesiam subsistere non posse sine disciplinâ. — Atqui Ecclesiæ Protestantium manifestissimè tollunt omnem disciplinam ecclesiasticam per sua principia et fundamenta : Docent quippè : « Unicuique licere quorumcumque hominum, « etiam conciliorum generalium expendere doctrinam, « et dijudicare verane, an falsa sit, quæ proponitur. » Et hoc quidem necessariò docent, quamdiù statuunt doctores Ecclesiæ, imò et concilia generalia errori obnoxia.

Si liceat unicuique dissentire à decretis quorumcumque hominum, « ergò nulla Ecclesia habet potestatem docendi, per quam alii Christiani teneantur « credere in materiâ fidei et morum. » Nec enim tenetur absolutè decretis Ecclesiæ acquiescere, qui tenetur decretis Ecclesiæ non acquiescere, si, examinatâ sacrâ Scripturâ, judicet eam errare. — Si nulla Ecclesia talem habet potestatem, « subjicitur Ecclesia maximis « turbis ab unoquoque excitandis, qui audebit jactare « Ecclesiæ decretis esse obsistendum. » Adeòque nullus erit ordo, quem unicuique licet impunè turbare.

An adhuc mirantur Protestantes, si tot sectæ inter ipsos fuerint exortæ, et etiamnùm exoriantur? Ità comparata sunt eorum fundamenta et principia, ut aliter fieri non possit; et magis mirandum foret, si id non contingeret.

Sectio vi. — *Fundamenta Protestantium 2° absolvere omnes schismaticos.*

Si verum est, quod docent Protestantes, « unicuique

« licitum esse dissensum à decretis Ecclesiæ; licitum « esse, imò necessarium ab Ecclesiâ discessum, ubi « quis judicat Ecclesiam errare in articulo necessario, « quem tamen errorem debeat amplecti manens in « ejus unitate; » quis poterit unquàm declarari schismaticus? — Ponamus Lutheranum, vel Reformatum, qui labatur in errorem Socini, et existimet Christum Jesum non esse Deum ab æterno; nec paucos habeat adhærentes. Producantur termini expressi S. Scripturæ, vel etiam firma ex Scripturis deducta consequentia, undè probetur divinitas Christi Jesu. — Opponetur ex adverso terminos expressos non id importare necessariò, quod est probandum, ut qui diversis locis similiter positi, aliud significent, adducentur variæ præsumptiones, necessitatem probationis impugnantes. Et quoad absolutam articuli necessitatem, haud minores exurgent difficultates. — Quid hìc facient sive Lutherani, sive Reformati! Ille Socini errore imbutus sanctè declarabit, se debitè invocâsse Spiritum sanctum, se omni diligentiâ evolvisse Scripturas, nec tamen posse credere Jesum Christum esse Deum ab æterno. Ulteriùs dicet se non posse permanere in communione sive Lutheranorum, sive Reformatorum, ubi obtruditur articulus de Jesu Christi divinitate ab æterno, tanquàm necessarius : præterquàm quòd sibi non liceat per conscientiam in illorum communione persistere, quos judicat adorare falsum Deum. Addet se propterea cogi, quia cum suis habeat privatas conventiones ecclesiasticas, in quibus unum Deum, juxtà Scripturas, et dictamen propriæ conscientiæ, purè colat. — Quæritur quid eo casu factura sit Ecclesia Protestantium, sive Lutheranorum, sive Reformatorum? Nonne declarabit ejusmodi hominem tùm hæreticum, tùm schismaticum? Hæreticum, ut qui pertinaciter defendat errorem in re gravissimâ? Schismaticum ut qui privata instituat conventicula? Et tamen nihil agit, nisi ex præscripto Ecclesiæ Protestantium. Nam invocato debitè Spiritu sancto, juxtà Scripturas determinat, ex facultate sibi à vobis concessâ, quinam sint articuli necessarii, et à necessariis excludit articulum de divinitate Christi ab æterno. Audit vos contrarium asserentes, et varias probationes adducentes; sed expendens eas probationes juxtà Scripturas, et debitè invocato Spiritu sancto, judicat eas non subsistere pro veritate, nedùm pro necessitate ejus articuli probandâ. Ideòque ex facultate sibi per vos competente determinat Ecclesias vestras, earumdemque concilia errare in articulo religionis essentiali, fundamentali, et necessario. Quomodò igitur fieri potest ut talis, qui leges fundamentales Ecclesiarum vestrarum observat, possit declarari hæreticus, vel schismaticus? Agit ipse, quod docetis licitum; quì fieri potest, ut sit hæreticus? Agit idem, quod ipsi jubetis; quì fieri potest, ut sit schismaticus?

Sectio vii. — *Præcipuos Protestantium 3°, vergere ad libertatem credendi.*

Dixit olìm Apelles apud Eusebium, lib. 5, cap. 13, « Non rationem fidei omninò quærere oportere; sed « quemque in eâ fide perstare debere, quam professus « fuisset. Eos enim qui in Christum crucifixum spem « conjecissent, salvos fore, dummodò in bonis operi« bus sedulò versari reperirentur. » Hanc perversissimam sententiam necesse est ut omnes illi ex Protestantibus sequantur, qui salvis diversarum Ecclesiarum sententiis repugnantibus, iniquam pacem et dissonantem unitatem constitutam volunt; inter quos agmen ducit Marcus Antonius de Dominis, olìm archiepiscopus Spalatensis. — Fatemur, si fundamenta Protestantium sunt admittenda, Marcum Antonium non tantùm rectè sentire, sed omnes illos peccare adversùs sensum communem, qui ejus placitis obstrepunt. Quicumque enim docent articulos necessarios ex S. Scripturâ, pro privatâ cujusque persuasione determinandos, et Ecclesiam posse errare in fidei essentialibus, nequeunt ejus sententiam per rectam rationem improbare. Atque indè factum est, ut præcipui Protestantium ejus arbitrio, vel in totum, vel pro parte, subscriberent. — Sed non videntur advertisse isti viri (cæteroquin non indocti) absolutam credendi quidlibet libertatem, fundamentis Protestantium æquè cohærere, ac projectam inter Protestantes, sive etiam alios, pacem.

Statuamus Anabaptistam non credentem, *Christum Jesum accepisse suam carnem à beatâ Virgine Mariâ.* Petimus an hanc opinionem clariùs et manifestiùs possint ex S. Scripturis refellere Lutherani, quàm sententiam Reformatorum, negantium *realem præsentiam Christi in Eucharistiâ.* Petimus an Lutherani possint clariùs et manifestiùs ostendere ex Scripturis, talem Anabaptistam errare in articulo necessario, quàm id possit ostendi de Reformatis, in articulo realis præsentiæ Christi in Eucharistiâ? Loquimur autem de iis Lutheranis qui tenent Reformatos illud omne credere, quod est necessarium ad salutem; eosdemque Reformatos non subvertere fundamentales articulos fidei. — Similiter petimus à Reformatis, an istam Anabaptistæ opinionem apertiùs et evidentiùs possint ex S. Scripturis refellere, quàm sententiam Lutheranorum *de Ubiquitate?* Petimus an Reformati possint apertiùs et evidentiùs ostendere ex S. Scripturis, talem Anabaptistam errare in articulo necessario, quàm id possit ostendi de Lutheranis in articulo de Ubiquitate errantibus? — Si fateantur Lutherani et Reformati unum præ altero præstari non posse, dabitur de articulo in articulum progressus ad absolutam credendi libertatem. Sin autem existiment unum præ altero posse effici, experiantur vires suas, et invenient respondentes.

Sectio viii. — *Nullum esse modum 4° terminandi schismata Protestantium.*

Ex præcedentibus sequitur : *Nullum esse modum terminandi schismata Protestantium.* Neque enim habent normam, vel regulam aliquam certam, juxtà quam Protestantium schismata, cum aliquâ specie recti, possint terminari. — Si Lutheranis Ubiquitatem non tenentibus, licet communicare cum aliis Lutheranis Ubiquitatem docentibus; cur utrisque non liceat communicare cum Reformatis, realem præsen-

tiam Christi in Eucharistiâ negantibus? Undè docebunt Lutherani negationem realis præsentiæ Christi in Eucharistiâ continere errorem fundamentalem; doctrinam verò de Ubiquitate non continere errorem fundamentalem? Si licet Lutheranis communicare cum Reformatis, cur non liceat cum Arminianis? quo sufficiente fundamento excludentur Sociniani? quâ de causâ repudiabuntur Anabaptistæ, aliique plures? — Similis est ratio de Reformatis. Cur enim ipsis liceat communicare cum Lutheranis realem præsentiam Christi in Eucharistiâ confitentibus, Ubiquitatem docentibus, ut de aliis nunc taceamus, et non liceat communicare cum Arminianis, quos tamen repudiant? — Deindè, qui ex Lutheranis, vel Reformatis à sententiâ Ecclesiæ suæ dissentit, is vel tenetur à sententiâ suâ recedere, et sententiam Ecclesiæ amplecti, vel non tenetur. Si non teneatur sententiam suam dimittere, eamque quæ Ecclesiæ est, amplecti, iterùm petitur an teneatur in communione Ecclesiæ suæ permanere, posito quòd eam judicet errare in articulo necessario? Negabitis eum posse permanere. Verùm, si nullam inveniat Ecclesiam, nisi quam judicet errare in articulo necessario, rursùm quæritur an ei liceat instituere segregata conventicula ecclesiastica? Hìc, si affirmetis, tot habebitis juxtà doctrinam vestram schismata, quot invenientur privatâ persuasione judicantes non esse congregationem ecclesiasticam in necessariis non errantem. Sin autem negetis isti licere institutionem privatorum conventiculorum, jam ista negatio condemnabit separationem vestram ab unitate catholicâ. — Dicite itaque apertè an dissentientes à doctrinâ Ecclesiæ, vel Lutheranæ, vel Reformatæ, teneantur suam sententiam deponere, et doctrinam Ecclesiæ assumere, postquàm invocato Spiritu sancto judicant secundùm Scripturas, Ecclesiam errare in articulo necessario? Hìnc enim patebit nullum apud vos esse modum terminandi schismata, sed multò magis, ex principiis doctrinæ vestræ, universa schismata confirmari, novisque occasionem præberi.

SECTIO IX. — *Per principia Protestantium 5° non posse veniri ad veram Ecclesiam.*

Constat inter omnes, ut quis, in rebus fidei ignarus, perveniat ad veritatem christianam, unamque illam, in quâ salvetur, Ecclesiam, opus esse instructore. Ità enim dicit Conf. Wirtemb. de S. Script. : « Vera « sententia Scripturæ quærenda est in ipsâ Scripturâ, « et apud eos, qui divino Spiritu excitati Scripturam « per Scripturam interpretantur. » Conf. Helv. poster. : « Judiciis non nisi spiritualium hominum ex « verbo Dei petitis acquiescimus. »

Prodeat, quasi ignarus de fide ad præcipuos Protestantium in unum congregatos, vir aliquis salutis suæ cupidus, uti nonnulli antè annos aliquot contigit, ac declaret, se petere instructionem; se quidem de multis multa intellexisse, sed illa omnia in præsenti seponere; se quærere hominem divino Spiritu excitatum, qui Scripturam per Scripturam interpretetur, spiritualem, judicium suum ex Scripturâ petentem; exurgit Lutheranus, seque, divino præsente Spiritu, Scripturam per Scripturam interpretari profitetur. Respondet vir, salutis suæ cupidus, cum Tertulliano, de Præscrip. cap. 10 : « Sed et Apelles me hâc pro« nuntiatione pulsabit, et Hebeon et Simon. » Et Reformati, et Arminiani et Anabaptistæ, et quotquot hactenùs iisdem innituntur, aut similibus principiis, hi omnes cum Lutherano idem asserunt, se nimirùm, divino præeunte Spiritu, Scripturam per Scripturam interpretari.

Docete igitur cur *potiùs* vos, Lutherani, sitis audiendi, quàm Reformati, Arminiani, vel Anabaptistæ. Quidquid enim allegatis, ut vos audiamini, idem ab omnibus allegatur. Aut igitur omnes (paria allegantes) audiendi estis, aut è vobis nullus. Non omnes audiendi estis, quia Spiritus divinus non impellit vos, ut contraria doceatis. Ergò nullus vestrûm audiendus erit, donec dicatis cur præ aliis *potiùs* audiendi sint Lutherani. Hoc autem non potestis. « Ero itaque « nusquàm, dùm ubique convenior, » inquit Tertullianus, loco citato. — De Reformatis eadem est ratio. Volunt ipsi judiciis *non nisi spiritualium hominum, ex Verbo Dei petitis, nos acquiescere.* At quinam sunt illi homines spirituales? Vos enim docetis unumquemque Christianum errare posse in fidei fundamentalibus; concilia generalia errare posse in essentialibus fidei. Undè igitur sciam vos esse spirituales? Nam quod dicitis, vestra judicia esse ex verbo Dei petita, illud ipsum æqualiter ab omnibus ingeminatur, qui à vobis dissentientes, suas opiniones recipi volunt. Cur igitur vos *potiùs* audiamus præ omnibus aliis? Nulla profectò est ratio.

Quocircà qui juxtà principia Protestantium cupidus est veritatis revelatæ, necesse est ut quærat homines divino Spiritu excitatos, et verè spirituales. Undè oportet ut transeat omnia imperia, regiones, provincias et pagos; lustret omnes ædes, omnia castra, omnia tuguria; trajiciat omnia flumina, freta et maria; rimetur omnes silvas, omnia antra, omnes montes, omnia deserta; an fortè alicubi reconditos et delitescentes inveniat homines spirituales, qui edicant *cur præ cæteris aliis* mortalibus audiendi sint. Quid, quòd necesse erit omnes omnium antiquorum evolvere historias, omnes de religione examinare libros, ac videre an sexcenti hæresiarchæ jure condemnati sint; ut si fortè unus ex illis spiritualis sit, ei soli acquiescatur. Hoc si nolint Protestantes, dicant cur *potiùs* audiendi sint Reformati, quàm Lutherani, aliive? Illud verò cùm nequeant, dicemus nos omnes audire non posse, ac propterea nullam esse causam, cur ab uno ex omnibus incipiamus.

SECTIO X. — *Per principia Protestantium 6° universas Ecclesias, iis utentes, esse veras.*

Ex præcedentibus facilè desumitur, si vera sint Protestantium principia, universas Ecclesias iisdem principiis utentes, esse veras. Si enim utantur iisdem principiis, scrutabuntur Scripturas, atque ex iis tùm particulares, tùm synodi, et concilia determinabunt

articulos necessarios. Neque fieri poterit ut una Ecclesia condemnet alteram, iisdem principiis utentem, tanquàm errantem in articulo necessario; quia Ecclesia condemnata, eodem utens privilegio cum Ecclesiâ condemnante, meritò illud objiciet pervulgatum, *par in parem non habet imperium;* et sententia, à judice haud competente lata, non caret vitio nullitatis. — Deindè, si, exempli gratiâ, licet Lutheranis condemnare Anabaptistas, cur non liceat Anabaptistis condemnare Lutheranos? Utrinquè invocatur Spiritus sanctus; utrinque ex solis Scripturis (juxtà cujusque intellectum acceptis) determinantur credenda. Negant Anabaptistæ se judicio Lutheranorum subesse, sicut Lutherani negant se judicio Anabaptistarum subjici. Dicunt utrinque ex S. Scripturâ determinanda esse credenda, sed insuper dicunt unumquemque particularem, imò et totam Ecclesiam, posse fallere et falli in determinatione credendorum; nec quemquam teneri alterius judicio acquiescere, nisi in quantum existimat illud judicium convenire cum Scripturâ. — Quandò igitur Lutherani condemnant Anabaptistas, id limitandum est primò, quòd fateantur Lutherani se errare posse. Limitandum est secundò, quòd nullus teneatur ei judicio acquiescere, nisi in quantum existimat illud Scripturæ esse conforme. Cùm autem Anabaptistæ existiment judicium Lutheranorum, quo condemnantur, Scripturis contradicere, bonâ Lutheranorum pace, ei judicio non acquiescunt; moniti scilicet ab ipsis Lutheranis concilia Lutherana posse errare, neminemque teneri eorum decretis acquiescere, nisi in quantum cujusque conscientia juxtà Scripturas convincitur. Anabaptistis verò declarantibus suas conscientias non convinci juxtà Scripturas, irrita est Lutheranorum condemnatio, quæ, cessante conditione, caret effectu. Ita, juxtà principia Lutheranorum, Anabaptistæ habendi sunt pro non condemnatis; eorum Ecclesiæ habendæ sunt pro veris Ecclesiis. Et pari jure veræ erunt Ecclesiæ Reformatorum, Arminianorum, Socinianorum, aliorumque.— Hoc verò esse absurdissimum, omnes illas Ecclesias esse veras Ecclesias, abundè patet ex unitate Ecclesiæ in S. Scripturis commendatâ, ab antiquitate traditâ, ab ipsis Protestantibus agnitâ; patet ex horrendo schismatis malo, in S. Scripturis condemnato, ab antiquitate acerbissimè descripto, ab ipsis Protestantibus vituperato. Si enim omnes illæ Ecclesiæ, in articulis necessariis discordes, sint veræ Ecclesiæ, frustrà commendata erit unitas, frustrà condemnatum schisma.

SECTIO XI. — *Juxtà praxim Protestantium 7° universas Ecclesias, eâ utentes, esse falsas.*

Sequitur nunc ut ostendamus universas Ecclesias Protestantium, per praxim domesticam, censeri falsas. Hoc tantùm ponimus, tanquàm certissimum: *Unamquamque Protestantium Ecclesiam excommunicare et anathematizare universos à se dissentientes in articulis necessariis.* Illos enim existimant tantâ claritate et evidentiâ in Scripturis traditos, ut dissentientes securè excommunicent et anathematizent. — Neque hìc objiciant Protestantes suas condemnationes neminem ligare, nisi cujus conscientia juxtà Scripturas convincitur. Dicimus enim non ex vanis conjecturis, vos aliam habere doctrinam fundamentalem, aliam praxim. Juxtà doctrinam vestram fundamentalem, nemo tenetur cujuscumque condemnationi acquiescere, nisi cujus conscientia convincitur de justitiâ condemnationis. Et hâc doctrinâ indigebatis initio separationis vestræ ab Ecclesiâ catholicâ, ut sub specie conscientiæ non convictæ, divisionem vestram à priore unitate utcumque foveretis. Eâdem indigebatis doctrinâ, tùm ut incautum vulgus, tùm ut propriâ persuasione inflatos, sub prætextu libertatis conscientiæ, ad defectionem invitaretis. — Sed negotiis vestris nonnihil constitutis, longè aliud fuit in praxi vestrâ domesticâ, disciplinis ecclesiasticis comprehensa. Tunc enim solemni juramento adstricti sunt ministri Ecclesiæ ad tenendam tradendamque in Galliâ Confessionem Gallicam, et obediendum disciplinæ ecclesiasticæ; similiterque actum est in aliis locis. Juxtà eam disciplinam, si quis minister dissentit à confessione Ecclesiæ Reformatæ, populumque aliter docet, quàm juxtà præscriptum Confessionis, si monitus non desistat, amovetur, excommunicatur, declaratur schismaticus; quantùmvis provocet ad judicium S. Scripturæ, declaretque se per conscientiam non posse acquiescere Confessioni. Hæc nimirùm (ut hoc obiter dicatur) est illa libertas conscientiarum tantoperè deprædicata, quâ ab obedientiâ romanæ Ecclesiæ exempti tanquàm gravissimo servitutis iugo premamini, constricti nunc estis catenis tùm confessionis publicæ, tùm disciplinæ ecclesiasticæ.

Jam quæritur an talis minister, per synodum amotus, excommunicatus, declaratus schismaticus, teneatur acquiescere? Si non teneatur acquiescere, irrita erit vestra condemnatio, excommunicatio, amotio: quod tamen non præsumitur, quia non censetur judex irritam velle pronuntiare sententiam. Si autem teneatur acquiescere, ergò et primi prætensi reformatores, tanquàm subditi Ecclesiæ romano-catholicæ, tenebantur acquiescere, quandò per eamdem Ecclesiam amovebantur, excommunicabantur, declarabantur schismatici; ergò fieri non potuit ut non acquiescentes collegerint veras Ecclesias.— Eadem est ratio de Lutheranis, Arminianis, Anabaptistis, Socinianis, et quibusvis aliis simili praxi utentibus. Nam eo ipso, quòd tali praxi utantur, condemnant suam separationem ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ.

Sed Protestantium Ecclesiæ non tantùm excommunicant et anathematizant suarum Ecclesiarum membra et subditos, verùm etiam excommunicant et anathematizant Ecclesias à se dissentientes. Ità, præter alios complures, condemnantur Anabaptistæ, in Confessione Augustanâ, à Lutheranis. Illa condemnatio vel est irrita, vel valida. Non debet censeri irrita, quia judex non præsumitur irritam velle pronuntiare sententiam. Si est valida, quale judicium Lutherani assumunt de Anabaptistis, tale assumunt Anabaptistæ

de Lutheranis. Et quo jure Lutherani assumunt potestatem condemnandi Anabaptistas, eodem jure assumunt Anabaptistæ potestatem condemnandi Lutheranos. Erit igitur Anabaptistarum, Lutheranos condemnantium, sententia valida, si Lutheranorum, Anabaptistas condemnantium, sententia est valida; utrinque autem illud referent, ut mutuis judiciis exeant condemnati. Nam si Lutherani pro suâ condemnatione proferant Scripturas, prout ipsi eas intelligunt, invocato Spiritu sancto, tantumdem facient Anabaptistæ. Ità Protestantium Ecclesiarum mutuæ condemnationes ostendunt omnes esse falsas.

Sectio xii. — *Romanam Ecclesiam 8° esse veram, juxtà prima Protestantium fundamenta.*

Per romanam Ecclesiam, eam intelligimus, quæ communicat in fide cum episcopo romano, quæque communiter vocatur Catholica.

Prima Protestantium fundamenta vocamus : « Quod « unusquisque possit et teneatur, invocato Spiritu San« cto, determinare credenda ex S. Bibliis. » Similiter : « Quòd nullus teneatur alterius cujuscumque judicio « acquiescere nisi in quantum statuit illud judicium « esse conforme S. Bibliis. » — Atqui romana Ecclesia invocato Spiritu sancto, determinat credenda ex S. Bibliis, non secundùm privatam cujusque persuasionem, nulli fundamento innixam, plurima secum incommoda adferentem ; sed secundùm unanimem, stabilem testatissimumque consensum, indè ab initio, divinâ indubiè dirigente Providentiâ, saluberrimè conservatum. Universi fideles, communicantes in fide cum episcopo romano, judicant invocato Spiritu sancto, illa esse credenda juxtà Scripturas, quæ ab universali Ecclesiâ proponuntur. Hoc igitur facit Ecclesia romana, quod per principia Protestantium potest facere, et quod tenetur facere. Ecclesia ergò romana, juxtà prima Protestantium fundamenta, est vera Ecclesia. — Neque hìc dicant Protestantes Ecclesiam romanam errare in essentialibus fidei, seu necessariò credendis ; quia ipsis monentibus, Ecclesia romana non tenetur Protestantium judicio acquiescere, nisi in quantum statuit illud judicium esse conforme S. Bibliis. Atqui Ecclesia romana statuit judicium illud Protestantium non esse conforme S. Bibliis. Ergò non obstante illo Protestantium judicio, Ecclesia romana non tenetur Protestantium judicio acquiescere, manetque vera Ecclesia illud faciens quod per principia Protestantium potest facere, et tenetur facere. Similiter non dicant Ecclesiam romanam non debitè invocare Spiritum sanctum, et mente præoccupatâ ad indaginem veritatis accedere. Respondebit enim Ecclesia romana, cum S. Cypriano de Unit. Eccl., p. 258, multò magis omnes illos qui in divisione et schismate sunt, « precem alteram illi« citis vocibus facere, Dominicæ hostiæ veritatem per « falsa sacrificia prophanare. » Respondebit Ecclesia romana cum S. Augustino lib. 2 contr. Epist. Parm., cap. 1 : « O stultissimam cæcitatem! quid tàm bonum « est et tàm jucundum, quàm habitare fratres in « unum? Quod illi nequam dicunt, et amarum ponunt, « qui se ab omnibus fratribus separârunt, dùm vanas « suspiciones suas, ne dicam factiosas calumnias, vel « non excitare, vel excitatas tollere noluerunt. » — Jam, Domini Protestantes, interpellamus ipsam vestram conscientiam, ut coràm Deo determinetis an Ecclesia Romana, juxtà prima Protestantium fundamenta, sit vera Ecclesia. Quomodò enim potest censeri falsa Ecclesia, quæ, invocato Spiritu sancto, credenda declarat ex S. Bibliis; quæque accusationes Protestantium, juxtà S. Biblia sedulò examinatas, judicat confictas et temerarias? Hoc si apud Protestantes non sufficit, ut aliqua Ecclesia debeat censeri vera, necesse est ut quid novi inveniant, undè probent romanam Ecclesiam esse falsam; quod tamen eâdem facilitate confutabitur, atque confingetur.

Hìnc sequitur omnes illas Ecclesias esse schismaticas, quæ non communicant in fide cum romano episcopo et Ecclesiâ cum eo communicante. Si enim hæc Ecclesia est vera, juxtà prima Protestantium fundamenta, omnes aliæ, ab ipsâ separatæ, laborabunt vitio schismatis, et erunt falsæ.

Sectio xiii. — *Ecclesiam Romanam 9° esse veram, juxtà praxim Protestantium.*

Praxis Protestantium habet, quòd eorum Ecclesiæ judicent de doctrinâ suorum subditorum, subditique teneantur isti judicio non obstrepere, tanquàm provenienti à verâ Ecclesiâ. Quantùmvis enim nonnulli subditi existimarent Ecclesiam suam juxtà Scripturas non procedere, volunt tamen Ecclesiæ publicum judicium obtinere præ nonnullorum privatis opinionibus. Quia scilicet Ecclesia uberiùs à Deo illustratur, quàm nonnulli privati. Undè jure meritissimo manutenenda defendendaque fit Ecclesiæ sententia; et contrarium tradentes, si necessitas eum rigorem postulet, excommunicandi et anathematizandi, donec resipiscant.— Hanc esse praxim Protestantium, disciplinis eorum ecclesiasticis conformem, non difficulter concedent Protestantes. Nosque ex eâ praxi non difficulter concludemus romanam Ecclesiam etiamnùm esse veram, cujus sententiæ non liceat Protestantibus obstrepere, nisi seipsos exponant justæ excommunicationi et anathematizationi.

Antè separationem Protestantium, Ecclesia romana judicabat de doctrinâ suorum subditorum, subditique tenebantur isti judicio non obstrepere, tanquàm venienti à verâ Ecclesiâ. Hanc potestatem fuisse penès Ecclesiam romanam, si eadem nunc sit penès Ecclesias Protestantium, nemo prudens negaverit. Contigit autem post annum millesimum quingentesimum, ut nonnulli subditi Ecclesiæ romanæ (Lutherus, Zwinglius, Carolstadius, Swenckfeldius, et alii) existimarent Ecclesiam romanam juxtà Scripturas non procedere, et aberrare à vero. Voluit Ecclesia romana publicum suum judicium obtinere, præ istorum privatis opinionibus; quia scilicet Ecclesia uberiùs à Deo illuminatur, certiùsque dirigitur, quàm illi privati. Undè jure meritissimo manutenenda, defendendaque erat Ecclesiæ sententia. Et quia contrarium sentientes per-

severabant in contradictione, juris ecclesiastici ordo postulabat, ut veniretur ad excommunicationem et anathema. — Si hic ordo procedendi erat legitimus, qui per praxim Protestantium illegitimus censeri non potest, necesse est illud judicium Ecclesiæ romanæ fuisse judicium Ecclesiæ veræ, cui primis illis Protestantibus non licebat obstrepere. — Si dicant Ecclesiæ romanæ non competiisse illud judicium de primis Protestantium, quia antecedenter desierat esse Ecclesia vera, recedens à præscripto divinarum Scripturarum, jam eo ipso enervant suam praxim et disciplinam ecclesiasticam. Petimus enim an minister Ecclesiæ, v. g., Reformatæ, obstrepens publicis Ecclesiæ suæ Confessionibus, clamansque eas esse erroneas in articulis necessariis, si monitus non desistat, et propterea excommunicetur atque anathematizetur; an talis minister rectè dicturus sit non competere illud judicium Ecclesiæ reformatæ, eò quòd recesserit à præscripto Scripturarum, ac propterea inanem esse excommunicationem et anathematizationem? Non dicetis id rectè objici posse, si praxim vestram, si disciplinam ecclesiasticam vultis salvam. Quòd si illud vestris, adversùs propria principia procedentibus, objici nequeat, multò minùs objici potest Ecclesiæ romanæ suis fundamentis firmiter inhærenti. Si fas non est illud vestris Ecclesiis, tàm novis, tàm malè unitis objicere, iniquissimum erit illud idem opponere Ecclesiæ romanæ, antiquissimæ et unitissimæ. — Si rursùm dicatis tunc illud rectè per subditum opponi Ecclesiæ, quandò Ecclesia reverà errat in articulis necessariis; malè autem opponi, quandò Ecclesia non errat in necessariis; nec ità evadetis. Hoc enim quæritur, cujus sit judicare an Ecclesia, quæ per subditum arguitur, erret in necessariis; nùm Ecclesiæ, an subditi? Si sit subditi, jam periit vestra praxis, et disciplina ecclesiastica; et quotiescumque subditos vestros excommunicatis et anathematizatis, exercetis tyrannidem spiritualem in conscientias; quam tamen soletis adversùs Ecclesiam romanam rethoricis amplificationibus ad plausum populi exaggerare. Sin autem sit Ecclesiæ judicare adversùs suum subditum an ipsa erret in necessariis, tunc primi Protestantes immeritò objecerint Ecclesiæ errorem in necessariis, et optimo jure anathematizati atque excommunicati fuerint. Ità quidquid ad propositam quæstionem attigeritis, ulcus erit, vel tyrannidem vobis imponens respectu vestrorum subditorum, vel justam condemnationem ab Ecclesià romanà. Tyrannidem noletis vobis tribui. Superest igitur ut agnoscatis justam esse Ecclesiæ romanæ condemnationem, tanquàm à verà Ecclesià provenientem; cui et reconciliemini ad salutem, Deum precamur.

Sectio xiv. — *Romanam Ecclesiam esse veram* 10°, *juxtà Protestantium doctrinam de articulis necessariis.*

Non repetimus quomodò unaquæque Protestantium Ecclesia inter suas publicas doctrinas, inter suos doctores, nihil habeat certi, fixi immotique de articulis necessariis; id enim apertissimum esse res ipsa clamat. — Possemus ex hâc incertitudine necessariorum concludere fieri non posse, ut Ecclesiam romano-catholicam reputent falsam, quam, ceu errantem in necessariis, nequeant convincere; ideòque universos illos esse schismaticos qui, desertâ ejus unitate, segregatas erexerunt Ecclesias. — Sed venimus ad ipsos articulos necessarios, de quorum necessitate plures Protestantium conveniunt. Illi enim consistunt in Symbolo Apostolico, quoad credenda; in Decalogo, Sacramentis Baptismi et S. Eucharistiæ, ac Oratione Dominicâ, quoad facienda. Hæc autem omnia et singula recipit Ecclesia catholica. Nihil ergò illi deest ex necessariò credendis et tenendis, quominùs possit et debeat haberi vera Jesu Christi Ecclesia. — Neque hìc dicant Protestantes primò ad consensum in articulis necessariis eumdem sensum requiri; neque sufficere, si eadem teneantur verba. Respondetur enim Reformatos, v. g., non determinare unanimiter sensum immediatum unius solius articuli necessarii, quem non antè divisionem ipsorum receperit Ecclesia romano-catholica, si tamen excipias articulum *de Ecclesiâ Unâ*, Sanctâ Catholicâ et Apostolicâ, cujus unitatem infaustâ divisione reliquerunt. Et quomodò nobis unanimiter determinabunt Reformati sensum immediatum, *Descensûs Christi ad inferos*, quem Ecclesia romana non teneat? Nonne ipsi, circà eum articulum, quatuor diversas sententias habent domesticas? Et tamen iste articulus apud Reformatos annumeratur necessariis, quamvis Arminiani non ità pridem à necessariis eum eliminaverint. — Neque dicant Protestantes secundò, non sufficere, etiamsi Ecclesia romana crederet universos articulos necessarios; quia illa docet, undè per legitimam consequentiam subvertuntur articuli necessarii. Respondetur enim illam objectionem peccare in domesticam Reformatorum doctrinam, quandò tradunt Ecclesiæ tribuendum non esse quod ex ejus doctrinâ per consequentiam sequitur, ubi Ecclesia illam consequentiam negat; quasi ideò habenda sit falsa Ecclesia. Hoc enim docent Reformati, quandò fraternitatem Lutheranorum ambiunt, è quorum doctrinâ non pauca horrenda dogmata per consequentiam deducunt. Sed novum non est alios se præbere Reformatos domi, alios foris: alios in pace Lutheranorum tractandâ, alios in divisione suâ à matre catholicâ quoquo modo excusandâ.

Videtis, Domini Protestantes, si ad articulos necessarios pensandum est religionis negotium, nihil esse undè vestri magistri, etiam cum probabili fundamento, teneant Ecclesiam romanam non esse veram. Si enim Ecclesia romana, fatentibus idipsum Protestantibus, tenet, credit et profitetur universos et singulos articulos necessarios, quì fieri potest ut quis prudens rerum æstimator judicet in separatione et schismate (cujus immensum est malum) persistendum esse, et ab unitate catholicâ, tum saluberrimâ, ulteriùs abstinendum?

Sectio xv. — *Romanam Ecclesiam esse veram* 11° *ex comparatione errorum.*

Lubet nunc ex abundanti instituere comparationem

errorum, qui apud Protestantes habentur pro non fundamentalibus, ut etiam ex eo capite unicuique pateat nullo jure factam esse divisionem, romanamque Ecclesiam esse veram Jesu Christi Ecclesiam.

Statuunt Reformati diversitatem doctrinæ in non essentialibus, non scindere unitatem Ecclesiæ. Statuunt autem ejusmodi diversitatem. 1° Si quis assereret Christum præsentialiter descendisse ad inferos, ubi erant damnati; alii autem non, sed tantùm virtute et vi. 2° Animas non statim solutas à corpore evolare in cœlum, vivere tamen cum Domino; alii verò dicant statim evolare. 3° Animas non ex traduce esse, sed creari de novo; alii verò, quòd sint ex traduce. 4° Perpetuam Virginitatem B. Mariæ negare. 5° Realem præsentiam Christi sub symbolis Eucharisticis affirmare, vel negare. 6° Processionem Spiritûs sancti à Filio negare. 7° Negare, vel affirmare sententias Lutheranorum vel Reformatorum de Prædestinatione, Ubiquitate, aliisque capitibus inter illos controversis. 8° Affirmare Ecclesiam aliquo tempore post resurrectionem cum Christo mansuram. — Si hæc, et similia multa, sine præjudicio salutis, respectivè affirmentur et negentur, consideret lector an concessâ credendi et negandi libertate, ulla ratio esse possit, cùm Reformati putaverint à Catholicis esse recedendum. Quâ enim fronte dicent nos potiùs errare in articulis necessariis quàm istos, qui negant alias veritates fidei? Hoc autem cùm probari nequeat, nullo jure instituta est divisio; vera erit romana Ecclesia.

Interìm considerent Reformati illud S. Gregorii Nazianzeni, orat. 37 : « Nostræ ætatis sapientes, partìm « vim quamdam et facultatem ipsum Spiritum sanctum « existimarunt, partim creaturam, partim Deum, par« tìm utro potiùs nomine vocandus esset, minimè cer« tum et exploratum habuerunt, eâ, ut aiunt, ratione « ducti, quòd Scriptura neutrum horum planè apertè« que demonstrâsset. Ac proindè nec ipsum veneran« tur, nec contemnunt, sed medio quodam modo, vel « potiùs miserè perditèque ergà eum afficiuntur. » Numquid Reformati docent Christum Jesum in Eucharistiâ non manducari ore corporali? Numquid Lutheranos Reformati fratrum loco habent, qui credunt Christum Jesum in Eucharistiâ manducari ore corporali? Itaque minimè exploratum habent Reformati, quid de hoc negotio necessariò sit tenendum. Si enim sentirent Reformati sententiam suam apertis planisque testimoniis corroborari, impiè facerent, ambiendo Lutheranorum fraternitatem. Atque ideò eum articulum necessariis non annumerantes, et medio quodam modo se habentes, miserè erga Eucharistiam sunt affecti.

Sectio xvi. — *De necessitate verbi Dei non scripti, ad cognoscendos articulos necessarios.*

Catholicorum sententia est : *Citrà traditionem verbi Dei non scripti, et testimonium Ecclesiæ, sciri non posse quinam sint articuli necessarii.* — Probatur 1°. Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, non potest sufficienter sciri totam Scripturam esse divinam. Et tamen hoc ipsum juxtà Protestantes, antè omnia sciendum est, totam Scripturam esse divinam. — Probatur 2°. Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, nullus probare potest quinam articuli sint necessarii. Ergò nec sciri aliter possunt. — Probatur 3°. Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, nullus cognoscere potest verum sensum articulorum necessariorum. Ergò sine illis non possunt sciri, sicut oportet. — Probatur 4°. Sine traditione et testimonio Ecclesiæ, etsi articuli necessarii essent satis perspicuè in S. Scripturâ, nullus conservare potest verum sensum articulorum necessariorum; maximè si opponantur alia Scripturæ loca, quibus vera intelligentia manifestorum testimoniorum impugnatur. Dicit S. Scriptura de Christo : *Hic est verus Deus*, 1 *Joan.* 5, 20. Dicit Christus : *Hoc est corpus meum*, *Matth.* 26. Utrumque perspicuè satis; et tamen inveniuntur, qui perspicuitatem sensûs ordinarii impugnant, et veritatem oppositionibus obscurant.

Sectio xvii. — *Ecclesiam catholicam proponere omnia necessaria.*

Ex fide catholicâ certum est omnibus et singulis fidelibus proponi ab Ecclesiâ catholicâ, quidquid est necessarium ad salutem. — Patet ex praxi universalis Ecclesiæ : nec enim aliundè constare potest. Ecclesia proponit simplicibus catechismos ordinarios et semper tenuit iis comprehendi omnem doctrinam ad salutem necessariam; licèt pro varietate locorum illi catechismi plus minùsve contineant. — Est quidem solius Dei præcipere actus interiores; sed cùm Deus in genere præcipit actum fidei, non determinatâ totâ materiâ circà quam actus fidei ex præcepto debet versari, pendet ejus determinatio ab Ecclesiâ. Ità, existente mandato Dei de credendâ explicitè doctrinâ Evangelicâ, determinata est ab Apostolis materia credendorum ad Symbolum. Ità Ecclesia catholica præceptum de sumendâ Eucharistiâ determinavit ad sumptionem semel in anno faciendam. (Vide Suarem, de trip. virt. theol. disp. 14, sec. 4, n. 13, 14. Mærat, de Fid. etc., disp. 25, sect. 2, n. 5.)

Sectio xviii. — *Comparatio notitiæ Catholicorum et Protestantium circà articulos necessarios.*

Et ista quidem notitia, catechismo comprehensa, Catholicis sufficit qui tenent non tantùm in iis, quæ omnibus et singulis necessaria sunt, sed in omnibus omninò articulis acquiescendum esse verbo Dei per Ecclesiam proposito. Protestantes autem, qui docent Ecclesiæ unitatem non esse deserendam, propter errorem in articulis qui non sunt omnibus et singulis necessarii, necesse habent determinare quinam sint articuli necessarii, propter quos desciverunt ab unione Ecclesiæ catholicæ; et probare debent tùm necessitatem dictorum articulorum, tùm errorem Catholicorum. — Iidem Protestantes, qui docent errorem in articulis non necessariis non præjudicare saluti, quomodò scient quinam errores non præjudicent saluti, nisi determinatè cognoscant quinam sint articuli necessarii?

Manet igitur, Protestantes teneri ad determinandos

probandosque articulos omnibus et singulis necessarios, Catholicis autem sufficere, quod diximus.

SECTIO XIX. — *Catechismum Catholicis proponere omnia necessaria.*

Communis sententia Doctorum Catholicorum est articulos omnibus et singulis necessarios ex præcepto divino, comprehendi Symbolo apostolico quoad credenda; et quoad mores spe divinâ roborandos, præcepto orationis, et eosdem charitate divinâ illustrandos, præceptis Decalogi : demum fide eorum Sacramentorum, quibus unusquisque juxtà conditionem suam, debet uti. — Habet hæc sententia non exiguum fundamentum in ordinariis catechismis Ecclesiæ catholicæ, in quibus nihil prædictorum omitti solet. — Quantùm ad articulos fidei, etiam simplices debent credere verba, cum vero sensu, non quoad subtiliores et magis proprios conceptus, sed quoad substantiam. Rusticus, v. g., credit Patrem esse Deum, Filium esse Deum, Spiritum sanctum esse Deum; et tamen non credit tres Deos, sed unum Deum. Nec requiritur ut rusticus intelligat distinctionem naturæ à personalitate. Quantùm ad articulos morum, quandò praxis est necessaria, ipsa cognitio, quæ propter praxim est, est etiam necessaria; quia omnes debent benè vivere, et in necessitatibus pro auxilio, certis etiam temporibus pro gratiarum actione ad Deum se convertere. Ideò Decalogus et Oratio sunt omnibus necessaria. Sacramentorum cognitio est magis vel minùs necessaria, prout ipsa praxis est magis vel minùs necessaria. — In reliquis omnibus ignorantia non præjudicat saluti. Cùm verò sint plurima per Ecclesiam catholicam definita, nulli licet verbo Dei per Ecclesiam proposito reluctari, sine præjudicio salutis. Hoc autem negativum est, ideòque semper obligat *non contradicere.* Cognitâ propositione Ecclesiæ, si assensum præbiturus est aliquis, vel verbo Dei per Ecclesiam proposito, vel opposito errori, necesse est veritati adhærere. — Si tamen ob præconceptam opinionem, ipsique quasi naturæ à juventute insitam difficultatem, durum videretur hoc vel illud particulare (quod omnibus necessarium non est, et cujus fundamenta necdùm plenè intelliguntur) explicito assensu credere; sufficit animum ab omni dubitatione removere, et judicium suum generaliter submittere verbo Dei per Ecclesiam proposito. Nullum enim exstat præceptum, quo omnibus et singulis fidelibus injungitur, ea omnia explicitè, et speciali actu credere, quæ nôrunt per Ecclesiam Catholicam esse definita ac proposita. — Atque hìnc constat Protestantes errare, qui conqueruntur de Ecclesiâ catholicâ, quòd fideles multitudine credendorum oneravit; quia non præcipit Ecclesia expressam fidem, nisi in paucis articulis, licet optimo fundamento non permiserit cuilibet prurienti ingenio, pro libitu suo, circà res divinas delirare, unitatem scindere, et schisma introducere.

Diximus de iis, quæ sunt omnibus et singulis necessaria. Verùm parochi, et qui curam animarum habent, etiam debent scire explicationem articulorum necessariorum; et ubi subditis imminet periculum ab hæresi, insuper debent scire quomodò fides catholica defendatur contrà hæreticos, præter ea quæ muneris sui sunt. Vide P. Coninck. de act. supernat. disp. 14, dub. 10, n. 196 et 197.

SECTIO XX. — *Non omnes qui consentiunt in verbis Symboli, convenire in sensu Symboli.*

Rectè S. Augustinus de Fide et Symb. cap. 1 : « Fieri « potest ut aliquis perversus, integra teneat verba « Symboli, et tamen non rectè credat, sive de ipsâ « Trinitate, sive de resurrectione. » Item : « Sub « ipsis ergò paucis in Symbolo constitutis, plerùmque « hæretici venena sua occultare conati sunt. » Ità et S. Cyprianus, epist. 76 ad Magn : « Quòd si aliquis « illud opponit, ut dicat eamdem Novatianum legem « tenere, quam catholica Ecclesia teneat, eodem Sym« bolo, quo et nos, baptizare, etc., sciat, quisquis hoc « opponendum putat, primùm non esse nobis unam et « schismaticis Symboli legem, neque eamdem inter« rogationem. Nam cùm dicunt : Credis remissionem « peccatorum et vitam æternam per sanctam Eccle« siam? mentiuntur in interrogatione, quandò non « habent Ecclesiam. » Et S. Hieronymus advers. Lucifer. cap. 5 : « Cùm solemne sit in lavacro (Baptismi) « post Trinitatis confessionem interrogare : credis « Sanctam Ecclesiam? credis remissionem peccato« rum? quam Ecclesiam credidisse eum dicis? Aria« norum? sed non habent nostram; sed extrà hanc « baptizatus, non potuit eam credere quam nescivit. » Vanum igitur est, quod, post M. Ant. de Dominis, putat Georgius Calixtus, et alii cum ipso, posse concordiam inter Lutheranos et Catholicos statui per convenientiam in articulis necessariis. Si enim id intelligat de convenientiâ in solis vocibus, quid magis insipidum? Sin autem de articulis necessariis cum vero sensu, credant Lutherani articulos, qui apud Catholicos sunt necessarii, in sensu catholico; et nulla erit difficultas, sed pax summa. Vide Epiph. P. Erberm. cap. 1, § 11, cap. 2, n. 4, etc. Eilbracht. Epanorth. cap. 11 annotat. 5.

SECTIO XXI. — *De erroribus privantibus salute, juxtà S. Scripturam.*

Ecclesia catholica non patitur integritatem fidei violari, sive ablatione, sive additione. Fuit temporibus Apostolorum quidam Cerinthus resurrectionem negans mortuorum. Et quia Corinthiorum aliqui Cerintho adhærebant, scribit iis S. Paulus 1 Cor. 15, 10 : *Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodò quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Hæc doctrina Cerinthi contradicebat doctrinæ apostolicæ de resurrectione mortuorum : illud enim negabat quod Apostolus affirmabat. Similiter legitur 2 Tim. 2, 17, 18 : *Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes resurrectionem mortuorum jam esse factam.* Hi non negabant verum sensum articuli de resurrectione mortuorum; ut qui erat intelligendus de resurrectione futurâ. Inventi sunt alii temporibus Apostolorum, qui crederent circumcisionem à Christianis esse observandam; affirmantes

scilicet quod non erat affirmandum. Quid de illis statuat Apostolus, audiamus : *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, Galat. 5, 2. Ergonè Christianis, cæteroquin piis et fidelibus, nihil proderit Christus, si circumcidantur? Sententia apostolica est : nihil proderit. Æquale igitur crimen est, credere quod non est credendum, et non credere quod est credendum. Negantes subvertunt fidem; affirmantes salutem quærunt, ubi non est quærenda. Considerent Protestantes doctrinam apostolicam, et videant an determinatis pauculis necessariis, reliqua permiserint cujusque libertati, vel potiùs insaniæ.

Pergamus cum S. Paulo et audiamus, qui dicat : *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicitis, faciunt, et declinate ab illis*, Rom. 16, 17. Videmus manifestatam Ecclesiæ doctrinam in verbo, *didicitis*. Quid autem didicerant Romani, ad quos scribit Apostolus? An solos articulos fundamentales? Ubi distinctio necessariorum à non necessariis, ut his liceat sine præjudicio salutis contradicere? Si præter necessaria etiam alia didicerunt Romani, et Apostolus velit, ut ab omnibus illis declinent qui dissensiones et offendicula faciunt, præter doctrinam quam didicerunt; non erat unicuique liberum (ex sententiâ Apostoli) sub prætextu non necessariorum, vel conscientiæ de contrario persuasæ, à doctrinâ illâ, quam didicerant, recedere. Simili modo et alios monet Apostolus, 1 Cor. 1, 10 : *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ.* Quid autem dicunt Protestantes? Omnes rogant ut amplectantur articulos necessarios, quorum numerum in hanc usque diem ignorant, inter se divisi. Omnes rogant ut amplectantur sensum obvium articulorum necessarium, et in reliquis pro libertate, sub prætextu persuasæ conscientiæ, impunè delirent. Hoccine est apostolicum mandatum sequi, ut simus perfecti in eodem sensu et in eâdem sententiâ? Quantò saniùs idem Apostolus, Philip. 3, 16, : *Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sentiamus, in eâdem permaneamus regulâ. Imitatores meî estote, fratres; et observate eos qui ità ambulant, sicut habetis formam nostram.* Ecclesia Catholica, antè separationem Protestantium, ad hoc pervenerat, ut idem sentiret. Cur non maneat in eâdem regulâ? Cur non hortetur universos ut ipsam imitentur? Cur non observet eos qui non ambulant juxtà eamdem formam? Cur fidem adhibeat Protestantibus, ab eo quò pervenerant recedentibus? Cur fidem iisdem adhibeat, novam regulam, inauditam Ecclesiæ formam pro libitu fingentibus, et multiplicibus erroribus Ecclesiæ fores pendentibus? An regula ista, quam Apostolus proponit, et quam suam dicit, et juxtà quam cupit ut idem sentiamus omnes, consistebat in solis articulis necessariis, necdùm à Protestantibus unanimiter determinatis, nunquàm solidè determinandis?

Nesciunt illi, sicut dicitur Jacob. 2, 10 : *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus;* ità verum esse, quod olim dixit S. Ambrosius, in Luc. c. 9 : « Negat Christum, qui « non omnia quæ Christi sunt confitetur. » Nam si quod Christus revelavit, licet impunè non profiteri, sub prætextu non necessarii, vel conscientiæ de contrario persuasæ, post manifestatam Ecclesiæ catholicæ doctrinam ; licebit veritatem Dei revelantis in dubium revocare, eidemque contradicere. Nesciunt illi generale esse mandatum apostolicum : *Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita*, Tit. 3, 10; nec limitandum ad errores in fundamentalibus, temerè excogitatos; sed accipiendum de universis qui, manifestatâ doctrinâ catholicæ fidei, audent resistere. (Vide Theodoret. in loc. citat.) Perpenderent meritò illud Petri Apostoli, 2 Petr. 3, 16 : *In quibus* (Epistolis S. Pauli) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Si omnia necessaria et fundamentalia reperiantur clarè et evidenter in S. Scripturâ, quemadmodùm illi volunt, error in locis difficilibus, dummodò clara teneantur, juxtà Protestantes, non præjudicabit saluti. Et tamen S. Scriptura expressè contrarium statuit. Itaque tenendum est illud Apostolicum, Galat. 1, 8 : *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Hic profectò nulla invenitur distinctio fundamentalium, et non fundamentalium; necessariorum, et non necessariorum; essentialium, et non essentialium, conscientiæ persuasæ, vel non persuasæ; sed generaliter illis omnibus anathema dicitur, qui evangelizant præterquàm quod evangelizatum est. (Vide S. Hieron, in loc. citat. tom. 6, pag 121.)

Sectio xxii. — *De erroribus privantibus salute, ex antiquitate.*

Quemadmodùm prædicta doctrina est verè apostolica, ità novitia illa inventio de articulis necessariis, et non necessariis, quasi solus error in necessariis privaret salute, contradicit primitivæ Ecclesiæ; neque enim illa diversam habuit ab Apostolo sententiam. — Quoad negationes credendorum, dicit Vincentius Lirinensis advers. Hæres. cap. 31 : « Abdicatâ quâlibet parte ca« tholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac « deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito « abdicabuntur. Porrò autem singulatìm partibus re« pudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut « totum pariter repudietur? » Et tamen illi Protestantes, qui cum Marco Antonio pacifici cupiunt haberi, permittunt Catholicis eorum omnium negationem, quæ Protestantes positivè credunt adversùs sententiam catholicam; permittunt Protestantibus eorum omnium negationem, quæ Catholici positivè credunt adversùs sententiam Protestantium; neque advertunt eâdem ratione ad universa neganda patere viam. — Quoad affirmationes non credendorum, addit S. Vincentius : « Sed et è contrà, si novitia veteribus, extranea do« mesticis, et profana sacratis admisceri cœperint, « proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil

« posthàc apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil « illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum; sed « sit ibidem deinceps impiorum ac turpium errorum « lupanar, ubi erat antè castæ et incorruptæ sacra- « rium veritatis. » Et tamen isti, cum Marco Antonio malè pacifici, permittunt Catholicis ut quæ Protestantes judicant novitia, admisceant veteribus; quæ judicant Protestantes extranea, admisceant domesticis; quæ judicant Protestantes profana, admisceant sacratis. Et vicissìm permittunt Protestantibus, ut quæ Catholici judicant novitia, admisceant veteribus; quæ Catholici judicant extranea, admisceant domesticis; quæ Catholici judicant profana, admisceant sacratis. Neque advertunt illi pacifici hunc morem pari jure debere ad omnia proserpere, ut nihil posthàc penès Ecclesiam supersit intacti, nihil illibati, nihil integri, nihil immaculati; sed sit ibidem deinceps impiorum et turpium errorum lupanar, ubi erat antè castæ et incorruptæ sacrarium veritatis. — S. Cyprianus, epist. 69 ad Magn., probat sententiam catholicam ex Scripturâ: «Neque enim Dominus noster Jesus Christus, « cùm in Evangelio suo testaretur adversarios suos « esse eos qui secum non essent, aliquandò speciem « hæreseos designavit; sed omnes omninò hæreticos « qui secum non essent et, secum non colligentes, gre- « gem suum spargerent, adversarios suos esse osten- « dit dicens: *Qui non est mecum, adversùm me est; et* « *qui mecum non colligit, spargit.* » Luc. 11. Item: « B. Joannes Apostolus, nec ipse ullam hæresim aut « schisma discrevit, sed universos qui de Ecclesiâ « exîssent, Antichristos appellavit, dicens: *Audîstis* « *quòd Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi* « *facti sunt.* » Item: « *Ex nobis exierunt, sed non fue-* « *runt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent* « *utique nobiscum,* 1 Joan. 2. Undè apparet adversarios « Domini Antichristos omnes esse quos constat à cha- « ritate atque ab unitate Ecclesiæ catholicæ reces- « sisse. » — Idem S. Cyprianus sententiam catholicam, in tractatu de Unitate Ecclesiæ, tanquàm in Ecclesiâ certissimam, proponit, explicat, et Scripturis probat: « Nec perveniet ad Christi præmia, qui relin- « quit Ecclesiam Christi; alienus et profanus est, hos- « tis est, habere jam non potest Deum Patrem, qui « Ecclesiam non habet matrem. » Et allatis Scripturæ testimoniis addit: « Hi sunt qui se ultrò apud teme- « rarios convenas sine divinâ dispositione præficiunt; « qui, nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen « assumunt. » Item: « Non enim nos ab illis, sed illi à « nobis recesserunt. » Deindè: « Tales etsi occisi con- « fessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine « abluitur; inexpiabilis et gravis culpa discordiæ nec « passione purgatur: esse martyr non potest, qui in « Ecclesiâ non est: ad regnum pervenire non poterit, « qui eam, quæ regnatura est, derelinquit. » Item: « Occidi talis potest, coronari non potest. » Posteà: « Hostis altaris, adversùs sacrificium Christi rebellis, « etc., contemptis episcopis et Dei sacerdotibus dere- « lictis, constituere audet aliud altare, precem alte- « ram illicitis vocibus facere. » — S. Augustinus, agens contra Donatistas, quorum errores, si Marco Antonio fides, non erant fundamentales, ità scribit: « Neque hoc baptisma (ut quis coràm hominibus Chri- « stum confiteatur et sanguine suo baptizetur) hæretico « prodest, si quàmvis Christum confessus, extrà Ec- « clesiam fuerit occisus. Hoc verissimum est; extrà Ec- « clesiam quippè occisus (nota probationem) charitatem « non habuisse convincitur, de quâ Apostolus dicit, 1 « Cor. 13, 3: *Et si tradidero corpus meum ut ardeam,* « *charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* » Sequitur ibidem alia probatio: « Salus extrà Ecclesiam non « est: quis negat? Et ideò quæcumque ipsius Eccle- « siæ habentur, extrà Ecclesiam non valent ad salutem, « sive aliud sentiant quàm veritas habet, sive ab uni- « tate præcisi non colligant cum Christo, sed spar- « gant. Nam de hæresibus dicit Apostolus: *Quoniam* « *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* » — Adversùs eosdem Donatistas ulteriùs dicit S. Augustinus: « Tempore illo quo Deus priora delicta recentibus « pœnarum exemplis cavenda monstravit, et idolum « fabricatum atque adoratum est, et propheticus liber « irâ regis contemptoris incensus, Jerem. 36 et schi- « sma tentatum; idololatria gladio punita est, exustio « libri bellicâ cæde et peregrinâ captivitate, schisma « hiatu terræ, sepultis auctoribus vivis, et cæteris « cœlesti igne consumptis. Quis jam dubitaverit hoc « esse sceleratiùs commissum, quod est graviùs vin- « dicatum. » Vide Theodoret, *in Tit.* 3, 10. S. Hieron. *in Galat.* 1, 8. — Cur, quæso, hæc tantâ severitate Donatistis proponuntur, quorum erant tales errores, qui judicibus istis Protestantibus non præjudicabant saluti? Cur non liceat Donatistis dicere? Nos apud animos nostros persuasi sumus Ecclesiam catholicam, per communionis iniquam contagionem periisse: ideòque non possumus salvâ conscientiâ eam profiteri veram Ecclesiam vel nos ei conjungere. Nos persuasi sumus invalidum esse baptismum apud hæreticos collatum, et judicamus Ecclesiam catholicam errâsse, quandò ejus baptismi confirmavit validitatem; ideòque non possumus illæsâ conscientiâ vel decretum Ecclesiæ probare, vel legitimum baptisma dicere, quod hæretici administrant. Numquid cum istis Donatistis paria profert Calixtus? Numquid similes causas profert, cur nequeat communicare Catholicis? Si ejusmodi allegationes in Donatistis non subsistunt, cur subsistant in Protestantibus? Si Donatistæ, talibus non obstantibus, ab antiquâ Ecclesiâ judicati sunt schismatici et hæretici, qui foverent errores salute privantes, quo fundamento à simili judicio eximentur Protestantes? — An quia communicant Catholicis « actuali commu- « nione, in communi fide fundamentali et in charitate « exercendâ, sicubi opportunitas fuerit, ergà omnes, « qui istâ communi fundamentali fide non exciderunt? » Sed ex antecedentibus satis constat, circà sensum articulorum fundamentalium non esse eamdem Protestantium et Catholicorum fidem. Si charitatem servâssent, aut servarent, nec schisma fecissent, nec eidem inhærerent. Nulla igitur est ratio, cur alio loco habeamus Protestantes, alio Donatistas. — Considerent pa-

cilici S. Augustinum in catalogo hæreticorum posuisse 88 hæreses, quarum pleræque non erant in articulis fundamentalibus, seu necessariis, si Protestantes verum dicunt; et tamen addere : « Non omnis qui ista « (hæreses ibi enumeratas) non credit, consequenter « debet se christianum catholicum jam putare, vel di- « cere. Possint enim et aliæ hæreses, quæ in hoc opere « nostro commemoratæ non sunt, vel esse, vel fieri; qua- « rum aliquam quisquis tenuerit, christianus catholi- « cus non erit. » Vel igitur toto cœlo aberravit S. Augustinus, vel Protestantes adversùs universam luctantur antiquitatem. — Nonne S. Epiphanius commemoravit 70 hæreses? Nonne Theodoretus retulit 52 hæreses? An omnes in fundamentalibus et necessariis? An nescierunt illi quid scriberent? An ipsis per alios Ecclesiæ doctores contradictum fuit? — Salubriter dixit S. Gregorius Nazianzenus, tract. de Fide : « Ni- « hil periculosius his hæreticis esse potest, qui cùm « integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, tan- « quàm veneni guttâ, veram illam ac simplicem fidem « Dominicam, et exindè apostolicæ traditionis infi- « ciunt. »

Et S. Basilius apud Theodor., lib. 4 Hist. Eccl. cap. 17 : « Qui sunt in sacris litteris educati, ne unam « quidem syllabam divinorum dogmatum prodi sinunt. « Sed pro istorum defensione, si opus est, nullum non « mortis genus libenter amplectuntur. »

Et S. Augustinus, de Civit. Dei lib. 18, cap. 51 : « Qui ergò in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid pra- « vumque sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque « sapiant, resistunt contumaciter, etc., hæretici fiunt, « et foràs exeuntes habentur in exercentibus inimi- « cis. » — Non igitur sufficit dicere cum Protestantibus istis, neminem censendum esse hæreticum, qui tenet articulos necessarios, ad libitum determinatos in sensu obvio, ad libitum excogitatos; etiamsi in aliis morbidum quid sapiat, et monitus contumaciter resistat, quasi conscientiæ suæ non esset satisfactum.

Frustrà dicunt cum Cresconio : *Relinquas libero arbitrio.* Nam, ut benè S. Augustinus, lib. 3 contr. Crescon., cap. 51 : « Cur enim non in homicidiis, et in « stupris, et quibuscumque aliis facinoribus et flagitiis « libero te arbitrio demittendum esse proclamas? Quæ « tamen omnia justis legibus comprimi utilissimum « et saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini li- « beram voluntatem; sed nec bonam infructuosam, « nec malam voluit esse impunitam. » (Vide de ver. Relig.)

Quid tandem egerunt omnia concilia Ecclesiæ primitivæ, tùm universalia, tùm provincialia; quid egerunt omnes SS. Patres; quandò quemlibet errorem ab Ecclesiâ reprobatum, seu fundamentalem, seu non fundamentalem (ut isti loquuntur) anathemate damnârunt? quandò omnes communionis ecclesiasticæ judicârunt incapaces, qui manifestatâ doctrinâ fidei catholicæ resistebant? Isti enim fundamento universa ab initio Christianismi innituntur concilia. — Dicant isti Protestantes SS. Patres, sive singulos, sive in conciliis congregatos, non intellexisse Scripturas; non perspexisse usum utilissimæ istius distinctionis fundamentalium à non fundamentalibus, necessariorum à non necessariis; dicant universam antiquitatem non vidisse alium esse sensum obvium necessariorum, alium non obvium, liberæ disquisitioni permittendum. Dicant prima concilia, pro magnâ parte, vel esse frustrà congregata, vel per tyrannidem multos condemnâsse, qui non erant condemnandi. — Si hæc non audent dicere, æqui bonique consulent, si moneamus lectorem ut caveat istos Protestantes, à S. Scripturâ à primis conciliis, ab antiquâ Ecclesiâ, SS. Patribus dissentientes; qui ubique et semper inculcant in modico esse Ecclesiarum differentiam; non esse litem de fundamentalibus; non esse controversiam de sensu obvio necessariorum. Amplectatur potiùs illud Apostoli; sive fundamentalis sit error, sive non fundamentalis; sive in necessariis, sive in non necessariis; *Persuasio non est ex eo qui vocat vos. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Ego confido in vobis in Domino, quòd nihil aliud sapietis, Galat.* 5, 8. 9.

SECTIO XXIII. — *De erroribus privantibus salute, ex doctrinâ Reformatorum.*

Ili docent : « Si quis contentionem moveri in aliquo « puncto doctrinæ, aut formulæ Catechismi, etc., et si « resolutioni concilii nationalis nolit acquiescere, etc., « rescindatur ab Ecclesiâ. » Ubi hìc distinctio fundamentalium et non fundamentalium? In formulâ Cœnæ celebrandæ solemniter præfatur minister : *Excommunico omnes hæreticos, et eos omnes qui sectas separatas instituunt.* Nùm hìc distinctio necessariorum, et non necessariorum? In synodo Dordrechtanâ condemnati, et à communione Ecclesiæ Reformatæ rejecti sunt Arminiani; nùm propter errores in articulis necessariis? Si hæc potestas est penès vestra concilia nationalia, in vestræ Ecclesiæ, ut dicitis, subditos; cur non sit penès Ecclesiam catholicam in primos prætensos Reformatores ipsi subditos? — Sed iidem Reformati admiserunt Lutheranos ad suam communionem, non abjuratis erroribus, evertentes domesticæ disciplinæ constitutiones, domesticam praxim. Nam à quo tempore articulus Lutheranorum de reali præsentiâ Christi in S. Eucharistiâ, est error in non necessariis; invocatio autem sanctorum est error in necessariis? A quo tempore articulus vestræ prædestinationis est necessarius, in quo Lutherani vobis non consentiunt? An fortè erit necessarius, quandò contrà Arminianos agitis, et simul non necessarius, quandò Lutheranos vobis unitos desideratis? Quis intelligat hæc mysteria, vel potiùs absurda? Quid est necesse jam pluribus agere contrà Reformatos? « Nunc sufficit id, quod est ab eis, qui contraria nobis « dicunt, testimonium. » S. Irenæus, lib. 2, cap. 9. — Arminianos nos dicimus, in hâc causâ, consentire Catholicis, qui adeò sunt periculosi, ut Marcum Antonium et Calixtum longo superent intervallo. Sed quia docent esse tolerandos, et fratrum loco habendos qui errant in articulis de Baptismo parvulorum, de SS. Trinitate, de essentiali Dei omni præsentiâ, de peccato originali, etc., vix condemnabunt Catholicos, nisi omni rectæ rationi renuntiaverint.

Vide, lector, Petrum martyrem, ex Reformatis, usum istius distinctionis, cùm Ecclesiæ peregrinorum Londini scriberet, latè refutantem. (Epist. 42.)

Sectio xxiv. — *Resumptio.*

Hæc propterea deduximus, quia Protestantes non satis ponderant, quid sit : *Manifestatâ sibi doctrinâ catholicæ fidei resistere.* Si enim consideràssent quid sit errare, *cum divisione Ecclesiæ*, ad exemplum S. Cypriani, aliorumque Patrum, nullum errorem levem putàssent; quòd *manifesta sint opera carnis*, etc., *dissensiones, sectæ*, etc. ; *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*, *Galat.* 5. Non est leve crimen subditos, in statu politico, à legitimis magistratibus abducere, et ex levi causâ hostilia castra sequi. Est autem gravius « Ecclesiam derelinquere contemptis episcopis, constituere aliud altare, precem alteram facere, » sub adversis castris militare, quod debitè ponderavit S. Cyprianus, et cum eo concilia omnia, omnes SS. Patres. Proindè quod post ipsos tenemus, tenuerunt universi. — Protestantes autem, quandò ex gravitate objecti metiuntur malitiam dissensûs, recedunt à S. Scripturà et à consensu antiquæ Ecclesiæ; præterquàm quòd nullam possint invenire regulam certam, quæ sit mensura hæreseos, sive erroris salute privantis. Quodcumque enim ab illis judicio privato excogitatur, ab aliis vel restringitur, vel ampliatur, universis privatæ suæ persuasioni determinandi licentiam tribuentibus.

Nunc judica, Domine, causam tuam inter illas Ecclesias, quæ se matres fidelium dicunt. Protestantium cœtus salvis fundamentalibus seu necessariis articulis, de quibus nihil certi habent, offerunt dissectionem veritatis revelatæ. Catholica Ecclesia negat id fieri posse, salvo Ecclesiæ spiritu. Judica, Domine, ut verus Salomon, quæ vera mater, quæ tantùm prætensa sit. Protestantium cœtus inducunt divisionem corporis Christi, et persistunt in continuandâ divisione membrorum. Catholica Ecclesia horret divisionem, et modis omnibus conservat unitatem. Judica, Domine, causam tuam, et dic nobis, ut verus Salomon, quæ sit vera mater. « Illa, inquit, S. Augustinus, etsi meretrix, tamen pia, quia mater : tu autem et meretrix « et impia, quod paris præfocas, quod non paris congregas, » lib. de quinque Hæres. circ. med.

TRACTATUS QUARTUS.

DE INSTRUMENTIS PROBANDÆ FIDEI,

SEU DISCUSSIO BIBLIORUM VULGATORUM.

Sectio i. — *Explicatio vocum.*

Instrumentum est scriptura aliquid probans (1). Quemadmodùm in jure agitur de publicis instrumentis (2); ità in hoc tractatu agemus de publicis fidei christianæ instrumentis, Scripturis nimirùm divinis, quibus ad probandam fidem utuntur Christiani.

Jure civili inter publica numerantur instrumenta, quæ interveniente magistratu sunt publicata (3). Et sic Scripturas dicimus publicas et canonicas, quæ à viris divinitùs inspiratis vel directis sunt in Ecclesià publicatæ ac traditæ. Non est opus inquirere an fortè originales etiamnùm reperiantur Scripturæ. Agimus tantùm de illis Scripturis quæ hodiè habentur, et quæ ad probandam fidem allegari solent. Hæ Scripturæ, si authenticæ non sint, nec eo ipso plenam fidem faciunt (1). Nostra autem, quæ nunc habemus, S. Scripturæ exempla, non esse in seipsis authentica ferè omnes confitentur; neque enim habent per se ad instrumentum authenticum requisita. Exempla igitur quælibet, quatenùs exempla sunt, fidem non faciunt, sed tantùm conjecturam et suspicionem. Atque hìnc ut S. Scriptura plenam fidem faciat, opus est ut consideretur tanquàm in archivio Ecclesiæ publico à temporibus Apostolorum et Evangelistarum, habita, conservata, et hucusquè tradita. Auctoritas enim publica eam recipiens, auctoritas publica eam conservans, auctoritas publica in dies eâ, ut divinâ, utens, nullum relinquit de divinitate S. Scripturæ dubium. (Vide Tertacinque, de prob. 8, resp. 5, n. 10; apud D. Corvin. c. de Fid. instrum.

(1) L. *exigere.* 65 ff. *de judic.*, lib. 1, c. *de Dilat.*
(2) L. *Scripturas*, c. *qui potior in pign. hab.*
(3) L. *Publicati*, ubi Dd. c. de *Testam.* l. *fin.* c. *de re judic.*

(1) Lib. 2. lib. ult., ff. *de Fide Instrum. auth. Si quis.*

Pars prima.

MODUS DEFENSIVUS.

Sectio i. — *Observationes generales.*

Communiter apud indoctos non est disputandum de falsificatione Bibliorum in genere, sive de totali nullitate versionis Protestantium. Ratio, quia populus meliùs apprehendit examen alicujus loci particularis. — Non etiam coràm indoctis est agendum de veritate, vel corruptione textùs hebraici vel græci. Ratio, quia hæc populus non capit. — Non est inquirendum quid vox aliqua S. Scripturæ *possit* alibi significare, sed quid hìc et nunc *debeat* significare. Exemplum : 1 Tim.

2, 5, ponunt Calvinistæ in Bibliis Gallicis 1622 : *Unus solus mediator* (un seul), non est disputandum an græcum εἷς aliquandò significet *unus solus*; sed an eo loco necessariò significet *unus solus*. Si enim id non necessariò ibi significet, nullum dogma fidei poterit in eo fundari : et Calvinista manebit inermis.

Fundamentum in hoc consistit. Quandocumque terminus aliquis textûs originalis habet variam significationem, nullus auctoritate privatâ significationem multiplicem determinare potest ad unam solam. Licet enim fieri possit, ut ex diversis significationibus verbi originalis, unam tantùm intenderit Spiritus sanctus, loquens per Apostolos et Evangelistas, nulli tamen privato penitùs constat, utram significationem Spiritus sanctus intenderit, utram neglexerit. — Quod cùm ità sit, quotiescumque Protestantes ex discrepantibus unius ejusdemque verbi significationibus unam solam Bibliis suis inserunt, detrahunt Verbo Dei, si utramque significationem Spiritus sanctus intenderit. Et si unam tantùm Spiritus sanctus voluerit, fieri potest ut conceptus suos pro verbo Dei nobis obtrudant. Nullà quippè ratione probant, 1 Tim. 2, 5, græcum εἷς significare ibi necessariò *unus solus*, quod tamen requireretur ut translatio esset revelata, et illud idem quod Spiritus sanctus per Apostolum voluit scriptum. — Non est conferendum de nullitate, aut falsificatione eorum locorum in quibus non fundantur dogmata fidei, hoc tempore cum Protestantibus controversa; tùm quia ferè superfluum est; tùm quia hâc ratione vix habent Protestantes, quod versioni Vulgatæ objiciant, arguentes plerùmque loca ad controversias hujus temporis non facientia.

SECTIO II. — *De statu quæstionis.*

Quandocumque Protestantium Biblia aliter legunt, quàm antè ipsorum originem legerunt Biblia Catholicorum vulgata; tunc quia reformaturi accedunt, hoc sibi oneris imponunt, ut ostendant, vel *nostram lectionem esse malam*, vel *suam esse meliorem* eâ quam apud Catholicos repererunt. Si enim id nequeant probare, sine causâ mutaverint. —Observandum tamen est nunquàm posse impugnari nostram lectionem, tanquàm malam, si ea reperiatur in Bibliis Protestantium vel prioribus, vel posterioribus; ne, dùm nostram lectionem conantur improbare, suam ipso facto condemnent.

SECTIO III. —*Catholici est priore loco defendere.*

Catholicos legisse loca S. Scripturæ controversa, ut nunc ea legunt, cùm orbis christianus ignoraret Lutherum et nesciret Calvinum, planè certum est. Undè antiquam habemus possessionem legendi, ut nunc legimus; nec ab eâ fas est recedere, nisi prægnantibus evidentibusque convincamur fundamentis. Proferant mutationis suæ rationem. —Exemplum. Beza legit Luc. 22, 20. *Hoc poculum est novum illud pactum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.* Hìc juxtà Bezam, *qui*, manifestè refertur ad *sanguinem*, et non ad *poculum*. Catholici defendentis est sustinere vulgatam lectionem eo loco esse bonam; et lectionem Bezæ non esse meliorem nostrâ. Si neutrum probet Calvinista, ut neutrum probare potest, consequens est sine justâ ratione eum textum esse mutatum.

SECTIO IV. — *Protestantes nullum ex Scripturâ, vel antiquitate afferre fundamentum mutationis, terminis expressis.*

Supponimus duo Protestantium generalia principia. Alterum, omnem probationem, in materiis controversis, desumendam esse ex S. Scripturâ, quæ sit regula omnis veritatis revelatæ. Alterum, quatuor vel quinque post Christum seculis professionem veræ fidei in Ecclesiâ durâsse. —Itaque dicimus Protestantes, neque ex S. Scripturâ, neque ex antiquitate fideli, mutationum suarum ullum posse afferre fundamentum. Exemplum. Luc. 22, 20, legendum esse : *Hoc poculum est novum illud pactum per sanguinem meum, qui*, etc. Vel 1 Tim. 2, 5, græcum εἷς necessariò significare *unus solus*. — Hìnc fateantur 1° non posse probari ex S. Scripturâ, vel ex antiquitate, *solam ipsorum lectionem esse bonam*, vel *nostram esse malam*. 2° Neque etiam sic posse probari, *ipsorum lectionem esse meliorem nostrâ*. 3° Neque tandem posse probari, *ipsorum lectionem apud antiquos reperiri*.

Consueverunt Protestantes, ubi premuntur, indignum vociferari, si quis exigat probationem versionis per S. Scripturam, rem scilicet, quæ manifestè fieri nequeat. Verùm hæc responsio satis ostendit, ad quæ absurda deducantur per suum principium Protestantes, quandò in materiis controversis omnem probationem ex solis Scripturis volunt desumptam. Ulteriùs arguit ista responsio non petitionem nostram esse injustam, sed novationem undequaquè temerariam, imò ridiculam. — Alii aliò deflectunt, dicentes, *unus*, et *unus solus*, esse terminos æquivalentes. Verùm non amplius est in statu quæstionis, adeòque vanum est effugium. Necesse est ut probent, vel *nostram versionem esse malam*, vel suam esse meliorem, magisque conformem originali, ne videantur sine causâ mutâsse, et temerè ad reformationem convolâsse. — Si autem petant quæ sit distinctio inter *unus*, et *unus solus*, respondemus id non esse in statu quæstionis, et nos exigere probationem ex Scripturâ, vel ex antiquitate, undè constet ipsorum versionem esse meliorem nostrâ. — Tandem, si sustineant suam versionem esse bonam, adducant vel ex Scripturâ, vel ex antiquitate, probationem quæ doceat ipsorum versionem in isto loco esse bonam. Aliæ probationes, quàm per instrumenta, vel per testes, hoc est, per Scripturam, vel antiquitatem, nondùm sunt admittendæ, nisi primùm fateantur utramque deficere.

SECTIO V. —*Protestantes nullam afferre pro suâ mutatione ex S. Scripturâ vel antiquitate consequentiam sufficientem ad dogma fidei.*

Quandocumque locus S. Scripturæ, de quo agitur, pertinet ad controversiam fidei, si allegatur ad probandam aliquam doctrinam, de quâ hoc tempore inter

Catholicos et Protestantes controvertitur, constat ejusmodi mutationem esse maximi momenti. Ità inter nos quæritur an Tim. 2, 5, legendum sit: *Unus solus mediator.* Nam in eo fundant hanc doctrinam suam: *Unus est mediator, nec sancti invocandi.*

Si grave sit in articulo fidei errare, non minùs erit grave, fundamentum et regulam fidei, ipsam nimirùm S. Scripturam et verbum Dei, pervertere et ad dogma suum inflectere. Itaque in conclusione Protestantium, quoad rem, hoc esse debet: Ergò 1 Tim. 2, 5, necessariò legendum est, *unus solus*, et super eâ lectione potest fundari articulus fidei. Postquàm Protestans formavit suam consequentiam, petit Catholicus 1° an illa consequentia probetur ex Scripturâ? Si probetur ex Scripturâ. Ubi? si non probetur ex Scripturâ, quomodò erit infallibilis? Petit 2° an Protestans possit errare in formandâ istâ particulari consequentiâ? Si possit errare, ergò non est consequentia infallibilis, nec sufficiens ad probandum, quod debet esse in conclusione. Si non potest errare, quomodò dicit Scriptura: *Omnis homo mendax?* Petit 3° quinam ex SS. Patribus viderint istam consequentiam? Illi ex professo locum de quo controvertitur, tractârunt, nec tamen legerunt ut hodiè legendum esse Protestantes volunt.

Sectio vi. — *Protestantes communi populo persuadere non posse rationabiliter, versionem suam esse magis conformem originali textui, quàm nostram.*

Si quis de plebe prædicantem ex Protestantibus interrogaret: « Quomodò mihi constabit tua Biblia esse « magis conformia originali, quàm sint Vulgata Catho- « licorum? » videret hominem simplici petitione ad magnas angustias redactum.—Quid enim dicet? « Exa- « minârunt viri, in hebraicis græcisque litteris exerci- « tatissimi. » At verò id non sufficiet. Dicet enim plebeius se à prædicantibus suis edoctum, nulli mortalium, ne quidem universali Ecclesiæ, in negotio salutis et fidei credere, nisi Scripturam assertioni suæ habuerit patrocinantem; propterea se viris illis, cæteroquin doctissimis, ob hoc quòd doctissimi sint, assentiri nullo modo posse. Dicet sibi ignoranti constare non posse, sintne viri illi in hebraicis græcisque litteris versati, quòd eas ignoret. Dicet communem quidem famam esse de illorum exercitatione, cui nolit detrahere; sed parem famam esse pro Lutheranis et Calvinianis, quorum tamen versiones non conveniunt. Robustiorem etiam pro Romano-Catholicis famam, quorum Biblia, in locis controversis, à lectione antiquorum Patrum discrepant, quantùm quidem fama fert publica.—Itaque nulli de plebe constare potest sua Biblia esse magis conformia originali, quàm sint Vulgata Catholicorum.

Sectio vii. — *Occurritur effugio Protestantium.*

Quidam Protestantes, ut declinent quæstionem, dicunt cuilibet de plebe posse constare de legitimâ versione, « per convenientiam versionum omnium in doc- « trinâ necessariâ. » Sed consideremus quanta obstent isti effugio.— Primò. Si convenientia versionum omnium in doctrinâ necessariâ securam reddit plebem de fidelitate suarum, quibus utitur, versionum; opus est ut plebi certissimè constet quinam sint articuli necessarii. Sed nec doctoribus eâ de re plenè constat, qui inter se conveniunt; minùs constat plebi.—Secundò. Si plebs Calviniana eo modo potest esse secura, etiam plebs Lutherana poterit taliter esse secura. Hoc autem Calvinistæ nequeunt concedere de Lutheranis, quorum doctores non eodem modo articulos necessarios cum Calvinistis determinant; atque ex eâdem ratione id nequeunt Lutherani de Calvinistis concedere; ut jam nihil dicamus quòd doctores Lutherani æquè sint discordes in determinandis articulis necessariis.— Tertiò. Undè constabit plebi quænam sit doctrina necessaria? Non ex Scripturâ, quia quamdiù ipsi non constat de fidelitate suarum versionum, non potest fidem suam fundare in ullâ versione de cujus divinitate non habet certam notitiam.

Dicent fortè Deum non permittere ut doctrina necessaria in versionibus corrumpatur; credendumque esse ejus providentiam non tolerare ut veritas illa quæ ad salutem hominum est destinata, ad homines non perveniat. — Resp.: Benè hoc creditur de divinâ providentiâ; atque ità intelligitur quomodò convenientia translationum per se quidem non operetur nisi fidem humanam; considerata tamen quatenùs subjecta providentiæ divinæ, operetur fidem divinam. Nam sicut Deus posuit verbum suum in Scripturis divinis, ità posuit verbum et Spiritum suum in Ecclesiâ. Si ergò providentia divina tantam curam meritò creditur habere de verbo suo in Scripturis posito, certè majore fundamento credetur non minorem curam impendere verbo et Spiritui suo in Ecclesiâ positis. — Quartò. Perpendant Protestantes an in suis versionibus, à tempore Lutheri incœptis, sit convenientia in doctrinâ necessariâ. Videbunt in locis particularibus adducendis, neque in hâc esse convenientiam

Pars ii.

MODUS PROBATIVUS ET OFFENSIVUS.

Sectio i. — *Observationes generales, ut probetur versio Vulgata Catholicorum.*

Concilium Tridentinum, decreto de canonicis Scripturis, statuit pro sacris et canonicis suscipiendos esse eos libros qui in Ecclesiâ catholicâ legi consueverunt, ut in veteri Vulgatâ latinâ continentur. Ex hoc non sequitur, uti malè existimant Protestantes, ullam aliam versionem à concilio esse condemnatam, vel impro-

batam : nos ipsi in Ecclesiâ catholicâ multis aliis versionibus utimur. Sed hoc sequitur, nullum aliud exemplum, nullam aliam versionem à concilio fuisse agnitam, tanquàm authenticam. Si Protestantes existiment suis Ecclesiis non deesse auctoritatem, cur suas domesticas versiones non declarant authenticas? — Illa versio non est semper optima, et omnibus aliis præferenda, quæ fit de verbo ad verbum. Et sic Biblia Hollandica 1637, verba textûs originalis frequenter ad marginem ponunt. Undè sequitur, cùm verba hebræa plerumque varias habeant significationes, græca etiam non semper eamdem, nulli usui esse dictionaria, ut ex iis certum ac determinatum è pluribus significationibus sensum desumamus.—Ratio est, quia quandò est varia unius vocis, vel termini significatio, ut hoc loco 1 Tim. 2, 5, nemo tenetur utramque significationem admittere, velut verbum Dei, nisi (quod absurdum est) quis sustineat idem omnibus planè locis faciendum. Quæ autem esset confusio, si omnium vocum et terminorum variæ significationes S. Scripturæ versionibus insererentur? — Similiter nemo obligatur ad eam termini significationem tanquàm verbum Dei admittendam, quæ est in Scripturis communior. Si enim illa communior significatio non semper est admittenda, quemadmodùm est notorium, danda est ratio sufficiens, cur hoc loco particulari sit sequenda. Porrò si significatio vocis alicujus sit minùs communis, quàm pars altera contendet esse admittendam, multò minùs obligat, nisi ratio adferatur manifesta et evidens.

SECTIO II. — *De statu quæstionis.*

Quantùm ad modum probativum, sustinemus Biblia Vulgata latina, in locis ad fidem et mores pertinentibus, esse conformia originali, atque adeò certa ut in iis fundari possit articulus fidei.— Quantùm ad modum offensivum, sustinemus Protestantium Biblia posse convinci, in locis particularibus, nullitatis et erroris, ex solâ Bibliorum Protestantium collatione. Utrumque nobis incumbit probandum.

SECTIO III.— *Probatio editionis Vulgatæ catholicæ quoad totum et partes, ex principio catholico.*

Sicut cùm Protestantes audivimus disputantes ex suo de solâ Scripturâ principio, non excepimus contrapositionem talis principii; sic neque ipsi jure merito contrà nostrum excipient principium, quandò posteriore loco nos audiunt probantes. Est autem principium nostrum : *Verbum Dei ab Ecclesiâ propositum.* — Sic manifesta est auctoritas editionis Vulgatæ, quam concilium Tridentinum commendat, quia vetus illa editio in Ecclesiâ legi consuevit. Quapropter, ut probemus, 1 Tim. 2, 5, nostram lectionem esse conformem originali, canonicam et authenticam, allegamus eam lectionem quæ in Ecclesiâ legi consuevit, in concilio Tridentino approbatam, et propositam, ubi invenitur *unus mediator.* Hæc probatio tàm facilis est et tàm evidens, ut nihil excogitari possit in contrarium.

SECTIO IV.— *Probatio editionis Vulgatæ, in locis controversis, per Scripturam ex principio communi.*

Probationem per Scripturam ex principio communi vocamus, cùm pro nostrâ lectione adducimus Scripturam ex libris SS. Patrum, qui prioribus post Christum seculis vixerunt, et textum controversum legunt, uti nos etiamnùm legimus. Illud autem nihil aliud est, quàm lectionem S. Scripturæ controversam ex ore testium fide dignissimorum exhibere.— Libet producere ad hanc rem testimonium S. Ambrosii, vel antiqui commentatoris, in Epistolam ad Romanos : « Quia « propriâ quis auctoritate uti non potest ad victoriam, « verba legis adulterat *novator*, ut sensum suum quasi « verba legis asserat, ut non ratio, sed auctoritas « præscribere videatur. Constat autem quosdam La- « tinos olim de veteribus græcis translatos codicibus, « quos incorruptos simplicitas temporum servavit et « probat ; postquàm autem à concordiâ animis dissi- « dentibus, et hæreticis perturbationibus torqueri quæ- « stiones cœperunt, multa immutata sunt ad sensum « humanum, ut hoc contineretur in litteris quod ho- « mini videretur. Undè et ipsi Græci diversos codices « habent. Hoc autem verum arbitror, quandò et ratio, « et historia, et auctoritas observantur. Nam hodiè, quæ « in latinis reprehenduntur codicibus (nota benè), sic « inveniuntur à veteribus posita, Tertulliano, Victorino « et Cypriano. » — Jam considera, lector, quomodò probemus lectionem nostram, 1 Tim. 2, 5, ex principio communi, per S. Scripturam, ex ore testium. S. Augustinus, testis omni exceptione major, sic legit : *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Idem habet pluribus locis. Secundum testem producimus : S. Leonem papam, qui in epistolâ Synodicâ ad Flavianum archiepiscop. Constant., quæ est in Act. 2 Conc. Chalced., sic habet : *Unus atque idem mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Tertium testem producimus S. Ambrosium, in 1 Tim. cap. 2 : *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* — Habemus lectionem nostram, 1 Tim. 2, 5, probatam ex Scripturâ, de cujus sinceritate, veritate et auctoritate dubitari non potest, nisi et sinceritas, et veritas, et auctoritas SS. Patrum in dubium revocaretur ; quæ tamen temeritas apud æquos judices non poterit efficere, ut tantorum testium fides propterea vacillet.

SECTIO V.—*De modo offensivo.*

Omnis alia disputandi methodus victoriam promittit ex defensione, aut probatione ; hæc ex adversariorum confessione ; alia ex testibus idoneis ; hæc ex iis qui ex adverso stant. Et si viri boni sunt, nos adjuvant, cùm id publico et impresso testimonio dicunt, quod nos urgemus. Sin autem minùs idonei sunt testes, nos non lædunt. Cùm, sive iis creditur, hoc ipsum quod à nobis urgetur, obtinemus ; sive fides non habetur, de adversariorum testium fide derogatur ; nec (quod caput rei est) Scriptura superest, ad quam adversarii provocent. Protestantes illud, quod indignissimum est, futurum arbitrati sunt, ut in negotio Religionis non de veritate translationum, sed de sensu et explicatione verbi Dei fieret disceptatio. At verò cùm frustrà disputetur de sensu verbi Dei, nisi priùs constet ipsam lectionem

quæ in probationem adducitur, esse verbum Dei, visum fuit ab ovo inquirere veritatem, et humanæ sapientiæ infidelem mutationem à verbo fidelis Dei separare.

Sectio vi.—*Praxis modi offensivi.*

Ostendamus quâ ratione domesticis armis conficiantur Protestantes. Sed antè omnia dicamus hoc esse in quæstione : *An Protestantium Biblia sint magis conformia originali, quàm sint nostra?* nisi enim sint magis conformia, frustrà mutatum fuerit. —Exemplum : Biblia Gallica 1622 impressa habent, 1 Tim. 2, 5 : *Unus solus mediator.* At omnia priora Biblia Gallica Calvinistarum habent : *Unus mediator.* Non omnia Biblia Gallica esse magis conformia originali, quàm sint Biblia Vulgata Catholicorum, vel ex eo patet, quòd major pars cum nostris conveniat in isto loco particulari. Sin autem asserant sola sua Biblia 1622, esse magis conformia originali, jam omnia priora erunt minùs conformia. Populus, qui discrepantes animadverterit à suis doctoribus factas versiones, nullâ ratione certâ potest inter utramque distinguere; neutram, nisi temerè, potest acceptare, ut magis conformem originali. —Hinc sequitur, neutri discrepantium versionum Gallo-Calvinistarum articulum fidei Calvinianæ posse inniti, ne scilicet eodem facto, reos illos statuat, qui alteri versioni consentientes, violatâ Scripturâ, vel addendo, vel demendo, fundamentum fidei subvertunt. —Hoc si apud Protestantes faciendum non est, sequitur nullum S. Scripturæ locum, ad controversias fidei pertinentem, ab ipsis allegari posse, in quo deprehendemus posteriora eorum Biblia prioribus non consentire. Sequitur insuper nullam Bibliorum Catholicorum lectionem à Protestantibus improbari posse, quæ habeat ipsorummet Protestantium aut priorem, aut posteriorem versionem sibi consentientem.

Pars iij.

Sectio i.—*Ratio ordinis servandi.*

Hactenùs de modo disputandi, in materià versionis Bibliorum egimus, idque circà textus particulares. Sequitur ut observationes generales in praxim deducamus. Expedit reipublicæ christianæ, ut facta eorum discutiantur, qui ecclesiasticis monitionibus insanabiles, sine causâ et factiosè perturbant Ecclesiæ pacem, quos Apostolus compellat proprio judicio condemnatos. Magnum crimen est S. Scripturæ semel traditæ, fideliter acceptæ, hucusque conservatæ reluctari, et tot seculorum unanimem testificationem in dubium revocare; maximum verò veritatem quam semel prudenti judicio probaveris, rejicere, ut videaris *frustrà credidisse.* Tunc enim prius judicium posteriorem condemnat temeritatem, ignorantiam, errorem, prævaricationem.

Sectio ii. —*De mutationibus temerariis S. Scripturæ Calvinianorum Germaniæ.*

§ 1. *An sola fides justificet?*

Affirmat Catechismus Heidelb. quæst. 70 : *Quomodò justus es coràm Deo?* et respondet : *Solâ fide in Jesum Christum.*—Negat concilium Trid. sess. 6, can. 9 : « Si « quis dixerit solâ fide impium justificari, ità ut intel« ligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gra« tiam consequendam cooperetur, et nullâ ex parte « necesse esse eum cum voluntatis motu præparari « atque disponi, anathema sit. » — Pro sententiâ catholicâ affertur textus Rom. 8, 4, quem cùm Germano-Calvinistæ aliter legant, quæritur an eorum lectio sit *melior* nostrâ? Non est quæstio de operibus extrà gratiam factis, sed de operibus legis moralis in gratiâ factis.

Praxis modi Defensivi, circà Rom. 8, 4.—Legunt septem Biblia Germano-Calvinistarum : *Ut justitia per legem expetita in nobis impleretur.* (Vom gesætz erforderet.) Editio Vulgata Catholica : *Ut justificatio legis impleretur in nobis.*—Apostolus agnoscit impletionem justificationis legis, propter opera per gratiam facta. Calvinistæ non agnoscunt nisi desiderium justitiæ. — Dicent se quidem non reddidisse ipsa verba textûs originalis, sed verum sensum verborum. Resp. : Non sufficit id astruere. Probent juxtà part. 1, sect. 4 et 5. Si nequeant probare, fateantur errorem, et corrigant factam contrà jus et fas innovationem.

Praxis modi Probativi, circà Rom. 8, 4.— Vulgata Catholica legit : *Ut justificatio legis impleretur in nobis.* Et hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà part. 3, sect. 4. — S. Augustinus, lib. ex Epist. ad Rom. cap. 44 : *Ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm spiritum.* — S. Ambrosius, in cap. 8 ad Rom. : *Ut justificatio legis impleretur in nobis.*— Sedulius, in cap. 8 ad Rom. : *Ut justificatio legis impleretur in nobis.* — Habemus lectionem nostram legitimè probatam ex Scripturâ per principium commune. Videantur Biblia Germanica 1477, Belgica 1528, Vulgata 1511, 1552; Pagninus, Arias, Erasmus, Græca.

Praxis modi Offensivi circà Rom. 8, 4. — Sequitur, ut Germano-Calvinistæ emendentur per suos fratres rectiùs sentientes. Sed priora Hollandorum Biblia nobiscum legunt : *Ut justificatio legis impleretur in nobis* (der wet). At Biblia 1637 habent : *Ut jus legis.* Quatuor Gallo-Calvinistarum Biblia habent : *Justitia legis* (de la loi). Consentit Castalio, Latina Tigurina, Beza, qui habet : *Jus illud legis.* Dent Germano-Calvinistæ rationem mutationis scripturalem, si possint; alioquin

fratres non rediment ipsos à notâ temerariæ mutationis.

Cum Germano-Calvinistis in eodem errore sunt Lutheranorum tredecim Biblia.

§ 2. *De Sacerdotio novi Testamenti.*

Status controversiæ est, an etiamnùm sit in novo Testamento sacerdotium visibile et externum? Negat Calvinus, Instit. lib. 4, cap. 16, § 2, ubi dicit non esse ampliùs in terris ullum sacerdotium, quòd sit translatum in cœlum, Christo ibi in æternum existente Sacerdote. Vide Catech. Heideld., quæst, 80.— Affirmat Concilium Trid., sess. 23, can. 1 : « Si quis dixerit non « esse in novo Testamento sacerdotium visibile, etc., « anathema sit. »

Praxis modi Defensivi, circà Hebr. 7, 12.—Legunt Germano-Calvinistæ in septem suis Bibliis : *Ubi enim mutatur sacerdotium* (verendert).—Ista lectio à nostrâ multùm distat : *Translato sacerdotio.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1, sect. 4 et 5.—Dicent verbum græcum æquè, vel magis significare, *mutari* atque *transferri.* Repl.: Si verbum græcum possit significare mutato et translato, petimus, juxtà part. 1, sect. 1, probationem, quæ doceat hìc, Hebr. 7, 12, necessariò legendum esse mutato, et non translato; neque enim hoc privati est determinare, juxtà part. 2, sect. 1. Agnoscant ergò probationem sufficientem hic deficere, et temerè mutatum.

Praxis modi Probativi, circà Hebr. 7. 12.— Legimus in editione nostrâ Vulgatâ : *Translato sacerdotio.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà part. 2, cap. 4.— Sanctus Ambrosius in Hebr. 7 : *Translato enim sacerdotio.* — Sedulius in Hebr. 7, 12 : *Translato sacerdotio.* — Habemus lectionem nostram legitimè probatam ex S. Scripturâ, per principium commune. Legantur etiam Biblia Germanica 1477, Belgica 1548, Vulgata 1511, 1552; Pagninus Arias, Erasmus.

Praxis modi Offensivi, circà Hebr. 7, 12. — Calvinistæ Galli duobus prioribus Bibliis legunt : *Translato officio sacrificaturæ* (transporté). Castalio, Latina Tigurina. Quid ergò Germano-Calvinistæ respondebunt fratribus suis Gallis?— Cum germano-Calvinistis in eodem errore sunt duo posteriora Biblia Gallica : *Mutato officio sacrificatoris* (étant changé); septem Hollandica : *mutato sacerdotio*, et tredecim Lutherana.

§ 3. *De Presbyteris novi Testamenti.*

Status controversiæ est , an tempore novi Testamenti sint presbyteri ? Qui sacerdotium negat sub novo Testamento, negat et presbyteros propriè dictos. Calvinus autem et alii negant sacerdotium.—Affirmat concilium Trid. Sess. 23, can. 6 : « Si quis dixerit in « Ecclesiâ catholicâ non esse hierarchiam divinâ or« dinatione institutam, quæ constet ex episcopis, « presbyteris et ministris, anathema sit. »

Praxis modi Defensivi, circà 1 *Tim.* 5, 17.—Legunt Germano-Calvinistæ in septem suis Bibliis : *Seniores.* Ista lectio à nostrâ multùm distat : *Qui benè præsunt presbyteri.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1. cap. 4 et 5.—Dicent voces *Presbyter* et *Senior* esse æquivalentes. — Repl. Posito illas voces esse æquivalentes, ergò, quòd priorem vocem reliquerint, non fecit veritatis proponendæ necessitas , sed innovandi perversa temeritas. Deindè, voces *Presbyter* et *Senior* non sunt æquivalentes; nam presbyter creatur per impositionem manuum, 1 Tim. 4, 14, et 1 Tim. 5, 22, et 2 Tim. 1, 6. At Senior Calvinistarum nullâ manuum impositione constituitur, ut patet ex ipsorum formulis et disciplinis ecclesiasticis. Et sic, quod apud Calvinistas est *Senior*, non est apud Scripturam *Presbyter.*

Praxis modi Probativi, circà 1 *Tim.* 5, 17. — Legimus in nostrâ editione Vulgatâ : *Qui benè præsunt presbyteri.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ , per os SS. Patrum, juxtà part. 2, cap. 4.—S. Augustinus, in Spec., ex 1 Tim. : *Qui benè præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur.*—S. Ambrosius in 1 Tim. 5.—*Qui benè præsunt presbyteri.*—Habemus lectionem nostram probatam ex Scripturâ per principium commune. Legantur etiam Biblia Germanica 1477, Belgica 1548, Vulgata 1511, 1552, Pagninus, Arias, Erasmus, Græca.

Praxis modi Offensivi, circà 1 *Tim.* 5, 17. — Duo antiquiora Biblia Gallica habent : *Presbyteri* (Prêtres). Item Latina Tigurina et Beza. Satisfaciant suis fratribus. In eodem cum Germano-Calvinistis errore sunt Biblia duo posteriora Gallica, septem Hollandica, tredecim Lutherana.

SECTIO III. — *De ignoranti mutatione Lutheranorum Bibliis insertâ.*

§ 1. *An sola fides justificet?*

Affirmat Confessio Augustana art. 20. Negat concilium Trident., suprà, sect. 1, § 1.

Praxis modi Defensivi, circà Rom. 3, 28.—Legunt tredecim Biblia Lutherana : Tenemus ergò hominem justificari sine concursu operum legis, *solùm per fidem* (allein durch den glauben).— Ista lectio à nostrâ multùm distat : *Arbitramur enim justificari hominem per fidem.* Undè petimus rationem mutationis , juxtà part. 1, sect. 4, 5.

Praxis modi Probativi, circà Rom. 3, 28.—Lectionem nostram probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum , juxtà part. 2, sect. 4. — S. Augustinus, lib. de Fid. et oper. cap. 14 : « Cùm dicit Apostolus arbitrari « se justificari hominem per fidem sine operibus legis, « non hoc agit, » etc.—Eodem modo Comment. in Epist. ad Rom. cap. 3, inter opera S. Hieronymi. — S. Ambrosius, in cap. 3, ad Rom : *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.*—Habemus lectionem nostram legitimè probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Biblia Germanica 1477, Belgica 1548 , Vulgata 1552 , Pagninus, Arias, Erasmus et Græca.

Praxis modi Offensivi, circà Rom. 3, 28.—Germano-Calvinistæ 1560 , 1570 , cum Catholicis legunt; item omnia Biblia Hollandica, omnia Gallica, Castalio, La-

tina Tigurina, et Beza. Hi omnes Lutherum arguunt ignorantiæ. Cum Lutheranis in eodem errore sunt Germano-Calvinistæ 1558, 1587, 1617, 1626.

§ 2. *An justificatio tollat peccata.*

Protestantes communiter volunt peccata non omninò deleri sed tantùm non imputari; apud Bellarm., lib. 1 de Bapt., cap. 13.—Omninò deleri peccata per baptismum, habet Concilium Trid., sess. 5, decreto de peccato originali, § 5.

Praxis modi defensivi, *circà Luc.* 15, 22. — Lutheranorum Biblia tredecim legunt : *Adferte stolam optimam* (das best kleyd). — Ista lectio à nostrà multùm distat : *Adferte stolam primam.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1, sect. 4 et 5. — Dicent idem esse *stolam primam*, et *stolam optimam.* — Repl. Ista responsio non procedit, juxtà part. 1, sect. 4 et 5. Deindè, si idem valent, *stola optima* et *stola prima,* supervacanea fuit mutatio.

Praxis modi Probativi, circà Luc. 15, 22. — Legimus in editione nostrâ Vulgatâ : *Adferte stolam primam.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum juxtà part. 2., sect. 4.—S. Augustinus, Quæst. Evang. lib. 2, quæst. 33 : *Stola prima est dignitas quam perdidit Adam.*—S. Hieron. Epist. 146 : *Proferte stolam priorem*, *et induite eum*, *stolam quam Adam peccando perdiderat.* — S. Ambros. in cap. 15 Luc. *Proferte stolam primam.*—Habemus lectionem nostram legitimè probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Biblia Germanica 1477, Belgica 1458, Vulgata 1511, 1552; Pagninus, Arias, Erasmus et Græca.

Praxis modi Offensivi, *circà Luc.* 15, 22.— Biblia Hollandica 1637, in glossâ testantur legi ex græco : *Stolam primam* (die eerste stole). Videantur Castalio, Latina Tigurina, Harmonia Calvini 1614. Hi omnes condemnant lectionem Lutheranam.

In eodem cum Lutheranis errore sunt septem Biblia Germano-Calvinistarum, quatuor Gallorum septem Hollandorum.

§ 3. *An Epistola S. Jacobi sit canonica.*

Negant Lutheranorum Biblia 1533, A. 1533, B. 1540, 1548, 1566, 1572, 1575, 1582, 1589. Affirmat concilium Trid. sess. 4.

Praxis modi Defensivi, circà Epistolam S. Jacobi.— Cùm dicta Biblia Lutherana ponant Epistolam S. Jacobi extrà numerum canonicarum, petimus rationem innovationis. juxtà part. 1, sect. 4, 5.

Praxis modi Probativi, circà Epistolam S. Jacobi.— Probamus Epistolam S. Jacobi esse canonicam, per os SS. Patrum, juxtà part. 2, sect. 4.—S. Hieronymus, de Script. Eccl. : « Jacobus unam tantùm scripsit « Epistolam, quæ de septem Catholicis est. » Vide plures ex antiquis apud Bellarm. dè Verbo Dei, lib. 1, cap. 18. — Habemus sententiam nostram legitimè probatam per principium commune. Videantur Germanica Biblia 1577, Belgica 1548, Vulgata 1511, 1552, Pagninus, Arias, Erasmus.

Praxis modi Offensivi, circà Epistolam S. Jacobi. — Biblia Lutherana 1529, 1534, 1568, 1609, habent dictam Epistolam inter Canonicas, tùm quia reperitur in Catalogo et ordine Epistolarum, tùm quia nulla adest præfatio eam rejiciens. Idem sentiunt omnes Germano-Calvinistæ; omnes Galli, omnes Hollandi, Castalio, Latina Tigurina, Beza.

Notatio ad § 3. — Præfatio Lutheri in Epistolam S. Jacobi, cujusque arbitrio permittit agnoscere eam Epistolam ut canonicam, vel eam rejicere. Et tamen in eâdem præfatione fatetur Lutherus, ex eâ Epistolâ desumi firmum argumentum pro justificatione ex operibus. Hoc posito, si Lutheranus, potestate à Luthero sibi factâ, Epistolam S. Jacobi habeat canonicam, poteritne fieri, ut contrà expressam Scripturam credat Lutheranus solam fidem justificare?

SECTIO IV. *De erroribus Hollandorum Bibliis insertis.*

§ 1. *An sanguis Domini sit in Calice.*

Negat Catechismus Heidelbergensis quæst. 78. *Num ergò panis et vinum fiunt ipsum corpus et sanguis Domini?* et respondet : *Nequaquàm.* — Affirmat concilium Trid., sess. 13, can. 1.

Praxis modi Defensivi, circà 1 *Cor.* 10, 16.—Legunt sex priora Hollandorum Biblia : *Calix gratiarum actionis*, *quem gratias agentes bibimus* (dien wo danctzseggende dzincken). — In nostris Bibliis legimus : *Calix benedictionis cui benedicimus :* undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1, sect. 4. — Dicent : Græcum τῆς εὐλογίας tam posse significare, *gratiarum actionis*, *quàm benedictionis.* — Repl. Hæc responsio non est juxtà part. 1, sect. 4 et 5. Deindè, non queritur quid possit significare verbum græcum, secundùm se sumptum, sed quid hìc, 1 Cor. 10, 16, significet. Posteà, si nobis integrum sit legere : *Calix benedictionis, cui benedicimus*; ergò quærenda erit Ecclesia, in quâ agnoscitur Calix benedictus et sanctificatus. Notandum insuper in nullo textu græco reperiri, *quem bibimus;* adeò ut non tantùm mutatione peccaverint ista Biblia, sed et additione.

Praxis modi Probativi, *circà* 1 *Cor.* 10, 16. — Legimus in editione nostrâ Vulgatâ, *Calix benedictionis*, *cui benedicimus.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà *part.* 2, *sect.* 4.— Eodem modo legitur in comment. ad 1 Cor. 10, inter opera S. Hieron.—S. Ambrosius, in cap. 10 1 ad Cor. : *Calix benedictionis quem benedicimus.* — S. Irenæus, lib. 3, cap. 20 : *Calix benedictionis quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis est Christi?* — Habemus lectionem nostram probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Biblia Germanica 1477, Vulgata 1511 et 1552; Arias, Erasmus et Græca.

Praxis modi Offensivi, circà 1 *Cor.* 10, 16. — Biblia Hollandica, 1637, legunt : *Calix gratiarum actionis cui gratias agentes benedicimus.* Hic habent us *benedictionem* Calicis, quæ importat *sanctificationem*, consentiente Glossâ Bibliorum Hollandicorum 1582. Et debere tantum verti hoc loco cui benedicimus, habet glossa Bibliorum 1637. Insuper nobiscum legunt qua-

tuor Gallorum biblia ; quatuor posteriora Germano-Calvinistarum : duodecim posteriora Lutheranorum ; quibus accedunt Latina Tigurina et Beza. Hi omnes improbant errorem fratrum suorum.

Cum Hollandis in errore sunt tria priora Biblia Germano-Calvinistarum, quæ legunt : *Calix gratiarum actionis cum quo gratias agimus.* (mit welchen wir danctsagen.) Eumdem errorem habent Biblia Lutherana 1519.

§ 2. *An in Eucharistiâ maneat substantia panis.*

Affirmat Catechismus Heidelb. quæst. 78. Negat concilium Trid., sess. 13, can. 2.

Praxis modi Defensivi, circà Marc. 14, 22.—Legunt Biblia Hollandica 1637 : *Cùm benedixisset, fregit illum* (scilicet panem) et dedit illum (scilicet panem) *ipsis.* (gaf het haer.) — In nostris Bibliis legimus : *Accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà *part.* 1, *sect.* 4 et 5. — Dicent esse manifestum, juxtà idioma Belgicum, requiri expressionem relativi, *illum* et *eum.* —Repl. Illud relativum ne quidem semper exprimi in Bibliis Belgicis ; sic enim Marc. 14, 22, legunt Biblia Embdana anni 1556 : *Cùm gratias egisset, fregit illum, et dedit, et dixit ;* ubi post *dedit,* non addiderunt *eum,* ut faciunt Biblia Hollandica 1637, licèt non sit major ratio addendi relativum uni, quàm alteri. Et ne fortè dicant Embdanos non satis intellexisse proprietatem linguæ Belgicæ, legunt, Marc. 14, 22, eodem cum Embdanis modo Biblia Belgica anni 1582, Delphis impressa. Item Biblia Belgica 1612, Dordraci impressa. Item novum Testamentum 1591, Lugduni Batavorum impressum. Possunt illa sufficere, ut ostendamus non esse manifestum, quòd juxtà proprietatem linguæ Belgicæ ista relativa debuerint necessariò exprimi. — Neque instando dicant priores impressiones Belgicas, antè annum 1637, non esse translatas ex græco, quia certum est neque in græco neque in latino ista relativa exprimi.

Praxis modi Probativi, circà Marc. 14, 22. — Legimus in editione nostrâ Vulgatâ : *Accepit Jesus panem, et benedicens fregit, et dedit eis, et ait.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà part. 2, sect. 4. — S. Hieronymus, Epist. 150, ad Hebid. : « Nos audiamus panem, quem fregit Dominus, « deditque discipulis suis, esse corpus Domini Salva- « toris, ipso dicente ad eos : » *Accipite et comedite,* « *hoc est corpus meum.* » Et mox : « Si ergò panis, qui « de cœlo descendit, corpus est Domini ; et vinum, « quod discipulis dedit ; » et mox : « Nec Moyses dedit « nobis panem verum, sed Dominus Jesus, ipse con- « viva et convivium ipse comedens, et qui comeditur. » Et comment. in Marc. S. Hieronymo tributus. — Habemus lectionem nostram probatam ex S. Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Vulgata 1511, 1552 ; Pagninus, Arias, Erasmus et Græca.

Praxis modi Offensivi, circà Marc. 14, 22. — Jam suprà vidimus aliqua Hollandorum Biblia, saltem pro parte benè legere. Legunt cum prioribus Hollandorum Biblii, Gallica 1555, 1556, 1570, 1565, 1577.— Cum Hollandis errant Galli 1622.

§ 3. *An traditiones sint utiles.*

Negat Synopsis pur. Theol. Disp. 4 : *De Sacræ Scripturæ perfectione, et inutili traditionum non Scriptarum ad eam additione.* Affirmat concilium Trid., sess. 4, decreto de canonicis Scripturis.

Praxis modi Defensivi, circà 2 Thess. 2, 15. — Legunt septem Hollandorum Biblia : *Tenete institutiones.* (insettingen.) In nostris Bibliis legimus : *Tenete traditiones.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1, sect. 4 et 5. — Dicent vocem, *institutiones* magis, exprimere sensum Apostoli. Sed hæc responsio non est conformis part. 1, sect. 4 et 5.

Praxis modi Probativi, circà 2 Thess. 2, 15. — Probamus lectionem nostram ex S. Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà part. 2, c. 4. — S. Ambrosius, in 2 Thess. 2 : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones.*— Idacius Clarus : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones.*

Habemus lectionem nostram legitimè probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Biblia Vulgata 1511, 1552 ; Arias et Græca.

Praxis modi Offensivi, circà 2 *Thess.* 2, 15. — Biblia Hollandica 1637, declarant, se hìc non errâsse ex inadvertentiâ ; ponunt enim in Glossâ ex græco : *Tenete traditiones* (over leveringen). Priora duo gallica similiter habent : *Tenete traditiones* (les traditions). Priora tria Germano-Calvinistarum : *Tenete quod id tradidi vobis* (das so ich euch angeben hab). Item etiam Lutherana 1529 et Beza.

Cum Hollandis in eodem errore sunt duo posteriora Biblia Gallica : *Tenete doctrinas* (les enseignements). Item quatuor posteriora Germano-Calvinistarum : *Tenete institutiones,* et duodecim Lutherana.

Sectio v. *De falsificationibus Bibliorum Gallo-Calvinistarum.*

§ 1. *An sola Fides justificet.*

Affirmant Gallo-Calvinistæ, art. 20 Confessionis suæ. Negat concilium Trid., sess. 6, can. 9.

Praxis modi Defensivi, circà Galat. 2, 16.—Legunt Galli in Bibliis 1622 : *Homo justificatus est solùm per fidem* (seulement par la foi). — In nostris Bibliis legimus : *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* Undè petimus rationem mutationis juxtà part. 1, sect. 4, 5.—Dicent fortè eam lectionem coincidere cum nostrâ, aut esse magis conformem textui Græco.

Repl. Ea responsio non est conformis, part. 1, cap. 4 et 5. Deindè, si versio illorum coincidat cum nostrâ, jam frustrà mutatum est. Esse autem magis conformem textui græco, sufficienter probari non potest.

Praxis modi Probativi, circà Galat. 2, 16. — Legimus in editione nostrâ Vulgatâ : *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà part. 2, sect. 4. S. Augustinus, Expos.

Epist. ad Galat. : *Sed scientes, quoniam non justificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem Christi Jesu.*—S. Hieron. Comment. in Epist. ad Galat. c. 2. *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem Jesu Christi.*—S. Amb. in Galat. 2 : *Non justificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem.*

Habemus lectionem nostram probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Biblia Belgica 1548, Vulgata 1511, 1552; Pagninus, Arias, Erasmus.

Praxis modi Offensivi, circà Gal. 2, 16.—Priora duo Gallo-Calvinistarum Biblia habent : *Nisi per fidem* (sinon par la foi); et 1565, *sed per fidem.* Nullibi hìc comparet illud, *solùm*, quo tamen Calvinistæ tantoperè indigebant, ut sententiam suam, de solâ fide justificante firmarent. Cum istis legunt septem Hollandorum Biblia, septem Germano-Calvinistarum, tredecim Lutheranorum, Latina Tigurina et Beza.

Observa hìc in pejus profecisse Gallo-Calvinistas; et ab omni consensu Catholicorum cujuscumque temporis, Calvinianorum Germaniæ, Hollandorum, et Lutheranorum recessisse; quod an malam fidem redoleat quisque judicet.

§ 2. *An sit vetitum facere imagines, ut serviatur Deo.*

Affirmat Catechismus Genev., dom. 23. Negat concilium Trid., sess. 25.

Praxis modi Defensivi, circà Rom. 2, 22.—Legunt tria priora Gallo-Calvinistarum Biblia : *Abominaris imagines* (les images). — In nostris Bibliis legimus : *Qui abominaris idola.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1, sect. 4 et 5.

Hìc nullum patet effugium, nisi dicant se initio prætensæ Reformationis suæ indiguisse istâ falsificatione, ut catholicos imaginibus addictos ab iis deterrerent.

Praxis modi Probativi, circà Rom. 2, 22.—Legimus in editione nostrâ Vulgatâ : *Qui abominaris idola.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os SS. Patrum, juxtà part. 2. sect. 4.—S. Ambrosius, in cap. 2 ad Rom. : *Qui abominaris idola.*— Sedulius ad Rom. : *Qui abominaris idola.*

Habemus lectionem nostram probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur etiam Biblia Germanica 1477, Belgica 1548, Vulgata 1511, 1552, Arias, et Pagninus cum Erasmo, *simulacra*, et Græca.

Praxis modi Offensivi circà Rom. 2, 22.—Legunt Biblia Gallica 1622 : *Abominaris idola.* Omnia Hollandica legunt : *Qui abominaris idola.* Omnia Germano-Calvinistarum : *Abominaris Deos falsos.* (Gœtzen.) Ità etiam Lutherana 1529 et 1534, reliqua legunt, *idola.* Subscribit Beza.

§ 3. *An quis possit excidere à fide.*

Negant Gallo-Calvinistæ, Conf. art. 21, Calv. Instit. lib. 3, cap. 2, § 12, Catechis. Heidelb. quæst. 21. Affirmat concilium Trid., sess. 6, can. 23.

Praxis modi defensivi, circà 1 *Cor.* 9, 27. — Legunt posteriora duo Gallo-Calvinistarum Biblia : *Corpus meum in servitutem redigo, ne quo modo, cùm aliis prædicavero, ipse inveniar non recipiendus* (afin qu'en quelque manière, etc., moi-même ne sois trouvé non recevable).— In nostris Bibliis legimus : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, reprobus efficiar.* Undè petimus rationem mutationis, juxtà part. 1, sect. 4 et 5. Dicent eum locum, 1 Cor. 9, 27, esse intelligendum juxtà analogiam fidei et vocem, *reprobus*, ibi non opponi, *electo*, ut docet Beza; ac proindè non vertendum, *reprobus*, ne quis incautior erret, sed meliùs, *non recipiendus*; quòd illius verbi significatio modificetur per voces, *aliquo modo.* — Repl. Hæc responsio non est juxtà part. 1, sect. 4 et 5. Deindè, quid sibi volunt ista verba : *Intelligendam esse Scripturam juxtà analogiam fidei?* Cujus fidei? Nùm Catholicæ? neutiquàm. An Lutheranæ? nihil minùs; sunt enim Lutherani in hâc quæstione Calvinistis contrarii. Cujus ergò fidei? Quin dicitis apertè : Calvinisticæ? Absurdum.

Praxis modi Probativi, circà 1 *Cor.* 9, 27.— Legunt Biblia nostra vulgata : *Castigo corpus meum, et in servitudinem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, reprobus efficiar.* Hanc lectionem probamus ex Scripturâ, per os Sanctorum Patrum; juxtà part. 2, sect. 4. S. Aug. de Agon. Christ. cap. 6 : *Castigo corpus meum, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* — S. Ambros. in 1 Cor. 9 : *Ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.* — S. Cyprianus, de sing. Cleric. : *Ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus inveniar.*

Habemus lectionem nostram legitimè probatam ex Scripturâ, per principium commune. Videantur Biblia Germanica 1477, Belgica 1548. Vulgata 1511, 1552; Pagninus, Arias et Erasmus.

Praxis modi Offensivi, circà 1 *Cor.* 9, 27. — Duo priora Biblia Gallo-Calvinistarum legunt : *Ne contingat, cùm aliis prædicavero, meipsum reprobari* (afin qu'il n'advienne que quand j'aurai prêché aux autres, moi-même sois réprouvé). Omnia Biblia Hollandica habent : *Ne ipse reprobus fiam* (verwoz peliich). Ità etiam omnes Germano-Calvinistæ; omnes Lutherani: Castalio, *rejectaneus*: Latina Tigurina, *reprobus*: Beza *rejectaneus*, quam vocem explicat per vocem *reprobus.* Hi omnes ostendunt Gallo-Calvinistas à majoribus, et fratribus suis deflexisse, ut errori suo patrocinarentur.

Pars iv.

Destruuntur omnia Protestantium Biblia vulgaris versionis, simul et separatim sumpta.

Quia ministri Protestantium nihil magis urgent publicè, nihil magis inculcant privatìm, sive apud Indoctam plebem, quàm salutem nostram ex Scripturis sacris et divinis petendam esse; neque in æternum sa

lutis negotio fidem mortalium ulli habendam; et conqueruntur notitiam verbi divini, et lectionem sacrorum librorum populo per Catholicos ereptam; non inutilè futurum existimavimus, si ipsas Bibliorum Protestantium vulgares versiones totas et omnes aggrederemur, ostendentes nihil illis certæ et infallibilis auctoritatis tribuendum esse, neque in illis tutò fundari posse ullum articulum fidei.

Sectio prima. — *De insufficientiâ Bibliorum Protestantium.*

Ea probatur primò, ex ratione translationis. Nulla enim versio ex hebræo, vel græco facta est authentica et canonica, ex naturâ suâ; quia, ut aliqua versio sit authentica, requiritur sufficiens auctoritas publica. Nulla etiam versio, ex doctrinâ Protestantium, est authentica; de quo vide Synop. pur. Theol. Disp. 3. thes. 11. — Probatur secundò, ex qualitate transferentium. Nam illi sunt homines fallibiles: de quibus non habemus absolutam certitudinem, quòd in transferendo non erraverint. — Probatur tertiò, ex confessione transferentium. Nam translatores Bibliorum Lutheranorum, et aliorum, in præfationibus petunt sibi ignosci, si in quo erraverint. — Probatur quartò, ex erroribus in translatione repertis; de quo sufficienter actum in præcedentibus.

Sectio ii. — *Protestantes non posse provocare ad textum græcum, tanquàm authenticum.*

Primò quia non constat certò, Matthæum græcè scripsisse, et non hebraicè: S. Hieronymo posteriùs asserente, Præf. in quatuor Evangelia; et S. Irenæo, lib. 3, cap. 1. Secundò, quia non constat certò, S. Marcum græcè scripsisse, et non latinè. (Vide Bellarm. de Verb. Dei, lib. 2, cap. 7.) — Tertiò, quia licèt constet ipsas originales auctorum canonicorum Scripturas esse authenticas, non tamen constat descriptas copias, vel impressa ex istis exemplaria esse authentica. — Non probatur ex Deut. 17, 18, exemplaria, seu copias quasvis esse authenticas. Ibi enim sic legitur: *Postquàm autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribûs.* Vides, ex mandato Dei, accipiendum fuisse exemplar *à Sacerdotibus Leviticæ tribûs;* ut quod in originali erat authenticum, interveniente auctoritate publicâ sacerdotum Leviticæ tribûs fieret authenticum. — Quartò, quia in græcis exemplaribus maxima est interdùm varietas, fatente Bezâ, præfat. in novum Testamentum, 1556. Quid in illâ varietate erit authenticum? — Exemplum sit ex 1 Cor. 15, 51, ubi nos ex græco legimus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* Beza ex alio græco exemplari legit: *Non omnes quidem obdormiemus, sed omnes mutabimur,* quæ est contradictoria prioris lectionis in materiâ gravi. Vide S. Hieronym., Epist. 152; S. Hilar. in Psalm. 52. — Aliud, Act. 1, 11, Beza legit: *Ità veniet, quemadmodum spectâstis eum proficiscentem in cœlum.* Et notat in tribus vetustis codicibus legi, *Iste,* scilicet veniet. Ex quo verbo argumentatur contrà substantialem Christi Domini in SS. Eucharistiâ præsentiam; adeòque in materiâ fidei contestata. — Aliud, Joan. 8, 27, Beza legit: *Quod de Patre eis loqueretur.* Nos ex græco legimus, fatente Bezâ: *Quia Patrem eis dicebat Deum;* quod testimonium insigne est pro divinitate Salvatoris. Hæc iterùm materia est fidei gravissima. — Quintò, probatur ex diversâ ejusdem græcæ vocis interpretatione. Sic legit Beza, 1 Joan. 5, 6: *Spiritus is est qui testificatur, quòd spiritus est veritas.* Eodem ferè modo legunt Biblia Lutherana et Hollandica; Gallica nobiscum legunt; Calvino-Germanica variant. Illud autem explicat Beza de testimonio spiritûs privati circà uniuscujusque justitiam; et vult Græcum ὅτι, significare *quòd.* Vulgata lectio habet: *Quoniam Christus est veritas;* quæ verba explicationem Bezæ non admittunt. — Sextò probatur ex diversitate lectionis græcæ, ortâ ex diversitate interpunctionis. Sic nos legimus Marc. 16, 9: *Surgens autem manè primâ sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Nobis est distinctio post terminum, σαββάτου, et consequenter tenemur credere resurrectionem contigisse manè, idque primâ sabbati; ex quo tempore derivatur celebratio Paschæ, et diei Dominici. Beza tamen 1556, legit, quasi ex græco: *Quùm autem resurrexisset Jesus, manè primo die hebdomadæ apparuit primùm Mariæ Magdalenæ;* et tamen ipsum græcum Bezæ 1604, habet distinctionem post vocem, σαββάτου, sicut nos habemus. (Vid. S. Hieronym., epist. 150, quæst. 3; S. Dionys. Alexandr. epist. 1.) — Sic nos et Protestantes, Luc. 23, 43, legimus: *Amen dico tibi: Hodiè mecum eris in paradiso.* Et tamen, juxtà Bezam, aliqui postpositâ distinctione, particulam, σήμερον, conjunxerunt cum verbo, λέγω, ut sensus sit: *Amen dico tibi hodiè, mecum eris in paradiso.* — Septimò probatur ex diversitate lectionis græcæ, ortâ ex diversitate aspirationis. Græci antiquitùs non utebantur spiritibus et accentibus, sicut ex multis hujus temporis scriptoribus constat, etiam fatente Bezâ, in 1 Cor. 2, 9. Et tamen certum est, Hebr. 3, 6, ex solâ diversitate spiritûs, oriri diversitatem textûs. Nos legimus: *Christus verò tanquàm filius in domo suâ.* Beza: *At Christus, ut filius, domui suæ præest,* αὑτοῦ. Quod testimonium insigne est pro divinitate Christi; nam, inquit Scriptura, Hebr. 3, 5; *Moyses fidelis erat in totâ domo ejus,* scilicet Dei, non suâ, *tanquàm famulus,* ibid. Christus verò, tanquàm filius, *in domo suâ.* — Et tamen Hebr. 3, 6, αὐτοῦ, *ipsius,* non, *suâ.* Quomodò Erasmum convincet Beza, si Apostolus nec spiritum asperum, nec lenem voci αυτου, apposuerit? Si conjecturas attulerit Beza, conjecturas adferet et Erasmus, meritòque dicet non sufficere lectionem solis conjecturis stabilitam, ut probetur divinitas Christi Domini. — Octavò probatur ex diversitate lectionis græcæ, ortâ ex diversitate accentûs. Ità Hebr. 9, 2, communiter nos legimus ἁγία, accentu in penultimâ, adeò ut sit adjectivum et femininum singularis numeri sensumque faciat: *Propositio panum, quæ dicitur sancta.* At ἅγια, accentu

in antepenultimâ, adjectivum et neutrum pluralis numeri, sensum facit : loca, de quibus loquitur Apostolus esse sancta. Priorem lectionem nos sequimur et Erasmus ; Beza fatetur eam reperiri in quibusdam codicibus, et sequitur lectionem posteriorem. Possent hujusmodi exempla adduci multa ; sed nihil opus est in re planâ. — Nonò probatur, quia Protestantes rejiciunt quandoque omnia exemplaria græca. Exemplum, Matth. 10, 2, in omnibus exemplaribus græcis et latinis legitur : *Primus Simon qui dicitur Petrus*. Ità et Biblia Lutherana, Hollandica, Gallica et Germanica Calviniana.

Adversùs ejusmodi consensum, à Protestantibus agnitum, conatur ea verba in dubium vocare Beza, quandò scribit de voce πρῶτος : « Quid si hoc vocabulum ab aliquo additum sit, qui Petri primatum vellet stabilire ? nihil enim sequitur, quod cohæreat. » Ità Beza, quod existimat officere errori Protestantium, audaci temeritate cupit elusum. Bezæ videtur nihil sequi, quod cohæreat ; ergò Bezæ fit verisimile, vocabulum πρῶτος (etiamsi reperiatur in omnibus exemplaribus græcis et latinis ; etiamsi ejus sensus exprimatur in editionibus vulgaribus) ab aliquo additum, qui Petri primatum vellet stabilire. Quid hoc est, nisi contrà conscientiam pervertere verbum Dei ?

SECTIO III. — *Protestantes non posse provocare ad textum hebræum, tanquàm authenticum.*

Licèt, quæ hactenùs dicta sunt de textu græco, etiam pro magnâ parte applicari possint textui hebræo, visum tamen, post D. Veronium, rationibus quibusdam demonstrare provocationem Protestantium ad textum Hebræum, non esse priori solidiorem. — Ratio prima, ex ambiguitate textûs hebræi. Ambiguum vocamus textum, quandò idem locus, eadem vox, idem verbum diversis ac discrepantibus modis, ob causas rationabiles atque urgentes explicari potest. Hoc autem apud Hebræos contingit, ex diversitate significationis unius ejusdemque vocis. Contingit, quòd idem verbum in variis conjugationibus habeat non raró contrarias significationes : imò idem quandoque contingit circà idem verbum in eâdem conjugatione. Quid, quòd eadem vox et diversæ significationis radicibus descendat ; quòd maxima sit quarumdam vocum similitudo ; quòd litteræ dissimiles cumulentur ; quòd integræ voces subaudiantur, et vicissìm redundent? Hæc, et similia habet Pagninus.

Positâ hâc diversitate, non quæritur quid probabiliter, et incongruo modo dici possit, sed quid adeò certò et indubitatò asseverandum sit, ut securâ fide acceptetur pro divino. Ipsi Protestantes omnem significationis hebraicæ diversitatem in suis Bibliis non expresserunt ; uti nec exprimi potest sine ingenti confusione ; de quo videri potest versio Belgica anni 1637, cum suis glossis. — Docendum igitur illis incumbit, illud quod non expresserunt, non fuisse exprimendum, et illud, quod expresserunt, fuisse à Spiritu sancto intentum.

Ratio secunda, ex diversitate punctorum. Hæc enim ab initio hebrææ linguæ non fuisse conjuncta, communissima habet sententia. Ex eorum diversitate oriri diversitatem lectionis, notorium est. — Exemplum : Isai. 9, 6, dicitur de Christo : *Vocabitur Deus*. Judæi, mutatis punctis, ex passivo fecerunt activum, *vocabis*. Et sic enervatur insigne testimonium pro divinitate Christi. — Lutherani 1529, pro *Deus*, legunt, *Potestas*. Item 1534, 1535, A. 1535, B. 1540, 1548, 1566, 1572, 1575, 1582, 1589, 1609. Item Biblia Hollandica 1581, 1582, 1612, 1614. At verò 1637, *Deus fortis*. Gallica 1553, 1554, *Dieu fort*. Calviniana Germanica 1538, 1560, 1570, 1587. *Deus fortis*, Heidelb. 1601, 1617. (Vid. S. Hieronym. in eum loc. Bellarm. de Verb. Dei, lib. 2, cap. 2.)— Aliud : Isai. 62, 11, legitur : *Ecce Salvator tuus venit*. Mutatis punctis, legunt Judæi : *Ecce salus tua venit*; quam salutem referunt ad ipsum Deum Patrem, non ad Christum. (Vid. S. Hieron. in eum loc.)— Biblia Lutherana malè legunt cum Judæis, *Helv.*, 1529, 1534, 1535, A. 1135, B. 1540, 1548, 1566, 1572, 1575, 1582, 1589, 1609 ; item Hollandica 1581, 1582, 1602, 1612, 1614, 1637. Gallica benè legunt, 1553, 1554. Malè iterùm Calviniana Germanica, *Heyl.* 1538, 1560, 1570, 1587, 1601, 1617. Aliud : Jerem. 53, 6, legimus : *Hoc est nomen, quod vocabunt eum* (id est, quo vocabitur Christus) *Dominus justus noster*. Quo probatur divinitas Christi. Judæi, mutato uno puncto, totum hoc argumentum eludunt. Nobiscum benè legunt Biblia Lutherana, Hollandica, Gallica, Calvinianorum Germaniæ. In istis exemplis discrepat nostra vulgata à punctuatione; et, ut vidimus, varia Protestantium Biblia sequuntur nostram lectionem, contrà Judæorum punctuationem. Dicant ergò Protestantes utra, in istis exemplis, lectio sit divina et canonica ; ità ut articulus fidei in eâ securè fundetur. Judæorum auctoritas præstò non est, quia ab iis recedunt. Catholicæ Ecclesiæ auctoritas si ipsis sufficit, congratulamur : debebit enim et in aliis sufficere.

Ratio tertia, quia Judæi corruperunt Biblia. Exemplum : Ps. 21, 22, 17, legit Vulgata : *Foderunt manus meas et pedes meos*. Quæ est insignis prophetia de crucifixione Christi. Legunt Judæi : *Sicut leo manus meæ*, etc. Lutherani, Hollandi, Galli, nobiscum legunt; Calvinistæ Germani initio cum Judæis, posteà nobiscum. —Aliud : Isa. 53, 8, legit Vulgata : *Propter scelus populi mei percussi eum*. Hoc in singulari de Christo accipitur. Judæi nunc in plurali legunt de populo Israelitico. Nobiscum legunt Biblia Lutherana, Hollandica, Gallica, Calvino-Germanica. — Aliud Zachariæ 9, 9 Vulgata legit : *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator*. Nunc Biblia Hebraica legunt, *salvatus*. Quam depravationem Judæi invexerunt, ne Christum agnoscerent Salvatorem mundi. Lutherana Biblia nobiscum legunt 1529, sed legunt, *adjutor*, in sequentibus. Hos sequuntur Hollandica, nisi quòd anno 1637 legant, *Salvator*. Gallica, *Salvator*. Calviniana Germanica 1538, 1560, 1570, benè ; at verò legunt, *adjutor*, 1587, 1601, 1617.—Aliud : Zachariæ 9, 11, legit Vulgata,

Tu in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Hoc testimonium de Christo, quibusdam mutatis, detorquent Judæi ad Synagogam suam. — Lutherana Biblia malè 1529, et benè in sequentibus. Hollandica benè. Gallica pervertunt. Calviniana Germanica malè 1558, 1560, 1570, et iterùm benè, 1587, 1601, 1617.

His positis, quilibet judicet an Protestantes sint admittendi, provocantes ad textum hebræum, pro stabiliendo fidei dogmate. Si enim velint Judæis per omnia assentiri, necesse erit ut et eorum depravationes acceptent, quod alienum est à viris bonis. Sin autem non per omnia assentiuntur Judæis, quid invenient, quod sufficienti fundamento contrà Catholicos allegent ?

Sectio iv. — *Communis consideratio ex præcedentibus.*

Docent Protestantes Deum hoc tempore non loqui hominibus, neque docere quid credendum sit, nisi per Scripturas. Petat populus : Cui Scripturæ sit credendum? Respondent : Vulgari Germanico-Belgico, Gallico ; *quatenùs religiosissimè translata pressè et plenè respondet authenticæ.* An autem ista vulgaris translatio pressè et plenè respondeat authenticæ, nequit judicare populus, qui exemplaria græca et Hebræa, à vobis habita authentica, non intelligit. Crederet fortassè vobis populus, nisi ipsi diceretis illas translationes esse *Scripturam sacram, quatenùs respondet authenticæ.* Novit etiam populus exemplaria, quæ habetis græca et Hebræa, ex vestrâ confessione, non esse originales Scripturas, ab ipsis Apostolis et discipulis Christi relictas ; novit non esse copias publicâ auctoritate descriptas, publicâ auctoritate cum originali collationatas ; quales etiam in profanis solent exigi judiciis, ne cui mendacium pro veritate obtrudatur. Fac tamen, in verbo ministrorum suorum, id credere populum ; quamvis, non credere hominibus, ab ipsismet edoctum.

Sed audit populus à vobis commendari *religiosissimè factas translationes ;* quod iterùm credit in verbo ministrorum suorum ; à quibus tamen didicerat hominibus non credere. Ista verò religiosissima translatio non potest impedire, quo minùs ipsi dicatis eam non esse Scripturam sacram, nisi *quatenùs pressè et plenè respondet authenticæ.* Hæret populus, et nescit in quibus ista translatio pressè et plenè respondeat authenticæ, in quibus verò nec pressè, nec plenè respondeat authenticæ. Præsumit insuper de ministrorum suorum religiosâ sinceritate, quòd nec ipsi sciant, in quibus suorum translatio respondeat authenticæ, quòd loca non respondentia fecissent authenticæ respondere, siquidem ea scivissent.

Magis angitur populus, quandò ministros suos audit confitentes esse magnam diversitatem exemplarium græcorum, etiam in locis ad fidem pertinentibus ; esse frequenter variam ejusdem græcæ vocis interpretationem ; esse variam interpunctionem ; varietatem ex aspiratione ; varietatem ex accentu. In exemplaribus hebræis esse multam ambiguitatem ex diversitate significationis unius ejusdemque vocis ; ex varietate conjugationum, ex diversitate punctorum, ex malitiâ Judæorum. Propterea non miratur quidem quòd dicatis translationem non esse Scripturam sacram, nisi quatenùs pressè et plenè respondet authenticæ ; sed summoperè miratur sibi mandari ut Scripturâ sacrâ quærat salutem suam, cùm tamen nesciat quatenùs conveniat authenticæ ; et meritò præsumit vos idem nescire. Obstupescit verò populus considerans varietatem in exemplaribus, in ejusdem vocis interpretationibus, in interpunctionibus, in aspirationibus, in accentibus, in aliis, à vobis agnosci; et tamen suas versiones non esse Scripturam sacram, nisi quatenùs pressè et plenè respondet rei variæ, quam interim vos asseritis authenticam.

Desperabit proindè populus per ejusmodi Scripturam ad veritatem fidei perveniri posse, nisi à suis ministris firmius aliquod accipiat solatium.

TRACTATUS QUINTUS.

DE PERPETUA PROBATIONE FIDEI PER TESTES.

Sectio prima. — Juxtà Apostolum *Hebr.* 11, *est fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et quia non rerum apparentium est fides, probationem postulat intellectûs, qui citrà rei evidentiam, vel probationem temerè assentitur. — Evidentiam frustrà quæras in rebus fidei, ut quæ sint de non apparentibus per lumen naturale. Sequitur probatione indigere fidem, ne temerè credamus. Itaque probatio est testimonium, vel instrumentum, quo fides veri constat. Nam probatio testibus, et fide tabularum conficitur. — Hic autem agemus de probatione fidei per testes ; quatenùs ea distinguitur à probatione per instrumenta. Testimoniis creditur propter testes, horumque integritatem et fidelitatem.

Testis est qui de aliquo facto, aliis ignoto, vel dubio testimonium dicit. Testimonium, seu attestatio, est ipsius testis asseveratio.

Agemus de perpetuâ probatione, quia probatio per testes nunquàm recusari potest : quia de traditis sine scripto, citrà testes constare non potest ; quia instrumenta fidei nostræ dependent à testibus.

Sectio ii. — *Fundamentum Christianismi refertur.*

Fides, quatenùs significat assensum mentis, ex prævià Dei gratiâ, veritati revelatæ præstitum, versatur circà sperandarum substantiam rerum non apparentium. Neminem futurum existimamus, in libris novi Testamenti Domini nostri Jesu Christi vel modicè

versatum, qui neget fundamentum Christianismi esse fidem, quam verbo Dei adhibemus. Quid enim per universa Evangelia narratur frequentiùs, suadetur fortiùs, inculcatur uberiùs, quàm fides? Jesus Christus exegit fidem ab auditoribus et discipulis; et veritas doctrinæ ejus merebatur fidem; fidem verbis suis haberi voluit; et ut nullus esset excusationi locus, ea patravit admiranda opera, quibus et simplices et docti meritò ad fidem commoverentur. — Doctores dedit orbi universo, viros fideles, prædicatores veritatis, suasores fidei; persuasores etiam, iis signis instructos, quæ nec subtilitas gentilium, nec perversitas Judæorum posset convellere. Ità nimirùm oportebat ut æterna Dei sapientia, per stultitiam crucis mundum reconciliatura Patri, quæ stulta erant mundi eligeret, quo confunderet sapientes; obedientià sublatura crimen inobedientiæ; parvis et humilibus abundantiorem concessura gratiam, tanquàm ad obedientiam fidei, divinà ordinatione singulariter dispositis. — Nolumus hìc pluribus deducere quæ universis sunt perspectissima. Illud unicum non tàm persuasum, quàm repetitum cupimus: Captivandum esse intellectum in obsequium fidei, ut simus Christiani.

SECTIO III. — *Christum Jesum miraculis et testibus fidem meruisse.*

Numquid ipsum Dominum Jesum videmus, quantùm illa, cui et ipsi Protestantes credunt, docet historia, nihil priùs, nihil fortiùs, quàm credi sibi voluisse; cùm discipuli necdùm essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta. Quid enim aliud agunt tanta, et tàm multa miracula, ipso etiam dicente, illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur? Fide ille stultos ducebat; privato illos S. Scripturarum scrutinio docendos esse, Protestantes existimant. Clamabat ille ut crederetur; Protestantes reclamant. Laudabat credentes ille; Protestantes objurgant.

Sed nec testes defuerunt, undè constaret de Domini Jesu auctoritate. Nam in nomine Jesu omne genu flectitur reverentià, cœlestium, terrestrium, et infernorum; ipsâque testantur submissione ei fidem adhibendam esse. Cœlestes spiritus in nativitate ejus testimonium perhibent; sequuntur pastores; Magi, per prophetiam eruditi, stellæ ductu Jesum inveniunt; Angelis, hominibus, et olìm mortuis de eodem testantibus. — Idem nomen testimonium habuit de cœlo, voce ab altissimis delatâ: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.* Testimonium invenit in terrâ, dicente præcursore Joanne: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Prodiit etiam testimonium ab infernalibus spiritibus, quandò clamabant dæmonia: *Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei?* — Aliundè trinum testimonium, et quidem illustrius desumetur, si consideremus quomodò gloriam suam discipulis exhibuerit. Aderant enim Moyses et Elias; et insuper accedebat de cœlo vox Patris æterni. Non quasi cæteros testes, vel alia reprobaret testimonia; sed quoniam in tribus testibus stabit omne verbum. — Ergò Christus Jesus afferens medicinam, quæ corruptissimos mores sanatura erat, miraculis testibusque conciliavit auctoritatem; auctoritate meruit fidem; fide contraxit multitudinem; multitudine obtinuit vetustatem: vetustate roboravit religionem; quam non solùm hæreticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error, violenter adversans, aliquâ ex parte convelleret.

SECTIO IV. — *Quibus Christus voluerit prædicari fidem.*

Notum est ex novo Testamento voluisse Christum prædicari fidem omni creaturæ, doctis æquè ac indoctis, simplicibus et exercitatis. Decuit enim ut qui omnes homines volebat salvos fieri, prædicationem ad omnes et singulos dirigeret. Atque ideò missi sunt Apostoli in orbem universum, ut traderent quod acceperant; ut docerent quod didicerant; ut observationem mandatorum Christi cunctis proponerent. Nam si propter eos solos Christus mortuus est, qui certâ intelligentià possunt ista discernere, penè frustrà in Ecclesià laboramus.

Nullus autem datur modus efficacior et facilior deducendæ veritatis ad omnium notitiam, quàm per testes. Magnum verò testium numerum pro Christo jam produximus, ex domesticis et alienis; ex amicis et inimicis; ex omni statu, ut veritas neminem possit latere, nisi qui eam defugerit.

SECTIO V. — *Christum voluisse prædicari fidem per testes.*

Conveniens enim erat ut prædicatio fidei, ad omnes directa, universis ad fidem Christi adducendis esset coaptata. Cùm enim esset impossibile sine fide placere Deo, justo ex fide vivente; instituit procul dubio æterna Dei sapientia, infirmitati nostræ sese attemperans, eum prædicandi modum, quo non minùs indocti, quàm docti ad fidem pervenirent. Oportet igitur eum prædicandi modum esse ad persuadendum cùm efficacissimum, tùm facillimum. Efficacissimum quidem, ne ingeniorum subtiliorum perversitate posset perverti, vel potiùs eludi. Facillimum, ne docti, præ indoctis, viderentur ad fidem electi; cùm apud Deum non sit acceptio personarum; et, testante Salvatore nostro, humilibus et pauperibus singulari modo destinata sit prædicatio Evangelii. — Modum illum prædicandi efficacissimum et facillimum tradidit Salvator mundi novissimis antè ascensionem suam verbis: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Solent parentes, ex hàc vità abituri, postremis verbis optima quæque suis filiis commendare. Solent filii, parentum suorum amantissimi, ultimorum verborum mandatorumque à parentibus acceptorum nunquàm oblivisci. Christus Jesus, quod antè passionem suam frequenter prædixerat et commendaverat, ascendens ad Patrem, rursùm prædicit et commendat: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæâ, et Samariâ, et usque ad ultimum terræ.* Perpendamus hæc verba, tanquàm filii parentis nostri amantissimi; indè enim planum fiet, quem prædicandi modum sapientissimus Magister voluerit observari;

qui sese simul manifestabit efficacissimum et facillimum. — Probatio per testes tunc est facillima, tunc efficacissima, quandò ea fit per testes omni exceptione majores, auctoritate testium dictis ipsorum fidem conciliante. Unusquisque facilè judicat testibus in auctoritate constitutis fidem esse adhibendam. Illicò protervus judicatur, qui se dictis talium testium, sub quocumque prætextu, opponit. — Sic igitur Evangelium prædicari voluit Christus, ut Apostoli testimonium perhiberent de ipso, ejusque doctrinâ, usque ad ultimum terræ, Domino scilicet cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. Ità Dominus Jesus auctoritatem majorem testibus conciliavit Apostolis, verbo eos designans, et toti mundo cooperationem et signa eosdem innotescere faciens; quod haberent docti et indocti, quod sequerentur facilè, et quod efficaciter retinerent; omnesque illos, tùm docti, tùm indocti protervos æstimarent, qui se tantæ auderent opponere auctoritati.

SECTIO VI. — *De testibus ex S. Scripturâ.*

Ab initio mundi per testes traditam, propagatamque esse veram religionem, nemo nisi temerè negaverit. In eum finem testimonium Moysis fuisse à Deo adhibitum, testatur Apostolus, Hebr. 3, 5 : *Et Moyses quidem fidelis erat in totâ domo ejus tanquàm famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant.* — De Christo prædictum fuerat in veteri Testamento : *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem Gentibus.* Isa. 55, 4. Quomodò autem præclarissimum reddiderit testimonium, tradit S. Apostolus, 1 *Tim.* 13 : *Præcipio tibi coràm Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem.* Anteà quidem testimonium de seipso perhibuerat Jesus, quòd malè calumniabantur Judæi; cùm illi conveniret dictum Jeremiæ cap. 29 : *Ego sum judex et testis, dicit Dominus.* Quia enim Dominus erat, et Deus omniscius ab æterno, etiam solitarium de seipso testimonium tanquàm errare nescii, debebat sufficere. Quòd verò esset Dominus, multiplicibus erat manifestum testimoniis, quorum in antecedentibus meminimus. Ipse Dominus dignatur provocare ad sua opera : *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Nam per opera Pater reddebat testimonium de Filio : et quot erant opera ejus miraculosa, tot erant pro Filio testimonia. Et proindè Christus Jesus est *testis fidelis*, Apoc. 1, 5. *Est testis fidelis et verus, qui et principium creaturæ Dei*, Apoc. 3, 14. Ecce testificatur ut Dominus et Judex : *Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod videmus testamur, et testimonium nostrum non accipitis.* Et similiter : *Qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur : et testimonium ejus nemo accipit.* Rursùs suam dignitatem probat : *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. Alius est qui testimonium perhibet de me; et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me. Vos misistis ad Joannem; et testimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine testimonium accipio, etc. Ego habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me : et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me,* Joan. 3, 11 et 32, et 5, 31 et seq. — Non indigebat Christus testimonio Joannis, ut qui majus habebat testimonium; sed utile erat Judæis Joannis testimonium, ut ducerentur ad Christum. Nam *hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum : non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Iterùm : *Et testimonium perhibuit Joannes dicens : Quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, et mansit super eum. Et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi; et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* — Antè passionem suam prædixit Apostolis suis, et discipulis Christus, futurum ut de ipso testificarentur, et propter testificationem multa paterentur : *Tradent vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et ad reges ducemini propter me, in testimoniis illis et gentibus,* Marc. 10, 18. Prædixit testificationem Evangelii per mundum universum : *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio,* Matth. 24, 14. Ideò creavit eos testes subordinatos Spiritui sancto. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis de me; quia ab initio mecum estis,* Joan. 15, 26. Et post resurrectionem suam dixit Apostolis : *Vos testes estis horum.* — Meritò igitur convenit omnibus veris Christianis, quod Corinthiis dicit Apostolus : *Testimonium Christi confirmatum est in vobis.* Et, ut loquitur idem Apostolus ad Hebr. 12, 1 : *Tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum,* etc. Nubes illa testium ducit nos ad terram promissionis : nam, *Liberat animas testis fidelis*, Prov. 14, 25, ideòque meritò unusquisque nostrûm dicit : *Adhæsi testimoniis tuis, Domine*, Ps. 118, 31.

SECTIO VII. — *Per testes inchoatam fidem, per testes fuisse continuatam.*

Satis jam ostendimus voluisse Christum per testes fidem prædicari. Sequitur ut declaremus quomodò per testes prædicatio fidei fuerit continuata. Audivimus S. Petrum, post defectionem Judæ, alium desiderâsse resurrectionis Christi testem. Sciebat enim Ecclesiam sine ministerio esse non posse, et quotquot ad publicum ministerium assumuntur, constitui singulari modo testes veritatum fidei; ut continuatis per officium testibus, ipsa fidei prædicatio eodem modo continuetur. — Et ad sequentia prospiciens tempora, præclarè statuit S. Paulus : *Tu ergò, fili mi,* Timothee, *confortare in gratiâ, quæ est in Christo Jesu; et quæ au-*

disti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Primùm commendaverat Timotheo constantem professionem Christianismi, ut qui veritatem evangelicam acceperat à S. Paulo, aliisque testibus à Deo præordinatis : *Noli erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundùm virtutem Dei.* Non erat causa, cur Timotheus erubesceret testimonium Domini; quamvis enim reverà esset testimonium hominum, quatenùs tamen illi homines erant præordinati à Deo ad ferendum testimonium, erat testimonium ipsius Domini. Non erat causa, cur Timotheus erubesceret Paulum vinctum; quia hoc prædixerat Dominus, futurum ut testes sui persecutionem paterentur; undè ex infirmitate Pauli magis debebat confirmari. Non erat causa, cur Timotheus erubesceret testimonium perhibere Evangelio, monitus ab Apostolo non tàm suum esse, quod perhiberet testimonium, quàm ipsius Domini. Ità fortissimè eum incitat ad collaborandum Evangelio secundùm virtutem Dei. Et ideò dixerat : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Quæ audivit Timotheus ab Apostolo conformia testimoniis Apostolorum reliquorum, qui simul cum Timotheo veritati ab Apostolo auditæ testimonium perhibere possunt, ea debent commendare fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere. — Quid hoc est? Timotheo injungitur munus docendi. Quid docebit Timotheus? Nonne quod audivit ab Apostolo? Sed illi, qui discunt, stabuntne testimonio solius Timothei? Hoc non dicitur. Quid ergò faciet Timotheus, ut suis verbis habeatur fides? Numquid adhibebit testes, qui cum ipso doctrinam fidei ab Apostolo audierunt? Sed his adhibitis, tenenturne discentes ejus testimonio acquiescere? Si quidem apostolicis standum est verbis, omninò tenentur. Qui autem didicerint à Timotheo per multos testes, tanquàm idonei alios docere, eumdem observabunt docendi modum, ut adhibitis testibus propagetur et continuetur fides ad sequentia tempora.

Habes, lector, per testes inchoatam fidem, per testes fuisse continuatam; et fideles Christi Apostolos eum prædicandi modum, qui à Christo erat commendatus, tùm observâsse, tùm aliis observandum tradidisse.

Sectio viii. — *Fundamentum faciendæ inquisitionis.*

Nemo dubitat eum, qui veram religionem inquirit, aut jam credere immortalem esse animam, cui prosit illa religio, aut idipsum in verà religione velle invenire. Animæ igitur causa omnis religio. Nùm corporis natura, quoquo modo se habeat, nullam curam ac sollicitudinem incutit ei, præsertìm post mortem, cujus anima tenuerit, quò beata sit. Animæ igitur causa vel solius, vel maximè, si qua est, vera religio instituta est. — Hæc autem anima (non inquirimus, quam ob causam) erat ac stulta est, donec adipiscatur percipiatque sapientiam; et fortassè ipsa est vera religio. Nùm quemquam ad fabulas mittimus? Nùm cogimus, ut temerè credatur? Animam nostram dicimus, errore ac stultitià irretitam ac demersam, viam, si qua est, quærere veritatis. Si hoc in Protestantibus locum non habuerit, dent veniam, et innatam nobiscum participent sapientiam suam; sin id quod diximus agnoscunt in seipsis, quid impedit quominùs simul quæramus verum?

Sectio ix. — *Modus inquirendi.*

His igitur constitutis, quæ, ut opinamur, ità justa sunt, ut obtinere apud Protestantes istam causam quovis judice debeamus; dicendum est quo modo viri præstantissimi de verà religione inquirendum esse putaverint, ipsarum rationum momenta ponderantes. — Hærent initio cunctabundi, dùmque recogitant quid ipsis tenendum, quid dimittendum sit, cunctatio in dies major oboritur. Sed quonam modo verum inveniendum sit, cujus amore tenentur, necdùm perspiciunt. Sæpè ipsis videtur non posse inveniri verum; magnique fluctus cogitationum suarum in libertinorum suffragium feruntur. Sæpè rursùm intuentes quantùm possunt, mentem humanam tàm vivacem, tàm sagacem, tàm perspicacem, non putant latere veritatem, nisi quòd in eà quærendi modus lateat, eumdemque illum modum ab aliquà divinà auctoritate esse sumendum. — Si verò quærendum est quænam illa sit auctoritas, cùm in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceatur; tunc occurrere videtur inexplicabilis sylva, cui sese inserere facilè pigeat. Atque inter hæc, sine ullà requie, cupiditate reperiendi veri, animus agitatur; nihilque ampliùs in tantis periculis videtur restare, quàm, ut opem ferat, divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus deprecari.

Auctoritatem illam, modum quærendæ veritatis determinantem, multi non inveniunt; qui dùm auctoritatem testium non satis ponderant, circà vim et gravitatem testimoniorum frustrà occupantur. Cùm enim voluerit Deus nos per homines docere, necesse est ut videamus quousque iis fidendum sit, antequàm divina testimonia privato cujusque subjiciamus scrutinio; siquidem Deo visum non est, vel uniuscujusque temeritati veritatem suam discutiendam relinquere; vel unicuique homini peculiari afflatu, ut olìm Prophetis, mentem suam aperire. Nam quemadmodùm Prophetas voluit suos esse testes, à quibus accipienda esset divina veritas; ità Prophetarum testimonia voluit per testes ad nos pervenire; voluntate nimirùm sibi per omnia constante, quà decreverat mundum per testes edocere, horumque testimonia per alios testes ad omnem posteritatem deducere.

Sectio x. — *Testibus adhibendam esse fidem.*

Jam breviter totius causæ posuimus fundamenta, sed res ipsa non ità in propinquo est, ut corporis eam sensibus metiamur, etiam quandò à speciebus materialibus non planè detinemur. Quid magis apud Protestantes est obvium, quàm non solùm dicere, sed etiam fortissimè asseverare, se verum invenisse, à quo nunquàm sint divellendi? Quid in Catholicis copiosiùs ar-

gunt, traducunt acerbiùs, quàm quòd auctoritatem sequentes, antequàm illud verum teneant, quod purâ mente conspicitur, doceant testibus fidei credendo præmuniendos esse homines, et illuminaturo præparandos Deo.

Noverunt Protestantes suos prædecessores non aliam ob causam in Lutherum, Calvinum, aliosque incidisse, nisi quòd se dicebant, terribili auctoritate spretâ, solis Scripturis insistentes, introducturos ad Deum et errore omni liberaturos. Nec enim aliud illos coegit, dimissâ religione, quam à parentibus acceperant, illos magistros sequi, nisi quòd Catholicos superstitione teneri, et fidem antè rationem nobis imperari dicerent; se autem nullum premere ad fidem, nisi discussâ et enodatâ ex Scripturis veritate.—Mirum non est multos his pollicitationibus allici, præsertìm in veritate catholicâ non radicatos atque fundatos, quasi aniles fabulas, quæ à majoribus acceperant temerè spernentes, et apertum sincerumque verum è Scripturis sacris haurire cupientes. Sed quæ rursùm ratio multos retinet, præsertìm in provinciis Belgii unitis, cur Protestantium religioni non penitùs associentur, atque in gradu, quem vocare licet auditorum consistant; nisi quòd ipsos Protestantes animadvertant plus in refellendis aliis disertos et copiosos esse, quàm in suis probandis firmos et stabiles consistere?

Varii etiam inter Protestantes reperiuntur, qui Ecclesiam patrum suorum adeò vehementer execrantur, ut vix audiendi explorandique videantur Catholici; nullâ aliâ re inducti, nisi magnâ quâdam præsumptione et pollicitatione S. Scripturarum. Eò autem, ut diximus, catholicam Ecclesiam maximè criminantur, quòd illis, qui ad eam veniunt, præcipitur ut credant; dùm magistri sui non jugum credendi imponere, sed docendi fontem se aperire gloriantur. Sed gloriatio ista non in alium finem adhibetur, nisi ut aliquam concilient multitudinem nomine Scripturarum. Quo promisso, videtur in Deo suo gaudere anima humana; nec tamen vires suas valetudinemque considerans sanorum escas appetendo, quæ malè committuntur nisi benè valentibus, irruit in venena fallentium. Nam vera religio, nisi credantur ea, quæ quisque assequatur posteà, si se benè gesserit, dignusque fuerit, atque percipiat, omninò sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri rectè nullo pacto potest.

Sed quæritis fortassè, et de hoc ipso accipere aliquam rationem, quâ vobis persuadeatur, non priùs notitiâ S. Scripturarum, quàm fide vos esse docendos. Ea autem facilè reddi potest, si modò vos æquos præbeatis. Videte ergò utrùm in religione initium faciendum sit à fide. Si credere vitiosum est, quis poterit amicum habere? Si enim turpe est aliquid credere, aut turpiter facit, qui amico credit, aut cui ab amico creditur; quomodò amicum vel ipsum, vel appellet, non videmus. —Dicetis vos concedere aliquid aliquandò esse credendum: sed hoc declarandum esse, quomodò in religione turpe non sit credere, antequàm de S. Scripturis ipsi intelligamus. Præstabimus idipsum per gratiam Dei. Quocircà à vobis petimus quid existimetis in graviore culpâ esse, religionem tradere indigno; an credere, quod ab illis dicitur, qui eam tradunt? Indignum autem dicimus, qui ficto pectore accedit. Conceditis, ut arbitramur, magis culpandum esse tali homini pandere, si qua sunt sancta secreta, quàm religiosis viris de ipsâ religione aliquid affirmantibus credere. —Quarè nunc putetis eum adesse, qui vobis religionem sit traditurus? Quonam modo illi fidem facturi estis vero vos animo accedere, neque quidquam in vobis, quod ad hanc rem attinet, doli aut simulationis esse? Dicetis bonâ vestrâ conscientiâ nihil vos fingere; quantùm poteritis, idipsum asseretis verbis, sed tamen verbis; non enim animi vestri latebras homines homini aperire possetis. At, si ille dixerit: Ecce vobis credo, sed nonne est æquius, ut etiam vos credatis mihi, cùm vos beneficium, si aliquid veri teneo, sitis accepturi, daturus ego? Quid respondebitis, nisi esse credendum? — Rursùm dicetis: Nonne erat melius Scripturas statìm proferre, ut eas, quòcumque nos ducerent, sine ullâ sequeremur temeritate? Erat fortassè. Sed cùm res tanta sit, ut Deus vobis per Scripturas sit cognoscendus, omnesne putatis idoneos esse percipiendis Scripturis, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an paucos? Paucos agnoscetis idoneos; vosque inter eos computabitis; quod quidem ille credit, qui vobis religionem traditurus est.—Vos autem mementote, jam eum bis credidisse vobis incerta dicentibus; vos illi religiosè admonenti, ne semel quidem voluisse credere. Verùm sit ità, et vero vos animo ad accipiendam religionem accedere, et ità paucorum vos esse hominum, et Scripturas, quibus ad certam cognitionem homo perducitur, vos capere posse. An cæteris hominibus, qui tàm sereno ingenio non sunt, negandam religionem putatis? Nonne judicatis eos pedetentìm, quibusdam gradibus, ad illa summa penetralia esse deducendos? Videtis planè id esse religiosius. Neque enim vobis quivis homo, in rei tantæ cupiditate, ullo modo deserendus aut respuendus esse videbitur. Nonne statuitis, nisi primò credat, se ad id quod instituit perventurum mentemque simplicem præbeat, et quibusdam magnis necessariisque præceptis obtemperans, quâdam vitæ actione præpurgetur, non eum aliter illa, quæ purè vera sunt, adepturum? Censetis profectò. Quid ergò istis, quorum de genere vos esse jam credimus, qui facillimè divina secreta ex Scripturis capere possunt, si hac viâ veniunt, quâ illi, qui primitùs credunt; numquid tandem oberit? non arbitramur. — Sed tamen dicitis: Quid eos capaciores morari opus est? Ratio hæc est, quia etiam facto sibi nihil, nocerent tamen exemplo cæteris. Vix enim est, qui de se tantùm sentiat, quantùm potest et debet; sed qui minùs, excitandus est; qui ampliùs, reprimendus; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste præcipitetur audaciâ. Quod facilè fit, si etiam ii, qui valent volare, ne cui sit periculosum incitamentum, paulisper cogantur incedere, quà etiam cæteris tutum est.—Hæc est quædam providentia veræ religionis. Hoc jussum divinitùs. Hoc à beatis majoribus tradi-

tum. Hoc ad nos usque servatum. Hoc perturbare velle atque pervertere, nihil aliud est quàm ad veram religionem sacrilegam viam quærere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quò tendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt. Tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentis cura sit; quo gradu nihil firmius in cœlum reperiri potest.

SECTIO XI. — *Cur testibus adhibenda fides.*

Quarè jam superest, ut consideremus quo pacto hi sequendi non sint, qui se pollicentur solis Scripturis docturos. Nam quomodò sine culpâ possimus sequi eos, qui credere jubent, jam dictum est : ad hos autem sponsores Scripturarum, non modò sinè vituperatione, sed etiam cum aliquâ laude se venire nonnulli putant. Sed non ità est.

Quod intelligimus, debemus rationi : quod credimus, auctoritati; quod opinamur, errori. Jam quærimus : Si quod de Scripturis nescitur, credendum non est, quomodò serviant parentibus liberi, eosque mutuâ pietate diligant, quos parentes suos esse non credunt? Non enim ex Scripturis ullo modo sciri potest, sed interpositâ matris auctoritate de patre creditur; de ipsâ verò matre plerùmque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potuit decepta decipere? Credimus tamen, et sine ullâ dubitatione credimus, quod sciri non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ità sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contrà non exterminandum judicaverit, qui veros fortassè parentes minimè dilexerit, dùm ne falsos diligat, metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur, nihil omninò humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere cognitum.—Sed nunc accipite, quod jam vobis faciliùs persuadendum esse confidimus. Cùm de religione, id est, cùm de colendo atque intelligendo Deo agitur, ii minùs sequendi sunt, qui nos hominibus credere vetant, Scripturas promptissimè pollicentes. Nam nemini dubium est omnes homines aut stultos, aut sapientes esse. Nunc autem sapientes vocamus, non cordatos et ingeniosos homines, sed eos, quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes; cæteros autem, cujusmodi artibus inertiisque affecti sint, quâlibet vitâ probandi vel improbandi, stultorum in numero deputaverimus. — Quæ cùm ita sint, quis mediocriter intelligens, non planè viderit stultis melius atque salubrius esse, præceptis obtemperare sapientum, quàm suo judicio vitam degere? Nam omne factum, si rectè actum non est, quid proderit? Nec rectè factum est ullo modo, quod non à rectâ ratione proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum, nisi sapientis animo præstò est? Solus igitur sapiens utiliter operatur. Stultus ergò omnis inutiliter, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperavit; à rectâ enim ratione talia facta proficiscuntur, nec, ut ità dicamus : Dominus sui facti stultus æstimandus est, cùm est tanquàm instrumentum ministeriumque sapientis. — Quarè si omnibus hominibus utiliter agere, quàm inutiliter melius est, meliùs profectò stulti omnes viverent, si servi possent esse sapientum. Atque hoc si in rebus minoribus, ut in mercando vel colendo agro, in uxore ducendâ, in suscipiendis educandisque liberis, in ipsâ denique re familiari administrandâ expedire nemo ambigit, multò magis in religione. Nam et res humanæ promptiores ad dignoscendum sunt, quàm divinæ; et in quibuscumque sanctioribus et præstantioribus, quò majus eis obsequium cultumque debemus, eò sceleratiùs periculosiùsque peccatur.—Nihil igitur nobis restare amodò videtis, quamdiù stulti sumus, si nobis vita optima et religiosa cordi est, nisi ut quæramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiæ, neque ità multùm sentire et evadere aliquandò possimus.

SECTIO XII. — *An homines inveniri possint, quibus sit credendum.*

Hic rursùs oritur difficillima quæstio. Quonam enim modo stulti sapientem invenire, poterimus, cùm hoc nomen tametsi nemo ferre audeat palàm, plerique tamen ex obliquo sibi vindicent; cùm de rebus ipsis, quarum cognitione constat sapientia, ità inter sese dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certè unum necesse sit esse sapientem?—Sed quinam iste sit, cùm à stulto inquiratur, quo pacto queat dignosci planè atque perspici, omninò non videmus; neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum, cujus ea signa sint, noverit. Atqui sapientiam stultus ignorat. Non enim ut aurum et argentum cæteraque id genus, et cognoscere cùm videas, et non habere concessum est; ità sapientiam mentis ejus oculo, qui eâ caret, videre fas est. Sensu enim corporis quæcumque attingimus, forinsecùs nobis offeruntur. Et ideò licet quoque res alienas oculis cernere, cùm earum, vel ejus generis nihil habeamus; quod autem intellectu capitur, intùs apud animum est; nec id habere quidquam est aliud, quàm videre. Non autem potest videre, et non habere; neque habere et stultus esse. Nescit hanc igitur; et dùm nescit, in alio loco cognoscere non potest. Non ergò potest, quamdiù stultus est quispiam certissimâ cognitione invenire sapientem, cui obtemperando, tanto stultitiæ malo liberetur.—Huic ergò tàm immani difficultati, quoniam de religione quærimus, Deus solus mederi potest; quem nisi et esse, et humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere quidem ipsam veram religionem debemus. Quid enim tandem tanto molimine investigare cupimus? Quid optamus attingere? Quò pervenire desideramus? Eone, quod esse, aut ad nos pertinere non credimus? Nihil est tali mente perversius. Vosne inventionem religionis postulatis, cùm Deum neque esse, neque si sit, curare humana non putetis?— Quid

si tanta res est, quæ nisi sedulò atque omnibus viribus quæsita nequeat reperiri? Quid si ipsa difficillima inventio, ad capiendum quod inventum est, mentem quærentis exercet? Quid enim oculis nostris hàc luce jucundius et familiarius? Quam tamen perpeti, atque tolerare post diuturnas tenebras nequeunt. Quid exhausto ægrotatione corpori accommodatius, quàm cibus et potus? Videmus tamen convalescentes refrenari atque cohiberi, ne saturitati valentium committere sese audeant, cibisque ipsis agere, ut ad eum morbum, qui eos repudiabat, revertantur. Quid ipsos ægrotantes? nonne urgemus ut aliquid sumant? In quo profectò nobis, cum tantâ molestiâ non obtemperarent, si se illum morbum evasuros esse non crederent.

Quandò igitur Domini Protestantes sese operosissimæ et laboriosissimæ inquisitioni dabunt? Quandò tantam, quantâ ipsa res digna est, curam sibi audebunt imponere? Tandem enim perspicient rectè catholicæ disciplinæ majestate institutum esse, ut accedentibus ad religionem, fides persuadeatur antè omnia. Jam igitur videndum, ubi primò quærenda sit religionis veritas.

Sectio xiii. — *Primò quærendam esse veritatem apud Romanos Catholicos.*

Jam Protestantes nobiscum putent, nos adhuc neminem audivisse religionis insinuatorem. Ecce res nova est nobis, negotiumque susceptum. Quærendi sunt, credimus, si ulla est, veræ religionis professores. Facile nos reperiisse alios aliud opinantes, et diversitate opinionum ad se quemque trahere cupientes. Sed inter hos excellere famæ interim celebritate quosdam, atque omnium penè occupatione populorum. An autem isti verum teneant, magna quæstio est. Sed nonne priùs sunt explorandi, ut quamdiù erramus, siquidem homines sumus, cum ipso genere humano errare videamur?

At dicetis apud paucos quosdam esse veritatem. Scitis ergò jam quæ sit, si scitis apud quos sit. Nonne dixeramus paulò antè, ut quasi rudes quæreremus? Sed si ex ipsà vi veritatis paucos eam tenere conjectatis, qui verò sint nescitis; quid si ità pauci sunt, qui verum sciunt, ut auctoritate suâ multitudinem teneant undè se in illa secreta expedire, et quasi eliquare paucitas possit? Nonne videmus quàm pauci summam eloquentiam consequantur, cùm per totum orbem rhetorum scholæ adolescentium gregibus perstrepent? Numquid jam imperitorum perterriti multitudine, quicumque boni oratores evadere volunt, Cæcilii sibi potiùs, aut Erucii, aut cujuscumque obscuri nominis orationibus, quàm Tullianis navandam operam existimant? Hæc appetunt omnes, quæ majorum auctoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turbæ discere moliuntur, quæ à paucis doctis dicenda recepta sunt. Assequuntur autem perpauci, agunt pauciores, clarescunt paucissimi. Quid si tale quiddam est vera religio? Quid si multitudo imperitorum frequentat Ecclesias, sed nullum argumentum est, ideò neminem illis mysteriis factum esse perfectum? Et tamen si tàm pauci studerent eloquentiæ quàm pauci sunt eloquentes, nunquàm nos parentes nostri magistris talibus commendandos putarent. Cùm igitur ad hæc studia nos multitudo invitaverit, quæ imperitorum parte copiosa est, ut id quod pauci adipisci possunt adamaremus, cur nobis esse similem in religione nolumus causam, quàm cum magno animæ discrimine fortassè contemnimus? Si enim verissimus et sincerissimus Dei cultus, quamvis sit apud paucos, apud eos tamen est, quibus multitudo quanquàm cupiditatibus involuta, et à puritate intelligentiæ remota, consentit; quod fieri posse quis dubitet? quærimus, si quis temeritatem, vecordiamque nostram arguat, quòd non apud ejus magistros eam diligenter investigamus, cujus inveniendæ nobis magna cura inest, quid respondere possimus?

An dicetis: Deterruit nos multitudo?—cur ab studio artium liberalium, vix huic præsenti vitæ aliquid commodi afferentium, cur ab inquirendâ pecuniâ, cur ab honore adipiscendo, cur denique à comparandâ et retinendâ bonâ valetudine, postremò cur ab ipsâ beatæ vitæ appetitione, cùm hìc omnes occupentur, pauci excellant, nulla deterruit multitudo?—Respondebitis: At apud Romano-Catholicos absurda dici videbantur. Quibus asserentibus? Nempè inimicis; qualibet causâ? quâlibet ratione? Non enim hoc nunc quæritur, tamen inimicis. —An dicetis: Vos judicio discretionis, cùm S. Scripturas legeritis, certissimè cognovisse quid esset de religione tenendum? Itàne est? Nullâ imbutus poeticâ disciplinâ, Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderetis? Asper, Conatus, Donatus et alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta possit intelligi, cujus carmina et theatri plausus videntur captare; tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant sancti tamen divinarumque rerum pleni propè totius humani generis confessione diffamantur, sine duce irruis, et de his sine præceptore audes ferre sententiam? Si tibi aliqua occurrunt, quæ videantur absurda, tarditatem tuam, et putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusa; et quære aliquem pium simul et doctum, vel qui talis esse multis consentientibus dicitur, cujus et præceptis melior et doctrinâ peritior fias. —Dicetis: Non facilè reperiebatur, cùm labore investigaretur. Deerat in terrâ quam incolebatis. Quæ causa utiliùs cogeret peregrinari? In continenti prorsùs latebat, aut non erat. Navigaretur, si in propinquo trans mare non inveniebatur, progrederemini usque ad illas terras, in quibus vel Apostoli prædicâssent, vel eorum discipuli docuissent.

Quid tale fecerunt Protestantes? et tamen religionem fortassè sanctissimam (adhuc enim, quasi vobiscum dubitandum sit, loquimur), cujus opinio totum orbem terrarum occupavit, miserrimi pueri instar, pro vestro arbitrio judicioque damnâstis.—Non revocabat vos, aut prohibebat, à quærendo, vel adversantium potentia, vel sacratorum persona vilis, aut turpis fama, aut institutionis novitas, aut occulta professio. Nihil horum est, omnia divina et humana jura permittunt quærere catholicam fidem. Tenere autem et colere

per humanum jus licet certè, si de divino, quamdiù erramus, incertum est. Nemo imbecillitatem nostram terret inimicus. Quanquàm veritas atque animæ salus, si diligenter quæsita, aut ubi tutissimè licèt inventa non fuerit, cum quovis discrimine quæri debeat. Plurimorum dignitatum et potestatum gradus huic divino cultui inserviunt; honestissimum est religionis nomen et præclarissimum. Quid impedit tandem perscrutari, atque discutere piâ et sedulâ investigatione, utrùm hìc sit illud, quod sincerissimè nôsse et custodire paucos necesse est, etiamsi plerarumque in id gentium voluntas favorque conspiret? Quæ cùm ità sint, facite nos, ut diximus, nunc primùm quærere cuinam religioni animas nostras purgandas, instaurandasque tradamus. Procul dubio à catholicâ Ecclesiâ sumendum exordium. Nam Christianorum cùm sint professiones plures, atque omnes Catholicos se velint videri, aliosque præter se vel hæreticos nominent, vel absurdissimum Catholicismum fingant, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem, præteritaque tempora consideretis, refertior multitudine; ut autem, qui noverunt, affirmant, etiam veritate sincerior cæteris omnibus; sed de veritate alia quæstio est.

Quod autem quærentibus satis est, una est Catholica, cui hæreses aliæ diversa nomina imponunt, cùm ipsæ singulæ propriis vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum, quod omnes ambiunt, tribuendum.

Sed ne id superfluè quisquam disserendum putet, una est certè Ecclesia, in quâ ipsæ quodammodo etiam humanæ leges christianæ sunt. Nullum tamen hinc præjudicium fieri volumus; sed exordium quærendi opportunissimum judicamus. Non enim metuendum est, ne verus Dei cultus nullo proprio robore innixus, ab eis quos fulcire debeat, fulciendus esse videatur. Sed certè perfectæ felicitatis, si potuerit ibi verum inveniri, ubi inquisitio ejus et retentio securissima est: si non potuerit, tùm demùm alio quocumque periculo adeundum atque rimandum.

SECTIO XIV. — *De viris apostolicis per Europam.*

Postquàm visum est, primo loco quærendam esse veritatem apud Romano-Catholicos, sequitur ut designemus majores Catholicorum, à quibus semen fidei acceperunt.

§ 1. *De viris apostolicis per Germaniam.*

S. Maternus, discipulus S. Petri, primus fuit Coloniensis episcopus, qui et Argentinæ, et Leodii prædicavit. — S. Eucharius, discipulus S. Petri, primus fuit episcopus Trevirensis; qui cum S. Materno in Germaniam venit. — S. Crescens, discipulus S. Pauli, primus fuit Moguntinus episcopus. — Beatus, discipulus S. Petri, primus fuit episcopus Constantiensis. — S. Lucius Cyrenensis, de quo Act. 13, 1, fuit primus Ratisbonensis episcopus; fertturque in Vindeliciâ, Rhetiis, provinciisque Histro conterminis prædicasse Evangelium. — Marcus, S. Pauli sectator, existimatur prædicâsse Laureaci in Norico. — Agiatus, discipulus S. Petri, propè Lunæburgum prædicavit. — Thomas Apostolus in Germaniâ prædicavit.

§ 2. — *De viris apostolicis per Italiam.*

S. Petrus Apostolus, episcopus Romanus. — S. Paulus Apostolus Romæ prædicavit. — S. Barnabas Apostolus, primus fuit episcopus Mediolanensis. — S. Marcus Evangelista fuit primus episcopus Aquileiensis. — S. Patras, primus Dennensis et Hadrianensis episcopus, ex 72 discipulis Christi. — S. Apollinaris, fuit primus episcopus Ravennates. — S. Prosdocimus primus fuit Patavinus episcopus. — S. Crispoldus fuit primus episcopus Fulginatensis. — S. Paulinus fuit primus episcopus Lucensis. — S. Romanus fuit primus episcopus Nepesinorum. — S. Syrus fuit primus episcopus Papiensis. — S. Herculanus fuit primus episcopus Perusinus. — S. Britius fuit primus episcopus Spoletanus. — S. Epaphroditus fuit primus episcopus Terracinensis. — S. Romulus fuit primus episcopus Volateranus. — S. Cletus, fuit primus episcopus Mutinensis. — S. Primus fuit primus episcopus Cæsenatensis. — S. Sabinianus fuit primus episcopus Senogalliensis. — S. Frontinus fuit primus episcopus Florentinus. — S. Romulus fuit primus episcopus Fesulanus. — S. Perinus fuit primus episcopus Pilanus.

§ 3. — *De viris apostolicis per Galliam.*

S. Paulus Apostolus in Galliâ prædicavit. — S. Dionysius Areopagita primus episcopus fuit Parisiensis. — S. Amator fuit primus episcopus Heduensis. — S. Photinus fuit primus episcopus Lugdunensis. — S. Nicasius fuit primus episcopus Rotomagensis. — S. Taurinus fuit primus episcopus Ebroicensis. — S. Exuperius fuit primus episcopus Bajocensis. — S. Defensor fuit primus episcopus Andegavensis. — S. Julianus fuit primus episcopus Cenomanensis. — S. Moderanus fuit primus episcopus Redonensis. — S. Clarus fuit primus episcopus Nannetensis. — S. Savinianus fuit primus episcopus Senonensis. — S. Altinus fuit primus episcopus Aurelianensis. — S. Adventinus fuit primus episcopus Carnotensis. — S. Austremonius fuit primus episcopus Nivernensis. — S. Sixtus fuit primus episcopus Remensis. — S. Sixtus fuit primus episcopus Suessionensis. — S. Visinus fuit primus episcopus Bituricensis. — S. Sanctinus, primus episcopus Verdunensis. — S. Mansuetus, primus episcopus Tullensis. — S. Lazarus, primus episcopus Massiliensis. — S. Gatianus, primus episcopus Turonensis. — S. Linus, primus episcopus Vesontionensis. — S. Mennius, primus episcopus Cathalaunensis. — S. Regulus, primus episcopus Silvanectensis. — S. Lucianus, primus episcopus Bellovacensis. — S. Austremonius, primus episcopus Claromontensis. — S. Martialis, primus episcopus Lemovicensis. — S. Severianus, primus episcopus Mimatensium. — S. Georgius, primus episcopus Aniciensis. — S. Gilbertus, primus episcopus Burdigalensis. — S. Eutropius, primus episcopus Xantonensis. — S. Fronto, primus episcopus Petracoricensis. — S. Crescens, primus episcopus Viennensis. — S. Throphimus, primus episco-

pus Arelatensis.—S. Paulus, primus episcopus Narbonensis. — S. Saturninus, primus episcopus Tolosanus. — S. Maximinus, primus episcopus Aquensis. — S. Clemens, primus episcopus Metensis.

§ .4 — *De viris apostolicis per Hispaniam, Angliam,* etc.

S. Paulus Apostolus prædicavit Evangelium in Hispaniâ. — S. Eugenius fuit primus episcopus Toletanus. — S. Paulus Apostolus prædicavit in Angliâ. — S. Simon Zelotes prædicavit in Britanniâ. — S. Joseph Arimatheus prædicavit in Angliâ. — S. Jacobus prædicavit in Hiberniâ. — S. Titus prædicavit in Dalmatiâ. — S. Thomas convertit Scythas.

SECTIO XV. — *Concilium Nicænum processisse per testes.*

Retulimus Apostolos et viros apostolicos, qui per partes Europæ Evangelium Jesu Christi prædicaverunt, tanquàm testes veritatis revelatæ, testes Salvatoris nostri, unà cum Spiritu sancto testimonium perhibentes; quorum sequamur vestigia, imitemur exempla.

In concilio Nicæno id observatum est, ut testimoniis prædecessorum potiùs, quàm ullà ingenii vi ac subtilitate inter Catholicos et Arianos lis finiretur. Nam referente Cassiodoro, Hist. Tripart. lib. 2, cap. 2 : « Alii « suadebant nihil innovandum circà antiquam fidei « traditionem, et maximè quandò morum simplicitas « sine perscrutatione traderetur accedentibus ad fidei « sacramentum. Alii verò respondebant, non oportere « sine examinatione sequi sententias antiquorum. » Et posteà : « Cùmque plurimi disceptationis delecta« tione traherentur, ùnus quidam ex confessoribus « laicis simplicem habens sensum, dialecticis obviavit, « dicens : Audite igitur; Christus et Apostoli non no« bis artem dialecticam tradiderunt, vanamque verbo« rum fallaciam, sed puram scientiam fide et operibus « observandam. Hæc dicente juvene, et animo sene, « præsentes quidem mirati sunt, dictumque probave« runt. Dialectici verò satisfactione susceptâ cesse« runt, rationem videlicet simplicem veritatis audien« tes. » — Hæc igitur est simplex veritatis ratio; si circà antiquam fidem nihil innovandum esse statuamus; si antiquorum sententias, non dialectico examine, sed Spiritûs sancti, eas moderantis, auctoritate ponderemus. Ità enim, sine indebità perscrutatione, traditæ veritati adhærebimus, et scientiam puram, à Jesu Christo et Apostolis propositam, absque ambiguitate amplectemur. (Vid. S. Athanas. de Decret. Nicæn. synod. sub. fin. S. Cyrill. Alexandr., Apol. advers. Orient anath. 8, et in Symb. Nicæn. Tertull. de Præscript. cap. 7.)

SECTIO XVI. — *Concilium Ephesinum processisse per testes.*

Regulam nobis perutilem tradidit S. Vincentius Lirinensis, advers. Hæres. cap. 23 : « Nos cum Ecclesiâ « doctores recipere, non cum doctoribus fidem Eccle« siæ deserere debere. » Quantumvis enim magnus habeatur hic, aut ille particularis doctor, si contrà Ecclesiam sentiat, non audiendus, sed fugiendus est. Quùm enim fides Ecclesiæ sit per testes tradita et accepta, non est considerandum, quid hic, aut ille particularis existimet se probabiliter, aut certò tenere, sed quid universæ dictet fides Ecclesiæ.

Quo modo autem in conciliis utendum sit testibus, docet, cap. 39 : « Cùm primùm mali cujusque erroris « putredo erumpere cœperit, et ad defensionem sui « sacra legis verba furari eaque fallaciter et fraudu« lenter exponere statìm interpretando Canoni majo« rum sententiæ congregandæ sunt, quibus illud quod« cumque exurget novitium, ideòque profanum, abs« que ullâ ambage prodatur, et sine ullâ contradictione « damnetur. Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ « conferendæ sunt, qui in fide et communione catho« licâ sanctè, sapienter, constarent viventes, docentes « et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel « occidi pro Christo feliciter meruerunt. » — Declarat idipsum ibid., cap. 42, exemplo concilii Ephesini : « Quod ne præsumptione magis nostrâ, quàm aucto« ritate ecclesiasticâ promere videremur, exemplum « adhibuimus S. concilii, quod antè triennium fermè « in Asiâ apud Ephesum celebratum est, etc. Ubi cùm « de sanciendis fidei regulis disceptaretur, ne qua illic « forsitan profana novitas in modum perfidiæ Arimi« nensis obreperet, universis sacerdotibus, qui illo « ducenti ferè numero convenerant, hoc catholicissi« mum, felicissimum atque optimum factu visum est, « ut in medium sanctorum Patrum sententiæ profer« rentur, quorum alios martyres, alios confessores, « omnes verò catholicos sacerdotes fuisse, et perman« sisse constaret; ut scilicet ritè atque solemniter ex « eorum consensu atque decreto antiqui dogmatis re« ligio confirmaretur, et profanæ novitatis blasphemia « condemnaretur. Quod cùm ità factum foret, jure « meritòque ille Nestorius, catholicæ veritati contra« rius, beatus verò Cyrillus sacrosanctæ antiquitati « consentaneus judicatus est. »

SECTIO XVII. — *Comparatio concilii Tridentini et synodorum Protestantium.*

Necesse est ut Ecclesia vera, et concilia vera eum docendi atque prædicandi modum sequantur, quem Christus Jesus instituit, quem observârunt Apostoli, quem primorum seculorum tenuit Ecclesia. Eum autem modum semper observavit Ecclesia romano-catholica, hoc tradens et docens, quod per testimonia prædecessorum suorum acceperat, quodque in Ecclesiâ universaliter credebatur. Eumdem modum observavit concilium Tridentinum, indagans prædecessorum suorum sententias, et quæ universaliter recepta erant testimonia, toti Ecclesiæ credenda proposuit. Ità enim ab initio nascentis Ecclesiæ inventum est, quid esset conforme S. Scripturis et traditioni; dùm non privatus cujusque sensus, sed quod à majoribus unanimiter acceptum erat, tutò asseritur. — Ecclesiæ verò et synodi Protestantium, quid habent simile? Nùm quis audeat astruere, docendi modum à Christo institutum,

in primitivâ Ecclesiâ observatum, ab ipsis teneri? Et quomodò de testimoniis prædecessorum suorum inquirerent, qui à communione orbis terrarum recedentes, carebant origine? Clamant utique Ecclesiam romano-catholicam esse meretricem babylonicam, hæresum, superstitionum fœcundissimam perversissimamque matrem; neque aliam designant, quæ eodem tempore fuerit vera Jesu Christi Ecclesia. Pleraque etiam, quæ in nobis reprehendunt, æqualiter gravant tùm græcas, tùm universi Orientis Ecclesias christianas; ut meritò dixeris eos toti orbi bellum indixisse. — Synodi Protestantium, quid aliud habent, nisi privatas quorumdam particularium sententias; si homines unius partis consideres, paucos à toto corpore separatos, toti corpori adversos; si doctrinam consideres, à majorum suorum testimoniis, et judiciis planè diversam? Ejusmodi proponunt decreta fidei, quibus nullus teneatur acquiescere, si consulto Spiritu sancto, et examinatis Scripturis, ea judicet erronea; quamvis interìm eos excommunicent et anathematizent, qui sententias synodorum publicè erroris arguunt. Hæc scilicet sunt adoranda novarum synodorum mysteria, S. Scripturæ incognita, fideli et infideli antiquitati inaudita, ut licitus dissensus excommunicatione puniatur, licita correctio anathemate feriatur. — Et tamen iidem Protestantes audent profiteri se recipere quatuor concilia, quibus illud unicè propositum fuit, ut dogmata fidei secundùm Scripturas, et traditionem Ecclesiæ, à majoribus fideliter commendata, ad posteros eâdem fidelitate transmitterent; ut dissentientes à decretis concilii anathemati subjicerent. Etenim sciebant S. Scripturas et traditionem Ecclesiæ eo modo intelligendas, sicut erant primitùs propositæ, sicut erant à majoribus acceptæ, à prædecessoribus traditæ. Ideò securè omnes illos subjiciebant anathemati, qui, cognitâ Ecclesiæ sententiâ, contrarium tenebant; ut qui veritatibus fidei indubitatis adversarentur. Neque ulli unquàm in mentem venit, perniciosam illam contradicendi et dissentiendi licentiam, quam Protestantes permittunt, cuilibet indulgere. — Si ergò prima illa recipiunt Ecclesiæ concilia, necesse erit ut modum tradendi fidem, in istis conciliis observatum, amplectantur statuantque esse pronuntiandum de fide ex S. Scripturâ et traditione, juxtà majorum sententias intellectis.

Sectio xviii. — *Sanctos Patres processisse per testes.*

In præcedentibus ostensum est, antiquæ, primitivæ, veræque Ecclesiæ concilia processisse per testes; quod quamvis solùm deberet sufficere apud Protestantes, ea concilia admittentes, non tamen inutile erit ex SS. Patribus seorsìm ostendere, eamdem singulorum fuisse sententiam, quæ fuit omnium; et hoc universis meritò placuisse, quod placuit singulis. — S. Augustinus hanc materiam ex professo tractat in præclaro libello, *de Utilitate credendi* ad Honoratum; quæ autem ibi dicit utilissima, pro parte nostro sunt applicata instituto in præcedentibus. Idem, contrà Epistolam fundam., cap. 5, probat S. Scripturæ credendum esse ex testimonio Ecclesiæ, et si ejusmodi Ecclesiæ testimonium, in quolibet alio, per apertissima et manifestissima dicta Scripturæ, inveniretur esse falsum, tunc nec ipsis Scripturis credendum esse, quæ ex testimonio fallentis Ecclesiæ haberentur. Aut igitur cum Catholicis credendum est Ecclesiam, divinâ dirigente providentiâ, in nullâ re fidei falli posse, aut non esse fidem in terris.

Quemadmodum S. Augustinus statuit recipiendam esse S. Scripturam ex testimonio Ecclesiæ, divinâ dirigente providentiâ, ab errore immuni, ità docet recipiendas esse traditiones non scriptas, ex testimonio ejusdem Ecclesiæ, de Bapt. contr. Donat. lib. 2, cap. 7, et ex testimonio concilii generalis, ibid. cap. 8. — Ubi singulariter observandum de facto contigisse in Ecclesiâ primitivâ, ut universalis esset robustaque consuetudo, de non rebaptizandis hæreticis; et eodem tempore per Africam particularis esset consuetudo, de rebaptizandis hæreticis. Lite autem super eâ consuetudine exortâ inter episcopos catholicos, hoc confirmâsse atque definivisse generale concilium, pro quo testabatur universalis consuetudo, neglectâ consuetudine particulari. — Sic in aliis sæpè contigit, v. g., de libris canonicis. SS. Patres in diversis Ecclesiæ locis, varias habuerunt de quibusdam libris sententias; alia erat conformis traditioni universali; alia erat opinio quorumdam privata. Sequentibus Ecclesiæ temporibus decreverunt plenaria concilia, hos esse libros canonicos, non illos, sequentia sententiam traditioni universali conformem.

Sed quomodò, inquit aliquis, posterioris temporis Ecclesia potuit esse certa de traditionibus istis universalibus, cùm prioris temporis Ecclesia diversas inter domesticos fidei toleraverit sententias; à quâ tamen priori Ecclesiâ traditio illa universalis ad posteriorem debuerit pervenire? — Et huic quidem quæstioni non difficulter satisfit, ex iis, quæ tradit S. Augustinus. Nam facilè potest contingere, ut circà rem (ab universali Ecclesiâ in concilio congregatâ) necdùm definitam, variæ sint domesticorum fidei sententiæ, quamvis interim universalis consuetudo alteram partem confirmet. Neque enim singulis, non tantùm hominibus, sed etiam provinciis semper constat de universalitate consuetudinis. Quousque autem non sufficienter constat de universalitate consuetudinis, variæ tolerantur inter domesticos fidei sententiæ. Verùm quandò plenaria ex toto orbe congregantur concilia, ubi singuli episcopi de praxi suæ Ecclesiæ testantur, non potest universalis consuetudo latere, quæ à majoribus accepta, ad posteros pervenit. Et tunc qui à vero aberrant, prece et intentione mentis ad Deum, quod posteà plenario concilio visum est, id verum esse perspiciunt et docent. (Vid. S. August. contr. Crescon. lib. 1, cap. 32, 33; Nicephor. Histor. lib. 2, cap. 46, 48; Grot. de Verit. relig. Christ. lib. 3. — Pro eâdem sententiâ vide S. Irenæum, lib. 1, cap. 65, lib. 3, cap. 3, lib. 4, cap. 45, lib. 5, cap. 2; S. Epiphan. Hæres. 75, 78, 61; S. Hieron. epist. 126, advers. Lucifer, in fin. in cap. 9

Amos; S. Clement. Alexandr. Stromat. lib. 7, Tract. 29 in Matth. Theodoret., Dialog. 1, 2, 3; S. Basil. lib. 1 advers. Eunom. de Spirit. S. cap. 29. Cassian. lib. 1 de Incarn. Dom.; S. Pacian. epist. 1; Claudian. Mammerc. De Statu anim. lib. 2, cap. 9. — Etiam sequentibus seculis esse processum per testes, patet ab Histor. Tripart. lib. 9, cap. 18, 19; Leont., lib. 1 contr. Nestor. et lib. 2.

SECTIO XIX. — *Frustrà culpari Catholicos, quòd fidant Ecclesiæ testimonio.*

Protestantes, qui nihil in causâ religionis geri volunt, nisi præcedente in universis ratione indubitatâ, ne videantur fidem suscipere, gravi auctoritatis imperio permoti, Catholicos culpant, quasi temerè fidant Ecclesiæ testimonio. Sed illi ipsi, qui se Christianos dici volunt, quam nobis rationem afferant, videamus. Quid est, undè nos à credendo, veluti à temeritate revocent? — Si nihil nos credere jubent hanc ipsam veram religionem ullam in rebus esse non credimus; quam cùm esse non credimus, nec quærimus. At illi, ut opinamur, quærentibus monstraturi sunt; ità enim scriptum est : *Quærens inveniet.* Ad Protestantes igitur, qui nos vetant credere, non veniremus, nisi aliquid crederemus. Estne ulla major imprudentia, quàm ut Protestantibus solâ, quæ nullâ scientiâ subnixa est, fide displiceant Catholici, quæ ad ipsos Protestantes nos sola potest perducere? — Quid, quòd Lutherani, Reformati, Arminiani, Anabaptistæ, Sociniani Christo nos credere hortantur? Possuntne magis sibi adversari? In hoc dupliciter urgendi sunt. — Primùm quærendum à Protestantibus, ubi sit Scriptura, quam pollicebantur, ubi objurgatio temeritatis? Si enim turpe est sine Scripturis cuipiam credere, quid expectatis, quid satagitis, ut alicui sine Scripturis credamus, quò faciliùs Scripturarum testimoniis duci possimus? An firmum aliquid superædificabunt Scripturæ vestræ, fundamento temeritatis? Secundùm illos loquimur, quibus credendo displicemus. Nam nos credere antè rationem, cùm percipiendæ rationi non sis idoneus, et ipsâ fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solùm saluberrimum judicamus, sed tale omninò, sine quo æquis animis salus redire non possit. Quod Protestantibus cùm deridendum et plenum temeritatis videatur, profectò ut Christo credamus, agunt imprudentissimè. — Deindè fatemur nos jam Christo credidisse, et in animum induxisse id esse verum, quod ille dixerit, etiamsi nullâ ratione fulciatur. Hoc principio nos docturi sunt Protestantes. Sinite paululùm, nobiscum ipsi consideremus. Quoniam Christum ipsum, quomodò apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse prædicatur, nos non vidimus; quibus de Christo testimonium perhibentibus crediderimus, ut ad Protestantes jam tali fide præstructi accedamus; nullis nos videmus credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodùm celeberrimæ. Hos autem populos per universam Europam Ecclesiæ catholicæ mysteria, prædicantibus viris apostolicis, eorumque successoribus, usquequaque occupàsse, antequàm Protestantes novitatem inducerent. Cur non igitur apud eos potissimùm diligentissimè requiramus, quid Christus præceperit; quorum auctoritate commoti, Christum aliquid utile præcepisse jam credidimus? — An Protestantes, à Catholicis diversum sentientes, nobis meliùs expondituri sunt quid Christus dixerit; quem fuisse, aut esse non putaremus, si ab illis hoc commendaretur esse credendum? Hoc ergò credidimus, uti dictum est, famæ celebritate, consensione, et vetustate roboratæ. Vos autem, Protestantes, et tàm pauci, et tàm inquieti, et tàm novi, nemini dubium est quàm nihil dictum auctoritate præferatis. — Quæ igitur tanta dementia est Catholicis dicere : Credite Christo credendum esse, et à nobis Protestantibus discite, quid ille dixerit! Sed quare? Nam si Catholici deficerent, nec nos quidquam docere possent, multò faciliùs nobis persuaderemus, Christo non esse credendum, quàm de illo quidquam, nisi à Catholicis, per quos ei credidissemus, discendum. O ingentem confidentiam, vel potiùs ineptiam! Nos Protestantes docemus Catholicos, quid Christus præceperit, cui credunt. Quòd si non ei crederemus, nùm aliquid de illo nos docere possetis? Sed oportet, inquiunt Protestantes, ut credatis. Nùm vobis eum commendantibus? Non, inquiunt; nam nos illos, qui Christo credunt, per Scripturas instruimus. Cur igitur illi credemus? Quia fama fundata est. Utrum, per Protestantes, an per alios? Per alios, inquiunt Protestantes. Illis ergò aliis credemus, ut per vos doceamur? Deberemus fortassè, nisi Catholici hoc nos præcipuè monerent, ut omninò ad Protestantes non accederemus; dicunt enim perniciosas vos habere doctrinas. Respondebunt Protestantes : Mentiuntur Catholici. Quomodò igitur Catholicis de Christo credemus, quem non viderunt; de Protestantibus non credemus, quos nolunt videre? Scripturis, aiunt Protestantes, credite. At Scriptura omnis, si nova et inaudita proferatur, vel commendetur à paucis, nullâ confirmante ratione, non Scripturæ, sed illis, qui eam proferunt, creditur. Quamobrem Scripturas istas si vos, Protestantes, profertis, tàm pauci, tàm majoribus nostris ignoti, tàm malè uniti, non libet credere; simul etiam contrà promissum facitis, fidem nobis imperando.

Rursùs ad multitudinem famamque nos revocabitis. Cohibete tandem pertinaciam, et indomitam propagandi nominis libidinem; et monete potiùs, ut hujus multitudinis primates quæramus, et quæramus diligentissimè et laboriosissimè, ut ab his potiùs de his litteris divinis aliquid discamus : qui si non essent, discendum omninò esse nesciremus. Vos verò, Protestantes, ad saniora redite consilia, nec quidquam insidiemini sub nomine veritatis, quasi per vos (à multis seculis sepultæ) tandem in S. Scripturis inventæ; quam conamini eis adimere, quibus auctoritatem ipsi conceditis.

SECTIO XX. — *Qui S. Scripturam admittit, securè adhæret testimonio Ecclesiæ.*

Convenit inter Catholicos et Protestantes, in S. Scri-

pturis prædictam, et promissam esse Ecclesiam, usque ad finem mundi duraturam. Convenit inter eosdem Ecclesiæ semper competere prædicationem verbi divini, et Sacramentorum administrationem. Convenit insuper Ecclesiam veram, perpetuò durantem non errare in fundamento, sive in articulis necessariis fidei et morum : quantumvis fieri possit, ut particularia Ecclesiæ membra, vel etiam particulares Ecclesiæ, à fundamento recedant. Neque ulla lis est, an Ecclesia vera possit condere novos articulos fidei, extrà, contrà aut præter verbum Dei; docent enim Catholici, id Ecclesiam non posse; ut quæ post tempora Apostolorum, novis, ad universalem Ecclesiam directis, revelationibus non illustretur; licèt contrarium nobis imponant nonnulli Protestantes. — Hoc ergò docemus et profitemur, de Ecclesià prædictum esse, ut non erret in rebus fidei. Has promisionnes nobiscum in S. Scripturis legerunt Protestantes; atque eæ promissiones adeò sunt evidentes, ut eas negare non possint. Quas autem negare non possunt, interpretando restringunt; quasi eæ promissiones non pertinerent nisi ad articulos necessarios, cùm tamen S. Scripturæ eam restrictionem de suo addant, nec eam in verbo Dei inveniant. At verò si Scripturæ adhibenda sit fides, uti inter nos convenit, acceptemus quod illa dicit, absolutè et simpliciter, et repudiemus quod aliundè infertur, ità enim et verbo Dei sua constabit auctoritas; Ecclesiæ non auferemus, quod Spiritus sanctus ei promisit, et privatæ persuasioni non dabitur locus. Quid, quòd ipsa primitiva Ecclesia istam Protestantium limitationem ignoraverit, et promissiones Dei absolutas simpliciter acceperit, ac quibuslibet erroribus, doctrinæ universalis Ecclesiæ adversantibus, anathema dixerit, eoque ipso novam illam Protestantium limitationem repudiaverit? — Manet igitur esse credendam Ecclesiam Christi, cui in Scripturis factæ sunt promissiones non errandi; easque promissiones esse absolutè et simpliciter accipiendas. Quapropter si petant Protestantes, quid sibi credendum sit, ut sint Romano-Catholici, respondebitur, hoc credendum esse, quod Ecclesia proponit; ei enim factas esse promissiones non errandi; de eà prædictum esse, ut non erret. Vide S. August. de Unit. Eccl. caput. 22.

Jam consideremus illud Protestantium : *Ecclesia non errat in necessariis, in aliis tamen frequenter errat.* Quid hoc est? Ubi inveniuntur illa necessaria? In Scripturà. Possuntne Protestantes errare in determinandis necessariis? Possunt; non tamen errant, quandò invocato Spiritu sancto sequuntur Scripturam. At si non debitè invocent Spiritum sanctum, vel minùs sedulò scrutentur Scripturam, possuntne errare? Et possunt, et frequenter errant. Undè ergò ipsis constat, quòd non errent? Ex testimonio interno Spiritûs sancti, quod est conforme Scripturæ. An etiam contigit ut illud testimonium non habeant, quibus persuasum est, se illud habere? Omninò. Undè igitur patet, quòd eo testimonio destituantur? Ex dissonantià à Scripturà. At, cujus est judicare, an illorum testimonium dissonet à Scripturà? Spiritûs sancti in Scripturà loquentis. Verùm si ille neget id judicare Spiritum sanctum, etiam post auditas oppositiones? Hìc regula Protestantium quiescit, et unumquemque relinquit privatæ suæ persuasioni.

Similiter, Ecclesia habet promissiones non errandi in necessariis. Ergò Ecclesia judicans hoc, aut illud dogma esse verum et necessarium, non errat in necessariis. Ergò quicumque se opponit doctrinæ per Ecclesiam propositæ, tanquàm veræ et necessariæ, fit hæreticus; nam, uti docent Protestantes, hæreticus est, qui pertinaciter defendit errorem in necessariis. Quid hìc dicetis? nisi fieri posse, ut Ecclesia determinet aliquod dogma, sive verum, sive falsum, tanquàm necessarium, quod reverà non est necessarium; nec propterea errare Ecclesiam in necessariis? At verò cujus erit judicare, an dogma, quod Ecclesia proponit ut necessarium, sit reverà necessarium? Nam si illud judicium competat Ecclesiæ, manent conclusiones ex doctrinà vestrà deductæ. Sin autem dicitis illud judicium competere cuilibet fideli, jam totam Ecclesiæ auctoritatem subjicitis privatæ cujusque persuasioni; et promissiones Ecclesiæ factæ, de non errando in necessariis, ampliabuntur et restringentur secundùm cujusque beneplacitum. Quò dilaberis, humana infirmitas, eò progressa, ubi manere tutum non est, necdùm respiciens, ubi salvari securum est!

SECTIO XXI. — *Necessariò admittendam esse auctoritatem docentis infallibilem.*

Ostendimus in præcedentibus, auctoritatem docentis infallibilem in Christo Jesu fuisse constitutam, in Apostolis continuatam, in Ecclesià receptam et propagatam. Et hæc quidem illis sufficient, qui Scripturæ sacræ divinitatem agnoscunt, et venerandæ antiquitatis tùm sententiam, tùm praxim amplectuntur. Sed non abs re erit, illis omnibus sepositis, liquidò ostendere auctoritatem docentis infallibilem esse admittendam : hoc enim superest, ut Protestantibus manifestetur, quò plenior sit eorum satisfactio.

Assumimus autem illud S. Augustini, de Utilit. cred. cap. 16 : Quamdiù intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est; sed « certè miseriùs non moveri. Si enim Dei providentia « non præsidet rebus humanis, nihil est de religione « satagendum. Sin verò et species rerum omnium, quam « profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, et interiori nescio quà conscientià Deum quærendum, Deoque serviendum meliores « quosque animos quasi publicè privatìmque hortatur; « non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quà velut gradu certo innitentes attollantur in Deum. Hæc autem, sepositâ « ratione (quæ per demonstrationis viam cupit ingredi) quam sinceram intelligere, ut sæpè diximus, « difficilimum stultis est, dupliciter nos movet, partim « miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil « horum est necessarium sapienti, quis negat? Sed id « nunc agitur, ut sapientes esse possimus, id est, in-

hærere veritati. » — Omnes per naturam in eo sumus numero, ut simus habendi stulti, quoad veram et salutarem notitiam serviendi Deo. Stultis verò difficillimum est sinceram intelligere veritatem. « Ideò naturæ « ordo ità se habet, ut cùm aliquid dicimus, rationem « præcedat auctoritas, » loquitur Augustinus, de morib. Eccl. cap. 2. Quamdiù intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est, sed certè miseriùs non moveri; nulla enim superesset via ad veram sapientiam perveniendi. Ad Deum quærendum, Deoque serviendum esse, ipsa rerum creatarum manifestat universitas. Quapropter cogitandum est ab ipso Deo auctoritatem aliquam esse constitutam, quà velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum. Necesse enim est ut rationem præcedat auctoritas; si quibuscumque hominibus, doctis et indoctis, ad veram sapientiam constituta est via. Hæc autem auctoritas dupliciter nos movet, partìm miraculis, partìm sequentium multitudine. — Verùm si de istâ auctoritate nobis constet per miracula et sequentium multitudinem, deerit nobis metaphysica certitudo; et auctoritas illa erit quidem evidenter credibilis, non tamen compellet intellectum ad necessarium assensum. Fatemur rem ità se habere; sed et necesse est ut ità se res habeat; quò agnoscentes infirmitatem judicii nostri, ad perfectius aliquid atque eminentius aspiremus. Postquàm enim ex lumine naturæ notum est, Deum quærendum, Deoque serviendum esse, oportet ut de Deo sentiamus in bonitate, et in simplicitate cordis indagemus eum. Sentimus autem de Deo in bonitate, si teneamus ejus providentiam humanis rebus præsidere; quæ profectò, si rebus humanis non præesset, nihil foret de religione satagendum. — Illa ergò divina providentia constituit auctoritatem aliquam, quâ velut gradu certo attollamur in Deum; quæ quidem auctoritas nos movet, partìm miraculis, partìm sequentium multitudine, tanquàm evidenter credibilis; sed planè permovet, si eam consideremus, ut divinitùs constitutam, quæ præsidente divinâ providentiâ dirigatur. Undè hanc auctoritatem tenendam esse, quilibet facilè perspicit, modò eam consideret à Deo provenire, et ejus providentiâ dirigi. — Hæc igitur est illa auctoritas indemonstrabilis, quæ necessariò admittenda est, si ad salutarem Dei notitiam pervenire studeamus. Esse autem in fidei rebus veniendum ad aliquid indemonstrabile, etiam tradit S. Basilius, in Psalm. 115, et S. Clemens Alexandrinus, lib. 8 Strom.

SECTIO XXII. — *Adhortatio ex præcedentibus.*

Quamobrem, etiamsi docere et persuadere non valeremus, monere tamen non desinimus, ut quoniam multi sapientes videri volunt, neque utrùm sint stulti dignoscere facile est, omni intentione, votisque omnibus, gemitibus denique, vel etiam, si fieri possit, fletibus, Deum deprecemini, ut vos ab erroris malo liberet, si vobis beata vita cordi est. Quod facilius fiet, si præceptis ejus, quæ tantâ Ecclesiæ catholicæ auctoritate firmata esse voluit, libenter obtemperetis. — Cùm enim sapiens sit ità Deo mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet, Deus enim est veritas, nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat, negare non possumus inter stultitiam hominis, et sincerissimam Dei veritatem, medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam.

Sapientiâ, quantùm datum est, imitamur Deum; homini autem stulto ad imitandum salubriter, nihil est homine sapiente propinquius; quem quoniam intelligere ratione non facile est, oportebat quædam miracula ipsis oculis admoveri, quibus utantur stulti multò quàm mente commodiùs, ut commotorum auctoritate hominum priùs vita moresque purgarentur, et ità rationi accipiendæ habiles fierent. — Cùm igitur et homo esset imitandus, et non in homine spes ponenda, quid potuit indulgentius et liberalius divinitùs fieri, quàm ut ipsa Dei sincera, incommutabilisque sapientia, cui nos hærere oportet, suscipere hominem dignaretur? Qui non modò illa faceret, quibus ad sequendum Deum invitaremur, sed etiam illa pateretur, quibus à sequendo Deo deterrebamur. — Nam cùm adipisci certissimum ac summum bonum nemo possit, nisi id plenè perfectèque dilexerit; quod nullo pacto fiet, quamdiù mala corporis atque fortuita formidantur; ille nascendo mirabiliter et operando conciliavit charitatem; moriendo autem et resurgendo exclusit timorem. Jam verò talem se in cæteris rebus omnibus præbuit, quas persequi longum est, ut de divinâ clementiâ quò porrigi, et humana infirmitas quò possit evehi, sentiremus. — Est et saluberrima auctoritas, quâ mentes nostræ à terrenâ inhabitatione elevantur, quâ in Deum verum ab hujus mundi amore convertuntur. Sola est auctoritas, quæ commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Sed sunt etiam sordes animi, ut brevi explicemus, amor quarumlibet rerum, præter animum et Deum. A quibus sordibus, quantò quis est purgatior, tantò verum faciliùs intuetur. Verum igitur velle, ut animum purges, cùm ideò purgetur ut videas, perversum certè atque præposterum est. Homini ergò non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas præstò est, quam, ut paulò antè diximus, partìm miraculis, partìm multitudine valere, nemo ambigit.

Miraculum vocamus, quidquid arduum atque insolitum suprà spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius, et omninò stultis hominibus, quàm id quod sensibus admovetur. Sed rursùs hæc in duo dividuntur; quædam enim sunt, quæ solam faciunt admirationem, quædam verò magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cùm ea res spectatori nihil offerat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodò. Si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox, ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suæ, sanitatis etiam charitate superabit. — Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantùm sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi; incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata

quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt; ità quædam corpori manifestiori beneficio, quædam verò menti occultiori signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant. Sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas.

Cur, inquiunt Protestantes, ista modò non fiunt? Quia non moverent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent. Quod non ideò dicimus, quasi nunc ulla miracula fierent, quæ, mundo credente, fieri non desinunt; sed quia tàm obvia non sunt, nec plerumque tàm magna. Cæterùm diei ac noctis vices, et constantissimum ordinem rerum cœlestium, annorum quadrifariam conversionem, decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorum saporumque varietates, da qui primùm videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possumus, hebescit, obruiturque miraculis; nos verò hæc omnia non cognoscendi facilitate, (quid enim causis harum abstrusius?) sed certè sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, ut his multitudine credentium congregatâ atque propagatâ in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.

Mores etiam quilibet tantùm valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quæ in his prava sunt, quod ferè superantibus libidinibus evenit, improbare citiùs et detestari, quàm deserere aut mutare possimus. Parùmne consultum rebus humanis arbitramini, quòd nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant? — Sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tàm multis diversisque generibus et credit et prædicat, quòd continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquæ, et non quotidiana solùm, sed etiam per contextos plures dies perpetua jejunia; quòd castitas usque ad conjugii plerisque contemptum; quòd patientia usque ad cruces flammasque neglectas; quòd liberalitas, usque ad patrimonia distributa pauperibus; quòd denique totius mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur. — Pauci hoc faciunt; pauciores benè prudenterque faciunt. Sed populi probant, populi audiunt, populi favent. Diligunt postremò populi. Populi suam imbecillitatem, quòd ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis, accusant. Hoc factum est divinâ providentiâ per Prophetarum vaticinia, per Apostolorum itinera, per Martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. — Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolicâ Sede per successiones episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus et partim plebis ipsius judicio, partìm conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi ad rationem intelligendam fide præcolatur; quid est aliud ingratum esse opi auxilioque Dei, quàm tanto labore prædictæ auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quanquàm vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem atque magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quàm divinorum Sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle agnoscere, et juxtà privatam persuasionem velle explicare? — Quamobrem, Domini Protestantes, si quid vos vel ratio, vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credimus, curam vestrî geritis, hoc audiatis, et bonis præceptoribus catholicæ Christianitatis vos piâ fide, alacri spe, simplici charitate committite, Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et justitiâ pœnas luimus, et clementiâ liberamur, orare non cessetis: ità vobis neque præcepta et disputationes doctissimorum hominum, et verè Christianorum, neque libri, neque serenæ ipsæ cogitationes defuerint, quibus facilè quod quæritis inveniatis. — Jam istos verbosos et miseros, (quid enim aliud mitius dixerimus?) penitùs deserite; qui dùm nimis quærunt, quomodo privatâ diligentiâ è Scripturis certi quid eruant, nihil reperiunt certi, quod credant, nisi quod apud Catholicos didicerunt; et ea docent excitatos, ut vel dormire semper satius sit, quàm illo modo vigilare.

Profectò non est imaginibus divinus cultus impendendus, neque martyribus, neque Apostolis, neque Virgini Deiparæ, neque ullis sanctis cum Christo regnantibus; non est Ecclesiæ auctoritas S. Scripturarum auctoritati præferenda; non est fingenda libertas sacrilega; non est gratiæ Dei derogandum; non est neganda per Christum gratuita peccatorum remissio; nulla apostolica traditio proprio arbitrio constituenda. Hæc enim, et hujusmodi Protestantes movebant, cùm ea magnis invectionibus quaterent eorum magistri, et hanc esse Ecclesiæ catholicæ disciplinam insimularent; quod omninò falsissimum est. Itaque, illos rectè reprehendere ista, concedimus. Quid ergò dicetis? Nisi cùm ista reprehenduntur, disciplinam catholicam non reprehendi? Quod apud vestros verum didiceritis, tenebitis; quod falsum inveneritis, respuetis. Sed et alia multa docebit vos Ecclesia catholica, quò illi homines aspirare non possunt, eaque tàm necessariis fundamentis approbata, ut dubitari omninò non possit, si tamen bono ingenio pietas, et pax quædam mentis accedat, sine quâ de tantis rebus magni nihil prorsùs intelligi potest.

Sed jam finem imponemus; postquam sufficienter ostensum est, fidem christianam ab initio hucusque per testes fuisse commendatam et traditam: et sequentibus temporibus, dirigente divinâ providentiâ, Deoque promissum suum implente, per testes esse commendandam et tradendam.

TRACTATUS SEXTUS.

DE TESTIMONIIS SEU TRADITIONIBUS NON SCRIPTIS.

SECTIO I. — *Explicatio vocum.*

Traditio idem significat, quod testimonium. Nam sicut testimonium, seu attestatio idem est quod ipsius testis asseveratio, ità traditio idem est quod actio tradentis. Et quemadmodùm attestatio totam suam vim habet ab attestante, non aliter traditio à tradente. — Ejusmodi testificatio, seu traditio fit scripto, et non scripto. *Scribe hoc ad monimentum, et trade auribus Josue*, *Exod.* 17, 14. Ubi mandatur à Domino, ut idem scribat in libro, idem Josue tradat. Sic generaliter accipitur: *Audivimus eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses*, *Act.* 6. Eodem modo: *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*, 2 *Thes.* 2, 14.

Attestatio seu traditio, immediatè significat actionem attestantis, seu tradentis; cujus actionis terminus est illud ipsum, pro quo fit attestatio, sive quod traditur; qualis est doctrina, quæ per attestationem seu traditionem innotescit; neque refert, sive id scripto fiat, sive non scripto. — Communiter tamen à theologis, exemplo SS. Patrum, vox, *traditio*, non tàm accipitur de actione tradentis quàm de traditâ, neque tàm de re, quæ scripto traditur, quàm de eâ quæ solo verbo, seu sermone commendatur. — Dicitur proindè traditio non scripta, quæ à primo auctore in litteras non est relata; quamvis eadem doctrina ab aliis sit scripta. Sic doctrina de non rebaptizandis baptizatis ab hæriticis, dicitur traditio apostolica non scripta, quia non invenitur in ullo libro apostolico; licèt in concilio Nicæno primo, et scriptis SS. Patrum reperiatur.

SECTIO II. — *De participatione traditionum.*

Aliter dividuntur traditiones, prout sunt actiones tradentis; aliter, prout accipiuntur de re traditâ. Prout sunt actiones tradentis, respiciunt suos auctores; res tradita materiam complectitur, tanquàm terminum traditionis. Respectu auctorum, aliæ sunt *divinæ*, à Christo profectæ; aliæ *apostolicæ*, quæ ab Apostolis derivantur, quamvis et apostolicæ dicantur divinæ, quia ex immediatâ revelatione profectæ, et divinæ dicantur apostolicæ, quia ab his promulgatæ. — *Ecclesiasticæ* traditiones dicuntur, quæ ab Ecclesiâ originem habent. Sic Ecclesia testimonium perhibet verbo Dei scripto, et non scripto; uti et de sensu verbi Dei scripti, et non scripti; hoc de illis asseverans quod accepit de illis assertum esse ab Apostolis. Sic Ecclesia sive per prælatos multa præscribit, sive observantia introducit; vocanturque traditiones ecclesiasticæ, si his, aut illis accedat antiquitas. — Respectu materiæ, aliæ sunt traditiones de fide, aliæ de moribus; aliæ perpetuæ, aliæ temporales; aliæ universales, aliæ particulares; aliæ præceptæ, aliæ liberæ.

SECTIO III. — *Status quæstionis.*

Docent Protestantes nihil esse ad salvificam fidem, et ad vitam Deo placentem informandam necessarium, quod S. Scriptura plenissimè non contineat. Vid. Conf. Helv. poster., *art.* 1, 2, prior. *art.* 1 *et* 4, Conf. Angl. *art.* 6; Scot. *art.* 18. Belg. *art.* 7; Wirtemb. *de S. Script.* — Sacram Scripturam continere omnia ad fidem et mores necessaria, eo sensu verum est, si intelligatur de iis, quæ sunt omnibus et singulis necessaria; sed et alia sunt ministris Ecclesiæ, nonnullis Ecclesiæ membris, in certis occurrentiis ipsi Ecclesiæ necessaria. — Sacram Scripturam continere omnia, vel divinitùs, vel per Apostolos tradita, non asserunt Protestantes; et tamen illa eatenùs sunt necessaria, ut non liceat iis, sine præjudicio salutis, contradicere; sicut non licet contradicere ulli parti Scripturæ sacræ, propter reverentiam, quam divinæ revelationi debemus. — Quandò dicimus, S. Scripturam continere omnia, omnibus et singulis necessaria, supponimus notitiam Scripturæ divinæ, quam tenemus sine traditione sufficientem obtineri non posse, et neutiquàm asserimus, posse à quolibet, sine explicatione Ecclesiæ, obtineri verum sensum articulorum necessariorum. — Rejiciendas esse omnes prætensas traditiones, à S. Scripturâ discrepantes, vel eidem contrarias, docent omnes Catholici.

Itaque secundùm Confessiones publicas, status quæstionis est: *An dentur traditiones, sive Ecclesiæ, sive ministris Ecclesiæ necessariæ?* Quamvis enim Confessiones id apertè non negent, particulares tamen Protestantium doctores sic eas accipiunt. Nos verò dicimus in professione fidei: « Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, etc., firmiter admitto et amplector. »

SECTIO IV. — *Status quæstionis juxtà particularium sententias.*

Calvinus sic loquitur, quasi negaret ullum esse verbum Dei non scriptum. Scheiblerus admittit traditiones, quæ concernunt historias. Exam. Fid. lib. 2, part. 2, cap. 10, n. 2. Petrus Martyr etiam generaliùs admittit traditiones, loc. comm. Class. 3, cap 4, n. 77. Cocceius asserit suos agnoscere et defendere « doctrinam, quam Deus non tantùm scriptis curavit « mandari, sed etiam ipse suo ore et per missos suos « Ecclesiæ commendavit. » Asserit: « Certum habemus, sensum Scripturæ, certè in fundamentalibus, « fuisse primitivæ Ecclesiæ Apostolorum discipulæ « familiarem, etc. Quâ parte rursùs evidens est, nos « pluris traditionem facere, quàm Papistas. » Vid. Zanch. tom. 4, lib. 1 de leg. Dei, tit. de tradit., thes. 1.

Non est quæstio 1°, an sit credendum verbo Dei

non scripto, sive traditioni divinæ et apostolicæ. Hoc enim indubitatum est apud omnes Christianos. — Non est quæstio 2°, an detur aliqua traditio, omnibus et singulis necessaria; nam si per *traditionem* hoc accipiamus, *quod est traditum*, certissimum est doctrinam omnibus et singulis necessariam, in libris apostolicis conscriptam, esse etiam ab Apostolis ore tenùs prædicatam, unà cum vero sensu et explicatione. Sed, secundùm istam acceptionem, non est, strictè loquendo, traditio, quæ de eo accipitur, quod à primo auctore non est scriptum, licèt doctrina ore tenùs tradita sit explicatior, et, secundùm eam rationem explicationis, possit propriè dici traditio. Nolent autem Protestantes doctrinam illam necessariam explicatiorem, esse minùs necessariam quàm ipsam doctrinam necessariam in Scripturis traditam. Si autem *traditio* accipiatur pro actione tradentis et attestantis, non est dubitandum quin traditio apostolica ad Ecclesiam pervenerit, atque omnibus et singulis fidelibus sit necessaria, ut ad certum ac determinatum sensum articulorum necessariorum pertingant. — Non est quæstio 3°, an dentur traditiones ecclesiasticæ, et an sint observandæ. Fatetur id enim Conf. Argent., cap. 14, August. de discrim. cib. Saxon., art 20, Bohem. art. 15, Centur. Magdeburg. cent. 3. — Non est quæstio de Ordinibus monachorum, de solemnitatibus festorum, de usu rosarii, de miraculis posteriorum temporum, quibus omnibus nonnulli Protestantes imperitè insultant. Vide Eilbracht., Epanorth. c. 5, annot. 3, Hund. part. 3, sect. 3.

Itaque probabimus 1° adhibendam esse fidem verbo Dei non scripto, sive traditionibus divinis et apostolicis; quod licèt inter Christianos dubitationem non habeat, elucidandum tamen est, propter illos, qui universas vel pro non necessariis habent, vel pro inutilibus. 2° Pervenisse ad Ecclesiam traditiones divinas et apostolicas, quæ scriptæ non sunt ab auctoribus canonicis. Et quia hæc res in facto consistit, adducemus testimonia veterum Ecclesiæ doctorum. Assignabimus 3° varios articulos ex traditione divinâ et apostolicâ necessarios, quos Protestantes nobiscum admittunt, neque ex solâ Scripturâ probari sufficienter possunt. Tandem 4° adducemus probationem syllogisticam.

SECTIO V. — *Doctrinam catholicam de Traditionibus, non esse justam causam schismatis.*

Eilbrachtus controversiam de traditionibus vocat fundamentalem, Epanorth. cap. 15, sed seipsum involvit. Idem tenet Spanhemius, de Cap. Fid. disp. 3, thes. 5, sed nullâ solidâ probatione instructus. — Fatentur Protestantes græcam Ecclesiam non errare in fundamento. Hanc autem nobiscum tenere traditiones non scriptas, nec ipsa negaverit impudentia. Undè igitur fit, ut Græci idem nobiscum tenentes, non errent fundamentaliter, nos verò erremus fundamentaliter? An quia sic placet Protestantibus, à quorum arbitrio ea determinatio dependet?

Pars prior.

PROBATIONES PROTESTANTIUM. — 1° *Ex S. Scripturâ.* — Dicunt 1° : Populus Israeliticus multis seculis vixit sine aliâ doctrinâ salutis, quàm quinque libris Moysis comprehensâ, de quibus Deus ità loquitur, Deut. 4 : *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis, neque detrahite de eo.* Quandò ergò credibile est, nunc superesse traditiones, post libros Prophetarum, Apostolorum et Evangelistarum? — Resp. 1° : Non agitur ibi de solo verbo Dei scripto. 2° Deus istis libris addidit verbum suum scriptum, et potuit addere non scriptum. 3° Vetatur additio humana, quæ fit sine auctoritate Dei.

Dicunt 2° : S. Joannes, cap. 20, 31, de suo Evangelio loquens, ait : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis Jesum esse Christum illum filium Dei, et ut credentes habeatis vitam per nomen ejus.* — Resp. S. Joannes, ut illi volunt, agit de suo Evangelio (cùm reverà agat de miraculis Christi), undè probant in Evangelio S. Joannis omnia necessaria comprehendi. Sic ait Christus : *Hæc dico vobis ut salvi sitis.* An ideò nihil est necessarium ad salutem, nisi quod Christus ibi dixit? Si quis diceret : Cibus est necessarius, ut vivamus, non eo ipso excluderet potum, vestes, aerem.

Dicunt 3° : *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere.* Quod Christus non diceret, nisi Scripturæ sufficerent ad inveniendam viam salutis. — Resp. 1° : Loquitur Christus de Scripturâ veteris Testamenti, in quâ universa contineri, quæ tunc omnibus et singulis erant necessaria ad salutem, non diffitemur; ut verò quilibet ea sine periculo inveniret, opus erat Catechesi ore tenùs traditâ, et in Scripturis fundatâ. Simile est sub novo Testamento. Sed hoc non prohibet traditiones Ecclesiæ necessarias.

Dicunt 4° : *Tota Scriptura divinitùs est inspirata, et utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad disciplinam in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus,* 2 Tim. 3, 16, 17. Ergò traditiones non sunt necessariæ. — Resp. 1° : Quomodò hìc est sermo de totâ Scripturâ, cùm tunc necdùm esset tota scripta? 2° Si velint agi de totâ, quomodò Timotheus eam didicit ab infantiâ, ut dicitur versu præcedenti? 3° Quomodò docebunt nullos libros periisse? 4° Non sequitur : Scriptura est utilis, ergò sola sufficit. 5° Minùs sequitur, ergò non dantur traditiones divinæ et apostolicæ Ecclesiæ necessariæ.

Dicunt 5° : *Teque à puero sacras litteras novisse, quæ te possunt sapientem reddere ad salutem,* 2 Tim. 3. Neque refert an legatur, *sapientem reddere*, an, *instruere;* cùm Apostolus non loquatur de semiplenâ instructione. — Resp. : Non sequitur : Scriptura in-

struit, et sapientem reddit : ergò sola sapientem reddit : ergò nihil non scriptum est Ecclesiæ necessarium; quamvis non scripta commendaverint Apostoli.

Dicunt 6° : *Quarè et vos transgredimini præceptum Dei per traditionem vestram?* Matth. 15, 3, non dicit : Quarè contravenitis? sed : quarè transgredimini? Pleræque enim traditiones Pharisaicæ erant simplices additiones ad legem Dei. — Resp. 1° vocem transgrediendi, ibi accipi pro contravenire, patet ab exemplo, quod Christus adducit : *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* 2° Pleræque Pharisæorum traditiones erant inutiles, ut, illotis manibus non manducare. Centur. Magdeburg. fatentur Christum agere in dicto textu de impiis traditionibus.

Dicunt 7° : *Ut in nobis discatis, suprà id quod scriptum est non sapere.* Agit autem Apostolus in præcedentibus de doctrinâ, et Scripturam ponit limitem prædicationis.

Resp. : 1° Non sequitur : Apostolus agit præcedenti capite de doctrinâ; ergò et hoc capite. 2. Imò Apostolus agit de humilitate Pastorum : Ne unus adversùs alterum infletur pro alio. 3. Quæ Scriptura ponitur limes prædicationis, cùm tunc omnes libri necdum fuerint scripti? Refert se igitur Apostolus ad pacem fidelium, humilitatemque Pastorum, de quâ scripserat.

Dicunt 8° : *Si quis adjecerit ad hæc, imponat ei Deus plagas scriptas in libro isto.* Quod intelligitur de totâ Scripturâ.

Resp. Catholica Ecclesia non docet quidquam addendum esse Scripturæ : nec agnoscit aliud verbum Dei, quàm quod per Prophetas, Apostolos, et auctores canonicos scripto, et non scripto est promulgatum. Nihil hoc contrà traditiones apostolicas.

Dicunt 9° : *In statutis patrum vestrorum ne ambuletis, et jura eorum ne observetis.*

Resp. : 1° Non agitur ibi de traditionibus divinis et apostolicis. 2° Si de ecclesiasticis agatur, is locus vos premet, nos non tanget : nos enim non tàm ambulamus in statutis patrum nostrorum, quàm avorum, proavorum, et atavorum, perpetuæ consuetudini inhærentes : vos autem in statutis patrum vestrorum ambulatis, quorum plerique seniores nec avorum, nec proavorum statuta invenire possunt. Nisi fortè id filios vestros docetis, ut nunquàm cum patribus suis eosdem ritus observent.

Dicunt 10° : *Berœnses receperunt sermonem Dei, examinantes Scripturas, an hæc ità se haberent* Act. 17, 11. Ergò omnia ad solam Scripturam examinanda sunt. Ergò non sunt necessariæ traditiones. — Resp. 1° : S. Paulus doctrinam suam probaverat ex Scripturâ veteris Testamenti, tanquàm ex principio Judæis et Christianis communi. Judæi, per gratiam Domini inveniebant à S. Paulo vera esse prædicata de Christo, de ejus passione et resurrectione : examinatis Scripturis, omnia conveniebant. Sed indè non sequitur, constituto Christo, tanquàm capite et salvatore, non fuisse eidem Christo, ejusque delegatis doctoribus, ulteriùs à Berœnsibus credendum, quàm pro mensurâ doctrinæ veteri Testamento comprehensæ. Alioquin nec baptismus, nec Eucharistia fuisset admittenda. 2° Quæ hæc est consequentia : Quæ probantur ex Scripturâ veteris Testamenti, examinantur, an ità se habeant; ergò omnia ad solam Scripturam examinanda sunt?

2° *Ex SS. Patribus.* — Nota 1°, SS. Patres frequenter disputâsse contrà hæreticos sui temporis, auctoritatem Ecclesiæ et traditionum negantes atque ideò solas Scripturas ab iis postulâsse, et argumenta, quæ ipsi ex Scripturâ producebant, præcipuè ursisse. 2° Dicunt quandoque SS. Patres, S. Scripturam continere quidquid est necessarium ad salutem, quia præcipua puncta comprehendit, omnibus et singulis necessaria, et nos remittit ad Ecclesiam; traditiones verò non scriptas apertissimè admisisse.

Dicit Hundius, ex S. Ambrosio, lib. 1, de Offic. c. 23 : « Quoniam quæ in sanctis Scripturis non reperimus, ea quemadmodùm usurpare possumus? » — Resp. S. Ambrosius agit de non admittendis jocis, Hundius, de non admittendis traditionibus, quas dicimus apostolicas. Sic præmittit vir sanctus : « Multa præterea de ratione dicendi dant præcepta seculares viri, quæ nobis prætereunda arbitror, ut de jocandi disciplinâ. Nam licèt interdùm honesta joca ac suavia sint, tamen ab ecclesiasticâ abhorrent regulâ; quoniam quæ in Scripturis sanctis non reperimus, etc. »

Dicit 2° ex S. Irenæo : « Cùm enim ex Scripturis redarguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, et quia variè sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem. » Hundius sic addit : « Dele nomen Irenæi, jurabunt Calvini aut Lutheri in eos iram esse. » — Resp. : 1° Quis Catholicorum Scripturam accusat? Accusant vestras Scripturæ depravationes. Scripturam pro verbo Dei habent. 2° : Quis Catholicus dicit Scripturam *non rectè habere?* 3° : Quis Catholicus dicit Scripturas *non esse ex auctoritate?* 4° : Quis Catholicus asserit indifferenter Scripturas *esse variè dictas?* Ne vos quidem astruitis in omnibus claritatem. Non est ergò quod juremus, deleto Irenæi nomine, iram Lutheri, vel Calvini, in verbis Irenæi, contrà nos apparere, cùm sint ex tuâ maledicendi libidine. — S. Irenæus, eodem capite, eodem contextu, sic pergit : « Cùm autem ad eam iterùm traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos (et Hundium); adversantur traditioni, dicentes, se non solùm presbyteris (quod nunc Hundius, et quilibet Reformatus dicit), sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem; et mox : Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos. » Vides S. Irenæum agnoscere traditiones.

Dicunt 3°, ex S. Augustino : « Electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. » Tract. 49, in Joan. — Resp. Agit S. Augustinus de iis, quæ miracula Christi concernebant, non autem de omnibus ad salutem necessariis.

Dicunt 4°, ex S. Augustino : « In iis, quæ apertè in « Scripturâ posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ « continent fidem moresque vivendi. » Lib. 2 de Doctr. Christ, cap. 9. — Resp. Sequitur in S. Augustino : « Spem scilicet atque Charitatem, de quibus libro su- « periore tractavimus. » Cùm igitur S. Augustinus in superioribus libris non egerit de omnibus ad salutem necessariis, quid hìnc Protestantes inferent? Deindè dicit omnia apertè posita, quæ continent fidem, moresque vivendi; quia nimirùm in apertè positis invenimus multos articulos necessarios; et in apertè positis remittimur ad Ecclesiam, ut eam audiamus, et ab eâ erudiamur. Tandem et nos dicimus omnibus et singulis necessaria, esse in Scripturis apertè posita.

Dicunt 5°, ex S. Hieronymo : « Quod de Scripturâ « non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemni- « tur, quâ probatur. » In Matth. 23. — Resp. Mirum est, ista verba ex Hundii calamo profluxisse, cùm propter eadem prolata infidelitatis reum egerit Chemnitium Bellarminus. (Lib. 4 de Verbo Dei. cap. 11, § 13.) Non dicit S. Hieronymus universaliter : « Quod « de Scripturâ non habet auctoritatem. » Sed loquens, uti rectè Bellarminus, de particulari quâdam sententiâ, quâ quidam nitebantur ex libro apocrypho probare Zachariam, quem Judæi occiderunt inter templum et altare, fuisse Zachariam, patrem Joannis Baptistæ, ait : « Hoc quia de Scripturis auctoritatem non habet, « eâdem facilitate contemnitur quâ probatur. »

Pars posterior.

Probationes catholicorum. — 1° *Ex Conciliis.* — Concilium Tridentinum, sess. 4, decernit de doctrinâ christianâ : « Hanc veritatem et disciplinam contineri « in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ « ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis « Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus « traditæ, ad nos usque pervenerunt. »

2° *Ex Scripturâ.* — Primus locus : *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Didicerunt Thessalonicenses per concionem, seu sermonem; didicerunt per Epistolam Apostoli; et utraque fide digna sunt. Omnia, quæ per sermonem didicerunt, esse scripta, nullibi legimus; omnia scribi potuisse, non diffitemur. — Secundus locus, 1 Cor. 11 : *Laudo autem vos, fratres, quòd per omnia meî memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Item : *Cætera, cùm venero, disponam.* Ubinam sunt scripta illa præcepta, ubi dispositiones quas S. Paulus tradidit? Qualia autem habeamus fidei et morum præcepta, ex traditione apostolicâ, dicemus in sequentibus.

Tertius locus : *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum.* Protestantes, qui dicunt hæc omnia esse scripta, quam adducunt assertionis suæ probationem? Nullam. Et tamen credunt ea omnia esse scripta, ut sciamus eos illud credere, quod ex Scripturâ nequeunt probare.

3° *Ex SS. Patribus S. Scripturam explicantibus.* — Primum locum, 2 Thess. 2, 15, explicat S. Chrysostomus, hom. 4 in 2 Thess. *Itaque, fratres state, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* « Hìnc est perspicuum, quòd « non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa « etiam sine scriptis; et ea sunt quoque fide digna. « Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus « esse fide dignam. Est traditio : nihil quæras am- « pliùs. » Vid. S. Basil. de Spirit. sanct. cap. 29. — Secundum locum, 1 Cor. 11, 2, explicat S. Epiphanius, hæres. 61 : « Neque enim ex Scripturis peti pos- « sunt omnia. Idcircò alia scripto, alia traditione san- « ctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ità Paulus « affirmat : *Quemadmodùm tradidi vobis.* Item alio loco : « *Ità doceo, et ità tradidi in Ecclesiis.* Item : *Si memi-* « *nistis, nisi frustrà credidistis.* Jam verò illud ab Apo- « stolis sancta Dei Ecclesia traditum accepit, post de- « cretam virginitatem ad nuptias sese conferre, scelere « implicatum videri. » — Audi iterùm S. Epiphanium, hæres. 65, § 8 : « Necessariò facere (orare pro mor- « tuis) illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum « à majoribus acceperit. Potest verò quisquam mater- « nam sanctionem, aut legem patris evertere? Quem- « admodùm à Salomone scriptum est : *Audi, fili,* « *sermones patris tui, et ne repellas legem matris tuæ;* « qui Patrem, hoc est, unigenitum Deum, cum Spiritu « sancto declarant, partìm scripto, partìm sine scripto « docuisse; matrem verò nostram Ecclesiam, » etc. Vid. S. Basil. de Spirit. S. cap. 29; S. Chrysost., hom. 26 in 1 Cor. — Tertium locum, 2 Tim. 1, 13, explicat S. Chrysostomus, hom. 3 in 2 ad Timoth. : « Non modò per litteras, sed etiam verbis discipulo « quæ essent agenda declaravit; quod plurimis et aliis « in locis ostendit : dicens : *Sive per verbum, sive per* « *epistolam, quasi per nos missam.* Hoc et hic multò « magis fecit; ne igitur minùs aliquid doctrinam ha- « bere putemus; plurima illi absque scripto tradidit, « quæ illi modò ad memoriam revocans, dicit : *For-* « *mam habe sanorum verborum, quæ à me audisti.* Quid « autem hoc sibi vult? Pictorum, inquit, more imagi- « nem virtutis tibi impressimus, et omnium quæ Deo « grata sunt, veluti normam, privatamque formam « tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmiter, « et sive de fide, sive de charitate, sive de castitate « opus sit aliquid loqui, ac definire, (an hìc nihil ad « salutem necessarium) inde (ex verbo non scripto) « tibi exemplaria accipe. »

4° *Ex SS. Patribus Scripturam non explicantibus.* — Tempus est, ut ad testimonia SS. Patrum veniamus, quibus probemus etiamnùm exstare, et superesse verbum Dei non scriptum. — Adducunt SS. Patres, ex

solà traditione articulos necessarios. S. Basilius, de Spirit. S. cap. 27 : « Deficiet me dies, si Ecclesiæ « mysteria citrà scriptum tradita pergam recensere. « Omitto cætera, ipsam fidei professionem, quà cre- « dimus in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, è « quibus habemus scriptis? « et mox : « Quòd si glo- « rificandi modum, veluti scripto non traditum, reji- « ciunt, proferant nobis et fidei professionis, et cæte- « rorum quæ commemoramus, probationem è Scri- « pturis. »

Neque dicas Symbolum Apostolicum haberi in Scripturà quoad substantiam; quia hoc nihil impedit, quominùs idem Symbolum habeatur ex traditione non scriptà; sicut nihil impedit, idem alio modo dixisse, et alio scripsisse Apostolos; cùm verbum ab Apostolis prædicatum et scriptum, ex utroque capite debeat credi, si utroque modo ad nos pervenit. (Vide Zanchium, tom. 4, lib. 1, de Lege Dei, tit. de Tradition.

S. Augustinus refert traditiones morum, quæ sunt observationis necessariæ : « Illa autem quæ non scri- « pta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto ter- « rarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis « Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ec- « clesià saluberrima auctoritas; commendata atque « statuta retineri, sicut quòd Domini passio et resur- « rectio, et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo « Spiritûs sancti, anniversarià solemnitate celebran- « tur, et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab « universà, quàcumque se diffundit, Ecclesià. Alia « verò, quæ per loca regionesque variantur, etc., to- « tum hoc genus rerum liberas habet observationes, » epist. 18 ad Januar. Quod ultimum non dicit de præcedentibus. Neque objiciant Protestantes S. Augustinum eà ratione dies observare, menses et tempora, contrà reprehensionem Apostoli, Gal. 4, 10, quia hanc cavillationem ipse prævenit, et refutavit, epist. 119, cap. 7 et lib. contr. Adamant. cap. 16. Quid, quòd ipsi Protestantes certa festa nobiscum observent?

S. Cyprianus : « Admonitos autem nos scias, ut in « calice offerendo Dominica traditio servetur, neque « aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus « prior fecerit, et calix qui in commemorationem ejus « offertur, mixtus vino offeratur. »—S. Basilius de Spiritu S. cap. 27 : « Dogmata et instituta, quæ in Eccle- « sià prædicantur, quædam habemus è doctrinà, scri- « pto prodita, quædam rursùs ex traditione Apostolo- « rum in mysterio, id est, in occulto tradita recepimus : « quorum utraque parem vim habet ad pietatem, nec « his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter « expertus est, quæ sint jura ecclesiastica; nam si « consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tan- « quàm haud multùm habentes momenti, conemur reji- « cere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimen- « tum inferemus; imò potiùs ipsam fidei prædicatio- « nem ad nudum nomen (quia similiter omnia alia re- « jici possunt) contrahemus. Quod genus est (ut ejus, « quod primum est et vulgatissimum, primo loco com- « memorem) ut signo crucis eos qui spem collocârunt « in Christum signemus, qui scripto docuit? » etc., epist. 63, ad Cæcil.—S. Justinus, Apolog. 2, in fin. refert Christianos convenire singulis dominicis, ac post lectionem Scripturarum et concionem, offerri et consecrari « panem, vinum, et aquam. » Concludit : « Po- « stridiè Saturni, qui Solis dies est, cùm Apostolis « discipulisque suis apparuisset, hæc illis tradidit. »— S. Augustinus, lib. 2, de Bapt. contr. Donat. cap. 7 : « Quam consuetudinem (de non rebaptizandis hære- « ticis) credo ex apostolicà traditione venientem, sicut « multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque « in conciliis posteriorum, et tamen quia per univer- « sam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tra- « dita et commendata creduntur. »—Item, lib. 10 de Gen. ad. litt. cap. 23 : « Consuetudo matris Ecclesiæ in « baptizandis parvulis nequaquàm spernenda est, ne- « que ullo modo superflua deputanda, nec omninò cre- « denda, nisi apostolica esset traditio. »—S. Hieronymus, epist. 54 ad Marcel. « Nos unam quadragesimam, « secundùm traditionem Apostolorum, toto anno tem- « pore nobis congruo jejunamus, illi tres in anno « faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint salvato- « res ; non quòd et per totum annum, exceptà Pente- « coste, jejunare non liceat, sed quòd aliud sit neces- « sitate, aliud voluntate munus offerre. »

Probatio ad hominem.—Protestantes 1° docent nobiscum, S. Scripturam haberi ex traditione. Ità Molinæus, Novit. Pap. lib. 1, cap. 51; Episcopius Resp. ad 3 dilem. Calvinus, lib. 1 Instit. cap. 8, § 9.—Illa autem quæstio, an Scriptura, an hic, aut ille liber sit canonicus? est de articulo ad salutem necessario, Eilbracht, Epanorth. cap. 14, annot. 4. Licèt enim in principio Christianismi multæ gentes omnia ad salutem crediderint sine Scripturæ libris; licèt etiam nunc, ex nostrà doctrinà, aliqui possint omnia necessaria credere, nihil scientes de Scripturâ, quia sufficit accipere doctrinam necessariam ab Ecclesià : apud Protestantes tamen absolutè necessarium est credere divinitatem Scripturarum; siquidem docent ex hâc solà hauriendam esse doctrinam salutis. Illud autem sive fieri debeat proprià lectione, sive per auditam alterius lectionem, hìc non inquirimus.—Protestantes 2° credunt nobiscum esse nunc licitam comestionem sanguinis et suffocati, quamvis ea prohibeatur Act. 15, 29.—Protestantes 3° nobiscum credunt Spiritum sanctum procedere à Patre et Filio. Undè probatur? Et tamen hæreticus est qui hunc articulum negat.—Protestantes 4° nobiscum credunt perpetuam virginitatem B. Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi. Conf. Helv. poster. art. 11. Neque tamen id sufficienter probari potest sine traditione.—Protestantes 5° nobiscum credunt parvulorum baptismum haberi ex traditione apostolicà, judicantque iis communicandum non esse, qui contrarium tenent.—Protestantes 6° nobiscum docent non iterandum esse baptismum, semel validè collatum. Nullis id probatur ex S. Scripturà argumentis evidentibus et necessariis.—Protestantes 7° nobiscum credunt, validum esse baptismum apud hæreticos collatum. Sed quo argumento necessario et evidenti ad hoc per Scripturam inducuntur?—Protestantes 8° no-

biscum credunt in Jesu Christo esse unam tantùm personam. Sed ubi argumentum evidens et necessarium ex S. Scripturâ?—Protestantes 9° nobiscum credunt in baptismo pronuntianda esse aliqua verba, renuntiandum esse diabolo et mundo, ac profitendam fidem. Sed cæcutientis est, id evidenti argumento et necessariâ consequentiâ, ex solâ Scripturâ probare velle. — Protestantes 10° nobiscum observant diem Dominicum. Sed quo argumento sufficienti ex S. Scripturâ?

Probatio Syllogistica.—Cùm Protestantes doceant illud, quod per consequentiam ex Scripturâ deducitur, esse dogma fidei, et Molinæus addat, Novit. Papis. lib. 1, cap. 51 : « Si eæ doctrinæ vocentur traditiones, « quæ non reperiuntur terminis formalibus in Scri- « pturâ, sed reperiuntur terminis æquivalentibus, vel « ex illâ deducuntur per consequentiam necessariam, « nos illas traditiones non rejicimus; » operæ pretium erit, in hâc materiâ fundamentali syllogismis procedere. —Lutherani etiam nobis hanc viam aperiunt, quandò Musæus docet, sub universali propositione Scripturæ rectè subsumi particularem naturaliter notam, etiam contingentem, seu quæ in facto consistat. Hoc enim si ità est, dabimus majorem universalem Scripturæ, minorem sub universali contentam, et moraliter certam, conclusionem theologicam, et, ut ipsi loquuntur, indubitatæ fidei.

1. *Syllogismus.* — Quod traditione constat apostolicâ, est credendum. — Scripturam esse verbum Dei, traditione constat apostolicâ.—Ergò Scripturam esse verbum Dei, est credendum.—Major habetur ex Scripturis, probatione 2 allegatis, et ex SS. Patribus probatione 3 adductis. Minor est S. Irenæi, testantis, lib. 3, cap. 4, Apostolos nobis Scripturas reliquisse. Alios non adduximus, quia res plana est. Eodem modo licet subsumere : Verum sensum Scripturæ nunc haberi, constat traditione apostolicâ. Symbolum apostolicum esse verbum Dei, constat traditione apostolicâ. Vide Zanchium, tom. 8, de S. Script., q. 8.

2. *Syllogismus.*—Parvulos esse baptizandos, constat traditione apostolicâ.—Ergò parvulos esse baptizandos, est credendum. — Minor propositio est S. Augustini, lib. 4 contrà Donat. cap. 23 et 24.

3. *Syllogismus.* — Ab hæreticis ad Ecclesiam redeuntes, non esse rebaptizandos, constat traditione apostolicâ.—Ergò ab hæreticis ad Ecclesiam redeuntes non esse rebaptizandos, est credendum. — Minor est S. Augustini, de Baptis. contrà Donat. lib. 5, cap. 23.

4. *Syllogismus.*—Sacrificia et preces mortuis prodesse, constat traditione apostolicâ. — Ergò sacrificia et preces mortuis prodesse est credendum.—Minor est S. Chrysostomi, hom. 3, in Epist. ad Philip. Est S. Augustini, de Verb. apost. serm. 32, cap. 2.—Est et alius syllogismus, similis prioribus, undè hi confirmentur ; libet eum producere.

5. *Syllogismus.*—Quæcumque discipuli Apostolorum audiverunt ab Apostolis, cum multis testibus, ea debent commendare fidelibus hominibus, qui idonei sint alios docere, 2 Tim. 2, 1, 2.—Sed discipuli Apostolorum multa sine scripto audiverunt ab Apostolis, cum multis testibus.—Ergò discipuli Apostolorum multa, quæ sine scripto audiverunt ab Apostolis debent commendare fidelibus hominibus, qui idonei sunt et alios docere.—Major propositio est Scripturæ, et universalis. Minor manifestè comprehenditur sub universali majore ; cùm ne quidem Protestantes negent multa sine scripto docuisse Apostolos. Conclusio est legitima. Hoc tantùm superest quærendum quænam illa sint, ab Apostolis sine scripto insinuata. Hoc autem, Deo dante, ostendemus in particularibus controversiis.

6. *Syllogismus.*—Qui sunt contentiosi in rebus morum, rectè redarguuntur per consuetudinem Ecclesiæ, ut quæ servanda sit, 1 Cor. 11, 16.—Protestantes sunt contentiosi in rebus morum.—Ergò rectè redarguuntur ex consuetudine Ecclesiæ, ut quæ servanda sit, 1 Cor. 11, 16. Constat major propositio exemplo S. Pauli, et habetur ex praxi Ecclesiæ. « Sola consuetudo « opponebatur inducere volentibus novitatem, » ait S. Augustinus, de Bapt. contr. Donat. lib. 2, cap. 9. Minor est evidens, quia Protestantes movent varias contentiones circà articulos morum, quos perpetua Ecclesiæ consuetudo ab Apostolorum temporibus hucusquè servavit. Conclusio est legitima.

7. *Syllogismus.*—Consuetudo Ecclesiæ apostolicæ est servanda ex præcepto apostolico, 1 Cor. 11, 16. Varias, v. g. in baptismo adhiberi cæremonias, est consuetudo Ecclesiæ apostolicæ.—Ergò varias, v. g., in baptismo adhibere cæremonias, est servandum ex præcepto apostolico, 1 Cor. 11, 16.—Major propositio est sententia ex Apostolis. Minor probatur ex S. Basilio, de Spirit. S. cap. 27, aliisque Patribus. Conclusio est legitima.

8. *Syllogismus.* — Doctrinæ, quæ prædicantur, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, sunt tenendæ, Hebr. 2, 4; Marc. 16, 20. — Atqui doctrina, v. g., de honore reliquiarum, prædicatur contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus. —Ergò doctrina, v. g., de honore reliquiarum, est tenenda, Hebr. 2, 4; Marc. 16, 20. — Major propositio est Scripturæ. Minor est contingens, sed moraliter certissima : pro quâ Patres non pauci deponunt testimonium, et qualis juxtà Musæum adhiberi potest. Conclusio est legitima. Vid. Calvin. in eum locum; Zanch. tom. 8 de S. Script. 9, 6.

9. *Syllogismus.*—Illi puniuntur à Deo, qui resistunt doctrinæ, quæ prædicatur, Deo contestante signis, etc., Hebr. 2, 2, 3, 4.—Atqui Protestantes resistunt doctrinæ, quæ prædicatur, Deo contestante signis, etc.—Ergò Protestantes punientur à Deo.—Major est S. Pauli. Minor est certa : quia Protestantes contradicunt, v. g., venerationi reliquiarum, quam multis miraculis commendavit Deus, ut testantur SS. Patres. Conclusio est legitima. Nullus autem est qui dicat Deum falsam doctrinam veris miraculis confirmare. Porrò miracula reddere divinum testimonium, docent Calvinus, in Rom. 15, 18; Molinæus, Elem. log. lib. 2, cap. 17.

10. *Syllogismus.*—Qui imitatur fidem præpositorum suorum, à quibus audivit verbum Dei, obedit mandato

Apostoli. Hebr. 13, 7.—Catholici imitantur fidem præpositorum suorum, à quibus audiverunt verbum Dei. —Ergò obediunt mandato Apostoli, Hebr. 13, 7. — Major est sententia Apostoli. Minor est certa, etiam quandò imitamur eorum fidem, v. g., de oratione pro defunctis; quam fidem præpositorum suorum Lutherus cum suis noluit imitari.

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS CATHOLICIS.

Sectio i.—*De naturâ Præscriptionis.*

In Jure civili et canonico, Præscriptio generaliter dicitur quælibet exceptio, removens actionem, et possessoris securitati consulens.—Strictiore significatione, dicitur præscriptio, quasi temporis præfixi › et præfinitio; quandò scilicet ex legum auctoritate, jus quoddam acquiritur; quod quidem variis modis solet evenire; undè præscriptio dicitur jus quoddam ex tempore causam trahens.

Sectio ii.—*Quid sit præscriptio apud Tertullianum.*

Tertullianus non accipit præscriptionem strictè, pro exceptione peremptoriâ, manante ex cursu temporis, sive ex eo, quòd tempore legibus definito rem aliquam possedimus, vel jure aliquo usi sumus; vel quòd alius tanto tempore cessaverit ab usu hujus, vel illius juris. Multò minùs pro acquisitione dominii, aut peremptione juris alterius, per vim temporis legibus definiti. Sic rectè Hulsemannus, *de Præscript. thes.* 3.—Qui rectè addit: Præscriptionem « accipi apud Tertullianum ge- « nericè, pro exceptione nascente ex aliquo vitio sive « actoris, ut, quòd ei non competat actio, quòd sit « ignarus rerum, alienus, excommunicatus, etc.) sive « testium, sive etiam judicis : non ex temporis legati « cursu. » — Sic rectè allegat Joannem Ludovicum de la Cerda in Notis ad cap. 1 Tertulliani de Præscriptionibus, dicentem : « Præscriptiones in hoc auctore sunt « generales Ecclesiæ defensiones et exceptiones, qui- « bus frustrantur hæreticorum impetus. »—Addatur et Dominicus Gravina, qui post Jacobum Pamelium dicit, Tertullianum scripsisse : « de Præscriptionibus, id est, « exclusionibus, exceptionibus, confutationibus hæreti- « corum, seu quonam modo Catholici præscribant hæ- « reticis, id est, quomodò illos propulsent, et ab eorum « insultibus se defendant. »

Sectio iii. — *Præscriptio adversùs Protestantes, quia sunt actores inimici.*

Præscriptio apud Tertullianum accipitur pro exceptione nascente ex vitio actoris. Protestantes autem, antè natum de religione dissidium, apud Catholicos fratrum loco erant, nobiscum eamdem matrem, Ecclesiam catholicam, agnoscebant, ejusdemque supremam post Deum auctoritatem in negotiis fide reverebantur. Post dissidium verò exortum, multæ particulares ecclesiæ juri fraternitatis renuntiârunt, matrem suam accusârunt, auctoritatem spreverunt, subditos Ecclesiæ, vel infirmos, vel instabiles, abstraxerunt. Ità ut non immeritò dixerit S. Cyprianus, de Unit. Eccl. : « An esse sibi cum Christo videtur, qui adversùs sa- « cerdotes Christi facit, qui se à cleri ejus et plebis « societate secernit? Arma ille contrà Ecclesiam portat, « contrà Dei dispositionem repugnat; hostis altaris, « adversùs sacrificium Christi rebellis, pro fide perfi- « dus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, « filius impius, frater inimicus, etc. »—Cùm ergò, secundùm jura, nec tales fratres, nec tales filii, nec tales subditi licitè accusent fratres, et parentes, et superiores, neque Protestantes personam suam possint legitimare, dicendum est eos non esse admittendos tanquàm actores contrà Ecclesiam catholicam, sed exceptione inimicitiæ ab omni controversiâ removendos. —Hanc præscriptionem observavit, quandò dixit Tertullianus, cap. 12, à schismaticis et hæreticis non esse discendam veritatem fidei : « Nobis etsi quærendum esset adhuc « et semper, ubi tamen quæri oporteret? Apud hære- « ticos, ubi omnia extranea et adversaria nostræ veri- « tati, ad quos vetamur accedere? Quis servus cibaria « ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? « Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hostibus re- « gibus, donativum et stipendium captat, nisi planè « desertor et transfuga, et rebellis? Etiam anus illa in- « trà tectum suum drachmam, requirebat? etiam pul- « sator ille vicini januam tundebat; etiam vidua illa « non inimicum, licèt durum, judicem interpellabat. « Nemo indè strui potest, undè destruitur. Nemo ab eo « illuminatur, à quo contenebratur. Quæramus ergò in « nostro, et à nostris, et de nostro; idque duntaxat, « quod salvâ regulâ fidei potest in quæstionem deve- « nire. » Et addit : « Quòd fides nostra obsequium Apo- « stolo debeat, prohibenti quæstiones inire, novis vo- « cibus aures accommodare, hæreticum post unam « correptionem convenire, non post disputationem. » —Simili modo dicit S. Augustinus de Util. cred. cap. 6 : « Quis sibi unquàm libros Aristotelis reconditos et ob- « scuros ab ejus inimico exponendos putavit, ut de his « loquar disciplinis, in quibus lector fortassè sine sa- « crilegio labi potest? Quis denique geometricas lit- « teras Archimedis legere, magistro Epicuro, aut « discere voluit; contrà quas ille multùm pertinaciter, « nihil earum, quantùm arbitror, intelligens, dissere- « bat? An istæ Scripturæ legis planissimæ sunt, in « quas ipsi quasi vulgò expositas impetum faciunt fru- « strà et inaniter? » Et in sequentibus : « At absurda « ibi (apud Catholicos) dici videbantur. Quibus asse- « rentibus? nempè inimicis, quâlibet causâ, quâlibet « ratione, non enim hoc nunc quæritur, tamen ini- « micis. »

Itaque non licet nobis audire Protestantes, tanquàm actores, quia fratres suos accusant, quia matrem suam traducunt, quia magistratum ecclesiasticum impetunt. Neque enim ab inimicis nostris discenda est veritas fidei; sed in nostro, et à nostris, et de nostro quærendum, idque duntaxat, quod salvâ regulâ fidei potest in quæstionem devenire.

SECTIO IV.—*Præscriptio adversùs Protestantes, quia sunt actores excommunicati.*

Etiam hujus præscriptionis fundamentum nobis largitur Hulsemannus, quandò fatetur præscriptionem, apud Tertullianum, accipi pro exceptione nascente ex vitio actoris, ut quòd sit excommunicatus. Protestantes autem apud Ecclesiam catholicam pro excommunicatis haberi, nemo dubitat. Undè ab omni actione sunt removendi, neque ad disputationem de Scripturis ullo jure admittendi.—Dicent quidem se immeritò excommunicatos esse, qui errores Ecclesiæ catholicæ voluerint correctos, qui de Scripturis sua probaverint, nihilque novi introduxerint. — Sed errorem Ecclesiæ catholicæ tribuere, graviter errare est. Audi respondentem Tertullianum, cap. 15 : « Sed ipsi et de Scripturis agunt, et de Scripturis suadent. Aliundè scilicet loqui possunt de rebus fidei, nisi ex litteris fidei?» Non est primò quærendum an novi aliquid invenerint; an veros, falsosve errores, ac temerè confictos, voluerint correctos; an sua debitè probaverint, vel non probaverint, quod omnes æqualiter id jactent. Hoc sufficit excommunicatos, nec audiendos esse.—Rectè igitur Tertullianus, cap. 30 : « Ubi tunc Marcion, Ponticus nauclerus, Stoicæ studiosus? Ubi tunc Valentinus Platonicæ Sectator? Nam constat illos neque adeò olim fuisse, Antonini ferè principatu, et in catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub episcopatu Eleutheri Benedicti, ob inquietam semper eorum curiositatem, quâ fratres quoque vitiabant, semel et iterùm ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quæ Ecclesiæ intulerat, novissimè in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. » — Tantumdem Lutheranis, aliisque reponimus. Martinus Lutherus, in Augustiniana familiâ religiosus, doctrinam catholicam nobiscum tenuit, donec ob inquietam semper curiositatem suam, quâ fratres quoque turbabat, Carolo V imperante, sub episcopatu Leonis X, variis monitionibus præcedentibus, ejectus est. Zwinglius, Calvinus, Menno, Socinus, aliique schismatici, facti sunt excommunicationis participes, quandò, desertâ unitate catholicâ, separata instituerunt conventicula. —Dicamus cum S. Cypriano, epist. 52 : « Quod vero ad Novatiani (Lutheri, etc.) personam pertinet, frater charissime, de quo desiderâsti tibi scribi, quam hæresim introduxisset; scias nos primo loco non curiosos esse debere, quid ille doceat, cùm foris doceat. Quisquis ille est, et qualiscumque est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesiâ non est. »

SECTIO V. — *Præscriptio catholica adversus Protestantes, quia sunt actores rerum ignari.*

Fatetur Huselmannus præscriptionem apud Tertullianum accipi pro exceptione proveniente ex vitio actoris, ut quòd sit rerum ignarus. Isti autem omnes censentur rerum ignari, qui sententiis discrepantes, nos reformare cupiunt, cùm tamen nihil adducant, cur potiùs à Lutheranis simus reformandi, quàm à Reformatis, aut aliis quibuslibet schismaticis. — Subtiliter hoc advertit Tertullianus, cap. 10 : « In tantum quærere debemus, in quantum possumus invenire; semper quæremus, et nunquàm omninò credemus; ubi enim erit finis quærendi? Ubi statio credendi? Ubi expunctio inveniendi? Apud Marcionem? Sed et Valentinus proponit : *quærite et invenietis.* Apud Valentinum? Sed et Apelles hâc me pronuntiatione pulsabit; et Ebion, et Simon, et omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Ero itaque nusquàm, dùm ubique convenior : *Quærite et invenietis :* et velut si nusquàm, et quasi qui nunquàm apprehenderim illud, quod Christus instituit, quod quæri oportet, quod credi necesse est. » Eodem jure dicimus : In tantum quærendum nobis esse, in quantum possumus invenire. Si enim semper quærendum est, et nunquàm credendum, quis tandem erit finis quærendi? Ubi credendum? Ubi inveniendum? Apud Lutheranos? Sed et Zwinglius proponit, ut apud ipsum quæram, meque ipsi tradam informandum. Apud Zwinglium? Sed et Menno clamabit, ab ipso me esse corrigendum, atque emendandum : et Socinus, et Arminius, et novi Prophetæ, et omnes ex ordine non habent aliud, quo se mihi insinuantes, me sibi adducant. Ero itaque nusquàm, dùm ubique convenior, et si statuam, præter Catholicos, esse audiendos alios, non erit ratio, cur hos illis præferam, cur hos præ illis audiam. Hoc autem si absurdum est, neque Lutherus, neque Zwinglius, neque Menno audiendus erit; ut qui aliud non habent, quo se mihi insinuent, quàm quod reformationem æqualiter spondeant, omnes æqualiter rerum ignari, qui me nusquàm esse volunt, dùm ubique convenior.

SECTIO VI. — *Præscriptio adversùs Protestantes, quia sunt actores illegitimi.*

Rectè observavit Hulsemannus præscriptionem accipi apud Tertullianum, pro exceptione nascente ex vitio actoris, ut quòd ei nulla competat actio. Cùm enim prædicatio veræ fidei ab illis tantùm salubriter accipienda sit, qui à Deo, sive mediatè, sive immediatè sunt missi, nullique liceat sibi honorem tribuere instituendi, regendique Ecclesias Christi, nisi facultate à Deo concessâ, meritò objecit Tertullianus, legitimandam esse personam actoris; cùm defectu legitimationis non sit procedendum in causâ. — Verba Tertulliani sunt : « Cupio ostendant mihi ex quâ auctoritate prodierunt. » Et mox : « Probent se novos apostolos esse; dicant Christum iterùm descendisse, iterùm ipsum docuisse, iterùm crucifixum, iterùm mortuum, iterum resuscitatum (sic enim Apostolos solet facere) dare illis præterea virtutem eadem signa edendi, quæ et ipse. Volo igitur et virtutes eorum proferre, nisi quod agnoscam maximam virtutem

« eorum, quâ Apostolos in perversum æmulantur. Illi « enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mor« tuos faciunt. » Item, cap. 37 : « Ad quos meritò di« cendum est : Qui estis? Quandò et undè venistis? « Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, « jure, sylvam meam cædis? Quâ licentiâ, Valentine, « fontes meos transvertis? Quâ potestate, Apelles, « limites meos commoves? Quid hìc cæteri ad volun« tatem vestram seminatis et pascitis? » Eâdem ratione universis dicimus Protestantibus : Probate vos novos Apostolos esse; vel ostendite, qui sitis, quandò, et undè veneritis. Quo jure sylvam meam cæditis, fontes meos transvertitis, limites meos commovetis, ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Adferant aliquid Lutherani, quod non æqualiter adferant Reformati, et quotquot necessitatem missionis agnoscunt. Si ordinariam commendatis missionem, vel extraordinariam, vel mixtam; nihil præ reliquis sectariis adfertis. Sed Lutherus, ad Bohemos scribens, in casu, qualem ipse fingit, necessitatis, vult omnes fideles esse sacerdotes, prædicare, ex officio baptizare, ex potestate absolvere, ex dignitate consecrare. Lutheri istam sententiam sequuntur Sociniani, ipsamque insuper missionis necessitatem repudiant. Ab his non longè absunt Arminiani. Nuper etiam Hermannus Coringius scripsit, ad reformandam Ecclesiam, non esse opus ordinariâ, vel extraordinariâ vocatione. Secundùm hos omnes, frustrà dixit Tertullianus : « Cupio « ostendant mihi, ex quâ auctoritate prodierunt. » Frustrà dixit : « Probent se novos Apostolos esse; » frustrà dixit : « Qui estis? Quandò et undè venistis? « Quid in meo agitis, non mei? » Sed absit, ut ista frustrà dixerit Tertullianus, qui nisi doctrinam Ecclesiæ, de necessitate missionis, habuisset perspectissimam, non ex eâ deduxisset contrà hæreticos præscriptionem, novitiâ certè et temerariâ quorumdam negatione non evertendam.

Sectio vii. — *Præscriptio adversùs Protestantes, ex parte Instrumentorum abolitorum.*

Laudabile est, quod dixit Hulsemannus, præscriptionem apud Tertullianum accipi pro exceptione oriente ex aliquo testium vitio. Neque ullatenùs dubitamus quin sub voce testium, comprehenderit etiam Instrumenta; cùm utrorumque, in hoc negotio, sit eadem ratio. — Notum autem est in jure, si quis actione personali, vel reali, in petitorio convenitur, rectè opponi exceptionem spolii, sive ejusdem rei, sive alterius; quâ exceptione probatâ, non auditur actor in prætentione suâ, nisi priùs restituat. — Spolium rei diversæ, sive in litem non deductæ, allegamus, objicientes Protestantibus, quòd ex receptis in Ecclesiâ catholicâ libris canonicis, quosdam aboleverint. Cujus quidem exceptionis ille effectus est, quòd contrà Ecclesiam catholicam nullam possint actionem instituere, nisi priùs restituant, quod privatâ licentiâ abstulerunt. — Cùm igitur antè omnia cognoscatur de spolio, quià maximè privilegiata est exceptio, et quia iniquum est, ut reus ad respondendum compellatur, nisi priùs restitutâ ipsius possessione, idque eò magis, si ea possessio faciat, ut instructior ad litem sit venturus; necesse est ut Protestantes restituant spolium, antequàm contrà Ecclesiam catholicam, ex aliis libris canonicis, audiantur agentes. — Hinc optimè dixit Tertullianus, non esse disputandum cum hæreticis de Scripturâ : « Quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, « nisi planè aut stomachi quis ineat eversionem, aut « cerebri. Ista hæresis non recipit quasdam Scriptu« ras. » — Rectè hæc dicuntur; nam qui Ecclesiæ catholicæ litem movet, si incipiat à spolio, audiendus non est. Quid enim iniquius, quàm Ecclesiam catholicam in judicium vocari, possessionum suarum non contemnendâ parte, quantum per Protestantes licuit, exutam? Si in disputatione allegabimus librum Tobiæ, non agnoscetur possessio nostra; ideòque ex eo libro nihil proficiemus. — Itaque dicendum cum Tertulliano : Lutherani non recipiunt quasdam Scripturas; proindèque non admittendi sunt ad disputationem, nisi priùs restituant, nosque legitimos agnoscant possessores librorum, quos rejiciunt.

Sectio viii. — *Præscriptio adversùs Protestantes, ex mutatione Instrumentorum.*

Præcedenti sectione allegavimus spolium rei diversæ, Protestantibus præscribentes. Nunc ejusdem rei, quæ in judicium deducenda foret, spolium allegamus; quia Scripturas non tantùm pro parte rejecerunt, sed in libris sacris, quos recipiunt, non pauca mutârunt, sive addendo, sive detrahendo, sive ad institutum suum aptando. Undè concludimus Protestantes admittendos non esse ad ineundam de Scripturis disputationem, nisi anteà priorem integritatem verbo Dei scripto reddiderint, et mutationes suas sustulerint. — Eâdem præscriptione utitur Tertullianus, c. 17 : « Ista « hæresis non recipit quasdam Scripturas, et si « quas recipit, additionibus et detractionibus ad dispo« sitionem instituti sui intervertit. » Item : « Illìc igi« tur et Scripturarum et expositionum adulteratio de« putanda est, ubi diversitas invenitur doctrinæ. Aliàs « enim non potuissent aliter docere, nisi aliter habe« rent, per quæ docerent hæresim. Sicut illis non po« tuisset succedere corruptela Instrumentorum ejus, « ità et nobis integritas doctrinæ non competiisset sine « integritate horum, per quæ doctrina tractatur. Et« enim quid contrarium nobis in nostris, quid de pro« prio intulimus, ut aliquid contrarium ei, et in Scri« pturis deprehensum detractione vel adjectione, vel « transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc « sunt. Ab initio suo ex illis sumus, antiquum nihil « aliud fuit, quàm sumus. Quid denique fuit, antequàm « à nobis interpolarentur? Cùm autem omnis interpo« latio posterior credenda sit, veniens utique ex causâ « æmulationis, quæ neque prior neque domestica et « ejus unquàm quod æmulatur : tam incredibile sa« pienti cuique, ut nos adulterum stylum videamur in« tulisse Scripturis, qui sumus à principio et primi, quàm « illos non intulisse, qui sunt posteriores et adversi. »

Sectio IX. — *Præscriptio adversùs Protestantes ex instrumentis auctoritate destitutis.*

Si ex lege civili inveniendum est, quid sit justum vel injustum frustrà apud eum de justitià quæritur, cui nulla lex est authentica, nullum principis rescriptum ex auctoritate. —Eàdem ratione, si ex Scripturis divinis inveniendum est, quod fideles credant, vel non credant, frustrà ab eo desideratur instructio de credendis, cui nulla Scriptura est authentica, nullum verbum Dei, nunc exstans, ex auctoritate. — Protestantibus autem nulla translatio Scripturæ in linguam vulgarem est authentica, nullus consequenter textus originalis est authenticus, nisi quatenùs convenit cum autographo, ab ipsis Prophetis, Apostolis et Evangelistis conscripto. Cùmque ea autographa nunc non exstent, juxtà doctrinam suam, sufficientem certitudinem non habent, quâ judicent Biblia nunc in linguis vulgaribus exstantia, convenire cum ipsis Prophetarum et Evangelistarum scriptis; adeòque nec certitudinem habent sufficientem de suarum translationum convenientià cum iisdem scriptis divinis. — Itaque frustrà cum illis disputamus de Scripturis, quibus nulla Scriptura nunc exstans est authentica, quibus nulla probatio, è Scripturis desumpta, prodit ex auctoritate. Contrà negantem principia, quoniam frustrà id fit, non est disputandum.

Sicut igitur dicit Tertullianus, c. 14 : « Ut non inimici essent veritatis hæretici, ut de refugiendis eis non præmoneremur, quale est conferre cum hominibus, qui et ipsi adhuc se quærere confitentur? Si enim verè adhuc quærunt, nihil adhuc certi deprehenderunt : et ideò quodcumque videntur interìm tenere, dubitationem suam ostendunt, quamdiù quærunt. Itaque qui perindè quæris, spectans ad eos, qui et ipsi quærunt, dubius ad dubios, incertus ad incertos, cæcus ad cæcos, in foveam ducaris necesse est. Sed cùm decipiendi gratià prætendunt se adhuc quærere, ut nobis per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent; denique ubi adierunt ad nos, statìm, quæ dicebant quærenda esse, defendunt; jam illos sic debemus refutare, ut sciant non Christo, sed sibi negatores esse. Cùm enim quærunt adhuc, nondùm tenent; cùm autem nondùm tenent, nondùm crediderunt; cùm autem nondùm crediderunt, non sunt Christiani. At cùm tenent quidem et credunt, quærendum tamen dicunt ut defendant; antequàm defendant, negant quod credunt, confitentes se nondùm credidisse, quod quærunt. Qui ergò nec sibi sunt Christiani, quantò magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam à mendacio inducunt? » — Pari modo dicimus in hâc materià : Quamvis non essent adversarii veritatis Protestantes, quid juvat conferre cum hominibus qui Scripturis adhuc sese carere confitentur? Si enim verè Scripturas authenticas non habent, nihil adhuc omninò veri deprehenderunt; et ideò quodcumque videntur interim tenere, incertitudinem suam produnt, quamdiù Scripturas authenticas non habent. Itaque si quis apud ipsos quærat veritatem fidei, spectans ad eos, qui nec ipsi fidem habent, incertus ad incertos, cæcus ad cæcos, in foveam deducatur necesse est. Verùm cùm, necessitate pressi, fateantur Scripturas à se propositas non esse authenticas, ne infallibile Ecclesiæ catholicæ in testificando magisterium cogantur agnoscere; ubi adierunt ad nos, statìm, quæ authentica non esse fatebantur, ut authentica proponunt. Undè illos sic debemus refutare, ut sciant nos Scripturas quidem pro divinis habere; non tamen eas pro divinis agnoscendas, quatenùs ab illis proponuntur, qui scripturas pro authentico Dei verbo non habent. Cùm enim fateantur Scripturas à se propositas non esse authenticas, fieri nequit ut habeant fidem, quam in solis divinis Scripturis quærendam esse statuunt. Cùm autem fidem non habeant, nondùm crediderunt : cùmque nondùm crediderint, non sunt Christiani. At cùm credunt quidem, et Lutheranum, aliudve recens natum dogma sequuntur, alibi tamen fatentur Scripturas suas non esse authenticas; hâc suâ confessione negant quod credunt. Qui ergò nec sibi sunt Christiani, quantò magis nobis? Quibus Scripturæ à se prolatæ, non sunt authenticæ, qualem fidem de Scripturis suadent? Cui veritati patrocinantur, qui instrumenta veritatis de culmine præcipitant auctoritatis?

Sectio X. — *Præscriptio adversùs Protestantes, ex rejectione judicis ecclesiastici.*

Fatetur Hulsemannus præscriptionem accipi apud Tertullianum, pro exceptione, ex vitio judicis provenicnte. Et rectè; nam ubi legitimus judex contemnitur, vel incompetens aditur, nihil est, quod debito ordine tentatur. Hoc loco agemus de incommodo proveniente ex defectu judicis ecclesiastici; sequenti autem sectione, de judice incompetente. — Frustrà litigant actores et rei, si nullus sit judex, qui controversiam dirimat; nullus verò censetur esse judex, quandò ille, qui est legitimus, contemnitur, aut prætcritur. Frustrà quisque juris civilis allegat decreta, nisi sit qui ex auctoritate determinet, ea rectè allegari. — In rebus fidei Protestantes nullum agnoscunt judicem infallibilem, quàm Spiritum sanctum in Scripturis loquentem; atque indè fit, ut nullus sit litium finis, dùm unusquisque Scripturæ allegat testimonia pro suâ sententià, prætendens se ex adverso allegatis testimoniis non convinci.

Si Catholici cum Protestantibus disputant, et Scripturæ testimonia pro sententià catholicâ adducunt; id unicè pro parte adversâ agitur, ut variis in medium allatis *præsumptionibus*, necessitas probationis catholicæ in dubium revocetur. Quod cùm unicuique non indocto sit facillimum, superest ut difficillimum sit, omnes, et singulas allatas præsumptiones, tàm dilucidè refutare, ut auditoribus de necessitate probationis catholicæ nullum remaneat dubium. Hinc, secundùm Tertullianum, nullatenùs consultum est, cum hæreticis de Scripturis disputare; quamvis enim Catholici non difficulter omnes, singulasque hæreticorum probationes enervent, probante tamen Catholico, eæ vicissim adducuntur præsumptiones, quibus debita necessitas probationis catholicæ videatur omnem dubitationem non effugere.

Huic autem malo cùm occurri nequeat nisi per judicem ecclesiasticum infallibilem, aut allegatà atque probatà Scripturarum possessione, veritatis, disciplinæ et fidei christianæ, atque Protestantes nec illum agnoscant nec hanc amplectantur; dicimus hìc, ex defectu judicis frustrà disputari de Scripturis; dicturi in sequentibus de possessione catholicà.

More suo subtiliter hunc in disputatione defectum advertit Tertullianus, cap. 17, 18, 19: « Si aliquatenùs integras (Scripturas) præstat hæresis, nihilominùs diversas expositiones commentata convertit. « Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantùm « et corruptor stylus. Variæ præsumptiones necessariò « nolunt agnoscere ea, per quæ revincuntur. His nituntur, quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate ceperunt. Quid promovebis, exercitatissime « Scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur ex « adverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil « consequeris nisi bilem de blasphematione. Ille verò, « si quis est, cujus causâ in congressum descendis « Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deverget? Hoc ipso « motus, quòd te videat nihil promovisse, æquo gradu « negandi, et defendendi diversâ parte statutum; « certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens « quam hæresim judicet. Hæc utique et ipsi habent in « nos retorquere. Necesse est enim et illos dicere, à « nobis potiùs adulteria Scripturarum, et expositionem mendacia inferri, qui proindè sibi defendant « veritatem. Ergò non ad Scripturas provocandum est, « nec in his constituendum certamen, in quibus aut « nulla, aut incerta victoria est, aut parùm certa. Nam « etsi non ità evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat, « illud priùs proponi, quod nunc solum disputandum « est, quibus competat fides ipsa? etc. » Ex quibus Tertulliani verbis patet, non esse cum hæreticis disputandum de Scripturis ob defectum necessariæ probationis, quæ ex solis Scripturis tàm evidenter sumi nequeat, ut auditis oppositionibus, iisdemque ponderatis, nullum auditoribus maneat dubium. Hic defectus cùm planè tollatur per judicem ecclesiasticum infallibilem, ingrati sunt divinæ ordinationi Protestantes, qui eum judicem contemnunt. — Atque in hoc negotio parùm refert, sive quis integrâ utatur Scripturâ, sive non; neque enim defectus necessariæ intelligentiæ tàm provenit ex mutilatione divinorum Instrumentorum, quàm ex incapacitate intellectûs humani, mentem in Scripturâ loquentis Dei non semper certò attingentis, vel etiam ex ipsâ Scripturâ, quæ quamvis adversantes intellectus non afferat, contrarias tamen non difficulter patitur interpretationes, è quibus veram et necessariam dijudicare sit difficillimum. — Undè Tertullianus, cap. 38, 39: « Alius manu Scripturas, alius « sensùs expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro Instrumento uti videtur, non callidiore « ingenio quàm Marcion manus intulit veritati; Marcion exertè et palàm machærâ, non stylo usus est, « quoniam ad materiam suam cædem Scripturarum « confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam non « ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit; et tamen plus abstulit, et plus abjecit, auferens proprietates singulorum quoque verborum, et adjiciens dispositiones non comparentium « rerum. Hæc sunt ingenia de spiritualibus nequitiæ, « cum quibus luctatio est nobis, fratres, meritò contemplanda; fidei necessaria, ut electi manifestentur, ut « reprobi detegantur. Et ideò habet vim et in excogitandis instruendisque erroribus felicitatem non adeò « mirandam, quasi difficilem et inexplicabilem; cùm « de secularibus quoque Scripturis exemplum præstò « sit ejusmodi felicitatis. Vis hodiè ex Virgilio fabulam « in totum aliam componi, materiâ secundùm versus, « versibus secundùm materias concinnatis, denique, « Hosidius Geta Medæam tragœdiam ex Virgilio plenissimè expressit. Meus quidam propinquus ex eodem « poetâ inter cætera styli sui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homerocentones etiam vocare solent, qui « de carminibus Homeri propria opera more centonario, ex multis hinc indè compositis in unum sarciunt « corpus. Et utique fœcundior divina litteratura ad facultatem cujuscumque materiæ. Nec periclitor dicere, ipsas quoque Scripturas sic esse ex Dei voluntate dispositas, ut hæreticis materiam subministrarent, cùm legam oportere hæreses esse, quæ sine « Scripturis esse non possunt. »

Sectio xi. — *Præscriptio adversùs Protestantes, ex defectu judicis exhibiti.*

Quandò Protestantes provocant ad judicium Spiritûs sancti in Scripturâ loquentis, non exhibent nobis sententiam Spiritûs sancti terminis expressis atque necessariis, litem nostram dirimentis; sed interpretationes suas, variis expositionibus et exceptionibus subjectas; quas, quia in Scripturis non reperiunt, ideò eas Scripturis inferunt. Verùm quâ ratione Spiritus S. in Scripturis loquens habeat rationem judicis, diximus in Exam. princ. Fid. Exam. 2, § 2. — Si Protestantes in suis consistoriis et synodis prætenderent jus decidendi quæstiones, quas contrà Ecclesiam tenent; meritò ipsis opponeremus exceptionem incompetentiæ, juxtà *l. Præscriptiones, fin. C. de except.* Sed hìc qualescumque sint judices, hoc solùm objicimus, quòd causam principalem separationis suæ ab unitate Ecclesiæ catholicæ nunquàm unanimiter et exactè deciderint. — Consideremus separatìm Lutheranos; idem enim judicium est de aliis. Ili docent non esse deserendam Ecclesiæ unitatem, nisi propter errorem in articulis necessariis; et tamen Lutherani nunquàm unanimiter determinârunt quinam sint articuli necessarii, et præter quos non sint alii necessarii; quod quousque non faciunt, nequeunt declarare legitimam causam, cur ab unitate catholicâ recesserint. — Quid ergò de Scripturis cum Lutheranis disputabimus, qui in hanc usque diem non determinârunt unanimiter, ob quos errores (licèt prætensos) articulorum

necessariorum, unitatem Ecclesiæ catholicæ deseruerint? — Cur autem ad ejusmodi decisionem non perveniant, optimè declaravit Tertullianus, cap. 42 : « Cæterùm nec suis præsidibus reverentiam noverunt. « Et hoc est quòd schismata apud hæreticos ferè non « sunt; quia cùm sint, non parent. Schisma est unitas « ipsis. Mentior, si non etiam à regulis suis variant « inter se, dùm unusquisque proindè suo arbitrio mo« dulatur, quæ accepit, quemadmodùm de suo arbi« trio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit naturam « suam et originis suæ morem profectus rei. Idem li« cuit Valentinianis, quod Valentino; idem Marcioni« tis, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. « Deniquè penitùs inspectæ hæreses omnes, in multis « cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur. »

SECTIO XII. — *Præscriptio, eaque fundamentalis, probativa religionis catholicæ adversùs Protestantes.*

§ 1. — *Status quæstionis.*

De Protestantibus perpetuò, sed immeritò ad Scripturas provocantibus, dicimus cum Tertulliano, c. 15: « Sed ipsi de Scripturis agunt... aliundè scilicet loqui « possent de rebus fidei, nisi ex litteris fidei? Veni« mus igitur ad propositum : hoc enim dirigebamus, « et hoc præstruebamus, adlocutionis præfatione, ut « jam hinc de eo congrediamur, de quo adversarii pro« vocant. Scripturas obtendunt, et hâc suâ audaciâ « statim quosdam movent; in ipso verò congressu fir« mos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum « scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimùm gradum « obstruimus, non admittendos eos ad ullam de Scri« pturis disputationem. Si hæ sunt illæ vires eorum, « uti eas habere possint, dispici debet, cui competat « possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam, « cui nullo modo competit. » —Itaque ex sententiâ Tertulliani antequàm admittantur Protestantes ad productionem testimoniorum Scripturæ, contrà sententiam Ecclesiæ catholicæ inquirendum est : *Cui competat possessio Scripturarum?* Nam si possessio Scripturarum non competat Protestantibus, non sunt admittendi ad ullam de Scripturis disputationem. — Eamdem quæstionem latiùs proponit Tertullianus, cap. 19 : « Ordo rerum desiderabat illud priùs propo« ni, quod nunc solùm disputandum est : Quibus com« petat fides ipsa? Cujus sint Scripturæ? A quo et per « quos, et quandò, et quibus sit tradita disciplina, quâ « fiunt Christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem « disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit veritas Scri« pturarum et expositionum et omnium traditionum « Christianarum. »

§ 2. — *Resolvitur quæstio pro Catholicis, contrà Protestantes.*

Primum audiamus Tertullianum, cap. 22, deindè applicemus. Verba ejus sunt : « Hinc igitur dirigimus « præscriptionem : Si Dominus Jesus Christus Apo« stolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quàm quos Christus instituit; quia « nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius reve« lavit; nec aliis videtur revelâsse Filius quàm Apo« stolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis « revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid « illis Christus revelaverit, et hìc præscribam non ali« ter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas « ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tàm « vivâ (quod aiunt) voce, quàm per Epistolas posteà. « Si hæc ità sunt, constat proindè omnem doctrinam, « quæ cum illis Ecclesiis apostolicis matricibus et ori« ginalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id « sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, « Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit; reli« quam verò omnem doctrinam de mendacio præju« dicandam, quæ sapiat contrà veritatem et Ecclesia« rum, et Apostolorum, et Christi, et Dei. Superest « ergò ut demonstremus, an hæc nostra doctrina, cu« jus regulam suprà edidimus, de Apostolorum tra« ditione censeatur, et ex hoc ipso, an cæteræ de « mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis « apostolicis, quòd nulla doctrina diversa; hoc est « testimonium veritatis. » — Eodem modo, pro possessione catholicâ hanc dirigimus præscriptionem. Si Apostoli à Jesu Christo missi sunt, qui mundum ad salutem erudiant, et salutaribus imbuant præceptis, non esse adinveniendam novam missionem, nec fingendum ministerium laicale, nec recipiendos alios prædicatores, quàm qui continuâ serie ab Apostolis descendunt. — Si quæratur, an qui ab Apostolis dicuntur descendere, rectè doceant? Indagandum est quid prædicaverint Apostoli, id est, quid illis Christus revelaverit. Hoc autem statuit Tertullianus non aliter probari oportere, quàm per Ecclesias ab Apostolis conditas. Undè illud fit consequens, omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis per Apostolos conditis conspiret, veram esse; reliquam verò ab iis diversam, de mendacio præjudicandam. — Si rursùm queratur an religio et doctrina, v. g., Ecclesiæ Moguntinæ vel Coloniensis sit verè apostolica, et hoc ipso cæteræ per Europam Protestantium Ecclesiæ de mendacio veniant, breviter cum Tertulliano respondemus : Communicamus cum Ecclesiis apostolicis, quòd nulla doctrina diversa; hoc est testimonium veritatis. — Hâc solâ præscriptione probatum damus cum Tertulliano, possessionem Scripturarum competere Catholicis ; quia scilicet fides ipsa christiana Catholicorum possessio est, quæ à Christo per Apostolos ad Ecclesias catholicas pervenit, cum quibus particulares Ecclesiæ communicantes, hoc tenent, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo acceperunt. — Hâc eâdem præscriptione liquidò probamus, possessionem Scripturarum non competere Protestantibus per Europam; quia non possident fidem christianam. Cùm enim non communicent cum Ecclesiis apostolicis, nec tenent eam fidem, quæ à Christo, per Apostolos ad Ecclesias pervenit. —Cùmque Protestantibus non competat fides christiana, vel Scripturæ, nullamque de Scripturis actionem habeant : non sunt admittendi ad ullam de Scripturis disputationem. Cui enim non competit actio,

eidem non competit ingressus in judicium (1). — Ex his sequitur, juxtà doctrinam Tertulliani, si fides ipsa et possessio Scripturarum Catholicis competit, et à Christo per Apostolos eorumque discipulos Ecclesiis apostolicis, cum quibus communicamus, credita sit disciplina, quâ fiunt Christiani, non tantùm veritatem disciplinæ et fidei Christianæ apud nos esse, sed etiam veritatem Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum. — Hæc præscriptio non tantùm valet contrà hæreticos, et schismaticos, vel aliquas, vel omnes Scripturas rejicientes; sed etiam contrà illos, qui universas Scripturas recipiunt. Neque enim ea fundatur in receptione, vel rejectione Scripturarum, sed in antiquitate habitâ, vel non habitâ; quæ quidem antiquitas probatur ex continuâ possessione, ut ubi invenitur continua possessio, ibi reperiatur antiquitas; ubi verò deprehenditur defectus possessionis continuæ, ibi deprehendatur defectus antiquitatis. — Nam si probandum est, quid Christus revelaverit, quid Apostoli docuerint, non aliter probari debet, quàm per ipsas Ecclesias, quas Apostoli condiderunt; quia voluit Christus, ut doctrina fidei per idoneos testes ad Ecclesias perveniret; testes autem misit Apostolos. Cùmque Apostoli testimonium suum Ecclesiis à se conditis tradiderint, ab his utique accipiendum est, quale testimonium perhibuerint. — Undè illud iterùm sequitur: si qui sunt hæretici, aut schismatici, qui vel aliquas, vel omnes Scripturas, vel partem aliquam doctrinæ christianæ non recipiunt, universos eos hâc solâ præscriptione convinci, uti et illi convincuntur, qui vel novos libros, tanquàm divinos, vel novam doctrinam, tanquàm à Deo revelatam, proferunt.

§ 3. *Urgetur resoluta quæstio adversùs Protestantes.*

Antequàm assumamus ulteriùs declarandam possessionem catholicam, atque ex eâ emergentem præscriptionem adversùs Protestantes, operæ pretium erit ex Tertulliano ostendere, quomodò præscriptio possessionis urgenda sit, et varia subterfugia præscindenda. — Verba Tertulliani sunt, cap. 32: « Cæterùm si quæ hæreses audeant se interserere ætati apostolicæ, ut ideò videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergò origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ità per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ab Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt; sicut Smyrnæorum Ecclesia, habens Polycarpum à Joanne collatum refert. Sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum edit; proindè utique et cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in episcopatum constitutos, apostolici seminis traduces habent. Confingant tale aliquid hæretici. Quid enim illis post blasphemiam illicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt; ipsa enim doctrina eorum cum apostolicâ comparata, ex diversitate et contrarietate suâ pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse, neque apostolici; quia sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ità apostolici non contraria Apostolis edidissent, nisi illi qui ab Apostolis desciverunt. Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis Ecclesiis, quæ licèt nullum ex Apostolis, vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ deniquè quotidiè instituuntur, tamen in eâdem fide conspirantes non minùs apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. Ità omnes hæreses ad utramque formam à nostris Ecclesiis provocatæ, probent se quaquà putant apostolicas. Sed adeò nec sunt, nec possunt probare quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et in communicationem ab Ecclesiis quoquo modo apostolicis; scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicæ. » — Eodem fundamento dicimus Protestantibus, si audeant interserere se ætati apostolicæ, quasi sub Apostolis fuerint, edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, atque successivè pertingant ad aliquem Apostolum, vel apostolicum virum, cum Apostolis et Ecclesiis apostolicis perseverantem. Hoc enim modo probationem suam adfert Ecclesia romana, quandò episcoporum suorum ad nostra usque tempora continuatam demonstrat à S. Petro successionem. Sic aliæ per Italiam, Germaniam, Galliam et Hispaniam Ecclesiæ nominant viros apostolicos, à quibus successionis ordo ab initio decurrens, ad episcopos nunc existentes pervenit. — Sed etsi hoc ipsum confinxerint Protestantes, nihil promovebunt; ipsa enim doctrina eorum cum apostolicâ comparata, diversam et contrariam esse pronuntiat. Nam quia dissidet eorum sententia à doctrinâ Ecclesiarum apostolicarum, nequit ea censeri apostolica; cùm fieri non possit, ut Apostoli contraria prædicaverint. Undè dicendum est sententiam Protestantium ab illis esse, qui ab Apostolis, et Ecclesiis apostolicis desciverunt, atque aliter prædicaverunt. — Ad hanc itaque formam, nomine cujusque pastoratûs catholici, provocamus Protestantes. Nam licèt hic aut ille pastoratus nullum ex Apostolis, vel apostolicis viris auctorem suum proferat, utpotè multò posteriùs institutus; quia tamen in eâdem fide cum Ecclesiis apostolicis conspirat, eo ipso æstimatur apostolicus, propter consanguinitatem et identitatem doctrinæ. — Ità Protestantes ad utramque formam à nobis provocantur, ut alterutrâ se probent apostolicos, vel evolvant ordinem episcoporum suorum ad Apostolos, aut apostolicos viros pertingentem; vel ostendant se eamdem doctrinam tenere cum Ecclesiis verè apostolicis. Sed quia Protestantes non habent Ecclesias apostolicas, ideò ex ordine episcoporum suorum, cum Apostolis perseverantium, non possunt probare suas Ecclesias esse apostolicas. Neque illud ipsum possunt probare ex comparatione doctrinæ suæ cum doctrinâ apostolicâ: quia non recipiuntur in pacem et in communicationem ab Ecclesiis quoquo modo apostolicis; quocircà ob diversitatem doctrinæ suæ nullo modo sunt

(1) L. *Si pupilli*, § *Videamus de negot. gest.*, et Marant., part. 4, disp. 20, n° 15.

apostolicæ Protestantium Ecclesiæ. Nam sicut convenientia doctrinæ cum doctrinâ apostolicâ probatur ex communione cum Ecclesiis apostolicis, ità diversitas doctrinæ à doctrinâ probatur ex defectu communionis cum Ecclesiis apostolicis.

§ 4. *Quid incumbat Protestantibus, præscriptionem catholicam impugnaturis.*

Ut lector catholicus faciliùs defendat contrà Protestantes possessionis catholicæ legitimam præscriptionem, in superioribus propositam et confirmatam; dicendum cum Tertulliano, quid illis incumbat, qui hanc præscriptionem conantur enervare. Ità enim manifestum fiet, nihil ab illis allegari posse, quod non facillimè refutetur. — Dicit itaque Tertullianus cap. 35 : « His definitionibus provocatæ à nobis et revictæ « hæreses omnes, sive quæ posteræ, sive quæ coætaneæ Apostolorum, dummodò diversæ sive generaliter, sive specialiter notatæ ab eis, dummodò prædamnatæ, audeant respondere, et ipsæ aliquas ejusmodi præscriptiones adversùs nostram disciplinam. « Si enim negant veritatem ejus, debent probare illam « quoque hæresim esse eâdem formâ revictam, quâ « ipsæ revincuntur, et ostendere simul ubinam quærenda sit veritas, quam apud illos non esse jam constat. Posterior nostra res non est, imò omnibus « prior est; hoc erit testimonium veritatis, ubique occupantis principatum. Quod ab Apostolis non damnatur, imò defenditur, hoc erit indicium proprietatis. Quam enim non damnant, qui extraneam « quamque damnaverunt, suam ostendunt, ideòque et « defendunt. » — His definitionibus et præscriptionibus provocati à nobis et revicti Protestantes, ab Apostolis sive generaliter, sive specialiter notati, quia diversi, audeant nobis respondere, et aliquas ejusmodi præscriptiones contrà doctrinam atque Ecclesiam catholicam proferre. — Si enim negant Ecclesiam catholicam etiamnùm tenere veram doctrinam, duo ipsis incumbunt probanda. Alterum, Ecclesiam doctrinamque catholicam esse hæreticam eâdem formâ revictam, quâ Protestantium Ecclesiæ revincuntur, quasque duplici viâ cum Tertulliano revicimus, tùm quòd successionem episcoporum suorum, ab Apostolis usque ad nostra tempora decurrentem nequeant ostendere, tùm quòd doctrina eorum, cum instituto Ecclesiarum apostolicarum comparata, ex diversitate et contrarietate suâ pronuntiet, eam non esse apostolicam. Alterum quod ipsis incumbit, in eo consistit, ut ostendant ubinam quærenda sit veritas, quam apud illos non esse jam constat. Huic oneri nec ex Lutheranis conatus est satisfacere Hulsemannus, Dannhawerus, Bœbelius; nec ex Calvinianis Spanhemius. — Doctrina Ecclesiæ apostolicæ atque catholicæ romanæ non est posterior, imò doctrina Protestantium prior est; atque hoc est testimonium veritatis, ubique occupantis principatum. Quod ab Apostolis non damnatur, neque ab Ecclesiis apostolicis, imò defenditur ab Apostolis, quia in Ecclesiis apostolicis defenditur, hoc ipsum erit indicium propriæ et genuinæ veritatis; indicium inveniendæ, conservandæque doctrinæ apostolicæ. Quam enim doctrinam damnant Apostoli, vel Ecclesiæ apostolicæ, ea habenda est extranea : quam verò nec Apostoli damnant, nec Ecclesiæ apostolicæ, suam ostendunt, idèoque et defendunt.

§ 5. — *Ulterior declaratio præscriptionis catholicæ, ex prioritate possessionis.*

Licèt quæ hìc dicturi sumus, ferè coincidant cum præcedentibus, quia tamen Tertulliano visum est rem eamdem variis modis illustrare, neque nobis inconveniens videtur eum imitari, quo præscriptioni catholicæ aliquid splendoris accedat. — Dicit ergò, cap 36 : « Age jam, qui voles curiositatem meliùs exercere in « negotio salutis tuæ, percurre Ecclesias apostolicas, « apud quas ipsæ adhùc cathedræ Apostolorum suis « locis præsidentur, apud quas ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, et repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est tibi « Achaia? habes Corinthum. Si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si « potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem « Italiæ adjaces, habes Romam, undè quoque nobis « auctoritas præstò est. Ista felix Ecclesia! cui totam « doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, « ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus « Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, « postquàm in oleum igneum demersus, nihil passus « est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, « quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis « contesserârit. Unum Deum novit creatorem universitatis, et Christum Jesum ex Virgine Mariâ Filium « Dei creatoris, et carnis resurrectionem; legem et « Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et indè potat fidem, eam aquâ signat, Spiritu « S. vestit, Eucharistiâ pascit, martyrio exhortatur, « et ità adversùs hanc institutionem neminem recipit. « Hæc institutio, non dico jam, quæ futuras hæreses « prænuntiabat, sed de quâ hæreses prodierunt. Sed « non fuerunt ex illâ, ex quo factæ sunt adversùs illam. Etiam de olivæ nucleo, mitis et opimæ et necessariæ, asper oleaster exoritur, etiam de papavere « fici, gratissimæ et suavissimæ, ventosa et vana caprificus exurgit. Ità et hæreses de nostro fructificaverunt, non nostræ, degeneres veritatis grano, et « mendacio sylvestres. »

Agite etiam, Protestantes, percurrite Ecclesias apostolicas, apud quas ipsæ adhùc cathedræ Apostolorum suis locis præsidentur. Italiæ adjacetis, habetis Romam, undè nobis auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. Videamus quid docuerit, et quid doceat in hunc usque diem, quid cum Ecclesiis Germaniæ, Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Sueciæ, Norwegiæ contesserârit, antequàm Lutherus, rupto charitatis vinculo, separata instituit conventicula. Testantur historiæ, testantur monumenta varia, quam fidem tenuerint, et quam reliquerint Lutherani et alii; prodierunt enim ex nobis, quia posteriores a priori;

sed non fuerunt nobiscum, quia facti sunt adversi.

§ 6. — *Ulterior declaratio ejusdem præscriptionis adversùs Protestantes, ex ratione posterioritatis.*

Tertullianus, cap. 31 : « Revertar ad principalitatem « veritatis, et posterioritatem mendacii deputandam, « ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum « semen frumenti à Domino seminatum primò con« stituit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab « inimico diabolo postea superducit. Propriè enim « doctrinarum distinctionem figurat, quia et alibi ver« bum Dei, seminis similitudo est. Ità ex ipso ordine « manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit « priùs traditum ; id autem extraneum et falsum, quod « sit posteriùs immissum. Ea sententia manebit ad« versùs posteriores quasque hæreses, quibus nulla con« stantia de conscientiâ competit ad defendendam sibi « veritatem. »

Revertamur cum Tertulliano, ut ex prioritate veritatem, ex posterioritate falsitatem cognoscamus. Priùs seminatum est bonum semen, posteriùs superseminata sunt zizania. Bonum semen doctrinæ cœlestis est symbolum, zizania autem errorem in doctrinâ fidei designant. Ità ex ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit priùs traditum ; illud autem extraneum et falsum, quod posteriùs immissum. Hæc manet sententia adversùs Protestantes, quibus nulla vel probabilis constantia de conscientiâ suppetit, ad vindicandam sibi prioritatem veritatis. — Quoniam igitur catholica doctrina prior est, dicimus post Tertullianum, cap. 29 : « Satis ineptum, ut prior « in doctrinâ hæresis habeatur : vel quoniam ipsa est, « quæ futuras hæreses cavendas prænuntiavit. » — Quia verò doctrina Protestantium posterior est, post eumdem Tertullianum dicimus, cap. 34 : « Sive aliæ « quidem fuerunt (hæreses tempore Apostolorum), « aliæ autem posteà obortæ quiddam ex illis usurpa« verunt, habendo cum eis consortium prædicationis, « habeant necesse est etiam consortium damnationis, « præcedente illo fine supradicto posterioritatis, quo « etsi nihil de damnatitiis (ab Apostolis damnatis) « participarent, de ætate solâ præjudicarentur, tantò « magis adulteræ, quantò nec ab Apostolis nominatæ. « Undè firmiùs constat has esse, quæ adhùc tunc nun« tiabantur futuræ. » — Itaque ex sententiâ Tertulliani, omnes omninò posteriores hæreses ab Apostolis damnatæ sunt, sive tunc existentes, sive futuræ, et illæ quidem futuris annumerandæ sunt, quibus ex posterioritate falsitas tribuenda est. Cùmque Protestantes sint notoriè posteriores, opponimus eis exceptionem rei judicatæ (1).

Conclusio. — Habes, lector, præscriptiones catholicas, juxtà modum antiquissimi Tertulliani, juxtà fundamenta ab Hulsemanno agnita, breviter propositas. Quod quidem à nobis factum non est *de concilio diffidentiæ, aut studio aliter ineundæ constitutionis;* qui Protestantium probationes, si quas habere se putarent, in Methodo Augustinianâ satis postulavimus, et non paucas suis locis refutavimus : sed *ex fiduciâ probationis*, quâ nunc maximè præveniendum esse duximus, quandò adversariorum nostrorum tergiversationes magis magisque patescunt.

(1) Juxtà L. *post rem judicatam*, 50, ff. *de re judicat.* Vide Marant., part. 6, *de except.*, n° 15, pag. 282, et n° 45, pag. 290.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE MISSIONE PROTESTANTIUM.

Sectio i. — *A missione rectè fieri initium inquisitionis.*

Antequàm examinetur, legitimus sit, an illegitimus cujuscumque potestatis usus, necesse est ut constet ipsam potestatem esse legitimam, sine quâ usus nequit esse legitimus. Valet hoc in rebus secularibus, valet in ecclesiasticis. Nam quomodò prædicabunt, nisi mittantur? inquit Apostolus, ad Rom. 10, 15. docens à missione derivari legitimam prædicationem, et sic examen missionis justo ordine præcedere examen prædicationis.

Examen prædicationis merè consistit in quæstione juris. Lite rectè constitutâ, examen missionis, quod cum Protestantibus instituendum est, in facto præcipuè consistit, quæstione juris in plerisque sepositâ. Quia verò facti controversia, cujus probationes fiunt per testimonia sensibilia, nullo artificio indigentia, peculiarem affert cùm facilitatem, tùm evidentiam, quæstione juris non rarò difficultatibus involutâ, aut subjectâ, jure merito petuntur tabulæ missionis Protestantium, quibus deficientibus, mox constat nullam illos Ecclesiam potuisse congregare nisi schismaticam, origine legitimæ potestatis destitutam. — Non igitur quæremus præcipuè, quid ad missionem præcisè requiratur, cùm id longius examen postulet; sed an Lutherus et Calvinus sint missi? Non agemus latè de explicatione missionis, sed de applicatione : non agemus diffusè de exactâ cognitione missionis, sed de possessione. « Vestræ cathedræ originem reddite, qui « vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. » S. Optat. lib. 2.

Sectio ii. — *Quid sit missio, seu vocatio.*

Ex usu Ecclesiæ communi, vocatio omnis est actio, quâ alicui personæ aliquid committitur ab eo, penès quem committendi potestas est; illud autem quod committitur, consistit in opere docendi, Sacramenta administrandi, Ecclesiam regendi. — Vocatio alia dicitur ordinaria, quæ fit ab hominibus potestatem vocandi habentibus; alia dicitur extraordinaria, quæ à Deo immediatè procedit. Vid. Conf. Helv. pr. art. 8; Angl. poster. art. 23.

SECTIO III. — *In quibus sit consensus.*

Convenit inter Catholicos et Protestantes 1° Deum esse, qui constituit in Ecclesiâ pastores et doctores in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ. Hinc Conf. Helv. poster. : « Damnamus omnes, qui suâ sponte currunt, cùm non sint electi, missi vel ordinati. Vid. Helv. pr. art. 17 et 18. Angl. pag. 116. — Convenit 2° missionem pastorum et doctorum in Ecclesiâ esse perpetuam. Vid. tract. de Eccl. contr. 1, Ordin. Eccl. Neoburg. part. 2, fol. 50, discipl. Eccles. Middelb. art. 4. Synop. pur. Theol. disp. 42, in princ. — Convenit 3° missionem extraordinariam aliam esse fundamentalem, quæ à primo extraordinariè misso transit ad successores ejus, qualis fuit Aaronis, et Apostolorum; aliam collateralem, qualis fuit Prophetarum, et quæ non transivit ad successores, sicut undique in confesso est.

SECTIO IV. — *Sententia Protestantium de suorum missione.*

His positis, dicunt Protestantes, Lutherum, Calvinum aliosque primos Ecclesiæ prætensos Reformatores, partìm ordinariè, ex institutione Ecclesiæ romanæ, partìm extraordinariè à Deo missos esse. Ità Bucanus, loc. 42, § 47; Meisnerus, Consult. Cath. part. 2, consid. 7, art. 3. Synop. pur. Theol. disp. 42, thes. 41. — In Confessionibus publicis Protestantium nullam invenimus mentionem *partìm ordinariæ*, *partìm extraordinariæ missionis.* Nec mirum; est enim commentum omnibus seculis inauditum, et novorum Prophetarum novissimum paradoxum. Scimus Prophetas extraordinariè missos esse; scimus etiam ex Prophetis aliquos tùm ordinariam, tùm extraordinariam habuisse missionem; sed utramque perfectam. Protestantes, qui partìm hanc, partìm illam prætendunt, neutram habent perfectam, id est, nullam habent. — Demus tamen Protestantes illud velle, quòd Lutherus, Calvinus et similes utramque missionem habuerint perfectam. Hoc facti est, et factum probari debet (1).

SECTIO V. — *De ordinariâ Protestantium missione.*

Non subsistere missionem, si facta sit à non habente potestatem, adeò manifestum est, ut nullus, qui vel micam sanæ rationis habet, de eo possit dubitare; nullus enim dat, quod non habet. (Vide SS. Patres apud Staplet. de princ. Fid. contr. 1, q. 5, a. 3.) — Cùmque Protestantes asserant Lutherum, Calvinum, aliosque similes ordinariè missos à romanâ Ecclesiâ; videndum est an Protestantes agnoscant potestatem mittendi in romanâ Ecclesiâ. Nisi agnoscerent potestatem mittendi in romanâ Ecclesiâ, nec dicerent se ordinariè missos à romanâ Ecclesiâ, ne viderentur missi à non habente potestatem. — Docet disciplina Gallica baptismum collatum à non habente vocationem vel commissionem, esse nullum. Cùmque ipsi in suâ confessione agnoscant validitatem baptismi apud nos collati, eo ipso fatentur catholicos habere veram vocationem vel commissionem. (Vide Meisn. Consult. Cath. part. 2, art. 3; Croc. tom. 2 Anti-Bec. contr. 12, sect. 1, n. 12.) — Sed rursùm Ecclesiæ missionem arguunt nullitatis et invaliditatis. Quia juxtà disciplinam Gallicam, sacerdotes nostri et monachi, ad vos transeuntes, iteratò ordinantur ad ministerium, antè susceptionem functionis ecclesiasticæ; opus enim habent aliâ vocatione, quòd nostræ ordinationes nihil aliud sint, quàm fœdissimæ profanationes, ideòque ejurandæ, ut loquitur Bucanus, loc. 42, § 48. (Vide Conf. Helv. pr. art. 18. — Itaque si quærimus an romana Ecclesia habeat mittendi potestatem, respondetis secundùm carnem per *est, et non.* Et tamen dicit Apostolus : *Si quæ destruo, hæc iterùm ædifico, prævaricatorem me constituo*, 2 Cor. 1, 17.

SECTIO VI. — *Ordinariam Protestantium missionem carere auctoritate.*

Fac Protestantes agnoscere in Ecclesiâ romanâ potestatem mittendi; necdùm ordinariam suorum missionem per propria defendent principia. — Alia est missio seu vocatio Sacramentalis, destituta utendi et exercendi legitimâ potestate, qualis est episcoporum hæreticorum, qui vel ipsi olìm in Ecclesiâ catholicâ sunt ordinati, vel eorum prædecessores, qualis etiam episcoporum degradatorum; manet enim impressus character, sine legitimâ exsequendi auctoritate. — Si Ecclesia Romana utramque habuit vocationem tempore primorum Protestantium, hoc est, Sacramentalem cum impresso charactere, et auctoritativam cum exercendi facultate; erat per consequens Ecclesia romana vera Jesu Christi Ecclesia, extraque ejus communionem nec erat auctoritas, nec salus. Primi ergò Protestantes ab eâ recedentes, eamque condemnantes, seipsos privârunt omni auctoritate et salute. — Sin autem dicatis Ecclesiam romanam tunc non habuisse, nisi simplicem missionem Sacramentalem, denudatam legitimâ utendi potestate; non potuit dare primis Reformatoribus, quod non habuit; sicut episcopi hæretici, aut degradati à verâ Ecclesiâ, nequeunt illis legitimam communicare auctoritatem, quos ordinant; neque hi ordinati assumere exercitium ministerii sine crimine et sacrilegio. — Quamvis autem actiones talium episcoporum, quas exercent virtute ordinationis suæ, imprimant ordinatis characterem; sunt tamen illicitæ et damnabiles, ob defectum auctoritatis; ipsique ordinati, licèt quoad characterem sacerdotes aut episcopi, legitimâ utendi auctoritate destituuntur, eoque respectu nec sacerdotes sunt, nec episcopi. Sic Meletium, qui caput erat Meletianorum, ad Ecclesiam catholicam recepit concilium Nicænum; sed abrogato quoad exercitium episcopatu, ablatâque ordinandi legitimâ potestate, nudum ei reliquit sine ministerio titulum. In Sardicensi concilio nec titulus episcopi fuit relictus Theodoro Narcisso, aliisque in Arianismum lapsis. Similia tradit S. Athanasius, et S. Hieronymus, teste Davyo. Neque tamen dicendum est characterem illis episcopis defuisse, vel non fuisse applicatum; sed

(1) L. *sive possidetis*, c. *de probat.*, quia non præsumitur; Messoch. lib. 2, præsumpt. 14, § 17.

caruisse illos legitimâ exercendi facultate, quâ vel non transmissâ, ob ordinationem ab hæreticis, vel perditâ ob assumptam hæresim, non poterant eam aliundè prætendere, quàm à solâ Ecclesiâ catholicâ, cui ea auctoritas competebat, quamque in concilio Nicæno impertiit antecedenter ordinatis à Meletio. — Quapropter si Protestantes dicant Ecclesiam catholicam, tempore primorum Reformatorum, non habuisse nisi missionem Sacramentalem, auctoritate executivâ destitutam; non potuit illis dare, nisi solam impressionem characteris, legitimâ utendi potestate carentem. — Et hæc quidem non aliter locum habent, nisi secundùm sententiam Catholicorum, credentium subsistere missionem Sacramentalem sine auctoritativâ, ordinationemque esse Sacramentalem, quòd imprimat characterem, etiam abolitâ auctoritate, remanentem, pro cujus consignatione fuerat collatus; atque ideò Ecclesia eum non repetit, vel reiterat, licèt auctoritatem quandoque restituat. At verò juxtà sententiam Protestantium, quorum plerique ordinationem pro Sacramento non habent, unanimiter impressionem characteris negantes, nequit supponi, post auctoritatis privationem, superesse sigillum Sacramentale, quod alteri communicari possit: adeòque nec primi Reformatores potuerunt recipere ullam missionem Sacramentalem ab Ecclesiâ Romanâ, quam illi non agnoscunt.

Sed demus, Protestantes à suâ doctrinâ tantisper recedere, et in hisce angustiis catholicam amplecti; nihil aliud sequetur, quàm nudum characterem Sacramentalem primis Reformatoribus fuisse impressum; neque enim Ecclesia romana illis poterat dare quod non habebat, facultatem scilicet et auctoritatem exercendi ministerium, quam perdiderat per hæresim, subjecta anathemati per Apostolum pronuntiato (si veri sint Protestantes), quòd aliter evangelizaverit, quàm ab initio invenerit evangelizatum. (Vide Zanchium, tom. 4, in 4 præcept.)

Sectio vii. — *Calvinum, et alios in Ecclesiâ catholicâ baptizatos, non fuisse capaces missionis, si Reformatis fides.*

Qui non est baptizatus, vel qui nulliter est baptizatus, is est incapax missionis. At Calvinus (si Reformatis fides) vel non est baptizatus, vel nulliter est baptizatus. Ergò Calvinus est incapax missionis. — Major propositio est ipsa doctrina Reformatorum; docent enim baptismum administratum per eum qui non habet vocationem vel commissionem, esse nullum. Discipl. Gall. cap. 11, art. 1; Conc. Nation. Middelb. resp. ad interrog. 74; Zanch. lib. de Natur. Dei, præfat. tom. 2, pag. 7; Synop. pur. Theol. disp. 44, thes. 12 et 55. Est ergò notorium, quod habet propositio major. — Probatur minor, quòd Calvinus (si Reformatis fides) baptizatus sit per eum, qui nec vocationem habuit, nec commissionem. Nam disciplina Gallica vult iteratò ordinari illos sacerdotes et monachos, qui à nobis ad ipsos transeunt. Atque hìc dicit, nec licitum, nec expediens esse, audire prædicatores Ecclesiæ romanæ. Et quarè? Quia nullam de jure habent episcopi, etc., jurisdictionem ecclesiasticam, cap. 14, art. 8. Vocatio illorum est illegitima, inquit Synopsis; addite, invalida, utrumque enim asseritis. (Vid. Conf. Gall. art. 31.) — Cùm igitur Ecclesia catholica, juxtà illos, nullam habuerit vocationem, vel commissionem, Calvinus fuerit nulliter baptizatus et incapax missionis.

Sectio viii. — *Contradictiones Reformatorum.*

Antequàm ad ulteriora progrediamur, operæ pretium erit ostendere quomodò à regulis suis devient Reformati. Disciplina Gallica exigit iteratam ordinationem in sacerdotibus nostris ad Reformatos transeuntibus, conformiter id quidem Confessioni Gallicæ, interruptum Ecclesiæ statum asserenti; conformiter Confessioni Scoticæ. At verò hæc non cohærent cum resolutione synodi nationalis Middelburgensis, quæ in sacerdote catholico, ad Reformatos transeunte, nihil requirit, quo ministerio fungatur, nisi solum examen. (Resp. ad interrog).

Iterùm: Demonstravimus ex doctrinâ Reformatorum publicâ, baptismum administratum per eum, qui non habet vocationem vel commissionem, esse nullum. Et similia tradit Confessio Scotica. Sed hæc non cohærent cum doctrinâ Confessionis Gallicæ: « Quia « in papatu exigua quædam Ecclesiæ vestigia, ac præ« sertìm baptismi substantia remansit, cujus etiam ef« ficacia ab eo non dependet, à quo administratur, fa« temur illic baptizatos, secundo baptismo non egere. » Paria habet Synop. pur. Theol. disp. 44, thes. 14; Petr. Mart. Class. 4 Loc. comm., cap. 6, n. 41; Bucan. loc. 47, § 15. Ex dictis Reformatorum contradictoriis sententiis sequitur, Calvinum fuisse validè baptizatum, et non fuisse validè baptizatum, fuisse Christianum, et non fuisse Christianum, fuisse capacem missionis, et non fuisse capacem missionis. *Mentita est iniquitas sibi.*

Sectio ix. — *Si primi Protestantes habuissent missionem, fuisset ablata.*

Ministrum Ecclesiæ per superiorem suum privari posse omni jurisdictione et functione ecclesiasticâ, fatentur nobiscum Reformati. Causam autem privandi sufficientem hìnc indè statuimus, doctrinam falsam et hæreticam, schisma Ecclesiæ, etc., synod. nation. Dordrecht. 1578; synod. nat. Hagæ, art. 73; Middelb., art. 65; Discipl. Gall. cap. 1, art. 2. Imò nec ipsi Reformati ministros liberant à pœnâ excommunicatonis, ubi causæ gravitas eum rigorem postulat, ut videre est locis citatis.

Superior primorum Protestantium erat Ecclesia catholica, erant pontifices et episcopi ordinariam exercentes potestatem; ab hâc enim Ecclesiâ, ab his episcopis prætendunt missionem ordinariam. Ecclesia autem catholica, per pontifices et episcopos, privavit primos Protestantes omni jurisdictione ecclesiasticâ, secundùm jura Ecclesiæ privationem declarantes. Ergò, etiamsi habuerint, ex nostrâ sententiâ, missionem Sacramentalem, omni modo irrevocabilem, auctoritas tamen exercendi, et usus officii per legitimam

potestatem fuit ablatus. — Deindè, juxtà doctrinam Disciplinæ Gallicæ, ministri deponi possunt propter malam doctrinam. Imò, ut docet eadem Disciplina, sententia per consistorium vel colloquium lata, manet valida usque ad sententiam definitivam, non obstante appellatione. Idemque statuit de suis diaconis et senioribus. Undè quamvis primi Reformatores potuerint appellâsse à sententiâ privationis, contrà ipsos vel jure ipso, vel per hominem latâ, debuit tamen valere sententia usque ad definitivam legitimi superioris. (Vid. Disc. Eccl. Middelb. art. 29; conc. nation. Middelb., resp. ad interrog. 104, et syn. nat. Hagæ, art. 29.) — Dicant ergò Reformati, ad quem appellaverit Calvinus. Nùm ab Ecclesiâ ad seipsum appellavit? Dementius certè nihil cogitari potest. Nam et ministris à vobis depositis, cur non liceat, quod Calvino licuit? aut si his non liceat, quomodò non inanis fuerit Calvini appellatio? Quis hìc exitus, nisi dicatis sententiam inferioris judicis, in casibus prædictis, interjectâ appellatione, debere sortiri effectum, prout Reformati, orbis terrarum judices, decreverint, sententiam contravenire verbo Dei, vel non contravenire? Sic autem nulla sententia erit inappellabilis, quoad effectum suspensivum, nisi Reformati voluerint: et eodem modo nullus erit hæreticus, qui idem privilegium non assumat. — Verùm, quod in re tanti momenti nobis obtrusum vultis, ne in minoribus quidem servatis ipsi, ut sciamus vos proprio contravenire judicio, quando statuitis consistoria de scandalo et doctrinâ judicantia, non obstante judicum recusatione, etiam illos *ab Ecclesiâ rescindendos* esse, qui judicio synodi nationalis non acquieverint de puncto in punctum, cum expressâ errorum suorum renuntiatione. Quo procedendi modo tota nobis cedit causa.

Sectio x. — *Ad quæ loca primi reformatores fuerint missi.*

Primos Reformatores habuisse missionem ordinariam à romanâ Ecclesiâ prædicandi et regendi Ecclesias per totum orbem, ne ipsi quidem astruunt Protestantes. Petimus ergò quâ auctoritate verbum Dei prædicaverint, Ecclesiasque erexerint, et direxerint in iis locis, ubi erant pastores ordinariè missi, quique illorum conatibus obsistebant? Neque enim videmus quo prætextu tanta potestatis amplitudo ipsis tribuatur, qui Apostolorum jurisdictioni non cedat. — Docet Disciplina Gallica : « Prædicantem unius Ecclesiæ « non posse concionari in aliâ, sine consensu prædi- « cantis ejus Ecclesiæ. » Ergò non licuit Reformatis prædicare in locis, ubi catholici pastores reperiebantur, quorumque ordinariam missionem non poterant improbare. — Eadem Disciplina docet : « Prædican- « tem intrudentem seipsum, etiamsi approbatus fuis- « set à populo, non posse approbari per prædicantes vi- « cinos, » etc. Ergò, etiamsi habuerint prædicantes hinc indè partem populi faventem, non licuit ipsis ministerium assumere, neque vicinis prædicantibus illos approbare. (Vid. nat. synod. Dordrecht. anni 1573, art. 7, 9; synod. nat. Hagæ, art. 13; Gerhard., Loc. tom. 6, de minist. Eccl. cap. 3, sect 2.) — Neque dicant pastores catholicos non debitè implevisse suum munus, adeòque sibi integrum fuisse ad alias Ecclesias transire; nam si quis delegatus ad certam causam, ad certum locum, vicinos judices de tribunali deturbaret, hoc solùm prætextu, quòd malè judicarent, et ad palliandam violentiam diceret, id cuivis jurisperito licere; quis, quæso, talem non judicaret puniendum, ut turbulentum invasorem? (Vid. Discipl. Gall. cap. 1, art. 56.)

Sectio xi. — *Sacerdotium et doctoratum primorum Reformatorum non sufficere ad auctoritatem missionis.*

Lutherus fuit monachus, fuit sacerdos : quid hoc ad munus pastorale et auctoritatem regendi Ecclesiam? Etenim, si, ut vos dicitis, romana Ecclesia est hæretica, idololatrica, et abominanda, necesse est ut asseratis, nec Lutherum, nec Calvinum fuisse sacerdotes. Vos certè qui docetis sacerdotium non esse sacramentum, nec per collationem hujus ordinis characterem imprimi; quo jure defenditis eos fuisse in Ecclesiâ romanâ creatos sacerdotes? Ecclesia hæretica nullum habet exercitium jurisdictionis, nullam potestatem mittendi, quia lupis non competit pascendum demandare gregem Christi.

Si ex nostrâ sententiâ procedendum est, sacerdotes accipiunt potestatem offerendi sacrificium Missæ, et absolvendi à peccatis; monentur etiam de munere prædicandi. Missio ordinaria, quatenùs importat facultatem prædicandi et Ecclesiam regendi, posteà confertur separatìm, et ad certa loca determinatur. Non ergò concludi potest Lutherum et Calvinum fuisse missos, quia fuerunt ordinati sacerdotes. Deindè, in nostrâ sententiâ, alia est potestas ordinis, alia jurisdictionis; hæc tolli potest, quia executionem potestatis tolli posse, nemo dubitat : illa tolli nequit, ob indelebilem characterem. Sacerdos apostata manet sacerdos, quoad characterem; sed amittit non tantùm legitimam auctoritatem exercendi sacerdotium, verùm etiam jurisdictionem, si quam habuit. Undè, si ex nostrâ sententiâ proceditis, nullam Lutherus et Calvinus post defectionem habuerunt auctoritatem vel jurisdictionem.

Lutherus fuit doctor theologiæ : quid hoc ad missionem et jurisdictionem ecclesiasticam? quid ad potestatem colligendi et regendi Ecclesias? Ne doctores quidem Lutherani habent potestatem regiminis pastoralis, nisi simul sint pastores. Etiam Reformati docent doctorem Ecclesiæ non posse prædicare, vel administrare Sacramenta, nisi simul sit doctor et prædicans. (Vid. Discipl. Eccl. Middelb. art. 3; synod. nat. Dordrech. 1578, art. 51; syn. nat. Hagæ, art. 3; Serar., Opusc. tom. 3, orat. 3; Luthero Turc. pag. 164.)

Sectio xii. — *De episcopatu primorum Reformatorum, et Orientalium.*

In sententiâ Protestantium, sacerdos habet eamdem potestatem mittendi cum episcopo; nullaque est jure divino potestatis differentia, sed tantùm humano

Indè autem concludunt, potestatem mittendi non defuisse primis Reformatoribus, quantumvis non fuerint in Ecclesiâ catholicâ ordinati episcopi. Tenent Reformati sibi episcopos non defuisse in Angliâ, quorum proindè ordinationes nequeat catholica Ecclesia improbare, maximè quòd hæc agnoscat ordinationes episcoporum orientalium esse validas. — At verò nihil habent pro istâ æqualitate presbyteri et episcopi, quod hæreticus olim non habuerit Arius, si S. Epiphanio creditis, ejus errorem refellenti. S. Augustinus, quem in speciem soletis venerari, Arii sententiam in catalogo hæreticorum referens, vestram retulit, illo dicente, « presbyterum ab episcopo nullâ « differentiâ debere discerni » — Non igitur probant Protestantes, primos Reformatores habuisse jus ordinandi. Ponamus tamen illos fuisse episcopos : profectò exercitium potestatis legitimum non potuerunt cum charactere accipere, nisi à verâ Ecclesiâ ; si autem exercitii legitimam potestatem à verâ Ecclesiâ cum charactere obtinuerint, romana erit vera Ecclesia, à quâ sese separantes, facti sunt schismatici ; et ejus in universalibus conciliis decreta impugnantes dogmata, omni destituuntur utendi auctoritate.—Deindè, etiamsi sacerdos haberet eamdem cum episcopo potestatem, nullam tamen haberet jurisdictionem in particularibus Ecclesiis alteri episcopo subjectis. Dicant igitur quâ potestate miserint Prædicantes ad Ecclesias aliis subjectas, adversùs proprias disciplinas in superioribus allegatas? An quilibet prædicans habet potestatem mittendi per totum mundum? hoc ipsi non dicitis.

Posteà, in sententiâ Protestantium, ne quidem unus solus prædicans habet potestatem mittendi ; sed ordinatio seu missio tantùm fit per plures, teste Disciplinâ Gallicâ, et Synopsi purioris theologiæ. Quotquot igitur initio prætensæ Reformationis à solo Luthero vel Zwinglio sunt missi, non habuerunt legitimam missionem ; neque enim possunt dicere, se aliundè accepisse potestatem. — Quoad episcopos Angliæ, rectè observavit Davyus promotionem illorum à presbyterio ad episcopatum, esse merè politicam, non ecclesiasticam. Doceant proindè illos episcopos esse legitimè ordinatos. Hoc autem si docuerint, quid proficient? nùm solus character episcopalis dabit legitimam exercendi potestatem? Satis de eo dictum in præcedentibus.

Sed isti episcopi Angliæ tenent dignitatem episcopalem jure divino super presbyterium eminere ; non ergò est Reformatis ex fide catholicâ certum, eamdem esse presbyteri et episcopi potestatem ; consequenter illis non est certum, ullos esse in Ecclesiâ reformatâ legitimos ministros, nisi ab episcopis ordinatos, quales extrà Angliam vix reperias. Si incertum est an extrà Angliam legitimi sint ministri, similiter erit incertum an sit legitima facies ullius particularis Ecclesiæ visibilis, quæ sine legitimis ministris nequit consistere. Ità provocatio ad episcopos Angliæ magis convincit nullitatem ministerii Reformati.

In episcopis orientalibus, si continuata sit, quæ olim fuit, substantia ordinationis, etiam agnoscendus est verus episcopatus quoad characterem ; agnoscendi, quoad characterem, veri presbyteri ab illis ordinati. Sed indè non evincitur idem de Protestantium presbyteris esse dicendum, quorum pauci ab episcopis sunt ordinati, præterquàm quòd rejiciant characterem. Atque hìnc in Protestantibus arguimus defectum missionis, tùm ex capite ordinationis invalidæ, tùm ex parte usurpatæ auctoritatis, in orientalibus solam legitimam desiderantes auctoritatem.

Sectio xiii. — *De extraordinariâ missione Protestantium.*

Duplex invenitur missio extraordinaria in veteri Testamento, alia fundamentalis, quæ fuit in Aarone, undè, tanquàm à fundamento, derivabatur missio ordinaria ; alia collateralis, quæ fuit in Prophetis, ordinarium sacerdotium non assumentibus, neque principium alteri sacrificatorum ordini facientibus. Hìnc missio extraordinaria collateralis multoties fuit repetita in veteri Testamento, Prophetis ordinarium ministerium officii sui admonentibus ; dùm fundamentalis illa, durante lege, iterari non poterat. *Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat*, Hebr. 7, 12.

Primorum Protestantium prætensa missio non mansit in terminis vocationis collateralis, quia non sufficit ipsis monere ordinarium ministerium officii à Deo injuncti, ad imitationem Prophetarum ; sed adscripserunt sibi vocationem fundamentalem, qualis fuit Aaronis et Apostolorum : nam seipsos constituerunt velut novum principium successionis ecclesiasticæ, non tantùm usurpantes ministerium, sed et pastores, tùm per varia loca, tùm qui ipsis succederent, instituentes, quasi vocati fuissent à novo legislatore ad tradendam novam religionem. — Undè patet missionem extraordinariam veteris Testamenti Protestantibus non posse patrocinari ; collaterales enim non expectamus in Ecclesiâ Christi, nec ipsi eas valent prætendere. Fundamentalis iterari non potuit sub veteri, multò minùs sub novo Testamento. Possent hæc sola sufficere ; sed abs re erit particulatìm ad singula descendere.

Sectio xiv. — *Sententiæ Reformatorum de suâ extraordinariâ missione.*

Sic habet Confessio Gallica, art. 31 : « Credimus, « nulli fas esse suâpte auctoritate invadere Ecclesiæ « gubernacula, sed legitimâ electione, quoad ejus fieri « potest, et quamdiù Dominus ejus rei potestatem fa- « cit, præeunte, adscisci unumquemque oportere. Ad- « dimus autem nominatìm illam exceptionem, quoniam « interdùm, ut nostris etiam temporibus, interrupto « Ecclesiæ statu, necesse fuit nonnullos extrà ordi- « nem divinitùs excitari, qui Ecclesiæ collapsæ ruinas « instaurarent. Utcumque sit tamen, credimus semper « sequendam esse hanc normam, ut omnes pastores « seniores et diaconi, suæ vocationis testimonium ha- « beant. » — Calvinus, epist. 190 : « Remedium affert « Deus ipse, dùm idoneos et probos doctores excitat, « qui Ecclesiam in deformibus papatûs ruinis jacen- « tem ædificent. Atque omninò extraordinarium fuit

« hoc munus, quod Dominus nobis injunxit, dùm « operâ nostrâ ad colligendas Ecclesias usus est. « Quia ergò præter spem hominum insolito modo re- « pentè apparuerunt sinceræ pietatis vindices, eorum « vocatio à communi regulâ æstimari non debet. Cæ- « terùm, hâc lege divinitùs vocati sunt, ut Ecclesiis « rectè compositis, alios pastores substituant in suum « locum. » Idem, de veræ Eccles. reformat. : « Jam « sum præfatus nihil esse controversiæ, quin ubicum- « que incolumis, aut saltem tolerabilis est Ecclesiæ « status, expectanda sit ordinaria vocatio. Sed an « propterea lex Deo imposita est, quin extrà ordinem, « qui collapsam diruptamque Ecclesiam restituant, « Prophetas ipse excitet suo spiritu, ac alios mini- « stros? Sed enim, inquiunt, hoc accidere nunquàm « patietur Ecclesiæ perpetuitas. Ego sanè concedo, « fieri nunquàm posse ut Ecclesia intercidat. At cùm « ad pastores referunt, quod de perpetuâ Ecclesiæ « duratione promittitur, in eo vehementer errant. Ne- « que enim si desint pastores, ideò protinùs desinit Ec- « clesia. » Et mox : « Quæro ubinam legerint oportere « ad finem usque mundi, continuâ serie alios succe- « dere aliis episcopos. At nos legimus, cùm olìm sa- « cerdotum partìm inscitiâ et ignaviâ, partìm perfidiâ « et scelere, vitiatus esset Dei cultus, inculta jaceret « sacrorum administratio, perversa esset pia doctrina, « Ecclesia propè concidisset, extraordinario Dei af- « flatu suscitatos fuisse Prophetas, qui res perditas « restituerent. Quid obstabit, quò minùs idem nunc « quoque præstet? Et sanè ità necesse fuit. Nec verò « minùs ad nos quàm ad veterem populum, quod ha- « betur apud Ezechielem 34, 2, et Jer. 3, 15, et 33, « 12, pertinet; Deum, ut improborum pastorum ne- « quitiam ulciscatur, depulsis illis, probos daturum, « ac fideles, qui secundùm ejus voluntatem pascant. » Ex his concludit : « Qui nobis hoc tempore facem « prætulerunt, ut à diuturno errore in viam rediremus, « sanctos Dei prophetas fuisse, testatur præclarum « quod ediderunt, et verè divinum ministerii sui spe- « cimen. » Eamdem sententiam tradit Sadeël. De Legit. Vocat. Ministr. pag. 551; Sophis. Turria. loc. 12, de Vocat. Ministr. cap. 8; Bucanus, loc. 42, § 41, 42, 47, 48; Zanchius, tom. 4 in 4 præcept., col. 727, 769, 774.

Sectio xv. — *Sententia Lutheranorum de suâ extraordinariâ missione.*

Lutherus jactat extraordinariam vocationem in epistolâ, quâ excusat reditum suum ex Pathmo duci Friderico electori : « Deus me judicabit secundùm « conscientiæ meæ certitudinem. Certò autem scio, « et firmissimè persuasum habeo, meum verbum, seu « initium mei Evangelii, non à me, sed à Deo profec- « tum esse. Nec ullum genus mortis aut persecutionis, « Deo juvante, hoc mihi excutiet, aut diversum docebit. « Et videor mihi rectè divinare, nullis terroribus aut « sævitiâ hanc lucem aboleri posse. » Posteà dicit : « Divinitùs accensum lumen. » Et in conclusione : « V[illegible] quidem Cl. Dominus est mei [illegible] et fortunarum, Christus etiam animarum, ad quas me « misit, et ad quarum curam me exsuscitavit. » Item, in Præfat. lib. contr. Reg. Angl. : « Non ego oppro- « brium Boemici nominis metuo, quæ gloria est co- « ràm Deo, sed quòd Christus me hìc posuit, ut tor- « queam papistica monstra, dùm nihil invenire in me « possunt quod jactare vellent, in suæ incredibilis « invidiæ respiraculum. Cruciari eos vult Christus suâ « ipsorum invidiâ. Expecto eos igitur hìc, et expectabo « impotentissimam eorum invidiam; egregiè irritatu- « rus et torturus, donec vixero. Si autem me occide- « rint, multò maximè cruciaturus. Sic enim datus « sum illis in portentum à Domino meo Christo, » etc. — Et in ipso libro : « Certus sum dogmata mea ha- « bere me de cœlo, quæ etiam adversùs eum trium- « phârunt, qui in ungue novissimo plus habet virtutis « et astutiæ, quàm omnes papæ, et reges, et doctores, « ut nihil agant, qui bullas nominum et titulorum con- « trà me jactant, et libellos sub regiis inscriptionibus « venditant. Dogmata mea stabunt, et papa cadet, « invitis omnibus portis inferi et potestatibus aeris, « et terræ, et maris. Ipsi me provocârunt ad bellum, « bellum igitur habebunt; pacem oblatam contempse- « runt, pacem igitur non habebunt, Deus viderit, uter « primus fessus defecerit, papa an Lutherus. Sic « placet in Christo in dies magis ac magis superbire « adversùs insulsos istos et ineptos Basiliscos, quò « magis ipsi furiunt. » Et in margine horum verborum ponitur : *Dogmata Lutheri de cœlo*. Et exempl. Theol. et doctr. Papist. : « Cùm et ego sim unus de antipapis, « revelatione divinâ ad hoc vocatus, ut dissipem, per- « dam, et destruam regnum illud maledictionis, cu- « pidè et libenter eo fungor officio sicut hactenùs « feci. » Vide Luther. Contr. cœlestes Prophetas. Et Erust. Antichrist. decret. act. tom. 2; Meisn. Consult. Cath. Part. 2, consid. 7, art. 3.

Sectio xvi. — *Considerantur probationes Protestantium.*

Primum signum Protestantes statuunt in purâ prædicatione verbi Dei, ut extraordinariam missionem primis prætensis Reformatoribus tribuant. Ità Bucanus, loc. 42, § 45; Meisnerus, Consult. Carth. part 2, consid. 7, art. 3. et part. 3, rat. 3, etc. — Resp. 1° : Vel ideò vobis credendum est, extraordinariam vocationem prætendentibus, quia jactatis puram verbi Dei prædicationem; vel non ideò vobis credendum est. Si ideò credendum non sit, quomodò subsistet allatum signum pro extraordinariâ vestrorum missione? Sin autem ideò vobis credendum, tàm Lutheranis quàm Reformatis, licet malè in tradendo verbo Dei unitis; credendum erit et quibuslibet, pari confidentiâ, puram verbi Dei prædicationem venditantibus. Nam, ut dicit S. Hilarius : « Memento, neminem hæreticorum esse, « qui se nunc non secundùm Scripturas prædicare ea, « quæ blasphemat, mentiatur. » — Resp. 2° : si pura prædicatio verbi Dei signum infallibile est extraordinariæ missionis, licebit universis ministerium assumere in Ecclesiâ, et sacramenta administrare, modò purè prædicent verbum Dei, utpotè eo ipso extraor-

dinariâ missione instructis. Hoc autem nolunt Protestantes, per suas disciplinas ecclesiasticas. Ergò, qui statuunt puram prædicationem verbi Dei signum vocationis extraordinariæ, domesticas subvertunt disciplinas; vel aliud docent, ut se adversùs Catholicos quoquo modo tueantur; aliud, ut ordinem convenientem servent in suis Ecclesiis. Adversantur tamen manifestis Scripturis, vocationem commendantibus; neque enim sufficit veritatem doctrinæ allegare, ut quis usurpet Ecclesiæ ministerium. Core, Dathan, et Abiron horribili interitu à Deo puniti sunt, non quòd falsam doctrinam traderent, aut sacrificia diverso ritu offerrent, sed quòd ministerium non vocati invaderent, quod rectè ponderavit S. Cyprianus. A Protestantibus verò absolvendi erunt Core, Dathan, et Abiron, utpotè extraordinariâ vocatione, ob puram prædicationem verbi Dei, et ritu ordinato oblata sacrificia, divinitùs instituta; accusandus ipse Deus crudelitatis, Scriptura sacra vanitatis.

Bucanus conatur probare suum signum ex Jerem. 23, v. 21, 22, et 23, v. 27, 28, et 27, 15, et 22, 9. — Resp. : Rogamus lectorem, ut non gravetur ipsa loca inspicere, et advertet sibi fumos vendi, nihilque aliud ab illis agi, nisi ut simplicibus, sub prætextu Scripturarum, miserè imponatur. Coringius non credit quemquam Protestantium adeò deliràsse, ut tàm ineptè et stolidè fuerit argumentatus. Sed jam Bucanum nominavimus.

Secundum signum statuunt in donis Spiritûs sancti, et 1° in dono dicendi et docendi; 2° in dono imperterritæ in verâ Dei veri doctrinâ constantiæ, exemplo Isaiæ et Christi, et Apostolorum. Bucanus, loc. 42, § 45; Meisn. loc. cit. Zanch. tom. 4, lib. 1 in 4 præcept. q. 3. — Resp. : Si ideò vobis credendum est, quia ista dona jactatis, erit etiam universis credendum paria dona jactantibus; licebit unicuique loquaci novatori, audaci turbatori, ministerium invadere, et errores suos dicere veritates, temeritatem suam vocare constantiam. Exempla Prophetarum non juvant Protestantes, qui solam habebant vocationem extraordinariam collateralem. Exempla Christi et Apostolorum multò minùs, quia vident ejusmodi jactantiam universis patere hæreticis. Probent se novos Apostolos esse, inquit Tertullianus.

Bucanus pro isto signo allegat Isa. 5, v. 8; Isa. 6, v. 1, 2, 3; Matth. 7, 29; Luc. 4, 18; Luc. 4, 22; Ephes. 3, 3, 4. Quos textus cùm inspiceremus, nihil opus fuit, nisi lectorem monere, ut per ocularem inspectionem admiretur ineptientes.

Tertium signum collocant in successu Reformationis. Bucanus, loc. 42, § 45; Meisnerus, loc. citat. Zanchius, loc. citat. et tom. 8, de Eccl. gubern. cap. 25. — Resp. : Quomodò determinabunt Protestantes, debeatne considerari successus doctrinæ Lutheranæ, an Reformatæ? quomodò determinabunt suum successum majoris esse momenti, quàm olìm fuerit successus Arianorum, Nestorianorum, ac similium, vel hodiè Anabaptistarum et Socinianorum?

Protestantes sequentia citant loca Scripturæ, Jerem. 3, 8, 10, 19; Luc. 21, 16; Rom. 15, 18, 19. Et 2 Cor. 3, 3. Et 2 Cor. 3, 10. Et 1 Thess. 1, 5. Iterùm verò rogamus lectorem, ut inspiciat ea loca; et nisi planè cæcus sit, videbit sibi fucum fieri.

Quartum signum, vel indicium quærunt in prædictione apostolicâ. Meisn. *loc. cit.* Zanch. *loc. citat.* citantque *Apoc.* 11, 3 et 14, 6. — *Resp.* 1° : Ad textum ex Apoc. 11, 3, Lutherus divinitatem Apocalypsis non agnovit, ponens eam dubiam; et discipuli Lutheri suprà magistrum suum sapientes, divinam ejusdem missionem, ex libro sibi, aut saltem præceptori eorum, non divino, conantur evolvere. Dicitur in textu : *Dabo duobus testibus meis, et prophetabunt mille ducentis sexaginta diebus amicti saccis.* Petimus an accipiatis hunc locum litteraliter, an allegoricè? Si allegoricè, non sufficiet vobis ad probandam missionem extraordinariam, qui allegorias à probandis rebus fidei excluditis. Sin litteraliter accipitis, videte ne dilabamini. Loquitur textus de *duobus testibus.* quinam illi duo? Alios nominabunt Lutherani, alios Reformati : utris habebimus fidem? Cur his, præ illis; aut cur illis, præ his? Testes illi prophetabunt *mille ducentis sexaginta diebus :* dicant nobis, quibus id conveniat litteraliter; neque enim illi testes, quorum tempus est determinatum, assument vocationem fundamentalem, sequentibus temporibus durantem. De his dicitur, v. 6 : *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutiendi terram omni plagâ quotiescumque voluerint.* Nùm eam potestatem tribuent Protestantes litteraliter suis patriarchis? De iisdem dicitur, v. 7, quòd occidentur, et v. 8, quòd corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, ubi Dominus eorum occisus est; et v. 9, quòd per tres dies et dimidium videbuntur corpora eorum insepulta ; et v. 11, quòd reviviscent : et v. 12, quòd ascenderunt in cœlum in nube, etc. Nùm hæc omnia conveniunt litteraliter Protestantium patriarchis? — *Resp.* 2° : Lutherani, qui unum ex illis testibus nominant Lutherum, quem nominabunt secundum? Nùm fortè Melanchtonem? Cur hunc præ Joanne Hus? Si Joannem nominent, quo fundamento? Cur non potiùs nominant Joannem, cum Hieronymo Pragensi, qui simul vixerunt? quidlibet enim illis licet. Reformati Calvinum nominant, nescimus an Zwinglium constanter adjungant; interìm videntur illudere Deo et hominibus; Deo quidem, quasi excitàsset duos prophetas, quorum unus alterum pessimæ hæreseos condemnaret; hominibus verò, quasi istis nugis adhiberent fidem. Profectò, qui talia afferunt, videntur antiquas fabulas renovare, ut hi Lutherum, illi Zwinglium, aut Calvinum, Deucalionem orbis constituant. — *Resp.* 3° : Cur alter testium non erit Elias? (Vide S. August. lib. 20 de Civit. Dei, cap. 29). Cur alter non erit Enoch? Vide Andr. Episc. Cæsar, in Apoc. cap. 30. — *Resp.* 4° : De textu Apoc. 14, 6, sic loquitur Crocius : « Per primum Angelum aliquibus « intelligitur Joannes Wiclefus, qui anno 1371 in « Angliâ adversùs Antichristum concionibus et scri-

« ptis detonare cœpit, cui ex intervallo non magno « successerunt in Bohemiâ Joann. Hus et Hieron. « Pragensis. Secundus Angelus illis designat Luthe- « rum et ejus parastatas in Germaniâ, Zwinglium et « Œcolampadium in Helvetiâ. Tertius reliquos do- « ctores, qui ubique præconium secundi Angeli contrà « Antichristum hactenùs continuârunt, et deinceps « continuabunt. » Sufficit has nugas retulisse.

Sectio xvii. — *De provocatione Protestantium ad doctrinæ puritatem.*

Bucanus dicit Christum interrogatum de suâ potestate et missione noluisse respondere, Matt. 21, 25, ideòque nec Reformatos teneri. Nam, inquit, « Anti- « christiani, cùm doctrinam Evangelii a nostris in- « stauratam convincere falsitatis nequeant, percunc- « tantur de nostrâ vocatione; exemplo Christi, sunt « à nobis ad ipsam Christi et Apostolorum doctrinam « relegandi. » *Resp.* 1° : Christum noluisse respondere, non dicit Evangelium. 2° Imò Christum adduxisse responsionem, habet Evangelium. 3° Christum relegâsse petentes de missione suâ, ad doctrinam suam et Apostolorum, rursùs non dicit Evangelium. 4° Sed numquid videtur Christus interrogando respondisse? *Baptismus Joannis undè erat? è cœlo, an ex hominibus?* Si enim prius dixissent, jam probata erat missio; quia Joannes præclarum Christo testimonium perhibuerat : posterius autem dicere non poterant. 5° Etiamsi Christus non respondisset, quid indè? habebat testimonium de cœlo loquentis, habebat miracula, quæ fidem faciebant. Quod testimonium, quæ miracula habebant primi Reformatores?

Urget Bucanus se cum Christo petere : *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Resp. 1° : Quid hoc ad missionem Protestantium, in quâ non veritatem, sed absurda, et contradictoria proferunt. 2° Christus immediatè antè dixerat : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* An idem dicent Protestantes, qui meritò arguuntur ob usurpatum ministerium, ut nunc de aliis taceamus? Peccatori autem dixit Deus : Quarè tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? 2°, cur non liceat petere cum Apostolo : *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*

Sequitur, ut Crocium audiamus, mira proferentem : « Non obtinent magis adversùs nos, quàm Pharisæi « adversùs Joannem et Christum. Eamdem profitemur « doctrinam. Eam, quamdiù tenemus, frustrà suggil- « lant nostram vocationem. » Addit : « Præconis qui- « dem rebus omninò necessarium est, ut habeat vo- « cationem legitimam. Verùm populi salus in eo « minimè periclitatur, si fortè non satis constet de « ministri vocatione legitimâ, modò recta doceat. « Sicut ægri salus non periclitatur ex eo quòd nescit « undè medicus venerit, et an volente magistratu me- « dicinam faciat, modò demonstret se leges artis te- « nere in curando. Non enim populus, sed doctor de « vocatione suâ reddet rationem olìm in judicio. » — Resp. 1°, sepositâ tantisper quæstione doctrinæ, non frustrà in vocationem Protestantium nos inquirere, res ipsa testatur. Si ministrorum rebus necessarium est, ut habeant vocationem legitimam, redditurì alioquin rationem usurpati ministerii olìm in judicio; nùm ægrè feret Crocius, si ministrorum malè constitutis rebus pro virili consulamus? eosdemque moneamus de usurpato ministerio, de recogitando extremo judicio? Nùm frustrà apud Protestantes moneantur ministri, utiliter subditi? — Resp. 2°, juxtà Disciplinam Gallicam : Baptismus collatus à non habente vocationem, vel commissionem, est nullus. An dicent Reformati non interesse populi, non periclitari ullius salutem, si fortè non satis constet de ministri vocatione legitimâ, et fortè sine vocatione et commissione baptizantis? Præcepit Christus adultis communionem SS. Eucharistiæ, Reformatis non diffitentibus; Eucharistia autem à ministris non vocatis administrata, non est Eucharistia, non Sacramentum. Quomodò igitur satisfaciet populus præcepto Christi de sumendâ SS. Eucharistiâ, si ipsi sit dubium de ministrorum suorum legitimâ vocatione? An nullius salus periclitatur, etiamsi populo non satis constet, an satisfaciat præcepto Christi? — Resp. 3°, iniqua est comparatio medici et ministri; nam quàmvis in medico possint concurrere scientia et auctoritas, operatio tamen ejus non habet effectum ex auctoritate, sed ex scientiâ. In ministro autem, quamvis ejus operationes supponant aliquam notitiam, non tamen habent effectum, v. g., in administratione Eucharistiæ, nisi ex auctoritate per ordinationem acceptâ; et, secundùm Reformatos, idem statuendum est de administratione Baptismi.

Petit Crocius : « Quid eos juvat, si demonstrent « in nobis vitium vocationis? Nec ideò ipsorum do- « ctrina vera, nec nostra falsa. Causa bona malè po- « test agi, teste Apostolo, Philip. 1, 16, 17, 18. Non « autem si indebitus modus agendi ab aliquo teneatur, « mox causa est mala. Hæreat vitium in nostrâ voca- « tione, non ideò doctrina papistica est Christi, nostra « diaboli. Doctrina nostra si convincatur esse à diabolo, « nos causâ cadimus; donec convincatur, non cadimus, « quidquid tandem vitii hæreat in nostrâ vocatione. At « que hìc peteramus pedem figere. » Resp. 1° : Vide igitur, quàm levi et volatili arenâ pes ille figeretur. Necesse est ut hæc tua sit conclusio, si tamen aliquid concludas : *Frustrà à Catholicis impugnari Reformatorum vocationem.* Illam autem conclusionem non obtines; quod probamus. Si defectus quos arguimus in Reformatorum vocatione, sunt veri (quemadmodùm ostendimus esse tales), Ecclesia Reformata non est Ecclesia vera. Probatur sequela : Si in Ecclesiâ Reformatâ non sint legitimi ministri, non est Ecclesia vera; sed si defectus quos arguimus in vocatione Reformatorum, sunt veri, non sunt in Ecclesiâ Reformatâ legitimi ministri. Ergò non est vera Ecclesia. Sequela majoris est manifesta; nam Ecclesia constituitur ex ministris et subditis, quorum altero deficiente, deficit Ecclesia. Legitimi ministri, fatentibus Reformatis, ingrediuntur definitionem veræ Ecclesiæ, cui proindè non competit definitio, nec competit definitum; neque potest esse

vera Ecclesia, cui desunt legitimi ministri. Ergò ex defectu legitimæ vocationis, rectè probamus Ecclesiam Reformatam non esse veram Ecclesiam. Ergò non frustrà impugnatur à nobis Reformatorum vocatio; quæ est conclusio contradictoria ejus quam Crocius habet probandam. — Resp. 2° : Si defectus quos arguimus in vocatione Reformatorum, sunt veri, Ecclesia Reformata nec habet verum baptismum, nec veram Eucharistiam; de quo in antecedentibus dictum. Atqui illa non est Ecclesia vera, quæ nec verum Baptismum habet, nec veram Eucharistiam. Consequenter, ex defectu legitimæ vocationis, rectè probamus Ecclesiam Reformatam non esse veram Ecclesiam. Ergò non frustrà impugnatur à nobis Reformatorum vocatio. — Resp. 3° : Petit Crocius : « Quid eos juvat, si in nobis demonstrent vitium vocationis? » Hoc juvat, quòd eo ipso demonstremus apud vos nec veram Ecclesiam esse, nec vera Sacramenta. Juvat quemlibet Christianum, si in proximo ignota mentis detegat vulnera; ne contractâ putredine, animam interimant secundâ morte, omni curâ et sollicitudine cavendâ. Sed, inquit, « non ideò ipsorum doctrina vera, nec nostra falsa. » Agnoscimus à vocatione non dependere veritatem aut falsitatem cujuscumque doctrinæ; ostendimus autem quid à vocatione dependeat. Rectè dicit : « Causa bona malè agi potest, teste Apostolo. » Quis enim dubitat? Addit : « Non si indebitus modus agendi ab aliquo teneatur, mox « causa est mala. » Non quilibet indebitus modus agendi, arguit causam esse malam, sed defectus vocationis arguit Ecclesiam non esse veram; arguit congregationem schismaticam, apostaticam, vel tumultuantium, legitimis Sacramentis destitutam. Dicit : « Hæreat « vitium in nostrâ vocatione, non ideò doctrina papi- « stica est Christi, nostra diaboli. » Ex defectu vocationis, non concludimus affirmativè pro nostrâ doctrinâ, pro nostrâ Ecclesiâ, vel pro validitate nostrorum Sacramentorum; nisi aliud addatur, et supposita aliqua Ecclesia, reliquis de nullitate vocationis legitimè convictis, una solaque remaneat. Neque ex defectu vocationis concludimus falsitatem cujuscumque doctrinæ, sed doctrinæ vestræ de Ecclesiâ, quandò asseritis Ecclesiam Reformatam esse Ecclesiam Jesu Christi; sed ex eodem defectu concludimus nullitatem Sacramentorum vestrorum, juxtà præmissas probationes. Quo proposito, vos ipsi dispicite, cujusnam sit : « Doctrina « nostra si convincatur esse à diabolo, nos causâ ca- « dimus; donec convincatur, non cadimus, quidquid « tandem vitii hæreat in vocatione. » Si illud vitii hæreat in vestrâ vocatione, quod ostendimus hærere; jam eo ipso convicti estis, nec veram apud vos esse Ecclesiam, nec vera Sacramenta : nec tamen credit Crocius se causâ cadere, quidquid vitii hæreat in vocatione.

Quia nihil communius in hâc causâ auditur à Protestantibus, quàm provocatio ad puritatem doctrinæ; libet et Zanchium producere dicentem : « Joannes, « in Epist. 2, assignans veram differentiam verorum « et falsorum ministrorum, an à Deo sint necne, et « ideò an audiendi sint, necne audiendi, doctrinæ, « non autem personarum successionem in medium « attulit, dicendo : *Si quis veniat ad vos* (nempè vel « ordinariè per homines missus ac ordinatus, vel « extrà ordinem) *non habens tamen doctrinam hanc,* « *nolite eum recipere*; quasi dicat à contrario : si verò « habeat doctrinam illam, recipite, et audite eum. » — Resp. 1° : Undè probatur eo loco agi de differentiâ verorum et falsorum ministrorum, et non potiùs in genere de impostoribus, sive illi missionem prætexerint, sive non? 2° Demus agi de veris falsisque ministris; hæc erit sententia Apostoli, ministrum, sive verum, sive falsum, qui veram doctrinam non adfert, non esse recipiendum. An indè sequitur ministrum, sive verum, sive falsum, modò veram doctrinam adferat, esse recipiendum? ne quidem vos ipsi hoc docetis, uti in præcedentibus est ostensum. — Itaque committit Zanchius fallaciam consequentis; ac si diceret sophista : Quodcumque non est animal, non est homo; ergò quodcumque est animal, est homo. Non enim hoc ex illo sequitur, cùm plus requiratur ad esse hominem, quàm ad esse animal; sicut plus requiritur ut aliquis recipiatur tanquàm minister veræ Ecclesiæ, quàm ut adferat veram doctrinam.

Addunt aliqui se cum Tertulliano dicere : *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* consequenter non esse inquirendum de missione, sed de fide. Resp. 1° : Tertullianus ibi agit de lapsis, docetque ex eorum casu non esse concludendum contrà Ecclesiam catholicam. 2° Ex fide probamus personas, quandò de missione per fidem christianam ordinatâ, inquirimus.

Sectio xviii. — *De provocatione Protestantium ad ordinationem populi, etc.*

Bucanus, quærens quæ fuerit prima Reformatorum vocatio, dicit eam fuisse ordinariam et extraordinariam ex constitutis regulis et signis. Addit verò : « Et « quia fuerunt à suis populis et gregibus, et legitimis « magistratibus agniti et ordinati legitimi pastores. » Ità triplicem videtur in illis ponere vocationem, ordinariam, ab Ecclesiâ romanâ; extraordinariam, immediatè à Deo; et illam, quæ à populis et magistratibus obtinetur. Hanc autem referatne ad ordinariam, vel extraordinariam, judicet lector. — Sed undè docebunt Reformati populum et magistratum habere potestatem ordinandi legitimos pastores? Novimus à populo selectos diaconos, quos Apostolis offerrent ordinandos. Novimus Joseph et Matthiam à populo esse propositos. Ignoramus à populo diaconos legitimè ordinatos, Matthiam missum. Vid. S. Chrysost. hom. 3 in Act. — Legimus diaconos esse ordinatos per manuum impositionem; cujus et Paulus Apostolus meminit. Legimus presbyteros à Tito esse constitutos. Nullibi verò legimus Ecclesiæ ministros à populis et legitimis magistratibus esse ordinatos, aut rectè posse ordinari. Exhibeant nobis, vel concessionem istius potestatis magistratibus et populo competentis; vel doceant de exemplo per Scripturas divinas; qui monent ut sine Scripturis non credamus.

Illud mirandum Reformatos in hâc materiâ nescire consequenter loqui. Ipsi docent : « Quòd prædicans « intrudens seipsum, etiamsi approbatus fuerit à po- « pulo, non poterit approbari per prædicantes vici- « nos. » Vel igitur potestas ordinandi competit populo, et magistratui conjunctìm, vel divisìm. Si conjunctìm, vel requiritur ut legitimus magistratus sit fidelis, vel sufficit infidelis. Infideli magistratui competere potestatem ordinandi cum populo fideli, non dicetis. Necesse igitur est ut sit fidelis. Ergò tempore Apostolorum nulla est facta ordinatio ministri ecclesiastici per populum et magistratum ; quòd tunc nullus magistratus legitimus fuerit fidelis in toto imperio romano. Rursùs : Si conjunctìm magistratui et populo tribuenda est potestas ordinandi, ea erit æqualis apud omnem civitatem, et quemcumque pagum, legitimo magistratu non destitutum. Quandò igitur gratiam populi et magistratûs quis obtinuerit, poterit ab his agnosci et ordinari, irritâ prioris pastoris ordinatione. An hâc ratione quibuslibet turbulentis aperiatur via, ipsimet judicate. Sin autem divisìm magistratui et populo competit potestas ordinandi, cujusnam prævalebit ordinatio, si âlium populus, alium magistratus ordinaverit? Si magistratus fuerit infidelis, vel fidelis existens, nolit quemquam ordinare, licebit populo prædicantem pro libitu ordinare, nec indigebit approbatione vicinorum prædicantium. Quomodò hæc consistunt cum allegato decreto Disciplinæ Gallicæ? — Accedit, quòd SS. Patres ab initio Ecclesiæ arguerunt in hæreticis defectum missionis; qui tamen habebant has, aut illas nationes sequentes.

Rectè vester Zanchius : « Qui irrumpunt absque « legitimâ vocatione, non sunt digni nomine ministro- « rum, sed insidiatores sunt, et lupi vocantur à Chri- « sto. » Cùmque hucusque non doceatis de legitimâ vocatione primorum Reformatorum, dicimus cum S. Augustino : *Quemnam testem vobis* (Manichæus, Zwinglius, etc.) *sui apostolatûs adduxit?* lib. 4 contr. Faust. cap. 4.

Sectio xix. — *De provocatione Protestantium ad officium fidelium.*

Dicunt alicui : Etsi pastores non essemus, incumberet tamen nobis, prout omnibus fidelibus, officium institutionis, pro modulo gratiæ à Deo acceptæ. — Resp. Si per officium institutionis intelligunt monitionem, Rom. 15, 14, correptionem aliquam inquietorum, 1 Thess. 5, 14, conversionem peccatoris ab errore viæ suæ, Jacob 5, 20. nihil contradicimus. Sin autem omnibus fidelibus competere velint regimen Ecclesiæ et munus pastorale, et sibi et veritati faciunt injuriam ; sibi quidem, cùm propriam doctrinam destruunt : veritati autem, quia Apostolus in contrarium est. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.*

Proponit Scheiblerus, etiam laicos esse audiendos, quia etiam laicis dictum est, ut caveant falsos Prophetas. — Resp. : Indè non sequitur laicos teneri ad audiendos falsos Prophetas, quos melius fugiendo cavent, quàm audiendo. Similiter id non sequitur ex mandato apostolico, de omnibus audiendis, et, quæ bona sunt, retinendis. Quomodò enim probatur eo mandato teneri unumquemque particularem fidelem, et non potiùs id esse eorum munus, qui Ecclesiæ præsunt? Concedimus probandos esse spiritus si ex Deo sint. Sed cujus id erit? Nùm uniuscujusque particularis fidelis? Hoc non probatur. Et quamvis id certo modo concederetur, facillimum tamen foret, testante Scripturâ : *Qui novit Deum, audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris*, 1 Joan. 4, 6. Hâc ratione probantur spiritus falsorum Prophetarum, etiamsi doctrinam eorum non audiant fideles. Lutherus, Scheiblerus, etc., non audiunt superiores Ecclesiæ, quibus debent subesse; ergò habent spiritum erroris, ergò eorum spiritus non est ex Deo.

Iterùm dicet Scheiblerus unicuique reddendam esse rationem fidei nostræ, etiam à laicis, 1 Petr. 3, 15. — Resp. Indè non sequitur audiendam esse doctrinam cujuscumque falsi prophetæ : potest enim fidelis etiam falso Prophetæ reddere rationem fidei suæ, dicendo quid credat, cui credat, cur credat; licèt non audiat doctrinam falsi Prophetæ. Tenetur ergò fidelis reddere rationem perfidiæ alienæ. Falsos Prophetas declinando tutissimè cavet particularis fidelis, et juxta Scripturam, nec *Ave* ipsis dicit, qui veritatem Ecclesiæ novis dogmatibus, pacem nefario schismate perturbant. Indè et superiores Ecclesiæ, missionem examinantes, laudantur in Angelo Ephesi : *Tentâsti eos, qui se dicunt apostolos esse, et non sunt; et invenisti eos mendaces*, Apoc. 2, 2.

Sectio xx. — *De provocatione Protestantium ad exempla.*

Dicunt, indè ab initio Prophetas non fuisse admissos, et id patere ex Michæâ, cui maximè contradictum est. — Resp. : Indè non probatur quemlibet admittendum esse, qui se dicit esse Prophetam, vel extraordinariè missum. Hinc Bucanus quærit : « Quid si extraordi- « nariam vocationem ex unius Dei intrinseco afflatu « profectam, aliquis jactet, an protinùs erit audiendus? » et respondet : « Non ; sed ut veram et legitimam « ab adulterinâ discernamus, tres observandæ regulæ : « una, ut ei demùm ibi sit locus, ubi nullus est legi- « timæ ordinariæ vocationis usus, quem ejusmodi « quispiam doctor contempsisse videri possit ; altera, « ut probetur ejusmodi hominis spiritus, priusquàm « admittatur, id est, tùm ejus doctrina ad verbi Dei « normam, quoad ejus fieri potest, exigatur, etc. ; « tertia, ut sic probati ab Ecclesiâ, cujus ipsi funda- « menta jecerint, legitimè ordinentur. » Ergò exemplum Michææ, et contradictio, quæ ipsi obtigit, malè allegatur ad stabiliendam primorum Reformatorum vocationem extraordinariam.

Consideret lector regulas Bucani, undè veram et legitimam vocationem, ex unius Dei intrinseco afflatu profectam discernendam tradit ab adulterinâ. Prima vult nullum esse legitimæ ordinariæ vocationis usum. Quis de eo judicabit? Num quilibet christianus? At quid, si alii asserant legitimum superesse usum, alii

dicant nullum reperiri? Eritne credendum affirmantibus, vel negantibus? Si negantibus licet suæ opinioni inhærere, dictamen conscientiæ suæ jactantibus, et ipsi suo judicabunt periculo non modico, et occasionem præbebunt quibuslibet inquietis, constitutum à Christo et Apostolis Ecclesiæ ordinem, quotiescumque libuerit, perturbandi. Licebit et Anabaptistis judicare nullum apud vos esse ordinariæ vocationis usum, suosque ministros ex intrinseco unius Dei afflatu vocatos credere. Si id Anabaptistis non licet, cur licet Reformatis?— Altera regula vult hujusmodi hominis doctrinam et mores explorari. At verò quis explorabit? Nùm quilibet christianus? Alii judicabunt doctrinam verbo Dei conformem, alii difformem. Eritne standum affirmantibus, an negantibus? Si affirmantibus licet suæ opinioni inhærere, dictamen conscientiæ suæ jactantibus, licebit Anabaptistis judicare doctrinam magistrorum suorum esse ex verbo Dei petitam, adeòque illos arcano Dei afflatu esse vocatos. Si id Anabaptistis non licet, undè Reformatis? —Tertia regula vult ejusmodi hominem, sic probatum, ab Ecclesiâ, cujus ipse fundamenta jecerit, legitimè ordinari. Sic dicent Anabaptistæ, dicent quilibet hæretici et schismatici, suos magistros prædicto modo esse probatos ab Ecclesiâ, cujus ipsi fundamenta jecerint. Adeòque universi et singuli erunt habendi, ex unius Dei intrinseco afflatu legitimè vocati. Vel si id de universis et singulis non est dicendum, cur de Reformatis, nisi quòd sese, omnium aliorum exemplo, venditent orbis terrarum judices, à quorum arbitrio dependeat quid sanctum sit, quid profanum?—Quoad ordinationem, aliqui hæretici et schismatici dicent cum Reformatis, suos magistros esse ab Ecclesiâ, cujus ipsi fundamenta jecerint, legitimè ordinatos, proindèque nihil ipsis deesse, cur non censeantur vocati unius Dei intrinseco afflatu juxtà regulas Bucani. Alii verò hæretici et schismatici dicent à Bucano sibi fucum fieri, qui hominum, et quidem laicorum ordinationem requirat, post Dei extraordinariam vocationem, et hoc post, et per collectam Ecclesiam; quasi merè laicis (contrà doctrinam Reformatorum) competeret facultas ordinandi ministrum Ecclesiæ; dicent ridiculè eum in finem allegari textus 1 Tim. 6, 3, 4, 5, et 2 Tim. 3, 6, et 2 Petr. 2, 14, Judæ 1.

Sed iterùm audiendus est Bucanus : petit : « Anne « cessante ordinariâ vocatione, quivis Christianus in « sacris litteris versatus, et falsam doctrinam impug- « nare, et veram asserere debet, et eo nomine sugge- « stum ascendere potest? » Et respondet : « Absit; « hoc enim esset aperire ostium cuivis, ubivis, qui se « sapientem existimaret, corruptæ seu vero, seu falso « doctrinæ impugnandæ prætextu, ad clandestinos « conventus habendos; quod factitare solent Ana- « baptistæ et Libertini, pessimum illorum exemplum « secuti, qui Antiochæ primùm, ac deinceps in Galatiâ « et alibi clàm irrepentes, tantos ediderunt tumultus, « Act. 15, 14. »

Hæc responsio, uti est vera et Scripturæ conformis, ità ostendit Bucani regulas, pro discernendâ legitimâ vocatione, ex intrinseco Dei afflatu, ab adulterinâ, non subsistere. Nam prima regula de defectu ordinariæ vocationis hìc supponitur. Alteri facilè satisfit à christiano in sacris litteris versato, siquidem mores ejus multitudini probentur; quid enim omni hæretico facilius, quàm invenire adhærentes, qui judicent doctrinam ejus verbo Dei conformem? Tertia nullam difficultatem habet; erit enim sic probatus ab Ecclesiâ, cujus ipse fundamenta jecerit, et ab eâ (si volet) legitimè ordinabitur. Sic idem ille christianus, juxtà regulas Bucani, habendus erit unius Dei intrinseco afflatu vocatus, et legitimus minister Ecclesiæ; et tamen eidem, juxtà posteriorem Bucani responsionem, non licebit suggestum conscendere. Ex quo constat non quaslibet contradictiones adversùs assumptam à Protestantibus vocationem, esse contemnendas, quàmvis Prophetarum vocationi immeritò sit contradictum.

Scheiblerus dicit Jeremiam Prophetam reprehendisse sacerdotes, licèt ipse esset sacerdos, nec propterea amisisse missionem, et sic egisse Lutherum.—Resp. : Jeremias non recessit ab unitate fidei et charitatis; imò cum sacerdotibus ejus temporis habuit communem Dei cultum. Neque probatur omnes sacerdotes ejus temporis à vero Dei cultu aberrâsse, quàmvis multi peccaverint, et fuerint reprehensibiles. Hoc autem quid prodest Luthero, fidei unitatem deserenti, charitatis unitatem dilaceranti? Jeremias extraordinario modo fuit à Deo vocatus : idemne de suo Luthero probârunt Lutherani?

Alii objiciunt quòd etiam Donatistæ tergiversando petiverint, quis Augustinum ordinâsset, eodemque modo nunc Pontificios procedere.—Resp. : 1° Donatistæ volebant invalidam esse ordinationem à malo factam : an idem volunt Protestantes, aut Catholici? 2° Donatistæ agebant tergiversando contrà unum episcopum : nos agimus contrà omnes omninò ministros Protestantes. 3° S. Augustinus respondit petentibus : vos, more Donatistarum, tergiversando quæstionem fugitis.

SECTIO XXI. — *De vocatione in casu necessitatis.*

Docet Crocius : « Si presbyterium aliquo casu in « loco inaccesso pereat, Ecclesia potest, præviâ Dei « invocatione, ministrum eligere, qui munere pasto- « rali fungatur, donec aliundè presbyteri accedant, « qui eum ordinent. » Fatetur autem in sequentibus, ibid. n° 5, « quòd nulli ministri sint consecrati à laicis « in Ecclesiâ catholicâ; » additque : « Nobis ea mens « nunquàm fuit. Nunquàm diximus à merè laicis con- « secratos esse; nemo, quod sciam, dixit à solis pre- « sbyteris regentibus, quos laicos seniores vocant. » Resp. : Ad hunc locum primò notanda est inadvertentia Crocii, nescientis quemquam ex Reformatis asseruisse à merè laicis consecratos esse Ecclesiæ ministros, cùm tamen Bucanus asserat primos Reformatores à populis et magistratibus ordinatos esse legitimos pastores.—Deindè consideranda Reformatorum doctrina : *Sacramentorum administratio non minùs pastoribus est propria, quàm verbi Dei prædicatio.* Sacramentorum administrationem sic propriam dicunt

pastoribus, ut baptismus, sine vocatione aut commissione administratus, sit nullus; idem omninò dicendum de Sacramento SS. Eucharistiæ. Ponamus igitur cum Crocio, presbyterium aliquo casu in loco inaccesso perire : si Ecclesia, prævià Dei invocatione, potest ministrum eligere, qui citrà ordinationem munere pastorali fungatur, erunt sacramenta valida, quæ talis minister administrabit; frustrà cæteroquin eligendus, si valida non administraret sacramenta. Ergò malè docet Disciplina Gallica baptismum administratum sine vocatione aut commissione, esse nullum; talis enim minister, sine vocatione aut commissione, validè administrat, expectans ordinationem à presbyteris; malè docet Synopsis sacramentorum administrationem pastoribus esse propriam. — Accedit, si talis à populo electus validè administrat sacramenta, cur ejus potestas non durat, nisi donec aliundè presbyteri accedant, qui eum ordinent? Ubi fundamentum in S. Scripturâ, vel in antiquitate? Quis unquàm audivit legitimè constitutum Ecclesiæ ministrum, novâ indigere ordinatione? Figmenta ea sunt perversæ novitatis. — Neque dicant necessitatem in loco inaccesso constitutis patrocinari. Nec enim adfert patrocinium ulla necessitas, ut valida sint sacramenta, quæ ex naturâ rei sunt invalida. Vid. Petr. Mart. Loc. comm. Class. 4, cap. 2, n. 8.

Florimundus Remundus retulit, initio prætensæ Reformationis, multos prædicâsse, et sacramenta administrâsse sine ullâ ordinatione; qui tamen successoribus suis ordinationem impertiti sunt, quam non habebant. De iisdem dicit Synopsis pur. theol. : « Si « aliqui in principio Reformationis, absque prævià « certæ cujusdam Ecclesiæ vocatione, Evangelium « Christi plebi ipsi reclamanti annuntiârunt, illi eodem « spiritu ad illud opus ministerii acti fuerunt, quo « olìm Apollo, Cyprii et Cyrenii, qui olìm in Judæorum « synagogis et coràm gentilibus mysteria Jesu Christi « prædicâsse dicuntur, Act. 11 et 18, tametsi aut à « Judæis, aut à gentilibus, aut ab Apostolis, aut ab « Evangelistis ad illud munus fuisse ordinatos nusquàm legatur. » — Resp. : At verò disputaverit Apollo, et eloquentiam suam Jesu Christo, fervens Spiritu, impenderit; non ideò erexit Ecclesias, non ideò administravit sacramenta, episcopis et presbyteris propria, nisi præviè ordinatus et missus. Ex Cypriis et Cyreniis, Antiochiæ Christum annuntiantibus, nullos fuisse ordinatos missos, non dicit Scriptura divina. Instruere errantes, illisque viam Domini aperire, privatis omninò licet. Sed illi, quod constat, non habuerunt ministerium antè adventum Barnabæ, non crexerunt Ecclesias, non assumpserunt cathedram, non administrârunt sacramenta; de quibus sola, totaque est quæstio. — Eadem est ratio de dispersis fidelibus ob persecutionem Jerosolymitanam, qui leguntur evangelizâsse pertranseuntes. Philippus etiam baptizavit, ut diaconus. Ut autem Samariæ erigeretur perfecta Ecclesia, iverunt Petrus et Joannes. Nam Ecclesiasticum corpus formare, doctrinâ et disciplinâ regere, et administrare omnia sacramenta sine ordinatione, inauditum est; et vos contrarium docetis in synodo nat. Dordrecht. 1574, art. 8 et 11.

Aliud exemplum adfert Synopsis : « Origenes alicui, « in urbe in quâ nullus est christianus, evangelizanti « contingere posse asseverat, ut postmodùm communi « auditorum, quos ad Christum convertit, suffragio « episcopus ordinetur. » Hom. 11 in 18 Num.—Resp. : Verba Origenis hæc sunt : « Consideremus ne fortè « sicut in aliquâ (verbi gratiâ) civitate, ubi nondùm « christiani nati sunt, si accedat aliquis, et docere incipiat, laboret, instruat, adducat ad fidem, et ipse « postmodùm iis, quos docuit, princeps et episcopus « fiat, etc. » Talem posse episcopum fieri, nemo dubitat; sed fide non bonâ Synopsis Origeni tribuit, quasi posset contingere ut talis *communi auditorum, quos ad Christum convertit, suffragio episcopus ordinetur.*

SECTIO XXII. *Expenduntur sententiæ Protestantium.*

Constat ex dictis, vocationem extraordinariam apud Calvinistas pro articulo fidei in publicâ Confessione haberi, à Calvino, et à prioribus prætensis Reformatoribus fuisse defensam, à Luthero jactatam. Extraordinariam autem illam vocationem, quomodò conentur probare, vidimus; sed cum dolore observavimus, ejusmodi esse probationes quæ magis videntur ad ludendum in re seriâ, quàm ad asserendum institutæ. Quis judex non reprehenderet procuratorem, si temerè suscipiat alienæ causæ patrocinium, cui procurator non deest? Quis princeps admittet legatum, nisi credentialibus litteris à mittente instructum (1)? Primi Reformatores voluerunt haberi procuratores Dei in curandâ Ecclesiâ, legati Christi ad fideles missi, extrà ordinem divinitùs excitati. Ubi mandatum, ubi litteræ credentiales? Non urgemus miracula, tanquàm sigilla Dei; probent quâcumque ratione, sed sufficienti, primos Reformatores esse extraordinariè missos. Determinent ipsi ex Scripturâ quid sufficiat ad probandam missionem extraordinariam; quodcumque Scriptura pronuntiaverit, nobis ratum fixumque erit.

Quoad ordinariam vocationem, audivimus quæ dicant Protestantes, non tantùm à veritate, sed etiam ab omni rectâ ratione aliena; ut quæ nec inter se cohærent, nec initium, nec exitum inveniunt. — Itaque Protestantium alii statuunt 1° vocationem extraordinariam; 2° alii partìm ordinariam, partìm extraordinariam; 3° alii verò ordinariam; 4° alii ordinationem magistratuum et populorum; 5° alii vocationem in casu necessitatis, quæ tamen sit radix et fundamentum novæ vocationis; 6° alii volunt omnes Christianos habere jus sacerdotale in semetipsis. Nullam verò habent Protestantes sententiam de vocatione toti Ecclesiæ suæ communem. — Optaremus proinde intelligere ex Protestantibus, quomodò certi sint de validitate sui ministerii, postquàm communi sententiâ partis suæ nequeunt esse certi, sive de solâ vocatione extraordinariâ, sive de vocatione partìm ordinariâ, partìm extraordinariâ, sive de solâ vocatione ordinariâ, sive de ordinatione magistratuum et populorum, sive de voca-

(1) L. *si quis.* 1, c. *de mandat. princ.*

tione necessitatis, sive de paradoxo sacerdotii laicalis. Si causa agitur Ecclesiæ catholicæ contrà partem Protestantium, uti reverà agitur, hoc ipso eversum totum est illorum ministerium, quòd nulla pars habeat communem sententiam super validitate sui ministerii; consequenter nesciunt an unquàm à suis ministris sint validè absoluti à peccatis; nesciunt an unquàm acceperint corpus et sanguinem Domini in suâ cœnâ. Hoc autem quantum sit malum, judicent ipsi Protestantes, qui salutis suæ æternæ curam habent.

Sectio xxiii. — *Declaratur necessitas missionis.*

Quia nonnulla Protestantium effugia hoc agunt, ut tollatur missionis necessitas, consultum erit eamdem breviter stabilire, tùm ut cavillationibus obvietur, tùm ut Arminianorum, ab Anabaptistis et Socinianis mutuata sententia, missionis necessitatem destruens, convellatur. Ità enim apertè Huttenus: « Rotundè « dico, nos non indigere missione, nec venditare mis« sionem; ministerium tamen nostrum, et vocationem « esse christianam. » Et posteà: « Non indigemus « missione, ideòque nec volumus. »

Concilium Tridentinum ità statuit, sess. 23: « Si « quis dixerit eos qui nec ab ecclesiasticâ et canonicâ « potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliundè « veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum mi« nistros, anathema sit. »

Necessitatem missionis probamus 1° ex testimonio apostolico: *Quomodò prædicabunt nisi mittantur?* Rom. 10, 15.

Dicit Huttenus 1° requiri missionem in Apostolis, quia quasi novam doctrinam erant annuntiaturi. Resp 1°: Illa causa non legitur in textu, sed textui infertur. 2° Etiamsi ob doctrinæ novitatem requireretur missio, non tamen ideo cessaret esse absolutè necessaria. Vid. Syn. pur. Theol. disp. 42, thes. 10. — Dicit Huttenus 2°, interrogationem S. Pauli ostendere nullo modo posse fieri talem prædicationem sine missione; et probat ex præcedentibus, quia nulla potest fieri invocatio Dei sine fide, nulla fides sine auditu, nullus auditus sine prædicante. Resp. Non vult absolutè Apostolus nullam invocationem Deum posse fieri sine fide; videmus enim hæreticos invocare Christum et Deum; sed vult nullam invocationem salutarem posse fieri sine fide. 2° Ità non absolutè vult Apostolus nullam dari fidem sine auditu, sive neminem credere sine prædicante, cum ipse ex peculiari revelatione crediderit sine prædicante, sed vult fidem salutarem, juxtà ordinariam Dei legem, non obtineri sine prædicante. 3° Sequitur: *Quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* Non voles absolutè impossibilem esse prædicationem sine missione, sed prædicationem salutiferam, quæ constituit Ecclesias Christo, quæque homines ducit ad salutiferam fidem et invocationem, sine missione fieri non posse. Nam et Ariani, v. g., prædicarunt Christum, et omnes schismatici prædicant Christum; verùm quia extrà Ecclesiam sine legitimâ missione prædicant, non est eorum prædicatio constitutiva Ecclesiarum, nec per se salutifera. 4° Ipse Huttenus contendit factam esse prædicationem sine missione Judæis et gentibus; quomodò igitur posteà asserit Apostolorum agere de tali prædicatione, quæ sine missione erat impossibilis? *Mentita est iniquitas sibi.*

Necessitatem missionis probamus 2° ex Apostolico edicto: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquàm Aaron*, Hebr. 5, 4.

Dicit Huttenus ibi tantùm agi de summo sacerdote veteris Testamenti, adeòque esse argumentum à specie ad speciem. Resp. 1°: Sit verum, agi de summo sacerdote veteris Testamenti, Hebr. 5, 1, modò simul agnoscatur de pontifice agi non se ingerente, sed assumpto à Deo. 2° Postquàm in particulari egit Apostolus, v. 1, 2, 3, ut transeat ad Christum, ponit generale dogma, *Nec quisquam*, etc. Ac deindè pergit in ostendendâ vocatione Christi, et cæteris officiis pontificiis, Christo competentibus, et à Christo exercitis. Non est ergò argumentum à specie ad speciem; sed est universalis propositio, cujus limitationem non probant Arminiani. Verba etiam statuti, negativè prolata, denotant necessitatem præcisam. Mars. tom. 1, cons. 39, n. 38. — Itaque Deus dat Ecclesiæ suæ pastores usque ad finem mundi, vel per seipsum immediatè, et sine præviâ successione, vel mediantibus hominibus ad hoc constitutis. Invasores ministerii licèt habuerint multos sequaces, graviter puniti sunt, Num. 16. Rex Jeroboam reprehenditur, quòd constituerit sacerdotes 3 Reg. 12, 31, 32. Rex Ozias, usurpans ministerium, punitus est, Paral. 26, 17. Qui non poterant ostendere successionem ab Aarone, ejecti sunt à sacerdotio, 1 Esdr. 2, 62. In novo Testamento Christus mittit Titum, ut et alios mittat, Tit. 1, 5. Timotheus ordinatur, et alii ordinantur, 1 Tim. 4, 14. Væ annuntiatur iis, qui contradictionem Core imitantur, Judæ 11. Habemus itaque regulam et exempla. Quæ ab Anabaptistis et similibus objici solent, habet Zanchius, tom. 4, lib. 1, ad 4 præcept., tit. de Minist. Eccl. q. 3.

Sectio xxiv. — *Probatio S. Augustini perpetua.*

Hoc modo procedit S. Augustinus, lib. 3 de Bapt., cap. 2. Vel antè Donatum erat vera Ecclesia, vel non erat. Si fuit vera Ecclesia, in eâ erat manendum. « Sin autem tunc non erat Ecclesia, quia sacrilegi hæ« retici sine baptismo recipiebantur, et hoc universali « consuetudine tenebatur, undè Donatus apparuit? de « quâ terrâ germinavit? de quo mari emersit? de quo « cœlo cecidit? » Et mox: « Ipsi autem considerent, « ubi sunt, qui neque, undè propagati sint, possunt di« cere. » Fuit enim SS. Patrum, in S. Scripturis fundata et constans sententia, nullam esse apud hæreticos Ecclesiam, adeòque nullam mittendi potestatem. Atque hìnc urget S. Augustinus Donatistas insolubili argumento, ut Ecclesiam quam deseruerat Donatus, vel veram agnoscerent, et emendato schismate sequerentur, vel falsam declararent, et omni origine destitutos esse Donatistas eo ipso ostenderet. — Idem argumentum, contr. Gaudent. lib. 2, cap. 8, sic proponit: « Responde, utrùm Ecclesia perierit? si jam tùm « perierat, Donatum quæ peperit? si autem tot in eam

« sine baptismo aggregatis, perire non potuit; respon-« de, quæso, ut ab eâ se, tanquàm malorum commu-« nionem devitans, pars Donati separaret, quæ demen-« tia persuasit? » — Eodem argumento utimur adversùs Protestantes. Vel romana Ecclesia erat vera Ecclesia, separationem facientibus primis Reformatoribus, vel non erat vera Ecclesia. Si fuit tunc vera Ecclesia, in ejus communione erat permanendum; sin autem tunc non erat vera Ecclesia, ratione exercitæ tyrannidis, doctæ hæresis, commissæ idololatriæ, de quâ terrâ germinavit Lutherus? neque enim terra tyrannica mansueti Regis dederit ministrum. De quo mari aut lacu emersit Calvinus? neque enim profunda et lacunæ hæreseos ministrum veritatis reddiderint. De quo cœlo cecidit Zwinglius? neque enim idololatræ cœlestes dirigunt legatos. Respondete, Domini Protestantes, et considerate: ubi sitis, qui undè propagati sitis non potestis dicere. Nam si Ecclesia romana perierat per tyrannidem, per hæresim, per idololatriam, quæ peperit primos Reformatores? Si conficta est tyrannis, commentitia hæresis, excogitata idololatria, ut sese pars Protestantium à romanâ Ecclesiâ separaret, quæ dementia persuasit? Itaque si S. Augustinus rectè conclusit, et nos rectè concludimus, ille contrà Donatistas, nos contrà Protestantes.

Sectio xxv. — *Sententia S. Cypriani.*

Audiant Protestantes S. Cyprianum in Novatiano missionem primorum Reformatorum exagitantem et proterentem: « Novatianus in Ecclesiâ non est, nec « episcopus computari potest, qui evangelicâ et apo-« stolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à « se ipse ortus est; habere namque aut tenere Eccle-« siam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesiâ « non est. Foris enim non esse Ecclesiam, nec scindi « adversùm se, aut dividi posse, sed inseparabilis at-« que individuæ domûs unitatem tenere, manifestat « Scripturæ divinæ fides. » — Iterùm: « Quod verò « ad Novatiani (Lutheri, Calvini, etc.) personam per-« tinet, frater charissime, de quo desideràsti tibi scribi « quam hæresim introduxisset, scias nos primo in loco « nec curiosos esse debere, quid ille doceat, cùm foris « doceat. Quisquis ille est, et qualiscumque est, chri-« stianus non est, qui in Christi Ecclesiâ non est. » Sufficit ergò videre an missus sit Lutherus, etc., ut doceret foris; nec curiosè in ejus doctrinam inquirere. « Jactet se licèt, et philosophiam vel eloquentiam « suam (vel Evangelium à se puritati restitutum) su-« perbis vocibus prædicet, qui nec fraternam charita-« tem, nec ecclesiasticam unitatem tenuit, etiam, quod « priùs fuerat, amisit. » Undè quàmvis Lutherus esset missus, ipsâ separatione missionem suam amitteret. Et mox reprehendit S. Cyprianus Novatianum, et Ecclesia catholica Lutherum, quòd « per plurimas civi-« tates novos Apostolos suos mittat, » et licèt constituti sint pridem per civitates episcopi, « ille super eos « creare alios pseudo-episcopos audeat. » Concludit: « Episcopatum autem tenere non potest, etiamsi epi-« scopus priùs factus, à coepiscoporum suorum cor-« pore, et Ecclesiæ unitate descisceret: quandò Apo-« stolus admoneat ut invicem nosmetipsos sustinea-« mus, nec ab unitate, quam Deus constituit, receda-« mus et dicat: *Sustinentes invicem in dilectione, sa-« tis agentes servare unitatem spiritûs, in conjunctione « pacis*: qui ergò nec unitatem spiritûs, nec conjun-« ctionem pacis observat, et se ab Ecclesiæ vinculo, « atque à sacerdotum collegio separat, episcopi « nec potestatem potest habere, nec honorem; qui « episcopatûs nec unitatem voluit tenere, nec pacem. » Vide S. Chrysostomum, hom. 11 in Epist. ad Ephes.

Conclusio. — Videtis, Domini Protestantes, quænam tradant doctores vestri in hâc de missione materiâ; nunc ordinariam statuentes, nunc ab extraordinariâ opem implorantes, nunc mixtam comminiscentes, nunc omnis missionis necessitatem haud obscurè subvertentes; nullibi securi, ubique vacillantes, suis principiis contrarii, nostris perditi. Conspicitis illos foris docere; cur curiositati indulgetis, ut singulatìm examinetur quid doceant? Jactent philosophiam, jactent purum putumque à se proferri Evangelium; qui nec fraternam tenuêre charitatem, nec Ecclesiæ unitatem, si quam priùs habuissent missionem, ipsâ amiserunt divisione. Episcopi nunquàm fuerunt, sive Lutherus, sive Zwinglius: et tamen ordinant Ecclesiæ ministros, et tanquàm novi Apostoli, quaquaversùm dirigunt novitatis præcones. Imò contrarii Apostolis, antiministros constituunt in locis, pastoribus ordinariis non carentibus. Nùm episcopi potestatem habebunt, qui disrupto Ecclesiæ vinculo, unitatem non tenuerunt, qui deserto sacerdotum collegio pacem proculcàrunt? Cùm ergò manifestè omni destituantur potestate legitimâ, qui primùm Ecclesiæ prætenderunt Reformationem, non est operæ pretium audire quid doceant, donec missionem suam melioribus quàm hucusque fundamentis fecerint testatam.

TRACTATUS NONUS.

DE UNITATE ECCLESIÆ ET SCHISMATE.

CAPUT PRIMUM.

Explicatio vocum.

Ecclesia est congregatio hominum, à Deo per evangelicam doctrinam convocatorum, veram fidem christianam, sub legitimorum pastorum regimine profitentium.

Unitas Ecclesiæ vel 1° est fidei, quâ membra Ecclesiæ, tanquàm corpus Christi, uniuntur capiti suo Jesu Christo, vel 2° est charitatis, quâ uniuntur membra

Ecclesiæ inter se, vel 3° est obedientiæ, quâ populus fidelis subjicitur legitimis pastoribus.

Hæresis dividit unitatem fidei. Schisma dividit unitatem charitatis. Tàm hæretici, quàm schismatici dividunt unitatem obedientiæ.

CAPUT II.

Quædam supposita.

Supponimus 1° Ecclesiam vocatorum esse visibilem. — Supponimus 2° extrà communionem externam cum verâ Jesu Christi Ecclesiâ, non esse salutem. — Supponimus 3° extare hoc tempore visibilem Ecclesiam Jesu Christi, cui se fideles debeant conjungere.

CAPUT III.

Quantì facienda sit unitas Ecclesiæ.

Propheta David, descripturus regnum Christi, breviter dixit, Ps. 75 : *Factus est in pace locus ejus.* Sic, cùm ex hominibus pacificis Ecclesia Christi esset constituenda, in nativitate Salvatoris pacifici pax annuntiatur, Luc. 2,14 : *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Et quia in pace reperitur unitas, in unitate soliditas, prædicit, Math. 16, 18, auctor Ecclesiæ, se eam in petrâ ædificaturum, quæ una existens uni Christo jungeretur, Joan. 10, 16 : *Fiet unum ovile, et unus pastor.*—Tantì fecit hanc unitatem Salvator noster, ut si causam mortis ejus salutiferæ inquiras, hanc inventurus sis, Joan. 11, 52 : *Ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Nam sicut Deus unus est, in tribus personis distinctus, ità oportet fideles assimilari Deo in ratione unitatis, Joan. 17, 11 : *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.* Atque hìnc Christus Jesus pacem discipulis suis reliquit et dedit, pacificos mittens ad prædicandum Evangelium pacis, Joan. 20, 21, 22 : *Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc cùm dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum.*— Magistrum suum sequitur Apostolus, unitatem Ecclesiæ singulari modo describens, 1 Cor. 12, 12 : *Sicut enim corvus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ità et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum baptizati sumus.* Christus totus est caput et corpus, non corpus sine capite, nec caput sine corpore. Corpus naturale hominis unum est, licèt multa sint membra; ità Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, una est, quamvis multi sint fideles. Unitas corporis naturalis hominis, consistit in conjunctione membrorum, quæ unâ vivunt animâ. Unitas Ecclesiæ associatione fidelium in uno spiritu perficitur.— Quemadmodùm corporis humani membrum non est particeps vitæ, nisi sit unitum aliis membris, ità fidelis non vivit Spiritu Christi, nisi conjunctus Ecclesiæ, quæ est corpus Christi. Ideò monet Apostolus, Ephes. 4, 3, ut simus *solliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.* Quia,1 Cor. 12, 21, *non potest oculus dicere manui : Operâ tuâ non indigeo; aut iterùm caput pedibus : Non estis mihi necessarii.* Atque hìnc, si fidelis à communione Ecclesiæ recedat, ac si aliorum fidelium operâ non indigeret, aut sibi sufficeret, non potest esse membrum corporis Christi, nec accipere vitam à Spiritu Christi, ut qui vinculum pacis, quo membrum membro conjungitur, disrumpit. — Itaque Ephes. 4, 4: *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in unâ spe vocationis vestræ.* Atque ideò Hebr. 10, 25 : *Consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum; non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Illi enim qui deserunt collectionem fidelium, separantur à corpore Christi, privantur Spiritu Christi.—Ephes. 4, 5 : *Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Una Ecclesia, unum corpus Christi, unus Spiritus Christi, cujus nemo particeps esse potest, nisi in unitate. Det Deus unus, 1 Cor. 12, 25, *ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra.* Det Salvator unus, ut singuli in veritate dicamus, Hebr. 10, 39 : *Non sumus subtractionis filii in perditionem.*

CAPUT IV.

Quantum malum sit schisma.

Quamvis ex præcedentibus satis pateat quantum malum sit recedere ab unitate Ecclesiæ, et corpore Christi; quia tamen hoc maximè tempore non apprehenditur gravitas schismatis, necessarium videtur ex S. Scripturâ, et SS. Patribus, ipsisque Protestantibus declarare, quantum sit in schismate malum. — Quid gravius dici potest hâc apostolicâ sententiâ, Phil. 3, 2 : *Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem?* Perpendite concisionem, sive unitatis divisionem, quæ est propria malis operariis. Nam sicut canes dilacerant carnes, ità schismatici divellunt corpus Christi, quod est Ecclesia, ut hic partem teneat, ille partem. Apoc. 22, 15 : *Foris canes.* Foris ab unitate corporis Christi, foris ab Ecclesiâ, foris à Spiritu Christi, foris à vitâ, foris à salute.—Judæ 19 : *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Quicumque semetipsum segregat à primâ unitate, animalis est, nec satis intelligit in membro diviso vitam esse non posse, atque ideò spiritum non habet, qui vinculo pacis conservandus est.

Teste S. Augustino, epist. 109, ad Felician., « nobis enim imperavit Deus congregationem, sibi autem servavit separationem; quia ille debet separare, qui nescit errare. » Nostrum non est, quod Deus sibi reservavit, temerario ausu præoccupare; sed multò magis unitati insistere. S. Cyprianus, de Unit. Eccl. : « An secum esse Christum, cùm collecti fuerint schismatici opinantur, qui extrà Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur, cùm inexpiabilis et gravis culpa discordiæ, nec passione purgetur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesiâ non est. » Et, ut dicit S. Augustinus, serm. de gest. cum Emerit. : « Sanguinem effundere potest, coronam accipere non potest. »

Grave est jus Dei invadere, grave est corpus Christi proscindere; atque ideò dicit S. Augustinus, lib. 1 contr. Epist. Parm. cap. 3 : « Sacrilegium schismatis, quod omnia scelera supergreditur, » quodque adeò

inficit hominem, ut de eodem dicat : « Propter ipsam « separationis sacrilegam iniquitatem innocentes esse « non possunt. » Idem agens de schismate Donatistarum, de bapt. contr. Donat., lib. 1, cap. 8, audet veritatem proferre, quæ universis terrorem incutiat : « Quos baptizant (Donatistæ) sanant à vulnere idololatriæ, vel infidelitatis, sed graviùs feriunt vulnere « schismatis. Idololatras enim in populo Dei gladius in« teremit, schismaticos autem terræ hiatus absorbuit. » —Errant igitur multi imprudentes, qui perindè æstimant in quà Christianorum communione Christum profiteantur, etiamsi suo facto ab unitate Ecclesiæ non recesserint; nam idololatræ isti qui à Donatistis baptizabantur, et profitebantur Christum, sanati à vulnere infidelitatis, nunquàm fuerant in unitate Ecclesiæ catholicæ, nunquàm eam dilaceraverant suo facto; et tamen à Donatistis, quorum parti adhærebant, graviùs feriebantur vulnere schismatis quàm crimine idololatriæ fuissent læsi. Vide S. Optat. Milevit., *lib.* 1 ; S. Cyprian., *de Unit. Eccl.;* S. Iren., *lib.* 4, *cap* 62; S. Chrysost. *hom.* 11, *in Epist. ad Ephes.;* Conc. 2, Cart., *can.* 1. — Audi Conf. Helv. post. art. 17 : « Communionem cum Ecclesià Christi verà tanti facimus, ut « negemus eos coràm Deo vivere posse, qui cum verà « Dei Ecclesià non communicant, sed ab eà se sepa« rant. » Nam ut extrà arcam Noe non erat ulla salus, pereunte mundo in diluvio, ità credimus extrà Christum, qui se electis in Ecclesiâ fruendum præbet, nullam esse salutem certam; et proindè docemus vivere volentes non oportere separari à verà Christi Ecclesiâ. Vide Catechis. Genev. *Dom.* 16; Calvin., *lib. 4 Instit. cap.* 1, § 10; Pet. Mart., *class. 4. Loc. comm. cap.* 20, § 9.—Concludamus cum S. Paulo, qui Galat. 5, 21, enumeratis operibus carnis, designatisque *dissentionibus et sectis*, ità monet : *Quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequuntur.* Nulla hìc est exceptio, nulla limitatio; pœna autem gravis et certa, quia, ut dicit S. Augustinus, « non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non « diligunt unitatem, » lib. 3 de Bapt. contr. Donat., cap. 16.

CAPUT V.

Non esse introducendum schisma propter mores in Ecclesiâ verâ corruptos.

Multis imprudentioribus etiamnùm persuasum est recessisse ab Ecclesiâ catholicâ Protestantes, quòd in Ecclesiæ catholicæ episcopis, pastoribus et doctoribus corruptissimi mores obtinerent. Quæ persuasio, licèt careat fundamento, eximenda tamen est, veritatis manifestatione.

In veteri Testamento corruptos frequenter fuisse mores, tùm in populo, tùm in sacerdotibus, abundè testatur S. Scriptura. Verùm, ut dicit S. Augustinus, Psal. contr. part. Donat. :

Ubi habes tantos Prophetas, habes multos et de plebe.
Dic mihi, quis tunc justorum separavit sibi altare?
Uno templo miscebantur, sed mixti non erant corde.
Dicebant in illos tanta, et unum habebant altare.

« Dicant ergò mihi (inquit S. August., lib. 2 contr. « Epist. Parm. cap. 70) cui sancto secundùm salutem « spiritualem obfuerit, vel in sacerdotibus, vel in po« pulo constituto, malus aut maculatus sacerdos? Ubi « erat Moyses et Aaron, ibi murmuratores sacrilegi, « quos Deus à facie suâ semper perdere minabatur. « Ubi erat Caiphas et cæteri tales, ibi Zacharias, ibi « Simeon et cæteri boni. Ubi Saül, ibi David, ubi Je« remias, ubi Isaias, ubi Daniel, ubi Ezechiel, ibi sa« cerdotes mali et populi mali; sed sarcinam suam « unusquisque portabat. » Vid. S. August. lib. 1, c. 1, contr. Epist. Parm. et lib. 2, cap. 5.

Calvinus, lib. 4 Instit. cap. 1, § 18 : « Sub Prophetis « in plebe, in magistratu, in sacerdotibus omnia usque « adeò corrupta erant, ut non dubitet Isaias æquare Je« rosolymam Sodomæ et Gomorrhæ. Religio partìm « contempta, partìm contaminata ; in moribus passìm « referuntur furta, rapinæ, perfidiæ, cædes et similia « scelera. Neque tamen propterea aut novas Ecclesias « sibi erigebant, aut nova altaria extruebant Prophetæ, « in quibus separata sacrificia haberent; sed quales« cumque essent homines, quia tamen reputabant Do« minum apud eos verbum suum deposuisse, et cære« monias instituisse, quibus illìc colebatur, in medio « impiorum cœtu puras manus ad illum extendebant. « Certè si putâssent aliquid contagionis indè se con« trahere, centies potiùs mortui fuissent quàm passi « fuissent illùc se pertrahi. Nihil ergò eos retinebat, « quàm servandæ unitatis studium. »—Eamdem doctrinam tradit S. Augustinus, lib. 2 cont. Epist. Parm., cap. 17, et lib. cont. Gaudent., cap. 3, et ex S. Augustino Calvinus. lib. 4 Instit., cap. 1, § 16 ; et Sadaël, resp. ad libr. Arturi. cap. 1. Consentit Bucanus, loc. 41, de Ecclesiast., § 25. — Concludimus cum S. Augustino, tract. 1 in Epist. Joan. : « Offendit te nescio quis, sive « malus, sive ut tu putas malus, sive ut tu fingis ma« lus, et deseris tot bonos? »

CAPUT VI.

Non esse introducendum schisma propter ritus et cæremonias.

Quamvis hoc loco nulla sit difficultas, videtur tamen consultum Protestantium placitis testatum facere, non esse introducendum schisma propter ritus et cæremonias. — Conf. Helv. post. in præfat. : « Tametsi « verò in diversis Ecclesiis quædam deprehenditur « varietas in locutionibus, in modo expositionis do« ctrinæ, in ritibus item et cæremoniis, eaque recepta « pro Ecclesiarum quarumlibet ratione, opportunitate, « et ædificatione ; nunquàm tamen ea ullis in Ecclesià « temporibus, materiam dissentionibus et schismati« bus visa est suppeditare. » Et art. 17 : « Observan« dum diligenter docemus, in quo potissimùm sit sita « veritas et unitas Ecclesiæ, ne temere schismata ex« citemus, et in Ecclesià foveamus. Sita est illa non in « cæremoniis et ritibus externis, sed magis in veritate « et unitate fidei catholicæ. » Consentit Discipl. Eccl. Middeb., art. 42 ; synod. nation. Dordrac., anni 1578, art. 72 ; synod. nat. Hagæ, art. 78.

CAPUT VII.

Non esse introducendum schisma propter errorem in articulis non fundamentalibus seu non necessariis.

Hæc materia propiùs tangit fundamentum causæ. Docent Protestantes non esse introducendum schisma propter errorem in articulis non necessariis, quamvis de iis ipsis nihil certi habeant. — Calvinus, Instit. lib. 4, cap. 1, § 12 : « Quod dicimus purum verbi Dei « ministerium et purum in celebrandis sacramentis « ritum idoneum esse pignus et arrhabonem, ut tutò « possimus societatem in quâ utrumque exstiterit pro « Ecclesiâ amplexari, usque eò valet ut nusquàm ab- « jicienda sit, quamdiù in illis perstiterit, etiamsi mul- « tis alioqui vitiis scateat. Quin etiam poterit vel in « doctrinâ vel in sacramentorum administratione vitii « quippiam obrepere, quod alienare nos ab ejus com- « munione non debeat. Non enim unius sunt formæ « omnia veræ doctrinæ capita. Sunt quædam ità ne- « cessaria cognitu, ut fixa esse et indubitata omnibus « oporteat, ceu propria religionis placita ; qualia sunt, « unum esse Deum ; Christum esse Deum ac Dei Fi- « lium ; in misericordiâ salutem nobis consistere, et « similia. Sunt alia quæ, inter Ecclesias controversa, « fidei tamen unitatem non dirimant, » etc. Et mox : « Primum quidem est, ut per omnia consentiamus ; « sed quoniam nemo est qui non aliquâ ignorantiæ « nubeculâ obvolutus sit, aut nullam relinquamus Ec- « clesiam oportet, aut hallucinationem condonemus « in iis rebus quæ inviolatâ religionis summâ, et citrà « salutis jacturam ignorari possunt. » Idem docet Bucanus, loc. 41, de Eccl., § 22 ; Zanchius, de Eccl., cap. 7. — Marloratus, in 1 Cor. 3, 12, stipulis fundamentum fidei non subvertentibus accenset, « dogmata « pseudoprophetarum, Pharisæorum et aliarum secta- « rum apud Judæos, pseudoapostolorum, hæreticorum, « papistarum, scholasticorum theologorum de justifi- « catione à peccatis, de merito, de intercessione di- « vorum. Quæ omnia in speciem quidem aliquid « veritatis habere videntur, sed propriùs perspecta et « ad certissimam Scripturarum regulam probè exami- « nata, ruere necesse est compertâ veritate. » Vide Crocium, Anti-Becan. cont. 3, sect. 11, § 3 ; Sadaël., resp. ad art. Burdeg., art. 61. — Atque hinc patet, ex sententiâ Protestantium, non esse recedendum ab unitate Ecclesiæ propter errorem in articulis non fundamentalibus ; quia tali errore non-obstante, manet vera Jesu Christi Ecclesia ; à quâ quisquis sese separaverit, subjicitur omnibus pœnis cap. 4 designatis.

CAPUT VIII.

Non esse introducendum schisma propter eversionem fundamenti per solam consequentiam.

Hanc sententiam tradit Davenantius, Epist. ad Duræum, p. 29 : « Agnosco dogmata multa præter hosce « articulos in sacris Scripturis contineri, atque ex sacris « Scripturis per firmam consequentiam posse deduci, « quæ sunt cognitu perquàm utilia, et ad profectum « in theologicâ scientiâ multùm conducunt ; sed sub « amittendæ salutis aut communionis periculo tùm « demùm tenenda sunt, cùm in Scripturis contineri, « vel ex Scripturis necessariò consequi manifestè de- « clarentur et intelligantur. In hisce si qua Ecclesia « non potest veram suam sententiam aliis Ecclesiis ità « manifestam reddere, ut eas in eamdem pertrahat, « renuntiare debet illarum erroribus, fraternæ ta- « men communioni propter hosce errores renuntiare « non debet. » Et mox : « Denique et illud adjungendum, « non esse impossibile, neque à bonorum Christiano- « rum officio alienum, cum illis Ecclesiis communio- « nem retinere, quæ nobis opinionem aliquam sequi « videntur, quæ reverà non potest cum fundamentali « articulo cohærere ; dummodò ipsum articulum ex- « plicitè profiteantur, et ambabus (quod aiunt) ulnis « amplexentur. Abhorret enim à charitate, imò à rectâ « ratione, ut quis propter consequentias nec intellectas « nec à se concessas, putetur fundamentalem articu- « lum negàsse, aut rejecisse, quem firmiter credit, ex- « plicitè asserit, et si opus esset, veritatem ejusdem « vel sanguine suo obsignaret. » Vide eumdem pag. 39 et 56 ; Past. Eccl. Gall., epist. ad Dur. pag. 83 ; Dallæum, Apol. cap. 9 ; Marc. Ant. de Dom., de Rep. Eccl. lib. 7, cap. 11, n. 8. — Hæc doctrina ad præscindendas plurimas difficultates, à Reformatis contrà Ecclesiam catholicam moveri consuetas, plurimùm servit. Sed non omnium Reformatorum ea est sententia. Vide Petr. Mart., epist. 42 ad Eccl. peregr, Londin., licèt à seipso dissentiat, testante in ejus vitâ Simlero. Eàdem varietate laborat Admon. de libr. concord., cap. 7 et 11, aliter loquens cap. 12.

CAPUT IX.

Quæstio separationis Protestantium ab Ecclesiâ catholicâ.

Omnis quæstio quæ in præsenti negotio moveri potest, vel est juris, vel facti, vel possessionis. A Romano-Catholicis stare possessionem unitatis, tùm quoad fidem, tùm quoad charitatem, nemo sanus negaverit. Protestantes à nobis recessisse, et diversam à nobis fidem, diversam communionem, separationemque charitatis suo facto introduxisse, adeò manifestum est, ut nec ab ipsis negetur. Catholicos relevat possessio, Protestantes premit divisio ; illi quietem defendunt contrà inquietos ; hi quâcumque viâ conantur inchoatæ separationi insistere. — Ipsum caput rei est : *An jure facta sit divisio?* An Protestantes ab Ecclesiâ catholicâ separati, justo titulo inchoaverint divisionem, aut justo titulo in eâ perseverent ? Datur divisio bona, datur et mala ; quæ fit à bono, semper mala est divisio ; non tamen quælibet divisio est bona, quæ fit à malo. Nam si propter quodlibet malum dividenda foret Ecclesia, tot essent quotannis schismata, quot horæ, quot dies, quot momenta. Hinc Protestantes nullam probant divisionem Ecclesiarum, nisi quæ fiat ob errorem in articulo fundamentali seu necessario ; ne scilicet apostolicâ obruantur sententiâ, quæ divisiones et schismatica operibus carnis annumerat, à regno cœlorum excludentibus. — Nos autem, licèt divisionem à malo, quæ solo animo fiat, libenter probemus, apo-

stolicâ tamen monitione instructi, omnem divisionem à primâ unitate, sive ea sit fidei, sive charitatis, censemus operibus carnis à regno cœlorum excludentibus ab Apostolo annumerari.— « Hinc igitur (inquit S. Augustinus, epist. 154 ad Emerit.) caput est ordinatissimæ inquisitionis, cur schisma factum sit ; » et mox : « Tota igitur quæstio est, utrùm nihil mali sit schisma, « aut utrùm schisma non feceritis ; » et posteà : « Quæritur utrùm vestra, an nostra sit Ecclesia Dei. Quapropter illud quærendum est à capite, cur schisma « feceritis. »

Ad hanc quæstionem manuducimur Apostolo præeunte, 1 Cor. 14, 36 : *An à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit?* Si à Protestantibus non processit verbum Dei, cur ab iis non recipiunt verbum Dei, quibus à principio fuit traditum? cur ad suum beneplacitum interpretantur verbum Dei, quod alienâ fidelitate et auctoritate traditum acceperunt? Quo fundamento dividunt Ecclesiam Christi, propter intelligentiam verbi Dei, quæ ab ipsis non processit? Si ad solos Protestantes non pervenit verbum Dei, cur dividuntur à Catholicis, ad quos à principio pervenit? Idem verbum Dei Protestantes nobiscum receperant, et cum totâ Europâ ; et nonnulli inquieti putârunt ad se solos ejus intelligentiam pervenisse ; ac magisterium reformandi Ecclesiam sibi vindicârunt ; incipientes à divisione Ecclesiæ, quo vel maximè contravenitur verbo Dei.

CAPUT X.

Protestantes ab unitate Catholicâ recessisse, fatentur Protestantes.

Scheiblerus, disp. 2 cont. Meth. August. thes. 4, asserit : « Lutherum et asseclas, qui papatum accusâ« runt, reformârunt et ab eo defecerunt, copiosè et « nervosè justificâsse suam contrà papatum accusa« tionem, reformationem et discessum. » Similia habet, disp. 1, thes. 5. Vide Hulshovium, fol. 154 Apolog. Conf. August. tit. de conjug. sacerd. Melanth. in resp. ad art. Bavar., q. 5 ; Conf. Saxon. in præfat.— Reformati idem fatentur. Confessio Helvetica poster. art. 17 : « Objicitur nobis varia esse in Ecclesiis no« stris certamina atque dissidia, postquàm se à romanâ « separârunt Ecclesiâ. » Ad hoc Crocius dicit, cap. 8, n. 9 : « Helvetii separationem agnoscunt ab Ecclesiâ « romanâ. » Synodus Delphensis dicit : « Manifestum « est quòd primi Ecclesiæ Reformatores pro doctoribus « Ecclesiæ pontificiæ haberi noluerint, sed contrà ab « iis secessionem fecerint. » Vide Calvinum, resp. ad versipel. et Instit. lib. 4, cap. 2, § 2, 6 ; Petr. Mart. Loc. comm. class. 4, cap. 6, n. 1, 7, 33 ; Zanch. cap. 8, ad defic. à Rom. Eccl. ; Daillæum, *la Foi fondée*, part. 1, cap. 3 ; Jo. Bergium, de Verb. cœn. cap. 1 ; Croc. cap. 8, n. 1.

CAPUT XI.

Protestantium ad excommunicationem provocatio discutitur.

Multi Protestantes ad excommunicationem Leonis X, episcopi romani, provocant, malè existimantes fieri non posse, ut excommunicati sint schismatici. Sed cùm non dissimilem objecerint exceptionem S. Augustino Donatistæ, in respondendo ejus tramitem sequemur. — Hoc certè dicendum est, vel culpam fuisse in excommunicante et excommunicato, vel non fuisse culpam sive in excommunicante, sive in excommunicato ; vel culpam fuisse in excommunicato, non autem in excommunicante, vel culpam fuisse in excommunicante, non autem in excommunicato. Et in his omnibus nullum crimen esse Ecclesiæ catholicæ, cui nos communicamus, apertè ostendimus. — Si culpa fuit in excommunicante, et non in excommunicato, faciamus, quod ait Apostolus, Ephes. 4, 32 : *Donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit nobis ;* ut maligni homines, nec illi qui fortè fuerunt, vel etiam sunt apud Catholicos, nec illi qui fuerunt, vel etiam sunt apud Protestantes, impediant concordiam nostram et vinculum pacis : uno Protestantium scelere correcto, quòd se frustrà separaverunt ab Ecclesiâ catholicâ, quasi ob Leonis X culpam, cùm et ipsi habeant excommunicatos similiter culpabiles. — Si autem non fuit culpa, sive in Leone X excommunicante, sive in Protestantibus excommunicatis, nullam videmus litis causam, nisi quia est justa causa ut Protestantes se corrigant, qui seipsos sine causâ separârunt, privata instituentes conventicula, unitatemque priorem deserentes. — Quòd si culpa fuit in excommunicatis, non autem in excommunicante, certè excommunicatorum fuit legitimo superiori suo acquiescere, et posterioribus Protestantibus standum fuit decretis generalis concilii, ad quod Lutherus appellaverat, et ubi discipuli ejus causam obtinere non potuerunt. — Porrò, si culpam velint esse in Leone X excommunicante, non autem in excommunicatis, nec sic purgantur Protestantes à crimine schismatis. Nam potuit ad Leonem X pertinere ea culpa, et ad nonnullos alios ; verùm ad universam Ecclesiam catholicam pertinere non potest. Quomodò enim ea culpa ad Ecclesiam catholicam pertineat, quæ adhuc nescit an vera sint quæ à Protestantibus Leoni X tribuuntur. Putemus nobis modò probatam, modò demonstratam esse Leonis X culpam, quid agimus de tot gentibus et populis catholicis eam culpam ignorantibus? Deseruntur nescientes, ergò deseruntur innocentes. Et cùm illud sit nullum crimen illarum gentium, quòd Leonis X ignorent culpam, hoc esse incipit in Protestantibus primum crimen, quòd innocentes deserant. — An nos, si sciremus Leonis X culpam, currere debemus, et eos docere, quòd scimus? Ut quid hoc? Sicut innocentes sunt, innocentes sunt etiam dùm nesciunt. Non enim malefacta hominum cognoscendo, sed cognitis non consentiendo, de incognitis autem non temerè judicando, innocentiam custodimus. — Ac per hoc, ut diximus, innocens est Ecclesia catholica, culpam quæ à Protestantibus Leoni X tribuitur, etiamsi rectè tribueretur, ignorans. Ab his autem innocentibus Catholicis, qui seipsos segregârunt, eodem ipso crimine separationis et schismatis, innocentiam perdiderunt. Et modò nos docent se rectè tribuere culpam Leoni X, vel ut ab illis innocentibus Catholicis nos separent, in

quos non habent vera quæ dant; vel ut videantur rectè separati ab innocentibus catholicis, quibus culpam Leonis X non tribuunt. — Hoc enim Protestantibus dicit Ecclesia catholica, quod quidem sermone brevissimum est, sed robustissimum veritate; confligebant inter se, hìnc Lutherus, indè quidam ex Ordine S. Dominici. Oborta dissensio cùm latiùs serperet, nec per concordiam componeretur, ad summum pontificem delata est; nam generale concilium omni momento nec colligi potest, nec debet. Quid peccavit Leo X, qui crimina, nonnullis ex Ordine S. Dominici objecta, sibi fortè non probata, noluit damnare? Quid peccavit Leo X, quòd Luthero silentium imposuerit, quòdque non acquiescentem excommunicaverit? Dicunt quidem Lutherani provocâsse Lutherum ad concilium generale, adeòque nec acquiescendum fuisse. Verùm quilibet moderatus non difficulter judicabit, pro pace Ecclesiarum, et ordine in Ecclesiâ consueto, fuisse omninò acquiescendum. Demus tamen, Luthero non imponendum fuisse silentium, neque Lutherum fuisse excommunicandum. Quid peccavit Ecclesia catholica, quæ causam Lutheri malum judicem habuisse nescivit, et eum malè judicâsse non credidit, de quo hic et ille fidelis judicare non potuit? Sicut enim quorumdam ex Ordine S. Dominici scelus, si Leonem X latuit, non eum utique contaminavit; sic et Leonis X scelus, si aliquod fuit, quia Ecclesiam catholicam latuit, eam profectò contaminare non potuit. — His igitur innocentibus innocenter communicamus, hodièque communicamus, nescientes quæ tunc acta sint. Quapropter, etiamsi vera esse quæ in Leonem X dicunt, Protestantibus dederimus, nulla causa est cur ab innocentibus, qui hæc nesciunt, recedamus, et transeamus ad eos qui propterea crimine schismatis omnes implicati sunt, quia id fecerunt quod nos facere suadent, ut non exemplo Apostolorum toleremus malos, etiam episcopos, sed exemplo hæreticorum deseramus bonos.

At faciamus, orbem terrarum, quod fieri non potest, hodiè nobiscum ad liquidum posse cognoscere veram esse in Leone X culpam; numquid ex hoc innocentior fieri poterit, quàm erat antequàm nôsset? Sicut enim Leonis X culpa, quamvis adhuc in hâc vitâ esset, Ecclesiam catholicam inficere non potuit; sic ejus, qui jam ex hâc vitâ emigravit, etiam cognita culpa maculare non potest. Si ergò talis est causa nostra, de culpâ vel Leoni X excommunicanti, vel Luthero excommunicato tribuendâ, ut tàm invicta sit, etiamsi falsa essent quæ in Lutherum de excitatis turbis nostri dicunt, et vera essent quæ Lutherani in Leonem X dicunt, hodiè cognoscamus quid habent quod respondeant? Sive illa potiùs vera quæ nos de Protestantibus dicimus, et falsa quæ de Leone X dicunt, sive utraque falsa sint, sive utraque vera sint, ubique Protestantes vincuntur, et tamen plus sibi concedi nequeant postulare. Vide S. Augustinum, de Unit. Eccl. cap. 2, et lib. 2 contr. litt. Petil. cap. 21, etc., et lib. 5, cap. 58.

CAPUT XII.

Excommunicatos posse esse schismaticos.

Quia nonnullis videtur excommunicatos non posse esse schismaticos, quasi, vi terminorum, ejectus ab Ecclesiâ non possit censeri indè abivisse, aut ejus communionem deseruisse, aut unitatem dirupisse, seseque ab eâ separâsse aut segregâsse; non inutile erit ostendere quomodò excommunicati possint esse schismatici. Nam si excommunicati non possint esse schismatici, omninò examinanda erit quæstio de justitiâ, vel injustitiâ factæ per Leonem X excommunicationis; nisi Catholici malint ostendere, antè latam excommunicationem, à Protestantibus schisma inchoatum esse. Neutrum verò necessarium esse ducimus. — Ratio schismatis non consistit totaliter in recessu à priore unitate; nam si totaliter consisteret in recessu, nullus daretur recessus à priore unitate sine schismate; quod tamen est falsum; quia Christianus, desertâ christianâ religione (adeòque recedens à priore unitate) transiens ad Turcas, non est schismaticus, sed apostata. — Nec requiritur recessus à priore unitate, ut quis sit schismaticus; nam qui nascuntur et educantur in parte schismaticâ, adhærentes segregatis à priore unitate conventiculis, sunt schismatici: licèt ipsi à priore unitate non recesserint, in quâ nunquàm fuerunt. Ità S. Augustinus, de Actis cum Felic. lib. 1, cap. 8, urget Manichæos tanquàm recedentes ab Ecclesiâ et fide catholicâ, cùm tamen ipse Manichæus, qui nunquàm fuerat Catholicus, à priore unitate non recessisset, sed alii, qui Manichæo posteà adhæserant. Quamvis igitur Lutherus et Calvinus nunquàm fuissent catholici, rectè eis objiceremus crimen schismatis; quia partem communionis suæ instituerunt divisam ab unitate catholicâ, abstractis à priore unitate Ecclesiæ membris. — Ut quis ergò dicatur facere schisma, duo requiruntur, eademque sufficiunt: Alterum est, ut instituat privata conventicula; alterum, ut illa conventicula instituantur ex desertoribus prioris unitatis. Non sufficit sola institutio privatorum conventiculorum, nam ab initio mundi et Ecclesiæ multi instituerunt privata conventicula, in quibus Deum colerent, vel falsos deos adorarent; quos tamen nullus dixerit fecisse schisma. Non sufficit sola desertio prioris unitatis catholicæ, quòd ea apostatas quidem faciat, sed schismaticos facere non possit. Ubi autem quis instituit privata conventicula, eaque colligit ex desertoribus prioris unitatis, tunc indubiè facit schisma.

Nunc videndum quinam dicantur deserere priorem unitatem. Et certum est excommunicatos, sive per excommunicationem ejectos, non spontè deserere priorem unitatem, adeòque nec propriè deserere, cùm desertio inferat actum spontaneum et voluntarium. Excommunicatio autem vel est justa, vel injusta. Si justa sit, excommunicatus desinit esse membrum Ecclesiæ. Sin autem injusta sit, excommunicatus manet membrum Ecclesiæ. Si justè excommunicati instituunt privata ex justè excommunicatis conventicula,

faciunt schisma; quia cùm obligentur redire ad unitatem prioris Ecclesiæ, voluntariè recedunt à debito redeundi, et ipso facto repudiant priorem unitatem, à quà diversam instituunt communionem. Si injustè excommunicati instituunt privata ex injustè excommunicatis conventicula, faciunt schisma; cùm enim injustè excommunicati sint membra Ecclesiæ unita, per institutionem privatorum conventiculorum, voluntariè renuntiant isti unioni, et priorem unitatem deserunt. — Quamvis igitur Lutherus, ejusque asseclæ nullum fecissent schisma antè excommunicationem, quamvis injustè essent excommunicati, ut volunt Protestantes, tunc tamen priorem communionem deseruissent, tunc unitatem dirupissent, tunc sese separâssent et segregâssent, quandò divisa à priore unitate instituerunt conventicula. Cùm enim injustè excommunicatus non desinat esse membrum ejus Ecclesiæ per quam injustè excommunicatus est, per se patet ejusmodi excommunicatum tunc sese separare et segregare ab universis innocentibus Christianis prioris unitatis, tunc priorem unionem deserere et dividere, quandò segregata erigit conventicula; fierique auctorem schismatis, sive partis à corpore ecclesiastico divisæ. — Probamus idipsum exemplo, quod refert Cassiodorus, Hist. Tripart. lib. 1, cap. 18, de Melitio. Hic cùm in Ægypto esset episcopus, et persecutionis tempore fidem negâsset atque sacrificâsset, depositus et damnatus est. « Ergò, inquit Cassiodorus, damnatus « multos habuit sequaces, et hæresiarcha factus est « eorum qui hactenùs ab eo in Ægypto Melitiani vo« cantur, nullum justitiæ satisfactionem habens, cur « remanserit ab Ecclesiâ separatus. Dicebat enim in« juriam se esse passum, et obloquebatur sæpiùs, » etc. Melitius damnatur, et conqueritur se injuriam pati; quia tamen instituit privata conventicula, à corpore ecclesiastico segregata, tanquàm auctor schismatis damnatur in synodo Nicænâ, testante eodem Cassiodoro, lib. 2 cap. 2. — Ità Lutherus excommunicatur à Leone X, et multos habet sequaces. Factus est auctor eorum qui hactenùs in Europâ Lutherani ab eo dicuntur. Nullam justam causam habuit, cur manserit ab Ecclesiæ unitate divulsus. Dixit se injuriam passum esse, et etiamnùm per discipulos suos obloquitur. Pari tamen jure cum Melitio habetur auctor schismatis; ipse cum suis adhærentibus iis malis involutus, quæ ostendimus schismati esse connexa.

Simile exemplum habemus in Ario et ejus asseclis. Illis enim ab Ecclesiâ ejectis, scribit S. Athanasius cum episcopis provincialibus imperatori Joviniano, Hist. Tripart. lib. 7, cap. 3: « Auctores facti sunt hæ« resis et schismatum universalis Ecclesiæ. » Quamvis igitur ejectus sit ab Ecclesiâ Arius, quamvis plurimi ejus partibus accesserint, fuit tamen schismaticus, propter erecta conventicula ab unitate priore divisa. Atque ità Lutherus fuit auctor schismatis, licèt ejectus fuerit et plurimos habuerit adhærentes. — Apollinaris cum suis damnatus est à Damaso et provincialibus conciliis. « Ex illo (inquit Ruffinus, Histor. Eccl. lib. 11, cap. 20) Apollinaristæ ab Ecclesiâ declinantes, « et episcopos sibi suæ partis et dogmata propria Ec« clesiasque defendunt. » Ubi constat eos ab Ecclesiâ declinantes, proprios suæ partis episcopos, propria dogmata, proprias Ecclesias defendentes, fuisse etiam schismaticos; et tamen erant damnati et excommunicati. Nihil ergò impedit quominùs aliquis sit schismaticus, etiamsi antecedenter sit damnatus et excommunicatus.

CAPUT XIII.

De officio injustè excommunicatorum.

Ponamus iterùm injustè excommunicatum esse Lutherum à Leone X, dicit nobis S. Augustinus, de verâ Relig., cap. 7, quale fuerit ejus officium: « Sæpè « etiam sinit divina providentia per nonnullas nimiùm « turbulentas carnalium hominum seditiones expelli « de congregatione christianâ, etiam viros bonos. « Quam contumeliam vel injuriam suam cùm patien« tissimè pro pace Ecclesiæ tulerint, neque ullas no« vitates vel schismatis, vel hæresis moliti fuerint, « docebunt homines quàm vero affectu, et quantâ sin« ceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergò « virorum propositum est, aut sedatis remeare turbi« nibus; aut, si id non sinatur, vel eâdem tempestate « perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior « oriatur, tenent voluntatem consulendi, etiam eis « ipsis quorum motibus perturbationibusque cesse« runt, sine ullâ conventiculorum segregatione usque « ad mortem defendentes et testimonio juvantes eam « fidem, quam in Ecclesiâ catholicâ prædicari sciunt. « Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. « Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non « desunt; imò plura sunt quàm credi potest. » Itaque Lutheri fuisset pro bono pacis necessariæ, nullâ conventiculorum segregatione, publicam Ecclesiæ quietem interturbare. Nam conventicula separata instituere, est facere schisma; sive id fiat ab excommunicato, sive non excommunicato. Neque refert, etiamsi excommunicatus Ecclesiam per quam excommunicatus est, pro orthodoxâ non agnoscat; nam neque Ariani, neque Donatistæ, neque Apollinaristæ Ecclesiam catholicam agnoscebant orthodoxam; et tamen habiti sunt schismatici. Arius cum adhærentibus excommunicatus est, et instituens privata conventicula declaratus schismaticus.

Neque dicant Lutherum cum suis non fuisse ab Ecclesiâ catholicâ segregatum affectu charitatis, sed tantùm regimine, administratione, ritibus, et societate externâ; nam illi sunt schismatici qui, societate externâ desertâ, privata instituunt conventicula. Etiamsi verò jactent ore et verbo se charitatem habere, re tamen et opere ostendunt se charitate destitui. Dari segregata conventicula extrà unitatem catholicam (quam schismatici negligunt aut repudiant) cum verâ charitate, par est ac si diceretur dari, secundùm idem, divisum et unitum. Vera charitas unit Ecclesias particulares in unum corpus ecclesiasticum. Ubi deest unio, deest charitas. « Charitas enim chri« stiana nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri. » S. August. contr. lit. Petil. lib. 2, cap. 77.

CAPUT XIV.

De Protestantium ad Ecclesiam græcam aliasque orientales provocatione.

Ut Protestantes crimen schismatis sui specioso obtegant velamine, dicunt se quidem recessisse ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ, non tamen ideò deseruisse omnes Catholicos toto orbe dispersos, nec Ecclesiam universalem catholicam, nec Ecclesiam græcam, aliasve orientales. Vide Petr. Mart. Loc. comm. class. 4, cap. 6, n. 4; Eilbracht. Epanorth. cap. 12, annot. 4; Croc. cap. 8, num. 34; Hulseman. de Præscript. thes. 116. Consideratio 1. — Si Ecclesiæ orientales sunt catholicæ, ergò illæ Ecclesiæ non errant in ullo articulo fundamentali et ad salutem necessario. Consequentia patet: quia Ecclesia errans in articulo necessario non est catholica, uti fatentur Protestantes. Consideratio 2. Si Ecclesiæ orientales non errant in ullo articulo fundamentali, ergò Protestantes tenentur cum iis colere communionem, si possint. Consequentia patet : quia Ecclesiæ particulares catholicæ, non colentes communionem cum aliis Ecclesiis particularibus catholicis, quandò possunt, sed eamdem repudiantes, fiunt schismaticæ. — Consideratio 3. Si Protestantes tenentur colere communionem cum Ecclesiis orientalibus, si possint, ergò et Ecclesiæ orientales tenentur colere communionem cum Protestantibus, si possint ; ergò Ecclesiæ orientales, ex sententiâ Protestantium, sunt schismaticæ. Patet hæc consequentia: quia Orientales noluerunt amplecti communionem Protestantium, etiam ab his requisiti, uti constat ex declaratione Jeremiæ, Constantinopolitani patriarchæ, aliisque apud Leon. Allat. de Eccl. Occid. et Orient. consens. cap. 8, n. 2, 3. — Consideratio 4. Si Ecclesiæ orientales, ex sententiâ Protestantium, sunt schismaticæ, ergò Ecclesiæ orientales, ex sententiâ Protestantium, non sunt catholicæ. Consequentia patet: quia eadem Ecclesia particularis non potest simul esse schismatica et catholica. — Consideratio 5. Si Ecclesiæ orientales, ex sententiâ Protestantium, sint catholicæ, ergò nullus articulus fidei vel morum, de quo controvertitur sive inter Ecclesias orientales, sive inter Orientales et Protestantes, est fundamentalis aut necessarius ad salutem. Consequentia patet : quia alioquin diversum sentientes non possent utrinque esse catholici. — Consideratio 6. Si nullus articulus fidei vel morum, de quo controvertitur sive inter Ecclesias orientales, sive inter Orientales et Protestantes, est fundamentalis, ergò Protestantes non recesserunt ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ propter ullum articulum, sive inter Ecclesias Orientales, sive inter Orientales et Protestantes controversum. Consequentia patet: quia, ex sententiâ Protestantium, non est deserenda unitas Ecclesiæ propter articulum non fundamentalem. — Consideratio 7. Si Protestantes non recesserunt ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ propter ullum articulum, sive inter Ecclesias orientales, sive inter Orientales et Protestantes controversum, ergò nec Protestantes recesserunt ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ propter ullum articulum, quem etiamnùm orientales Ecclesiæ tenent cum Ecclesiâ romano-catholicâ. Consequentia patet : quia alioquin respectu nostrî esset fundamentalis, respectu Orientalium non fundamentalis. Consideratio 8. Si Protestantes non recesserunt ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ propter ullum articulum quem etiamnùm Ecclesiæ orientales tenent cum romano-catholicâ, ergò omnes Protestantes, qui ejusmodi articulum assignant, tanquàm causam justam et necessariam, cur ab unitate Ecclesiæ catholicæ recesserint, eo ipso non justificant separationem suam. Consequentia patet : quia, ex sententiâ Protestantium, non est faciendum schisma propter errorem in articulo non fundamentali. Consideratio 9. Si omnes Protestantes, qui ejusmodi articulum assignant, tanquàm causam justam et necessariam, cur ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ recesserint, eo ipso non justificant separationem suam, ergò Protestantes non possunt allegare unum solum articulum controversum, tanquàm justam causam separationis suæ ab unitate Ecclesiæ romano-catholicæ. Probatur consequentia; cùm enim judicent Protestantes, orientales Ecclesias in multis articulis errare, nisi doceant ex sententiâ Ecclesiæ suæ, errores Orientalium non subvertere fundamentales articulos, prætensos autem errores Ecclesiæ romano-catholicæ subvertere articulos necessarios; nihil ad rem faciet, quidquid allegabunt. Nisi etiam docuerint Protestantes ex S. Scripturâ, errores Orientalium non subvertere articulos fundamentales; Romano-Catholicorum autem prætensos errores subvertere articulos fundamentales, similiter in vanum laborabunt. Quomodò autem hìc nobis adferent Protestantes sententiam Ecclesiæ suæ, quæ nihil certi habet de articulis fundamentalibus? Quomodò nobis probabunt ex S. Scripturâ nostros potiùs prætensos errores subvertere fundamentum fidei, quàm errores Orientalium? Nos existimamus omnes eos cæcutire, qui putant id præstari posse.

CAPUT XV.

De excusationibus simpliciorum.

Excusatio 1 est, quòd fuerint coacti recedere ob persecutionem contrà ipsos motam, tyrannidemque exercitam. Respondet S. Augustinus, lib. 1 contr. litt. Petil., cap. 13 : « Objicitis persecutionem; respondent vobis frumenta Dominica : aut justè factum est, aut palea nostra fecit. Quid ad hoc dicitis? » — Excusatio 2 est, quòd dicant se non recessisse ab unitate Ecclesiæ catholicæ, qui in Ecclesiis Protestantium nati et educati sunt, sed majores suos, Calvinum, Lutherum et similes. Respondet S. Augustinus, lib. 1 de Bapt. contr. Donat., cap. 5 : « Illi, qui per ignorantiam ibi (apud hæreticos) baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in istorum quidem consideratione (qui sciunt esse hæreticam) minùs peccant; sacrilegio tamen schismatis vulnerantur; non ideò non graviter, quia illi graviùs. » Vide lib. 1 contr. litt. Petil., cap. 25 et lib. 2, cap. 8; et de Unit. Eccl., cap. 2; S. Optat. Milevit., lib. 1 et 2. — Excusatio 3 est, quòd dicant se esse baptizatos, se credere

in Christum, se bonis operibus operam dare, ac proindè se sperare salutem, etiamsi illi parti adhæreant, quæ divisa est ab unitate Ecclesiæ catholicæ. Respondet S. Augustinus, contr. litt. Petil., lib. 1, cap. 77 : « Solemus ostendere quomodò non prosit hominibus, « quamvis sint vel Sacramenta vel fides, ubi non est « charitas; ut cùm ad catholicam unitatem venitis, in- « telligatis quid vobis conferatur, et quantum sit quod « minus habebatis. Charitas enim christiana, nisi in « unitate Ecclesiæ, non potest custodiri; atque ità vi- « deatis, sine illâ nihil vos esse, etsi baptismum et fidem « teneatis, et per illam etiam montes transferre possitis. « Quòd si hæc et vestra sententia est, non exsufflemus « vel Dei sacramenta, quæ novimus, vel ipsam fidem; sed « teneamus charitatem, sine quâ et cum sacramentis et « cum fide nihil sumus. Tenemus autem charitatem, « si amplectimur unitatem; amplectimur autem unita- « tem, si eam non per verba nostra in parte confingi- « mus, sed per verba Christi in unitate cognoscimus. » Vide lib. 2 contr. Crescent., cap. 12, et in Psalm. 88, et lib. 1 de Past., cap. 12 et Epist. 152. — Excusatio 4 est, quòd nonnulli dicant Deo credendum esse secundùm mensuram gratiæ ab ipso acceptæ; catholicos quidem multa credere, quæ Protestantes non credunt; sed illos quinque talenta accepisse, hos duo, vel tria. Se Catholicos non damnare; sed et in suâ modicitate salutem sperare. Resp. : Hìc valent, quæ ex S. Augustino ad præcedentia attulimus. Nam si nihil prodest baptismus et fides, sine necessariâ charitate, multò minùs proderit aliqua portio fidei, quæ habetur in divisione et schismate.

CAPUT XVI.

De effugiis doctiorum.

Effugium 1 est, quòd dicant Catholicos pacem Protestantium respuere, etiamsi condonentur errores Ecclesiæ catholicæ. — Resp. : Ecclesia Catholica non indiget condonatione errorum, quamdiù non est legitimè convicta erroris. Catholicam autem Ecclesiam nullo legitimo judicio convictam esse, ostendetur in sequentibus. Quibus enim judicibus erravit Ecclesia catholica, nisi accusatoribus ejus? coràm quo tribunali condemnata est, nisi illo quod cum divisione incœpit, et etiamnùm in divisione perseverat? Si hoc tribunal, si hi judices sequendi sunt; absoluti erunt omnes hæretici, omnes schismatici, quorum nullus unquàm ebullit, qui pro defensione criminis, non eâ temeritate condemnaret Ecclesiam, quâ eam accusabat. — Effugium 2 est, quòd dicant ex præcepto apostolico fugiendam esse idololatriam et Babylonem, nisi plagarum Dei velimus esse participes, 1 Cor. 10, 1 Joan. 5, Apoc. 18 et 2 Cor. 6; Conf. Helv. poster. art. 17; Armin. disp. 22, thes. 13. — Resp. : Is temerariorum accusatorum mos est, ut audacter objiciant crimina, nihil probantes. Excutiemus suo loco objectionem idololatriæ, et ostendemus, vel crassam ignorantiam, vel extremam malitiam isti calumniæ paràsse viam; neque esse Babylonem in Ecclesiâ catholicâ, sed in confusâ turbulentorum phantasiâ. — Effugium 3 est, quòd dicant cum Catholicis non posse haberi pacem; quia volunt in omnibus et singulis probari suos errores. Eilbracht. in Epanorth., cap. 11, annot. 3. — Resp. : Catholici non urgent explicitum et expressum consensum circà omnes et singulos conciliorum canones, ab omnibus et singulis fidelibus; cùm et viris doctissimis non semper sint notæ particulares definitiones. In multis non mandatur ab Ecclesiâ catholicâ expressa notitia; in multis non requirit assensum omnium et singulorum; licèt in nullo (propter reverentiam definitionibus Ecclesiæ debitam) liceat contradicere. Aliud utique est, expressum consensum postulare à singulis; aliud, licentiam obtrectandi removere ab omnibus. Sunt apud Catholicos aliqui articuli, Protestantium doctrinæ contrarii, qui redeuntibus ad nos essent explicitè credendi; sed ii pauci sunt, et rectè intellecti atque explicati, non habent illam difficultatem quam sibi persuadent Protestantes. Sed et olìm dicebat schismaticus Parmenianus : « Væ illis qui dicunt quod nequam est bonum, et « quod bonum est nequam; » cui respondet S. August., lib. 2 contr. Epist. Parm. cap. 1 : « O stultissimam « cæcitatem! quid enim tàm bonum et tàm jucundum, « quàm habitare fratres in unum! quòd illi nequam di- « cunt et amarum ponunt, qui se ab omnibus fratribus « separârunt, dùm vanas suspiciones suas, ne dicam « factiosas calumnias, vel non excitare, vel excitatas « tollere noluerunt. »

CAPUT XVII.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesiâ catholicâ, probatur 1° ex confessione Protestantium.

Quia in antecedentibus ostendimus, ex sententiâ Protestantium, non esse recedendum ab unitate Ecclesiæ, propter errorem in articulis non necessariis, si salvi maneant necessarii; nunc pergimus declarare quomodò, fatentibus Protestantibus, Ecclesia catholica non erraverit in fundamentalibus seu necessariis; undè concludemus nullo jure factam esse divisionem.

Dallæus, *la Foi fondée*, part. 3, chap. 1, postquàm retulisset articulos quos Reformati dicunt fundamentales, seu necessarios, addit : « Roma non contradicit « articulis quos credimus; ipsa profitetur se eos cre- « dere; » et mox : « Quis potest negare Romam etiamnùm eos articulos necessarios tenere? » Et iterùm : « Quoad meam religionem, id est, fidem, quam probavi « Scripturis, clarum est omnes veros Christianos anti- « quos et modernos consentire, et per consequentes « eos esse meæ religionis; » et mox : « Roma profite- « tur articulos necessarios, quos exposuimus. » Undè concludit : « ARTICULI FIDEI MEÆ NON SUNT CONTROVERSI. » Similia habet Calvinus, Instit. lib. 4, cap. 2, § 11, et in 1 Cor. 3, 15; Petr. Mart. Loc. comm. class. 3, cap. 9, § 27; Zanchius, in Præf. lib. de Naturâ Dei, et lib. 1 in 4. præcept. loc. 4, q. 1; Eilbracht., Epanorth. cap. 22, annotat. 1, 3; Croc., Anti-Bec. tom. 2, contr. 12, sect. 11, n. 16, 17, et sect. 12, n. 4. Marc. Ant. de Dom., lib. 7, de Republ. Eccl. cap. 5, § 40. — Non disputamus hoc loco, an Ecclesia romano-catholica sit erroribus fœdata, abusibus contaminata, impurita-

tibus involuta, vel corruptelis repleta; quod seorsìm suo loco examinabitur. Nunc ità concludimus : *Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesià catholicà;* tùm quia docent non esse recedendum ab Ecclesià quæ non errat in articulo necessario; tùm quia fatentur Ecclesiam romano-catholicam non errare, vel errâsse in articulis necessariis.

De testimoniis et confessionibus suorum dicit Eilbrachtus, Epanorth. cap. 4, annot. 7 : « Hujusmodi « judicium non nititur certitudine fidei, nec prætorià « quâdam potestate, sed christianâ charitate, quæ « optima sperat, et ad clementiam inclinat, non ad « crudelitatem. Quamobrem etiam, licèt interdùm longiùs atque par est progrederentur, tamen aliorum « rectiùs sentientium judiciis, ipsique veritati non præ« judicaret. » — Resp. : Sed nec judicium eorum qui condemnant Ecclesiam catholicam, nititur certitudine fidei, nec prætorià quâdam potestate. Quid ergò? Non christianâ charitate, quæ optima sperat, et ad clementiam inclinat; sed spiritu contradictionis, ad crudelitatem parato. Quorum proindè judicium, pro defendendo schismate ab unitate christianâ abhorrens, veritati non præjudicat. Deindè, si inter Protestantes sint, qui dicant Ecclesiam catholicam errare in articulis necessariis; sint etiam, qui dicant eam non errare in articulis necessariis. Ergò inter Protestantes non absolutè constat, quinam sint articuli necessarii. Ergò inter Protestantes non absolutè constat, an Ecclesia catholica erraverit in articulis necessariis. Ergò inter Protestantes non absolutè constat, an recesserint ab unitate Ecclesiæ catholicæ ob errorem in articulis necessariis. Ergò Protestantibus non absolutè constat, justè, an injustè divisi sint ab Ecclesià catholicâ. Hoc autem injustissimum est.

CAPUT XVIII.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesià catholicà, probatur 2° ex Unitate Ecclesiæ.

Docent nobiscum Protestantes veram Jesu Christi Ecclesiam esse *unam.* Cùmque fateantur Ecclesiam romano-catholicam esse veram Ecclesiam, quandò ab eâ divisi sunt Protestantes, segregârunt se à verâ Jesu Christi Ecclesiâ, atque adeò nullo jure facta est divisio. Si enim una tantùm Ecclesia est corpus Christi, nullum membrum ab eo corpore separatum vivificatur Spiritu Christi. Ergò quicumque se ab eo separat, subjacet omnibus pœnis suprà designatis. Vel igitur Ecclesia romano-catholica est vera Ecclesia, vel non est vera Ecclesia. Si prius; non potuit justa esse divisio; sin posterius, contradicunt suis. Ne igitur sibi contradicant, romana Ecclesia est vera Ecclesia; quæ cùm una tantùm sit, injusta est separatio, redintegranda est unio.

Hanc rationem unitatis ursit S. Optatus Milevitanus, lib. 2 : « Quis dubitet vos illud legitimum in Sacra« mentorum mysterio præterire non posse? Offerre « vos Deo dicitis pro Ecclesiâ, quæ una est; hoc ipsum « mendacii pars est, unam te vocare, de quâ feceris « duas. Et offerre vos dicitis pro unâ Ecclesià, quæ sit « toto terrarum orbe diffusa. Quid si unicuique vestrûm « dicat Deus : Quid offers pro totâ, qui non es in totâ? » Quid si etiam Protestantibus diceret Deus : Quid creditis, quid profitemini, quid docetis Ecclesiam esse unam, qui non estis in unâ, de quâ fecistis plures?

CAPUT XIX.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesià catholicà, probatur 3° ex Sanctitate Ecclesiæ.

Protestantes nobiscum docent Ecclesiam Jesu Christi esse *sanctam,* quod hoc loco non accipimus, nisi de sanctitate doctrinæ. Cùmque iidem Protestantes teneant veram Jesu Christi Ecclesiam non errare in fundamento, seu articulis necessariis, videndum est quid ex eo capite statuendum sit de Protestantium divisione. — Retulimus suprà quomodò ex sententià Protestantium Ecclesia romano-catholica sit vera Ecclesia; hìc autem docent Protestantes veram Ecclesiam non errare in articulis necessariis. Ergò Ecclesia romana catholica non errat in articulis necessariis. Ergò ab eâ non fuit recedendum. Nam, ut docent, non est recedendum ab unitate Ecclesiæ, propter errorem in articulis non necessariis. Ergò nullo jure facta est divisio. — Deindè agnoscunt Reformati Ecclesiam romano-catholicam, quæ primis quingentis post Christum annis viguit, fuisse veram Jesu Christi Ecclesiam, sanctamque sponsam Jesu Christi, non errantem in articulis necessariis. Vel igitur ista Ecclesia ità defecit, ut erraverit in articulis necessariis; vel sic non defecit. Si errorem in articulis necessariis astruitis; jam propriæ confessioni obloquimini; et propriam doctrinam subvertitis, quòd vera Jesu Christi Ecclesia non erret in necessariis. Sin autem defensam cupitis immunitatem ab errore in necessariis, ergò nullo jure facta est divisio. — « Intelli« gite vel serò (inquit S. Optatus, lib. 2) vos esse ramos « fractos ex arbore, vos esse abscissos palmites à vite, « vos esse rivum concisum à fonte. Non enim potest « esse origo rivuli, quia parvus est, et non de se « nascitur; aut arbor à ramo concidi, cùm arbor fun« data suis radicibus gaudeat, et ramus, si fuerit ex« sectus, arescat. »

CAPUT XX.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesià catholicâ, probatur 4° ex diffusione Ecclesiæ.

Docent Protestantes nobiscum veram Jesu Christi Ecclesiam esse *Catholicam,* hoc est, ut loquitur S. Augustinus, toto orbe diffusam, non ex nominis testimonio, sed ex promissis Dei. Ista autem Ecclesia catholica communicavit in fide cum romano Pontifice primis quingentis annis. Tempore autem inchoatæ Reformationis, nulla erat catholica, præter eam quæ in fide communicabat cum romano Pontifice; nec Protestantes aliam designant. Ergò ab eâ non fuit recedendum. Si enim fuisset recedendum, evacuatæ essent promissiones Dei. — Hìnc S. Optatus, lib. 2 : « Ubi erit pro« prietas catholici nominis, cùm indè dicta sit catholica, « quòd sit rationabilis et ubique diffusa? Nam si sic « pro voluntate vestrâ in angustum coarctatis Eccle« siam, si universas subducitis gentes, ubi erit illud

« quod Filius Dei meruit? ubi erit quod libenter ei lar- « gitus est Pater, in secundo Psalmo dicens : *Dabo tibi « gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam termi- « nos terræ?* Ut quid tale infringitis promissum, ut à « vobis mittatur quasi in quemdam carcerem latitudo « regnorum! quid tantæ pietati obstare contenditis? « quid contrà Salvatoris merita militatis? Permittite « Filium possidere concessa. Permittite Patri promissa « complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites? « Cùm à Deo Patre Salvatori tota terra promissa sit, « non est quidquam in aliquâ parte terrarum, quod à « possessione ejus videatur exceptum. Tota est donata « terra cum gentibus totius orbis Christo, una posses- « sio est. Hoc probat Deus, qui ait : *Dabo tibi gentes « hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos « terræ.* Et in septuagesimo primo Psalmo, de ipso « Salvatore sic scriptum est : *Dominabitur à mari usque « ad mare, et à flumine usque ad terminos orbis terræ.* « Pater dùm donat, nihil excipit; vos ut concedatis « unciam, totam libram auferre conamini. Et adhuc « nitimini suadere hominibus apud vos solos esse Ec- « clesiam, auferentes meritum Christo, negantes præ- « stitutum à Deo. O vestra ingrata et stulta præsumptio! « Christus vos cum cæteris in societatem regni cœ- « lestis invitat, et ut cohæredes sitis hortatur; et vos « eum in hæreditate sibi à Patre concessâ fraudare « laboratis, dùm Africæ partem conceditis, et totum « terrarum orbem, qui ei à Patre donatus est, denega- « tis. Quid mendacem videri vultis Spiritum san- « ctum? » etc.

Neque dicant Protestantes se non coarctare cum Donatistis Ecclesiam intrà certam orbis partem; quia nec Donatistæ hoc faciebant, quasi Evangelium non esset prædicandum in aliis orbis partibus, cùm, teste S. Optato, episcopum suum habuerint in urbe Româ, sed quia tenebant Ecclesiam catholicam in cæteris orbis partibus defecisse et apostatâsse. Quocircà, si S. Optatus meritò ursit promissionem Dei Patris de diffusione Ecclesiæ, meritumque Christi de acquisitione Ecclesiæ in omnibus gentibus, contrà separationem Donatistarum, Ecclesiam exiguo tempore defecisse asserentium : quantò majore fundamento à nobis urgetur eadem Dei Patris promissio, idem Christi meritum, contrà separationem Protestantium, decem seculorum apostasiam Ecclesiæ tribuentium! Vide S. August., epist. 48 ad Vincent., et lib. 2 contr. litt. Petil., cap. 70.

CAPUT XXI.

Discutitur provocatio Protestantium ad Ecclesias Waldensium, etc.

Crocius, cap. 12, n. 12, et alii Protestantes communiter provocant ad Ecclesias Waldensium. Necesse proindè est ut dicant Waldenses non errâsse in ullo articulo fundamentali seu necessario. — Et tamen juxtà Reinerum, cap. 5, contrà Waldenses, docuerunt 1° quòd baptismus infantium nihil prodest; 2° quòd omne juramentum sit mortale peccatum; 3° plus quàm homicidam reputant, qui cogit jurare quamvis sit judex; 4° quòd omnes principes et judices damnantur. — Idem Reinerus, cap. 6, varias Waldensium sectas refert, quas asserit docere 1° quòd Christus fuerit filius Joseph et Mariæ; 2° non fuisse passum Jesum Christum; 3° Trinitatem non fuisse antè nativitatem Christi; 4° resurrectionem corporum non futuram.

Catalogus testium veritatis priora ferè refert ex Reinero, col. 1508, etc. Similia de ipsis refert Petrus de Pilichdorf, et in tractatu suo, et in fragmentis. Horrenda de illis refert Ebrardus toto suo libro. Vide Bernardum Abbatem, Ermengardum, Abbatem Urspersengen, tom. 3 Conc., part. 2; Guidonem Carmelitam, Bernardum Lutzenburgensem, et Antonium, t. 3 Conc., part. 3; concilium Gallicanum anni 1176, tom. 3 Conc., part. 2; concilium Terraconense, ibid.; Æneam Sylvium, Crantzium, Scipionem du Pleix, tom. 1 ad ann. 1170; Jacobum de Ribeirâ. De confessione postremorum Waldensium, vide Scipionem du Pleix, tom. 3, ad an. 1554; l'*Histoire Ecclésiastique des Eglises Réformées au royaume de France, liv. 1, pag. 35.*

Wiclefus, in suis Dialogis, tradit 1° Adorationem Angelorum, lib. 2, cap. 10; 2° Deum necessitare creaturas ad quemlibet suum actum, ibid., cap. 14; 3° multos non prædestinatos esse in gratiâ, lib. 3, cap. 6; 4° omnia evenire necessitate absolutâ, ibid., cap. 8; 5° Deum non posse quidquam producere, nisi quod de facto producit, ibid.; 6° sanctos demortuos licitè à fidelibus invocari, ibid., cap. 30; 7° devotè adorandam esse hostiam, lib. 4, cap. 7; 8° consecrare esse omnium proborum officium, ibid., cap. 10; 9° prædestinatos non habere certitudinem de suâ prædestinatione, nisi probabilem, ibid.; 10° quamlibet creaturam sensibilem esse realiter sacramentum, ibid., cap. 1; 11° baptismum delere quodcumque peccatum, ibid., cap. 11; 12° dari post hanc vitam purgatorium, ibid., cap. 22. — Vide plura de eodem apud Cochlæum, lib. 1; apud magistrum Joan. Rokysanam, tract. de sacram. cap. 19; Magistrum Joannem Przibram, de Profess. Fid. catholicæ.

Joannis Hussii quæ fuerit sententia, patet ex ejus operibus, quæ exstant. Docuit 1° matrimonium esse sacramentum, de Matrim. cap. 3; 2° vinculum matrimonii non dissolvi per adulterium unius, ibid., cap. 1; 3° tres esse partes pœnitentiæ, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, de pœnit. fol. 37; 4° omnia peccata esse integrè confitenda sacerdoti, ibid.; 5° in Missâ offerri sacrificium propitiatorium, de Sacram. cap. 1; 6° Christum esse realiter præsentem in sacramento venerabili, ibid., cap. 2; 7° malos in Sacramento accipere corpus et sanguinem Domini, ibid., 8° Christum esse præsentem in SS. Eucharistiâ per transubstantiationem, ibid., cap. 3; 9° in sacramento tamdiù esse corpus et sanguinem Domini, quamdiù manet species panis et vini, ibid.; 10° esse purgatorium, in Fid. elucid. fol. 51; 11° fideles in purgatorio juvari suffragiis viventium, ibid.; 12° sanctos in cœlo existentes intercedere pro viventibus, ibid.; 13° sanctos demortuos esse invocandos, ibid.; 14° leges Ec-

clesiæ obligare conscientiam, de Corp. Christ.; 15° Papam esse immediatum vicarium Jesu Christi, quæst. de *Credere;* 16° non prædestinatos quandoque justificari, et accipere remissionem peccatorum, de Eccl. cap. 3; 17° prædestinatos posse in hâc vitâ gratiâ excidere, ibid., capite 5; 18° neminem hìc posse sine revelatione vel formidine asserere, quòd sit prædestinatus, ibid., fol. 204. — Vide plura de eodem apud Cochlæum, Hist. Hussit. lib. 2, p. 74, etc. Et sententiam discipulorum ejus, Jo. Rofyzanæ in tractatu de septem Sacramentis; et Jo. Przibram, in Professione fidei catholicæ. — Ex dictis interrogamus Protestantes, an coràm Deo possint asserere Ecclesias Waldensium, Wiclefistarum, et Hussitarum, suo judicio, non erràsse in articulis necessariis? Si affirment, in multis erunt calumniatores, qui hoc ipsum in Catholicis arguunt, tanquàm errorem in articulo necessario, quod in istis tolerant, velut nævum saluti non præjudicantem. Si negent, utquid provocant ad istas Ecclesias malignantium, quas ipsi statuunt erràsse in articulis necessariis? Quid hoc aliud est, quàm ignarum populum decipere?

CAPUT XXII.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesiâ catholicâ, probatur 5° ex successione Ecclesiæ.

Docent Protestantes nobiscum veram Jesu Christi Ecclesiam esse *apostolicam;* eique semper competere prædicationem verbi divini, et administrationem Sacramentorum. In parte divisâ nequit esse perpetua successio; cùm enim constet de initio divisionis, constat etiam de initio successionis, non à Christo institutæ, sed ab homine inchoatæ, adeòque nec perpetuæ. — Atque hinc dicit S. Optatus, lib. 2: « Videndum est, qui et ubi prior cathedrâ sederit; si ignoras, disce; si nôsti, erubesce. Ignorantia tibi adscribi non potest. Restat ergò ut noveris. Scientem errare, peccatum est. Nam ignorantibus nonnunquàm solet ignosci. Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam; in quâ sederit omnium Apostolorum caput Petrus, undè et Cephas appellatus est: in quâ unâ cathedrâ unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contrà singularem cathedram, alteram collocaret. Ergò cathedrâ unicâ, quæ est prima in dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, etc. Vestræ (ô Donastitæ) cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Sed et habere vos in urbe Româ partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. » Et enumerans episcopos Donatistarum ab ultimo ad primum, addit: « Si Victori diceretur, ubi sederit, nec antè se aliquem illìc fuisse monstraret, nec cathedram aliquam, nisi pestilentiæ ostenderet. Pestilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit. Qui inferi portas suas habere noscuntur, contrà quas portas claves salutares accepisse legimus Petrum, principem scilicet nostrum; cui à Christo dictum est: *Tibi dabo claves regni cœlorum, et portæ inferi non vincent eas.* Undè est ergò, quòd claves regni usurpare contenditis, qui contrà cathedram Petri, vestris præsumptionibus et audaciis, sacrilegio militatis, beatitudinem repudiantes, quâ laudari meruit: *Qui non abiit in consilio impiorum, et in viâ peccatorum non stetit, et in cathedrâ pestilentiæ non sedit?* In consilio impietatis itum est à majoribus vestris, ut dividerent Ecclesiam. Iverunt etiam peccatorum viam, dùm Christum partiri conati sunt, cujus Judæi nec vestimenta scindere voluerunt; cùm Apostolus Paulus clamet: *Numquid divisus est Christus?* » — Videtis, Protestantes, nullam posse esse successionis partem ubi non est successionis perpetuitas; non posse esse successionis perpetuitatem in divisione; atque ideò nec ipsam divisionem, propter defectum perpetuæ successionis, posse censeri jure factam.

CAPUT XXIII.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesiâ catholicâ probatur 6° ex necessitate communionis.

Docent Protestantes nobiscum, sine communione externâ cum verâ Jesu Christi Ecclesiâ, non esse salutem. Atqui fatentibus Protestantibus, Ecclesia romano-catholica est vera Ecclesia. Quomodò ergò fieri potest sine præjudicio salutis, ut communionem ejus deserant? Si hoc fieri non potest, ergò nullo modo deserenda erat ejus communio; ergò nullo jure facta est divisio. — Neque sufficit dicere quòd Ecclesiis Protestantium externâ communione adhæreatis; cùm eædem Ecclesiæ à priore communione sint divisæ, eamque repudiaverint, et etiamnùm persistant in divisione. Cùm autem una sit Ecclesia Christi, cui veniat communicandum; isti non communicant cum unâ Ecclesiâ, qui partem divisam sequuntur et à toto corpore abstinent.

CAPUT XXIV.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesiâ catholicâ, probatur 7° ex defectu legitimi judicii.

Docent Reformati, in Admonitione de libro Concordiæ, cap 12: « Recta ratio et pietas dictat, neminem esse damnandum, nedùm lædendum, propter controversiam novam nunquàm legitimo judicio examinatam, cognitam et decisam. Neque debere quemquam esse judicem in causâ propriâ, neque decreti à tali judice facti executorem. » Hâc generali positione utuntur contrà Lutheranos, à quibus se dicunt immeritò condemnari, tùm ob negatam manducationem oralem corporis Christi in Eucharistiâ, tùm ob negatam ubiquitatem. Atque his non obstantibus, petunt mutuam tolerantiam.

Sed videamus quid *recta ratio et pietas dictet omnibus.* Hoc enim deprædicant Reformati, quandò pacem cum Lutheranis stabilitam cupiunt. Recta ratio dictat, *neminem esse damnandum, nedùm lædendum, propter*

controversiam novam. Quid intelligitis per *controversiam novam?* nonne et eam quæ de Cœnâ Domini, quæ de Ubiquitate est? affirmabitis. Si istæ controversiæ sunt novæ, quas habetis cum Ecclesiâ catholicâ antiquas? Profectò, quascumque movistis, cùm superiore seculo cœptæ sint moveri, erunt novæ, et atavis vestris ignotæ. Undè si propter novam controversiam nemo damnandus est, nemo lædendus, recta ratio et pietas dictat omnibus, immeritò à vobis damnatos esse Catholicos; nullo jure à vobis læsam esse Ecclesiam catholicam, quam dissensione vestrâ divisistis, distractis à corpore pluribus membris. Quid hìc dicetis? imò quid fingetis? An aliud vobis dictat recta ratio et pietas, quandò pacem Lutheranorum ambitis; aliud, quandò unitatem catholicam fugitis? An aliud vobis dictat pietas, quandò illorum conjunctionem postulatis, quorum doctrinam hæreseos arguitis; aliud, quandò matris vestræ Ecclesiæ catholicæ amplexum declinatis? Quæ hæc pietas est, maternum, ob controversias novas horrere consortium; et externorum, non obstantibus antiquis hæresibus, sollicitare contubernium? Quæ ratio dictat, tolerare hæreses, ab antiquâ Ecclesiâ non semel damnatas, et rejicere doctrinas nunquàm legitimè falsitatis convictas? — Utinam sic procedendo ex iis non sitis, de quibus S. Augustinus, tract. 1 in Epist. Joan. dicit: « Non tolerant pro pace « (Christi Catholicos) quos infamant; et tolerant pro « parte Donati (et Calvini) quos condemnant. » Quapropter, ut dicit S. Athanasius, Epist. in quâ mot. Eccl. tragœd.: « Indictâ causâ condemnant; quæ falsitatis « nunquàm convicerunt, rejiciunt.

Recogitate tempora, et inquirite quo legitimo judicio condemnata sit Ecclesia catholica. Nam, ut ipsi docetis, recta ratio et pietas dictat omnibus neminem esse damnandum, nedùm lædendum, propter controversiam novam *nunquàm legitimo judicio examinatam, cognitam et decisam.* Quandò examinata est causa Ecclesiæ catholicæ, quandò cognita, quandò decisa? Nescimus profectò quâ ratione vel excogitare possint examen, vel imaginari cognitionem, vel fingere decisionem; cùm antè ipsorum separationem, nec species examinis præcesserit, nec forma cognitionis intervenerit, nec legitimi judicii sententia pronuntiata sit.

Dicant, tyrannide pontificiâ impeditum fuisse ordinem legitimi judicii. An propterea desinebat dictare recta ratio et pietas neminem esse damnandum, propter controversiam novam? an desinebat dictare pietas, unitatem Ecclesiæ horrendâ divisione non esse lacerandam, antè causam examinatam, cognitam et decisam? Sed cur post separationem introductam, nullum legitimum judicium est inchoatum? cur nullum examen institutum? cur nulla successit cognitio? cur nulla pronuntiata est decisio? Quid enim horum, tanquàm legitimum, hucusque excogitârunt Reformati? Et si tale judicium fingant, quomodò probabunt nos eo teneri? etiam Remonstrantes (*in Synod. Dordrecht. sess.* 25) censuerunt schismaticis non competere legitimum judicium, de doctrinâ ejus partis à quâ separati sunt.

Numquid docetis *non debere quemquam esse judicem in propriâ causâ, neque decreti à tali judice facti executorem?* exhibeant ergò aliquod judicium contrà Ecclesiam Catholicam, quod in propriâ causâ prætensi judices non pronuntiârunt; exhibeant aliquod decretum, cujus ipsi non fuerint auctores et executores. — Itaque recta ratio et pietas dictat omnibus non posse Reformatos in seipsis defendere contrà Ecclesiam catholicam, quod in Lutheranis reprehendunt; recta ratio dictat ut quod quisque juris in alium statuerit, hoc ipse utatur. — Sed gravius aliquid est in facto Reformatorum. Ipsi docent *non debere quemquam esse judicem in causâ propriâ, neque decreti à tali judice facti executorem.* Quandò aliquis judicat in causâ propriâ, et deindè exequitur sententiam, licèt injustè procedat, servat tamen ordinem justitiæ, quatenùs non progreditur ad executionem, nisi post sententiam. Sed Reformati, non expectato legitimo judicio, non expectatâ sententiâ, incœperunt ab executione, quandò initium fecerunt à divisione. Atque adeò recta ratio dictat omnibus, Reformatorum divisionem nullo jure factam esse, et multis modis justitiæ esse contrariam. Nam si in civilibus causis injusta est procedendi ratio, quandò legitimus judex incipit ab executione; quanta est contrà Deum et Ecclesiam ejus injustitia, quandò aliqua Ecclesiæ membra, quibus judiciaria potestas non competit, non servato justitiæ ordine, corpus Christi divisione suâ dilacerant!

CAPUT XXV.

Nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab Ecclesiâ catholicâ, etiamsi hæc errâsset in articulo necessario.

Mirabitur lector à nobis asseri nullitatem divisionis Protestantium, etiamsi ponatur Ecclesia catholica errâsse in articulo necessario. Sed rogamus ut nihil præproperè de istâ assertione statuat, et non nisi lectis nostris probationibus, de veritate decernat.

Quamvis Ecclesia catholica non erraverit in articulo necessario, uti frequenter ostensum; ad majorem tamen præsentis quæstionis elucidationem, supponamus Ecclesiam catholicam, cùm ab eâ recederent Protestantes, errâsse in articulo necessario, eamdemque propter talem errorem funditùs interiisse: cùm juxtà Protestantes, mors Ecclesiæ sequatur ex errore in articulo necessario. Dicimus equidem nullo jure factam esse divisionem Protestantium ab unitate Ecclesiæ catholicæ. — Corpus Ecclesiæ constituitur per ministros et subditos, sive ex ministris et subditis. Nulla est visibilis Ecclesia, ubi non prædicatur Evangelium Jesu Christi, ubi non administrantur sacramenta, ubi nulla est professio veræ fidei. Quamdiù Lutherus, Calvinus et alii, qui primi recesserunt ab Ecclesiâ catholicâ, fuerunt membra Ecclesiæ catholicæ, fieri non potest ut fuerint membra Ecclesiæ Jesu Christi, supposito quod Ecclesia catholica erraverit in articulo necessario, uti hìc supponimus.

Vel igitur Lutherus, Zwinglius et alii ab Ecclesiâ catholicâ recedentes, ejusque unitatem deserentes, facti sunt membra alterius cujusdam Ecclesiæ visibi-

lis, antequàm isti recederent, existentis; vel non sunt facti membra alterius Ecclesiæ visibilis, tunc existentis. Si non fuerunt facti membra alterius Ecclesiæ, ergò fuerunt membra præcisa, membra sine vitâ, membra mortua; et omnes qui se illis adjunxerunt, deserentes unitatem Ecclesiæ catholicæ, fuerunt membra præcisa, addita membris præcisis; membra mortua, addita membris mortuis. Sin autem primi recedentes facti sunt membra alterius Ecclesiæ visibilis; cur eam Ecclesiam hactenùs non designârunt? profectò nullam invenient, nisi fortè sit verisimile tunc exstitisse Ecclesiam, æquè in determinandis articulis necessariis discordem, sicut discors est Protestantium Ecclesia. Ergò fieri non potuit ut tunc exstiterit vera Jesu Christi Ecclesia, cui se potuerint conjungere, vel cui se de facto conjunxerint primi Reformatores. — Sed nec Protestantes dicunt primos Reformatores se tali Ecclesiæ conjunxisse; cùm nec somnolentus ullâ ratione probabili id sibi persuadeat. Si enim talis fuisset Ecclesia, necesse habebant ab eâ accipere suam missionem, ne in vanum currerent non vocati. An à tali Ecclesiâ acceperunt suam missionem Protestantes? cur ergò deducunt suam missionem ab Ecclesiâ catholicâ? Ergò non fuit talis Ecclesia; ergò primi Protestantes non sunt facti membra istius Ecclesiæ, etiamsi daretur tunc exstitisse talem Ecclesiam.

Quid hìc dicent? An unusquisque Reformator, exiens ab Ecclesiâ catholicâ, fuit corpus Ecclesiæ, pars et totum, manus, caput, oculus, pes, et omnia? An unusquisque fuit minister et subditus, pastor et ovis, episcopus et grex? Ponderent illud Apostoli, Rom. 12, 4: *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent: ità multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* — Itaque oriente Luthero, Calvino, etc., vel erat vera Jesu Christi Ecclesia in terris, vel non erat. Si dicant tunc fuisse veram Jesu Christi Ecclesiam, Lutherus, Calvinus, etc., qui se illi non conjunxerunt, non fuerunt membra veræ Ecclesiæ; sed membra nulli corpori adjuncta, hoc est, non fuerunt membra ullius Ecclesiæ. Sin autem dicant tunc non fuisse veram Jesu Christi Ecclesiam, fieri nequit ut facti sint membra Ecclesiæ non existentis, aut pars totius quod non erat.

Neque relevat subterfugium ad Ecclesiam invisibilem; quia ea non est nisi pars Ecclesiæ visibilis. Ac proindè, si nulla fuerit Ecclesia visibilis Jesu Christi, cujus sint facti membra primi Reformatores, non potuerunt fuisse membra Ecclesiæ invisibilis. Nam qui in toto non est, non potest in parte ejus reperiri; nec potest esse pars membri nisi simul sit pars totius.

Hunc modum procedendi tenuit S. Augustinus contrà Donatistas (lib. 3 de bapt. cap. 2), qui sese separaverant ab unitate Ecclesiæ catholicæ, uti superiore seculo fecerunt Protestantes. Vel, inquit S. Augustinus, oriente Donato, erat vera Ecclesia, vel non erat. Si tunc erat vera Ecclesia, ab eâ non se debuit separare Donatus. *Si autem tunc non erat vera Ecclesia, undè Donatus apparuit? de quâ terrâ germinavit? de quo mari emersit? de quo cœlo cecidit?* Cujus argumenti vis et efficacia in eo consistit, quòd Donatus exiens ab Ecclesiâ catholicâ, quam dicebat apostatâsse, nullo modo potuerit fieri membrum veræ Ecclesiæ, ut quæ non existeret, nec fideles sibi haberet junctos. — Atque hìnc apparet inanem fuisse Protestantium separationem, etiamsi daretur Ecclesiam catholicam errâsse in articulo necessario. Undè rectissimè S. Irenæus, lib. 4, cap. 62: « Nulla ab eis tanta potest fieri correptio « (hoc est, correctio, emendatio, seu reformatio) « quanta est schismatis pernicies. » Et quare? Nam si schisma faciendum esset, debuisset interiisse Ecclesia, si autem interiisset vera Ecclesia, frustrà fieret schisma. Sicut enim membrum humanum à corpore mortuo præcisum, non magis vivit post præcisionem, quàm antè præcisionem, ità membra Ecclesiæ mortuæ non magis possunt vivere post præcisionem ab Ecclesiâ mortuâ, quàm antè præcisionem, nisi conjungantur corpori viventi, cujus spiritu vivificentur: corpus autem tale non fuit, quandò inchoata est reformatio. Atque ideò cum S. Augustino dicimus: *præscindendæ unitatis nulla est justa necessitas.* Contr. Epist. Parm. lib. 2, cap. 11. — Hanc veritatem cognovisse videtur Conf. Helv. post., art. 18, cùm describens officia ministrorum Ecclesiæ, inter ea absolutè recenset quòd ipsorum munus sit schismata prohibere.

CAPUT XXVI.

De objectâ tyrannide corporali.

Consueverunt Protestantes causas recedendi ab unitate Ecclesiæ catholicæ reducere ad tyrannidem, idololatriam et hæresim. Et de idololatriâ quidem et hæresi agendum erit in particularibus controversiis: de tyrannide hìc assumenda tractatio. Tyrannis verò objicitur duplex, corporalis, et spiritualis. De spirituali agemus capite sequenti; hìc de corporali.

Protestantes hâc in parte imitantur Donatistas, qui, tempore S. Augustini, objecerunt Catholicis tyrannidem corporalem; uti videre est, lib. 2 contr. litt. Petil. cap. 15, 16, 17, 20, 23, 52, 53, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 71, 73, 76, 78, 79, 80, 83, 85, 87, 88, 99, 100, et aliis locis multis.

Non est quæstio 1° an magistratui politico liceat coercere hæreticos? Non 2° an magistratui politico liceat hæreticos seditiosos capitali supplicio afficere? Non 3° an magistratui politico liceat capitalem pœnam statuere in blasphemos. Ista enim omnia fatentur Protestantes. Sæpè capitalis pœna statuitur ex consideratione politicâ, propter periculum seditionis. Ratio blasphemiæ ab aliis latiùs, ab aliis strictiùs accipitur. — Sed quæstio est, an liceat magistratui seductores, qui errores fundamentales in Ecclesiâ spargunt, eosque pertinaciter defendunt, ultimo supplicio afficere? Hoc enim Lutheranos negare, vult Gerhardus, tract. de magistr. polit. cap. 6, sect. 5, membr. 2, art. 3, n. 317. Meisnerus verò vocat quæstionem undequaquè dubiam. Philos. sobr. part. 1, sect. 2, cap. 4, q. 4. Reformati hìc nobiscum sentiunt ferè in totum, nisi quòd quæstiones de nomine moveant: et factum Cal-

vini idem testatur, Explic. perfid. Valentini. et Refut. error., Michael Servet.

Itaque non est operæ pretium, hoc loco eam materiam ex professo tractare, cùm enim Reformati, quoad principale, à nobis non dissentiant : et quousque extendenda sit ratio blasphemiæ, inter Lutheranos non constet; Meisnerus etiam quæstionem undequaquè vocet dubiam, ac propterea non constet de sententià Ecclesiæ Lutheranæ; pergimus ad ulteriora.

CAPUT XXVII.

De objectà tyrannide spirituali.

Tyrannidem spiritualem dicunt Protestantes in eo consistere, quòd Ecclesia romano-catholica proponat fidelibus multos articulos falsos sub credendi necessitate; à quibus nemini liceat sine periculo salutis dissentire. Vide Davenant., epist. ad Duræum; Petr. Mart. Loc. comm. class. 4, cap. 6, n. 4, 7; Eilbracht, Epanorth. cap. 10, annot. 2, 3, 6. — Fatentur interim Protestantes ministros rectè astringi Confessionibus publicis; ità ut nihil ipsis liceat contrà eas movere auctoritate privatà, si in externà Ecclesiæ, et quidem ministerii publici communione permanere velint. Croc. cap. 21, n. 30, fatentur non omnes articulos proponi in confessionibus sub credendi necessitate; et tamen non determinant quinam proponantur sub credendi necessitate.

Membra Ecclesiæ, juxtà Davenant. loc cit., sunt toleranda (si in quibusdam dissentiant ab Ecclesiæ sententià), si minimè præsumpserint communem Ecclesiæ sententiam oppugnare, aut suam privatam apud vulgus extollere et disseminare. Hanc suam legem an servaverint Protestantes antè exitum suum ab unitate catholicà, ipsi judicent.

Pone Reformatum jactantem se non posse contrà conscientiam suam, approbare multa dogmata, in Ecclesià catholicà definita. Sed idem jactàrunt Donatistæ; idem omnes, qui schismati hæresim adjunxerunt. Idem jactant Arminiani contrà Reformatos; Reformati contrà Lutheranos; Lutherani contrà Catholicos. Nunquàm licet contrà conscientiam aliquod dogma approbare : frequenter tamen necesse est, per meliorem informationem conscientiam erroneam deponere. Suppositâ conscientiâ doctrinæ Ecclesiæ adversante, nunquàm licet privata erigere conventicula, vel erectis adhærere.

Consideret lector Acta et sententiam novissimæ Synodi Nationalis Dordrechtanæ, et inveniet nihil in hâc parte à Reformatis posse objici Ecclesiæ Catholicæ, quod ipsis non objecerint Arminiani.

CAPUT XXVIII.

Quâ viâ invenienda sit unitas Ecclesiæ.

Acutissimus Tertullianus, probaturus nihil profici congressione Scripturarum, nisi planè, ut aut stomachi quis ineat eversionem, aut cerebri. *Ista*, inquit, *hæresis non recipit quasdam Scripturas : et si quas recipit, adjectionibus et detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit : et si recipit, non recipit integras : et si aliquatenus integras præstat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantùm et corruptor stylus.*

Si Catholicus, probaturus fidem suam, adducit aliquod Scripturæ testimonium, quid faciunt hæretici? *Variæ præsumptiones* NECESSARIO *nolunt agnoscere ea, per quæ revincuntur : his nituntur, quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promovebis, exercitatissime Scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur ex adverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione : nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ille vero* (cap. 18) *si quis est, cujus causâ in congressum descendis Scripturarum, ut eum dubitantem confirmes, ad veritatem, an magis ad hæreses deverget? hoc ipso motus, quòd te videat nihil promovisse æquo gradu negandi et defendendi, diversâ parte statutum : certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim judicet.*

Ex his observamus antiquos illos, ducentis post Christum annis, hæreticos, per varias præsumptiones *necessitatem* probationis à fidelibus ex Scripturis adductæ, in dubium revocâsse. Quàm autem sit facile varias præsumptiones invenire et producere, ne probationis necessitas agnoscatur, quilibet non indoctus novit. Quamvis enim contrà articulos fidei vera nequeat adduci *probabilitas*, nullo tamen labore *variæ præsumptiones* sese ingerunt, quas à verâ probabilitate distinguere sit difficillimum.

Atque ideò licèt Catholicus de hæreticis verè dicat : *His nituntur, quæ ex falso composuerunt, et quæ de ambiguitate cœperunt;* tamen, ut subtilis advertit Tertullianus ibid. : *Hæc utique et ipsi* hæretici *habent in nos retorquere. Necesse est enim et illos dicere à nobis potiùs adulteria Scripturarum et expositionum mendacia inferri, qui proindè sibi defendant veritatem.*

Sed istis sepositis, aperiamus viam veritatis et unitatis. « Ergo, inquit Tertullianus c. 19, non ad Scri« pturas provocandum est; nec in his constituendum « certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria « est, aut parùm certa. Nam etsi non ità evaderet col« latio Scripturarum, ut utramque partem parem siste« ret, ordo tamen desiderabat, illud priùs proponi, « quod nunc solum disputandum est. Quibus competat « fides ipsa; cujus sint Scripturæ; à quo, et per quos, « et quandò, et quibus sit tradita disciplina quâ fiunt « Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disci« plinæ et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, « et expositionum, et omnium traditionum christia« narum. » Hæc est via unitatis et veritatis, via secura et tuta; doctis et indoctis plana. Non est speranda certitudo fidei, et communicatio fidelium, sine auctoritate Ecclesiæ verbum Dei proponentis. Neque hanc viam eò ingredimur, quasi *de consilio diffidentiæ*, ut loquitur Tertullianus, c. 16. Sæpè enim experti sumus collationem Scripturarum non utramque partem parem sistere; quod si contingeret, vana et infructuosa esset de Scripturis collatio; cùm tamen illa suam utilitatem habeat, et apud Ecclesiam catholicam indè à principio sit usitatissima. *Ordo desiderabat illud priùs proponi,*

quod nunc disputandum est. Nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt; et ordine veritatis et unitatis indagandæ non servato, facile est ad devia prolabi. Hoc autem desiderat ordo, ut primùm quæratur : *Quibus competat fides ipsa?* Catholici dicunt sibi competere fidem; Protestantes idem asserunt; si autem non sit utrorumque fides, necessarium est, aut Catholicis, aut Protestantibus eam non competere. Videndum igitur, *cujus sint Scripturæ?* nam ejus erunt Ecclesiæ quæ est vera Jesu Christi Ecclesia. Hoc autem de suâ Ecclesiâ dicunt Catholici, de suâ Protestantes. Cùmque non sit una utriusque partis Ecclesia, aut errant Catholici, aut errant Protestantes. Petamus : *A quo sit tradita disciplina quâ fiunt Christiani?* Atque hìc consentiunt Protestantes Catholicis, à Christo Jesu Domino nostro esse traditam. Ex hoc consensu pergamus ad alia. *Per quos tradita est disciplina quâ fiunt Christiani?* Consentiunt iterùm Catholicis Protestantes, per Apostolos esse traditam. Sed, *quibus tradita est disciplina quâ fiunt Christiani?* Et hìc consentiunt Protestantes esse traditam Ecclesiis ab Apostolis institutis. Ergò isti Ecclesiæ tradita est ab Apostolis doctrina quâ fiunt Christiani, quæ indè ab initio usque ad nostra tempora in unitate permansit. Nam quamvis in variis locis instituerint Ecclesias Apostoli, tamen (ibid. cap. 20) « tot ac tantæ Ecclesiæ, una est illa ab Apostolis prima, « ex quâ omnes. Sic omnes primæ, et omnes aposto- « licæ, dùm unam omnes probant unitatem. Commu- « nicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesse- « ratio hospitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, « quàm ejusdem Sacramenti una traditio. » Atqui nos soli Romano-Catholici, ibid. Cap. 21, « communica- « mus cum Ecclesiis Apostolicis : quod nulla doctrina « diversa, hoc est testimonium veritatis. » Nam indè ab initio persistimus in primâ unitate; neque potest designari vera Ecclesia, quæ hucusquè manserit, à quâ Catholici defecerint. Itaque Catholicis tradita est ab Apostolis doctrina quâ fiunt Christiani. Cùm igitur apparuerit apud Catholicos *esse veritatem disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum et expositionum, et omnium traditionum christianarum.* Nec enim fieri potest ut aliter acceperint, atque intellexerint fidem christianam Ecclesiæ apostolicæ, quàm ab Apostolis proferebatur, verbum Dei cum vero sensu annuntiantibus. « An verisimile est, inquit Tertullianus, « cap. 28, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem er- « raverint? Nullus inter multos eventus est unus exi- « tus; variâsse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. « Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non est « erratum, sed traditum. Audeat ergò aliquis dicere « illos errâsse, qui tradiderunt! »

Protestantium autem Ecclesias constat, ibid. cap. 30, *neque adeò olim fuisse,* superiore nimirùm seculo, *et in catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam romanensem,* donec primi Protestantes secessionem fecerunt, discipulis ex Ecclesiâ catholicâ abductis. Cupio ostendant mihi ex quâ auctoritate prodierunt. « Si alium Deum prædicant, quomodò ejus Dei rebus, « et litteris et nominibus utuntur, adversùs quem præ- « dicant? si eumdem, quomodò aliter? Probent se no- « vos Apostolos esse, dicant Christum iterùm descen- « disse, iterùm ipsum docuisse, iterùm crucifixum, « iterùm mortuum, iterùm resuscitatum, sic enim « Apostolos solet facere, dare illis prætereà virtutem « eadem signa edendi, quæ et ipse. » Aut si hoc nequeant, ibid. cap. 32 : « Edant origines Ecclesiarum « suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ità « per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille « episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, « qui etiam cum Apostolis perseveraverit, habuerit « auctorem et antecessorem. » Non sufficit Protestantes varias ex Scripturis oppositiones formare Ecclesiæ catholicæ; hoc enim perfacile est. Sed, ibid. cap. 45 : « Debent probare illam quoque hæresim esse eâdem « formâ revictam, quâ ipsæ revincuntur; et (nota benè) « ostendere simul ubinam quærenda sit veritas, quam « apud illos non esse jam constat. Posterior nostra « res non est, imò omnibus (et Protestantibus) prior « est : hoc erit testimonium veritatis, ubique occupan- « tis principatum. » Ibid. cap. 37 : « Si hæc ità se ha- « bent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in eâ « regulâ incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apo- « stoli à Christo, Christus à Deo tradidit, constat ratio « propositi nostri, definientis non esse admittendos hæ- « reticos (nec Protestantes) ad ineundam de Scripturis « provocationem, quos sine Scripturis probamus ad « Scripturas non pertinere. » Protestantibus enim meritò dicendum est : « Qui estis? quandò, et undè veni- « stis? quid in meo agitis non mei? quo denique, Mar- « cion (Calvine), jure sylvam meam cædis? quâ licentiâ, « Valentine (Zwingli), fontes meos transvertis? quâ « potestate, Apelles, (Luthere), limites meos commo- « ves? Mea est possessio, quid hìc cæteri ad volunta- « tem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, « olìm possideo, prior possideo, habeo origines firmas, « ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum hæres « Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut « fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ità teneo. »

Dicamus ergò Protestantibus cum Apostolo, 1 Cor. 14, 36 : *An à vobis verbum Dei processit, aut in vos solos pervenit?* Nam ut fideles instituantur, necesse habent verbum Dei recipere, vel ab iis à quibus illud processit, vel ab iis ad quos pervenit. Non processit à Protestantibus Evangelium, sed à Christo per Apostolos. Non receperunt immediatè ab Apostolis Evangelium Protestantes, quia tunc non fuerunt. Ergò debent recipere Evangelium ab iis ad quos pervenit. Pervenit autem ad Ecclesias apostolicas, quæ unam constituerunt Ecclesiam. Ergò ab illis recipiendum est Evangelium, qui in istâ unitate hucusque perstiterunt. Perstitit verò in istâ unitate Ecclesia romano-catholica, neque enim ostendi potest alia vera Ecclesia quæ hucusque à principio manserit, et à quâ romano-catholica defecerit. Ergo Protestantes, superiore seculo membra Ecclesiæ romano-catholicæ, debuerunt recipere Evangelium ab Ecclesiâ romano-catholicâ. *Hæc est via unitatis.*

PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

Ego N. firmâ fide credo et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet :

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium.

I. *Deum non esse auctorem peccati.*

Credimus cum Scripturâ divinâ, Deum nec velle peccatum, nec esse auctorem peccati. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, Psal. 5, 5.

Rejectio abominandæ hæresis Calvini. — Docet ille contrà Scripturam expressam : « Mala quatenùs mala « sunt, quæ malo animo perpetrant homines, Deo mi« nimè placere fateor ; sed quòd otiosum ea permittere « fingunt, quæ Scriptura non tantùm eo volente, sed « auctore fieri pronuntiat, nimis frivolum est effu« gium. » De æter. Prædest. pag. 842. Vide Instit. lib. 1, cap. 18, § 1.

II. *Deum non facere iniquitatem.*

Credimus cum divinâ Scripturâ, Deum nunquàm facere quod iniquum est. *Dominus justus in medio ejus, non faciet iniquitatem*, Sophon. 3, 5.

Rejectio abominandæ hæresis Calvini. — Docet ille contrà Scripturam expressam : « A Domino procedunt, « quæ sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur. » De æter. Prædest. pag. 844. Item : « Cur autem volens « errare sinat, imò arcano decreto errori addicat quos « rectam viam tenere jubet, sobriæ modestiæ est ne« scire. » De occult. Provid. pag. 858.

III. *Deum non tentare ad malum.*

Credimus à Deo alienum esse, ut hominem tentet ad malum. Sic enim S. Scriptura : *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, Jacob. 1, 13.

Rejectio abominandæ hæresis Calvini. — Docet ille contra Scripturam expressam : « Homo justo Dei im« pulsu facit quod sibi non licet. » Instit. lib. 1, cap. 18, § 4. Item : « Manifestum est operari Deum in cor« dibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates « quòcumque voluerit, sive ad bona pro suâ miseri« cordiâ, sive ad mala pro meritis eorum. » De æter. Prædest. pag. 843.

Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum antè omnia secula.

IV. *Filium Dei esse à Patre.*

Credimus cum S. Scripturâ, Filium Dei esse à Patre. Nam dicit Christus : *Ego scio eum* (Patrem), *quia ab ipso sum*, Joan. 7, 29.

Rejectio abominandæ hæresis Calvini. — Docet ille contrà Scripturam expressam : « Si Pater suum esse « habet à seipso, Filius suum esse habet à Patre, « Spiritus ab utroque; annon tres essentiæ emergunt? » Admonit. ad Polon. pag. 793.

Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero ; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.

V. *Christum esse omniscium.*

Qui credimus Christum esse Deum verum, eumdem cum S. Scripturâ credimus omniscium. Ità Discipuli de eo testantur : *Nunc scimus quia scis omnia*. Joan. 16, 30. Ità S. Petrus profitetur : *Domine, tu scis omnia*. Joan. 21, 17. Et S. Joannes de Domino refert : *Jesus itaque sciens omnia quæ ventura erant super se*, Joan. 18, 4.

Rejectio hæresis Calvini. — Docet contrà Scripturam expressam : « Nihil absurdi fuit, Christum aliquid secundùm sensum nescire. » In Matth. 24, 3. Item : « Anima ejus subjecta fuit ignorantiæ. » In Luc. 2, 40.

Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Mariâ virgine, et homo factus est.

VI. *Christum esse legislatorem.*

Credimus cum S. Scripturâ, Christum esse legislatorem : *Dominus judex noster, Dominus legislator noster*. Isa 33, 32. Et sic Christus ipse dixit : *Mandatum novum do vobis*, Joan. 13, 34. Testatur Apostolus : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, Galat. 5, 2.

Rejectio hæresis Calvini. — Docet contrà Scripturam expressam : « Christum negamus legislatorem, qui no« vas aliquas leges orbi tradiderit. » Antidot. Synod. Trid., can. 20 et 21, pag. 338.

VII. *Christum ingressum esse ad Discipulos januis clausis.*

Credimus inter opera Christi mirabilia, eum ad discipulos ingressum esse januis clausis. *Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio*, Joan. 20, 26.

Rejectio hæresis Calvini. — Docet contrà Scripturam expressam : « Verum esse minimè concedo, quod asse« runt Papistæ, Christi corpus penetrâsse per januas « clausas. » In Joan. 20, 19. Item : « Si Christus divinâ « suâ virtute fores clausas miraculo patefecit, an ideò « sequetur corpus ejus esse immensum? » Admonit. ad Westph. pag. 955. Item : « Quod quærunt rursùs, « quomodò intacto sigillo monumentum suum per« transierit Christus, et foribus clausis pertrans« ierit ad discipulos, novâ solutione non indiget. Quid « enim impedirent clausuræ omnes, hominum artificio « factæ, quominùs sibi transitum Deus patefaciat? Nam « qui de nihilo creavit omnia, potest ad tempus in nihi« lum redigere quæ videntur impedire progressum « operum ejus. » Ibidem pag. 958.

Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est.

VIII. *Christum voluntariè esse passum.*

Credimus cum S. Scripturâ, Christum voluntariè esse passum. Sic dicit: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Matth. 26, 53. Item: *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, ut perficiam opus ejus*, Joan, 4, 34.

Rejectio hæresis Calvini. — Docet ille contrà Scripturam expressam: « Christus mortem refugiendo, « mollitiem suam fatetur. » In Joan, 15, 27. Item: « Votum illud, quod ingens mœstitia expresserat, mox « corrigit, et quasi injectâ manu seipsum retrahit. » Ibid.

IX. *Christum non desperâsse.*

Credimus cum S. Scripturâ Christum, qui nunquàm peccavit, nec desperâsse. *Qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus*, 1 Petr. 2, 22. Item: *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*, Hebr. 7, 26.

Rejectio abominandæ hæresis Calvini.— Docet contrà Scripturam expressam: « Absurdum videtur, Christo « elapsam esse desperationis vocem. Solutio facilis est. » In Matth. 27, 46. Item: « Sic videmus omni ex parte « fuisse vexatum, ut desperatione obrutus ab invocando « Deo absisteret, quod erat saluti renuntiare. » In Matth. 27, 47.

X. *Christum etiam pro impiis esse mortuum.*

Credimus cum S. Scripturâ, Christum etiam pro impiis esse mortuum. Sic testatur Apostolus: *Christus pro impiis mortuus est*, Rom. 5, 6. Item: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis*, 2 Petr. 3, 18.

Item: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*, 1 Joan. 2, 2.

Rejectio hæresis Calvini. — Docet contrà Scripturam expressam: « Scire velim quomodò Christi carnem « edant impii, pro quibus non est crucifixa, et quo-« modò sanguinem bibant, qui expiandis eorum pec-« catis non est effusus. » Contr. Heshus. de Ver. Partic. Christ. in Cœnâ, pag. 985.

XI. *Christum per passionem suam acquisivisse gloriam.*

Credimus cum divinâ Scripturâ, quòd Christus *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum*, Philip. 2, 8. Item: *Vidimus Jesum propter passionem mortis, gloriâ et honore coronatum.* Hebr. 2, 9.

Rejectio temerarii judicii Calvini. — Scripturas expressas in dubium vocat: « Quærere an Christus « sibi meruerit (quod faciunt scholastici), non minùs « stulta est curiositas quàm temeraria definitio. » Instit. lib. 2, cap. 17, § 6.

XII. *Christi animam descendisse ad inferos post mortem.*

Credimus cum verbo Dei, Christi animam descendisse ad inferos post mortem. *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tres dies et tres noctes, ità erit Filius hominis in corde terræ tres dies et tres noctes*, Matth. 12, 40. Explicat S. Irenæus. « Tribus diebus conversatus est ubi erant « mortui, quemadmodùm Propheta ait de eo: *Comme-« moratus est Dominus sanctorum mortuorum suorum, « eorum qui antè dormierunt in terram stipulationis, et « descendit ad eos, extrahere eos, et salvare eos.* Et ipse « autem Dominus, quemadmodùm Jonas in ventre ceti « tres dies et tres noctes mansit, sic erit Filius homi-« nis in corde terræ. Sed et Apostolus ait: *Ascendit « autem quid est, nisi quia descendit in inferiora terræ?* » Lib. 5, cap. 31. Vide S. Hieron. in cap. 2 Jonæ; S. Gregor. Nicæn., Orat. 1, de Resurrect. Item: *Non derelinques animam meam in inferno*, Act. 2, 27. Explicat S. Augustinus: « Et Dominum quidem carne « mortificatum venisse ad infernum, satis constat. Ne-« que enim contradici potest, vel prophetiæ quæ dixit: « *Quoniam non derelinques animam meam in inferno;* « quod ne aliter quisquam sapere auderet, in Actibus « Apostolorum idem Petrus exponit; vel ejusdem Petri « verbis, quibus eum asserit solvisse inferni dolores, in « quibus impossibile erat eum teneri. Quis ergò nisi « infidelis negaverit, apud inferos fuisse Christum? » Epist. 99, ad Evod. Vide eumd. Tract. 79 in Joan.; S. Hieron. in Psalm. 15; Arnob. in Psalm. 15. Item: *Cæterùm illud* ascendit, *quid est, nisi quòd etiam priùs descenderat in inferiores partes terræ?* Ephes. 4. 9. Explicat Tertullianus: « Neque antè ascendit in subli-« miora cœlorum, quàm descendit in inferiora terra-« rum, ut illic Patriarchas et Prophetas compotes suî « faceret; habes et regionem inferorum subterraneam « credere. » Lib. de Anim. cap. 55. Vide D. Primas. in Eph. 4.

In Symbolo S. Athanasii, quod tota Ecclesia, quod Lutherani et Reformati receperunt, legimus: *Descendit ad inferos.* Ipse S. Athanasius sic explicat: « Cre-« dite animam interiorem hominem esse. Quoniam id « à primâ plasmatione ostenditur, et à secundâ disso-« lutione commonstratur, cùm non solùm in nobis, sed « et in Christi quoque morte idipsum pateat, corpore « non ultrà sepulcrum delato, animâ ad inferos pene-« trante locis ingenti intervallo discriminatis; sepul-« cro quidem id quod corporeum erat, quia ibi corpus « aderat, recipiente; inferno verò id, quod incorpo-« reum fuit. » De Incarn. contr. Apollin.

Rejectio hæresis partis adversæ. — Reformati, nolentes cum S. Scripturâ et Patribus agnoscere descensum animæ Christi ad inferos post mortem, fingunt per descensum Christi ad inferos intelligi dolores ejus in cruce perpessos. Ità Catechismus Genevensis: « Quî « fieri potest, ut Christus huic damnationi subjectus « fuerit? » Et respondet: « Non ità eam subiit, ut sub « eâ maneret. » Et mox: « Ideò videmus, quid differat « tormentum quod sustinuit, ab eo quo crucientur « peccatores, quos Deus in irâ suâ punit. Nam quod in « eo temporarium fuit, in his est perpetuum. » Domin. 10. Vide Catechis. Heidelb. Dom. 16, quæst. 44.

Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas, et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris; et iterùm venturus est cum gloriâ judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis; et in Spiritum sanctum,

Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.

XIII. *Prædicationem Evangelii esse perpetuam.*

Credimus cum S. Scripturâ, prædicationem Evangelii in Ecclesiâ Christi esse perpetuam : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis ; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28, 19. Explicat S. Augustinus : « Quid est quod nescio? quid recedentes murmurant contrà me? quid est quòd perditi me periisse contendunt? certè enim hoc dicunt, quia fui et non sum; annuntia mihi exiguitatem dierum meorum, non à te quæro dies illos æternos; illi sine fine sunt, ubi ero, non ipsos quæro, temporales quæro, temporales dies mihi annuntia, exiguitatem dierum meorum, non æternitatem dierum meorum annuntia mihi. Quamdiù ero in isto seculo, annuntia mihi propter illos, qui dicunt : Fuit, et jam non est; propter illos qui dicunt : Impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit et periit Ecclesia de omnibus gentibus. Quid est hoc, exiguitatem dierum meorum annuntia mihi? annuntiavit et vacua fuit vox ista, quis annuntiavit nisi ipsa via? quomodò annuntiavit? *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* » Conc. 2 in Psal. 101. Vide S. Hilar. lib. 2 de Trin.; S. Chrys. tom. 15 in Matth. 5.

Item : *Et prædicabitur Evangelium hoc in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Explicat S. Augustinus : « *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, hìc vos dicitis : De nobis dixit; nos sumus, nos erimus usque ad consummationem seculi. Interrogetur ipse Christus, cui dictum est : *Exiguitatem dierum meorum annuntia mihi*, et *prædicabitur*, inquit, *hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* Quid est quod dicebas, hoc certè fuit et periit? Dominum audit annuntiantem exiguitatem dierum meorum. *Prædicabitur*, inquit, *hoc Evangelium*, ubi? *in toto orbe terrarum.* Quibus? *in testimonium omnibus gentibus.* Quid posteà? *et tunc veniet finis.* Non vides adhuc esse gentes in quibus non est prædicatum Evangelium? » Et mox : « Ergo usque ad finem seculi Ecclesia in omnibus gentibus. » Et mox : « Pereant hæretici, pereant quod sunt, et inveniantur ut sint, quod non sunt. » Itaque « non eget interprete, *et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* » Conc. 2 in Psalm. 101. Vide de Unit Eccl. cap. 19; S. Hieron. in Matth. 24.

Rejectio hæresis Confess. Gallicæ. — Dicit contrà Scripturam expressam : « Interdùm ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiæ statu, necesse fuit nonnullos extrà ordinem divinitùs excitari, qui Ecclesiæ collapsæ ruinas instaurarent. » Art. 31.

Confess. Augustana. — Dicit contrà Scripturam expressam : « Doctrina et Ecclesia usque eò frequenter opprimitur et perditur, sicut in Papatu contigit, ac si non esset Ecclesia, et sæpè videtur prorsùs interiisse. » Apolog. de Eccl. fol. 70.

XIV. *Administrationem Sacramentorum esse perpetuam.*

Credimus cum S. Scripturâ, de omnibus sacramentis à Christo institutis, quod de SS. Eucharistiâ testatur Apostolus : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*, 1 Cor. 11, 26. Explicat S. Chrysostomus : « Deindè ostendens, quòd usque ad consummationem maneat, inquit : *Donec veniat.* » In 1 Corinth. 11, 26, ubi et Theophylactus. Eòdem pertinet allegatus locus, Matth. 28, 19.

Rejectio hæresis Confess. Gallicæ. — Docet contrà Scripturam expressam : « Papisticos conventus damnamus, quòd pura Dei veritas ab illis exulet, in quibus etiam Sacramenta fidei corrupta sunt, adulterata, falsificata, vel penitùs etiam abolita. » Art. 28. Neque enim vel in aliis prioribus Ecclesiis ostendunt perpetuam Sacramentorum administrationem.

XV. *Confessionem fidei esse perpetuam.*

Supponimus, quod Protestantes nobiscum docent, semper in Ecclesiâ electos reperiri. His autem, juxtà S. Scripturam, necessarium est fidem profiteri. *Ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloriâ est Dei Patris*, Philip. 2, 11. Item : *Ore confessio fit ad salutem.* Rom. 10, 10.

Rejectio hæresis Confess. Helveticæ. — Docet contrà expressam Scripturam : « Ecclesiam invisibilem appellari posse; » et rationem addit : « Quòd oculis nostris absconsa, Deo autem soli nota, judicium humanum sæpè subterfugiat. » Cap. 17.

XVI. *Ecclesiam semper esse visibilem.*

Credimus cum S. Scripturâ, Ecclesiam Jesu Christi in his terris esse semper visibilem. *Vos estis lux mundi; non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*, Matth. 5, 14. Explicat S. Hilarius : « Lucerna Christi non recondenda sub modio est, neque operimento occultanda Synagogæ; sed in ligni passione suspensa, lumen æternum est in Ecclesiâ habitantibus præbitura. Pari etiam fulgere Apostolos monet lumine, ut admonitione operis eorum Deo laus impertiatur. » In Matth. cap. 4, S. Ambrosius : « Fides nostra in illo altissimo omnium locata monte, hoc est Christo, non potest tenebris et ruinis hujus mundi abscondi, sed fulgens candore solis æterni, luce nos gratiæ spiritualis illuminat. » Lib. 7 in Luc. 11. Vide S. Chrysost., Rom. 15 in Matth. S. August. de Unit. Eccl. cap. 16.

Ulteriora S. Scripturæ loca vide Matth. 15, 30, 38; Psal. 47, 9, et 88, 29, 30, 37; Isa. 9, 7, et 55, 20, et 54, 17, et 60, 11; Oseæ 2, 19; Hebr. 12, 26, etc.

Rejectio hæresis Confess. Scoticæ. — Docet contrà

expressam Scripturam : « Ecclesia est invisibilis, soli « Deo nota, qui solus novit quos elegit. » Art. 16.

XVII. *Ecclesiæ promissum esse ut non erret.*

Credimus cum S. Scripturâ, Ecclesiæ Christi promissum esse ut non erret. *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Matth. 16, 18. Explicat S. Augustinus : « *Templum enim Dei sanctum est*, ait « Apostolus, *quod estis vos*, ipsa est Ecclesia sancta, « Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, con« trà omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expug« nari non potest. Hæreses omnes de illâ exierunt, « tanquàm sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa au« tem manet in radice suâ, in vite suâ, in charitate suâ; « portæ inferi non vincent eam. » Lib. 1 de Symb. ad Catech. cap. 6. S. Chrysostomus : « *Et portæ inferi non « prævalebunt adversùs eam.* » Mox : « Animadvertis « quo pacto ipse etiam ad altiorem de se opinionem « Petrum adducit, et seipsum bis duabus pollicitatio« nibus revelando Filium Dei revelat et ostendit. Nam « quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet « remissionem, et ut Ecclesia tot tantisque fluctibus « impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pas« tor et caput piscator homo atque ignobilis, terrarum « orbe reluctante, adamantis naturam firmitate supe« ret. Hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt, se « pollicetur daturum. » Hom. 15, in cap. 16. Matth. Idem : « *Super hanc petram ædificabo*, etc. Examina ut « libet, quid hoc sibi verbum vult, et videbis perspi« cuam ejus veritatem; nam non solùm hoc mirum est, « quòd ædificavit eam per totum mundum, sed quia « invictam fecit, et invictam licèt tot bella insurgant. « Hoc enim est quòd portæ inferi non prævalebunt ad« versùs eam, pericula, ait, quæ mortem generant, pe« ricula quæ ad infernum deducunt. Vidisti prædictio« nis veritatem? Vidisti eventûs certitudinem et ro« bur? Vidisti verba in operibus elucentia, et virtutem « absque armis omnia facilè conficientem, etc. » In « demonstr. quòd Christus sit Deus.

S. Hieronymus : « Quid est quod ait : *Ego dico tibi?* « quia tu mihi dixisti : *Tu es Christus Filius Dei vivi :* « et ego dico tibi sermone non casso, et nullum ha« bente opus, sed dico tibi, quia dixisse fecisse est. » Et posteà : « Ego portas inferi reor vitia et peccata, « vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti ho« mines ducuntur ad Tartarum. » In Matth. 16.

S. Gregorius : « S. Ecclesia in hoc seculo à catho« licâ fide nequaquàm deficiet, et in futurum cum Deo « æternâ stabilitate permanebit; nam quòd in hâc vitâ « nullis adversitatibus frangenda sit, nullis persecutio« nibus superanda, ipse super quem ædificata est, evi« denter ostendit, cùm ait : *Portæ inferi non prævale« bunt adversùs eam.* Portæ inferi hæreses sunt, etc. » In Psal. 1. Pœnit. Vide S. Leon. serm. 2, de Nat. Petr. et Paul. S. Isid. Pelus. lib. 1. Epist. 238.

Alter textus : *Est Ecclesia columna et firmamentum veritatis*, 1 Timoth. 3, 15. Explicat S. Augustinus : « Ecce purgamenta ejus : *Quoniam abundavit iniquitas, « refrigescet charitas multorum.* Ecce frumenta ejus : « *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* « Ubi hìc Africa nominata est in parte Donati? Ecce « iterùm frumenta ejus : *Ut scias*, inquit Apostolus, « *quemadmodùm te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* » Et mox : « Ecce purgamenta ejus : *Spiritus autem*, in« quit, *manifestè dicit, quia in novissimis temporibus re« cedent quidam à fide, attendentes spiritibus seducto« ribus doctrinæque dæmoniorum*, etc. Ubi hìc Africa « in parte Donati nominata est, ut in eâ remanserit « columna et firmamentum veritatis, aut pietatis sa« cramentum, de quo usque in finem ità cucurrit, ut « diceret : prædicatum est in gentibus, assumptum est « in gloriâ? » De Unit. Eccl. cap. 14.

S. Hieronymus : venerunt electa omnium gentium, et repleta est gloriâ domus Domini, quæ est Ecclesia « Dei viventis, columna et firmamentum veritatis. » Et mox : « His metallis illustrior fit Ecclesia Salvatoris, « quàm quondam Synagoga fuerat; his lapidibus vivis « ædificatur domus Christi, et pax ei præbetur æterna. » In cap. 2 Aggæi.

Rejectio hæresis adversæ. — Docet contrà Scripturam expressam Conf. Helv. de Ecclesiâ : « Nec mi« rum si erret, quoties deserit illum. » Cap. 17. Et hæc est sententia communis omnium Protestantium.

XVIII. *Doctoribus Ecclesiæ, sive conciliis generalibus, promissum esse ut non errent.*

Credimus cum S. Scripturâ, quod dicit Christus : *Et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*, Joan. 14, 16. Item : *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumque dixero vobis*, Joan. 14, 26. Item. : *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Joan. 16, 13. Eòdem faciunt textus Matth. 28, 19; Luc. 10, 16.

Primum locum explicat S. Chrysostomus : « *Ut vo« biscum maneat :* Hoc signat, quod neque post mortem « abiit. » Et mox : « Ut vobiscum sit, quod et ipse « inquit : *Quia ego vobiscum sum.* Prætereà et aliud « quiddam signat, non passurum quæ ipse, neque dis« cessurum. » In cap. 14 Joan. Alterum textum explicat S. Cyrill. Alexandr., lib. 10 in Joan.

Prima concilia generalia, quæ Protestantes admittunt, docent sua judicia esse ultima, quæ nullâ ratione retractari queant. Ità Conc. Ephes. Act. 3 et 6. Conc. Chalced. Act. 5. Sic etiam in conciliis generalibus ultimatè condemnati sunt hæretici in rebus per Scripturam non expressè definitis. Vide Conc. Constant., can. 6 et 7.

Rejectio hæresis adversæ. — Contrà expressam Scripturam docet Conf. Angl. : « Generalia concilia, quia « ex hominibus constant, qui non omnes Spiritu et « verbo Dei reguntur, et errare possunt, et interdùm « errârunt, etiam in his, quæ ad normam pietatis per« tinent. » Art. 21. Hæc est sententia communis omnium Protestantium.

XIX. *Unitatem esse notam veræ Ecclesiæ.*

Credimus cum S. Scripturâ Unitatem esse signum, et notam veræ Ecclesiæ, dicente Christo : *Non pro eis*

tantùm rogo, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti, Joan. 17, 20. Explicat S. Chrysostomus : « *Ut mundus credat quia tu me misisti*, « quod et in principio dixit : *In hoc cognoscent omnes,* « *quòd mei discipuli estis, si invicem diligatis.* Et quo« modò hìnc erant credituri? *quia pacis est Deus*, in« quit. Si ergò quæ ex his didicerunt, servaverunt, à « discipulis magistrum auditores intelligent; si dissen« tient, non invenient Dei pacis esse discipulos. Si non « ero pacificus, à te missum non confitebuntur. Vides « quo pacto ad finem usque cum Patre concordiam « confirmat? » Et mox : « *Ut sint consummati in unum,* « *ut cognoscat mundus quia tu me misisti.* Frequenter « hoc dicit, ut potentiorem pacem, quàm signa ad « persuadendum demonstret. » In cap. 17 Joan. Hom. 18. Vide S. Hilar. col. 122.

Alter textus : *Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati in unum : et cognoscat mundus, quia tu me misisti*, Joan. 17, 23. — Explicat S. Cyrillus Alexandrinus : « Signum, inquit, certissimum et indubitatum erit vos « meos esse discipulos, si quantùm natura vestra et « humanitatis conditio capere potest, meæ vitæ vesti« gia sequamini, ut ità à mutuæ charitatis vinculo non « disjungamini. » Et mox : « Sed quæret forsan aliquis, « quamobrem charitas signum sit ad discernendum « Christi discipulos, » etc., lib. 9 in Joan.

Tertius textus : *In hoc cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*, Joan. 13, 35. Explicat S. Chrysostomus : « *In hoc cognoscent* « *omnes quia discipuli mei estis.* » Et mox : « Ità et vos « decet amicis esse beneficos, et quibus non debetis, « et omissis miraculis, quæ ipsi erant facturi, dilectio« nis eos signo notat. » In cap. 13 Joan. hom. 71. — S. Gregorius : « Testimonium superni discipulatûs est « donum fraternæ dilectionis. Quam videlicet dilectio« nem, quia omnes hæretici habere refugiunt, dùm « ab universalis Ecclesiæ unitate dividuntur, jure de « eis dicitur : quorum virtus manuum erat mihi pro « nihilo. » Lib. 20 Moral. cap. 9. S. Augustinus : « *In* « *hoc cognoscent*, inquit, *quia discipuli mei estis, si di*« *lectionem habueritis ad invicem;* tanquàm diceret, alia « munera habent, vobiscum etiam non mei, non so« lùm naturam, vitam, sensus, rationem, et eam salu« tem quæ hominibus pecoribusque communis est; « verùm etiam linguas, sacramenta, prophetiam, scien« tiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperi« bus, et traditionem corporis sui ut ardeant; sed « quoniam charitatem non habent, cymbala concre« pant, nihil sunt, nihil ipsis prodest; non ergò in illis « quamvis bonis muneribus meis, quæ etiam habere « possunt non discipuli mei, sed *in hoc cognoscent om*« *nes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad* « *invicem.* » Et mox : « Charitas in deliciis tuis, ipsa « non comperdit cum impiis animam tuam; ipsa dis« cernit causam tuam. » Tract. 65 in Joan.

Rejectio erroris contrarii. — Licèt S. Scriptura in hâc parte sit expressa, nulla tamen Confessio Protestantium Unitatem, tanquàm notam, et signum veræ Ecclesiæ agnoscit. Imò Catalogus testium veritatis dicit Unitatem non esse certam, et propriam Ecclesiæ notam. In Append. col. 2010. f.

XX. *Miracula esse notas veræ Ecclesiæ.*

Credimus cum S. Scripturâ, miracula designare veram Ecclesiam. *Signa autem qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient*, etc. Marc. 16, 17. Item : *Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo exîsti*, Joan. 16, 30. Item : *Ut sciatis autem, quia Filius hominis habet potestatem in terris remittendi peccata, tunc dixit paralytico : Surge*, etc. Matth. 9, 6. Item : *Scimus quia à Deo venisti, Magister; nemo enim potest signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*, Joan. 3, 2.

S. Cyrillus Alexandr. dixit : « *Cùm ergò venerit Pa*« *racletus*, inquit, *Spiritus veritatis*, id est meus, *qui ex* « *Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* per« hibebit autem, quæso, quomodò? operando nimirùm « in vobis, et per vos miracula, testis erit justus ac « verax divinæ meæ potestatis atque majestatis, » lib. 10 in Joan.

Rejectio erroris contrarii. — Licèt S. Scriptura in hâc parte sit expressa, nulla tamen Confessio Protestantium Sanctitatem, tanquàm notam et signum Ecclesiæ agnoscit.

XXI. *Diffusionem esse notam veræ Ecclesiæ.*

Credimus cum S. Scripturâ, diffusionem fidelium per universum mundum esse signum veræ Ecclesiæ : *Et prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio*, Matth. 24, 14. Eòdem facit : *Repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes. In illâ die radix Jesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Isa. 11, 9, 10. Similiter : *Transite per portas, præparate viam populo, eligite lapides et elevate signum ad populos.* Isa. 62, 10.

Primum textum, et rationem catholicæ Ecclesiæ in Diffusione fundatam, explicat S. August. : « *Et prædi*« *cabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testi*« *monium omnibus gentibus, et tunc veniet finis.* Inter« rogatus enim Dominus de fine hujus seculi, cùm « quædam initia parturitionum dixisset, ait : *Sed non*« *dùm statìm finis.* Finem autem futurum prædixit « post prædicationem Evangelii *in universo orbe in om*« *nibus gentibus.* » De Unit. Eccl. cap. 19. Item : « *Exal*« *tatus est super cœlos Deus noster, et super omnem ter*« *ram gloria ejus.* O hæretica insania! Credis mecum « exaltatum Christum super cœlos, quod non videmus; « et negas gloriam ejus super omnem terram, quod « videmus. » In Psal. 56. Item : « *In omnem terram* « *exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* « Hìnc fit ut Ecclesia vera neminem lateat. Undè est « illud quod in Evangelio ipse dicit : *Non potest civitas* « *abscondi super montem constituta*, etc. » Contr. litt. Petil. lib. 2, cap. 32.

Alterum locum explicat S. Augustinus : « Dicat « Isaias ubi Ecclesiam Deo revelante prævideri, ut

« in verbis futura dicentis jam nunc præsentia videamus. *Repleta est*, inquit, *universa terra ut cognoscat Dominum, ut aquâ multâ operiat mare, et erit in illâ die radix Jesse, et qui exurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt.* » Et posteà : « Qui audet, contradicat; qui autem non audet, speret in eum cum gentibus, et ab unitate gentium in eum sperantium non recedat; aut si recesserit, redeat, ne pereat. » De Unit. Eccl. cap. 7. Vide S. Hieron. in eum locum. Pro majore elucidatione audiatur hoc S. Augustini : « Quasi nos etiam, si fortè hìnc sit appellata Catholica, quòd totum veraciter teneat (hoc dicebant hæretici), cujus veritatis nonnullæ particulæ in diversis inveniuntur hæresibus, hujus nominis testimonio nitamur ad demonstrandam Ecclesiam in omnibus gentibus (item nunc dicunt Protestantes, nos merum nomen Catholicæ urgere), et non promissis Dei, et tàm multis, tàmque manifestis miraculis ipsius veritatis. » Epist. 48 ad Vincent. Vide etiam contrà Faustum, lib. 13, cap. 13.

Rejectio erroris adversi. — Quamvis S. Scriptura in hâc parte sit expressa, nulla tamen Confessio Protestantium rationem Ecclesiæ catholicæ, juxtà promissa divina toto orbe diffusa, tanquàm notam et signum Ecclesiæ agnoscit.

XXII. *Perpetuam doctorum successionem esse notam veræ Ecclesiæ.*

Credimus Ecclesiam apostolicam, et continuatam doctorum in Ecclesiâ successionem, sic esse veræ Ecclesiæ notam, ut ubi ea successio non reperitur, ibi nec vera Ecclesia reperiatur : *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Eph. 4, 11. Item : *Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris,* 1 Joan. 4, 6.

Ità S. Augustinus : « Si ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs et verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non vincent eam.* Petro enim successit Linus, etc. » Et mox : « In hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus invenitur. » Et mox : « In illum autem ordinem episcoporum, qui ducitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eamdem Cathedram sedet, etiamsi quisquam traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, et innocentibus Christianis (vanæ igitur ejusmodi disputationes), quibus Dominus providens, ait, de præpositis malis, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, et non faciunt, ut certa sit spes fidelis, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquàm tempestate sacrilegi schismatis dissipetur. » De Unit. Eccl. cap. 7. Vide lib. 1, de Util. cap. 17. S. Irenæus : « Agnitio vera est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiæ status in universo mundo, et character (signum, nota) corporis Christi secundùm successiones episcoporum, etc. » Lib. 4, cap. 63. Item : « Hâc ordinatione et successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesiâ traditio, et veritatis præconisatio pervenit usque ad nos, et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesiâ ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate, » lib. 3, cap. 3.

Rejectio erroris adversi. — Quamvis S. Scriptura in hâc parte sit expressa, nulla tamen Confessio Protestantium rationem Ecclesiæ apostolicæ, et perpetuam doctorum successionem, ut notam et signum Ecclesiæ agnoscit.

Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi seculi. Amen.

XXIII. *Baptismum ab hæreticis collatum, esse validum.*

Credimus ex traditione apostolicâ, Baptismum ab hæreticis, in formâ Ecclesiæ collatum, esse validum. Ità S. Augustinus : « Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem (de non rebaptizandis hæreticis) credo ex apostolicâ traditione venientem, sicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in conciliis posteriorum, et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur. » De bapt. contr. Donat., lib. 2, cap. 7. Item : « Sequimur sanè in hâc re canonicarum auctoritatem certissimam Scripturarum. Neque enim parvi momenti habendum est, quòd cùm inter episcopos anterioris ætatis, quàm esse inciperet pars Donati, ista quæstio fluctuaret, et varias haberet inter se, collegarum salvâ unitate, sententias, hoc per universam catholicam, quæ toto orbe diffunditur, observari placuit, quod tenemus. » Contr. Crescon., lib. 1, cap. 32. Item : « Quamvis hujus rei certum de Scripturis canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum, etiam in hâc re, à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam S. Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ullâ ambiguitate S. Scriptura demonstrat. » Ibid. cap. 33. Vide S. Hieron. advers. Lucif. cap. 8.

Rejectio sententiæ Reformatorum. — Tenent quidem Protestantes nobiscum, Baptismum, in formâ Ecclesiæ collatum ab hæreticis, esse validum; sed qui traditionem non admittunt, et ad bona atque utilia ex Scripturis argumenta provocant. necessariò concludentibus destituti, ad hoc miserum dilabuntur effugium, si illa sententia in Scripturis non reperiatur, nec esse

necessariam ad salutem. Ità Molinæus, Novit. Pap. lib. 1, cap. 56.

XXIV. *Baptismum conferri in remissionem peccatorum.*

Credimus cum S. Scripturâ, per Baptismum peccata verè remitti. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, Ephes. 5, 26. Item : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto*, etc., Joan. 3, 5. Item : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, Tit. 5, 5. Item : *Cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo*, Ephes. 2, 5. Item : *Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem*, Rom. 6, 4.

Hunc locum explicat S. Augustinus : « Quemadmodùm in illo vera mors facta est, sic in vobis vera remissio peccatorum; et quemadmodùm in illo vera resurrectio, ità in nobis vera justificatio. » Enchirid. cap. 52 Tom.

Rejectio hæresis Calvini, et sequacium. — Docet contrà Scripturam expressam Calvinus : « Sacramenta electis adminicula sunt ad salutem, aliis nihil conferunt. » Incund. Concord. rat.

Beza : « Quos Dominus non elegit, etiamsi millies baptizantur externo baptismo aquæ, illis tamen nunquàm fides aut Spiritus sanctus donatur. » Colloq. Mompelg.

XXV. *Sanctos nunc esse in beatitudine.*

Credimus cum S. Scripturâ, sanctos nunc frui beatitudine cœlesti : *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt antè thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus.* Apoc. 7, 14, 15. Item : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo*, Philip. 1, 23. Item : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, Eph. 4, 8.

Probat idipsum ex Scripturâ S. Justinus : « At post animi à corpore excessum, statim fit bonorum, malorumque distinctio; ducuntur enim ad loca, quæ eis digna sunt, ab Angelis; bonorum quidem animi in paradisum, ubi consuetudo est et aspectus Angelorum et Archangelorum, visio verò etiam conservatoris Christi, ex verbis his, peregrinari à corpore, et præsentes esse ad Dominum. » Quæst. 75. S. Cyprianus : « Quis non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat? ut post tormenta et supplicia terrena ad præmia divina perveniat? » De Exhort. Mart. c. ult. Vener. Beda : « Singulas modò stolas habent animæ, de suâ beatâ immortalitate gaudentes; resurgentibus autem corporibus juxtà Isaiam, in terrâ sua duplicia possidebunt. » In cap. 6 Apoc.

Rejectio erroris Calvini. — Docet contrà Scripturam expressam : « Cùm Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventûs Christi, et gloriæ coronam eousque differat, contenti simus his finibus divinitùs nobis præscriptis; animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitiâ fruitionem promissæ gloriæ expectant; atque ità omnia teneri suspensa, donec Christus appareat redemptor. » Instit. lib. 3, cap. 25, § 6.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissimè admitto et amplector.

XXVI. *Traditiones Apostolicas esse admittendas.*

Credimus cum S. Scripturâ, traditiones apostolicas esse admittendas : *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*, 2 Thess. 2, 15.

Explicat S. Chrysostomus : « *Itaque, fratres, state, et tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Hinc est perspicuum, quòd non omnia tradiderunt per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea sunt quoque fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam; est traditio, nihil quæras ampliùs. » Hom. 4 in 2 Thess. Vide S. Basil. lib. de Spirit. sanct. cap. 29.

Item : *Laudo vos, fratres, quòd per omnia meî memores estis, et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*, 1 Cor. 11, 2. *Cætera, cùm venero, disponam*, ibid. 34.

Explicat S. Epiphanius : « Neque enim ex Scripturâ peti possunt omnia; idcircò alia scripto, alia traditione sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ità Paulus affirmat : *Quemadmodùm tradidi vobis.* Item alio loco : *Ità doceo, et ità tradidi in Ecclesiis.* Item : *Si meministis, nisi frustrà credidistis.* Jam verò illud ab Apostolis sancta Dei Ecclesia traditum accepit, post decretam virginitatem ad nuptias sese conferre, scelere implicatum videri. » Hæres. 61, § 60. Item : « Necessariò facere (orare pro mortuis) illud Ecclesiam dico, quæ traditum sibi ritum illum à majoribus accepit. Potest verò quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? quemadmodùm à Salomone scriptum est : *Audi, fili, sermones patris tui, et ne repellas legem matris tuæ;* quibus patrem, hoc est unigenitum Deum, cum Spiritu sancto declarat, partim scripto, partim sine scripto docuisse; matrem verò nostram Ecclesiam, » etc. Hæres. 65, § 8. S. Basilius : « Arbitror apostolicum esse etiam non scriptis traditionibus inhærere. » *Laudo*, inquit, *vos, quòd per omnia meî meministis, et quemadmodùm tradidi vobis, traditiones tenetis;* et illud : *Tenete traditiones quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam.* De Spirit. Sanct. cap. 29. Vide S. Chrysost. Hom. 26, in 1 ad. Cor.

Item : *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum*, 2 Tim. 1, 13.

Explicat S. Chrysostomus : « Non modò per litteras, sed etiam verbis discipulo, quæ essent agenda dictavit; quod plurimis et aliis in locis ostendit, dicens : *Sive per verbum, sive per Epistolam, quasi per nos missam.* Hoc et hic multò magis fecit; ne igitur minùs aliquid doctrinam habere putemus; plurima illi absque scripto tradidit, quæ illi modò ad memoriam revocans dicit : *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti.* Quid autem hoc sibi vult? *Pictorum*, inquit, *more imaginem virtutis tibi impressimus, et omnium quæ Deo grata sunt veluti normam, privatamque*

« *formam tuæ indidimus animæ. Hæc igitur habeto firmi-* « *ter, et sive de fide, sive de charitate, sive de castitate* « *opus sit aliquid loqui ac definire, indè tibi exemplaria* « *accipe.* » Hom. 3 in 2 Tim.

Rejectio hæresis Protestantium. — Docet contrà Scripturam expressam Calvinus : « Esto hoc firmum « axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, qui « detur in Ecclesiâ locus, quàm quod lege primùm et « Prophetis, deindè scriptis apostolicis continetur. » Instit. lib. 4, cap. 8, § 8. Vide Conf. Helv. poster. cap. 1 et 2.

XXVII. *Leges Ecclesiæ obligare conscientiam.*

Credimus cum S. Scripturâ legibus Ecclesiæ obligationem conscientiæ induci. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Joan. 20, 21. Explicat S. Chrysostomus : « *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Nullum habetis impedimentum, et propterea quæ jam facta sunt, et propter meam vos mittentis dignitatem.* Quarè hoc dicit? eorum animos erigit, et suam proponit auctoritatem; siquidem suum eis relicturus erat ministerium. » Et mox : « Quemadmodùm enim rex præfectos mittens, ut in carcerem reos intrudant, et ut liberent, potestatem præbet; ità Jesus discipulos dimittens hâc munit auctoritate. » Hom. 85 in Joan.

Item : *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10, 16. Hunc locum pertinere ad successores Apostolorum, tradit S. Cyprianus, epist. 55, ad Cornel. S. Basilius, in Constit. Monast. cap. 22.

Item : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo : quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt;* et posteà: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Rom. 13, 1, etc. Explicat S. Chrysostomus : « Noli itaque talem, inquit, subjectio« nem turpem tibi putare, qui et vehemens ista con« temnentium ultor est : neque enim vulgares pœnas « reposcet, si non obedieris, sed quàm maximas. » Hom. 23 in Epist. ad Rom. Vide S. August., propos. 74, ex Epist. ad Rom. 10, 4.

Apostolus. 1 Tim. 3, legem statuit, ne bigami ordinentur. Quæ lex, etiamsi sit planè positiva, et ecclesiasticam concernens disciplinam ; quis tamen neget ejus transgressionem non carere peccato? Ideò episcopus, qui sciens bigamum ordinavit, privatur potestate ordinandi, in concilio Carth. IV, can, 69.

Item : *Quæcumque alligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo*, Matth. 16, 18. Explicat S. Hieronymus : « Potestatem tribuit Apostolis, ut sciant qui à « à talibus condemnantur, humanam sententiam di« vinâ sententiâ roborari, et quodcumque ligatum « fuerit in terrâ, ligari pariter et in cœlo. » In eum locum.

Item : *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato et sanguine et fornicatione*, Act. 15, 28. Explicat S. Chrysostomus: « Hæc nova lex non præcipit; nusquàm enim de his « disserit Christus, sed à lege hæc sumunt; » et posteà : « Quid est, *judico ego?* id est, cum potestate dico « esse scribendum illis. » Iterùm : Vide brevem Epi« stolam nihil abundans habere, neque epitheremata, « neque syllogismos, sed imperium, erat enim legis« latio Spiritûs. » Hom. 33 in Act. Similis locus est : *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis*, Hebr. 13, 17.

Rejectio hæresis contrariæ. — Docet contrà Scripturam expressam Confessio Gall. « *Excludimus hu-* « *mana omnia commenta, et leges omnes, quæ cultûs* « *Dei prætextu, astringendis conscientiis invehuntur.* Art. 33. Sic communiter omnes Protestantes.

Item sacram Scripturam, juxtà eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto : nec eam unquàm, nisi juxtà unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

XXVIII. *Scripturam esse intelligendam juxtà sensum Ecclesiæ.*

Credimus cum S. Scripturâ intelligentiam verbi Dei petendam esse ex sensu Ecclesiæ. *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquandò prophetia; sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*, 2 Petr. 1, 20 ; eòdem faciunt textus Eph. 4, 11, et 1 Tim. 3, 15. Sic tradit S. Augustinus : « Quærendi « dubitatio catholicæ fidei metas non debet excedere. « Et quoniam multi hæretici ad suam sententiam, quæ « præter fidem est catholicæ disciplinæ, expositionem « Scripturarum divinarum trahere consueverunt; antè « tractationem hujus libri catholica fides explicanda « est; est autem hæc : Deum Patrem omnipotentem « universam creaturam fecisse, » etc. Et mox subjungit: « Constitutam ab illo matrem Ecclesiam, quæ « catholica dicitur, ex eo, quia universaliter perfecta « est, et in nullo claudicat, et per totum orbem diffusa « est. » De Gen. ad litt. imperfect. cap. 1. Idem : « Si unaquæque disciplina, quanquàm vilis et facilis, « ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, « quid temerariæ superbiæ plenius, quàm divinorum « Sacramentorum libros, et ab interpretibus suis « nolle agnoscere, et incognitos velle damnare? » De Util. cred. cap. 18. Origenes : « Quoties (hæretici) « canonicas proferunt Scripturas, in quibus omnis « Christianus consentit et credit, videntur dicere : « Ecce in domibus est verbum veritatis, sed nos illis « credere non debemus, nec exire à primâ et eccle« siasticâ traditione, nec aliter credere, nisi quemad« modùm per successiones Ecclesiæ Dei tradiderunt « nobis. « Tract. 29 in Matth. sub fin.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent Protestantes, contrà expressam Scripturam, Ecclesiæ non competere infallibile magisterium respectu fidelium in proponendo vero sensu S. Scripturæ; sed ejus declarationes cujusque examini subjiciunt.

XXIX. *Ecclesiæ competere judicium de vero sensu, et interpretatione S. Scripturæ.*

Credimus cum S. Scripturâ, non privato cuilibet ad utilitatem communem, sed Ecclesiæ ad securitatem singulorum competere judicium de vero sensu, et interpretatione S. Scripturæ. Hùc pertinent multa loca in præcedentibus allegata, et illud : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus*, Malach. 2, 7. Pulchrè S. Augustinus : « Caveamus tales cogitationes superbissimas, magisque cogitemus et ipsum Apostolum Paulum, licèt divinâ et cœlesti voce prostratum et instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ; et centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, eleemosynasque respectas ei Angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solùm sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset audiret. » Et mox : « Quisquis se nullis præceptis instructum divino munere quæcumque in Scripturis obscura sunt, intelligere gloriatur ; » et mox : « Cùm legit, et nullo sibi homine exponente intelligit, cur ipse affectat aliis exponere, ac non potiùs eos remittit Deo, ut ipsi quoque non per hominem, sed illo intùs docente intelligant? » In prolog. de Doctr. Christ. S. Irenæus : « Qui non participant eum (Spiritum) neque à mamillis matris (Ecclesiæ) nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sibi lacus detritos, » lib. 3, cap. 40. S. Hilarius : « Significat (Christus è navi docens) eos qui extrà Ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis capere posse intelligentiam. Navis enim Ecclesiæ typum præfert; intrà quam verbum vitæ positum et prædicatum, hi qui extrà sunt, et arenæ modò steriles, atque inutiles adjacent, intelligere non possunt. » In Matth. cap. 13. Origenes : « Necessarium videtur de singulis certam lineam, manifestamque regulam ponere. » Et mox : « Cùm multi sint, qui se putent sentire quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa à patribus sentiant, servetur verò Ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens ; illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiasticâ discordat traditione, » procem. de Prin.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent Protestantes, contrà expressam Scripturam, Ecclesiæ non competere infallibile judicium de vero sensu, et interpretatione S. Scripturæ; et tamen cuique privato dicunt infallibiliter constare de vero sensu Scripturæ, in rebus ad salutem necessariis.

XXX. *S. Scripturam esse interpretandam juxtà unanimem consensum Patrum.*

Ostensum est in præcedentibus, ex S. Scripturâ et antiquitate, quomodò doctoribus Ecclesiæ promissum sit ut non errent; atque ideò unanimis consensus Patrum, in S. Scripturâ interpretandâ, non tantùm est recipiendus, sed etiam ille consensus in S. Scripturâ explicandâ est sequendus. Pro elucidatione addimus. S. Basilius hoc modo hæreticum loquentem introducit : « Peto autem antè omnia, inquit, à vobis, qui aut his temporibus estis audituri, aut lecturi posteà, ne velitis majori parti plus attribuere, ac multitudine verum à falso discernere, neque dignitate quorumdam commoti, caliginem mentibus vestris offundi sinere, vel plus, his qui præoccupârunt deferendo, posterioribus aures obserare. » Quilibet putaret Lutherum, aut alium è Protestantibus loqui. At respondet S. Basilius : « Quid tu narras? non dabimus plus antiquitati? non reverebimur Christianorum multitudinem, tàm eorum qui sunt, quàm eorum qui fuerunt, ex quo Evangelium prædicatum est? nullam rationem dignitatis eorum habebimus, qui omni spirituali gratiâ claruerunt, quibus tu omnibus inimicam hanc impietatis malam viam et hostilem nuper excogitâsti ; sed claudentes simul oculos animi, exterminatâ ex animo cujuslibet viri sancti memoriâ, et otiosam et omninò vacuam deceptionibus, atque cavillationibus tuis mentem nostram supponeremus? magna profectò esset tua potentia, si quæ multiplici artificio diabolus assecutus non est, ea tibi solo imperio obtinere contingeret, siquidem omnes à te persuasi traditionem fidei, quæ præterito tempore omni, sub tot sanctissimis viris evicit, commentis vestris impiis postponemus. » Libr. 1 advers. Eunom. S. Leo, postquam hæreticam, deindè catholicam proposuisset sententiam, et illam ex Scripturâ refutâsset, hanc confirmâsset : adducturus SS. Patrum Scripturam explicantium testimonia, ità præfatur : « Ut autem pietas tua cum venerabilium Patrum prædicationibus nos concordare cognoscat, aliquantas eorum sententias huic credidi subjiciendas esse sermoni. Quibus si digneris attendere recensitis, non aliud nos prædicare reperies, quàm quod sancti Patres nostri toto orbe docuerunt, nec quemquam ab illis, nisi solos impios hæreticos, discrepare. » Epist. Decretal. 97. Theodoretus, post adductos multos Patres Scripturam interpretantes, ità concludit : « Hi viri fuerunt successores SS. Apostolorum, et nonnullis usuvenit, ut sacrâ eorum et admirabili visione fruerentur. Plurimi autem eorum martyrii coronis exornati sunt. Fasne ergò tibi videtur blasphemam et maledicam linguam adversùs eos vibrare ? » Dialog. 1 Immutab. Idem, postquàm ex Scripturâ probâsset, adducit multos Patres, et concludit : « Audivisti, ô vir egregie, magna orbis lumina, et eorum doctrinæ radios intuitus es, et exactè didicisti, » etc. Dialog. 2 Inconfus. Idem alibi eodem modo procedens, sic finit : « Imitare ergò apes, ô vir bone, et sacra Scripturæ prata, et SS. Patrum pulchros flores mente circumvolans, fidei favos in te contexe. Dialog. 3 Impatib. Alexander, episc. Alexandr. : « Qui etiam nullorum veterum comparationem secum fieri, aut se magistris nostris, quibus à pueris usi sumus, æquari patiuntur. » Et mox : « Non af-

« ficit illos pudore claritas Deiloqua Scripturarum, « non collegarum consentiens de Christo studium, eo« rum procacitatem contrà hunc debilitat. » Apud Theodoret. Eccl. Hist. Lib. 1, cap. 4. S. Augustinus: « Nunc jam mihi aggrediendum est, quod tertio loco « posui dispositionis meæ, et sententiis episcoporum, « qui Scripturas sanctas ingenti gloriâ tractaverunt, « tua, Juliane, Domino adjuvante, machinamenta sub« vertam. Non ut eos ostendam secundùm catholicam « fidem de originali sensisse peccato, hoc enim jam « primis hujus operis partibus feci, etc. Sed nunc ar« gumenta ipsa vestra quibus agitis, ne hominum prima « nativitas originali peccato credatur (agebatur de ar« ticulo fidei; et tamen S. Augustinus dicit, sententiis « episcoporum redarguam, subvertam), obstricta « eloquiis sunt redarguenda sanctorum. Quos oportet « ut populi christiani vestris prophanis novitatibus « anteponant, eisque potiùs eligant adhærere, quàm « vobis. » Contr. Julian. Pelag. lib. 2, cap. 1. Idem: « Proposuimus hìc auctoritatis mole sanctorum, qui « episcopi antè nos, non solùm sermone, cùm hìc vi« verent, verùm etiam scriptis, quæ posteritati relin« querent, fidem catholicam strenuè defenderunt, « vestra argumenta confringere. » Et posteà: « Tales « quippè ac tanti viri, secundùm catholicam fidem, « quæ ubique toto orbe diffunditur, et hoc, et illa « vera esse confirmant, ut vestra fragilis, et quasi ar« gutula novitas, solâ auctoritate conteratur illorum, « prætterquàm quòd ea dicunt, ut se per eos loqui ve« ritas ipsa testetur. » Ib. cap. 9.

Rejectio hæresis adversæ. — Quamvis Protestantes communiter doceant doctrinam christianam primorum seculorum, quæ in libris sanctorum Patrum et antiquorum conciliorum reperitur, esse interruptam, saltem quoad articulos fidei ad salutem necessarios; tenent tamen licitum esse ab iis recessum, quandò premuntur, uti praxi suâ testatum faciunt; et quod caput rei est, negant consensum doctorum Ecclesiæ, ex promissione divinâ, ab erroribus esse immunem.

Profiteor quoque septem esse verè et propriè sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse.

XXXI. *Non esse liberum credere, quot sint sacramenta.*

Credimus cum S. Scripturâ et orthodoxâ antiquitate, septem esse verè et propriè sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, uti in sequentibus ostendetur.

Rejectio hæresis adversæ. Docet contrà Scripturam et antiquitatem Wiclefus, quamlibet creaturam sensibilem esse realiter sacramentum. Dialog. lib. 4, cap. 1. Calvinus admittit impositionem manuum, quæ fit introducendis veris presbyteris et ministris Ecclesiæ in eorum statum, tanquàm sacramentum. Instit. lib. 4, cap. 19, § 28. Lutherus nunc plura, nunc pauciora statuit sacramenta. Protestantes moderni, præter Baptismum, et S. Cœnam, nullum aliud admittunt sacramentum.

XXXII. *Baptismum esse necessarium ad salutem.*

Credimus cum S. Scripturâ, Baptismum esse necessarium ad salutem. *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3, 5. Explicat sanctus Augustinus: « Terrentur isti sententiâ Domini dicentis: « *Nisi quis natus fuerit denuò, non videbit regnum Dei.* « Quod cùm exponeret, ait: *Nisi quis renatus fuerit ex* « *aquâ et Spiritu, non intrabit in regnum cœlorum.* « Nulla hìc dubitatio potest oriri. » Contr. Pelag. lib. 1, cap. 20. Idem: « Quâ isti sententiâ nisi moveren« tur, omninò parvulos nec baptizandos esse censerent. « Rectè intelligentibus sufficere debet quod dictum « est. *Nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre reg*« *num Dei.* Et: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spi*« *ritu, non potest introire in regnum Dei.* Cur enim nas« catur denuò nisi renovandus? undè renovandus nisi « à vetustate? quâ vetustate, nisi in quâ vetus homo « noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur « corpus peccati? » Ibid. cap. 30.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent Protestantes contrà expressam Scripturam, ex fidelibus natos supernaturali gratiâ sanctos esse, Calvinus lib. 4 Instit. cap. 16, § 31. Docent, quasi ex lege charitatis, contrà decretum veritatis, fidelium infantes, sine baptismo morientes salvari, synop. pur. Theol. disp. 15, thes. 20; synod. Dordrecht. pag. 177; Gomarus in synod. Dordrecht. ad art. 1; Lutherani Montenses in Thes. anni 1645; Christ. David. part. 2, cap. 5.

XXXIII. *Administrationem Baptismi à laicis factam esse validam.*

Credimus cum S. Scripturâ, administrationem Baptismi à laicis factam esse validam. *Descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum*, Act. 8, 38. Philippus autem erat tantùm diaconus, Act. 6, 5. Explicat S. Hieronymus: « Nisi fortè eunuchus à Philippo diacono baptizatus sine Spiritu sancto credendus est, de quo Scriptura ità loquitur: *Dùm irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; et descenderunt ambo in aquam, et baptizavit eum Philippus.* Scias Philippum ab Apostolis non fuisse divisum, eamdem habuisse Ecclesiam, eumdem Christum prædicâsse, diaconum certè fuisse. » Contr. Lucifer. tom. 1. Idem testatur: « Scimus etiam licere laicis baptizare. » Ibid. Atque idipsum determinaverat concilium Elibertinum, can. 38.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent contrà Scripturam expressam Reformati: « Non est officium diaco« norum prædicare verbum Dei, et administrare sa« cramenta. » Discipl. Gall. cap. 3, art. 5. « Baptis« mus administratus ab eo qui non habet ullam voca« tionem, aut commissionem, est omninò nullus. » ibid. cap. 11, art. 1.

XXXIV. *Confirmationem esse Sacramentum.*

Credimus cum S. Scripturâ, confirmationem esse

Sacramentum. *Cùm audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quòd recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eum Petrum et Joannem. Qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Non enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum*, Act. 8, 14. Explicat S. Hieronymus: « Hæc est Ecclesiarum « consuetudo, ut ad eos, qui longè in minoribus urbi« bus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, « episcopus ad invocationem S. Spiritûs manum im« positurus excurrat. » Et mox: Quòd si quæris, quarè « in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus episcopi, non « accipiat Spiritum sanctum quem omnes asserimus « in vero baptismate tribui, disce observationem ex « eâ auctoritate descendere, quòd post ascensum Do« mini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit, Act. « 2, 4, et multis in locis idem factitatum reperimus. » Et paulò post: « Quia, *cùm audissent Apostoli, qui « erant Hierosolymis, quia recipit Samaria verbum Dei, « miserunt ad eum Petrum et Joannem, qui cùm venis« sent ad eos, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum « sanctum; nondùm enim ceciderat super ullum eorum*, « Act. 8, 14. Cur ità actum sit in consequentibus « disce; ipse enim ait: *Sed solùm baptizati erant in « nomine Domini Jesu. Tunc imponebant illis manus, « et accipiebant Spiritum sanctum.* » Advers. Lucifer. Pari modo ex S. Scripturâ probat sacramentum Confirmationis Innocentius, pontifex Romanus, et alii SS. Patres.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent contrà Scripturam expressam omnes Protestantes, Confirmationem non esse sacramentum.

XXXV. *Confessionem peccatorum esse faciendam.*

Credimus cum S. Scripturâ, Confessionem peccatorum esse faciendam: *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Jacob. 5, 16. Item: *Multique credentium veniebant confitentes et annuntiantes actus suos*, Act. 19, 18. Explicat S. Basilius: « Quoniam conversionis modus pro« prius debet esse peccatoris, et necesse est ut fructus « ferantur, qui deceant resipiscentiam, necessarium « est, ut iis fiat confessio peccatorum, quibus dispen« satio mysteriorum Dei concredita est. Nam in Actis, « Apostolis, à quibus baptizabantur, peccata sua confessi « sunt omnes. » Reg. Contract. Reg. 88. S. Leo: « Ut « instruatur ambiguitas consulentis quid de pœniten« tium statu ecclesiastica habeat regula, non tacebo. « Multiplex misericordia Dei ità lapsibus subvenit hu« manis, ut non solùm per baptismi gratiam, sed etiam « per pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur « æternæ, ut qui regenerationis donum violâssent pro« prio se judicio condemnantes, ad remissionem cri« minum pervenirent; sic divinæ bonitatis præsidiis « ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus « sacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei « et hominum, Homo Christus Jesus, hanc præpositis « Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus « actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri sa« tisfactione purgatos, ad communionem sacramento« rum per januam reconciliationis admitterent. Cui « utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, « nec unquàm ab his abest, qui ministris suis exe« quenda commisit, dicens: *Ecce ego vobiscum sum « omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, ut si « quid per servitutem nostram bono ordine et gratula« bundo impletur affectu, non ambigamus per Spiri« tum sanctum fuisse donatum. » Et mox: « Multùm « utile ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante « ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur, etc. « Undè oportet unumquemque Christianum conscien« tiæ suæ habere judicium, ne converti ad Deum de « die in diem differat, nec satifactionis sibi tempus in « fine vitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia « humana concludit, ud ad paucarum horarum spa« tium se reservet incertum, et cùm possit pleniore « satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis « angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel con« fessio pœnitentis, vel reconciliatio sacerdotis. Verùm « etiam talium necessitati ità auxiliandum est, ut nec « actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia dene« getur, si eam etiam, amisso eis vocis officio, per ju« dicium integri sensûs quærere comprobentur. » Epist 9, cap. 2.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent contrà expressam Scripturam Protestantes, non esse opus, ut Christiani confiteantur peccata sua sacerdoti in particulari; quamvis Lutherani in hâc parte magis accedant Catholicis, quàm Reformati.

XXXVI. *Sacerdotes verè remittere peccata.*

Credimus cum S. Scripturâ, sacerdotes in nomine Jesu Christi verè remitterre peccata. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*, » Matth. 18, 18, et Matth. 16, 19. Explicat sanctus Hieronymus: « Alligat vel solvit episcopus et presbyter « non eos qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio « suo, cùm peccatorum audierit veritates, scit qui li« gandus sit, quive solvendus. » In Matth. 16, 19.

Et ipse Dominus Jesus apertissimè loquitur: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, Joan. 20, 22.

Rejectio hæresis adversæ. — Docent contrà expressam Scripturam Reformati, sacerdotes non verè remittere peccata, sed tantùm annuntiare remissionem peccatorum, vel remissa esse peccata. — E Lutheranis docet Calovius: « Absolutio, quæ fit à verbi ministro, « efficax omninò est; ità ut etiam in cœlis solvatur « quidquid in terris solvitur. » Synops. Cont. disp. 29. — Addit: « Pœnitentia sacramentum non est propriè « dictum, etsi absolutio sensu latiori sacramentum vo« cari possit. » Ibid. Disp. 30.

XXXVII. *Extremam Unctionem esse sacramentum.*

Credimus cum S. Scripturâ, Extremam Unctionem esse Sacramentum. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, Jacob. 5, 14.

Utitur hoc textu concilium Tridentinum : « Instituta « est sacra hæc unctio infirmorum, tanquàm verè et « propriè sacramentum novi Testamenti à Christo, « apud Marcum quidem, cap. 6, 13, insinuatum, per « Jacobum autem fidelibus commendatum ac promul- « gatum. *Infirmatur quis in vobis*, etc. Quibus verbis, « ut ex apostolicâ traditione per manus acceptâ Eccle- « sia didicit, docet materiam, formam, proprium mini- « strum, et effectum hujus sacramenti, » sess. 14, cap. 1.

Explicat Innocentius Pontifex : « Illud quod in beati « Jacobi Apostoli Epistolâ, cap. 5, v. 14, conscriptum « est : *Si infirmus aliquis in vobis est, vocet presbyteros, « orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini; « et oratio fidei salvabit laborantem, et suscitabit illum « Dominus, et si peccata fecit, remittet ei.* Non est du- « bium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi « debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, « quo ab episcopo confecto, etc. » Tom 1 Conc. pag. 69, n. 8.

Rejectio hæresis adversæ. — Nulli Protestantes hoc sacramentum admittunt. Et Calvinus dicit pro suâ modestiâ consuetâ : « Ejusdem rationis est unctio, « nempè histrionica hypocrisis. » Instit. lib. 4, cap. 19, § 18.

XXXVIII. *Ordinem esse sacramentum.*

Credimus cum S. Scripturâ, Ordinem esse Sacramentum. Probat idipsum S. Paulus, 1 Tim. 4, 14 : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Hìc est signum, *Impositio manuum; et gratia* per illud signum data. Et Christus Dominus : *Insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt,* Joan. 20, 22. Vides signum sensibile, *Insufflavit;* et dixit : *Accipite Spiritum Sanctum*, qui non datur sine gratiâ sanctificante. Collatio hujus potestatis, est altera pars ordinis presbyteratûs.

Concilium 4 Carthaginense dicit, can 3, p. 588 : « Presbyter cùm ordinatur, episcopo eum benedicen- « te, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes « presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxtà « manum episcopi super caput illius teneant. »

S. Augustinus contrà Parmen. lib. 2, cap. 3 : « Ex- « plicent quomodò sacramentum baptizati non possit « amitti, et sacramentum ordinati possit amitti. Si « enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubi- « tat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neu- « tri sacramento injuria facienda est. »

Rejectio hæresis adversæ. — Omnes Protestantes hujus temporis duo tantùm admittunt Sacramenta propriè dicta, Baptismum, et S. Cœnam; ut constat ex ipsorum Confessionibus et Catechismis.

XXXIX. *Matrimonium esse sacramentum.*

Credimus cum S. Scripturâ, Matrimonium esse Sacramentum; tradente D. Paulo, Eph. 5, 32 : *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne unâ; sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesiâ.* Sanctitatem hujus Sacramenti describit S. Augustinus, de Bono Conjugal. cap. 18 : « In nostrarum « nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœ- « cunditas uteri. » Et cap. 23 : « Bonum nuptiarum « per omnes gentes atque omnes homines, in causâ « generandi, et in fide castitatis; quod autem ad popu- « lum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, « per quam nefas est, etiam repudio discedentem al- « teri nubere, dùm vir ejus vivit, nec saltem ipsâ causâ « pariendi. Quæ cùm sola sit, quâ nuptiæ fiunt, nec « eâ re non subsequente, propter quam fiunt, solvitur « vinculum nuptiale, nisi conjugis morte. Quemadmo- « dùm si fiat ordinatio Cleri ad plebem congregan- « dam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, « manet tamen illis ordinatis sacramentum Ordinatio- « nis; et si aliquâ culpâ quisquam ab officio removea- « tur sacramento Domini semel imposito non carebit, « quamvis ad judicium permanente. Ad sacramenti « sanctitatem pertinet illud : *Uxorem à viro non disce- « dere, quòd si discesserit, manere innuptam,* 1 Cor. 7. « Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ « sunt, fides, sacramentum, » *etc.*

Rejectio hæresis adversæ. — Calvinus dicit in Conf. Fid. pag. 128 : « Ex sacramentorum numero Matri- « monium expungimus. » Idem tenent omnes Protestantes.

XL. *Sacramenta gratiam conferre.*

Credimus cum S. Scripturâ, sacramenta gratiam conferre, quâ emundemur à peccato. *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro eâ; ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam,* Ephes. 5, 25 ; *sic et vos Baptisma salvos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio,* 1 Petr. 3, 21.

Explicat S. Augustinus, tract. in Joan. : Lege Apo- « stolum : *Ut eam sanctificaret*, inquit, *mundans eam « lavacro aquæ in verbo.* Mundatio nequaquàm fluxo et « labili tribueretur elemento, nisi adderetur in ver- « bo. Hoc verbum tantùm valet in Ecclesiâ Dei, ut etiam « tantillùm mundet infantem, quantumvis nondùm « valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri « ad salutem. Et beatus Petrus : *Sic et vos*, inquit, « *baptisma salvos fecit, non carnis depositio sordium, sed « conscientiæ bonæ interrogatio.* Hoc est verbum, » *etc.*

Audis *mundationem*, quæ in emundato est; neque fit per solam non imputationem, sed per gratiam, nemine diffitente. Hæc autem gratia tribuitur elemento in verbo. Ità legimus, Tit. 3, 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis;* Act. 2, 38 : *Baptizetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum vestrorum;* Act. 8, 18 : *Cùm vidisset autem Simon, quia per impositionem manûs Apostolorum daretur Spiritus sanctus.*

Rejectio hæresis adversæ. — Protestantes ordinariè in suis Confessionibus et Catechismis non tribuunt sacramentis, contrà expressas Scripturas divinas, nisi vim obsignandi gratiam. Confessio tamen Belgica, *art.* 33, magis accedit ad sententiam Ecclesiæ catholicæ.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto.

XLI. *Ritus Ecclesiæ esse observandos*

Credimus cum S. Scripturâ, ritus Ecclesiæ esse observandos; de quo generaliter mandat Apostolus, 1 Cor. 14, 40 : *Omnia autem honestè et secundùm ordinem fiant in vobis.* Et iterùm, 1 Cor. 14, 26 : *Omnia ad ædificationem fiant.* Cùmque ipsi Protestantes nobiscum intelligant præfata loca de ritibus Ecclesiæ, neque hæc materia patiatur ut particulares Protestantium suggillationes adversùs determinatos ritus examinemus, non est quòd hisce immoremur.

Omnia et singula quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosanctâ Tridentinâ synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

XLII. *In Baptismo tolli peccatum originale.*

Credimus cum S. Scripturâ, in Baptismo non tantùm reatum peccati originalis tolli, sed etiam auferri totum id quod veram et propriam rationem peccati habet. Illud evincunt loca Scripturæ, art. XI allegata, Ephes. 5, 25, et 1 Petr. 3, 21, quibus adde Tit. 3, 5 : *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Sed et probat S. Augustinus, lib. 1 de peccat. Remiss. cap. 30 : « Sufficere debet quod dictum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ et Spiritu*, Joan. 3, 5. Cur enim nascatur denuò, nisi renovandus? undè renovandus, nisi à vetustate, de quâ *vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati*, Rom. 6, 6? »

Et latè lib. 1 contr. duas Epist. Pelag. cap. 13 : « Quis nisi infidelis affirmet, Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec *auferre* crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in malâ carne teneantur? Dicimus enim Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum et *auferre* crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in malâ carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, undè crescant iterùm resecanda peccata. Sed de concupiscentiâ carnis falli eos credo vel fallere, cum quâ necesse est, ut etiam baptizatus, et hoc si diligentissimè proficit et Spiritu Dei agitur, piâ mente confligat. Sed hæc, etiamsi vocatur peccatum, Rom. 7, 17, non utique quia peccatum est, sed quia peccato facta est, sic vocatur; sicut Scriptura, manus cujusque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quæ secundùm carnis concupiscentiam, vel ignorantiam, illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur; quæ transacta etiam, reos tenent, si non remittantur. Et ista ipsa carnis concupiscentia, in baptismo sic dimittitur, ut quanquàm tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus; ex quibus tamen si filios carnaliter gignunt, rursùs trahitur rursùsque et nocitura nascentibus, nisi eâdem formâ renascentibus remittantur, et insit nihil obfutura vitæ futuræ, quoniam *reatus* ejus generatione tractus, regeneratione *dimissus* est. Et ideò jam non sit, sive peccatum, sed sic vocetur, quòd peccato facta sit, sive quòd peccandi delectatione moveatur, nisi ei, vincente delectatione justitiæ, non consentiatur. Nec propter ipsam, cujus jam *reatus* lavacro regenerationis *absumptus* est, dicunt in oratione baptizati : *Dimitte nobis debita*, Matth. 6, 12, sed propter peccata quæ fiunt, sive in ejus consensionibus, cùm ab eo quodlibet vincitur quod placet, sive cùm per ignorantiam malum quasi bonum placet. Fiant autem sive operando, sive loquendo, sive quod facillimum atque celerrimum est, cogitando; à quibus omnibus quis etiam fidelium gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Illud sanè, quod in Oratione sequitur, propter ipsam dicitur : *Ne nos auferas in tentationem, sed libera nos à malo. Unusquisque enim*, sicut scriptum est, *tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus, deindè concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum.* Jacob. 1, 14. Hi omnes concupiscentiæ partus, et ipsius concupiscentiæ *reatus* antiquus, qui baptismatis *ablutione* dimissi sunt, et quidquid parit nunc ista concupiscentia, si non sint illi partus, qui non solùm *peccata*, verùm etiam *crimina* nuncupantur, pacto illo quotidianæ Orationis, ubi dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et dimittimus*, et eleemosynarum sinceritate mundantur. Neque enim quisquam sic desipit, ut dicat ad baptizatos Dominicum illud non pertinere præceptum : *Dimittite et dimittetur vobis, date et dabitur vobis*, Luc. 8, 37. Nullus autem in Ecclesiâ rectè posset ordinari minister si dixisset Apostolus : *Si quis sine peccato*, ubi ait, *si quis sine crimine est*; aut si dixisset : *Nullum peccatum habentes;* ubi ait : *Nullum crimen habentes.* Tit. 1, 3, et 1 Tim. 3, 2. Multi quippè baptizati fideles sunt sine *crimine*, sine *peccato* autem in hâc vitâ neminem dixerim; non quia aliquid peccati remaneat, quod in baptismo non remittatur, sed quia in nobis, in hujus vitæ infirmitate manentibus, quotidiè fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus et misericorditer operantibus quotidiè remittantur. Hæc est *fidei catholicæ sanitas*, quam sanctus *ubique* seminat Spiritus, non pravitatis hæreticæ vanitas et præsumptio spiritùs. »

Rejectio hæresis adversæ. — Docet Conf. Gall. 11 : « Hoc vitium (originale peccatum) etiam post Baptismum esse verè peccatum quoad culpam attinet; quamvis qui filii Dei sunt, minimè idcircò condemnentur, quoniam videlicet Deus pro gratuitâ suâ bonitate et misericordiâ, illud ipsis non imputat. » Idem tenent communiter Protestantes. Juxtà Crocium tamen, manet materiale, tollitur formale. Anti-Bec. contr. 8, sect. 3, n. 5.

XLIII. *Homines justificari justitiâ inhærente.*

Credimus cum S. Scripturâ, homines justificari justitiâ inhærente. Rom. 8. 30 : *Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et glorificavn.* Tit. 3, 7 : *Ut justificati gratiâ ipsius, hæredes simus secundùm spem vitæ æternæ.*

S. Augustinus de peccat. remiss. lib. 1, cap. 26 :

« Testimonia multa congeram acervatìm, quæ suffi- « cere videbuntur quibus appareat Christum non aliam « ob causam in carne venisse, nisi ut dispensatione « gratiæ, omnes, quibus tanquàm membris in suo cor- « pore constitutis, caput est, vivificaret, salvos faceret, « illuminaret, qui priùs fuissent in peccatorum morte, « languoribus, tenebris constituti. Petrus in 1 Epist. « cap. 1, vers. 3 : *Qui regeneravit nos in spem vitæ « æternæ;* et cap. 2, v. 9 : *Vos autem genus electum, « gens sancta, populus in adoptione.* Jam nunc attende « ad hanc rem Pauli Apostoli testimonia, tantò utique « plura, quantò diligentiùs curavit commendare gra- « tiam Dei adversùs eos, qui ignorantes Dei justitiam, « justitiæ Dei non erant subjecti. Rom. 3, 22 : *Justitia,* « inquit, *Dei in omnes qui credunt, justificati gratìs per « gratiam ipsius, ad ostensionem justitiæ ejus; ad osten- « dendam justitiam ipsius in hoc tempore, ut sit justus et ju- « stificans eum qui ex fide est Jesu.* 2 Cor. 5, 17 : *Si « qua igitur in Christo nova creatura. Vers.* 21 : *Eum « qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut « nos simus justitia Dei in illo.* Eph. 2, 5 : *Convivifica- « vit nos Christo, cujus gratiâ salvi facti sumus ; ipsius « sumus figmentum creati in Christo Jesu in operibus bo- « nis, etc.* 4, 23 : *Renovamini spiritu mentis vestræ, et « induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus « est in justitiâ et in sanctitate veritatis;* et cap. 4, 30 : « *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati « estis;* et Coloss. 2, 12 : *In quo et consurrexistis; con- « vivificavit cum illo.* Tit. 3, 5 : *Salvos nos fecit per la- « vacrum regenerationis et renovationis Spiritûs sancti « quem ditissimè effudit super nos per Jesum, ut justificati « ipsius gratiâ,* etc. Hoc tanto aggere testimoniorum, « cujus adversùs veritatem Dei elatio non prematur ? »

Rejectio hæresis adversæ. — Docet Confessio Gallica, art. 18, contrà expressam Scripturam : « Credimus totam nostram justitiam positam esse in pecca- « torum nostrorum remissione, quæ sit etiam, ut « testatur David, unica nostra felicitas. Itaque cæteras « omnes rationes, quibus homines existimant se posse « coràm Deo justificari, planè repudiamus. » Idem communiter tenent Protestantes.

XLIV. *Fideles verè mereri coronam gloriæ.*

Credimus cum S. Scripturâ, fideles verè mereri coronam gloriæ. Legimus, 2 Tim. 4, 7 : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex. Non solùm autem mihi,* etc. 2 Thess. 14 : *Sustinetis in exemplum justi judicii Dei; ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; et vobis qui tribulamini requiem nobiscum.* Matth. 25 : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esurivi enim, et dedistis mihi manducare,* etc. Rom. 2 : *In die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundùm opera ejus, iis quidem, qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam ; iis autem qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio.* 2 Cor. 5, 5 : *Omnes nos manifestari oportet antè tribunal Christi ; ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum.* Apoc. 7 : *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magnâ, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideò sunt antè thronum Dei,* etc.

Explicat S. Augustinus, de grat. et liber. arbitr. cap. 6 : « Redeamus ad Apostolum Paulum, quem « certè invenimus sine ullis meritis bonis, imò cum « multis meritis malis, Dei gratiam consecutum, red- « dentis bona pro malis. Videamus quid dicat suâ jam « propinquante passione, scribens ad Timotheum, 2 « Tim. 4, 6 : *Ego enim jam immolor,* inquit, *et tempus « resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cur- « sum consummavi, fidem servavi.* Ista utique jam me- « rita sua bona commemorat, ut post bona merita « consequatur coronam, qui post merita mala conse- « cutus est gratiam. Denique attendite quid sequatur : « *Superest,* inquit, *mihi corona justitiæ, quam reddet « mihi Dominus in illâ die justus judex.* Cui redderet « coronam justus judex, si non donâsset gratiam mise- « ricors Pater ? et quomodò esset ista corona justitiæ, « nisi præcessisset gratia, quæ justificat impium ? « quomodò ista debita redderetur, nisi prima illa gra- « tuita donaretur ? » *Et cap.* 7 : « Consideremus ipsa « merita Apostoli Pauli, quibus dicit coronam reddi- « turum judicem justum : *Bonum,* inquit, *certamen « certavi, cursum consummavi, fidem servavi.* Primò, « ista bona opera, etc. Cùm Apostolus dicit, Eph. 2, « 9 : *Non ex operibus, ne fortè quis extollatur,* non « dicit quia negavit, aut evacuavit opera bona, cùm « dicat, *Deum unicuique reddere secundùm opera ejus,* « Rom. 2, 6 ; sed quia opera sunt ex fide, non ex « operibus fides ; ac per hoc ab illo sunt nobis opera « justitiæ, à quo est ipsa fides. »

Ibidem difficultatem Protestantium removet S. Augustinus : « Quia et ipsa bona opera nobis ex Deo « sunt, à quo nobis et fides est, et dilectio, proptereà « idem ipse doctor Gentium, etiam ipsam vitam æter- « nam, gratiam nuncupavit. Sed nascitur indè non « parva quæstio, quæ solvenda est. Si enim vita « æterna bonis operibus redditur, sicut apertissimè « dicit Scriptura, *quoniam Deus reddet unicuique se- « cundùm opera ejus,* Rom. 2, 6, quomodò, *gratia est « vita æterna ?* Rom. 6, 23, cùm gratia non operibus « reddatur, sed gratis detur, ipso Apostolo dicente : « *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gra- « tiam, sed secundùm debitum,* Rom. 4, 4. Et iterùm : « *Reliquiæ,* inquit, *per electionem gratiæ, salvæ factæ « sunt.* Et mox addidit : *Si autem gratia, jam non ex « operibus alioquin gratia jam non est gratia* Rom. 11, 6. « Quomodò est ergò gratia vita æterna, quæ ex ope- « ribus sumitur ? An fortè vitam æternam non dicit « Apostolus gratiam ? Imò verò, sic dixit, ut negari « omninò non possit, nec intellectorem acutum, sed « tantummodò intentum desideret auditorem. Cùm « enim dixisset : *Stipendium peccati mors,* continuò

« subdidit : *Gratia autem Dei vita æterna in Christo « Jesu Domino nostro*, Rom. 6, 23. Ista ergò quæstio « nullo modo mihi videtur posse dissolvi, nisi intelli- « gamus et ipsa bona opera nostra, quibus æterna « redditur vita, ad Dei gratiam pertinere, propter « illud quod ait Jesus : *Sine me nihil potestis facere*, « Joan. 15, 5. Itaque, si vita bona nostra nihil aliud « est, quàm Dei gratia, sine dubio et vita æterna, quæ « bonæ vitæ redditur, Dei gratia est : et ipsa enim gra- « tis datur, quia gratis data est illa cui datur : sed illa, « cui datur, tantummodò gratia est; hæc autem quæ « illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro « gratiâ, tanquàm merces pro justitiâ, ut verum sit, « quoniam verum est, *quia reddit unicuique Deus se- « cundum opera ejus*, Rom. 2, 6. Accipiemus et *gra- « tiam pro gratiâ*, Joan. 1, 16, quandò nobis vita « æterna reddetur, de quâ dicit Apostolus : *Stipendium « peccati mors*, meritò, *stipendium*, quia malitiæ dia- « bolicæ mors æterna tanquàm debitum redditur. « Ubi cùm posset dicere, et rectè dicere : Stipen- « dium autem justitiæ, *vita æterna*, maluit dicere : « *Gratia autem Dei vita æterna*, ut hinc intelligeremus, « non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, « sed pro suâ miseratione perducere, de quo in Psal. « 102, 4, dicit homo animæ suæ : *Qui coronat te in « miseratione et misericordiâ.* Numquid non corona « bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera « ille in nobis operatur, ideò dicit psalmus : *Coronat « te in miseratione et misericordiâ*, quia ejus miseratione « bona operamur, quibus corona redditur. »

Rejectio hæresis adversæ. — Confessio Gallica, art. 18, abjicit omnium virtutum et meritorum opinionem. Idem tenuerunt reliqui Protestantes. Posteriores tamen magis appropinquant sententiæ catholicæ.

Profiteor pariter in Missâ offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem, unâ cum animâ et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub alterâ tantùm specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

XLV. *Missam fundari in S. Scripturâ et antiquitate.*

Credimus, Missam fundari in S. Scripturâ. Quoad rem ipsam, mox agimus latiùs. Quoad ipsum terminum, is Latinis idem significat, quod Græcis Liturgia. Legimus autem, Act. 13, 2 : *Ministrantibus autem illis Domino.* Quod ex græco rectè vertitur : *Ipsis autem Liturgiam Domino celebrantibus*, vel, ut Erasmus vertit, *sacrificantibus.* — In Concilio Chalcedonensi, Act. 11, legitur, quòd Liturgias, sive Missas celebraverint. Imò refertur : *Stephanus presbyter meus fuit quatuor annis mecum Missas celebrabat, mecum communicabat, et communicabat mihi tanquàm episcopo.* Similia vide ibid. Act. 3, et conc. Carth. 2, can. 6.

Rejectio hæresis adversæ. — Confessio Anglica dicit, art. 31 : « Missarum sacrificia, quibus vulgò dicebatur « Sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ « aut pro vivis et defunctis, blasphema figmenta sunt « et perniciosæ imposturæ. »

XLVI. *In Missâ offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis.*

Credimus cum S. Scripturâ, in sacrificio Missæ hoc fieri, quod Christus in ultimâ cœnâ fecit, dicens, Luc. 22, 19 : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Matth. 26, 28 : *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marc.* 14, 24 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur.* Ubi verbum, *effundetur*, tàm habet significationem præsentis, quàm futuri. Luc. 22, 20 : *Hic est calix, novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Ubi particula *qui* non refertur ad vocem *sanguine*, sed ad vocem *calix;* ut sensus sit calicem effundi pro nobis, qui utique non in Cruce, sed in ultimâ cœnâ effusus est; sanguine nimirùm, qui erat in calice, pro nobis effuso. Cùm ergò Christus *pro nobis* dederit corpus suum, nec alteri dederit, nisi Deo Patri suo, habemus in actione Christi verum et proprium sacrificium; habemus et propitiatorium sacrificium, quia Christus seipsum non obtulit pro nobis, nisi ad propitiationem; quod et explicavit dicens : *In remissionem peccatorum.* Et quia dixit sanguinem suum *pro multis* effundi, Ecclesia catholica intellexit, quod et traditum ab Apostolis accepit, sacrificii incruenti effectum etiam ad defunctos pertinere. — SS. Patres eamdem veritatem tradunt ex S. Scripturâ. Ità S. Irenæus, lib. 4, cap. 32 : « Christus eum, qui ex naturâ panis est, accepit, et « gratias egit, dicens : *Hoc est corpus meum*, et cali- « cem similiter, qui est ex eâ creaturâ, quæ est se- « cundùm nos, suum sanguinem confessus est; et « novi Testamenti novam docuit oblationem. Quam « Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo « offert Deo. De quo in duodecim Prophetis Malachias, « cap. 1, 10 : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit « Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de « manibus vestris, quoniam ab ortu solis usque ad occa- « sum nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni « loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium pu- « rum, quoniam magnum est nomen meum in Gentibus, « dicit Dominus omnipotens :* manifestissimè significans « per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit « offerre Deo, omni autem loco sacrificium offertur « Deo, et hoc purum, nomen autem ejus glorificatur « in gentibus. » Ibid. cap. 34 : « Igitur Ecclesiæ oblatio, « quam Dominus docuit offerri in universo mundo purum « sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum « est ei, non quòd indigeat à nobis sacrificio, sed quo- « niam is, qui offert, glorificatur ipse in eo quod of- « fert, si acceptetur munus ejus; per munus enim « ergà regem et honos et affectio ostenditur. » — S. Cyprianus ad Cæcilium, epist. 63 : « Fas non est « infringere, aut in aliud, quàm quod divinitùs insti-

« tutum sit, humanâ traditione mutare. Nam si Jesus « Christus Dominus et Deus noster, ipse et summus « Sacerdos Dei Patris, et sacrificium Deo Patri, ipse « primus obtulit, et hoc fieri in sui commemorationem « præcepit; utique ille sacerdos vice Christi verè fun- « gitur, qui id quod Christus fecit imitatur, *et sacrifi-* « *cium verum et plenum* tunc offert in Ecclesiâ Deo « Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum « Christum videat obtulisse. In sacerdote Melchisedech « sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum vide- « mus, » etc. Idem, epist. 66 : « Episcopi antecessores « nostri salubriter providentes censuerunt, ne quis « frater excedens, ad tutelam, vel curam Clericum « nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro « eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. »

Textum S. Pauli, Hebr. 13, 10 : *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt,* explicat S. Chrysostomus, 33, et post eum Theodoretus, tom. 3, pag. 460 : « Hoc est multò « veteri præstantius. Illud hostias rationis expertes « recipit; hoc verò rationalem et divinam. Quamob- « rem nullus illorum Sacerdotum hujus fit particeps, « nisi priùs fidem in Dominum susceperit. »

S. Chrysostomus, hom. 41 in 1 Cor. : « Abierit « peccator, decet niti, ut juvetur prece, eleemosynis, « oblationibus. Non est temerè hoc excogitatum, nec « frustrà memoriam mortuorum inter sacra mysteria « celebramus, aut accedimus pro istis Agnum illum « jacentem et peccata mundi tollentem deprecantes, « sed ut his consolatio hìnc aliqua sit. Nec temerè « qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat. » S. Augustinus, lib. de cur. pro mort. cap. 1 : « In « Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis « sacrificium. Sed etsi nusquàm in Scripturis vete- « ribus omninò legeretur, non parva tamen est univer- « salis Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine claret, auc- « toritas; ubi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo « ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiam « commendatio mortuorum. » Et Enchir. cap. 109 : « Neque negandum est defunctorum animas pietate « viventium relevari, cùm pro illis sacrificium Media- « toris offertur. »

Rejectio hæresis adversæ. — Confessio Anglica pr. pag. 121 : « Quod autem dicunt, et interdùm etiam « stultis persuadent, sese Missis suis posse distribuere « atque applicare hominibus omnia merita mortis « Christi, et ridiculum, et ethnicum, et ineptum est. » Similia habent alii Protestantes.

XLVII. *Christum in SS. Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter et substantialiter.*

Credimus cum S. Scripturâ, Jesum Christum esse in SS. Eucharistiæ sacramento verè, realiter et substantialiter præsentem sub speciebus panis et vini. Matth. 26 26 : *Accipite, et comedite : Hoc est corpus meum,* v. 28 : *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti; Marc.* 14, 22 : *Sumite, hoc est corpus meum;* v. 24 : *Hic est sanguis meus novi Testamenti.* Luc. 22, 19 *Hoc est corpus meum;* v. 20 : *Hic est calix novum Testamentum in sanguine meo;* Joan. 6, 52 : *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vitâ,* 1 Cor. 10, 16 : *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* v. 17 : *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus;* 1 Cor. 11, 24 : *Accipite et manducate : Hoc est corpus meum;* v. 25 : *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.*

Explicat S. Cyrillus Hierosolymitanus. Catech. 4 Mystag. : « Cùm Christus dicat circà panem : *Hoc est* « *corpus meum,* quis deinceps audeat dubitare? et « eodem confirmante et dicente : *Hic est sanguis meus,* « quis dubitet, dicens non esse ipsius sanguinem? » Et posteà : « Fias sumens corpus et sanguinem, con- « corporeus et consanguineus ipsius; sic enim sumus « Christophori, corpore ipsius et sanguine in nostra « membra recepto. » Origenes, hom. 9 in Levit. propè fin. : « Non hæreas in sanguine carnis, sed disce potiùs « sanguinem verbi, et audi ipsum tibi dicentem : *Quia* « *hoc sanguis meus est, qui pro vobis effundetur in re-* « *missionem peccatorum.* Neque enim oportet hærere « in sanguine carnis, secundùm modum existendi na- « turalem; sed oportet discere sanguinem verbi, « vivificantem et sanctificantem, secundùm modum « existendi realem, simul et sacramentalem. » S. Cyprianus, de Cœnâ Dom. : « Nova est hujus Sacramenti « doctrina, et scholæ Evangelicæ hoc primum magi- « sterium protulerunt, et doctore Christo primùm hæc « mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem « Christiani, cujus esum legis antiquæ auctoritas di- « strictissimè interdicit; lex quippè esum sanguinis « prohibet, Evangelium præcipit, ut bibatur. » S. Ambrosius, lib. 4 de Sacram. cap. 4 : « Panis iste panis « est antè verba Sacramentorum; ubi accesserit con- « secratio, de pane fit caro Christi. » S. Hilarius, de Trinit. lib. 8 : « De veritate carnis et sanguinis non « est relictus ambigendi locus; nunc enim, et ipsius « Domini professione, et fide nostrâ verè caro est et « verè sanguis est. »

Rejectio erroris adversi. — Docet contrà expressam Scripturam et antiquitatem Confessio Helv. post. art. 21 : *Caro Christi corporaliter manducari non potest citrà flagitium aut truculentiam.* Similia docent omnes prætensi Reformati.

XLVIII. *Christum esse præsentem in SS. Eucharistiâ per transubstantiationem.*

Credimus, juxtà veritatem verborum Christi dicentis : *Hoc est corpus meum,* in SS. Eucharistiâ ejusdem corpus esse præsens per transubstantiationem. Cùm enim Christus, postquàm accepit panem, verè pronuntiaverit, illud quod sub speciebus offerebat, esse corpus suum; neque verè hæc verba enuntiare potuerit de ipsâ substantiâ panis et vini, ut patet; neque de suo corpore naturali, si cum substantiâ panis sub propriis accidentibus illis simul maneret; necessariò fieri debuit, ut substantia panis desineret, et sola substantia corporis sub illis accidentibus rema-

neret. Nam si sub accidentibus maneret substantia panis, eique accederet corpus Christi, non verè diceretur : *Hoc est corpus meum*, sed dicendum foret : *Hic est corpus meum.* Cùm enim pronomen, *hoc*, demonstrativum, directum ad accidentia quæ sentiuntur, non demonstret illa, sed substantiam sub illis; et propria substantia primariè, imò sola demonstretur; efficitur ut, præsente propriâ, aliena nequeat demonstrari. E contrario verò, si propria substantia sub accidentibus suis non sit, sed aliena, rectè etiam, imò necessariò, aliena demonstratur. Idem docuerunt SS. Patres, Cyprianus de Cœn. Dom. : *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat*, *non* effigie, *sed* naturâ mutatus.

S. Cyrillus Hierosol. Catechesi 4 Mystag. : « Hoc « sciens, et pro certissimo habens, panem hunc, qui « videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus pa- « nem esse sentiat; sed esse corpus Christi. » S. Ambrosius, lib. de Myst. init. cap. 9 : « Quantis utimur « exemplis, ut probemus, *non hoc esse*, quod natura « formavit, sed quod benedictio consecravit? majorem « vim esse benedictionis, quàm naturæ, quia benedic- « tione etiam natura ipsa mutatur. » S. Gregorius Nyssenus Orat. Catech. cap. 37 : « Rectè etiam Dei « verbo sanctificatum panem in Dei verbi corpus cre- « dimus *immutari.* » S. Chrysostomus, hom. 83 in Matth. : « Non sunt humanæ virtutis opera proposita : « nos ministrorum locum tenemus; qui verò sancti- « ficat ea, et *immutat*, ipse *est.* » S. Cyrillus Alexandrinus, epist. ad Cælosyr. : « Non horremus carnem « et sanguinem apposita sacris altaribus; condescen- « dens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim « vitæ, convertens ea in veritatem propriæ carnis, « ut corpus vitæ quasi quoddam semen inveniatur in « nobis. » Eusebius Emissenus, sive auctor serm. de c rp. Dom. : « Quandò benedicendæ verbis cœlestibus « creaturæ sacris altaribus imponuntur, antequàm in- « vocatione summi Numinis consecrentur, substantia « illic est panis et vini, post verba autem Christi, « corpus et sanguis est Christi. Quid mirum est autem. « si quæ verbo creare potuit, possit creata *convertere.* »

S. Remigius in 1 Cor. 10 : « Caro quam Verbum « Dei Patris assumpsit in utero virginali, in unitate suæ « personæ, et panis, qui consecratur in altari, unum « corpus Christi sunt; sicut enim illa caro corpus « Christi est, ità iste panis transit in corpus Christi, « nec sunt duo corpora, sed unum corpus. »

Rejectio hæresis adversæ.—Contrà veritatem verborum Christi et antiquitatem, docet Confessio Czengriana de Cœnâ Dom. pag. 194 : « Impossibile est, « accidentia manere, et sumi sine subjecto, ut Pa- « pistæ nugantur, videri quidem accidentia panis, sed « corpus Christi in Missâ sumi. » Reliqui etiam Protestantes transubstantiationem negant.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.

XLIX. *Purgatorium esse.*

Credimus cum S. Scripturâ, Purgatorium esse. Matth. 12, 32 : *Qui dixerit contrà Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* 1 Cor. 3, 25 : *Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.*

Explicat S. Augustinus de Civit. Dei, lib. 22, c. 24: « Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, « quòd non eis remittatur, neque in hoc seculo, ne- « que in futuro, nisi essent, quibus et si non in isto, ta- « men remitteretur in futuro. » Idem in Psalm. 37 : « In hâc vitâ purges me, et talem me reddas, cui jam « emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui « salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Quarè, nisi « quia hìc ædificant suprà fundamentum ligna, fœnum, « stipulam? ædificarent autem aurum, argentum, la- « pides pretiosos; et de utroque igne securi essent; « non solùm de illo æterno, qui in æternum cruciatu- « rus est impios; sed etiam de illo, qui emendabit eos, « qui per ignem salvi erunt. Dicitur enim : *Ipse autem « salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* » Vide S. Gregorium, Dialog. lib. 4, cap. 39, et in Ps. pœnit., et in cap. 2 lib. 1 Regum.

Rejectio hæresis adversæ. — Docet confessio Gallica contrà Scripturam et antiquitatem, art. 24 : *Purgatorium arbitramur figmentum esse ex officinâ* (Satanæ) *profectum.*

L. *Animas in Purgatorio fidelium suffragiis juvari.*

Credimus cum S. Scripturâ et antiquitate, animas in Purgatorio existentes fidelium suffragiis juvari. 2 Machab. 12, 43 : *Fortissimus Judas factâ collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccato sacrificium, benè et religiosè de resurrectione cogitans (nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis), et quia considerabat, quòd hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergò et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* 1 Cor. 15, 29 : *Quid faciunt, qui baptizantur pro mortuis? si mortui non resurgunt, quid et baptizantur pro illis?* Luc. 16, 9 : *Facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

S. Chrysostomus, hom. 2 in Epist. ad Philip. cap. 1 : « Non frustrà hæc ab Apostolis sunt legibus constituta, « ut in venerandis, inquam, atque horrificis mysteriis « memoria eorum fiat, qui decesserunt. Noverant « hìnc multùm ad illos lucri accedere, multùm uti- « litatis. »

S. Hieronymus in cap. 11 Proverb. : « Etsi impiis « post mortem spes veniæ non est, sunt tamen qui « de levioribus peccatis, cum quibus obligati defuncti « sunt, post mortem possunt absolvi, vel pœnis vide- « licet castigati, vel suorum precibus, et eleemosynis, « Missarumque celebrationibus sed hæc quibuscum- « que fiunt, et antè judicium, et de levioribus fiunt « erratis. » Vide S. Ambr. Orat. 1 præpar. ad Miss. et de Myst. Paschæ, cap. 4; S. August. Enchir. ad Laurent. cap. 109 et 110; lib. de Curâ pro mort. cap. 4.

Rejectio hæresis adversæ.—Docet confessio Augustana, tit. de Missâ, contrà S. Scripturam et antiquitatem : « Illa applicatio Cœnæ Domini ad mortuos liberandos, sine Scripturæ auctoritate, imò contrà Scripturam, damnanda est tanquàm novus et impius cultus. » Conf. Helv. post art. 26 : « Credimus fideles rectà à morte corporeâ migrare ad Christum, ideòque viventium suffragiis, aut precibus pro defunctis, denique illis suis officiis nihil indigere. »

Similiter et Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum SS. habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maximè salutarem esse affirmo.

LI. *Sanctis cum Christo regnantibus licitè impendi venerationem.*

Credimus cum Scripturâ et antiquitate, sanctis cum Christo regnantibus licitè venerationem tribui. Gen. 19, 1 : *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis; qui cùm vidisset eos, surrexit, et ivit obviàm eis; adorabatque pronus in terram, et dixit : Obsecro, Domini, declinate*, etc. 3 Reg. 18, 7 : *Cùmque esset Abdias in viâ, Elias occurrit ei, qui cùm cognovisset eum, cecidit super faciem suam.*

Explicat S. Augustinus, lib. 2 de Trinit. cap. 12 : *Venerunt*, inquit, *duo Angeli in Sodomis vespere ; Loth autem sedebat ad portam Sodomorum. Et cùm vidisset eos Loth, surrexit et ivit obviam illis, et adoravit in faciem super terram, et dixit : Ecce, Domini, divertite in domum pueri vestri :* « Hìc manifestum est, duos Angelos fuisse, et in hospitium pluraliter invitatos, et honorificè appellatos Dominos, cùm fortassè homines putarentur. Sed rursùm movet, quia nisi Angeli Dei cognocerentur, non adoraret Loth in faciem super terram. » Vide Concil. Gangrense, can. 20.

Rejectio hæresis adversæ. — Contrà Scripturam et antiquitatem, docet Conf. Belgica, art. 26 : *Sola diffidentia morem hunc induxit, quo sanctos (quos colere putamus) dedecore potiùs afficimus.* Vide Confes. Basil. art. 10.

LII. *Sanctos licitè à nobis invocari.*

Credimus cum S. Scripturâ, Angelos Sanctos que cum Christo regnantes licitè à nobis invocari. Jos. 13, 18 : *Dixitque Manue ad Angelum Domini : Obsecro te ut acquiescas precibus meis.* Gen. 28, 16 : *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis ; et invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham et Isaac.* Apoc. 1 *: Gratia vobis et pax ab eo qui est, qui erat, et qui venturus est, et à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.*

Explicat S. Augustinus, lib. 1 Loc. de Gen. : « Jacob benedicens nepotes suos filios Joseph, ait inter cætera : *Et invocabitur in his nomen meum, et nomen patrum meorum.* Undè notandum est, non solùm exauditionem, sed etiam invocationem dici aliquandò, quæ non Dei, sed hominum sit. » Vide S. Hieronymum Comm. in Psal. 15.

Rejectio hæresis adversæ. — Contrà expressam Scripturam et antiquitatem, docet Confes. Augustana, art. 21 : « Taxanda, et ex Ecclesiâ prorsùs ejicienda est consuetudo invocandi sanctos homines qui ex hâc vitâ decesserunt. » Conf. Helv. post. art. 23 : « Divos cœlites invocare, aut his uti pro intercessoribus prohibet vera Religio. »

LIII. *Sanctorum Reliquias esse venerandas.*

Credimus cum S. Scripturâ, Sanctorum Reliquias esse venerandas. Act. 19, 11 : *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli, ità ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores, et spiritus nequam egrediebantur.* Legimus, Act. 5, 15, infirmos fuisse sanatos solà umbrâ S. Petri. Elisæus, 4 Reg. 2, 14, percussit aquas pallio Eliæ, divisæque sunt aquæ. Cùm 4 Reg. 13, 21, projectum esset cadaver defuncti in sepulcrum Elisæi, ossaque ejus tetigisset, revixit homo, et stetit erectus in pedes suos.

Explicat S. Hieronymus, epist. 53 ad Ripar. : « Si non sunt honorandæ reliquiæ Martyrum, quomodò legimus : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus?* si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodò Elisæus mortuus mortuum suscitavit, et dedit vitam corpus, quod juxtà Vigilantium jacebat immundum? » — S. Cyrillus Hieros. Cath. 18 : « Ut autem non solùm anima sanctorum honoretur, credaturque quòd etiam in corporibus mortuorum inest virtus, seu potentia ; jacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuumque corpus Prophetæ attingens, vivificatus est; atque ità mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ, et mortuum jacensque vitam præbuit defuncto, exhibensque alteri vitam, ipsum nihilominùs mortuum permansit. Quâ de causâ ? ne si resurrexisset Elisæus, factum id soli animæ adscriberetur, et ut demonstraretur, quòd absente etiam animâ inest virtus quædam ejusmodi corporibus sanctorum, propter tot annorum inhabitationes animarum justarum in illis, quorum ministerio usæ sunt. Neque verò diffidamus, ut rerum ignari, fieri istud ; si enim sudaria et semicinctia extrà corpus existentia, contracta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate, quantò magis corpus ipsum Prophetæ mortuum excitavit? »

Rejectio hæresis adversæ. — Docet Confessio Angl. poster. contrà expressam Scripturam et antiquitatem : « Doctrina Romanensium in veneratione et adoratione reliquiarum, res futilis est, inaniter conficta, » etc.

LIV. *Licitas esse in Ecclesiis imagines Christi, Deiparæ Virginis et Sanctorum.*

Credimus, ducente Scripturâ, licitas esse in Ecclesiis imagines Christi, Deiparæ semper Virginis, et Sanctorum. Arca fœderis fuit figura Dei et imago,

Exod. 20, eaque in loco sacro, et in templo collocata fuit. Deus jussit, Exod. 25, fieri duos Cherubim aureos in Arcâ fœderis. Salomon, 3 Reg. 6, ex præcepto Domini fecit duos Cherubim in Sancto Sanctorum.— S. Basilius, epist. ad Julian. relatâ in 2 Conc. Nicæn., act. 4 : « Secundùm immaculatam fidem Christianorum, etc., suscipio et sanctos Apostolos, prophetas et Martyres, et ad supplicationem, quæ est ad Deum, hos invoco ; ut per eos, hoc est, interventionem eorum, propitius mihi sit misericors Deus, et culparum mihi redemptio fiat, et detur, undè et characteres imaginum eorum honoro et adoro ; præcipuè cùm hoc traditum à sanctis Apostolis, et non prohibitum sit, quin et in omnibus Ecclesiis nostris ostendatur depictum. » Synodus Antioch. can. 8 : « Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant in opposito divinam humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri et Salvatoris nostri Jesu Christi, ipsiusque servorum contrà idola et Judæos. Neque errent in idolis, neque similes fiant Judæis. »

Rejectio hæresis adversæ.—Contrà usum in S. Scripturâ probatum, et antiquitate roboratum, dicit Confessio Helv. poster. art. 27 : *Usum imaginum in templo pro mediis seu rebus indifferentibus reputari non debere.* Catechismus Heidelberg., quæst. 98, dicit in templis imagines tolerari non posse, ut pro libris sint imperitæ multitudini.

LV. *Venerationem imaginibus Christi et Sanctorum licitè deferri.*

Credimus, ducente S. Scripturâ, venerationem imaginibus Christi et sanctorum licitè deferri. Nullus dubitat quin Arca fœderis, de quâ, Exod. 25, 26, apud Judæos in veneratione fuerit. Ità Jos. 7, 6 : *Josue pronus cecidit in terram coràm arcâ Domini usque ad vesperam, tàm ipse, quàm omnes senes Israel.* 2 Reg. 6, David cum magnâ solemnitate et veneratione arcam Dei reduxit. Num. 21, 8, serpentem æneum, qui erat figura et repræsentatio Christi Jesu, venerati sunt Judæi. Psal. 98, 5 : *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Ubi ipsi Reformati, per *scabellum*, intelligunt arcam fœderis.—S. Hieronymus, epist. 17 ad Marcell. : « Venerabantur quondàm Judæi Sancta Sanctorum, quia ibi erant Cherubim, et Propitiatorium, et Arca testamenti, manna, virga Aaron, et altare aureum ; nonne venerabilius tibi videtur sepulcrum Domini ? » — S. Chrysostomus in Missâ : « Sacerdos egreditur è parvo ostio, portans Evangelium, præcedente ministro cum lampade. Et conversus ad Christi imaginem inter duo ostia, inflexo capite, cum exclamatione dicit. »

Rejectio hæresis adversæ.—Contrà usum Scripturæ et antiquitatis, docet Confessio Angl. poster., art. 22 : « Doctrina Romanensium de adoratione et veneratione imaginum, res est futilis, inaniter conficta. » etc.

LVI. *Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesiâ fuisse relictam.*

Credimus cum S. Scripturâ, indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesiâ fuisse relictam, earumque usum esse salutarem, Matth. 16, 19 : *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Similia leguntur, Matth. 18, 18. Quæ loca Protestantes nobiscum intelligunt, de Potestate remittendi peccata, quoad culpam et pœnam.

Antiqua concilia, pro qualitate peccati, pœnitentiæ tempus constituerunt ; quod etiam ex variis causis abbreviârunt. Illæ autem pœnitentiæ non tantùm imponebantur ad satisfactionem Ecclesiæ, sed insuper pro compensatione pœnæ temporalis, pro peccatis ferendæ. Quapropter fatentibus Protestantibus esse in Ecclesiâ potestatem remittendi pœnas pro peccatis temporales, omninò dicendum est, et antiqua concilia eas pœnas per Indulgentias remisisse. Cujus non obscura exstant vestigia in processu apostolico, quandò dicit, 2 Cor. 2, 10 : *Cui autem aliquid donâstis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in personâ Christi.*

Rejectio hæresis adversæ. — Docet Confessio Angl. poster., art. 22 : « Doctrina Romanensium de Indulgentiis, res est futilis, » etc. Cùm tamen fundamentum earum sit in Scripturis expressis, et usu antiquitatis. Conf. August., art. 11 : « Rejiciunt et Indulgentias, quæ sunt condonationes commentitiarum satisfactionum. »

Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco ; Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro.

LVII. *S. Petrum fuisse Apostolorum principem.*

Credimus cum S. Scripturâ et antiquitate, S. Petrum fuisse Apostolorum principem, et habuisse majorem jurisdictionem, quàm reliquos Apostolos seorsìm consideratos. Matth. 16, 18 : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit et ligatum in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit et solutum in cœlis.* Joan. 21, 15 : *Dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei iterùm : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertiò : Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò : Amas me? et dixit ei : Domine, tu omnia scis ; tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.*

Explicat S. Augustinus in Psal. 108 : « Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, » nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figurâ gestâsse personam, propter primatum quem in discipulis habuit, sicut est ; *Tibi dabo claves regni cœlorum*, etc. S. Basilius, in proœmio de Judic. Dei : « Ille, inquam, Beatus (Petrus)

« qui et cæteris antelatus discipulis fuit, cuique magnificentius quàm reliquis omnibus testimonium datum est, magisque quàm reliqui omnes beatus appellatus, cuì claves regni cœlestis commissæ, » etc. S. Chrysostomus, hom. 87. in Joan. : « Pasce agnos meos. Quid tandem aliis omissis, Petrum duntaxat affatur? os erat Apostolorum et princeps, et vertex ipsius cœtûs ; proptereà et Paulus cum præter alios visurus ascendit, simul ut ei ostenderet jam sibi fiduciam habendam ; tanquàm enim negationis oblivisceretur, fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit : Si amas me, fratrum curam suscipias. »

Rejectio hæresis adversæ. — Contrà Scripturam expressam et antiquitatem, docent omnes Protestantes, S. Petrum non fuisse Apostolorum principem.

LVIII. *Romanum Pontificem esse B. Petri successorem.*

Credimus cum S. Scripturâ et antiquitate, debere aliquem succedere B. Petro. Nam in S. Petro, Matth. 16, et Joan. 21, est à Christo institutum officium ordinarium, quod in Ecclesiâ debet esse perpetuum. Habemus ex traditione apostolicâ, successorem B. Petri esse episcopum romanum, qui ut talis ab Ecclesiâ semper est agnitus, et à quo diversum successorem Protestantes hucusque nec conati sunt designare.

Sic explicàrunt SS. Patres, et inter eos S. Leo, serm. 2 de assumpt. suâ : « Sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ità permanet quod in Petro Christus instituit. » Et mox : « *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, eri tet solutum in cœlis.* Manet ergò dispositio veritatis ; et B. Petrus, in acceptà fortitudine petræ perseverans, suscepta Ecclesiæ gubernacula non relinquit. » Mox : « Cujus in sede suâ vivit potestas, excellit auctoritas. » S. Chrysostomus, lib. 2 de Sacerd. init. : « Hic enim (Christus) cum Apostolorum principe verba faciens : *Petre, amas me?* inquit, atque, illo id confitente, adjungit : Si amas me, *pasce oves meas.* Interrogat discipulum magister, nùm ab eo ametur ; non quò id ipse edoceatur, (quî enim id edoceri studeat, is cui uni mortalium omnium corda pervia sunt?) verùm ut nos doceat quantæ sibi curæ sit gregis hujus profectura. » Et posteà : « Quânam item de causâ idem ille sanguinem effudit suum ? certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tùm Petro, tùm Petri successoribus committebat. »

S. Augustinus, epist. 92 : « Quia te (Pontificem Innocentium) Dominus gratiæ suæ præcipuo munere in Sede apostolicâ collocavit. » Et posteà : « Sed arbitramur, adjuvante misericordiâ Domini nostri Jesu Christi, qui te et regere consulentem, et orantem exaudire dignatur, auctoritati Sanctitatis tuæ de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, faciliùs eos, qui tàm perversa et perniciosa sentiunt esse cessuros, ut de correctione potiùs eorum gaudeamus, quàm contristemur interitu. »

Rejectio hæresis adversæ. — Contrà Scripturam et antiquitatem, negat primatum et successionem primatûs in Ecclesiâ Christi Confessio Helv. poster., art. 17 Wirtemb. de Summo Pontif. et omnes Protestantes.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, et œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosanctâ Tridentinâ Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia, atque hæreses, quascumque ab Ecclesiâ damnatas, et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo.

VERONII VITA.

Veronius (Franciscus) Jesuitarum parisiensium familiæ sese primò aggregandum curavit : undè aliquantò post digressus, totus missionibus vacavit apostolicis, multisque auctor fuit cur ab errore Calviniano in catholicæ religionis gremium remearent. Quin etiam in celebri Cadomi congressu, contrà Bochardum, coævorum Protestantium facilè principem, disputans, castra hostilia in modestiæ suæ doctrinæque singularis admirationem protraxit. Acer quidem, verùm minimè asper correptor erat, neque unquàm zeli fervori attemperando defuit prudentia. Piè obiit 1649 Charentoni, diœcesis parisiensis oppidulo, ubi parochi munere defungebatur.

Veronius, inter clarissimos fidei catholicæ defensores habetur, cùm ob ipsius controversiarum *Methodum*, tùm imprimis ob *fidei Regulam*, in quâ quidquid *de fide* est à meris theologorum interpretationibus prudens extricat et discernit.

MONITUM.

En opusculum de fidei Regulâ, primò ab eximio viro Francisco Veronio editum, ac à Reverendissimis DD. Walemburgicis tanto posteà in pretio habitum, ut in fidei controversiis tàm exercitati, hoc sibi diligere et adoptare maluerint, quàm novum concinnare.

Sanè fatendum est hanc regulam eruditam admodùm esse et accuratam, in quâ et singulari diligentiâ et

exactissimâ curâ discernuntur ea quæ fide catholicâ tenenda sunt, ab iis quæ tantam in Ecclesiâ auctoritatem nondùm meruerunt.

Eâ itaque utere, lector benevole, et ex illâ disce Ecclesiæ fidem, quam contrà hæreticos propugnare debes. Disce pariter quæ sint dogmata quæ hactenùs non definivit Ecclesia. Sic hæreticis viam sternes, ut ad Ecclesiæ gremium redeant. Sic quoque componendis Filiorum Ecclesiæ dissidiis utilem impendes operam, cùm non tuæ prudentiæ inniteris, sed Ecclesiæ fidem prædicabis, ejusque in prædicandâ fide prudentiam zelumque æmulaberis, sequens vetus illud ac vulgare dictum : *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas.*

DE REGULA FIDEI CATHOLICÆ,

SEU DE FIDE CATHOLICA.

CAPUT PRIMUM.

§ 1. *Regula fidei.*

Illud omne et solum est de fide catholicâ quod est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesiâ catholicâ, fide divinâ credendum. Neque refert, an illa propositio emanet ex concilio aliquo universali, ex ejus decreto et definitione; an ex sensu fidelium omnium. Complectitur hæc regula verbum Dei : nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Complectitur et Ecclesiam docentem, in concilio catholico, hoc est universali, expressè aliquid definientem, aut enuntiantem, vel ex sensu omnium tùm pastorum, tùm fidelium, velut practicè eloquentem. Et quidem *fidei catholicæ* nomen utrumque hoc sonat. *Fides enim divina est, credere propter auctoritatem Dei revelantis;* in quam solam auctoritatem tota resolvitur. Propositio fit per Pastores à Christo constitutos, in concilio universali congregatos, vel ex manifestato fidelium omnium sensu ; nec enim aliter fieri potest, ut talibus credendis singuli fideles astringantur. *Catholicam* fidem diximus, quia sæpiùs theologi inter se, *an hoc vel illud sit fide divinâ credendum*, istis affirmantibus, illis negantibus, digladiantur. Quo ipso consentiunt omnes illi etiam qui fide divinâ illud esse credendum dicunt, *non esse fide divinâ catholicâ credendum, nec proindè hæreticos, et ab altari seu Ecclesiæ communione amovendos, qui talia fide credere respuerunt;* de hâc autem fide divinâ quæ sit etiam *catholica*, loquimur in præsenti, cùm sola sit de quâ Paulus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem,* Rom. 10; sola, quâ in sinu suo Ecclesia nos contineat, cujus solius professione devios in complexum admittat, denique tales solùm articulos proponat ipsamet in suâ professione fidei, quam omnes, tùm catholici, tùm reduces, *corde teneant*, et propalàm ore pronuntient, exclusis à dictâ professione doctrinis omnibus de quibus decertent inter se theologi, illis fide credendas dicentibus, aliis negantibus. Consentiunt omnes synodi, Patres, theologi in hâc regulâ statuendâ ; et semper habiti, et habentur hæretici (nec alii) qui contrà sensum totius Ecclesiæ, seu definitionem concilii, ejus universalis aliquid sentiunt in doctrinâ salutis; propriæ nimirùm electionis judicio, adversùs universitatem sese elevante, condemnati.

§ 2. *Declaratio Regulæ.*

Duo debent conjunctìm adesse, quò doctrina aliqua sit fidei catholicæ. Alterum, ut sit revelata à Deo, per Prophetas, Apostolos, seu auctores canonicos. Alterum, ut sit proposita ab Ecclesiâ. Si utrumque adsit alicui doctrinæ, illa fide divinâ catholicâ est credenda ; si alterum desit, seu revelatio, seu propositio Ecclesiæ, non est fide divinâ catholicâ credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur ; quia cùm Christus Ecclesiæ promiserit assistentiam Spiritùs sancti, qui doceat eam ducatque in omnem veritatem ; hæc nunquàm stante Dei promissione, quæ semper obtinet, docet aliquid esse revelatum, quod non sit revelatum. Potest tamen aliquid esse revelatum à Deo, etiam in verbo suo, obscurè scilicet, quod nondùm sit propositum ab Ecclesiâ ; quia revelatum quidem est in verbo divino, sed quòd interprete egeat, et necdùm Ecclesia sensum verbi Dei seu scripti, seu traditi, aperuerit, sicque nondùm definierit, et proindè nondùm proposuerit hoc, vel illud esse fide credendum. Hìnc novæ sæpè factæ sunt in conciliis, etiam universalibus, definitiones ; v. g., Baptismum extrà Ecclesiam collatum esse validum, nec iterandum; de quo S. Augustinus lib. 1 contrà Crescon., cap. 32 : « Cùm inter episcopos anterioris ætatis ista quæstio « fluctuaret, et varias haberet inter se collegarum, « salvâ unitate, sententias, hoc per universam catho- « licam (Nicænum intelligit Concilium, can 8), quæ « toto orbe diffunditur, observari placuit, quod tene- « mus. »

§ 3. *Deducta ex Regulâ declaratâ.*

Cùm nihil sit de fide catholicâ, nisi revelatum per Prophetas, Apostolos, et auctores canonicos, sequitur : *Nihil esse de fide divinâ eorum omnium quæ novimus ex revelationibus factis post tempora Apostolorum,* quibusvis etiam sanctis, Ambrosio, Cypriano, seu aliis, antiquis illis aut recentioribus, quarum myriades sunt in vitis sanctorum, Catharinæ Senensis, Bri-

gitæ, etc., etiamsi approbatæ forent tales visiones à quibusdam conciliis etiam universalibus, quales aliquæ referuntur in 2 Nicæno, etc. Quia ista non sunt revelata Prophetis et Apostolis. Fides proindè quæ haberi potest ex iis humana est, quæ penès auctores referentes est, nutans, probabilis, certa, aut improbabilis; pro qualitate referentium, et circumstantiis talium revelationum, pleræque vel nutant, vel falsæ sunt. Sed si credimus fide humanâ, Dioni, Suetonio et aliis prophanis historicis, cur parem saltem, vel majorem gravioribus auctoribus non deferemus fidem? Sequitur insuper: *Nihil fide divinâ credi ex ullo miraculo facto post tempora Apostolorum in confirmationem cujusvis doctrinæ, nullumque horum miraculorum fide divinâ esse necessariò credendum;* etiamsi talia miracula referantur ab Augustino, Gregorio, et aliis, etiam ut visa ab ipsis, qualia pleraque refert Augustinus, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 8, aut etsi contineantur in bullis summorum pontificum romanorum canonizationis sanctorum, quorum plenæ sunt dictæ Bullæ; aut etiamsi referantur in conciliis universalibus, aut etiam approbentur, ut pleraque relata fuère in 2 Nicænâ synodo. Ratio eadem quæ superioris illationis; quia cùm hæc miracula facta non sint à Prophetis et Apostolis, proindè non sunt fundamentum de quo loquimur. Horum miraculorum plenæ sunt vitæ sanctorum; quorum aliqua sunt falsò relata, alia valdè nutant: prioris generis multa sunt in vitis conscriptis à de Voragine et Metaphraste, præsertìm in vitis Georgii, Ursulæ, etc., ut benè notat Bellarminus de Scriptor. Eccles. in Metaphraste, Baronius in Martyrologio, ad eorum festa, et alii. Maxima pars, et ferè omnia verissima sunt; et si historiis Suetonii fidem aliquam adhibemus, nec revocamus in dubium prælia varia, et alia facta ab eo descripta, temerariusque censeretur, qui sine ratione hæc negaret, majoris sanè temeritatis arguendus foret, qui prædicta omnia miracula, relata à sanctissimis et gravissimis testibus, etiam ea, quibus interfuerunt, referentibus, ut pleraque refert Augustinus, negaret. Fides tamen horum omnium non excedit humanam; nec eis fides catholica, tanquàm fundamento innititur; nullaque doctrina tanquàm catholica creditur, ex ullo horum miraculorum. Confirmatur nihilominùs his miraculis, quinimò revelationem aliquam continent. *Cùm initium* salus seu Evangelium, *accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus, et Spiritûs sancti distributionibus secundùm suam voluntatem,* Hebr. 2, 3. Et: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis,* Marc. 16, 20. Omne ergò miraculum, verbum quoddam Dei est: *impossibile autem est* verbo ullo *mentiri Deum,* Hebr. 6, 18. Eàdem itaque certitudine aut probabilitate, quâ novimus miraculum, novimus hìnc dogma; quæ notitia varia est, certa, probabilis, aut aliquandò improbabilis, pro varietate auctorum referentium, et modò visa, modò audita, qualiter referunt Augustinus, Gregorius et alii. Doctrina fidei, v. g., *Reliquias sanctorum venerandas,* confirmatur certissimè miraculis factis ad reliquias S. Stephani, relatis à S. Augustino, de Civit. Dei lib. 2, cap. 8, teste oculato; confirmatur solùm probabiliter, eodem, et Gregorio audita ab aliis narrantibus. Improbabilia sunt pleraque quæ refert Metaphrastes et de Voragine; talia nonnisi improbabilissimè citantur ad firmandam fidem. « Exstant acta Georgii (inquit censor justus Baronius in Martyr. 23 aprilis), à Metaphraste edita; sed in iis displicent, quæ de Athanasio Mago feruntur. Vidi ea etiam quæ Jacobus de Voragine habet in legend. Sanct. quæ non de mediocri indigent castigatione, etc. » Et Bellarminus de Scriptor. Eccl. anno 850: « A Metaphraste scriptæ sunt historiæ vitis Sanctorum multis additis ex proprio ingenio. Addit miracula plurima et maxima in eversione templorum et idolorum, et in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos. » Sed qualemcumque habeant hæc miracula certitudinem, nullam fidei doctrinam fundare possunt; quia *non sunt revelationes factæ Prophetis et Apostolis;* adde, quòd nec ut plurimùm proponuntur ab Ecclesiâ universali, cui soli promissa est assistentia Spiritûs sancti, ne erret. Fidem ergò solam humanam, seu assensum solum humanum, merentur, ob qualitatem referentium, quæ fallibilis, et purè humana est; longè itaque abest, ut talis assensus sit fidei divinæ catholicæ, de quâ solâ loquimur.

An verò assensus hi, ob revelationes privatas, extrà revelationes factas Prophetis et Apostolis contentas in verbo Dei, et propositas ab Ecclesiâ universali, sint assensus supernaturales et divini, et fidei divinæ, quia videntur fieri ob auctoritatem divinam revelantem, licèt non constantem per verbum Dei scriptum aut traditum, nec per auctoritatem Ecclesiæ universalis proponentis, sed per scripta humana, et ex propositione hominum fallibilium referentium; alia est quæstio problematica inter theologos, et proindè longè à doctrinâ fidei, de quâ loquimur. Probabiliùs censemus talem assensum non esse divinum, sed purè humanum; quia resolvitur in purè humanam auctoritatem particularem horum, vel illorum historicorum: quæ omnia sunt humana; proindè talis fides non est theologica, et longè longiùs non est catholica.

Tertiò sequitur: *Nullam doctrinam fundatam in verbo Dei, seu Scripturâ diversimodè expositâ à sanctis Patribus, aut doctoribus nostris, esse doctrinam fidei.* Idque ex duplici defectu: primò, quia non constat esse revelatam; omnis autem actus fidei debet esse certus ex revelatione; secundò, nec proponitur talis expositio, seu sensus ille Scripturæ, ab universali Ecclesiâ, hoc ipso quòd variè à variis exponatur. Ubi tamen observandum, quòd quandò sancti Patres explicant varia loca Scripturæ, et eamdem veritatem alii ex illo sacræ Scripturæ textu eruunt, alii ex alio, ipsorum consensum non tantùm unanimem esse acceptandum Ecclesiæ, sed etiam ut fundatum in Scripturâ;

licèt non ut fundatum in hoc, vel illo particulari loco Scripturæ.

Quartò sequitur: *Nullam consequentiam, certò licet et evidenter deductam ex propositione aliquâ fidei, et aliâ evidenti lumine naturæ, per formam logices evidentem, sufficientem esse fundando fidei catholicæ articulo; seu nullam doctrinam, quæ constet solùm tali consequentiâ, esse doctrinam fidei catholicæ.* Idque ex duplici etiam defectu: primò, quia non est revelata. *Fides* autem est *ex auditu, auditus per verbum Dei;* Scripturâ nec addente: *Et per consequentiam deductam evidenter ex verbo Dei.* Cùmque consequens contineatur *virtualiter* in præmissis, non erit doctrina nisi *virtualiter de fide*, neutiquàm *formaliter*: id est, solum ejus principium erit doctrina fidei, ex quo humanus intellectus doctrinam aliquam consequentem deducet et formabit, cui assentietur. Certa quidem et evidens erit consequentia; sed humanis multis concurrentibus, formâ argumenti, propositione philosophicâ sæpè mixtâ; nec tamen conclusio deducitur ex illis, nisi junctis; imò illa non nisi juncta influunt; quarè nihil sequitur ex separatis. Causa igitur, quâ tota, humana est; quàm ergò longè abest, ut doctrina elicita sit divina! *Conclusionem* vocamus in scholis *theologicam*, si præmissæ sint certæ; aut *doctrinam aliquam problematicam*, si aliqua sit incerta, quod sæpiùs in subselliis videre est theologicis; *falsa*, si aliqua propositio, vel argumenti forma falsa sit; quod non raró contingit, respectu tot placitorum, in quibus theologi digladiantur. Sed quod notandum diligentissimè est, certum est varias esse sententias tùm doctorum catholicorum, tùm Protestantium, *an quod sic sequitur ex Scripturâ sit de fide?* Catholicorum doctorum alii asserunt, Vega, Canus; alii negant, etiam referente Daillæo. Distinguunt alii docentque, si ex duabus propositionibus Scripturæ deducatur consequentia, illam esse de fide, neutiquàm si ex unâ et aliâ evidenti lumine naturæ. Alio modo distinguit Vasquez, assensum conclusionis illius quâ deducitur ex præmissis, non esse fidei, qui tamen medio discursu, velut instrumento, aut potiùs proponente, splendet doctrinâ divinâ virtualiter contentâ in præmissis, esse assensum fidei. Sic inter nostrates *certum est problematicum solum esse, an quod sequitur de fide, sit de fide.* Consentiunt ergò omnes *non esse de fide catholicâ*, id est, non esse talem doctrinam cui omnes sub pœnâ hæreseos teneantur assentiri tanquàm de fide; et si quis contrarium diceret, novator ipse valdè culpandus foret novum dogma ingerens, et oppositum sentientes damnans, in hoc ipso ipsemet temeritatis in re gravissimâ damnandus, et censurâ ecclesiasticâ percellendus. *Constans itaque est, doctrinam talem neutiquàm esse doctrinam fidei catholicæ,* de quâ loquimur. Protestantium pariter, alii negant, quod sequitur per consequentiam evidentem deductam ex Scripturâ, esse de fide: Osiander, Kemnitius, et nobiliores Lutherani, etiam referente Vedelio, in suo *Rationali Theologico.* Sed Vedelius affirmat, et quidem pugnacissimè; quia totum suum Rationale in eo solo versatur; et post ipsum seu ex ipso Daillæus; licèt alii Reformati cum Lutheranis et Catholicis faciant. Verùm nullum hâc de re verbum in ipsorum confessione habetur, proindè hæc ipsa doctrina censeri nequit doctrina partis Calvinisticæ. Adde, quòd Lutheranos contrarium tenentes in fratres cooptârunt: quomodò ergò doctrinam hanc, ut fundamentalem omnium controversiarum ponunt? Sanè fundamento hoc nutante, quàm infirma aut nutans debet esse eorum doctrina de controversiis omnibus! Alter defectus est 2°, quòd proposita non sit illa doctrina Ecclesiæ universali, uti apud Catholicos constat; quia neque invenitur in Scripturâ expressa, neque in generalibus conciliis; et ideò doctores liberè diversum tenent; quousque enim veritas non auctoritativè proponitur, non est obligatio acceptandi eam velut divinâ auctoritate revelatam. Nec etiam auctoritas publica, sive Protestantium in communi, sive Reformatorum, illam quætionem, quam nonnulli volunt fundamentalem, in ullâ Confessione, juxtà dicta, determinavit. Concludamus ergò, doctrinam talem *non esse doctrinam fidei catholicæ.*

§ 4. *Connexa ex defectu propositionis, et quandoque simul revelationis, secluduntur.*

Sequitur 1° *Decretum Gratiani*, seu ejus auctoritatem longè longiùs abesse, quòd possit fundare articulum fidei: sed nihil esse de fide, quâ continetur in illo decreto. Quod notandum contrà calumnias frequentes Molinæi, aliorumque, *contenta in illo decreto, doctrinam esse Ecclesiæ catholicæ*, ingerentium; quo materiam nos impugnandi aucupetur. Sed numquid religiosus ille tota est Ecclesia universalis? Nec Gregorius XIII, aut alius papa, multò minùs concilium ullum universale ità decretum probavit, quasi contentæ in illo forent totius Ecclesiæ definitiones. Imò non leves in illo lapsus facilè deprehendere est in citatione falsâ auctorum, etc. Quin ipsemet Gratianus, initio decreti, dist. 1, cap. 2, producit *Isidorum in libris Etymologiarum;* tituli ipsi, dist. 1 cap. 8, 10, habent: *Quid sit jus civile; quid militare; quid legis tribunitiæ?* Numquid ista sunt doctrinæ fidei? Glossarum quàm multæ erant ridiculæ! Proindè succisæ. Quid ergò Gregorius XIII jussit, *jus canonicum expurgatum*, ut fuit ipsius jussu, non imprimi *sic expurgatum, et prout Romæ impressum fuit; nec alibi imprimi ad decennium?* etc.

Sequitur 2°: *Nullæ Decretales romanorum pontificum contentæ in corpore juris canonici,* sive in sex libris Decretalium, sive in Clementinis, sive in Extravagantibus, nullæ Bullæ posteriorum qui in sede Petri sederunt, sufficientes sunt *fundando articulo fidei catholicæ;* seu nulla doctrina est de fide, quæ continetur in istis Decretalibus aut diplomatibus. Probatur, quia papa quocumque modo loquens, etiam ex cathedrâ, non est universalis Ecclesia; ergò quod ab eo proponitur, non proponitur ab Ecclesiâ universali; ergò non est doctrina fidei catholicæ. Addo, conclusionem hanc tàm certam esse inter doctores omnes, ut si quis contrarium doceret, novator ipse foret, et censurâ percellendus, quippè novi dogmatis inventor. Patet ex ipso Bellarmino, qui, lib. 4 de Pontifice Rom., cap.

2, ubi tres inter Catholicos opiniones refert. « 1° Opi- « nio est, inquit, pontificem posse esse hæreticum, et « docere hæresim, si absque generali concilio definiat, « et de facto aliquandò accidisse. Hanc opinionem se- « cuti sunt aliquot Parisienses, ut Gerson et Almain. « in libris de Potest. Eccl., nec non Alphonsus de Ca- « stro, lib. 1, cap. 2, contrà hæreses, et Adrianus VI « papa, in quæstione de confirmatione; qui omnes non « in pontifice, sed in Ecclesiâ, sive in concilio generali « tantùm, constituunt infallibilitatem judicii in rebus « fidei. 2° Opinio est in alio extremo, pontificem non « posse ullo modo esse hæreticum, nec docere publicè « hæresim, etiamsi solus rem aliquam definiat. Ità « Pighius, lib. 4 Hierar. cap. 8. 3° Opinio est quo- « dammodò in medio, pontificem, sive hæreticus esse « possit sive non, non posse ullo modo definire aliquid « hæreticum à totâ Ecclesiâ credendum. Hæc est com- « munissima opinio ferè omnium Catholicorum, B. « Thomæ, Cajetani, etc. Prima opinio non est propriè « hæretica (nam adhuc videmus ab Ecclesiâ tolerari, « qui illam sententiam sequuntur), tamen videtur om- « ninò erronea et hæresi proxima. Secunda probabi- « lis est, non tamen certa. Tertia certissima est, et « asserenda. » Hæc Bellarminus, quem fusè sic citavimus, quò calumnias elueremus, quà nonnulli viri traducuntur, quòd dicant: *quæ definita forent à pontifice, etiam ex cathedrâ, extrà concilium generale, non esse fidei catholicæ.* Et iterùm illud ità asseritur, ut statuatur illud esse certum ex omnium doctorum, Bellarmini etiam, et aliorum sententiâ. Constat enim ex Bellarmino, primam opinionem *non esse hæreticam.* Non assentimur Bellarmino dicenti, *videri erroneam, et hæresi proximam;* quanquàm hoc ipsum non nisi nutans dicit termino illo *videtur.* Non enim omnibus id videtur; quibus Gersonem, Almainum et Adrianum *erroneæ et hæresi proximæ opinionis insimulare* temerarium potiùs videtur. Sed ex Bellarmino ipsomet constat, *non esse definitum ab Ecclesiâ, pontificem esse infallibilem,* extrà concilium universale, et quæ proponeret credenda, fore fidei *catholicæ.* Consentiunt itaque ex ipsomet Bellarmino doctores omnes, *doctrinam illam non esse fidei catholicæ;* quod solum dixi, et certissimum est; quod non advertunt præcipiti judicio calumniatores. Quam ex iis tribus primis opinionibus sequeremur, extrà rem nostram fuisset, et foret pronuntiare (libenter tamen tertiæ adhæremus, sed absque censurâ primæ) qui devios ad fidem *catholicam,* semotâ omni aliâ doctrinâ, reducere contendimus. Non itaque dicimus, *sic definita non esse de fide,* quod putant adversi, sed solùm dicimus, et repetimus, *non esse de fide catholicâ,* seu non esse doctrinam quam omnes, quò sint Catholici, tenere debeant, *tanquàm de fide, cujusque contrarium sit hæreticum,* et removens à gremio Ecclesiæ. Omnes nihilominùs concedunt, gravis esse auctoritatis, quod à pontifice tantæ Sedis docetur, etiam cum solo concilio privato, et privatìm solùm rescribente aliquot episcopis; gravioris, quod cum concilio Provinciali; gravissimæ, quòd ex cathedrâ, toti Ecclesiæ illud proponendo, sive cum concilio privato, sive in concilio provinciali, temerariumque est, à sic pronuntiatis discedere. Maturiùs ergò procedant hi censores, quorum censura censuram meretur, quippè inductiva novi dogmatis, tanquàm fide catholicâ credendi, quod nemo hucusque statuit, scilicèt, *quod à pontifice foret etiam ex cathedrâ definitum, extrà concilium universale, esse de fide catholicâ,* seu tale definitum esse fide *catholicâ,* et sub peccato hæreseos ab omnibus credendum. Hallucinati sunt, et cæcutiendo in errorem prolapsi; quanquàm non tàm error, quàm hallucinatio vocanda sit præceps hæc censura; putàrunt multos dixisse, quod nec somniàrunt.

Sed ad rem, seu ad *decretales juris canonici,* propiùs. Sanè nec ipse Bellarminus erroris aliquot Decretales arguere veretur. Nam in lib. 4 de Pontifice Rom. cap. 12, cùm retulisset Magdeburgenses, cent. 8, cap. 10, in vitâ Gregorii III, eum accusantes: « Quòd in epi- « stolâ ad Bonifacium, permiserit viro ducere aliam « uxorem, si propter morbum aliquem uxor ei debi- « tum conjugale reddere non valeat, quod est expressè « contrà Evangelium, ut etiam annotavit Gratianus, « q. 32, canone 7, *Quod proposuisti,* » respondet: « Pos- « set etiam dici, pontificem ex ignorantiâ lapsum es- « se; quod posse pontificibus accidere, non negamus, « cùm non definiunt aliquid tanquàm de fide, sed so- « lùm opinionem suam aliis declarant, ut hoc loco vi- « detur Gregorius fecisse. » Quæ solutio applicata variis decretalibus, longè illas à vi fundandi articulum fidei abducit, scilicèt respondendo passìm, si premamur talibus, *Pontificem non definivisse illa tanquàm de fide, sed solùm opinionem suam aliis declarâsse,* quod sine dubio insufficiens est fundandæ doctrinæ fidei, multò minùs fundandæ fidei *catholicæ.* Placet adhuc propiùs Decretales illas evolvere. Maxima earum pars versatur in regulandis officialis seu judicis in episcopali tribunali sedentis judiciis; varia in collatione beneficiorum observanda præscribunt, ex quibus officiales debent lites terminare. Quid hæc ad articulos fidei? Non sunt hæc materia propria fidei. Pleræque etiam, et ferè omnes, responsa sunt particularibus data, non toti Ecclesiæ, in quibus responsionibus particularibus concedunt omnes, papam posse errare, nec talia responsa, fundandæ doctrinæ fidei, multò minùs *catholicæ* esse sufficientia. Sed ut tot responsa decretalium seu pontificum romanorum lites multiplicant, ità responsum nostrum generale multiplices sopit controversias, quas agglomerat. Adversarii modò ex Gratiano, et modò ex Decretalibus, Bullisque pontificum, seu jure canonico, varias consarcinando, et sæpè easdem falsè glossantes, quæ obtrudunt nobis tanquàm doctrinam nostræ fidei *catholicæ,* et impugnant; compingunt indè libros suos; nostrates etiam sæpè suos his defendendis. Compendiosior via, et regia, reducendis ad castra catholica deviis est, propalàm inclamare, *nihil horum esse de fide catholicâ;* proindè nihil horum esse in professione fidei nostræ, quam subscribendam solùm reducendis deviis proponimus.

Sequitur 3° : *Non est de fide catholicâ, quod defini-*

tum foret in ullo concilio provinciali, etiam papâ ei præsidente per se, vel per legatos. Ratio est, quia tale concilium non est Ecclesia universalis; quarè quod ab eo proponitur, non proponitur ab Ecclesiâ universali; non est ergò de fide *catholicâ;* nisi aliundè sensus totius Ecclesiæ constaret, sicut constat de multis pronuntiatis contrà Pelagium et alios in conciliis Regionariis, ut vocat Augustinus, v. g., in concilio Milevitano Numidiæ sub Innocentio papâ. Probatur etiam ex illo Bellarmini jam relato, referente tres opiniones inter Catholicos, quarum prima est: « Pontificem, inquit « etiam ut pontificem posse esse hæreticum, et docere « hæresim, si absque concilio generali definiat, et de « facto aliquandò accidisse. Hanc opinionem secuti sunt « aliquot Parisienses, ut Gerson, Almain, nec non Ca« stro et Adrianus, qui omnes non in pontifice, sed in « Ecclesiâ, sive in concilio generali tantùm consti« tuunt infallibilitatem judicii de rebus fidei. » Vide jam suprà dicta. Magnâ tamen veneratione suscipienda sunt, quæ à tantæ auctoritatis decretis seu romani pontificis, seu talium conciliorum, manant. Item ea quæ miraculis, aut prædictis revelationibus, fidis tamen, nituntur seu confirmantur.

4° *Non omnes praxes Ecclesiæ, etiam universalis, sunt sufficientes fundando articulo fidei catholicæ.* Probatur ex defectu 2 conditionis; quia praxes hæ non sunt propositiones factæ ab Ecclesiâ veritatis alicujus credendæ, sed rei faciendæ, regula autem praxeos bonæ, potest esse opinio probabilis, et non indubitata; undè fit etiam, ut praxes has posset mutare Ecclesia, quippè quæ regulari possunt ex opinione probabili, quam sequi, vel contrariam etiam probabilem, licitum est. Probatur insuper ex Vasquez, part. 3, disp. 227, cap. 3, ubi cùm docuisset et probâsset, « Sacrificium missæ « suâpte naturâ, institutione divinâ seu Christi, pro « non baptizatis offerri non posse, nec unquàm potuis« se, sive illi Catechumeni sint, sive omninò infideles, « pagani, aut Judæi, tametsi publicæ orationes pro eis « fieri possint, prout Ecclesia permiserit, objecerit« que sibi, aliquandò id factum in Ecclesiâ, sacrificium « pro ipsis Catechumenis offerri consuevisse, » probâssetque ex libro qui dicitur : *Ordo Romanus*, c. 20, post primam suam responsionem objectioni, addit : « Cæterùm respondere quis posset, quod attinet ad « essentiam et substantiam sacramentorum, Ecclesiam « semper eam doctrinam dictis et factis probâsse, quæ « certa et indubitata est; at verò quod attinet ad alia « accidentaria, non omninò indubitatam sed probabi« lem opinionem aliquandò in praxi secutam, aliquid « fecisse, tametsi non tanquàm certum dogma fidei « declaraverit; et hâc de causâ tunc ex præscripto ro« mani pontificis, Missam pro Catechumenis obtulisse, « nunc autem eam non offere; cùm neque publica « oratio ulla pro illis permanserit, nisi in die Para« sceves, quandò nullum in Ecclesiâ sacrificium of« fertur. » Et paulò post : « Quid igitur mirum si an« tiquitùs Ecclesia secuta probabilem opinionem de « oblatione hujus sacrificii pro Catechumenis, pro « illis Missam celebraverit, nunc autem nullam offer« re? » Adde his : « Decreta Conciliorum (inquit benè « Bellarm., lib. 2 de Conciliis, cap. 17) non indigent « approbatione populi, cùm ab eo non accipiant aucto« ritatem. Decreta verò de moribus si non recipiantur, « et pontifex conniveat, tandem consuetudine abro« gantur, quia decreta morum mutabilia sunt, et cùm « pontifex videt longo tempore ea non servari, et ta« cet, censetur ipse abrogare. At decreta de fide im« mutabilia sunt, nec possunt ullo modo abrogari, post« eaquàm semel statuta sunt. Verissimum quidem « est illud Augustini, Ep. 118 : Si quod tota per orbem « frequentat Ecclesia, hìnc quin ità faciendum sit dis« putare, insolentissimæ insaniæ est. » Sed non indè sequitur, Ecclesiam per talem praxim proponere tanquàm credendum de fide catholicâ aliquod dogma; sufficit praxim esse bonam, cui bonitati satis est, quòd fundetur in opinione probabili; hìnc, ut jam notatum, tot praxes suas etiam universales Ecclesia mutare potest. Praxes enim sunt variabiles, utpotè præcepta; nullo autem modo dogmata fidei variari possunt, quippè veritas invariabilis est.

5° « Ea (inquit benè Vasquez, tom. 2, disp, 200, « cap. 6) quæ tradit concilium in capitibus, esse fidem « catholicam necessariò credendam, colligitur ex fine « cujusque sessionis, antequàm canones ponantur. » Et part. 3. disp. 207, cap. 3 : « Quidquid in capitibus « traditur antè canones à concilio pertinens ad doctri« nam, est catholica fides, constat ex Trid. sess. 13, « can. 8, in fine, immediatè post capita, et antè cano« nes, ubi dicitur : *Quoniam autem non est satis veri« tatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores, « placuit sanctæ synodo hos canones snbjungere, ut om« nes jam agnitâ catholicâ doctrinâ* (nempè illuc usque « traditâ), *intelligant quoque, quæ ab illis hæreses ca« veri vitarique debeant.* Et sess. sextâ, similiter post « capita et antè canones : *Post hanc catholicam de ju« stificatione doctrinam, placuit sanctæ synodo hos ca« nones subjungere, ut omnes sciant, non solùm quid « tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere de« beant.* » Ratio hujus rei est quia tam in capitibus, quàm in canonibus, propositiones Ecclesiæ, quid credendum, quid damnandum, continentur. Addit ibidem Vasquez : « Quamvis interdùm Ecclesia prohibere so« leat disputationem de aliquâ re, quam nondùm « tanquàm dogma fidei definivit, ut quod quis damnet, « aut aliquo modo notet propositionem aliquam, vel « è contrariò dicat esse probabilem, tamen nunquàm « hactenùs damnavit sub excommunicationis pœnâ « eos qui aliquid pertinaciter et absolutè asseruerint, « nisi eò id damnet tanquàm errorem contrà fidem, et « oppositum, ut catholicam fidem definiat, ità ut hæ« reticus sit, qui talem errorem pertinaciter asserue« rit; pertinaciter autem illud asserere, nihil aliud est, « quàm post prædictam definitionem id scienter affir« mare. » Addendum tamen ex eodem, eâdem parte 3, disput. 181, cap. 9 : « Aliquandò Ecclesia suam « definitionem confirmat testimoniis, ex quibus aliqua « non efficaciter eam probant. » Subjungit nihilominùs, et benè : « Tamen quandò Patres in concilio dicunt,

« ex hoc aut illo loco, hanc aut illam veritatem Eccle-
« siam collegisse et colligere, quis, obsecro, fundamentum illud infirmum et incertum esse dicere audeat? » Ità Vasquez. Undè generaliter dicimus, eorum quæ continentur in capitibus, id solum et totum esse de fide, quod definitur, seu (ut loquuntur juristæ) solum dispositivum arresti seu contenti in capite aut canone, est de fide; motivum verò arresti, seu ejus probationes, non sunt de fide. Ratio est, quia primum solum proponitur credendum, et propriè definitur, non autem motivum seu probatio. Hinc plurima continentur in conciliis etiam universalibus, quæ non sunt de fide, scilicèt, quod in eo est obiter dictum; multò minùs, quod in sessionibus à variis prælatis dùm sententias dicunt, prolatum; multò adhùc minùs quæ à doctoribus in discussionem rei definiendæ præmittuntur aut allegantur. Ratio generalis est, quia nihil eorum definitur ab Ecclesiâ.

6° Quod proximum huic est, ut sit aliquid de fide, oportet ex Bellar., lib. 2 de Conc., cap, 17, adducere: « Concilium rem eam definivisse propriè, ut decretum « fide catholicâ tenendum. » Hinc addit: « Non sunt « propriè hæretici qui sentiunt pontificem non esse « suprà omnia concilia, licèt dicat: Lateranense ultimum concilium, sub Leone X, disertè et ex professo « docuit pontificem esse suprà omnia concilia, et reprobavit contrarium decretum editum in concilio « Basiliensi; quòd (inquit ille) concilium Lateranense « rem istam non definiverit propriè, ut decretum fide « catholicâ tenendum, dubium est; et ideò non sunt « propriè hæretici, qui contrarium sentiunt. » Requirit quoque idem Bellarminus, cap. 11, esse definitum conciliariter: « Martinus V, inquit, dixit se confirmare tantùm ea decreta de fide, quæ facta erant in « concilio Constantiensi conciliariter, id est, more « aliorum conciliorum, re diligenter examinatâ. Constat autem hoc Decretum (scilicèt Constantiense, « sess. 4, concilium generale habere à Christo immediatam auctoritatem, cui omnes obedire tenentur, « etiamsi papalis dignitatis existat) sine ullo examine factum à concilio Constantiensi. Itaque Martinus cùm confirmavit decreta de fide conciliariter « conclusa, intelligebat tantùm de damnatione hæresum Wicleffi et Huss. »

7° Idem Bellarminus, tom. lib. 1, de Clericis, cap. 28, cùm objecisset sibi caput *quanquàm*, de censib., « ubi Bonifacius papa VIII dicit, jure humano et divino liberos esse Clericos ab exactionibus; » respondet, « dicendum fuisse Bonifacium in sententiâ « Canonistarum, et sententiam illam suam aperuisse, « non autem aliquid definivisse. Nam non loquitur per « modum definientis rem controversam, sed simpliciter et obiter id asserit; ait enim: *Cùm jure divino « sint immunes Clerici,* » etc. Idem dicere possumus de iis omnibus, quæ Concilia etiam universalia dicunt *obiter*, et non per modum definientis.

8° *Objectum debet esse definibile de fide.* Bellarminus idem, v. g. lib. 4 de Rom Pontifice, cap. 41, concedit errâsse Joannem XXII in Extravaganti ad conditorem de verbis significat., cùm docuit « non posse separari « usum à dominio, in rebus usu consumptibilibus, sed « non in re fidei, » inquit; hæc enim quæstio ad fidem non pertinet. Similiter itaque doctrinæ, legum aut philosophiæ studia spectantes, non sunt definibiles de fide.

9° *Debet esse decretum universale, propositum toti Ecclesiæ.* Dicimus, ait Bellarminus, eòdem, lib. 4, cap. 5, « non posse errare pontificem (seu concilium generale) in iis præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur. Quia in præceptis et judiciis particularibus, non « est absurdum, pontificem (aut concilium generale) « errare. » Et cap. 14, cùm sibi objecisset « Innocentium VIII, Norvegis permisisse, ut sine vino sacrificium celebrarent, » solvit sic: « Sed facile responderi potest; nam non condidit ipse Decretum, quo « universæ Ecclesiæ declaravit licere, sine vino sacrificium offerre. » Itaque si erravit, erravit facto, non dogmate. Idem est de conciliis generalibus.

10° Bellarminus idem cap. 12, cùm sibi objecisset, « Stephanum papam ordinatos à prædecessore suo « Formoso, jussisse iterùm ordinari, proinde sensisse « sacramentum pendere à virtute ministri, qui est error « in fide manifestus, » solvit sic: « Respondeo errâsse « Stephanum, sed in quæstione facti, non juris, et malo « exemplo, non falsâ doctrinâ. » Et paulò post: « Respondeo Stephanum non edidisse aliquod decretum, « quo decerneret ordinatos ab episcopo degradato, vel « nominatìm à Formoso, tanquàm degradato, esse « iterùm ordinandos, sed solùm de facto jussisse iterùm eos ordinari. Quæ jussio non ex ignorantiâ aut « hæresi, sed ex odio in Formosum procedebat. » Idem potest dici de conciliis, si casus similis contingeret.

11° Ex eodem, ibidem cap. 5: « Non est erroneum « dicere pontificem (seu concilium generale) posse « errare in legibus quæ non versantur in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis aut malis; « nimirùm superfluam legem condendo, vel minùs discretam, etc. Atque ut rem totam exemplis declaremus, non potest fieri ut pontifex (seu potiùs concilium generale) erret, præcipiendo aliquod vitium, « ut usuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem, quia hæc sunt per se bona vel mala; nec potest fieri ut erret præcipiendo aliquid contrà salutem, « ut circumcisionem vel sabbatum; vel prohibendo « aliquid necessarium ad salutem, ut Baptismum et « Eucharistiam, licèt hæc non sint per se bona aut « mala. Ut autem jubeat aliquid quod non est bonum « neque malum ex se, neque contrà salutem, sed tamen est inutile, vel sub pœnâ nimis gravi illud præcipiat, non est absurdum dicere, posse fieri; quanquàm « non est subditorum de hâc re dubitare, sed simpliciter obedire. »

12° Ex eodem, cap. 2: « Conveniunt omnes Catholici posse pontificem etiam ut pontificem, et cum suo « cœtu consiliariorum, vel cum generali concilio, errare in controversiis facti particularibus, quæ ex « informatione, testimoniisque hominum præcipuè « pendent: » Juxtà quod, cap. 11, cùm objecisset sibi

vulgare illud de Honorio papâ relato inter hæreticos à synodo VI generali, respondissetque, *corruptam fuisse synodum VI*, addit : « Quòd si aliquis non possit « adduci, ut credat corruptam esse synodum VI, is « accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis Turrecrem., lib. 2 de Eccl., cap. 93, qui docet, Patres « synodi VI, damnâsse quidem Honorium, sed ex falsâ informatione, ac proindè in eo judicio errâsse. « Quamvis enim generale concilium legitimum non « possit errare, ut neque erravit hoc VI, in dogmati« bus fidei definiendis, tamen errare potest in quæ« stionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos « Patres deceptos ex falsis rumoribus, et non intel« lectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis « connumerâsse Honorium. » Idem ibidem Bellarminus addit, « Patres synodi VII, secutos esse synodum « VI, et solùm repetivisse quod in eâ legerant, proindè « deceptos fuisse ex synodo VI, quæ vel corrupta erat, « vel per errorem Honorium damnaverat. » Idem addit de Adriano papâ : « Si dicamus acta synodi VI, esse « corrupta, respondendum est, Adrianum deceptum « fuisse ex depravatis illis actis synodi VI. »

13° Addamus et illud ex Suario, disput. 56, de Indulgentiis, sect. 3 : « Quamvis pontifex expressè de« claret in Indulgentiarum dispensatione se moveri « propter talem causam, quam reputat sufficientem « ad tantam Indulgentiam concedendam, non esset in« fallibile, vel causam esse talem, vel (quod conse« quens est) totam Indulgentiam esse validam. Quia « talis declaratio pontificis non est de doctrinâ ad fi« dem pertinente, sed de quodam facto particulari, « quod ad prudentiam spectat, in quâ pontifex non « habet infallibilem assistentiam Spiritûs sancti, sed « in his tantùm quæ ad doctrinam fidei et morum « spectant, juxtà illud Luc. 22, 32 : *Ego rogavi pro te, « Petre, ut non deficiat fides tua* (ut nec, in dispensa« tione voti), simili modo, quamvis pontifex existimet « aut declaret talem causam subesse, nihilominùs de« cipi potest ; quia quoad hoc prudentiâ et existima« tione humanâ gubernatur, possetque etiam humano « affectu moveri. » Quæ ratio probat idem pariter in concilio generali dicendum esse. Optima sanè est hæc Suarii regula. Ex quâ etiam longè longiùs abest esse *de fide*, hanc vel illam excommunicationem esse validam. Addit tamen ibidem Suarez et benè : « Nunquàm « tamen existimo expedire, imò nec posse absque « scandalo et imprudentiâ fieri, ut aliqua Indulgentia « particularis, quam constat esse à pontifice conces« sam, publicè denuntietur esse nulla aut superflua : « quia id moraliter loquendo est inutile, et contrà re« verentiam pontifici debitam, » etc. Similiter obediendum legibus et præceptis, etiam sub excommunicatione latis, et qui non obediret, peccaret et incurreret excommunicationem, licèt in iis ferendis possit errare pontifex eo modo quo diximus, nec sit proindè de fide, non errare ; quia alia est regula fidei, quæ *infallibilis* debet esse, et est ; alia regula legum, ad quas ferendas ut obligent, hæc *infallibilitas* non requiritur ; sola sufficit auctoritas in præcipiente rem, quam judicat esse bonam, etc. Imò probabile ad hoc judicium sufficit, juxtà ea quæ sunt relata ex Vasquez ; et generaliter deferendum esse plurimùm, in omnibus, superiorum tùm judicio tùm voluntati, cuivis cordato et prudenti constat ratione ipsâ naturali hoc dictante, cumprimis verò ipsâ Scripturâ sacrâ, Matth. 18, 17, Hebr. 13, 17, etc. Attamen, cùm instituti nostri sit solùm devios à fide catholicâ ad illam reducere, haud nobis est in his enucleandis immorandum. Solam secretionem doctrinæ fidei à quâvis aliâ instituimus faciendam.

CAPUT II.

Secretio doctrinæ fidei à quâvis aliâ in particularibus materiis controversis.

En regulæ generales secretionis exactæ faciendæ doctrinæ fidei catholicæ à theologiâ scholasticâ et quâvis aliâ doctrinâ. Jam ex eâ secernamus in singulis materiis, *quid sit de fide*, præsertìm *catholicâ*, et quid non sit tali fide credendum ; quidquid sit, cui sit in singulis materiis inter opiniones scholasticas potiùs assentiendum, quid etiam certò moraliter tenendum, utpotè non utcumque probabile, sed tanquàm ex communi doctrinâ ratum, aut cui tanquàm conclusioni theologicæ sit inhærendum ; nihil enim horum moramur, qui solummodò devium à fide catholicâ ad illam reducere conamur ; reliquis omissis, quæ miscenda non sunt, ne difficiliorem devio reddamus reditum ; tacere de his præstat. Quin et si devius petat de talibus, quod frequenter faciunt, sensum nostrum, satius est illi respondere, Ecclesiam nihil in his quæ petit respondisse, magistram illam nos sequi, non præire, nihil horum contineri in professione fidei catholicæ, cujus solius assensum et subscriptionem ab eo requirimus, quò illum in Ecclesiæ catholicæ membrum cooptemus : Paulum monere, *non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Rom. 12, 3. Postquàm fuerit cooptatus in Ecclesiam, nos ei, si curiosus scholasticorum fuerit, sensa varia pansuros ; si nolit, nihil horum unquàm dicturos, sine quibus et sanctus, et salvus esse potest ; interìm his non implicet animum, ne multitudine, aut varietate, aut subtilitate implicetur, obruatur ; relinquat hæc theologorum subselliis, in quibus aliquot annos sedere opus est doctrinis his extrà fidem enodandis. Ergò ad singula descendamus *ad amussim et regulam præscriptam fidei expendenda et secernenda*. Deductio hæc clara et evidens sufficeret cuilibet materiæ applicata ; fulcimus tamen applicationem hanc, vel singula de quibus pronuntiabimus, *non esse de fide*, doctorum aliquot auctoritate, ne temerarii alicui, qui quæ non novit, facilè damnat, saltem in aliquibus materiis videamur, aut ne quis carpat, vel aliis insusurret, aut palàm blateret.

§ 1. *De meritis gratiæ et gloriæ.*

De meritis concilium Tridentinum habet, sess. 6, can. 32 : « Si quis dixerit hominis justificati bona ope« ra, ità esse dona Dei, ut non sint bona ipsius justi« ficati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, « quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum,

« cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri « augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ « æternæ, si tamen in gratiâ decesserit, consecutio- « nem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema « sit. » Et can. 26 : « Si quis dixerit, justos non de- « bere bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, ex- « pectare et sperare æternam retributionem à Deo per « ejus misericordiam, et Jesu Christi meritum, si benè « agendo, et divina mandata custodiendo usque ad fi- « nem perseveraverint, anathema sit. » En quid ca- vendum sub pœnâ anathematis, tanquàm hæreticum. Sed et en quid ex regulâ nostrâ fide catholicâ sit cre- dendum de meritis, scilicet, quia est propositum à concilio universali omnibus credendum.

Ex quo à contrario sequitur non esse de fide ca- tholicâ, 1° nec dari meritum de congruo; 2° nec dari de condigno; 3° nec merita esse ex justitiâ, potiùs quàm ex fidelitate; 4° multò minùs dari ex justitiæ rigore. Probatur 1°, quia nihil horum est in concilio Tridentino, nec in ullo concilio generali propositum. Probatur 2°, quia non omnes doctores hoc tenent, referente ipsomet Bellarmino : « Quale sit meritum, « tres sunt quæstiones (inquit ille lib. 5 de Justificat. « cap. 16); una, sitne meritum justorum dicendum ex « condigno, an ex congruo? Altera, sitne condignum « ratione promissionis tantùm, an etiam ratione ope- « ris? Tertia, nùm Deus remuneret opera justorum « suprà condignum, et impiorum citrà condignum? « Quod attinet ad primam quæstionem, Catholici om- « nes agnoscunt, opera bona justorum esse meritoria « vitæ æternæ; sed tamen aliqui censent non esse « utendum his verbis, de *condigno et congruo,* sed ab- « solutè dicendum, opera bona justorum esse merito- « ria vitæ æternæ ex gratiâ Dei. Ità docet Thomas « Waldensis, etc. Alii volunt opera bona justorum « esse de condigno largo modo, ità ut hoc condignum « respectu condigni propriè sumpti, possit dici con- « gruum. Ità docent Durandus et Gregorius, etc. Com- « munis autem sententia theologorum admittit simpli- « citer meritum de condigno. Durandi sententia, si « nihil aliud vellet, nisi merita nostra non esse ex « condigno, sive ex justitiâ absolutè, sed tantùm ex « hypothesi, id est, positâ liberali Dei promissione, « non esset reprobanda. Cæterùm videtur omninò « velle, merita nostra ex gratiâ Dei procedentia, et « positâ promissione, adhuc non esse talia, ut ex jus- « titiâ debeatur merces, sed ex solâ Dei liberalita- « te. » Et cap. 17 : « Altera quæstio sequitur, utrùm « opera bona sint meritoria ex condigno, ratione pacti « tantùm, an ratione operis tantùm, an ratione utrius- « que. Non desunt qui censeant opera bona esse me- « ritoria vitæ æternæ ex condigno ratione operis, « etiamsi nulla exstaret divina conventio. Ità docent « Cajetanus, Soto, etc. Alii contrà existimant, bona « opera ex gratiâ procedentia non esse meritoria ex « condigno ratione operis, sed tantùm ratione pacti et « acceptationis divinæ. Ità docent Scotus et alii, etc. « Distat autem hæc opinio longissimè ab hæresi Lu- « theranorum; non enim Scotus censet, opera bona « non esse verè bona, sed peccata, si ad legem divi- « nam examinentur, ut Lutherani censent. Sed existi- « mat opera justorum esse bona verè et propriè, « sed non tàm excellentia, ut proportionem habeant « cum vitâ æternâ, et ideò acceptari quidem à Deo ad « justam et dignam mercedem vitæ æternæ, sed ex « pacto et promissione, non ex operis dignitate. No- « bis media sententia probabilior esse videtur, quæ « docet opera bona justorum meritoria esse vitæ « æternæ, ex condigno, ratione pacti et operis simul; « non quidem quòd sine pacto vel acceptatione non « habeat opus bonum proportionem ad vitam æter- « nam, sed quia non tenetur Deus acceptare ad illam « mercedem opus bonum, quamvis par et æquale mer- « cedi, nisi conventio intercedat, » etc. Et cap. 19 : « Postrema restat quæstio, nùm Deus bona opera re- « muneret, ex merà liberalitate suprà condignum. « Communis enim theologorum sententia id constanter « affirmat, etc. Contrarium docuit Vega. Probatur « breviter, Deum remunerare ultrà vel suprà condi- « gnum, etc. Utrùm autem operibus malis Deus pœ- « nam reddat citrà condignum, non videtur ità esse « certum, » etc. Hæc Bellarm. et Vasquez 1-2, disp. 213, cap. 3. Tametsi scholastici omnes et Catholici scri- bentes contrà hæreticos hujus temporis, apertè pronun- tient, operibus justorum inesse rationem meriti vitæ æternæ; nihilominùs cùm agitur de ratione meriti sim- pliciter aut meriti condigni vitæ æternæ, variant inter se. Et sanè B. Thom. art. 1, quæst. 114, affirmat nostrî apud Deum non esse meritum simpliciter. Ratio verò il- lius est, quia ubi non est simpliciter justitia, neque sim- pliciter æqualitas, non potest esse meritum simpliciter; nostrî autem ad Deum non est justitia, neque æqualitas simpliciter. Ergò neque nostrî apud Deum erit meritum simpliciter. In eâdem sententiâ videtur esse Durandus, ubi docet, nostris operibus in gratiâ factis non inesse rationem meriti simpliciter et propriè. Addit prætereà Durandus, merita nostra apud Deum non esse condi- gna mercede gloriæ, sed eâ duntaxat ratione dici me- ritoria, quia Deus lege et ordinatione suâ postulat opera nostra, ut ipsam gloriam tribuat. Affirmat, id quod redditur ex promissione, non reddi meritis con- dignis; inter gloriam et opera meritoria justorum non esse æqualitatem condignitatis, adhuc instar illius quæ est inter semen et fructum ejus. Quocircà con- cludit, merita justorum comparatione vitæ æternæ, solùm esse merita congrua, tametsi dicat meritum, quod justi habent vitæ æternæ, medium esse inter meritum congruum existentis in peccato, et meritum simpliciter condignum, quod est ex justitiâ, et ità par- tìm dici posse meritum congruum, partìm meritum condignum. Et disp. 214, etiam in titulis capitum sic habet : « Opera justorum ex se sine pacto et acceptio- « ne Dei, condigna non esse vitæ æternæ, non pauci « Catholici docuerunt. » Cap. 1 : « Opera justorum ali- « quam ex se dignitatem, magnam autem ex meritis « et gratiâ Christi habere, alii etiam Catholici existi- « märunt, » Cap. 2 : « Opera justorum ex se habere « totam dignitatem, rationem tamen meriti in ipsis ex

« promissione compleri, recentiores alii theologi au-« tumant. » Et disp. 215, quid ipse sentit promens : « Nos, inquit, qui diximus, inter Deum et nos non « posse esse justitiam propriè, sed communi quâdam « ratione, non tribuimus Deo obligationem dandi « gloriam in remunerationem bonorum operum ex « justitiâ accepti, quasi ipse compensare debeat ex « justitiâ bona opera quæ à nobis accepit, sed dicimus « ex solo promissionis verbo ac proindè ex solâ fide-« litate debere dare vitam æternam in remuneratio-« nem operum; quarè si eam non daret (quod fieri « nequit) esset quidem infidelis, quia non servaret ve-« ritatem promissionis; non tamen injustus propriè, « quia non faceret contrà justitiam propriè; diceretur « nihilominùs injustus, quatenùs fidelitas est justitia « quædam, nempè pars potestativa justitiæ, et itâ in-« fidelitas hæc, communicatione injustitia dici po-« test. » Hæc Vasquez. Nihil ergò suprà dictorum de fide, sed scholastica sunt varia placita, et opiniones diversæ, cùm doctorum catholicorum in hâc re nutent sensus.

Facilè doctrinæ fidei de meritis subscribent adversi, si hæc à fide semoveamus. Subscripsit Mestrezatius, tract. de Gratiâ, contrà prætensa merita :

« Agnoscimus, inquit, bona opera esse Deo grata, « eaque obtinere vitam æternam; et solùm volumus, « quòd eam obtineant ex benignitate, gratiâ, bonitate, « et misericordiâ Dei; et sic nomen meriti et meren-« di, sensu quem in linguâ latinâ habet. » En ergò Mestrezatius catholicus in doctrinâ fidei de meritis.

Sequitur 2° nec esse de fide, *omnia bona opera justorum esse æternæ vitæ meritoria; seu quænam in specie opera mereantur gloriam, an opera temperantiæ, spei, fidei, et alia præter charitatem.* Probatur 1°, quia Tridentinum non proponit talia opera in specie mereri, ut patet. Probatur 2°, quia in hoc ipso doctores variant, referentibus iisdem Bellarmino, et aliis, Vasquez, loco citato, disp. 217, cap. 1 : « Inter Scholasticos, inquit, in controversiâ « positum est, utrùm solâ charitate, et bonis operibus « à charitate imperatis, an quocumque opere bono, « etiamsi à charitate non imperetur, justi mereantur « æternam vitam. Prior sententia est, quòd per sola « bona opera quæ procedunt ex imperio charitatis, « mereatur homo justus æternam vitam. Quam sen-« tentiam tradiderunt Scotus, Gabriel, Durandus, etc. » Bellarminus ipse hanc sententiam sequitur, lib. 5 de Justif. cap. 15 : « Mihi verò, inquit, cap. 2, semper « visum est, quodlibet opus hominis justi bonum et « secundùm virtutem moralem, meritorium esse vitæ « æternæ. Hanc sententiam tradit Bonaventura, Ca-« preolus, Sotus. »

Quàm longè ergò absumus à deviorum communi calumniâ, Catholicos ponere perfectionem in jejuniis, cœlibatu, votis monasticis, etc., non in charitate; cùm nec de fide sit, prima opera esse meritoria vitæ æternæ, nisi à charitate imperentur! et quàm facilè scholasticis istis semotis, fidei nostræ doctrinæ subscribent! Mestrezatium ostendi meritum vitæ æternæ agnoscere in operibus, lib. de Grat., ac toto illo libro agnoscit id in omnibus operibus bonis, nullâque eorum distinctione. Credit ergò plus quàm oportet credere, quò sit catholicus.

Sequitur 3° *non esse de fide, justum posse mereri pro aliis quocumque merito, ne quidem de congruo, nec conversionem peccatoris, nec aliam gratiam.* Probatur 1°, quia Tridentinum *meriti pro aliis* non meminit, nec proindè proponit credendum; 2°, quia variant in hâc re doctorum opiniones catholicorum. Certum quidem istud est : « Gratia adoptionis, inquit benè Vasquez, « parte 3, disp. 4, cap. 5, quæ nunc communicatur « puræ creaturæ, suâpte naturâ solum est principium « condignè merendi vitam æternam, et incrementum « suî ipsius habenti illam, nec est principium condi-« gnè merendi alteri primam justificationem ex mini-« mo gradu, nec minimum auxilium gratiæ ad illam; « ob quam causam Apostoli, nec Beata Virgo, qui ha-« bitualem justitiam et gratiam adoptionis in gradu « perfecto habuerunt, non fuerunt condignè promeriti « alicui minimum auxilium gratiæ. Non alia ratio fuit, « nisi quia gratia habitualis solum est principium me-« rendi tale genus præmii, nempè gratiæ et gloriæ, « illudque sibi et non aliis, quamtumvis augeatur, « semper enim manet ejusdem naturæ. » Proprium id Christi est. Et Suarez, disp. 48, sect. 2, refert cum approbatione : « Meritum gratiæ aut gloriæ itâ est « personale, ut nemo possit alteri suum meritum præ-« stare ut alteri valeat ad gloriam obtinendam, et sit « quasi præmium illius mercedis, sed illud pretium « esse debet proprium personale opus, quia per illud « solum fit homo dignus vitâ æternâ. Hoc certissimum est. « Dicamus igitur, concludit benè Vasquez « loco citato, gratiam adoptionis solum esse princi-« pium meriti et semen gloriæ ei qui illam habet et « incrementi suî ipsius, non autem condignè merendi « alteri gratiæ auxilia aut justificationem. Ac proindè « unam puram creaturam non potuisse pro aliis con-« dignè et perfectè satisfacere. » Solius enim Christi id proprium est; quarè *ad eum finem necessarium* fuit Christi Incarnatio. Sed utrùm de congruo possit aliquis mereri pro alio, dico, *id non esse de fide.* Probatur 1°, quia Tridentinum id non proponit. Jam dixi, aliquibus theologis non placere meritum ullum dici *de congruo*, ne quidem pro se, multò minùs pro alio. 3° Quæ dicemus de satisfactione, istud etiam probabunt, quia satisfactio est per modum meriti; et Tridentinum eodem modo loquitur de merito et satisfactione. Si tamen benè intelligatur, quid nomine *meriti de congruo* significent doctores, tale meritum non potest rejici nec pro alio, ne quidem à Protestantibus. Quia, « idem dicimus, docet benè Vasquez, part. 3, q. 94, art. 1, dub. 4, meritum de congruo, quod impetratorium opus, impetratorium meritum, quod de congruo dici solet; meritum de congruo illud est, quod impetrat illud cujus est meritum; meritum congruum in solâ impetratione consistit. » At quis ignorat, orationem impetrare à Deo pro se et aliis multa bona, et avertere multa mala? In formulâ ipsâ precum deviorum nostrorum tempore pestis habetur, tunc exhortandum

populum *precari Deum ad impetrandum miserationem;* et cur orarent pro aliis, et pro tot generibus hominum, singulis diebus Dominicis publicè ex formulâ, nisi *impetraturos* se sperarent? en *meritum de congruo.* Sed et satis constat, *bonis operibus* diversis, fideles *bona spiritualia* et *temporalia* pro se et pro aliis *obtinere à Deo*, seu ejus misericordiâ. Quod ad reliqua, probabilius esse censemus opera mereri de condigno, condignitate ortâ partìm ex opere ipso, partìm ex promissione, nec sola opera charitatis, sed et reliqua manantia ab homine justo, esse meritoria vitæ æternæ.

§ 2. *De Justificatione.*

Tridentinum sic habet, sess. 6, can. 11 : « Si quis dixerit, homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, Rom. 5, 5, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei, anathema sit. » Et can. 10 : « Si quis dixerit, homines sine Christi justitiâ, per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit. » En quid rejiciendum ut hæreticum, et proindè quid credendum de fide, quod etiam fusiùs explicatur, cap. 7, quia propositum per concilium universale.

Undè etiam sequitur à contrario, *non esse de fide : justitiam hanc inhærentem esse habitualem*, seu quòd *justitia nobis inhærens, quâ justificamur, ut formâ, sit habitus aliquis.* Probatur 1°, quia de hâc re nihil habet Tridentinum, nec aliud concilium universale. Probatur 2° : « In controversiâ positum est, inquit Vasquez, 1-2, disp. 203, cap. 2, utrùm Ecclesia definierit, vel ad fidem catholicam pertineat, justitiam quâ impii justificantur, esse qualitatem et habitum permanentem in animâ, an æquè benè fieri posset justificatio per affectum dilectionis ergà Deum et contritionis de peccato, et omnia quæ de justitiâ nostrâ in Scripturâ et conciliis, atque à Patribus dicuntur, rectè constare possent, si aliquis diceret, justitiam inhærentem esse affectum dilectionis ergà Deum et contritionem de peccato. In quâ controversiâ Vega, et posteà recentiores aliqui existimârunt, jam esse ab Ecclesiâ definitum homines justificari per qualitatem et habitum permanentem ; et ea quæ de justitiâ nostrâ ab Ecclesiâ dicuntur, in solam qualitatem permanentem et habitum convenire. Probabilis tamen sententia mihi visa est, inquit, cap. 3, hactenùs ab Ecclesiâ definitum non esse, adultum extrà sacramentum solo habitu justificari. » Et titulus ipse capitis habet : « Hactenùs definitum non esse, utrùm solo habitu justificentur adulti extrà sacramentum, scholasticorum auctoritate probatur. » Et paulò post : « Expressè dicitur, definitum hactenùs non esse, justitiam nobis inhærentem habitum esse. Ità Sotus et Canus; atque ideò dicunt concilium Trid. sess. 6, cap. 7, dùm definivit inesse justificatis formalem justitiam ipsis intrinsecam, datâ operâ abstinuisse à nomine habitûs, ne de habitu aliquid definiret, ac proindè ejus definitione declaratum solùm fuisse, justificari hominem non favore et justitiâ alienâ, tanquàm formâ, sed justitiâ inhærente; hoc enim institutum concilii spectabat, ut contrà hæreticos ostenderet, homines justificari non extrinsecâ justitiâ, ut illi dicebant, sed intrinsecâ sibi et inhærente. Et Stapleton dicit, non esse minutissimè sibi discutiendum, quid sit illud propriè et præcisè, quo nobis inhærente formaliter primùm justificamur, vel justi manemus, nempè utrùm sint habitus certarum virtutum infusi à Deo, et fixi in nobis manentes; an verò non habitus infusi, sed motiones tantùm animæ rectæ et continuæ. Alias etiam quæstiones, quas ibi proponit, discutere non curat; inter quas alia similis est, utrùm justitia, quâ sumus formaliter justi, sit ipsa observatio legis ex fide facta, et operatio virtutum, an sit novitas intùs operans; reddit autem rationem, quòd sint quæstiones scholasticæ potiùs, quàm hodiè controversiæ cum hæreticis; ac proindè de illis nihil in alteram partem Ecclesia olìm, aut nunc demùm in concilio Tridentino definierit. » Subdit deindè : « Nam quòd unumquemque suam justitiam in se recipere secundùm mensuram, quæ etiam singulis inhæret propter dona infusa, Patres concilii docent; illud in quâcumque prædictarum opinionum sententiâ aliquo modo verificari potest. » Quin et cap. 6, dicit idem Vasquez : « Ecclesia expressè non declaravit parvulorum justificationem, et eorum qui virtute sacramenti, cum solâ attritione justificantur, fieri per habitum, sed in universum solùm definivit, omnem justificationem fieri per inhærentem justitiam. » Habet tamen et rectè, cap. 2 : « Communis et vera theologorum sententia est homines justificari, non solùm creatâ justitiâ ipsis inhærente, verùm etiam hanc justitiam, et sanctitatem esse qualitatem permanentem in animâ, quam communiter habitum appellamus. » Quin et habet, cap. 6 : « Ex definitione Tridentini apertâ ratione colligitur parvulos et adultos, qui virtute sacramenti remissionem peccatorum consequuntur, solo habitu, et qualitate permanente justificari, ac proindè hanc sententiam ad fidem catholicam ità pertinere, ut sine errore negari nequeat, » *non tamen* sine hæresi, ex *nostrâ regulâ.*

Ex quibus patet, qui est fructus secretionis hujus nostræ, vix jam esse controversiam de fide inter nos et Protestantes in hâc materiâ. Et cap. 10, generaliter : « Secundùm communem et veram scholasticorum sententiam, concedendus est habitus gratiæ justificantis in omnibus qui justificantur; licèt id de fide hactenùs non sit definitum ; concesso autem hoc habitu, multò melius est tribuere ipsi justificationem et emundationem à peccato, quàm actui, ut in omnibus eodem modo justificatio fiat; siquidem in parvulis, et in iis qui virtute sacramenti justificantur, habitus gratiæ necessariò concedendus est, ut c. 6, probavimus. » Ità Vasquez.

« Justitia inhærens, dicit Mestrezatius libello de Gratiâ, cap. 35, id est renovatio animarum nostrarum in sanctitate virtutibus christianis, locum tenet in salute nostrâ. » Et pag. 42 : « Justitiam inhærentem Deus non imputat, sed producit in nobis. « Et pag. 37 :

« Quantùm ad spiritum novi Adam, derivatur in nos per regenerationem, sicut corruptio habitualis Adami derivatur in nos per generationem naturalem. » Agnoscit ergò justitiam inhærentem; est ergò catholicus; quin et agnoscit esse *habitualem*, quod inter nos non est adhuc de fide. Et manet solùm quæstio de nomine. » « Si sumatur terminus justificationis, inquit Molin. in Eras., pag. 49, in sensu quo adversarii nostri accipiunt, pro regeneratione et sanctificatione; falsum est nos dicere solam fidem justificare, nam christianus regeneratur per omnes virtutes christianas. » En ergò etiam Molinæus catholicus. En hallucinationem causam dissidii, en secretionem nostram, causam concordiæ.

§ 3. *De satisfactione.*

1° « Si quis dixerit, inquit Concil. Trident. sess. 14, can 13, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis, sed neque spontè susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, anathema sit. » Et can. 14 : « Si quis dixerit satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratiâ et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit. » En quod damnant sub anathemate.

2° En proindè doctrina fide catholicâ tenenda, quia proponitur à concilio universali. Sed à contrario sensu sequitur 1° *non esse de fide*, sicut de meritis dictum est, *an satisfactiones sint de congruo vel de condigno, an ex dignitate solâ operis, an ex promissione, an ex utroque, an ex justitiâ, vel etiam ejus rigore, an ex solâ fidelitate Dei?* Probatur 1°, quia Tridentinum nihil de his habet; 2°, quia variant doctores. Ledesma et Durandus docent *homines satisfacere pro pœnâ ex benevolentiâ Dei acceptantis illam satisfactionem*, referente Vasquez, p. 3, q. 94, art. 1, dub. 3.

3° *Nec hanc fieri per opera, nisi per opera charitatis*, aut *jejuniis* quidem, *orationibus, eleemosynis*, etc., sed dummodò à charitate sint imperata. Probatur 1°, quia Tridentinum nihil de hoc habet, sive canone allato, sive alio. 2° Quia nutant opiniones doctorum. Henricus significat *imperium charitatis esse necessarium*, refert Suarez, de Pœnit. disp. 37, sect. 3.

4° *Non est de fide, justum posse satisfacere pro alio.* Probatur 1°, quia Tridentinum id non proponit seu docet. 2° Suarez, disp. 48, sect. 2, cujus titulus est : *Utrùm unus possit alteri suffragari pro illo satisfaciendo, seu pœnam illi debitam persolvendo :* « Sententia, inquit, quorumdam modernorum theologorum est, non posse unum fidelem alteri suffragium ferre pro illo satisfaciendo, et solvendo pœnam debitam, sed solùm impetrando ac merendo de congruo, ut Deus remittat talem pœnam, sive immediatè gratis illam condonando propter orationes alterius, sive dando aliquod auxilium, propter easdem orationes, quò benè operetur ad ejusmodi remissionem obtinendam. Fundamentum hujus sententiæ est, 1° quia debitum pœnæ est debitum personale, quod per actionem vel passionem propriæ personæ solvendum est, et ideò non potest per alium solvi, quia non potest unus ita donare alteri actionem suam, vel passionem, ut illius propria efficiatur. Propter peccatum fit aliquis dignus pœnâ in seipso, non in alio; ergò contrahit debitum persolvendum per actionem vel passionem propriæ personæ, non alterius; 2° quia hoc debitum pœnæ tale est, ut contrahi non possit per opus alienum, sed per proprium; ergò etiam è contrario solutio hujus debiti non potest fieri per alienum opus, sed per proprium. 3° Aliundè verò omnia quæ adduci solent ex Scripturâ, ad summum probant fideles posse se mutuò juvare orando et impetrando. Atque ex hâc sententiâ infertur, etiamsi unus justus pro alio offerat opera sua satisfactoria, ut illi obtineat remissionem pœnæ temporalis, et de facto illam impetret, nihilominùs æquè satisfacere per illa pro peccatis propriis, quia non se privat fructu propriæ satisfactionis; cùm enim per pœnam pro alio non solvat, consequens est, ut pro se solvat. Sicut justus, quandò orat pro alio, aut benè operatur, ut alter impetret auxilium gratiæ, vel aliud bonum, non minùs meretur sibi de condigno vitam æternam, quàm si nihil alteri mereretur de congruo; ità ergò, quamvis alteri impetret de congruo remissionem pœnæ, nihilominùs pro se æqualiter satisfacit de condigno, ac si nihil alteri impetraret. »

Tribus his generaliter elucidandis et comprobandis, adde duo singularia in hâc materiâ. Primum ex Vasquez, part. 3, de Pœnit. q. 94, art. 1, dub. 4, *à pœnâ* peccatis debitâ post culpam dimissam, non liberamur nisi per satisfactionem, non per satispassionem, et illa habet apud Deum rationem meriti. Undè infert : *Deus postulat satisfactionem, ut pœnam condonet; hæc autem cùm sit per modum meriti, nunquàm habet effectum nisi sit in homine justo;* seu homo existens in peccato mortali, non potest satisfacere pro tali pœnâ; *quarè hæc opera extrà charitatem facta non sunt meritoria, nec satisfactoria.* Secundum est ex Suario, loco suprà citato, disp, 48, sect. 2 : « In hujusmodi præmiis, inquit, vel pœnis taxandis, nihil potest ex solâ rei naturâ desumi, sed necessaria est supremi legislatoris institutio, qui potuit unam tantùm pœnam purgatorii præcisè ac definitè pro peccato remisso præscribere, et tunc nullus posset in hâc vitâ pro tali pœnâ, etiam per propria opera, satisfacere; tamen etiam potuit non ità definitè pœnam taxare, sed quasi alternativè vel talem purgatorii pœnam vel aliam condignam et moraliter æquivalentem hujus vitæ, atque ità de facto facit ex virtute quam justi habent ad satisfaciendum pro suis peccatis. Ità ergò nunc dicimus potuisse Deum disjunctionem illam ità extendere, ut debeat homo tantam pœnam in purgatorio sustinere, vel in hâc vitâ pro illâ satisfacere, aut per se, aut per amicos suos, interveniente ex parte satisfacientis voluntariâ oblatione suæ pœnalitatis pro alio; et quantùm est ex parte divinæ legis sufficienter illi satisfit. » Hæc Suarez generaliter de satisfactione. Qui licet addat de

primâ illâ sententiâ relatâ : *Hanc sententiam censeo esse falsam, et valdè novam in theologiâ, ideòque omninò vitandam in materiâ adeò gravi;* non audet tamen dicere, *esse contrà* fidem : multò minùs *contrà fidem catholicam.* Imò ingenuè fatetur : *Hujusmodi fuisse divinam institutionem* (quòd unus pro alio satisfaciat) *non possumus ratione ostendere, cùm hoc pendeat ex divinâ voluntate, nec etiam habemus testimonium Scripturæ, quo id sufficienter convincamus; nam quæ suprà adduximus, de intercessione per modum impetrationis, et meriti de congruo, possent in rigore declarari.* Quin et probabiliter dictæ sententiæ statuendæ, sufficere videtur auctoritas *Theologorum* illorum *modernorum* quos allegat idem, sect. 3. « Difficultas est, an hæc satisfactio unius pro alio, ità sit de justitiâ, et de condigno, sicut pro seipso. Prima sententia est, hanc satisfactionem non esse de condigno ex justitiâ, sed ex liberâ acceptatione ipsius Dei; quæ potest etiam fundari in aliquâ congruitate ex parte efferentis satisfactionem suam; non tamen propterea acceptatio erit infallibilis, etiamsi à justo et pro justo offeratur. » Ità Medina et Corduba. 1° Quia nunquàm tenetur judex satisfactionem per alium acceptare, etiamsi aliàs fortassè æqualis sit; sed jus habet puniendi ipsammet personam. 2° Quia nec Scripturâ sacrâ, nec traditione constat, eam legem seu promissionem factam esse, *scilicet acceptandi satisfactionem pro alio.* 3° Quia sicut mereri, ità et satisfacere de condigno pro alio, censetur esse proprium Christi Domini.

5° *Longiùs etiam abest à doctrinâ et certitudine fidei, viventem posse satisfacere pro mortuis, nisi orando, et per modum suffragii.* Patet, quia non habetur in Tridentino, aut alio concilio universali. 2° Quia variant in hâc parte doctorum sententiæ primæ : « Sententia, inquit Suarez, sect. 6, est, satisfactionem pro animabus purgatorii solùm esse ex misericordiâ. Ità tenent Cajetanus, Canus, Soto, etc. Idem à fortiori tenent Medina et Corduba , cùm idem dicant de satisfactione unius viventis pro alio. Propria et unica ratio esse debet, quia de hoc nulla exstat promissio, aut pactum divinum , cujus signum esse potest, quia Ecclesia et sancti orant Deum, ut acceptet hæc suffragia pro defunctis; ergò signum est, non esse opus justitiæ, sed misericordiæ. Item colligi potest ex eo, quòd animæ in purgatorio existentes jam sunt extrà forum ecclesiasticum, et pertinent tantùm ad forum Dei. Cùm ergò etiam inter viventes incertum sit, an tale pactum vel promissio intercedat, verisimilius est respectu defunctorum nullum esse; maximè, cùm nullo sufficienti testimonio, et ratione ostendit possit. » Et infrà : « Ob hanc causam tàm de nostris satisfactionibus, quàm de Indulgentiis Ecclesiæ solet dici, prodesse animabus purgatorii per modum suffragii, per quam locutionem aliqui putant excludi infallibilem applicationem ad acceptationem ex justitiâ. » Et paulò post : « Si est infallibile, necesse est ut intercedat divina lex et promissio, quia in nullo alio potest illa infallibilitas fundari. »

6° Sequitur *nec esse de fide, thesaurum Ecclesiæ, ut vocant, satisfactionem sanctorum* (nec proindè, ut dicetur postea, Indulgentias, quæ dantur vivis seu defunctis) dari *per distributionem hujus thesauri.* Probatur, quia non est de fide, ut ostensum est, unum posse satisfacere pro alio, quia non habetur in concilio, in quo nec habetur hujus thesauri mentio, nec in alio concilio universali; non est ergò propositum ab Ecclesiâ credendum fide. Verum quidem est, Clementem VI, in Extravaganti *Unigenitus*, de Pœn. et Rem. dicere : « Ad thesauri infiniti, *ex sanguine et meritorum Christi* cumulum B. Dei genitricis, omniumque electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. De cujus consumptione seu minutione non est aliquatenùs formidandum, tàm propter infinita Christi merita, quàm pro eo quòd quantò plures ex ipsius applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. » Sed 1° non est ibi mentio *satisfactionis* sanctorum, de quâ solâ loquimur. 2° Id solùm obiter dictum in Extravagant. 3° Quæ etiam scripta est archiepiscopo Terraconensi, non universæ Ecclesiæ. 4° Denique papa non est concilium generale. Non itaque sufficit fundando articulo fidei catholicæ. Suarez, disp. 51, quæ est de isto thesauro, sect. 2 : « Ex theologis, inquit, præter Maironem, Durandus ausus est negare thesaurum Ecclesiæ, ut constantem ex meritis vel satisfactionibus aliorum, præter Christum. Affertque duas rationes; prima est eadem cum ratione Maironis. Quia opera justorum sunt condignè remunerata in animabus eorum. Secunda, si quæ merita sanctorum reponerentur in thesauro Ecclesiæ, maximè illa, quæ sanctis superflua sunt; nam quæ sunt ipsis necessaria, aliis non applicantur; sed nulla sunt merita ipsis superflua, quia omnia sunt eis utilia et efficacia ad aliquod præmium, quia nullum est vel minimum opus apud Deum, quod careat mercede suâ; ergò nulla superflua sanctorum merita, quæ in thesauro reponantur. » Et infrà : « Dixerunt aliqui, ut suprà vidimus, agendo de suffragiis, hæc opera, etiam quoad vim satisfaciendi, ità esse propria ipsius justi operantis seu patientis, ut nullus justus præter Christum possit alteri donare illa sub hâc ratione, seu pro alio solvere, aut satisfacere; juxtà quam opinionem consequenter dicendum est, thesaurum Ecclesiæ non constare ex satisfactionibus sanctorum, neque ex illis applicare aliquid per Indulgentias ad solutionem temporalium reatuum. « In quo multùm accedit illa sententia ad Durandi sensum; differre tamen potest ab illo, dicendo merita Sanctorum, quatenùs habent vim impetrandi aliquid, merendo etiam illud de congruo aliis, sub ratione manere reposita in thesauro Ecclesiæ. Nam sub eâdem dici possunt superabundantia seu superflua, quia sufficientia sunt ad impetrandum et obtinendum à Deo, ex prædictâ ratione meriti plura beneficia, quàm de facto Deus propter illa contulerit justis seu Ecclesiæ. Quod videtur satis ad salvanda verba pontificum. Nam Clemens VI, in Extravaganti citatâ : *Non de satisfactione, sed de meritis loquimur.* Ità Suarez. Quæ sufficiunt firmandæ nostræ illationi, scilicet, *the-*

saurum illum constantem ex satisfactionibus sanctorum, non esse de fide, cùm varient in ejus assertione doctores.

Etsi illo solùm intelligatur quòd actiones sanctorum in hâc vitâ, vim habeant impetrandi à Deo aliquid etiam post mortem, et sub eâ ratione manerent in thesauro Ecclesiæ, nequaquàm devii thesaurum Ecclesiæ, negant, tàm clarum in Scripturâ, Gen. 26, 24 : *Ego sum Deus Abraham Patris tui, benedicam tibi et multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.* Et Psal. 131, 10 : *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*, id est, ut habet Glossa Genevensis : noli contemnere vel rejicere preces, quas rex Salomon in generali facit pro omni populo. En thesaurum Ecclesiæ explicatum, ut audivimus, ab aliquot theologis, agnitum à Protestantibus nostris. Quam *vim impetrandi*, sæpè nostri *meritum de congruo* vocant. Aliis non placet nomen meriti *de congruo* ne quidem *pro se*, multò minùs *pro aliis*. Audivimus etiam Mestrezatium admitttentem merita proposita ut suprà. In quo ergò, secretione illâ exactâ doctrinæ fidei nostræ ab aliis doctrinis factâ, manet dissidium, seu *de meritis*, seu *de satisfactione*, seu *pro se*, seu *pro alio*, per modum impetrationis, ut in oratione, seu *de thesauro Ecclesiæ?* Quantas adversariorum hallucinatio circà doctrinam fidei nostræ excivit dissensiones? Quot ex hallucinatione illâ implent libros? Si quæris, quæ nobis probabilior videatur doctrina de his quatuor articulis seu deductionibus, resp., eadem quæ de meritis : eodem siquidem modo de meritis et de satisfactione Tridentinum suprà allatum loquitur, et similis militat ratio. Quarè censemus probabilius 1°, satisfactiones esse de condigno, condignitate ortâ partìm ex naturâ operis, partìm ab acceptatione divinâ. 2° Non sola opera charitatis elicitivè vel impetrativè, sed alia etiam aliarum virtutum, maximè pœnalia, esse satisfactoria. 3° Posse fideles sibi invicem suffragium ferre, dùm unus pro alio solvit pœnam temporalem pro peccatis remissis debitam satisfactionis nomine in proprietate, et rigore sumpto; quod non est solùm impetrare gratuitam remissionem pœnæ, sed et debitum solvere; non est itaque solùm per modum impetrationis. Addo, quòd fideles hoc modo satisfaciunt, tùm pro vivis, tùm pro defunctis; et utramque satisfactionem infallibiliter prodesse iis pro quibus offeruntur, sive viventibus in hoc mundo, sive in purgatorio existentibus, et secundùm totum harum satisfactionum valorem. 4° Undè dicendum etiam esse in Ecclesiâ Christi thesaurum, non solùm et quidem præcipuè constantem ex Christi meritis et satisfactione, quo sensu thesauro sumpto, fide is constat, sed etiam ex sanctorum tùm meritis, tùm satisfactione propriè sumptâ, pro aliis, ut dictum suprà. Quæ omnia fusè Suarez, disp. 48, sect. 2, 3, 5, 6, et disp. 51, sect. 1 et 2, quò lectorem amandamus; cùm nostri sit solùm instituti, quæ sint de fide catholicâ credenda proponere, et ab aliis quibusvis secernere; quod præstitum numeris præcedentibus.

§ 4. *De Indulgentiis*

Professio nostra et concilium Tridentinum hæc habet, nec aliud, de Indulgentiis. Professio quidem nostra, ex Tridentino excerpta : « Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesiâ relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maximè salutarem esse affirmo. » Tridentinum, sess. 25, decret. de Indulgentiis : « Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujus modi potestate, divinitùs sibi traditâ, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta synodus Indulgentiarum usum christiano populo maximè salutarem, et sacrorum conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesiâ retinendum esse docet, et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant; in his tamen concedendis moderationem, juxtà veterem et approbatam in Ecclesiâ consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimiâ facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus verò qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, undè plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omninò abolendos esse. Cæteros verò, qui ex superstitione, ignorantiâ, irreverentiâ, aut aliundè quomodocumquè profluxerunt, cùm ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commodè nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ corrigat, eosque in primâ synodo provinciali referat, ut aliorum quoque episcoporum sententiâ cogniti, statìm ad summum romanum pontificem referantur, cujus auctoritate et prudentiâ, quod universis Ecclesiis expediet, statuatur : ut ità sanctarum Indulgentiarum munus piè, sanctè, et incorruptè omnibus fidelibus dispensetur. » Hæc, nec plura Concilium. Undè sequitur ut hæc fide catholicâ sunt credenda, quia proposita à concilio universali; ità nec plura, quia nec plura proposita à concilio hoc universali, nec ab alio œcumenico.

Itaque *de fide est, potestatem esse in Ecclesiâ concedendi Indulgentias divinitùs sibi traditam;* quia sequitur ex regulâ fidei.

E contrario sequitur : *Non esse de fide catholicâ in usu seu concessione Indulgentiæ prout de facto fit, remitti pœnas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in Purgatorio, sive in hâc vitâ;* aut *etiam Ecclesiam habere voluntatem, cùm concedit Indulgentias, has pœnas ralaxandi, et de facto illas relaxari.* Probatur 1°, quia hoc non proponitur à Tridentino. Et sanè, cùm quæstio sit de facto, seu *quid velit Ecclesia relaxare*, quomodò posset esse de fide? 2° probatur, quia variæ sunt doctorum hâc de re sententiæ, relatæ à Suario et aliis. « Quidam catholici, inquit, disp. 49, sect. 1, dixerunt, per indulgentias non remitti reatum pœnæ apud Deum, sed solùm tolli obligationem exequendi canonicas pœnas, seu injunctas per Ecclesiam. Quod docuit Cajetanus; sed ille non loquitur de potestate, sed de actu. Est (refert idem disp. 50, sect. 3,

de Indulgent. › diversitas opinionum. Quidam enim senserunt, per indulgentias quæ de facto conceduntur, non remitti reatum pœnæ apud Deum, sed solam obligationem exequendi sacramentalem pœnitentiam. Quæ opinio antiqua fuit ; eam enim referunt D. Thomas et Bonaventura, et insinuat Albertus, definiens Indulgentiam, remissionem esse de pœnitentiis injunctis ; fundamentum est, quòd in jure sæpè dicuntur dari Indulgentiæ, *de pœnitentiis injunctis, ut patet* ex c. cùm ex eo, *de pœnit. et remiss.* et ex c. *Romana*, eodem tit. in 6, et ex *Clem. unic. de reliq. et venerat. sanctorum.* Ex quo loco intelligere licet generalem formam concedendi Indulgentias, esse *de pœnitentiis injunctis ;* ideòque licèt indulgentiæ concedantur simpliciter, et aliud non exprimatur, intelligendas esse secundùm juris formam, atque adeò *de pœnitentiis injunctis;* eò vel maximè quòd pontifices sæpè concedunt Indulgentias sub hâc formâ : *Concedimus annos, vel 40 dies, aut tot quadragenas Indulgentiæ;* quæ numeratio manifestè fit *juxtà canones pœnitentiales*, taxantes hoc modo pœnitentias peccatis imponendas. Tandem confirmari potest hæc sententia, ex iis, quæ suprà adduximus, de antiquo usu Ecclesiæ in indulgendis pœnitentiis, nimirùm ex eo non posse colligi, per illas remissiones, solitas fuisse remitti pœnas etiam in foro Dei. Sed usus Indulgentiarum posteà extensus est ad pœnitentias injunctas etiam in foro sacramentali sub eâdem ratione, et ad similem effectum introductus est, et ille est qui nunc durat in Indulgentiis concedendis : ergò etiam nunc per Indulgentias nihil aliud relaxatur, nisi pœnitentiæ injunctæ. › Ità Suarez. Quorum auctorum relatorum auctoritas et rationes etiam probant sententiam illam esse probabilem. Ex quâ facilè Indulgentias hoc modo explicatas admittunt Protestantes ; cùm nihil sit aliud, quàm relaxatio Canonum antiquorum pœnitentialium, quos ipsimet non observant. Adde, quòd et sæpè sæpiùs pœnas, quas infligit eorum disciplina, variis ex causis relaxent. Junge, quòd censeant, quotiescumque ab eorum ministris *remittuntur peccata, ministros*, ut utamur verbis Molinæi in Erasm., n° 20, *remittere peccata*, nullâ remanente pœnâ luendâ nec in purgatorio, nec in hâc vitâ. Dant ergò Indulgentias et plenissimas, et singulis ferè diebus, quibus conveniunt in templis.

Sequitur 2° *ne quidem esse de fide, loquendo de potestate, esse in Ecclesiâ potestatem concedendi Indulgentias, per quas remittuntur fidelibus pœnæ pro peccatis remissis debitæ apud Deum*, sive in hâc vitâ, sive in purgatorio; seu *non est de fide catholicâ, posse Ecclesiam talem Indulgentiam concedere, ut per eam remittat reatum pœnæ temporalis apud Deum, immediatè, ac per se, per solam relaxationem seu condonationem ipsius pœnæ luendæ sive in purgatorio, sive in hâc vitâ.* Probatur 1°, quia Tridentinum hoc non proponit ; 2°, ex diversis sententiis doctorum. D. Thomas in supplemento, quæstione 25, art. 1, cui titulus est : *Utrùm per Indulgentiam possit aliquid remitti de pœnâ satisfactoriâ?* sic habet : « Respondeo dicendum, quod ab omnibus conceditur, Indulgentias aliquid valere ; quia impium esset dicere, quòd Ecclesia quid vanè faceret. Sed quidam docent, quòd non valent ad absolvendum à reatu pœnæ, quam quis in purgatorio secundùm judicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione, quâ sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera, quia, etc. › Ità D. Thomas, referens, nec arguens hæreseos hanc opinionem. 3° Probatur, quia nec Suarez, disp. 49, sect. 1, et disp. 50, sect. 2, nec quivis alius quidquam affert, quo sufficienter probet esse de fide, præsertìm *catholicâ*, si benè quæ profert expendantur ad regulam fidei, et ad ea quæ ex illâ suprà deduximus. 4° Ostenditur positivè ex ipso concilio. Nam non agnoscit concilium potestatem conferendi Indulgentias in Ecclesiâ, nisi eam, *quâ antiquissimis temporibus* illa usa fuit, scilicet in concilio Ancyrano, cap. 2, 5, 9, 21, 22 ; Neocæsar. cap. 3 ; Nicæno cap. 1, 12, Carthag. IV, cap. 75 ; Agath. cap. 60. At ipsemet Suarez, disp. 49, sect. 3 : « Cùm Tridentinum, inquit, habet, hunc usum sacrorum conciliorum auctoritate fuisse approbatum, ad hoc citari solent concilium Nicæn. can. 11, Carthag. IV, can. 65, Neocæs. cap. 3, Agath. cap. 60, Laodic. cap. 1 et 2. Sed in his solùm legimus, semper licuisse episcopis, ex canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro diversis criminibus imponi solebant, aliquid peccatoribus et pœnitentibus remittere, si eorum vita et laudabilis conversio id mereri videretur. Quòd autem illa remissio se extenderet usque ad ablationem vel diminutionem reatûs pœnæ apud Deum, ex illis conciliis non satis colligitur. Ideòque non potest ex illis sumi argumentum efficax, sed ad summum conjectura quædam, seu probabilis ratio à simili, fundata in potestate clavium. › Et paulò post, adductis testimoniis Cypriani, Basilii, Gregorii Nisseni, et diversorum conciliorum : « Rectè convincitur, inquit, testimoniis adductis, fuisse antiquum morem in primitivâ Ecclesiâ remittendi aliquandò hujusmodi pœnas (lege ecclesiasticâ taxatas) vel condonando illas, postquàm impositæ fuerunt, vel aliquandò etiam condonando delicta in extero ecclesiastico foro, nullam vel leniorem pœnam imponendo; difficile autem videtur explicare, quomodò ex illo modo remissionis satis probari possit, tunc consuetum usum Indulgentiarum, prout nunc illum probare intendimus. Nam licèt hujusmodi peccatores hanc veniam à prælatis Ecclesiæ acciperent, ut sine tali, vel tali canonicâ pœnitentiâ admitterentur ad pacem et communionem cum aliis fidelibus, vel ut liberarentur ab onere exhibendi talem pœnitentiam publicam, nihilominùs hæc remissio vel condonatio, præcisè sumpta, nihil ab eis auferebat de reatu pœnæ pro tali peccato debitæ apud Deum ; quia prælatus Ecclesiæ recipiens hujusmodi peccatorem ad pacem et unitatem Ecclesiæ absque onere talis pœnæ, non propterea liberabat illum ab eâdem purgatorii pœnâ ; sed necessarium erat, ut peccator ille alio modo satisfaceret Deo, vel certè supponebatur, et credebatur ex modo et fervore conversionis, vel aliâ viâ, illum plenè sa-

tisfecisse. » Et paulò post : « His similibus rationibus videtur convictus Cajetanus, ut diceret per Indulgentias quæ sunt in usu Ecclesiæ, solùm remitti pœnitentias per ministros Ecclesiæ impositas; non verò pœnas ipsas in judicio Dei debitas. Quod quidem licèt falsum sit de præsenti statu Ecclesiæ, de illis tamen temporibus antè Gregorium Magnum, de quibus nunc inquirimus, non videtur impossibile; non quòd positivè, ut sic dicam, nobis constet, tunc non fuisse eumdem morem et usum Indulgentiarum qui nunc est, hoc enim nullo historiæ testimonio, aut ratione ostendi potest; sed tantùm negativè, quòd ex his, quæ de illis temporibus legimus, non satis convincitur hic usus, et hoc apud me suadent omnia, quæ adduxi; nihil enim occurrit, quod omninò satisfaciat; solùm ergò potest aliqua conjectura fieri ex illo antiquo usu. » Hæc Suarez. Ex cujus admissione, junctâ cum minore ex Tridentino acceptâ, induco conclusionem. 5° Notandum diligentissimè, non defuisse doctissimos theologos in concilio, qui probè nôssent, quòd talia agitabantur in scholis; sciebant etiam quòd Protestantes de hâc remissione coràm Deo litem præcipuè intentabant indulgentiis. Ergò concilii reticentia de hâc re, non est minimum argumentum positivum, quo probatur concilium censuisse non esse de fide talem potestatem in Ecclesiâ conferendi Indulgentias, quæ forent *Remissiones pœnæ temporalis coràm Deo, debitæ seu in purgatorio, seu in hâc vitâ.* 6° Nec Bellarminus, tractans de hâc difficultate, lib. 1 de Indulg. cap. 7, prop. 4, relatâ dictâ opinione, damnat eam hæresis, sed solùm dicit : *Et quidem adversùs Catholicos in hâc re minùs rectè sentientes, probatur,* » etc. Nec ipsemet Suarez locis citatis eamdem damnat hæreseos. Denique nec ullum doctorem eam sic damnantem legimus; *ergò non est de fide catholicâ*, de quâ solâ loquimur. 7° Nec praxis præsens Indulgentiarum, aut sensus fidelium ex eâ praxi manans, evincit id, quod quæritur, esse de fide, tùm quia *non omnes praxes Ecclesiæ etiam universalis sunt sufficientes fundando articulo fidei catholicæ : probabilem opinionem aliquandò in praxi secuta Ecclesia aliquid facit, tametsi non tanquàm certum dogma fidei declaret,* ut fusè suprà probavit Vasquez; et ne quidem constat, quòd Ecclesia habeat voluntatem remittendi has pœnas, cùm concedit Indulgentias. Quomodò ergò ex praxi constaret, esse de fide hanc potestatem, de quâ quærimus?

Subscribimus tamen iis, quæ addit S. Thomas loco citato supplementi, relatâ prædictâ opinione. « Sed hæc opinio non videtur vera, 1° quia est expressè contrà privilegium Petro datum, cui dictum est, Matth. 16, 19, ut quod in terrâ remitteret, in cœlo remitteretur; undè remissio, quæ valet quantùm ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantùm ad forum Dei. Et prætereà Ecclesia hujusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret, quàm adjuvaret, quia remitteret ad majores pœnas, scilicet purgatorii, absolvendo à pœnitentiis injunctis. Et ideò aliter dicendum, quod valent et quantùm ad forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium Dei, et remissionem pœnæ residuæ post contritionem et confessionem, sive sit injuncta, sive non, » etc. Vide probationes hujus potestatis in Ecclesiâ fusissimè apud Suarium, t. 4, disp. 48, sect. 1 et 2, petitas præsertim ex usu præsenti, et plurium retrò seculorum, pontificum romanorum Bullis pluribus, quas refert, concedentium Indulgentias, per quas remittantur fidelibus pœnæ pro peccatis remissis debitæ apud Deum; quas probationes concedimus esse bonas. Sed non placet, quod habet ibidem Suarez, sect. illâ 1, hanc doctrinam esse *de fide.* Nec hæc praxis, ut jam diximus et iterùm dicimus contrà Suarium, sufficit ad fundandum hanc doctrinam esse *de fide.* Sicut nec praxis similis sufficit ad statuendum, *satisfactiones pro aliis*, aut *thesaurum Ecclesiæ, constantem ex satisfactionibus aut meritis sanctorum esse de fide,* quæ duo etiam suprà negavimus esse *de fide,* maximè *de fide catholicâ*, de quâ solâ loquimur. Imò sola probabilitas opinionis sufficit rectæ et prudenti praxi statuendæ in Ecclesiâ, ut suprà doctè probavit Vasquez, ut in variis materiis, ità et in istis tribus sufficere posset, *satisfactionis pro aliis, distributionis thesauri, et Indulgentiarum pro vivis,* ut et, *pro defunctis*, de quo in sequelâ tertiâ mox; et certum est sufficere pro multis Indulgentiis in particulari, ob causas non ità graves datas, ut dicetur in sequelâ quartâ. In quibus etiam elargiendis pontificem prudenter, et proind benè operari, pro certo est habendum.

Sequitur 3° longiùs abesse ab objecto fidei catholicæ, seu *non esse de fide, Ecclesiam posse concedere defunctis, quæ sit vera Indulgentia, id est, remissio pœnæ; multò minùs de fide est, Ecclesiam habere voluntatem remittendi has pœnas,* nisi per modum suffragii. Probatur 1°, quia nihil horum habet nec professio nostra, nec Tridentinum. 2° Quia variant in hâc re doctorum explicationes. Alii Catholici, refert Suarez, disp. 49, sect. 1, « dixerunt Ecclesiam posse concedere Indulgentiam, non autem defunctis. » Et disp. 53, sect. 1 : « Inter Catholicos Hostiensis negavit simpliciter, Indulgentias prodesse defunctis; quem secutus est Gabriel; idemque tenuit Gerson. Quia Indulgentiæ, ait Gerson, ordinatæ sunt pro his qui submittunt se curiæ misericordiæ, quæ durat usque ad mortem, non verò post mortem. » Et confirmatur : « Nam concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, sed pontifex non habet jurisdictionem in purgatorium, quia non est judex illarum animarum, sed à Christo immediatè judicatæ sunt, et ad illas pœnas ligatæ; ergò non possunt ab illis solvi ab alio judice quàm suo. » Idem Suarez, sect. 3 : « Putant aliqui, quòd Indulgentia per modum suffragii non est omninò infallibilis, sed pendens semper ex liberâ acceptatione et misericordiâ Dei. » Et confirmatur : « Nam etiam privata suffragia pro defunctis oblata non habent tantam efficaciam, ut infallibiliter acceptentur. Imò aliqui putant ipsum sacrificium Missæ illam non habere, neque esse aliquod opus, quod *ex opere operato* liberare possit animas defunctorum ab illis pœnis lege certâ et infallibili. Denique de hoc necdùm habemus divinam promissionem; in quâ solâ possit hæc infallibilitas fundari. Hanc sententiam docuit Cajetanus, et eam secutus est Canus, et eam etiam magis probat Corduba. Hucusque Suarez

et Vasquez, part. 3, disp. 228, cap. 4. Sotus, Canus, et Corduba censent, sacrificium Missæ circà vivos certà lege semper operari remissionem pœnæ; circà defunctos verò existentes in purgatorio, non item; sed illis solùm ad hunc effectum valere per modum suffragii; vocant autem per modum suffragii, idem quod instar suffragii; ut quemadmodùm, inquiunt, orationes vivorum defunctis solùm prosunt, prout Deo placuerit eas acceptare; neque certâ lege statuerit, propter illas, defunctorum pœnas remittere; ità etiam sacrificium Missæ defunctis prosit. Idemque de indulgentiis, quæ defunctis conceduntur, affirmant. Imò ex eo quòd existiment Indulgentiarum effectum circà defunctos non esse ità certum sicut circà vivos, idem de effectu sacrificii Missæ arbitrantur. »

Diximus porrò, *nisi per modum suffragii;* quia *res non est certissima*, notat benè Bellarminus, de Indulg. lib. 1, cap. 14, *et apud Catholicos indubitata; Indulgentiis juvari posse animas, quæ in Purgatorio pœnas luunt.* Sed quis Protestantium non facilè admittet Indulgentias sic explicatas *per modum suffragii*, seu per modum orationis, si concedat purgatorium? Nam admittunt, fideles posse errare pro se, et pro aliis viventibus, et impetrare quæ petunt; sic habet eorum forma precum tempore pestis : *Ad impetrandam veniam utendum hàc orationis formâ;* quod est suffragium illis ferre, et Deum intuitu talium orationum misericorditer quæ petunt elargiri. *Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui*, Psal. 131, 10. Cur Ecclesiâ offerente Deo merita Christi, et sanctorum vitam piam, et petente, *propter* verum David Christum, et *propter* hanc sanctorum vitam piam (sicut *propter David* dicebat Salomon Deo), remissionem pœnæ debitæ defunctis, quod est Ecclesiam largiri Indulgentias *per modum suffragii*, aut fidelibus pro defunctis privatìm orantibus, *Deus misericorditer non elargiretur quod petitur*, qui exaudit alias preces, tùm Ecclesiæ ejusdem tùm aliorum fidelium? Repete memoriâ, quæ de ministris retulimus *remittentibus peccata* fidelibus plenè, et cum remissione totius pœnæ debitæ : et miraberis, quomodò audeant Indulgentias denegare pontifici romano, cùm plura sibi arrogent quique vel infimi ministri. Sola ergò superest difficultas, *an detur purgatorium, et maneant pœnæ temporales remisso peccato luendæ.* Quæ est diversa difficultas. Hoc porrò solum est de fide; reliqua solùm sunt probabiles opiniones.

Inter quas, ut probabiliori adhæremus, 1 : *Hunc effectum remissionis pœnarum tùm defunctis, tùm viventibus virtute sacrificii Missæ semper concedi, et certâ quâdam lege à Deo ità constitutum esse*, « quæ est communis, et vera sententia, » inquit Vasquez loco citato, 2. *Suffragia quæ à fidelibus pro defunctis fiunt certâ lege illis prodesse.* 3. Quin et cum Suario, disp. 53, sect. 3 : « Verius censeo Indulgentiam concessam pro defuncto infallibiliter habere in illo effectum, sicut habet in vivente, quandò pro illo conceditur. Hanc sententiam magis probat Soto, et fuit opinio S. Thomæ, qui suppositâ formâ Indulgentiæ sufficiente, ità dicit prodesse illam defuncto sicut vivo. » Sed cùm nostri instituti solùm sit, quæ sunt *de fide*, secernere ab aliis, et hæc sola proponere deviis credenda; cùm sufficiat, quò fiant Catholici, subscribere iis solis, quæ sunt *de fide catholicâ*, omissis aliis, quorum ne quidem cognitionem ullam habere tenentur, talia non moramur.

Sequitur, *nullum Jubilæum*, *nullam Indulgentiam*, datam à pontificibus, aut à conciliis, sive plenariam sive aliam, tot vel tot annorum *in specie, aut particularem*, *ob hanc vel illam causam*, *hæc vel illa opera præstando*, *esse de fide*, seu certitudine fidei certam; plurimæ sunt tantùm probabiliter validæ, aliquæ quæ circumferuntur, sunt ob pravos quæstus effectæ, et scandalosæ, proindèque eliminandæ. *Quòd nulla sit de fide*, probatur, 1° quia nulla *in specie aut particulari* credenda proponitur in professione nostrâ, in Tridentino, aut alio concilio; 2°, et quæ dantur à conciliis, vel pontificibus, praxes sunt; jam autem diximus, non semper praxes Ecclesiæ sufficere probando articulo fidei, sed posse fundari in opinione probabili. 3° Longiùs à certitudine fidei absunt quæ dantur à pontificibus; cùm dixerimus non esse de fide, præsertim catholicâ, quæ proponuntur à pontificibus, tanquàm puncta doctrinæ; multò minùs praxes pontificum esse de fide. 4° Nunquàm est de fide, quod sequitur ex duabus propositionibus, quorum una est extrà verbum Dei, multò minùs si una sit tantùm probabilis; at talia sunt Jubilæi et omnes Indulgentiæ, ut mox probabimus. Tertiò itaque sic probatur auctoritate nostrorum doctorum : « Quia convenit inter omnes, inquit benè Bellarminus, de Indulg. lib. 2, cap. 12, sine justâ causâ Indulgentiam non esse ratam, quod attinet ad expiandum reatum pœnæ coràm Deo, vel in hâc vitâ, vel in aliâ, ita docent Thomas, Bonaventura, Durandus, Gabriel et recentiores omnes; sed quæstio est, an ad justam causam requiratur *proportio* aliqua operis injuncti cum Indulgentiâ, ità ut pro majori Indulgentiâ major causa requiratur, an verò possit pro opere minimo dari Indulgentia maxima? de quâ re duæ sunt opiniones. Prior est eorum qui docent, non requiri proportionem ullam, sed satis esse si causa sit pia, id est, modò non concedatur Indulgentia pro opere malo, vel pro opere merè temporali, aut pro opere vano et nihil ad gloriam divinam pertinente, sed pro quocumque opere quod ad honorem Dei vel Ecclesiæ utilitatem cedat, Indulgentia rata erit. Ità docuit sanctus Thomas, Durandus, Paludanus, Valentia et alii. Posterior sententia est aliorum, qui contendunt ad justam causam requiri aliquid non solùm pium et utile, sed etiam quod proportionem habeat cum Indulgentiâ, ità ut non sit ratum, si detur pro causâ levissimâ, Indulgentia maxima; ità docent Bonaventura, Richardus, Gerson, Gabriel, Cajetanus, Major, Soto et alii. Quoniam si pro quâcumque piâ causâ concessæ Indulgentiæ ratæ essent, nullæ dici possent superfluæ vel indiscretæ, cùm semper sit in promptu aliqua pia causa quæ allegari possit, et aliàs possit summus pontifex in momento liberare omnes animas purgatorii, quia posset dici, non deesse piam causam, cùm ad gloriam Dei pertineat, ut tot animæ

citissimè volent in cœlum. Posterior sententia, ut est communior, ità etiam verior mihi videtur, ut ex. g., si detur Indulgentia plenaria iis, qui semel recitant Orationem Dominicam, pro conversione hæreticorum, causa non videbitur justa; quomodò etiam si detur Ingentia iis qui nummum unum exponent, pro recuperandâ Hierosolymâ, non videbitur justa causa tantæ Indulgentiæ. » Hæc Bellarminus. At nunquàm constat fide, hanc vel illam causam, seu hoc vel illud *opus*, cujus intuitu datur Jubilæum vel Indulgentia, esse *justam causam*, et opus *habere proportionem*, cum Indulgentiâ: ergò de nullo Jubilæo vel Indulgentiâ constat esse validè datam.

Quæ ratio probat etiam secundam partem hujus illationis, *plerasque, imò ferè omnes esse solùm probabiliter validas;* quia vix constare potest, quæ sit ista proportio requisita, et quò levior est causa sive opus, quales sunt plurimæ quæ conceduntur, dicendo, v. g., Orationem Dominicam et eleemosynam aliquam elargiendo, eò probabilitate minori valida est Indulgentia. Porrò, non est culpandus, sed potiùs laudandus pontifex in earum concessione, eò quòd sufficit ad praxim legitimam opinio probabilis, qualis est prima quam retulimus; etsi tales Indulgentiæ, si sententia secunda sit verior, non sunt ex toto validæ, nullum ex eâ Indulgentiâ damnum sequitur, imò indè fideles ad pia opera inducuntur.

Denique « justa semper causa requiritur, inquit ibidem Bellarminus, sed non est subditorum judicare, utrùm causa sit justa vel injusta; debent enim simpliciter existimare justam esse; sed veteres pontifices paucissimos fuisse in Indulgentiis conferendis notissimum est. » Nec talis etiam certitudo retardare debet fideles ab Indulgentiis consequendis; quia ferè in omnibus rebus humanis homines prudenter ex opinione probabili varia aggrediuntur; præscribit medicus medicinam prudentissimè, cùm probabiliter putat profuturam, licèt non certò, sed certum non esse obfuturam. Litigans, mercator, etc., agit ex spe probabili lucri, licèt etiam non constet illi damnum non indè secuturum, naufragio, aut causâ cadendo. Ergò prudenter et pontifices elargiuntur, et fideles conantur lucrari tales Indulgentias. Et addit idem auctor ibidem, « nullum indè esse ut plurimùm deceptionis populi periculum; quoniam sicut potest fieri, ut aliquandò Indulgentia non sortiatur effectum, ob defectum ejus qui eam suscipit; ità nec debet videri absurdum, si aliquandò idem accidat ob defectum causæ, et christianus populus non ignorat ad fidem pertinere, quòd sit in Ecclesiâ potestas Indulgentias concedendi, non autem quòd in particulari non possit fieri, ut Indulgentia vel non sit rata, vel non prosit; et ideò sic accipiunt prudentes Christiani pontificias indulgentias, ut simul etiam studeant dignos pœnitentiæ fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere. »

Tertiam partem nostri illati habet etiam Bellarminus. « Non desunt, inquit cap. 9, qui negent Indulgentias, quæ continent condonationem pœnitentiæ, multorum millium annorum esse à pontificibus datas, sed à quæstuariis confictas dicant. Ità sentiunt Gerson et Soto. Pontifices enim non solebant Indulgentias concedere, nisi tot annorum, quot annorum pœnitentiæ injungebantur; pœnitentiæ verò non solebant injungi, nisi unius, duorum, trium, quinque, septem, decem, viginti annorum, aut ad summum per totam vitam, quæ ultrà centum annos porrigi non solet. » Et lib. 2, cap. 20: Si quis nôsse cupit veras historias de Indulgentiis romanis, non eas petat vel ab hostibus Ecclesiæ, neque ab obscuris quibusdam libellis, qualem unum Kemnitius se vidisse dicit editum Nuremburgæ, germanicè scriptum, et amplificatum de stationum romanarum Indulgentiis, cùm anteà latinè et breviùs editus Romæ fuisset, sed à pontificum diplomatibus, vel ab authenticis Ecclesiarum tabulis, aut certè ab auctoribus certis, gravibus, doctis, probatis: neque enim dubitari potest, quin multa vel depravata vel conficta, in ejusmodi libellis incertis et anonymis legantur. Sanè in probatis auctoribus non leguntur concessa fuisse aliquandò multa millia dierum vel annorum Indulgentiæ. » Non paucæ etiam aliæ circumferuntur, quæ falsæ videntur, aut certè valdè incertæ, et vix probabiles, quas hìc referre non est operæ pretium, quæ quæstûs causâ identidem à quæstuariis publicantur, magno deviorum præsertim scandalo, *quorum abusuum occasione*, inquit Tridentinum, *Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur.* Hinc synodus pravos quæstus omnes pro his consequendis, undè plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, abolendas statuit.

Hâc secretione factâ *doctrinæ fidei ab aliis*, devii facilè subscribent doctrinæ fidei catholicæ de Indulgentiis, qui hallucinatione doctrinæ fidei nostræ, tot tragœdias hoc seculo excitârunt, et ab hâc materiâ scissionem ab Ecclesiâ infeliciter sunt auspicati. Proponamus nos solùm iis ea quæ habentur in professione nostrâ, et Tridentino relatis, ne *plus sapiamus*, quàm sapuit Pius IV, pontifex scriptor professionis, et Tridentinum; sufficitque sine dubio quò quis sit catholicus in hâc materiâ, reliquis silentio sopitis.

§ 5. *De Purgatorio et suffragiis pro defunctis.*

Professio nostra sic habet: *Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari.* Et: *Profiteor in Missâ offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis*, de quâ solâ ultimâ particulâ hìc agimus. Et Trid. Sess. 25, decret. de Purgatorio: « Cùm catholica Ecclesia Spiritu S. edocta, ex sacris litteris et antiquâ Patrum traditione, in sacris conciliis, et novissimè in hâc œcumenicâ synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari, præcipit sancta synodus episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, à sanctis Patribus et sacris conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicari diligenter studeant; apud rudem verò plebem, difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque

ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quæ specie falsi laborant, *evulgari* ac tractari non permittant; ea verò quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquàm scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi, ut fidelium virorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus, pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta piè et devotè fiant. »

Hinc primò patet, quæ sint de fide credenda ex regulâ nostrâ, scilicet quæ proposita ab universali concilio Tridentino.

Sed à contrario, scilicet, quia non proposita ab illo circà purgatorium, « 1° non est de fide, inquit Bellarm. lib. 2 de Purgatorio, cap. 11, verum et proprium esse ignem purgatorii, et ejusdem speciei cum nostro elementari. Quia nusquàm in concilio definitum est; imò in concilio Florentino Græci apertè professi fuerant, se non ponere ignem in purgatorio, et tamen in definitione factâ sess. ult. definitur purgatorium esse, nullâ mentione ignis habitâ. Tamen est sententia probabilissima, propter, » etc. 2° Idem, cap. 6: « Sequitur quæstio ubi sit purgatorium? de quâ quæstione nihil Ecclesia definivit. Sunt autem multæ opiniones. » Refert plurimas: et octava, inquit, est communis scholasticorum, purgatorium esse infrà viscera terræ, inferno ipsi vicinum. » 3° Idem, cap. 14: « De gravitate pœnarum, quamvis aliquo modo omnes admittant pœnas purgatorii esse majores pœnis hujus vitæ, tamen dubium est, quomodò hoc intelligatur. Bonaventura docet purgatorii pœnas esse majores pœnis hujus vitæ solùm in hoc sensu, quia maxima pœna purgatorii est major, quàm sit maxima pœna hujus vitæ, licèt aliqua pœna purgatorii reperiatur minor aliquâ pœnâ hujus vitæ. Quæ sententia mihi placet. 4° *Nec est de fide*, quanto tempore duret purgatorium. Res est incertissima, inquit Bellarm. cap. 9, et non nisi temerè definiri potest. »

Sanè secretione hâc positâ, facilè est devio persuadere sibi purgatorium; cùm præsertìm Calvinus, Instit. lib. 3, cap. 25, § 6, dicat: « Non est licitum, nec utile nobis inquirere curiosiùs de statu qui est inter mortem et resurrectionem. Torquentur valdè plurimi, disputantes in quo loco sint animæ receptæ, et utrùm fruantur jam gloriâ promissâ, an non. Scriptura non eò usque progreditur. Quis doctorum docebit nos, quod Deus nobis celavit? Quandoquidem Scriptura vult, nos esse suspensos usque ad adventum Jesu Christi, et præcipit nos eum expectare, et ad illam diem nos remittit, recipiendæ coronæ gloriæ; contineamus nos his terminis, quos Deus nobis assignavit, scilicet animas fidelium in requiem recipi, ubi expectant cum gaudio fruitionem gloriæ promissæ, et sic omnia suspensa manere, usquequò Christus appareat in Redemptorem. »

En locus tertius ex Calvino, et quidem cum suspensione et dilatione: *Spes autem quæ differtur affligit animam*, en ergò species saltem purgatorii.

Quod ad *suffragia* attinet, ut patet ex Tridentino quæ sint de fide, scilicet quæ ibi sunt proposita.

Ità sequitur à contrario nullam sequentium doctrinarum, esse articulum fidei. 1° Non est de fide, (ut suprà ostensum) sacrificium missæ certâ lege et promissione semper operari remissionem pœnæ circà defunctos existentes in purgatorio; sed illis solùm ad hunc effectum valere per modum suffragii; communis tamen et vera sententia est contraria. 2° Nec est de fide, suffragia quæ à fidelibus pro defunctis fiunt, certâ lege illis prodesse. » Ratio est, quia concilium nihil horum determinat. Probabilius tamen est certâ lege id fieri. 3° Nec de fide est, sacrificium missæ *ex opere operato* hoc operari. Tacet enim de his concilium, et ut benè docet Vasquez, disp. 229, cap. 1, « variæ sunt theologorum opiniones, qui et diverso modo loquuntur. » Et Suarez, disp. 53, sect. 3: « Aliqui putant sacrificium missæ non esse aliquod opus, quod *ex opere operato* liberare possit animas defunctorum ab illis pœnis lege certâ et infallibili. » Relege circà tria quæ suprà diximus. 4° Nec remissionem hanc quæ fit, fieri per applicationem satisfactionum nostrarum animabus purgatorii. Primò quia nihil habet Tridentinum. 2° Variant doctores. Suarez, disp. 38, sect. 5: « Prima sententia, inquit, generaliter affirmat hunc modum, *scilicet* per modum impetrationis *suffragia prodesse defunctis*, non solùm esse possibilem, sed etiam nullum alium posse nos exhibere animabus purgatorii, ad hunc effectum obtinendum. Hoc à fortiori tenent illi theologi, qui inter viventes nullum admittunt alium modum satisfactionis unius pro alio. Nam hoc principium apud omnes certum est, non posse nostra suffragia esse efficaciora ad remittendam pœnam defunctis, quàm aliis viventibus. »

§ 6. *De legum humanarum obligatione in conscientiâ.*

Professio fidei nostræ hoc habet: *Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissimè admitto et amplector. Receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Romano pontifici veram obedientiam spondeo ac juro, cætera item omnia à sacris canonibus et œcumenicis conciliis tradita recipio.* Et Trid. sess. 6, can. 20: « Si quis hominem justificatum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Ecclesiæ, anathema sit. » Et sess. 7, can. 8: « Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiæ præceptis, ità ut ea observare non teneantur, nisi se suâ sponte illis submittere voluerint, anathema sit. » Denique, sess. 25, tit. de delectu librorum, jejuniis, et diebus festis, hortatur sancta synodus et pastores omnes obtestatur, « ut tanquàm boni milites illa omnia quæ sancta romana Ecclesia statuit, necnon ea quæ tàm in hoc concilio quàm in aliis œcumenicis statuta sint, quibuscumque fidelibus sedulò commendent, omnique diligentiâ utantur, ut illis omnibus, et iis præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut librorum

delectus et jejunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio, admonentes populos crebrò obedire præpositis suis, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui verò contemnunt, Deum ipsorum ultorem sentient. » Hactenùs concilium, nec plura. En ergò doctrina fidei catholicæ, quia proposita à concilio universali.

Ex quo à contrario sequitur: 1° *Non esse de fide, Ecclesiam seu ejus leges, aut à fortiori leges principum secularium posse* obligare, aut de facto obligare *conscientias sub peccato mortali*, sed ut utamur terminis Confessionis novantium, art. 24, *ità ut imponant jugum conscientiis*. Hoc, inquam, non est de fide, præsertìm catholicà; *nec proindè hæreticum* est quod habetur in Confessione deviorum, art. 24: « Rejicimus inventiones humanas, quæ imponunt jugum conscientiis. » Et art. 33: « Excludimus omnes inventiones humanas, et omnes leges quibus quis vellet ligare conscientias. » Et in confessione Augustanâ, art. 27: « Collocant Romanenses in novo Testamento peccatum in cibis, in diebus, in vestitu et similibus rebus; hìnc sanè illa onera, quòd certi cibi polluant conscientiam, quòd horas canonicas omittere sit mortale peccatum; undè habent jus episcopi, has traditiones imponendi Ecclesiis ad gravandas conscientias, » etc.?

Probatur illud corollarium, primùm quia non habetur in professione nostrâ aut in Tridentino, quòd Ecclesia aut magistratus civiles habeant talem potestatem obligandi sub peccato mortali, nec quòd leges notatæ, aut quævis aliæ ecclesiasticæ aut civiles obligent ità de facto sub pœnâ inferni, ut patet in relatis. 2° Cùm tot doctissimi theologi concilio interfuerint, nec ignorarent quid Augustana confessio sentiret, quàm etiam variè scholastici loquerentur, siluit tamen de hâc re: quo silentio tacitè declarâsse videtur, non esse *hæc* de fide. 3°: « Sotus et Castro, inquit, Vasquez, part. 2, disp. 154, cap. 1, referunt fuisse sententiam Gersonis, nullâ lege humanâ etiam ecclesiasticâ decerni aliquid posse aut juberi sub reatu culpæ, quod aliquâ lege divinâ præceptum non sit; sed jus humanum, etiam ecclesiasticum solùm possit declarare jus divinum. Alii recentiores pergunt ulteriùs, et non solùm dicunt Gersonis opinionem fuisse, nullam legem humanam, etiam ecclesiasticam, fieri posse de aliquâ re, quæ nec jure divino, nec naturali fuerit præcepta, quinimò in eam sententiam referunt Almainum. » Nec tamen seu Vasquez seu alius doctor damnat hæreseos hanc doctrinam. 4° Verum quidem est sequi certò hanc veritatem ex principio aliquo revelato, seu mediatè, ut mox dicemus; sed suprà demonstravimus, non esse de fide catholicâ, quod sequitur ex unâ vel duabus præmissis revelatis; nec item de fide est ob similem rationem quod sequitur ex definitione Ecclesiæ, sed non est expressè ab eâ propositum. At, ut ostendimus, illud non est ab Ecclesiâ expressè propositum; ergò ex duplici capite non est de Fide.

2° Quinimò probabilior mihi videtur Gersonis sententia, qualem eam referunt Almainus, Medina, Driedo, Adrianus, Castro, relatore Vasquez, 2-2, disp. 158, cap. 1, « legem humanam, *sive ecclesiasticam, sive civilem*, quatenùs humana est et à solâ potestate humanâ profecta, non posse ad culpam mortalem obligare; idemque Gersonem sensisse de lege naturali quod de humanâ autumant prædicti auctores. Probatur autem hæc sententia, 1° quia lex humana et naturalis non attingunt cognitione suâ finem supernaturalem; ergò non attingunt æternam pœnam vel præmium, quæ ad finem supernaturalem, et plus quàm humanum spectant. Deindè nullus legislator potest lege suâ ad eam pœnam obligare, quam ipse non potest infligere in suo tribunali. »

3° *Non potest lege humanâ homo obligari ad actus omninò internos, eò quòd non potest de illis in suo tribunali ullo modo judicare; atqui neque ullus humanus legislator* ecclesiasticus aut civilis, neque natura potest æternam pœnam infligere; ergò nec obligare ad culpam, quæ homines reos talis pœnæ constituat.

4° Ex hypothesi tamen legis humanæ, seu posito quòd lex humana ecclesiastica, aut civilis aliquid præceperit ex intentione præcipiendi, et non solùm dirigendi, aut ordinandi, per modum concilii, *supervenit lex divina*, jubens obedire superioribus ecclesiasticis et politicis, parentibus et dominis; quæ *lex divina* superveniens *obligare potest et obligat ad peccatum, etiam mortale* et ad pœnam æternam, seu ejus trangressio reos nos facit pœnæ æternæ. Quòd lex divina obliget ad obediendum 1° potestati ecclesiasticæ patet ex Scripturâ: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*; Luc. 10, 16. *Obedite præpositis vestris*, etc. Hebr. 13, 17; 2° civili: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt; necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, Rom. 13, 5. 3° Parentibus: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione*, Eph. 6, 1. Denique dominis: *Servi, obedite dominis carnalibus, ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo*, ibid. 6. Et sanè, « natura ipsa docet, inquit benè Vasquez, d. 158, parentibus et superioribus non obedire, si notabilis materia est, scelus esse; est enim contrà rectam rationem, majoribus non obedire. » Naturaliter consequitur ut idem, disp. 152, cap. 3: « Dignitatem capitis in aliquâ congregatione, ut ei omnes parere et obedire debeant. Alioqui si justum esset contrà illius præceptum operari, magna esset in manibus, et in totâ congregatione confusio. Quis autem gentilium hactenùs dixit, inhonestum non esse majoribus non obedire? » Quòd verò lex divina obliget, etiam ad mortale et pœnam inferni, patet sæpè sæpiùs ex Scripturâ, sicut et Deus in tribunali suo potest tales pœnas infligere; *et sanè quod dissonat rationi in gravi materià, Deo graviter displicere, ac proindè ejus amicitiam ergà nos dissolvi, et ex se pœnam æternam mereri*. Hoc modo itaque seu *mediatè*, lex ecclesiastica et civilis, et præcepta *parentum et dominorum* obligare possunt ad peccatum etiam mortale, et sub pœnâ inferni, non ex seipsis, sed ob divinam

legem supervenientem, et hâc ratione, nec aliàs, obstringere possunt conscientias.

5° Porrò, sic explicatâ potestate humanâ, seu obligatione legis humanæ, Protestantes eam nec negant, nec negare possunt. Nam admittunt Ecclesiam et reges potestatem habere leges condendi, et varia præcipiendi, sicut et parentes, et domini aliqua possunt præcipere, subditosque debere obedire illis. 1° Scripturâ jam allatâ, et ratione ipsâ hoc dictante. 2° Nostrorum divorum disciplina plurimùm præcipit, eaque sub pœnis et censuris suspensionis à cœnâ et excommunicationis, 14 capita continet, et articulos 251, hoc est, ferè totidem ordinationes, præcepta, leges. Cap. 5, art. 16, habetur : *Rebelles consistorio, suspensione à cœnâ punientur*; cap. 10, art. 3, jejunia certis diebus indicuntur, art. 5 : *Non fient eleemosynæ publicæ in funeribus*. Cap. 14, art. 27 : *Qui choreas ducunt, vel eis assistunt, excommunicabuntur*. Art. 29 : *Qui chartis ludent, censurâ afficientur*. Varia prohibent connubia, cap. 13, art. 13, *cum eâ, cum quâ adulterium vir commiserat vivente uxore*, etc.; art. 12, *cum viduâ fratris uxoris suæ*, etc.; cap. 5, art. 31 : *Qui synodi nationalis resolutioni noluerit acquiescere, abscindetur ab Ecclesiâ*. Art. 8 : *Ecclesiæ gubernatio regulabitur ex disciplinâ in synodis nationalibus statutâ*. Cap. 14, art. 33 : *Non erit in potestate ministrorum aut synodorum provincialium quidquam addere, mutare, imminuere, in articulis disciplinæ, absque consensu synodi nationalis*. Potest verò ista synodus quæ voluerit statuere, et in Conf., art. 32 : *Possunt esse ordinationes particularis cujusque loci, seu Ecclesiæ*. Art. 33 : *Recipimus quæ sunt apta nutriendæ concordiæ, et unoquoque in officio suo continendo; in quo debemus sequi quod Dominus declaravit, quantùm ad excommunicationem, quam approbamus et fatemur esse necessariam, cum omnibus suis circumstantiis*. Et de potestate civili, art. 39 : *Credimus velle Deum mundum gubernari legibus regum*. Et art. 40 : *Oportet ergò obedire eorum legibus et statutis*.

Nec etiam negant lege divinâ præceptum esse, obedire præpositis spiritualibus, regibus, magistratibus, parentibus. Nec inficiantur transgressionem legis divinæ, esse peccatum, et sæpè mortale. Imò, « ubi est transgressio legis Domini, docet Calvinus Instit. lib. 2, cap. 8, § 58, 59, ibi parata est maledictio Dei. Omne peccatum est morale, cùm sit rebellio contrà voluntatem Dei, quæ necessariò provocat iram ejus, cùm sit transgressio legis, in quam denuntiata est mors æterna, sine exceptione ullâ. » In quo ergò potest esse dissensio Protestantes inter et Catholicos, cùm Protestantes negare nequeant præceptum illud divinum, sic obligans, nec nos alio quàm ex præcepto illo divino, seu *mediatè*, leges humanas obligare posse ad peccatum mortale dicamus?

En ergò in hoc, hallucinatione semotâ, *pax coalita*. Quæ porrò leges humanæ verè præcipiant, et quæ verè sint præcepta, quæ autem sint solùm instar consiliorum et ordinationum, seu directionum, quæque etiam obligent, solùm ad pœnam temporalem, quæ dicuntur *leges solùm pœnales*, pendet hoc ex intentione superioris, et terminis legis, seu præcepti, quod non est controversiarum spectantium fidem. Nec porrò dicimus superiores ecclesiasticos, aut civiles, parentes, seu dominos posse quodlibet præcipere. Sed « par est ratio, inquit benè Vasquez, disp. 154, cap. 3, ferendi novas leges in Ecclesiâ, aut republicâ, et in religione, seu statu religioso, quod attinet ad hoc, ut nihil novi statuatur, quod non pertineat ad pristinum statum cujuscumque conservandum. Quarè qui leges prudenter ferunt in republicâ vel Ecclesiâ, hæc observare debent, ut id quod præcipitur, illiusque observatio ad finem cujusque pertineat. At pro libito ferre legem, certè non licet. Non est tamen *subditorum* judicare de injustitiâ, aut inconvenientiâ legis, nisi manifesta esset ejus iniquitas, aut inutilitas; interìm enim pro legislatore præsumendum est. » A quibus nec dissentiunt Protestantes, ut patet ex confessione nostrorum deviorum, art. 32 et 33, suprà relatis, ubi habetur : « Qui in regimen eliguntur, videant quem modum servare debeant, toti corpori regendo, nec declinent tamen ullo modo ab ordinatis à Christo, » etc. Idem dicimus de restrictione harum potestatum. Sic in hâc materiâ facilè consentimus distinctione illâ adhibitâ, *mediatè* vel *immediatè*. Si non obstante illâ discutiunt adversi, manifestè sibi ipsi contradicunt, ut patet ex dictis.

6° Non est de fide, de ullo præcepto purè humano, illud obligare ad peccatum mortale, v. g., esse obligationem audiendi missam in diebus Dominicis, vel communicandi in paschate, etc. Diximus *purè humano*, quia non loquimur de præceptis apostolicis, nec enim devii disceptant multùm de iis. Probatur facilè 1° quia Ecclesia nullum proponit tanquàm revelatum in verbo Dei. 2° Hoc ipso quod sic humanum est, non est revelatum à Deo; quomodò ergò posset divinâ fide credi? 3° Nequidem revelatum est à Deo, quòd exstet tale præceptum, multò minùs quòd obliget sub peccato mortali. Quis ergò non videt, non esse in verbo Dei : Audienda est missa diebus Dominicis, etc.? Verissimum tamen est et manifestum, 1° exstare talia præcepta humana. 2° Esse potestatem in Ecclesiâ talia ferendi sub obligatione peccati mortalis *mediatè*, ut ostendimus, si ex intentione verè præcipiendi Ecclesia hæc sanciat. 3° Constat ex sensu communi et interpretatione, Ecclesiam habere intentionem verè præcipiendi. Patet itaque *jejunia Ecclesiæ*, v. g., obligare ad peccatum mortale *ex communi interpretatione*. Addit Cajetanus verbo *jejunium*, loquendo de jejunio : « Hoc ergò non audeo ex jure scripto asserere, quia nullibi scio scriptum esse præceptum obligans ad mortale non jejunantem; et propterea quantum est ex jure scripto, nullum cognosco intervenire peccatum mortale, in fractione jejunii Ecclesiæ, si desit contemptus. Aperta falsitas est, inquit Vasquez, disp. 154, cap. 2, in eâ esse opinione, ut observatio jejunii quadragesimalis aliaque pontificia decreta sub reatu culpæ mortalis non obligent. » Et idem de aliis communibus præceptis Ecclesiæ dicendum, confitendi semel in anno, communicandi in paschate, sanctificandi dies festos. Nec possunt adversi probare ullo Scripturæ loco, conciliorum

aut Patrum testimonio, aut ratione, ea quæ præcipiuntur humanis legibus, manere adiaphora seu indifferentia. Nos probavimus contrarium etiam *ex præcepto divino* obediendi præpositis. Quæ porrò, et quot leges, et præcepta humana in specie, seu in particulari, sint verè leges et præcepta et non simplices ordinationes, et instar consiliorum ad nihil obligantes; quæ etiam sint leges *purè pœnales*, id est, obligantes solùm ad pœnam; quæ denique obligantes ad peccatum etiam mortale, ut pendet ex intentione legislatoris; ità colligendum est ex verbis legis, materiâ præcepti, qualitate et similibus, quæ theologi moralis est examinare, non nostri hìc instituti, qui solùm quæ sunt credenda proponimus; quæ autem ità sunt de facto, non possunt esse de fide. Solùm addemus duo, ne conquerantur devii de onere hìnc gravi manente in Catholicos, et propterеà refugiant in ejus castra transire. 1° Quod habet Cajetanus, in Summâ, verbo *Transgressio præcepti* : « Legis ecclesiasticæ intentio est, non injicere laqueos animabus, sed ad ædificationem corporis Christi mystici promovere : et hìnc fit, ut non tàm latè multitudo præceptorum obligantium ad mortale, jure interpretanda sit, ne laqueus multiplicatus contrà animas censeatur. 2° Hìnc etiam fit universalis regula, quòd in iis, quæ sunt positivi juris, si absque contemptu, ex ignorantiâ purâ (id est non crassâ nec supinâ), aut ex apparente sibi excusatione transgressio fiat ab eo qui animum habet nullo pacto consentiendi contrà præceptum obligans ad mortale, non incurritur mortale peccatum, quandò non est intentio piæ ac justæ matris Ecclesiæ bonas ejusmodi animas illaqueare tàm hostili vinculo; et propterеà tales apud Deum non incurrere excommunicationem, seu ut habet Vasquez 1-2, disp. 158, cap. 6, facilè excusantur à mortali transgressores, quandò absque contemptu, ex ignorantiâ non crassâ nec supinâ, aut ex apparente aliquâ ratione et excusatione legem non observant, qui aliàs parati erant ex animo illam observare, si scirent eam tùm obligare. Neque præceptum jejunii, aut audiendi missam ità obligat, ut nulla causa excuset; qui verò bonâ fide putaverit causam similem esse, excusabitur à mortali, ut docet Cajetanus. » Hæc Vasquez. Sed de his pluribus theologi morales, seu casuistæ doctiores.

Dicto consensui faciliori placet adjicere istud : Ingerunt identidem adversi, discordiæ ferendæ causâ, et in odium traducendæ religionis catholicæ, Tridentinum concilium prohibere Catholicis lectionem Scripturæ vulgari idiomate. Sed hæc mera calumnia est; hæc enim, nec aliud habet Tridentinum, sess. 18, titulo, *Decretum de librorum delectu* : « Cùm synodus adverterit, hoc tempore, suspectorum et perniciosorum librorum, quibus doctrina impura continetur, et longè latèque diffunditur, numerum nimis excrevisse; censuit ut delecti ad hanc dispositionem Patres, de censuris librisque, quid facto opus esset diligenter considerarent, atque etiam ad eamdem S. synodum suo tempore referrent, quò faciliùs, ipsa possit varias et peregrinas doctrinas tanquàm zizania à christianæ veritatis tritico separare, deque his commodiùs deliberare et statuere. » Numquid ibi ulla vel levis mentio prohibitionis Bibliorum idiomate vulgari? Nec regula 4 *Indicis* vulgati, quam falsò adscribit Molinæus et alii Tridentino, ex ullo modo Tridentini concilii. Nec unquàm etiam fuit accepta in Galliâ; quarè in eâ non obligat : « Est enim verissimum, inquit benè Vasquez, disp. 56, cap. 5, tunc legem non obligare, quandò non est promulgata, et non recipitur à populo, connivente et consentiente legislatore. Adde quòd in eodem indice habetur regula 6 : libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes non passìm permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari linguâ scriptis, statutum est. » At certissimum est regulam hanc 6, non obligare in Galliâ; ergò nec 4, quanquàm nec illâ quartâ prohibetur absolutè hæc lectio. *Sed judicio*, inquit, *episcopi stetur ut cum consilio parochi, vel confessarii lectionem eis concedere possint, quos intellexerunt indè non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse.* Variant leges humanæ pro conditione locorum et personarum, sed quidquid sit, nihil ad nos, cùm regula illa nec sit concilii, nec promulgata, nec recepta in Galliâ, ac proindè non obligat, nec plures aliæ.

7° Nec etiam ullus obligatur, quòd sit catholicus, legibus ullis confraternitatum, nec eis subscribere, Rosarii, Cinguli S. Francisci, S. Monicæ, Scapularis Carmelitarum, eorumque Bullæ quæ vocatur sabbatina; uno verbo, *nihil horum in professione fidei catholicæ, aut in Tridentino* habetur. Haud ergò propter hæc morentur devii fidei catholicæ subscribere, nec Molinæum audiant toties in hæc blaterantem; sophisten hoc est agere, *fallaciâ ignorationis elenchi.*

§ 7. *De invocatione sanctorum.*

Constanter teneo sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse, eosque orationes pro nobis offerre. Ità habet professio fidei nostræ. Et concilium Tridentinum, sess. 25, fusiùs et explicatiùs : « Mandat S. synodus omnibus docendi munus sustinentibus, ut de sanctorum intercessione et invocatione fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos unà cum Christo regnantes, orationes suas Deo pro hominibus offerre; *bonum* atque utile esse suppliciter eos invocare, et ad beneficia impetranda à Deo per filium ejus Jesum Christum, qui solus noster Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere; illos verò qui negant sanctos æternâ felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatricam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impiè sentire. » Ità concilium. En ergò doctrina fidei, quia à concilio generali proposita.

A contrario sequitur 1° non esse de fide sanctos in cœlo audire preces, quæ illis fiunt à viventibus. Probatur 1° quia nec professio nostra, nec Tridentinum id habet, seu id non proponit, saltem expressè cre-

dendum. 2 Cùm doctissimi theologi concilio interfuerint, nec ignoraverint Protestantes hujus seculi, sanctis hanc cognitionem inficiari; quin et ideò damnare invocationem, quòd beati preces vivorum in terris non audiant, abstinuit nihilominùs synodus, in ipso *decreto de invocatione*, ab hâc definitione, scilicet *sanctos audire preces nostras*. Nonne tale silentium in tali occasione, argumentum etiam positivum videtur, censuisse id non esse de fide? 3° Esto; sequatur necessariò ex eo quòd sunt invocandi, seu *bonum atque utile sit eos invocare;* jam suprà diximus, non esse de fide quæ sequuntur per necessariam consequentiam ex verbo Dei revelato, aut ex propositione ab Ecclesiâ Dei factâ; ergò, licet Ecclesia proposuerit *credendum sanctos esse invocandos*, seu *bonum atque utile esse eos invocare*, et ex illâ propositione sequatur necessariò illos audire; non proptereà eadem Ecclesia proposuit, *fide credendum ipsos audire.* Item licèt in verbo revelato, saltem tradito sit, invocandos esse sanctos, et deindè sequatur *ipsos audire*, non proptereà revelatum est, nec de fide ipsos audire. 4° Quinimò, Augustinus, lib. de Curâ pro mortuis, cap. 16, minimè agnovit, hanc consequentiam esse veram; et quod plus est, dubius videtur fuisse, *an sancti audiunt preces nostras*, qui tamen certus erat, et docet eodem libro, cap. 4, *invocandos esse illos.* Multò minùs probat hanc auditionem *esse de fide* praxis Ecclesiæ, tùm quia ex invocatione non sequitur necessariò auditio precum, ut diximus, tùm quia praxes Ecclesiæ possunt aliquæ fundari in opinione probabili, ut fusiùs relatum. Verum tamen est sanctos de facto audire preces nostras, Deo illas illis revelante, et aliis modis explicatis ab Augustino et Gregorio Magno. Quòd autem dubius fuerit in hâc re Augustinus, indè manavit, quòd dubitaberit an beatorum animæ sint in cœlo, et fruantur clarâ visione Dei ante resurrectionem, seu diem judicii, quod definitum jamdiù fuit ab Ecclesiâ, in concilii Florentini definitione; et quod admittunt adversarii, licèt Calvinus contrarium senserit, Instit. lib. 3, cap. 25, § 6. Idem tamen Augustinus docet, et probat multos sanctos, postquàm cœlo recepti fuerint, et beatâ visione Dei felices fuerint, *videre omnia, etiam undè sunt absentes, cùm Deus erit omnia in omnibus*, lib. 22 de Civit. Dei, cap. 29.

2° Sequitur non esse de fide, sanctos esse mediatores nostros, et non solum Christum. Probatur 1°, quia id non habetur in nostrâ professione, nec in Tridentino. 2° Variant in hoc Patres et doctores nostri, prout diversimodè nomen *mediatoris* accipiunt. Chrysostomus, hom. 7 in Epist. ad Tim., accipit pro eo, qui *ambarum naturarum particeps est, divinæ et humanæ;* Augustinus contrà Parm. lib. 2, cap. 8, accipit pro eo pro quo nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, et sic uterque solum Christum mediatorem esse docet; et optimè alii latiùs pro quolibet mediante vel intercedente, et sic tùm viventes, tùm sanctos in cœlo dicunt esse mediatores pro omnibus pro quibus orant, sicut et Paulus, *in manu mediatoris*, scilicet Moysis, legem esse à Deo datam dicit ad Galat. 3, 19.

3° Mera et impudentissima est calumnia Molinæi, dicentis in novitate, lib. 7, cap. 12 : *In Litaniis dicitur :* Sancte Petre, ora pro nobis; *sed B. Virgini non dicitur :* Sancta Virgo, ora pro nobis, *sicut nec Christo.* Alia autem calumnia : *Qui orant sanctos, non solùm petunt ipsos Deum orare pro nobis; sed creditur S. Nicolaum posse placare mare*, etc. Plenus est his calumniis in omnibus ferè materiis controversis, quò avertat populum à doctrinâ catholicâ. Absit ut hæc fide credamus; imò abominamur. Et, ut ait Augustinus aliâ occasione contrà Faustum Manichæum, lib. 20, cap. 21 : « Alia « est disciplina Christianorum, alia error infirmorum; « et quisquis in errorem dilabitur, corripitur per sa- « nam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur. » Alia subtilior calumnia est ejusdem Molinæi dicentis *jussos* nos invocare sanctos. Falsum id est, ut patet ex relatis ex Tridentino, docente solùm *bonum atque utile esse sanctos invocare*, nullâ mentione præcepti factâ; quanquàm peccaret, qui dubitaret *an licitum sit eos invocare*, et hoc sensu *an sint invocandi*, et proptereà ab invocatione abstineret; quanquàm etiam ex particulari officio teneantur aliqui ex præcepto, v. g., beneficiarii aliquandò recitare Litanias sanctorum.

4° Sequitur non esse de fide, sanctorum canonizationem, seu sanctos quos invocamus, esse sanctos et beatos, v. g., Laurentium, Vincentium, Gervasium, etc., Blasium, Chrysostomum, Ambrosium, Dominicum, Franciscum, etc., iis exceptis qui tales in Scripturâ nobis exhibentur, v. g., Stephano, de quo dictum est, *obdormivit in Domino.* Act. c. 7, v. 59. Probatur 1°, quia id non habetur in professione fidei nostræ, nec in Tridentino. 2° Nihil habetur in verbo revelato, seu scripto sive tradito, ut patet, cùm nati fuerint hi sancti longè post verbum scriptum, et traditiones apostolicas. 3° Quinimò nec de fide est, hos homines exstitisse, multò minùs sanctè vixisse, sicut nec canonizatos fuisse, ut patet; certè hæc omnia sunt quæstiones facti, non juris, ut evidens est. Canonizantur maximè ex miraculis factis post tempora Apostolorum, quorum miraculorum plenæ sunt vitæ sanctorum, tùm in vitâ, tùm post mortem ab eis editorum. At nullum talium miraculorum est revelatum in verbo Dei, proindè nullum est de fide divinâ; quomodò ergò canonizatio ex illis facta, seu judicium Ecclesiæ quòd sint sancti, esset fide divinâ credendum? Nullæ ergò Bullæ canonizationum, quæ ferè omnes sunt romanorum pontificum, et continent quæstionem, seu doctrinam *facti*, scilicet hunc vel illum esse sanctum, facient rem de fide. Ex quo rursùs dicimus, ne quidem *infallibilem esse* in his canonizationibus papam aut concilia etiam generalia. Probatur ex dictis in regulâ fidei, ubi asserimus : *Conveniunt omnes Catholici posse pontificem et generale concilium errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione testimoniisque hominum præcipuè pendent;* et probavimus ex Bellarmino ipso, concedente conc. generale 6 errâsse in damnatione Honorii papæ tanquàm hæretici, ex falsâ informatione; ergò multò magis errare possunt pontifices ex informatione falsâ. Gravissima tamen est auctoritas ex hâc canonizatione, et temerarius omninò foret et plectendus, qui post ta-

lem canonizationem, quæ ex informatione exactissimâ miraculorum et vitæ præteritæ sancti fit, negaret canonizatum illum esse sanctum, aut de eo dubitaret; sicut suprà diximus, gravis esse auctoritatis, quod à pontifice romano ex cathedrâ definitur in doctrinâ, et gravioris, quod definitur ab eo in concilio provinciali, præsertim cùm toti Ecclesiæ proponit aliquid tenendum doctrinam spectans, sicut toti Ecclesiæ proponit in canonizatione, hunc vel illum esse sanctum. Nec propterea non est honestum, invocare sanctum illum, praxisque Ecclesiæ illum invocandi post talem canonizationem, est culpanda, aut est incerta; quia praxes pleræque Ecclesiæ etiam universalis *possunt fundari in opinione solùm probabili;* quantò magis in canonizatione quæ rem reddit certam, v. g., Franciscum esse sanctum et beatum, licitum est, ut utar verbis Tridentini, *bonum atque utile sanctum illum invocare!* Et qui aliundè tenerentur ad invocationem, v. g., beneficiarii ad recitandas aliquandò Litanias sanctorum, tenerentur ad illum invocandum, nec sufficiens foret illis excusandis ab invocatione talis sancti, obtendere non esse de fide, illum esse sanctum; quia praxes et præcepta, etiam ex opinione probabili, possunt manere et habere suam vim ad obligandum.

§ 8. *De Imaginibus.*

Professio fidei nostræ hoc habet, nec aliud : *Firmissimè assero Imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum habendas et retinendas esse; atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam* Et Tridentinum, sess. 25, statuit : Imagines Christi, Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, velut olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos qui exhibetur, refertur ad prototypa quæ illa repræsentant, ut per Imagines quas osculamur et coràm quibus caput aperimus, et procumbimus, Christum adoremus, et sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur, id quod conciliorum, præsertim verò S. 2 Nycænæ synodi decretis contrà Imaginum oppugnatores est sancitum. Quòd si aliquandò historias et narrationes sacræ Scripturæ cùm id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit. » Hæc concilium : undè patet Imaginum cultum esse de fide, quia propositum ab Ecclesiâ universali.

Ità à contrario sequitur 1° non esse de fide, SS. Trinitatis, aut Patris, aut Spiritûs sancti separatìm, Imagines habendas aut retinendas esse, atque eis honorem ac venerationem impertiendam. Probatur 1°, quia non proponitur in professione nostrà, nec in Tridentino, ubi solùm habetur, *si figurari contigerit, doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici vel figuris exprimi possit*, quod longè est aliud à definitione, *eas habendas, et venerationem impertiendam.* Nec praxis frequens in Ecclesiâ, habendi hujusmodi Imagines, et venerandi, seu Deum per eas adorandi, sufficit statuendo articulo fidei; quia, ut dictum est suprà, *non omnes praxes Ecclesiæ etiam universalis sunt sufficientes fundando articulo fidei catholicæ*, sed possunt inniti opinione etiam solùm probabili, ut ibidem demonstravimus. 2° Nec Scriptura, nec traditio apostolica id habet; imò probabile est Deum vetuisse Judæis in Decalago, præcepto illo : *Non facies tibi sculptile*, Exod. 20, 4 : expressiùs verò : *Non vidistis aliquam similitudinem in die, quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti, faceretis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ*, Deut. 4, 15, 5. Licèt in Tridentino fuerint doctissimi theologi, et litis motæ à Protestantibus de quibusvis imaginibus haud ignari, et etiam censuerint doctores aliqui catholici, quos mox referemus, id non esse licitum; tamen abstinuit synodus ab hâc doctrinâ definiendâ, et solùm dixit imagines Christi et Deiparæ Virginis, et aliorum sanctorum in templis præsertim habendas, etc. Nonne silentium Tridentini in tali circumstantiâ videtur testimonium positivum quo probatur, hanc doctrinam excludendam esse à fide? 4° Aliqui Catholici, inquit Vasquez, parte 3, disp. 103, c. 3, Henricus, Abulensis, Durandus, Martinus de Ayalâ, affirmant non licere ullo modo Trinitati, sed solùm Deo in humanitate, quam assumpsit, imaginem effingere. Alia opinio quanquàm non adeò certa est, ut tanquàm fidei dogma sit amplectenda, multò tamen verior mihi videtur, et quæ sine temeritate contrà communem Ecclesiæ usum negari non potest, in universum asserit Trinitatem depingere ex naturâ rei licitum esse, et imaginem Spiritûs sancti in specie columbæ. » Quod probat multis. « Et confirmatur, inquit, usu Ecclesiæ frequentissimo eadem sententia; quæ passìm Romæ et aliis in locis Trinitatis imaginem adorandam (seu venerandam) populo proponit. Quamvis autem concilium Tridentinum eo capite nihil certi statuat et definiat, præcipit tamen ut si quandò historias sacræ Scripturæ contingat describi (intelligit in quibus etiam Deus depingendus est; id quod nec damnat nec tàm seriò, quàm sanctorum hominum et Christi imagines approbat) explicetur populo id non fieri, quia Deitas oculis corporeis videri possit, sed ut indè humano more in cognitionem virtutis ipsius incorporeæ veniamus. » Hæc Vasquez, cui subscribimus.

2° Non solùm non est de fide, sed nequidem certum est Deum non vetuisse Judæis omnem usum Imaginum. « Non pauci auctores, inquit Vasquez, disp. 104, cap. 2, quorum opinio mihi multò probabilior semper visa est, dicunt Judæis non solùm adorationem illam gentilium, quæ naturali jure prohibita est, verùm etiam quemlibet usum imaginum et statuarum, præcepto Dei positivo, Exodi 20, etc., fuisse interdictum. Sententia est Alexandri, Alberti, Bonaventuræ, Richardi, etc. Ex quibus Alexander, Albertus, Bonaventura, Marcilius, Abulensis de imagine Dei solùm dicunt illi populo

omninò vetitam fuisse, cæteri autem absolutè de omni in universum loquuntur. Ex iis autem solus est Abulensis, qui putat jure naturali non esse permissum Dei imaginem effingere; cæteri verò videntur docere solùm antiquâ lege usum illius fuisse sublatum. » Et cap. 6: « Quòd verò circà latera Arcæ duæ figuræ Cherubinorum positæ fuerunt, respondere quis posset cum Catharino, eas omnes figuras seu imagines factas fuisse jussu Dei, qui præcepto suo omninò, aut ex parte derogare potuit; aut respondeo, lege veteri non fuisse vetitam omnem similitudinem, aut effigiem quomodocumque, sed omnem cultum et adorationem ipsius, atque adeò omnem quoque imaginem seu effigiem modo accommodato adorationi erectam aut constitutam; quarè nec Cherubinis, nec aliis figuris in templo factis, aliquem cultum fuisse delatum. Modus autem accommodatus adorationi est, cùm imago depicta aut sculpta est per se, non veluti appendix et additamentum alterius rei, in ornatum illius. »

3° Quod ad cultum spectat, longè longius est à fide, *adorandam esse imaginem* ne quidem Christi, multò minùs sanctorum, quin ne quidem adorationis mentio est in professione nostrâ, aut in Tridentino, nec proindè in Nicæno, quia Tridentinum sequitur illud, nec adorationis meminit. Quòd ergò cultus ille nominetur aliquandò *adoratio*, quæstio est de nomine. Certè populus intelligit *adorationis* nomine *cultum latriæ absolutum;* iste autem sine dubio non redditur, nisi soli Deo, et blasphemum esset illum reddere *ulli* imagini. Cùmque dicimus *nos adorare crucem*, sensus patet ex iis quæ retulimus ex Tridentino, scilicet *per illam quam osculamur, et coràm quâ caput aperimus, et procumbimus, Christum adoramus.*

4° Nec de fide est, cultum delatum imaginibus esse *religiosum :* cùm nec de fide sit, cultum delatum sanctis ipsis, esse religiosum, ut paulò post dicemus.

5° Longè longiùs abest à fide catholicâ, cui calumniosè id adscribit Molinæus et alii, *adorandas latriâ imagines Dei,* et eâdem quâ adoratur Deus, seu *eâdem veneratione cum exemplari imagines honorari.* Probatur 1° quia id non habetur in professione nostrâ, nec in concilio Tridentino aut alio universali. 2° Quia varia sunt placita problematica theologorum, relata à Vasquez, disp. 108, cap. 1, circà hanc quæstionem, seu modum cultûs. « Prima sententia est, inquit, imagines ut terminum proximum et integrum adoratione quâdam ipsis peculiari, quâ exemplar non comprehenditur, adorari, etiamsi in ipsis exemplaria quoque adorentur, eamque adorationem inferiorem et distinctam esse ab adoratione exemplariâ, quam ipsi honorariam appellant. Secunda sententia fatetur cum primâ, quoties imagines per se adorantur ab exemplari divisæ, inferiori quâdam adoratione coli, etiamsi illa propter exemplar tribuatur; cùm verò adorantur per accidens, conjunctæ scilicet prototypo, tanquàm aliquid illius, eâdem adoratione latriæ cum ipso per accidens adorari. Tertia sententia, quam ego veram existimo, est, motum adorationis in imaginem, ità in ejus prototypon et exemplar transire, et utrumque sub eamdem rationem cadere, ut nec solâ cognitione imago per se, sine illo, vel ab eo separata, adorari possit; non solùm quia necesse est propter exemplar, tanquàm propter rationem remotam, sicut legatum propter regem, imaginem coli, sed quia qui imaginem adorat, in eâ quoque et per eam, exemplar ut terminum et materiam proximam adorationis necessariò venerari debet; ità Alexander, Cajetanus, Bonaventura, etc., et hi non solùm docent imaginem cum suo exemplari eodem motu adorationis posse adorari, verùm etiam ipsam per se nisi exemplar contineat et cum eo conjungatur, non esse alicujus venerationis et adorationis capacem, ac proindè non nisi cum exemplari, cum quo integrum et proximum terminum adorationis constituit, esse colendam. » Quam ultimam sententiam fusè probat, cap. 4, 5, 6, conciliis, Patribus et rationibus. Addit, et benè, cap. 11, « eodem modo atque imagines, nomen JESUS, et alias res sacras esse adorandas; » et cap. 12 : « Idem modus in sacramento Eucharistiæ, seu signorum adoratione servandus est. » Et disp. 109, cap. 1 : « Major, inquit, crucem adorari latriâ per accidens; Corduba, adoratione latriæ analogicâ; Durandus solùm adorari rememorativè; Alexander solùm asserit imaginem esse materiam adorationis latriæ. Henricus dicit, imaginem Christi hyperduliæ adoratione esse colendam. » Ità varii variè et sentiunt et loquuntur de modo et specie cultûs imaginum. Tridentinum, ut patet, se ab iis omnibus abstrahit, seu silet, dùm prudenter, nec aliud docet, *eis debitum honorem et venerationem impertiendam.* Quarè nihil prædictorum est de fide; proindè intrà septa scholastica sola contineantur; nulli horum subscribere, quò Catholicus sis, teneris. Subscribe Tridentino, et sufficit.

6° Hâc secretione factâ, Daillæum Catholicum esse in cultu imaginum, apertè demonstrari potest.

§ 9. *De Reliquiis sanctorum, et earum veneratione.*

Professio nostra hæc habet : *Constanter teneo sanctorum Reliquias esse venerandas,* nec aliud. Tridentinum, sess. 25 : « Mandat synodus episcopis et cæteris, ut de reliquiarum sanctorum honore fideles instruant, docentes eos sanctorum martyrum et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, et templum Spiritûs sancti, 1 Cor 3, v. 17, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, à fidelibus veneranda esse; per quæ multa beneficia à Deo hominibus præstantur; ità ut affirmantes sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta, à fidelibus inutiliter venerari, omninò damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, et nunc etiam damnat Ecclesia. » Hæc ibi, nec plura. Quarè ut hæc sunt fide credenda, quia proposita à concilio universali, ità à contrario non sunt de fide, quia non proposita à concilio, sicut suprà diximus de imaginibus : 1° Adorandas esse Reliquias, ne quidem Christi, multò minùs B. Virginis, aut sanctorum. 2° Nec de fide esse, venerandas esse cultu, qui sit et dicatur *religiosus*, potiùs quàm duliæ, observantiæ, aut alio speciali nomine.

3° Longè etiam abesse à fide eas eâdem veneratione cum exemplari honorari, non autem aliâ, sicut nec venerationem istam esse, aut vocandam esse *per se*, vel *per accidens*, *venerationem analogicam secundariam*, etc., sicut diximus de imaginum veneratione. Probatur 1°, quia nihil illorum determinatè, vel in specie, habetur in Tridentino, nec in professione nostrâ. 2° Quia varia sunt placita problematica theologorum in his quæstionibus, relata à Vasquez, parte 3, disp. 113, ubi rectè, cap. 2 : « Eodem prorsùs modo de Reliquiis, atque de imaginibus universìm esse dicendum ; eas videlicet secundùm se honorari non posse, sed solùm conjunctas cogitatione cum eo cujus reliquæ sunt, eum in ipsis apprehendendo, sicut imagines sine exemplari venerari nullo modo licet : » quod fusissimè probat, præsertìm « quia res inanimæ, quales sunt Reliquiæ, secundùm se non sunt capaces contumeliæ; ergò nec honoris, » etc. Affirmant nihilominùs aliqui, Reliquiis secundùm se, sine eo cujus sunt, cultum posse deferri animo; nullum alium modum eas colendi constituunt. Alii verò non nisi conjunctas colunt, etc., ut suprà de imaginibus. Eamdem esse rationem cultûs Reliquiarum et imaginum suprà jam ostendimus. Missa hæc omnia faciamus, tanquàm extrà septa fidei.

2° Longè longiùs abest à fide has vel illas Reliquias, quæ in hoc vel illo templo *coluntur*, esse hujus vel illius sancti, cujus tanquàm Reliquiæ proponuntur colendæ. Probatur 1°, quia nihil horum habetur in professione nostrâ, aut Tridentino. 2° Quia sunt quæstiones facti, ex informatione aut aliis capitibus pendentes. *In controversiis autem facti particularibus, quæ ex informatione testimonii hominum præcipuè pendent*, etiam *Papam et concilium generale posse errare, conveniunt omnes Catholici;* multò magis Ecclesiæ particulares falli in his possunt. 3° Diximus *praxes Ecclesiæ etiam universalis*, quandoque posse fundari in opinione solùm probabili; quantò magis praxes particulares hujus vel illius Ecclesiæ, has vel illas Reliquias proponentis publicè colendas, et de facto colentis? et cùm regula praxeos sit prudens judicium, sufficit honestando cultui hujus vel illius Reliquiæ, quòd prudenter ex variis testimoniis seu probationibus judicetur esse Reliquiam hujus vel illius Sancti, et si contingeret de facto non esse illius, aut nullius, nihil propterеà decederet sanctitati cultûs illius particularis, ut suprà dictum de canonizatione sanctorum. Et benè Vasquez, disp. 112, c. 8 : « Quòd apud aliquos incertæ aliquandò Reliquiæ sint, non obest quominùs eas, quas humanis conjecturis, et rationibus certas habemus, reverenter colere debeamus. Itaque, si quis putans aliquam esse particulam sancti, quæ reverà non est, merito suæ devotionis non caret. Ut tamen publicè colendæ proponantur, prudens diligentia adhiberi debet, eaque major, quàm cùm privatìm, quod licitum est, eas deferimus et colimus. » Placet et illud aliud addere ex eodem doctore, disp. 113, cap. 4 : « Qui Rosariis et aliis rebus pretiosis, Reliquias Christi aut martyrum tangunt, et secum servant, non debent existimare ex contactu illo virtutem aliquam aut excellentiam, imò nec corporalem, in res ipsas ex Reliquiis derivari, sed indè manare respectum rationis ad ipsas, ratione cujus memoriam ipsius Christi et sanctorum in nobis excitant, et ad eorum venerationem affectum movent, atque hâc solâ ratione non superstitiosum, sed pietatis et christiani cultûs opus censeri debet. »

Hâc secretione factâ, patet, 1° inaniter blaterare Molinæum in Reliquias varias, quas non esse sanctorum, quorum habentur, inimicè more suo disputat. 2° Consentire Daillæum in cultu Reliquiarum, ut suprà ostendimus.

§ 10. *De cultu et honore sanctorum.*

Professio nostra habet : *Constanter teneo sanctos unà cum Christo regnandos esse.* Et Tridentinum, sess. 25 : *Christum adoramus et sanctos veneramur;* nec plura. Quarè sequitur non esse de fide, honorem illum esse, et vocandum *religiosum*, seu quovis alio specifico nomine. Probatur 1°, quia nihil horum habetur in professione nostrâ, et Trid. 2° Quia variæ sunt doctorum sententiæ, quas fusè refert Vasquez et excutit, part. 3, disp. 98, 99, 130. « Marsilius existimat, inquit, disp. 98, cap. 1, eamdem virtutem reipsâ esse latriam, quam dixit versari circà cultum Dei, et duliam circà cultum et honorem sanctorum, solùm autem differre per diversa connotata. Vera tamen sententia est duliam peculiarem esse virtutem, à latriâ, aut religione distinctam, quâ sancto cultum exhibemus. Atque adeò religionem circà cultum solius Dei versari; sic tradunt Albert., Durand., Bonavent., etc. An verò sit una et eadem virtus, quæ sanctis et omnibus in dignitate civili constitutis honorem adhibet, non satis convenit inter doctores. Aliqui videntur sentire, unam et eamdem esse virtutem; sic Bonavent., Albert., Gab. » Quæ breviùs alibi diximus et deduximus.

Hâc secretione patet, Protestantes non dissentire nec posse dissentire à doctrinâ catholicâ; nec enim venerationem omnem negant sanctis debitam in cœlis, cùm hominibus piè viventibus agnoscant reddendam, et reddant in terris. Quin et Drelincurtius libello hâc de re scripto honorem religiosum B. Virgini deferendum sentiat. Plus ergò credit quàm opus sit, quò sit in hâc materiâ Catholicus.

§ 11. *De Christi præsentiâ in Eucharistiâ.*

Ità habetur in professione fidei nostræ : *Profiteor in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, et substantialiter, corpus et sanguinem, unà cum animâ et divinitate Domini nostri Jesu Christi.* Et in Trid. sess. 13, can. 1 : « Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ sacramento (seu sub specie rerum sensibilium, ut exprimit in illius cap. 1, *mox referam*) contineri verè, realiter, et substantialiter corpus et sanguinem unà cum animâ et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proindè totum Christum, sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel figurâ aut virtute, anathema sit. « Et ibidem, cap. 1, cùm dixisset : « Principio docet sancta synodus, in Eucharistiæ sacramento, Christum verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium (panis et vini) contineri, » addit et

docet : « Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat juxtà modum existendi naturalem, et ut multis nihilominùs aliis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cogitatione per fidem illustratâ, assequi possumus, et constantissimè credere debemus. » Hæc ibi concilium.

Quarè realis præsentia ità expressa, id est, *sacramentaliter*, sub speciebus, est de fide; quippè proposita est ab universali concilio; sed nihil aliud est de fide, nec aliter de realitate istius præsentiæ, quia nihil aliud propositum à concilio. Itaque hæc dicamus, facilitandæ deviis doctrinæ fidei nostræ in hâc omnium gravissimâ materiâ, et captu difficillimâ.

1° Cùm Paulus dicat, 1 Cor. 15, 4, de corporibus gloriosis in resurrectione : *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale; si est corpus animale, est et spirituale, sicut scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non priùs quod spiritale est, sed quod animale.* Corpus Christi sub symbolis Eucharistiæ potest dici corpus *spirituale*, et *non corpus animale*, et ipsemet ibi existens, potest dici *spiritus* vivificans, et *non in animam viventem.* 1° Patet ex se, ex Paulo. 2° « Christi corpus est in parvâ quantitate, totum in toto, et totum in quâvis parte, ac si esset Spiritus, » inquit benè Vasquez, part. 3, disp. 187, cap. 2. Hinc Cyrillus Hieros. Cat. 5, vocat *spiritualem victimam*, quam offert sacerdos in liturgiâ, Christum.

2° Non solùm corpus Christi sub symbolis potest dici *spirituale*, et ipsemet Christi *Spiritus*, sed etiam sub symboli *spirituali modo*, seu *spiritualiter*, et *non animali, nec corporali modo*, seu *corporaliter*, seu *carnaliter*. Probatur 1°, quia est ibi ad modum spiritûs multipliciter; scilicet sicut Angelus est hìc vel ibi invisibilis, impatibilis; et totus in toto, et totus in quâlibet parte; est enim indivisibilis, et non frangibilis; ità corpus Christi, seu Christus, est sub symbolis *invisibilis, impatibilis, et totus in toto, et totus sub quâlibet parte*, quia ibi est indivisibilis, et non frangibilis. Modus verò existendi corporalis, seu corporaliter, et carnaliter existere, est existere visibiliter, patibiliter secundùm extensionem ad totum, seu totum in toto, et partem in parte, et frangibiliter; ergò corpus Christi, seu Christus, est in symbolis *spiritali modo seu spiritualiter*, et *non corporali* seu *carnali, nec corporaliter, seu carnaliter* in dicto sensu. Probatur 2° : horret animus dicere Christum esse natum de Virgine Matre, *carnali modo*, seu *carnaliter*, licèt verè ex eâ natus sit. Cur non et negabimus Christum esse sub speciebus carnaliter, licèt verè sub illis sit? Probatur 3° : Trident. profitetur, sess. 13, cap. 1, « Christum semper ad dexteram Patris in cœlis assidere, juxtà modum existendi naturalem, et multis nihilominùs aliis in locis sacramentaliter præsentem nobis suâ substantiâ adesse, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus, et constantissimè credere debemus. » Cur non et profitebimur « Christum semper ad dexteram Patris in cœlis assidere juxtà modum existendi corporalem, carnalem, corporaliter, carnaliter? Hæc enim naturalem illum modum existendi sequuntur, » et multis nihilominùs aliis in locis spiritualiter præsentem suâ substantiâ nobis adesse eâ existendi ratione, etc.?

3° Totum quod diximus de corpore *spirituali* et modo illo *spirituali* existendi sub speciebus, potest etiam ob id dici de receptione et manducatione, scilicet *Christum manducari*, ut sacramentaliter ex concilio, ità *spiritualiter, et spiritali modo, et* non *carnaliter*, seu *carnali modo*, ore tamen corporis. Patent hæc ex se ex dictis, et applicari hìc facilè possunt. Manducare corporali modo et carnali, seu *corporaliter et carnaliter*, est manducare ad modum, quo manducamus carnes alias, scilicet masticando, et dividendo carnem in ore, palato gustando ejus saporem, etc. Non sic manducamus Christum; ergò nec *corporaliter*, nec *carnaliter*, nec *corporali et carnali modo, sed spiritali et spiritualiter.* Adde etiam effectum manducationis *corporalis* et *corporaliter*, esse nutritionem corporis; at verò effectum manducationis Christi esse *gratiam per modum refectionis animæ*, id est, vegetantem et roborantem animam, in operationibus vitæ spiritalis, et sic esse *refectionem et nutritionem animæ nostræ, quæ est spiritus;* ergò etiam indè, scilicet ex effectu, potest dici *manducatio spiritalis et non corporalis*, seu non *carnalis*, seu non carnaliter et corporaliter in dicto sensu. Sed redeamus ad corpus sub speciebus.

4° *Non est de fide*, imò falsum est, corpus Christi contentum sub symbolis, esse aut dicendum esse *sedens, jacens, rectum, æquale, aut inæquale alteri corpori vel loco, aut sibi ipsi sedenti in cœlo, aut ità grande, crassum, longum, latum sicut in cruce;* aut *esse in symbolis*, seu *contineri in illis tanquàm in loco.* Et ne quidem de fide est, esse quantum sub symbolis, aut habere suam quantitatem. Probatur 1° quia nihil horum habetur in professione nostrâ aut in Tridentino. 2° Positivè ex verbis allatis Tridentini, cap. 1, scilicet Christi corpus sub speciebus, *esse præsens quidem suâ substantiâ*, sed *sacramentaliter solùm*, nec *juxtà modum existendi naturalem*, neutiquàm juxtà modum existendi sacramentaliter. Ergò. Probatur, 3°, quia spiritus, v. g., Angelus præsens suâ substantiâ alicubi, aut anima nostra præsens corpori, non est *sedens, jacens, æqualis aut inæqualis loco vel corpori*, nec *proindè est ibi commensuratus loco vel corpori.* At Corpus Christi, seu Christus sub speciebus est, et dici potest esse *spiritus*, ut diximus; ergò nec illi quidquam supradictorum convenit.

5° Probatur et explicatur ex Vasquez, part. 3, disp. 187, cap. 2 : « Inter alias proprietates quantitatis, hæc tanquàm præcipua recensetur, ut secundùm illam, unumquodque æquale vel inæquale dicatur, quod sanè provenit ex quantitate, quatenùs habet modum illum seu proprietatem, siquidem ratione illius subditur mensuræ, sine quâ æquale et inæquale nihil dicitur. Licèt verò quantitas Christi, secundùm essentiam et modum ipsius sit cum Christo in cœlo, nihilominùs in Eucharistiâ solùm est secundùm es-

sentiam, non autem secundùm modum. Hinc ea quæ sunt in Christo aut alio corpore absolutè sine respectu, aut sine proximo fundamento hujus respectûs ad locum, ubique cum illo debent esse; ea verò quæ proximè habent ordinem ad locum, qualis est modus ille, aut sunt fundamentum existendi in loco, qualis est passio quantitatis, secundùm quam res æquales et inæquales loco contineri et circumscribi dicuntur, non item; et hâc ratione, cùm Christus retineat in Eucharistiâ quantitatis essentiam, quæ est absoluta à loco, tamen modum illum quantitatis, secundùm quem æquatur et continetur à loco Eucharistia, non habet. » Hæc ibi Vasquez qui indè benè explicat, quo pacto corpus Christi cùm sit quantum, non occupet locum, et intrà parvam quantitatem specierum panis esse possit totum in toto, et totum in quâlibet parte, quia non habet dictum modum quantitatis, et est ibi sicut *spiritus*, seu *Angelus et anima*, quæ est tota in toto corpore, et tota in quâlibet parte ejus. Ex dictis saltem patet, quod sufficit nobis, nihil prædictorum esse de fide. Quin imò refert ibidem Vasquez, cap. 1, quosdam theologos docere, *Corpus Christi in Eucharistiâ non esse quantum*, licèt suam habeat quantitatem, et alios etiam docuisse *esse ibi sine quantitate suâ;* quæ falsa quidem sunt, sed sufficiunt ad probandum nihil prædictorum esse de fide; id est, non esse de fide, Christi Corpus sub speciebus, *esse jacens*, *æquale*, *grande*, crassum, longum, latum, sicut in cruce, etc., cùm hæc omnia sequantur quantitatem, et modum ejus supradictum. Sanè sumpto saltem termino, *lati*, *longi*, *grossi*, ut populi communiter concipiunt, pro habente extensionem in ordine ad locum, quis non videt Christi corpus sub speciebus, nec esse grande, nec latum, aut saltem nihil horum esse de fide? Quarè frustrà blaterant adversi de combustione hostiæ, etc., de quibus Vasquez, disp. 191, v. g., si comburatur hostia, aut pedibus conculcetur, non propterea quidquam pœnæ patitur corpus Christi, nec comburitur, nec pedibus calcatur, licèt sub symbolis contineatur; sicut nec ex eo quòd divinitas sit ubique substantialiter præsens, sequitur cùm quid comburitur aut calcatur, divinitatem comburi, aut pedibus calcari. Item ex eo quòd divinitas sit in pane, quem mus aut canis comedit, non sequitur divinitatem manducari à mure aut cane; ità nec ex eo quòd fortè mus aut canis rodat aut manducet hostiam seu symbola, et symbola manducentur, sequitur eos manducare corpus Christi. Et sicut non est indignum divinitatem esse præsentem substantialiter in mure, cane, imò et luto et sordibus, ità nec corpus Christi esse in tali casu comestionis seu corrosionis symbolorum, præsens substantialiter muri aut cani, et ventri eorum, transmissione per guttur symbolorum; sicut etiam proportione servatâ, nec est indignum esse substantialiter præsens in pixide, altari aut arcâ inanimatis. Et sicut ista non manducant corpus, licèt contineant, ità nec canis dicendus foret manducare propriè corpus Christi, licèt manducaret symbola, et per illa sit præsentia substantialis, sicut est in ventre et omnibus rebus præsentia divinitatis substantialis; manducatur enim ab homine corpus Christi, quia recipitur ut signum, seu ut causa gratiæ; quomodò non est in pixide, nec foret in ventre canis; quarè à cane non dicendum foret *propriè* manducari, ut manducatur ab homine; nec mirum etiam adversariis, si canis manducet frustum panis cœnæ ipsorum, non propterea manducat sacramentum, quia non manducat quà signum est. Imaginatio nescio quem horrorem facessit in his conspiciendis. Sed missa hæc omnia, cùm sint extrà fidem, quia extrà Confessionem nostram et Tridentinum sunt, facienda.

6° Idem Vasquez, disp. 190, refert aliquos theologos docere, *Christum esse in hoc sacramento tanquàm in loco per se;* alios Christum in hoc sacramento non esse tanquàm in loco, neque habere proprium *ubi* et distantiam, sicut nec Angelus, cùm est præsens alicui corpori, in quo est, seu loquitur, quod ipse probabilius existimat.

7° Extrà fidem, et intrà septa scholastica confitendæ sunt hæ aliæ quæstiones : 1° An Christus prout existens in hoc sacramento, videri possit ab oculo corporeo, non naturali sed supernaturali virtute? Affirmat Vasquez et probat, neque agere, neque pati posse corpus Christi, prout est in hoc sacramento, corporeâ actione, neque passione. 2° An existentia corporis Christi in sacramento « pendeat ab existentiâ naturali extrà sacramentum. » Et : « An quæcumque imprimuntur corpori Christi extrà sacramentum, necessariò comitentur ipsum in sacramento. » De quo disp. 192, cap. 3, longiùs amandandum, « an corpus Christi possit esse simul in pluribus locis visibili modo et secundùm extensionem, seu circumscriptivè; » c. 4, et adhuc longiùs, « an aliud corpus à Christo possit esse in diversis locis simul, idque non tantùm invisibili modo *et definitivè*, sed etiam secundùm extensionem, » de quo disp. 189, in quo censet nequidem corpus Christi, posse esse « in diversis locis simul secundùm extensionem, etc. »

8° Longè longius est à fide, imò falsum puto, *Christi corpus produci de novo aut conservari* in Eucharistiâ per consecrationem, quod jamdiù productum fuerit in utero Virginis, et conservetur æternum in cœlis; falsum etiam quòd eò adducatur, falsissimum quòd descendat è cœlo ad altare, quasi relinquens cœlum et transiens per medium aerem. Commenta hæc tamen ferè omnia deludendis populis, ministri falsò doctrinæ fidei catholicæ adscribunt; quæque theologi aliquot in his materiis tenent, solùm ut *opinionem probabilem*, fidei Ecclesiæ catholicæ, ut cui soli subscribere sufficit, hallucinati aut potiùs malitiosè imponunt ministri, secessioni, ex quâ vivunt, fovendæ in damnum maximum animarum, et pacis Ecclesiæ ac imperii. Solùm dicimus corpus Christi *esse præsens sub symbolis*, virtute divinâ; quia *impossibile est mentiri Deum*. Hebr. 6, 18, seu, ut utamur termino Confessionis deviorum, art. 16, *fit hoc virtute secretâ et incomprehensibili Spiritu Dei*, seu per ejus omnipotentiam.

9° Secretione hâc factâ, vix est difficultas ulla, vel ad speciem, quâ moti dissideant à nobis adversi : quia habet articulus 26 Confessionis eorum : « Credimus quòd virtute secretâ et incomprehensibili nutrit nos et vivificat substantiâ corporis sui. » Si substantiam hanc

præsentem animæ substantialiter, quod necessarium est nutritioni quocumque modo fiat etiam per fidem, tenent indubitanter; quid præpedit eam cognoscere sub symbolis et corpori nostro? Præsertim cùm ex eo quòd anima nostra sit præsens corpori nostro, substantia Corporis Christi nequeat esse verè præsens animæ nostræ, quin sit et corpori. Et pares sunt tùm numero, tùm pondere utriusque præsentiæ substantialis, seu substantiæ, difficultates solvendæ, si momentis suis æquè eodemque pondere exactè librentur. Sed utcumque sit, « Lutheranorum opinio, inquit Daillæus Apol. cap. 7, qui statuunt corpus Domini esse realiter præsens in pane Eucharistiæ, nullum habet venenum, non præjudicat pietati. » Et : « Non præjudicat eorum saluti, et multò minùs nostræ. » Utquid ergò tot turbas excitant? cur non credunt quod creditum ab ipsis *non præjudicaret eorum saluti*, ex eorum principiis, non creditum autem devolvit eos ad tartara, ex nostris principiis? Quod securius est amplectantur; Daillæo præsertim ipso generaliter pronuntiante, epist. ad Monglatium, credentem posse suam operari salutem in Ecclesiâ romanâ, et tamen viventem extrà ejus communionem nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse. » At ex eodem Daillæo possunt suam operari salutem, credentes *corpus Domini esse realiter* præsens sub symbolis Eucharisticis seu hoc credere non *præjudicat* eorum saluti; credant ergò.

§ 12. *De Transubstantiatione.*

De hâc ità professio nostra: *Profiteor in SS. Eucharistiæ sacramento fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem; quam conversionem catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat.* Et Trident. sess. 13, can. 2 : « Si quit dixeris in sacrosancto Eucharistiæ sacramento, remanere substantiam panis et vini unà cum corpore et sanguine Christi, negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat, anathema sit. » Et cap. 3, quod inscribitur, *de Transubstantiatione :* « Quoniam Christus corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum in Ecclesiâ Dei semper fuit, idque nunc denuò S. hæc synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiæ panis, in substantiam corporis Christi, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter et propriè à sanctâ catholicâ Ecclesiâ Transubstantiatio est appellata. Hæc ibi concilium, nec plura. Quarè ut hæc sunt de fide, quia hæc sunt in professione nostrâ, hæc proposita à concilio generali; ità à contrario, nulla alia doctrina de Transubstantiatione est de fide catholicâ, quia nec in professione nostrâ, nec in concilio Tridentino, aut alio generali, licèt fovendæ discissioni, ex quâ vivunt, frequentissimè varias, et plerasque partim valdè exosas populis, partim blasphemas fidei catholicæ dascribant ministri et imponant. Explicatiùs hæc dicamus. Quarè 1°, *non est de fide*, imò blasphemum, in hoc mysterio transubstantiari panem in corpus Christi, sicut panem quem comedimus transubstantiatur in corpus nostrum; aut *per transubstantiationem fieri, ut materia panis incipiat esse sub formâ corporis Christi*, sicut cùm panem comedimus, materia panis per nutritionem incipit esse sub formâ corporis nostri. Probatur 1°, quia non habetur id in Tridentino; imò contrarium; si enim id fieret, non fieret conversio totius substantiæ panis in corpus Christi; sed materia illius duntaxat transmutaretur, sicut in nutritione nostrâ ordinariè fit. 2° Quia si ità esset, Christus esset corruptibilis, augeretur, minueretur, ut fit cùm panem comedimus, et mutatur in corpus nostrum. 2° Nec de fide est, *Transubstantiationem fieri ex eo, quòd de novo producatur corpus Christi, aut conservetur :* etiam suprà diximus corpus Christi in Eucharistiâ nec produci de novo, nec conservari de novo; *aut saltem per illum modum substantialem aut accidentalem produci*, quæ productio, conservatio, aut modus substantialis, aut accidentalis, aut per quæ sit incomposssibile corpus Christi, aut sanguis cum substantiâ panis, aut vini, et per illam incompossibilitatem eam expellat, sicque et hâc ratione Transubstantiatio fiat. Imò Corpus Christi, et substantia panis, non sunt ex se incompossibiles.

Probatur 1°, quia nihil horum habetur in professione nostrâ, aut Tridentino. 2° Quia Vasquez et cum eo plurimi, falsa esse hæc omnia et singula variorum scholasticorum placita demonstrat. Falsum, inquam, esse multis probat, disp. 181, cap. 3 : « Transubstantiationem formaliter esse actionem, per quam modus aliquis substantialis producatur. » Et cap. 4 et 5 : « Transubstantiationem esse conversionem ipsius Christi, seu productionem novam. » Et cap. 5 : « Transubstantiationem esse novam *conversionem* Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistiâ. » Et cap. 9, « Prædictum modum conversionis, cum supervacaneum esse ex veritate verborum consecrationis, et ex fine sacramenti ostenditur. » Quæ sit horum opinionum verior, quanquàm falsas has omnes esse arbitremur cum doctissimo Vasquez, non est nostrum hìc discutere; sufficit indè probari, longè hæc esse à fide, ex doctorum omnium nostrorum sententiâ, quorum nec unus somniavit aliquid horum esse de fide. Quàm ergo calumniosè ministri hæc et similia fidei catholicæ imponunt!

3° Nec est de fide, *panem et vinum per consecrationem annihilari.* Probatur 1° quia neutrum habetur in Tridentino. 2° Controversia vocum et non rerum est, inquit benè Vasquez, disp. 183, cap. 1; qui addit : Nonnulli scholastici veram Transubstantiationem concedentes, docent panem et vinum, quæ dicuntur converti, ità desinere, ut verè annihilentur; in hâc sententiâ est Scotus, Okam, Gabriel, Major, qui inquit : « Neque de hâc re nimiùm contendendum est, sed unicuique liberum relinqui debet, hoc aut illo modo loqui. » — « Perantiqua tamen, habet Vasquez, cap. 2, scholasticorum sententia, quam libenter amplector, est dici non posse panem et vinum in hoc sacramento annihilari. » In cujus probatione fusus est, cap. 2 et 3.

4° Longè longiùs à fide sunt hæ aliæ quæstiones, quia etiam sunt extrà Transubstantiationem particularem in Christi corpus de quâ solâ agimus, propositæ et discussæ à Vasquez, qui hæc habet : Primò, disp. 82, « an corpus Christi præsens fieri potuerit huic sacramento absque conversione panis in ipsum , variæ sunt scholasticorum sententiæ » quas fusè refert. 2°, disp. 184 , an quælibet res in quamlibet aliam converti possit, variæ scholasticorum sententiæ. Probatur ex regulis datis nihil horum esse de fide.

5° Quid ergò est, et in quo consistit hæc Transubstantiatio? Non discedendum à verbis Trid. cap. 4, citatis, et ibi hærendum, *nec sapiendum plus quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Addam tamen quæ conformiter huic capiti habet Vasquez, non quòd statuamus quæ infert de fide esse; sed sufficit, quò quis sit Catholicus, Transubstantiationi hoc modo, aliis si placet refutatis, acquiescere : porrò facillimum erit cuivis subscribere; nullam enim prorsùs difficultatem habet doctrina Transubstantiationis sic doctè explicatæ : « Explosis, inquit, disp. illà 18, cap. 11, aliorum opinionibus, superest, ut nostram sententiam, quam antiquorum scholasticorum sine controversiâ esse censemus, in medium proferamus. »

« Ea verò est, rationem formalem Transubtantiationis, neque esse mutationem, neque productionem alicujus rei, sed relationem quamdam ordinis, inter substantiam quæ desinit, et eam in quam desinire dicitur, ex quo fit, ut hæc conversio seu Transubstantiatio, nulli alii mutationi aut actioni omninò assimiletur. » Et cap. 12 : « Memorandum quod suprà diximus, talem esse significationem verborum consecrationis, ut vi significationis ipsorum, non solùm fiat corpus et sanguis Christi præsens reipsâ sub speciebus, sed etiam desinat substantia panis et vini; quia cùm sint à Christo instituta, et nomine illius proferantur, vera esse debent; vera autem esse non possunt, nisi efficiant corpus et sanguinem Christi præsentem sub speciebus, et destruant panem. Potuit adductio corporis Christi, et desitio panis à Christo fieri aliâ formâ verborum, cujus alterâ parte significaretur præsentia corporis et sanguinis Christi, altera verò desitio panis et vini, etsi Christus aut Sacerdos nomine Christi diceret: *Hic sit corpus meum et ampliùs non sit panis;* vel contrà: *Hic non sit panis, et sit corpus meum;* et de sanguine similiter. Quamvis autem tunc idem effectus fieret, qui nunc fit, quod attinet ad desitionem panis, et præsentiam corporis et sanguinis Christi, tamen non fieret eodem modo; neque enim tunc Christus aut sacerdos diceretur, adducendo corpus Christi, destruere panem, aut destruendo panem, adducere corpus Christi; sed diceretur simul adducere et destruere; quia eodem modo desitio et adductio in re ipsâ se haberent, sicut etiam in significatione verborum, in significatione autem ità se haberent, ut significatio unius, non esset causa significationis alterius; neque ad suam veritatem illam ut quid consequens necessariò, postulant, sed simul tantùm se invicem comitarentur, et per accidens seu comitanter, ut dicitur, se haberent, sicut in eâ formâ verborum apparet; at verò in formâ quâ nunc utimur ad consecrandum, illa duo sic se habent, ut unum tantùm significetur, nempè corpus, aut sanguis Christi præsens (neque enim verba consecrationis significant desitionem panis et vini, ut patet), ità tamen ut vera significatio corporis et sanguinis Christi præsentis, necessariò postulet desitionem panis et vini, ac proindè desitio necessariò consequatur corpus Christi præsens, prout illis verbis significatur; quo fit ut sacerdos utens illis verbis, verè dicatur efficere præsens corpus et sanguinem Christi, et ipso corpore præsente verè significato destruere panem. »

Nam docet benè idem, disp. 180, cap. 4 : « Accidentia primariè saltem indicant propriam substantiam quandiù ibi est, non autem alienam, et ità ostendens quodlibet corpus in quo Deus reipsà est, nemo verè enuntiare potest : *Hoc est Deus;* et si Angelus esset in aliquo corpore, nemo ostendens corpus illud verè et propriè dicere posset: *Hoc est Deus; hoc est Angelus;* sed ut verè enuntiet, dicere debet : *Hic est Angelus, et hic est Deus;* hoc est, in hoc loco aut corpore. Cùm enim pronomen *hoc* demonstrativum, directum ad accidentia quæ sentiuntur, non demonstret illa, sed substantiam sub illis, et propria hæc substantia primariè, imò solùm demonstretur; efficitur ut præsente propriâ substantiâ aliena nequeat demonstrari. E contrario verò si propria substantia sub accidentibus suis non sit, sed aliena, rectè etiam, imò necessariò, aliena demonstratur. Cùm igitur Christus, postquàm accepit panem, verè enuntiaverit illud, quod sub speciebus offerebat, esse corpus suum; et accepto calice cum vino, illud quod sub speciebus illis offerebat, esse sanguinem suum, neque verè hæc verba enuntiare potuerit de ipsâ substantiâ panis et vini, ut patet, neque de suo corpore et sanguine naturali, si cum substantiâ panis et vini sub propriis accidentibus illis simul manerent, ut probatum est, necessariò fieri debuit, ut substantia panis et vini desineret, et sola substantia corporis et sanguinis Christi sub illis accidentibus maneret. Prædicta ratio, quod attinet ad destructionem substantiæ panis et vini, de quâ hìc solùm disserimus (nam de præsentiâ reali satis diximus), efficacissima est. » Uno verbo, transubstantiatio nihil addit præsentiæ corporis Christi, *nisi desitionem panis* virtute significationis verborum, seu quò verba Christi sint vera, et nomine transubstantiationis, nihil aliud est intelligendum, ut patet ex dictis. « Conversio formaliter, inquit Vasquez, disp. 181, cap. 12, est denominatio quædam ordinis, in eo quod desinit relatæ ad id, quod fuit causa desitionis in hoc sacramento, *quò verba sint vera;* et nihil aliud esse potest præter denominationem ordinis, et quidem extrinsecam et solius rationis, seu præter relationem et quidem non realem, » sed rationis solius. Saltem certissimum est, tenere sic transubstantiationem, sufficere quò sis Catholicus, quidquid sit de variis opinionibus quorumdam Scholasticorum rejectis à nobis suprà. — Rogamus te, quæ difficultas, posito quòd credatur *Corpus Christi realiter esse præsens in pane*, seu sub symbolis *Eucharistiæ*, credendi Transubstantiationem hanc ? nulla sanè.

6° Aut saltem doctrina Transubstantiationis sic exposita, non est legitima causa secessionis, seu posito ex Daillæo, Apol. cap. 7, quòd credere « Corpus Domini esse præsens in pane Eucharistiæ, nullum habeat venenum, nec præjudicet pietati, nec saluti ne quidem credentis id, dicendum certò Transubstantiationem nullum continere venenum, nec præjudicare pietati seu saluti credentis illam ; » cùm ipsa nihil addat reipsà præsentiæ nisi *desitionem panis*, quò verba Christi sint vera; quæ desitio non potest, nisi ab emotæ mentis homine censeri *præjudicare pietati* seu *saluti*, posito quòd credere præsentiam illam non *præjudicet*. Undè rursùs ex alio Daillæi principio suprà relato sequitur: *Nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui non credit transubstantiationem ut jam explicatam.

§ 15. *De adoratione Eucharistiæ.*

Professio nostra nihil habet distinctè de hàc adoratione, quod sequatur ex præsentiâ Christi sub symbolis. Tridentinum autem de eà expressè sic sess. 13, can. 6: « Si quis dixerit in sancto Eucharistiæ sacramento Christum non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, ideòque nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundùm laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publicè, ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras, anathema sit. » Et cap. 5, postquàm, cap. 3, assertum est, « verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem, sub panis et vini specie, unà cum ipsius animâ et divinitate, existere; » et Transubstantiatione, cap. 4, stabilitâ, docet inferendo, cap. 5: « Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles, pro more in Ecclesià catholicà semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideò minùs est adorandum, quòd fuerit à Christo Domino ut sumatur institutum; nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit : *Et adorent eum omnes Angeli ejus*, Psal. 96, 8; Hebr. 1, 6. Quem *magi procidentes adoraverunt*, Matt. 27. Quem denique in Galilæâ ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur, Matt. 8, 15. » Hoc ergò est de fide, quia propositum in concilio universali. Undè è contrario sequitur nihil aliud de adoratione hàc esse de fide. Sequitur itaque :

Primò, non esse de fide, imò meram puramque calumniam, eamque gravissimam, quod imponit Daillæus doctrinæ Ecclesiæ catholicæ, eòque majori pœnà dignum crimen, quòd doctrinam hanc nobis impositam statuat tanquàm principem discessioni in religione et proindè turbationi tùm Ecclesiæ, tùm imperii, in Apolog. cap. 9, subscriptà ab aliis ministris Mastrezatio, Dreli curtio, et Aubertino, et in epist. ad Monglatium his verbis: « Quæstio est, inquit, non quòd oporteat adorare corpus Christi in Eucharistià, sed quòd oporteat adorare Eucharistiam ipsam, ut inclamo et protestor in titulo, principio, et medio, et fine, cap. 9 Apol. At magnum discrimen est inter has duas adorationes. Hæc ultima defertur certo cuidam objecto subsistenti in loco quo dirigitur, scilicet substantiæ velatæ ab accidentibus panis et vini; quo fit ut præsupposito quòd hæc substantia sit quædam creatura, talis adoratio ei exhibita, erit necessariò servitium illicitum et prohibitum à Deo; cùm tamen prima adoratio sit solùm vana et inutilis, et cadat, ut sic dicam, in nihilum, errans, non quòd deferatur objecto non adorabili, sicut facit alia, sed in hoc solùm, quòd errore quærat eum, et putet se complecti ibi, ubi non est. » Ità Daillæus, ultimam istam adorationem distinctam, et aliam à primâ, seu duas adorationes objectorum subsistentium sub symbolis, quod horremus, nobis affingens. Sed quòd talis adoratio *non sit de fide*, patet 1°, quia non habetur in Tridentino. 2° Nullus nostrorum doctorum finxit duplicem illam adorationem sic relatam à Daillæo, duorum objectorum subsistentium, seu ultimam scilicet, *delatam certo cuidam objecto* subsistenti in loco quo dirigitur, nempè substantiæ velatæ sub accidentibus panis et vini, præter adorationem primam delatam ipsi Christo. Quis Catholicorum, dico, hæc objecta adorationis sub speciebus somniavit? nullus sanè: et pestiferè somniaret; nec adoramus *aliquid subsistens indefinitè, quidquid illud sit*, sub speciebus, sed solum Christum creditum ibi esse; ergò calumniosè id nobis affingit Daillæus. Probatur 3°, ex responso doctissimæ Facultatis theologicæ Parisiensis in hæc verba : Petitur à DD. doctoribus, respondeant: « An factum contentum in pag. 65, epist. D. Daillæi, ad D. Munglatt. anni 1634, sit verum. Subsignati doctores theologicæ Facultatis Parisiensis respondent quòd factum est falsum, et impositum Ecclesiæ catholicæ, quæ adorando sanctam Eucharistiam, non credit ibi adorare aliud subsistens velatum ab accidentibus panis et vini, quàm Jesum Christum, dicit anathema iis, qui ibi vellent adorare aliam quamcumque substantiam. Et falsò supponitur ab auctore plus esse periculi in adoratione Catholici, quàm Lutherani, quòd Catholicus defert adorationem suam objecto non adorabili, et proindè ejus servitium necessariò illicitum esse et prohibitum à Deo; cùm verum sit, objectum quod Catholicus ibi adorat, esse Jesum Christum, adorabilem ubicumque est, et proindè in Eucharistià, in quâ Ecclesia catholica, post consecrationem, non agnoscit nec recognoscit aliam substantiam, quàm Jesum Christum; quarè nec aliam ibi adorat, nec potest adorare. Et si ex inconsideratione aut aliter, loco Eucharistiæ, propositus foret panis non consecratus, Catholicus non intendit, nec credit adorare, nec posse adorare dictum panem, nec vult eum adorare, nec aliud subsistens quàm Jesum Christum, 18 aprilis 1643. Subsignati in originali: Jacobus Hennequin, Emm. retz, Perreret, du Fresne, de Minie, Chapelas, M. Cantat, Broussé, Judas, A. de Mauhy. » Quis vel deviorum ferat ministros doctrinam falsam catholicis imponentes, et eà imposturà scissionem foventes tam noxiam Ecclesiæ, saluti animarum et imperio ?...

2° Haud longè dissimilis calumnia est, cùm idem Daillæus præter adorationem Christi sub speciebus fingit, Apol. pag. 45, 46, 66, *nos adorare Sacramentum latriâ absolutâ*. Quis Catholicorum *fingit duas adorationes absolutas*, unam *Christi in Eucharistiâ*, aliam *Eucharistiæ* ipsius, sive *subsistentis* ficti à Daillæo? Et cùm dicimus nos *adorare adoratione absolutâ sacramentum*, intelligimus Christum ipsum sub speciebus, quem sæpè *rem sacramenti et sacramentum*, quod ibi sit tanquàm causa gratiæ, solemus nuncupare; aliàs absit ut sacramentum adoratione *absolutâ*, quod sine idololatriâ non possemus, adoremus. Veneratio Symbolorum, de quâ posteà ut distinctorum à Christo, est omnium nostrorum sententiâ solùm *relativa*, non absoluta. En aliam itaque vel similem præcedenti imposturam.

3° Non est de fide, imò nec verum, duas adorationes poni à Trid., sess. 13, cap. 5, alteram *Christi*, alteram *sacramenti*, ut supponit Daillæus. 1° Quia Trident. non habet esse duas. 2° Rectè Vasquez, disp. 109, cap. 3: « Cùm, inquit, Tridentinum de adoratione sacramenti Eucharistiæ loquitur, atque affirmat latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sacramento in veneratione esse exhibendum, de Christo sub speciebus contento, vel de ipsis ut Christum continentibus loquitur; nam et ipsum Christum ad rationem sacramenti pertinere multi rectè arbitrantur; imò cùm ipse sit res sacramenti, sacramentum etiam dicitur; aut saltem species non dicuntur sacramentum, nisi quatenùs sub se corpus et sanguinem Christi reipsà continent. » Hæc rectè Vasquez. 3° Probatur, quia habet Tridentinum, *latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sacramento in veneratione exhiberi*. At certum est cultum illum latriæ esse *absolutum*, et certum etiam absolutum non deberi nisi Christo, non autem speciebus. 4° Quia addit Tridentinum *cultum illum delatum à magis*, etc. Quis autem non videt cultum illum fuisse absolutum Christi ipsius, nec alium? 5° Infert illum *ex præsentiâ Christi*, adorabilis ubicumque sit. Ergò nulla ibi mentio adorationis symbolorum. Quarè sacramenti nomine adorandi *latriâ absolutâ*, Christus ipse sub symbolis intelligitur, qui sub illis etiam sacramentum à nostris sæpè dicitur, quòd sit ibi significans et dans gratiam, uti jam diximus. -Saltem quæ dicimus, à nemine Catholicorum habentur ut opposita fidei catholicæ; ergò saltem falsum est, *de fide esse*, *duas* adorationes poni à Tridentino, *Christi et sacramenti*, tanquàm distinctas, seu ut duas; una et eadem variè et vario modo exprimitur.

4° De veneratione symbolorum, quæ sine dubio, *relativa* est, non *absoluta*, non foret quod quidquam diceremus; de illâ enim nihil dixit Daillæus, nec ulla est peculiaris difficultas. Vasquez, part. 3, disp. 118, cap. 12, docet pluribus: « eumdem modum in sacramenti Eucharistiæ adoratione servandum, quem in imaginum cultu; scilicet corpus Christi in Eucharistiâ dignum esse adoratione latriæ. » Quod pluribus probat, cap. 12. Quomodò verò, addit ibidem, species ipsæ Sacramenti *adorentur, seu veneratione dignæ sint*, inter scholasticos dissensio est; omnes enim eodem modo de speciebus sacramenti, quod de imaginibus Christi, *philosophari debent, cùm sit utrobique terminus idem* formalis *Christus scilicet adoratus;* non est tamen tàm fervens affectus reverentiæ ergà Christum in imagine, quàm in sacramento, *ob ejus in isto præsentiam*, et aliquo signo exteriori majorem hanc reverentiam ergà Christum in sacramento, quàm in imagine indicamus. *Species* sacramentales, inquit idem ibidem, sunt res inanimæ, et secundùm se capaces non sunt cultûs et honoris, nisi quatenùs conjunctæ cum Christo quem continent. Quarè adoratio nullâ ratione in exterioribus accidentibus sistere potest, sed ad intima penetrare debet, nec adorantur accidentia, sed Christus contentus sub illis. » Relege quæ diximus de imaginum cultu, et hìc applica eodem omninò modo, sicut ibi diximus, non esse de fide imaginem ne quidem Christi *adorari*, multò minùs *latriâ*, imò vel cultu *religioso* coli, multò minùs *eodem cultu* quo prototypon, ità dicimus non esse de fide species sacramentales seu symbola *adorari*, multò minùs cultu *latriæ* coli, vel cultu *religioso*, vel eodem cultu quo Christus; nec proindè sacramentum Eucharistiæ sumptum, ut sæpè sumi solet, pro symbolis, signis et speciebus.

Nec Catholicus ullus intendit sic adorare albedinem et rotunditatem quam cernit oculis, sed solum Christum quem non videt, credit tamen ibi contentum; symbola tamen, sicut vestem regis, veneratur. « Recentiores aliqui putant, inquit Vasquez, cap. illo 12, Gabrielem in eâ fuisse sententiâ, ut diceret sacramentum hoc, id est, species sacramentales, per figuram synecdochen, hoc est, ratione Christi sub eo contenti, non autem propriè, adorari; » quod ipsemet Vasquez censet non improbandum.

5° Placet etiam ob multa alia conjuncta, addere istud ex Vasquez, disp. 109, cap. 4: « Ex affectu latriæ, qui dicitur adoratio, et circà exemplar primò versatur, derivatur nota exterior submissionis, quæ communi modo loquendi dicitur honor, cultus et adoratio ejus, quod corporaliter contingit, aut coràm quo fit; ità ut per illud in prototypon transmittatur; at opus externum laudis, quo laudamus exemplaris excellentiam, opus etiam orationis, et sacrificii, solùm dicitur communiter aut laus, aut oratio, aut sacrificium ad exemplar relatum, non ad imagines; et ideò communiter nec ad imagines, nec ad res inanimatas et adhuc per accidens hæc omnia referri, sed coràm illis fieri dicuntur. Idem quod de imaginibus hactenùs diximus, de speciebus et accidentibus sacramentalibus dicendum arbitror, ob eamdem prorsùs rationem. Datâ operâ dixi, de speciebus seu accidentibus sacramentalibus; nam si de sacramento loquamur, cùm aliquid illius sit Christus ipse, ut suprà notavimus, sicut absolutè dicimus ipsi latriam in spiritu exhiberi, sic etiam et orationem, et laudem divinam, et sacrificium, ad ipsum posse referri hâc de causâ fatendum est. »

6° Uno verbo, ut eodem honore regio, non duplici aut diverso, honoratur rex sine pallio et cum pallio, aut rhedâ tectus; ridendumque se aulicis et prudentibus exhiberet, qui regi absque pallio honorem redderet regium, palliato aut rhedâ tecto denegaret; et

stultus omninò judicaretur, si hìnc à regià rebellis fugeret, ne palliatum aut rhedâ tectum colere cogeretur : ità ridendos, ne dicam stultos, se exhibent devii, dùm *Eucharistiam ipsam adorare*, idololatriæ incusant, seu Christum vel ut palliatum et tectum symbolis (quomodò propositum Christum sub speciebus *Eucharistiam*, et sacramentum *Eucharistiæ* nuncupamus) horrent adorare, et propterea scissionem ab Ecclesià faciunt, neutiquàm faciendam licitè, seu non esse idololatriam, *si non adoretur corpus Christi in Eucharistià*, seu si Christus extrà sacramentum, seu etiam in sacramento adoretur; ut habetur in epist. ad Munglatt. pag. 63, jam relatâ. O singularem stultitiam in hoc præcipuè schisma facere ab Ecclesià romanâ, quod tamen ex ministris in hoc maximè fundatur, ut ex Apologià et epist. ad Munglatt. suprà citatis retulimus! Sanè Christus seu nudus in præsepi, aut cruce, seu tectus vestibus, seu opertus cœlo aut symbolis (quo in statu Christum ipsum sacramentum Eucharistiæ nuncupamus, et hoc sensu, nec alio sacramentum hoc latriæ adoramus) eodem prorsùs cultu adoratur. Riderent devios, doctoresque nostros aulici, si quis hæc regio honore applicata discuteret, et quali honore pallium regis operiens regem, aut in vestiario repositum, honorandum foret, multis clamoribus digladiaretur.

7° *Spectatum admissi risum teneatis amici!* Devios acriter, et tàm multis decertantes *quali honore* seu *species sacramentales*, quæ sunt pallii seu opertorii instar, seu *sacramentum*, id est, species tegentes Christum, et ut includentes Christum, seu Christus sic tectus sit colendus, et an duplex sit honor, et præterea alius sit relativus specierum, et qualis.

Vereor et ne aulici, cùm ista tot subtilitatibus in scholis nostris involvimus, taciti subsannent nos; nec forsan immeritò, cùm non sine risu exciperentur applicata honori regio, in quo tamen est eadem omninò ratio, et similes prorsùs formari circà illum possint difficultates et moveri lites.

8° Attamen saltem, *si credere Christum esse realiter præsentem sub symbolis Eucharistiæ, ejusque corpus sub iis creditum adorare in Eucharistià, nullum habet venenum, nec præjudicat saluti* illud credentis, et sic adorantis, nemo sanæ mentis potest dicere *præjudicare saluti, aut venenum aliquod habere*, sacramenti seu Eucharistiæ adoratio, et quidem *latriæ absolutæ et summæ*, modo à nobis explicato. Undè rursùs sequitur, *nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse*, qui dictam refugit *adorationem sacramento seu Eucharistiæ* exhibere, ut patet ex dictis.

§ 14. *De sacrificio Missæ.*

Sic habet professio nostra : *Profiteor in Missâ offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis.* Et Trid. sess. 22, can. 1 : « Si quis dixerit in Missâ non offerri Deo verum et proprium sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit. » Et can. 3 : « Si quis dixerit Missæ sacrificium tantùm esse laudes et gratiarum actiones, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus offeri debere, anathema sit. » Hæc ibi de fide, quia proposita à concilio universali; à contrario nihil sequentium est de fide.

Primò, itaque de fide non est, sacrificium Missæ esse sacrificium absolutum, et non tantummodò commemorativum, seu relativum, verumtamen verum et proprium; sed et quæ sequuntur, in quibus nutant doctores, ut referam, non sunt de fide. Probatur 1°, quia Tridentinum nihil de his rebus statuit, in quo non deerant viri doctissimi, qui scirent hæc controversa esse in scholis. Probatur itaque :

2° Quia hæc controvertuntur etiam inter doctores scholasticos, referente Vasquez, disp. 222, cujus vel soli capitum tituli sufficiunt nostro intento his verbis : « Oblationem illam quæ quibusdam verbis fit à sacerdote ad rationem sacrificii nullo modo pertinere, » cap. 1. « Neque fractionem, neque distributionem hujus sacramenti ad essentiam sacrificii spectare, » cap. 2. « De consumptione hujus sacramenti comparatâ cum sacrificio variæ sententiæ, » cap. 3. « Essentiam hujus sacrificii in solà consumptione non consistere, neque eam aptam esse ut ad aliquid horum à Christo institueretur, » cap. 4. « In solà consecratione hujus sacramenti totam essentiam hujus sacrificii positam esse in universum probatur, » cap. 5.

« Vera ratio sacrificii in consecratione posita, variè exponitur à theologis, » cap. 6. « Eatenùs solùm in consecratione rationem hujus sacrificii positam esse, quatenùs sacrificium crucis eo repræsentatur, testimoniis Patrum ostenditur, » cap. 7. « Essentia hujus sacrificii ex solà mortis Christi repræsentatione, optimâ ratione colligitur, » cap. 8. « Diluuntur objecta adversariorum, » cap. 9. Ità varii variè sentiunt; proindè nihil horum est de fide. Summa sententia Vasquez habetur cap. 8 : « Ratio sacrificii in significatione omnipotentiæ Dei auctoris vitæ et mortis formaliter posita est; ac proindè si sit oblatio aliqua per quam absque rei oblatæ immutatione verâ et reali, Deus auctor vitæ et mortis denotari et coli possit, verè et propriè sacrificium dici debet. Hujusmodi autem est consecratio corporis et sanguinis Christi absque reali immutatione ipsius Christi, ob solam repræsentationem mortis ejus; illa igitur verè et propriè sacrificium erit. Porrò autem per solam repræsentationem mortis Christi in consecratione, ità significari Deum auctorem vitæ et mortis, sicut per ipsam cruentam mortem Christi, manifestum est; nam commemoratio mortis Christi repræsentat, et quasi præsentem » eam facit, denotat Deum, auctorem vitæ et mortis, ac si tunc Christus in honorem Dei reipsà occideretur; atque adeò ad essentiam sacrificii in universum immutatio rei oblatæ non requiritur, quia *commemorativum* sacrificium, sine illà esse potest, tametsi ad essentiam sacrificii *absoluti* necessaria sit, eò quòd ratio formalis sacrificii, quæ est significatio non in verbis, sed in rebus, quà denotatur Deus auctor vitæ et mortis, sine tali

immutatione in sacrificio commemorativo reperiatur.

Est tamen valdè observandum, ad sacrificium commemorativum, quod verè et propriè sacrificium dicitur, non satis esse si solùm sit signum nudum mortis alicujus rei nullo modo continens in se rem ipsam cujus mors repræsentatur; sic enim non diceretur res illa cujus mors repræsentatur, in sacrificium offerri, neque verè commemorativum sacrificium, quin potiùs signum tantùm et larva sacrificii esset, sed necessariò requiritur ut res ipsa cujus mors repræsentatur, sit signum mortis suî ipsius; v. g., si vera esset sententia hæreticorum, qui negant sub speciebus panis et vini corpus et et sanguinem Christi, et substantia panis et vini ibi esset, repræsentari quidem posset mors Christi, ut ipsi hæretici etiam concedunt, at Christus in sacrificium non verè et reipsà sed tantùm in figurâ offerretur. Nam quo pacto verè et reipsà in sacrificium offerri dici potest id, circà quod actio sacerdotis offerentis non reipsà, sed tantùm similitudine quâdam, et in figurâ versatur? « Cæterùm, cùm ipsemet Christus sit sub speciebus panis et vini, et circà illum actio sacerdotis offerentis ipsa ità versetur, ut ipsemet per species panis et vini, ex modo peculiari quo à sacerdote consecratur, repræsentet cruentam et realem mortem suî ipsius, et eà repræsentatione denotet Deum auctorem vitæ et mortis, quamvis non dicatur reipsà et verè, sed in solà figurâ et similitudine, occidi et mori, tamen verè et reipsà immolari, et in sacrificium offerri dicitur. » Hæc Vasquez. Quid facilius creditu *sacrificio vero et proprio*, solùm tamen *commemorativo*, non *absoluto*, sic explicato?

2° Aut saltem, posito quòd *credere corpus Christi esse realiter* sub *symbolis panis, nec habeat venenum, nec præjudicet saluti credentis*, ex Apol. cap. 7, quis non dicet, *credere sacrificium verum et proprium*, sed *commemorativum*, ut explicatum, *non habere venenum*, nec *præjudicare saluti?* ex quo rursùs deducet, *nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui non credit tale *sacrificium:* quod sufficit quò quis sit Catholicus, ut suprà diximus in simili.

De *propitiatione;* præter jam relata ex Tridentino, addendum in explicationem ex eodem, quod habet, sess. illâ 22, cap. 2: « Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missâ peragitur, idem ille Christus continetur, et incruentè immolatur, qui in arâ crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta synodus sacrificium istud, verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri ut si cum vero corde et rectâ fide, cum metu et reverentiâ contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit; una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solà offerendi ratione diversâ; cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc uberrimè percipiuntur, tantùm abest ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quarè non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondùm ad plenum purgatis ritè juxtà Apostolorum traditionem offertur. » Hæc ibi. Quarè ut hæc sunt de fide, ità nec plura sunt fide credenda. Sicque quæ blaterant adversarii contrà *propitiationem* facilè diluuntur. Itaque 1° longè abest ut sacrificium Missæ sit *propitiatorium*, sicut sacrificium crucis. Nam istud meritorium fuit redemptionis, seu remissionis peccatorum et gratiarum omnium, quæ nobis conferuntur, et omne meritum Christi in eo fuit consummatum, et hoc sensu fuit *propitiatorium;* illud verò esse voluit Christus, *veluti instrumentum*, inquit benè Vasquez, disp. 229, cap. 2, *quo meritum passionis suæ nobis applicaretur*, ut et applicatur per sacramenta, per fidem, et per bona opera; et hoc sensu *propitiatorium* est, quomodò etiam fides, et pleraque sunt propitiatoria. Quid facilius creditu tali *propitiatione?* et quæ ibi derogatio propitiationi sacrificii crucis?

2° Non nisi per *impetrationem* hoc conferre, et proindè non nisi « per impetrationem et mediatè esse propitiatorium, docet benè Vasquez, disp. 128, cap. 2 et 3, ubi probat hoc sacrificium non habere vim instar sacramenti Pœnitentiæ, scilicet immediatè non modò remittendi mortalia, sed nec venialia, vel conferendi gratiæ seu justificationis augmentum, sed tantùm mediatè, seu vim impetrandi gratiæ auxilium, quò et à mortalibus et à venialibus justificari, et in justificatione suà homo crescere possit, seu impetrandi spiritum pœnitentiæ et contritionis, per quam peccata nobis remittuntur, » aut alios sanctos motus animi, per quos homo possit crescere in justificatione. Hoc modo, scilicet *per impetrationem*, sunt propitiatoriæ fides, oratio, etc., sed istæ ex pietate et honestate operantis. Illud virtute rei oblatæ seu justificationis Christi; eodem modo, scilicet per *impetrationem*, bona etiam temporalia, *salus corporis, liberatio ab ægritudine aliquâ, fructus terræ, et id genus alii effectus sunt hujus sacrificii*, quæ etiam oratio impetrat. Quæ ergò difficultas credendæ talis *propitiationis*, et obtentionis talium effectuum?

3° Non semper certâ lege, inquit idem Vasquez, eàd. disp. cap. 4, « sed aliquandò virtute hujus sacrificii obtineri auxilium gratiæ ad justificationem et bona temporalia experimento compertum est. » Et ibidem addit idem: « Nam non semper remittit peccata eo modo, quo supradictum est per ipsum remitti, neque semper virtute ipsius conferuntur alia auxilia spiritualia, neque semper bona temporalia intuitu illius à Deo impetramus. »

4° « Oblatione hujus sacrificii proximè, seu immediatè, et semper certòque remitti pœnam temporalem viventium, seu debitam eorum peccatis, et hoc etiam modo propitiatorium esse pro vivis, nullà ratione negari potest, » inquit Vasquez ibidem, et probat, quia cùm sit causa particularis, per quam nobis applicatur meritum universale Passionis Christi, ut ex Trident. retulimus, opus est ut illi aliquem effectum sicut etiam sacramentis, certò tribuamus, tametsi pendeat ex dispositione eius, pro quo offertur; nullus autem ei tri-

bui commodiùs potest, quàm remissio pœnæ, si quidem reliquos non semper confert (ut jam ex ipso retulimus). » Reliquum igitur est ut effectus quem certâ lege hoc sacrificium semper operatur, sit remissio pœnæ jam in viventibus, juxtà cujusque dispositionem, « et hoc etiam nomine est *propitiatorium* pro vivis et defunctis. » Addit tamen : *Quanquàm ab Ecclesiâ definitum non sit*. Hoc ergò quòd *certò semper, seu certâ lege*, pœna hæc temporalis remittatur, non est de fide.

5° Disputat Vasquez, disp. 229, utrùm omnes effectus hujus sacrificii, *tàm pro vivis quàm pro defunctis*, dicendi sint ex opere operato, an non. « Tametsi, inquit, scholastici omnes, quod attinet ad rem ipsam, eodem modo sentiant, diverso tamen modo loquuntur, » variasque theologorum opiniones refert, cap. 1 : « Nec est idem, inquit, aliquid nobis donari virtute sacrificii ex opere operato et certâ lege conferri. » Non itaque est de fide, sacrificium hoc prædicta operari ex opere operato ; nam Tridentinum nihil habet de hâc re, et theologi diversimodè hunc modum loquendi exponunt, de quo ibi fusè Vasquez.

6° De propitiatione ejusdem sacrificii *ergà defunctos*, hæc specialiter notanda, 1° ex Vasquez, disp. 218, cap. 4 : « Defunctis sacrificium istud nullo alio modo prodesse potest, quàm remittendo pœnam temporalem, ut patet. » 2° Quod jam notavimus suprà, *aliquos putare specialiter* de sacrificio Missæ oblato pro defunctis, *non habere tantam efficaciam ut infallibiliter acceptetur, neque esse aliquod opus, quod ex opere operato liberare possit animas defunctorum à pœnis lege certâ et infallibili;* et Vasquez ibidem, cap. 4. « Sotus, inquit, Canus et Corduba censent, sacrificium Missæ circà vivos certâ lege semper operari remissionem pœnæ ; circà defunctos verò existentes in purgatorio, non item, sed illis solùm ad hunc effectum valere per modum suffragii ; vocant autem per modum suffragii, quod solùm prosit prout Deo placuerit illud acceptare, neque certâ lege statuerit propter illud, defunctorum pœnas remittere; sic arbitrantur effectum sacrificii Missæ circà defunctos non esse ità certum, sicut circà vivos. »

7° Longissimè est à fide, valorem hujus sacrificii esse infinitum, de quo Vasquez, disp. 150, cujus caput 1 inscribitur, valorem et virtutem hujus sacrificii finitam esse, non pauci theologi autumant.

8° Hâc secretione factâ, doctrinæ fidei ab eâ quæ non est de fide, quàm facile est credere *sacrificium Missæ* esse propitiatorium pro vivis et defunctis ! Patet etiam ex eâ, quàm multa ministri affingant falsò doctrinæ fidei catholicæ, schismati et divisioni, ex quo vivunt, fovendo.

9° Sed esto, difficultas aliqua maneat; saltem doctrina hæc fidei sic exposita *nullum habet venenum, nec præjudicat pietati et saluti credentis illam*, posito quod credere *corpus* Christi esse realiter præsens in panis symbolis, nullum habeat venenum. Undè rursùs sequitur *nec bonum Christianum, nec ferendum civem, nec hominem sensatum haberi posse* in imperio, qui huic doctrinæ non subscribit.

§ 15. *De Papâ, ejus primatu et auctoritate.*

Confessio nostra hoc solum habet : *Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco ; Romanoque Pontifici, B. Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo* ac juro. Ex Tridentino sumptum, sess. 25, in quo nec plura : « Sancta synodus pastores omnes obtestatur, ut illa omnia, quæ sancta romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra statuit, quibuscumque fidelibus sedulò commendent, omnique diligentiâ utantur ut illis omnibus sint obsequentes. » Et in singulis ferè sessionibus habetur : « In Tridentinâ synodo præsidentibus tribus apostolicæ Sedis legatis. »

Sed explicatiùs in concilio Florentino, in definitione synodi : « Definimus sanctam apostolicam Sedem, et romanum pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum pontificem romanum successorem esse Beati Petri, principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam à Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodùm etiam in gestis œcumenicorum conciliorum, et in sacris canonibus continetur. » Hoc ergò est de fide, quia propositum à concilio universali ; sed nihil aliud est de fide, nec aliter, quia neutiquàm propositum à concilio universali, hoc præsertim in quo Græci et Latini consederunt, et exactissimè potestas hæc fuit à Græcis præsertim discussa.

Quare 1°, non est de fide, pontificem romanum docentem aliquid, sive in concilio particulari, sive in synodo provinciali, etiam cùm alloquitur totam Ecclesiam, seu cùm ex cathedrâ, ut aiunt, loquitur, dùm extrà universale concilium doceat, esse *judicem supremum controversiarum*, aut esse infallibilem ; nec quòd sic definitum foret, esse de fide, nisi aliundè Ecclesiæ totius sensus constaret. Probatur 1°, quia id non habetur in Tridentino, aut Florentino, aut in ullo concilio universali : quinimò, in professione nostrâ, et in Tridentino, sess. 4, de solâ Ecclesiâ dicitur : « Cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sanctarum Scripturarum. » 2° Quia nullus doctorum hucusquè nec ipse Bellarminus id esse de fide catholicâ sensuit. 3° Quia inter doctores catholicos varii varia sentiunt, ut relatum suprà etiam ex Bellarmino, tom. 1 de Rom. Pontif. lib. 4, cap. 2. « Ubi, inquit, secunda opinio est pontificem, etiam ut pontificem, posse esse hæreticum et docere hæresim, si absque generali concilio definiat, et de facto aliquandò accidisse. Hanc opinionem secuti sunt aliqui Parisienses, ut Gerson et Almain, Castro et Adrianus VI Papa. Qui omnes non in pontifice, sed Ecclesiâ, sive in concilio generali tantùm constituunt infallibilitatem judicii, in rebus fidei. » *Et hæc opinio*, addit ipse Bellarminus, *non est propriè hæretica; nam adhuc videmus ab Ecclesiâ tolerari qui illam sententiam sequuntur*. Quod autem ipsemet durus censor subjicit, *tamen videtur omninò erronea, et hæ-*

resi proxima, non satis firmo fundamento dicit; sed potiùs probabilis est illa opinio, tùm ob auctoritatem tantorum doctorum, etiam Adriani VI Papæ (nondùm tamen provecti ad illam Sedem, cùm hæc scripsit) qui rexit Ecclesiam paulò antè Tridentinum ; tùm quia in Tridentino nihil de hâc re dictum. Denique si quid rationes Bellarmini valerent, probarent papam, etiamsi aliquid *solus* definiat, aut *solùm opinionem suam declaret aliis*, aut *particularibus solùm, non toti Ecclesiæ* respondeat, infallibilem esse, quæque sic docens pronuntiat, *esse de fide ;* quæ tamen ipsemet Bellarminus negat, et concedit papam in his casibus *posse errare* , et *de facto errâsse*, ut retulimus suprà. Quia testimonia allata à Bellarmino loquuntur universaliter , ut patet ex eorum relatione etiam ut factà à Bellarmino ; ergò si quid probarent, contrà Bellarminum probarent.

Quæret forsan aliquis, quid in hâc quæstione probabilius censeam ? Respondeo quæstionem hanc, diversionem esse à proposito nostro; nec proindè mihi illi respondendum esse. Doctorem solùm ago catholicum ; non scholasticum. Cùm itaque nihil de hâc re doceat Ecclesia, nec ego debeo quidquam docere, nec devius, quò catholicus fiat, quidquam scire ; abstrahat ab his quæstionibus, seu ignoret hæc; sufficit illi, quò sit catholicus. Addo tamen ex abundanti, liberum illi esse utramvis, prout placuerit, quippè nullo fidei præjudicio, sententiam sequi, utpotè probabilem utramque. Sed utcumque sit, verissimum est, id quod manat à Sede tantæ auctoritatis, esse cum magnâ veneratione suscipiendum. Fusè hæc jam diximus et statuimus suprà.

2° Non est de fide, papam esse suprà concilium universale , seu suprà Ecclesiam totam reliquam, seu ipso capite semoto ; sicut nec etiam concilium aut totam Ecclesiam reliquam esse suprà papam, seu quocumque modo quæstio benè proponatur. Probatur 1°, quia nihil horum habetur in professione nostrâ , nec in conciliis universalibus Trid., Flor. aut aliis. 2° Concedit id expressè Bellarminus ipse, jam suprà relatus. « Non sunt, inquit , tom. 1 de Concil. lib. 2, cap. 17, propriè hæretici, qui sentiunt Pontificem non esse suprà omnia concilia et suprà Ecclesiam universam, ità ut nullum in terris suprà se judicium agnoscat ; » et fatetur « dubium saltem esse, quòd Lateranense ultimum concilium, sub Leone X, sess. 11, id definierit propriè ut decretum fide catholicâ tenendum. » 3° Probatur et explicatur magis. Quia variæ hâc de re sunt doctorum sententiæ, etiam referente Bellarmino, tomo 1 de Concil., lib. 2, cap. 14, quod vel solum sufficit , probando id non esse de fide catholicâ, cui soli pelliciendis deviis scribimus. Sic itaque habet Bellarminus, cap. illo 14 : De propositâ quæstione tres invenio doctorum sententias. Prima est , concilium esse suprà pontificem. Id quod asserunt cardinalis Cameracensis, Joannes Gerson , Jacobus Almainus, et alii nonnulli , in suis tractatibus de potest. Eccles. Item Nicolaus Cusanus, Panormitanus et magister ejus , cardinalis Florentinus. Item Abulensis, et quidam alii (locis à Bellarmino relatis). Ut autem hæc sententia intelligatur, notandum est duo esse fundamenta hujus opinionis. Primum est papam non esse propriè caput Ecclesiæ universæ simul congregatæ. Id quod non eodem modo intelligunt hæretici, et alii auctores ; hæretici enim volunt papam nullo modo esse caput Ecclesiæ totius, sed tantùm episcopum suæ Ecclesiæ particularis, et ad summum patriarcham occidentis. At alii auctores docent papam esse caput et pastorem singulorum Christianorum, et singularum Ecclesiarum, si seorsìm sumantur, non autem totius Ecclesiæ simul congregatæ in concilio generali ; tunc enim Ecclesia accipit quasi formam corporis, et tota potestas quæ erat sparsa in variis membris, ibi unitur ; ità ut comparare papam cum cæteris Christianis seorsìm sumptis, sit comparare membrum nobilissimum cum minùs nobili ; at comparare papam cum concilio, sit comparare partem cum suo toto, et proindè minus cum majore. Et ne dicamus concilium sine papâ non esse totum perfectum, sed corpus sine capite ; addunt secundum fundamentum, quod est supremam ecclesiasticam potestatem esse tàm in concilio, quàm in papâ ; sed in concilio principaliùs, immediatiùs et immobiliùs. Dicunt enim Christum immediatè omnem potestatem solvendi et ligandi tribuisse Ecclesiæ, et cùm Ecclesia semper duret, immobiliter in eâ semper manere hanc potestatem per se, instituit Christus summum pontificem tanquàm instrumentum generale ad omnes actiones Ecclesiæ, et in eo posuit hanc potestatem summam, ut eam exerceat nomine Ecclesiæ. Differunt quidem inter se hi auctores ; quòd aliqui ponant hanc potestatem formaliter et subjectivè in solo pontifice, in Ecclesiâ autem ponunt eam ut in fine, quia est propter Ecclesiam ; et ut in regulante, quia Ecclesiæ est regulare et dirigere papam, cùm ipsa non possit errare, *papa autem possit ;* ac denique ut in supplente, quia deficiente papâ propter mortem naturalem aut civilem, Ecclesia, supplet ejus officium. Alii verò volunt esse formaliter et subjectivè, principaliter in Ecclesiâ, instrumentaliter in pontifice ; conveniunt tamen in eo omnes, ut doceant hanc potestatem immediatè in Ecclesiâ ; et proindè mortuo papâ, vel deposito, vel nolente adesse concilio, concilium non propterea esse corpus imperfectum, sed perfectum, et habere potestatem papalem definiendi de fide, sanciendi leges, dandi indulgentias, etc. Ex quibus deducunt concilium esse suprà papam, et posse ipsum judicare et punire ; et idem esse quærere, an papa sit major concilio, ac si quæreretur an pars sit major suo toto. Denique volunt papam esse in Ecclesiâ id quod est dux Venetiarum in republicâ Venetâ ; vel Magister generalis in aliquâ religione ; constat enim ducem Venetum esse suprà singulos magistratus et esse suprà singulos senatores et civitates Venetas, non tamen suprà totum senatum simul collectum ; et quandò moritur dux, certum est totam auctoritatem, etiam ducalem, esse in senatu. Quomodò etiam Magister generalis est suprà singulos religiosos, etiam priores et provinciales, tamen non est suprà congregationem generalem, cùm ei parere debeat, non imperare. 2° Opinio est aliquorum canonistarum qui vo-

lunt quidem papam esse suprà concilium, et à nemine judicari posse invitum; tamen posse ipsum sese subjicere concilio, et dare illi suprà se potestatem; et si hoc fecerit, acquiescere debere sententiæ concilii, etiamsi de ipsius depositione ageretur. Ultima sententia est ferè communis; quòd videlicet papa adeò sit suprà concilium, ut non possit etiam se subjicere ejus sententiæ, si propriè de sententiâ coactivâ agatur. Ità Turrecremata, Cajetanus, Ferrariensis, Turrianus, Sanderus, etc. Hæc Bellarminus. Quarè nihil horum est de fide, hoc ipso quòd varii varia sentiunt, nullo hæreseos insimulante dissidentes à propriâ suâ sententiâ. « Quæstio hæc, inquit Bellarminus, de Concil. lib. 2, c. 13, exorta est tempore concilii Pisani, Constantiensis et Basileensis; cœperunt patres quærere, an tenerentur obedire pontifici; an pontifex potiùs teneretur obedire ipsis, id est, generali concilio; tùm plurimi in eam sententiam iverunt, ut concilium esset suprà pontificem; usque ad hanc diem, quæstio superest etiam inter Catholicos. » 2° Quòd omnes hæ opiniones, et prima etiam, sint probabiles, et proindè cuivis liberum sit, etiam nunc absque ullâ censurâ, quam velit sequi, et proindè amplecti, si vult, primam. Probatur 1° ex auctoritate tàm gravium doctorum, qui eam secuti sunt, Gersonis, Almaini, etc. 2° Ipsamet suis librata ponderibus, ut audivimus expositam, referente ipso Bellarmino, per se satis prudens apparet, et naturâ corporis et capitis fundatur. Ergò probabilitate non caret. Et benè Vasquez 1-2, disp. 62, cap. 4: « Quandò videmus fundamenta omnia et rationes, doctores oppositæ sententiæ vidisse et considerâsse, et ad eas aliquo modo respondisse, nec eis convictos fuisse probabilem manere sententiam illam judicare debemus. » 3° Ex exemplo Magistri generalis, quod clarum est; nec enim refert à quo papa habeat potestatem tanquàm à causâ efficiente; nam causa efficiens non mutat rationem formalem capitis comparati cum corpore. 4° Nihil habet Bellarminus, quod facilè solvi non possit. Nam nec testimonia conciliorum, ne quidem verba Lateranensis ultimi, sess. 11, relata à Bellarmino, nec patrum quos producit, quidquam sonant expressè contradictorium primæ illi sententiæ, ut ex lectione patet. Omnia et singula solùm probant quod de fide est, et habetur in fide concilii Florentini, *papam esse caput Ecclesiæ;* nec quidquam de contentis in primâ sententiâ damnat, nisi ad summum per consequentias deductas indè à Bellarmino, quæ non sunt conciliorum aut Patrum, et facile est cuivis eas negare. Sanè nec concilia nec Patres, ad hoc vel ut juris apices unquàm descenderunt. 5° Vel solùm synodi Florentinæ et Tridentinæ super has difficultates non ignotas episcopis et theologis, silentium, testimonium videtur positivum probabilitatis retinendæ pro illâ primâ sententiâ. Cur enim post tot hàc de re motas quæstiones in conciliis Constantiensi et Basileensi siluerunt? Quarè sine fundamento sufficiente pronuntiavit Bellarminus, *à temeritate magnâ excusari non posse qui primam illam tenent* opinionem, et contrariam *esse ferè de fide;* et ejus censura potiùs censurâ digna foret, qui sic tali audet censurâ notare doctores tàm graves, quos ipsemet pro primâ illâ sententiâ citavit, cardinalem Cameracensem, Almainum et Patres omnes concilii Constantiensis et Basileensis, etiamsi spectentur ut particulares doctores; cùm præsertìm post hæc tempora, nullum concilium generale contrarium pronuntiaverit, ut jam diximus. In concil. Constantiensi, tom. 3, pag. 849, sess. 4, sic habetur: « Declarat synodus quòd ipsa synodus generale concilium faciens, Ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscumque statûs vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, et extirpationem schismatis, et reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite et in membris. » Idem in Basileensi, sess. 32 et 38, habetur. Nùm tot Patrum et Basiliensium auctoritas sufficit fundandæ huic doctrinæ saltem probabiliter? Equidem Vasquez et omnes ferè theologi, docent *probabilem* eam opinionem dici et esse, *quæ suos habet* auctores et patronos doctos et prudentes, qui eam ut probabilem amplectuntur, 1-2, disp. 62, cap. 4.

Quòd si quis quærat, quid mihi videatur probabilius? respondeo ut respondi in simili de infallibilitate papæ; sed neutram harum quæstionum pluribus licet agere.

1° Longè longiùs abest à fide, potestas indirecta papæ in temporalia, seu pontificem ut pontificem (etsi non habeat ullam merè temporalem potestatem), tamen habere, in ordine ad bonum spirituale, summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, et proindè posse mutare regna, et uni auferre, et alteri conferre, tanquàm summum principem spiritualem, si id judicet ad salutem animarum necessarium, aut posse abrogare leges principum aut condere. Probatur 1°, quia nihil horum habetur in professione nostrâ, aut Tridentino, aut alio universali. 2° Nullus doctorum id dicit esse de fide, ne quidem Bellarminus. 3° Ignota hæc fuisse omnia Patribus et conciliis primorum seculorum, evidens est; nec enim papæ Liberius Constantium, Damasus Valentem, et nec idem Liberius Julianum etiam apostatam, regno deponere vel cogitârunt. 4° Ne quidem omnes praxes Ecclesiæ universalis sufficientes sunt fundando articulo fidei, ut suprà diximus, quod releget lector, et his applicabit; multò minùs praxes recentiorum aliquot pontificum sufficit praxi quòd fundetur in opinione probabili ex judicio sic agentis, et aliorum multorum, ut ibidem adnotavimus. Hinc contrà hanc praxim possunt esse opiniones probabiles. Sanè in hàc materiâ præstaret silentium loquacitati, eò præsertìm quòd cùm occurreret occasio, parùm ad rem referret discussio hujus quæstionis speculativæ, cùm facilè foret solùm *minorem propositionem* discutere, scilicet deposito contendente hìc et nunc non esse sufficientem causam depositioni, quidquid sit de generali illâ potestate; certum enim inter omnes est, saltem non nisi ex gravissimâ et justissimâ causâ, depositiones has esse attentandas; et qui in tali casu non præstaret

armis, lite de facto caderet intentatâ; et meo quidem judicio, crimini deberet esse particularibus, de his statuendo quidquam pronuntiare, cùm sit semina discordiarum inter Papam et reges benè consentientes spargere. Ob quas etiam vel similes rationes præstat, nec de duabus præcedentibus quæstionibus agere. Satius est sequi concilium Tridentinum, quod de his omnibus siluit; *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Paulo id prudenter admonente, Rom. 12, 3.

§ 16. *De judice controversiarum.*

Sic habet professio nostra : « Sacram Scripturam « juxtà eum sensum quem tenuit, et tenet S. Mater « Ecclesia, cujus est *judicare* de vero sensu et inter- « pretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec « eam unquàm nisi juxtà unanimem consensum Pa- « trum accipiam et interpretabor. » Et Tridentinum, sess. 4 : « Decernit synodus, ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, contrà eum sensum quem tenuit et tenet S. Mater Ecclesia, cujus est *judicare* de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contrà unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » Hæc nec plura concilium. Quarè ut doctrina his contenta est de fide, et quod ibi præscribitur sequendum, quia propositum à concilio universali; ità à contrario nihil aliud est de fide in hâc materiâ, nec oportet plus sapere, quàm sapuit concilium. Itaque 1°, ut concilium abstinuit à termino *infallibilitatis in Ecclesiâ*, etiam universali, in doctrinâ fidei et morum, ità licitum cuique ab eo abstinere. Quinimò ut utile est uti hoc termino, quippè apprimè significativo, tùm in scholis, tùm in concionibus erudiendo populo, ità præstat abstinere in collationibus cum deviis. 2° Quia terminus iste non est *conciliaris*, non enim in ullo concilio reperitur, ut nec in Scripturâ; cur ergò eo, præsertìm exoso adversis, utemur? Difficiliorem eis reditum ad Ecclesiam sic reddemus, et probationem ejus quod injecerimus? *Transubstantiationis* nomine utitur Tridentina Synodus, sess. 13, can. 1 et cap. 4. Eo itaque nobis utendum, et non solùm res eo significata credenda : at non usa est termino *infallibilitatis;* nec nos ergò utamur, nec sapientiores in fidei rebus simus concilio. Et si devius quid sentiendum sciscitetur, respondeamus sufficere illi obvolvere id silentio, et ignorare id posse quod Tridentinum non docuit.

3° Res significata per ipsum terminum est de fide, dummodò nihil aliud eo termino significetur, nisi quod habet Tridentinum, *Ecclesiæ esse judicare de vero sensu Scripturarum*, et de quâlibet motâ controversiâ, eique assentiendum, et ejus sensum admittendum, quæ nunquàm errat ob assistentiam Spiritûs sancti, ei promissam, Joan. cap. 14, 16, 26, et cap. 16, 13, qui errare non potest; nam *impossibile est mentiri Deum*, Hebr. 6, 18. Si quid aliud scholasticus nomine *infallibilitatis* significet, ut sæpè sæpiùs ingerit subtiliter, *non erit de fide*, quidquid illud sit, sive certissimum, sive probabile, et subtilitatis scholæ proprium, nec simplicitati fidei aptum, scholis denique continendum, neutiquàm deviis in castra catholica reducendis proponendum; et si quærunt illi, *quid in hâc re sit illis sentiendum, quò fiant Catholici*, respondendum, silentem de iis Ecclesiam debere imitari, et sine præjudicio fidei hæc posse ignorari; *non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Rom. 12, 3. Nos Ecclesiæ nomine nihil debere docere, nisi quod docuit; cùm in castra catholica transierit devius, nos illum, si sequi libuerit, in scholas ducturos et subtiliora esse docturos. Sanè similis, vel ferè similis est hæc quæstio, illi scholasticæ, *an prædestinatus possit damnari, et reprobus salvari.* Ut enim Ecclesia non est Ecclesia, nisi habeat assistentiam Spiritûs sancti, qui est *infallibilis*, et proindè Ecclesia per ipsum est *infallibilis;* ità prædestinatus non est prædestinatus, nisi cum *prædestinatione;* itaque sicut, positâ illâ, seu ut loquimur in scholis, *in sensu composito*, quia Deus non potest non perducere ad effectum quod statuit, *non potest damnari; in sensu tamen diviso*, ut loquuntur nostræ scholæ, *potest* damnari; ità Ecclesia *in sensu diviso*, posset errare, sed in tali casu non foret Ecclesia, sicut in simili casu non foret *prædestinatus; in sensu verò composito non potest errare.* Sed quis non videt hæc nimis subtilia, esse extrà septa fidei, seu non esse de fide mixtis his subtilitatibus, et proindè continenda inter scholas? Contineamus ergò nos intrà terminos Tridentinos, nec aliud tanquàm de fide proponamus. Facillima sanè erit probatio dogmatis nostri sic propositi, et ei facilè devius subscribet. Cur viam reditûs sentibus et dumetis obsidemus, ne facilis sit reditus?

4° Non est de fide, Deum vel Scripturas non esse *judicem controversiarum*, sed *Ecclesiam solam;* imò proclamandum, quod pellicit devios ad nos, *Deum esse primum et summum judicem, et Scripturam esse judicem* et quidem *potiorem* Ecclesiâ; quippè cùm illa contineat verbum Dei, hujus locutio sit humana seu hominum. Probatur 1°, quia nec Professio nostra, nec Tridentinum denegat Deo, vel Scripturæ hanc dignitatem judicis. Imò Christus, Joan. 12, 48 : *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die;* ut et Joan. 7, 5 : *Lex nostra judicat hominem*, etc. Et benè Suarez, tract. de Fide, disp. 5, sect. 2 : « Regula fidei est vel inanimis, vel viva animata; prior est Scriptura et traditio; viva et loquens est Ecclesia, concilium generale, et episcopus romanus; et ità resultant quinque regulæ. » Idem repetit sæpiùs, sect. 3, 4, 5, 6, 7, 8. Ubi, tùm alibi, indiscriminatìm Scripturæ seu verbo Dei, et Ecclesiæ, judicium de controversiis ascribit, et cum eo alii theologi post Augustinum, lib. de Unit. Eccl. cap. 2, et alios Patres frequenter. 3° In more positum est dicere litigantibus : *Lex judicabit.* Quidni ergò idem dicemus de Scripturâ? 4° Quod subtiliùs dicimus in scholis, legem esse *regulam*, ex quâ *judex judicat*, legem autem propriè non judicare, quia non potest audire contendentes, unâquâque parte ad se eam attrahente; ità Scripturam : est extrà simplicitatem fidei, et proindè non est cum illâ subtilitate

de fide, sed intrà septa theologiæ coercendum.

5° Non est de fide, ut jam diximus, papam extrà concilium generale, esse *judicem* summum controversiarum : nec etiam extrà illud *esse infallibilem in judicio ferendo de rebus fidei, aut morum*. Patet quia nec est in professione nostrâ, nec in Tridentino, et hæc jam ostendimus. Atque hæc satis *de regulâ fidei, et secretione ex eâ doctrinâ fidei catholicæ à scholasticâ, quibusvis opinionibus, et popularibus erroribus, in omnibus controversiis hoc seculo motis.*



MONITUM.

Multi equidem de *notis theologicis* scripsère, inter quos Melchior Canus in opere superiùs edito. Verùm Montanii sequens libellus materiem hancce gravissimam pleniùs luculentiùsque absolvit. Quod si tamen in re tàm salebrosâ quædam occurrant quorum sensus à supradictis dissonare videatur, in *theologico Cursu*, prout se dabit occasio, singulatìm annotationibus illustrabuntur.

Montanii vitam vide tractatui de Gratiâ præfixam, tom. X. Theol. Curs. Complet.

DE CENSURIS,

SEU NOTIS THEOLOGICIS,

ET DE SENSU PROPOSITIONUM.

Virum theologum minimè decet ignorare varia dogmaticarum propositionum venena; vulnus siquidem à vulnere secernere debet, ne minùs cauta morborum cognitio remedia confundat, ut imperitus medicus, dùm animum curare voluerit, ipsum de facto exulceret. Non abs re itaque erit hìc agere de Censuris, seu notis theologicis, circà quas quæremus : 1° De naturâ notæ seu censuræ theologicæ; 2° de divisione notæ theologicæ; 3° de ipsius objecto; 4° de modo ferendi censuras theologicas; 5° denique de auctoritate necessariâ ad ferendas hujusmodi censuras.

ARTICULUS PRIMUS.

De naturâ notæ seu censuræ theologicæ.

Ut clara et accurata habeatur notæ seu censuræ theologicæ notio, tria hìc veniunt expendenda : 1° Quæ sit legitima censuræ theologicæ definitio; 2° qui dogmatici Ecclesiæ judicii, quo ipsa fertur censura, ge-

nuini characteres; 3° quodnam sit discrimen judicium illud dogmaticum inter et legem disciplinæ, ac meram propositionum aut librorum prohibitionem ad tempus.

§ 1. *Quæ sit legitima censuræ theologicæ definitio.*

Censura theologica rectè definiri potest : *Judicium seu sententia, quâ nota prava et maligna cuidam inuritur doctrinæ, tanquàm fidei aliquo modo nocivæ.* Ità Cardinalis Cajetanus, Melchior Canus, et post ipsos Antonius de Panormo in erudito opere cui titulus : *Scrutinium doctrinarum;* cap. 1, art. 2, n. 6. Dicitur, *Judicium seu sententia*, quia censura tradit quid sit sentiendum de doctrinâ circà quam versatur. Additur, *quâ nota prava et maligna;* semper enim in malam partem usurpatur censura, et exponit quale nocumentum inferat fidei perversa hæcce doctrina. Subjungitur, *cuidam inuritur doctrinæ;* etenim non unicè verba et propositionis terminos attingit censura, sed potissimùm eorum sensum atque doctrinam iis enuntiatam. Tandem dicitur, *tanquàm fidei aliquo modo nocivæ.* Scilicet non fertur censura nisi in ordine ad depositum fidei custodiendum : undè opiniones merè philosophicæ, quæque fidei nec mediatè nec indirectè adversantur, quantumvis falsæ, censuræ theologicæ non subjiciuntur. Accuratam esse hanc definitionem constat : 1° Ex auctoribus mox citatis; 2° ex dicendis articulo sequenti, ubi singulas sigillatim notas seu censuras theologicas expendendo, patebit nullam ex iis esse, cui non competat præfata theologicæ notæ definitio; 3° ex genuinis dogmatici Ecclesiæ judicii, quo doctrinæ nota inuritur, jam recensendis characteribus.

§ 2. *Dogmatici Ecclesiæ judicii, quo theologica fertur censura, genuini characteres.*

Dogmaticum Ecclesiæ judicium generatìm definitur : *Judicium de rebus credendis :* vel aliter : *Judicium veritates credendas et errores proscribendos proponens;* vel paulò fusiùs : *Judicium de rebus à Deo revelatis, vel cum iis certò et indivulsè connexis,* vel denique : *Judicium internos fidelium sensus et fidem ordinans ac dirigens circà ea omnia quæ ab Ecclesiâ aut credenda aut proscribenda fidelibus proponuntur.*

Ex his judicii dogmatici definitionibus quas Laurea, Panormo, Suarez, Natalis Alexander, aliique passìm theologi tradunt, patet : 1° Dogmaticum Ecclesiæ judicium non modò circà veritates immediatè revelatas versari, sed etiam ad veritates mediatè duntaxat revelatas, necnon ad ea omnia quæ cum iis connexa sunt, extendi; 2° judicia hujusmodi internum et absolutum exigere mentis assensum; 3° non nihil discriminis esse judicium dogmaticum inter et regulam fidei strictè sumptam : omnis siquidem regula fidei strictè sumpta judicium est dogmaticum, sed non vice versâ; illa enim necessariò versatur circà veritates immediatè revelatas vel eas in seipsis credendas proponendo, uti in symbolis, aut proscribendo errores ipsis oppositos, sicuti in canonibus et anathematismis; judicium verò dogmaticum extenditur insuper ad veritates aut errores, fide vel hæresi inferiores; est enim judicium dogmaticum veluti genus respectu regulæ fidei strictè sumptæ, quæ se habet quasi illius species.

Igitur cùm Ecclesia quasdam propositiones, uti hæreticas, aut etiam erroneas, vel temerarias, scandalosas, etc., sive specialìm, sive generalìm et *in globo* damnat; judicia hujusmodi verè sunt dogmatica, et tenetur unusquisque persuasum habere, nullam esse ex iis notam quæ in proscriptas propositiones meritò non cadat; et insuper si agatur de censurâ generali et *in globo*, nullam esse ex damnatis propositionibus quæ aliquam ex enumeratis notis non mereatur.

1° Illud manifestè demonstrant Bullæ Leonis X, adversùs Lutherum; Pii V, adversùs Baium; Innocentii XI, adversùs Molinos; Innocentii XII, in propositiones 23, excerptas è libro cui titulus : *Les maximes des Saints*, etc. In his omnibus decretis damnantur propositiones, non solùm sub notâ hæreseos aut erroris, sed etiam tanquàm scandalosæ, temerariæ, etc. Quis autem dixerit fideles non teneri prædictas propositiones intùs et ex animo proscribere sub iis notis quibus diffamatæ sunt, cùm disertè testentur præsules Gallicani, quorum declaratio refertur ad calcem Comitiorum anni 1705, prædictis constitutionibus nullam ex requisitis ad astringendam universam Ecclesiam conditionibus desiderari?

Idem colligitur ex formulâ à Martino V, sacro approbante concilio Constantiensi latâ, in quâ propositis Wiclefi, Joannis Hus et Hieronymi de Pragâ articulis, quorum aliqui non ut hæretici, sed ut erronei duntaxat, aut scandalosi, temerarii, etc., proscripti fuerant, jubet summus pontifex quoslibet fideles de his articulis suspectos interrogandos esse, « utrùm credant quòd condemnationes horumce articulorum.... per sacrum generale Constantiense Concilium fuerint ritè et justè factæ, et à quolibet catholico pro talibus tenendæ ac firmiter asserendæ. » Quod autem spectat litteratos, præcipit summus pontifex ut sub hâc formâ interrogentur : « Utrùm credant sententiam sacri concilii Constantiensis super 45 Joannis Wiclef, et Joannis Hus 30 articulis superiùs descriptis latam, fore veram et catholicam; scilicet quòd supradicti articuli 45 Joannis Wiclef, et Joannis Hus 30, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notoriè hæretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi. » Propositiones ergò damnatæ, etiam sub aliis notis quàm erroris aut hæreseos docente concilio Constansiensi non sunt catholicæ, et judicia quibus illæ configuntur verè sunt dogmatica, atque ad assensum internum adstringunt fideles.

Et verò eâdem sess. 45, declarat S. P. Martinus V, quæ à concilio contrà Wiclefi articulos statuta fuerant, totidem fuisse *determinationes*, *conclusiones* et *decreta in materiâ fidei*. Ipsum etiam conc. sess. 7 et 8, damnationem articulorum Wiclefi, quorum aliqui tamen duntaxat notantur ut scandalosi, temerarii, etc., non autem ut erronei aut hæretici, appellat *determinationes in materiâ fidei*. Teste ergò concilio Constantiensi, judicia quibus propositiones perstringuntur aliâ ratione

quàm ut erroneæ aut hæreticæ, verè sunt ac dici debent judicia dogmatica.

2° Id etiam evincitur ex communi ac constanti theologorum doctrinâ; nonnullos ex insignioribus hic recensere satis sit.

Doctissimus Meldensium episcopus in secundo scripto adversùs illustriss. archipræsulem Cameracensem, apertè supponit judicia quibus Ecclesia sub quibuscumque notis doctrinam proscribit, verè esse dogmatica, cùm asserit hujusmodi judiciis nascentes hæreses plerumque lethali telo transfodi. Sic habet pag. 45, laudati mox scripti : « Les condamnations générales « sont utilement pratiquées dans l'Eglise pour donner « comme un premier coup aux erreurs naissantes, et « souvent même le dernier, suivant l'exigence du cas, « et le degré d'obstination qu'on trouve dans les es- « prits. »

Non alia est Palavicini doctrina, lib. 1 Hist. conc. Trid. cap. 21, ubi diluens Suavis argumenta adversùs Leonis X pontificium diploma, quo erronea Lutheri dogmata percelluntur, sic loquitur : « Uti aliquis articulus tanquàm fidei dogma statuatur, et summa necessitas urgeat oportet, et exactissimè trutinâ examinetur; cùm hujusmodi declaratio imperet hominum mentibus, rem maximè omnium quam christiana lex habet arduam, id est, ut res obscuras citrà omnem dubitationem credamus, quapropter Ecclesia, quantùm licuit, ab eo semper abstinuit. Jam verò quia multæ doctrinæ homines inclinant in hæresim, aliaque infligunt incommoda, par est eas è linguis ac paginis relegare; atque ad id necesse non est ut illa certò Dei verbis repugnent; satis est si aut gravia exstent hujus repugnantiæ indicia, eò quòd adversentur seu communi scholæ consensui, seu veteribus Ecclesiæ usibus, seu sanctorum Patrum auctoritati; aut deprehendantur ut semina operum quæ officiant christianæ reipublicæ, ac proindè mereantur aliquam ex suprà memoratis censuris (temerariam scilicet, scandalosam, etc.), quæcumque tandem ea sit. » Id familiari exemplo ibidem illustrat eminentissimus auctor his verbis : « Ut ab aliquo oppido excludatur advena, non semper necesse est ut peste correptus aut perduellis in aperto sit; sufficit pestilentiæ aut perduellionis suspicio. Non igitur pontifex (Leo X) habuit in animo, per hujusmodi diploma (adversùs Lutherum) dubitationem omnem tollere (nimirùm circà specialem malitiæ ac notæ theologicæ gradum, unicuique Lutheri articulo inurendum, ut paulò post observat Palavicinus); quibus dubitationibus libitum est Deo oppletam esse penè omnem hujus vitæ scientiam, ac potissimè theologiam, quippè cui obscuriora observantur themata, altiùsque nostram intelligentiam supergressa; illi solùm consilium fuit ut certi haberemus quantùm satis erat; nimirùm declaravit eas omnes propositiones perniciosas esse, si tradantur; periculosas si credantur. Cæterùm innumeræ sententiæ sunt quæ communi consensione à theologis rejectæ adhùc in incerto sunt, et ignoratur quânam speciali notâ sint configendæ; cùm alii hæreticas existiment, alii erroneas, alii solùm temerarias seu improbabiles. » Integrum hunc eminentissimi juxtà ac doctissimi auctoris textum exscripsimus, ex quo manifestè patet, Ecclesiæ decreta quibus propositiones velut scandalosæ, temerariæ, suspectæ, etc., configuntur, vera esse dogmatica judicia, quæ ad internum et firmum animi assensum singulos fideles adstringunt; quanquàm, cùm hujusmodi judicia varias in globo propositiones sub variis respectivè notis configunt, in incerto relinquant, quænam sigillatìm nota cuilibet speciatìm propositioni sit assignanda.

Eamdem doctrinam sæpiùs inculcat celeberrimus Ekius adversùs Lutherum disputans, præsertìm verò disputatione sextâ Julii, ubi ait omnes articulos à concilio Constantiensi proscriptos, pro heterodoxis ac legitimè damnatis habendos esse à quolibet fideli : « Sacrosancta Synodus Constantiensis, inquit Ekius, articulos illos (Joannis Wiclef) damnavit et reprobavit; ideòque à quolibet bono christiano pro condemnatis et reprobatis habendi sunt. » Rursùs notat ibidem tanquàm quid horrendum, « Lutherum ausum fuisse asserere aliquos articulos Joannis Wiclef, per sacrum concilium Constantiense reprobatos, esse christianissimos et evangelicos. » Idem passìm docent ac probant celebriores theologi, de Lugo disp. 20, sect. 3; Malderus 2-2, quæst. 11, membro 5; Suarez de Fide disp. 19, sect. 2; Turrianus, disp. 55, dub. 5 ; Laurea, Antonius de Panormo in Scrutinio doctrinarum et alii. Instar omnium hìc sufficiat referre Bannesium 2-2, quæst. 11, art. 2 : « Sine dubio, inquit, gravius est asserere quòd Ecclesia potest errare in ejusmodi rebus definiendis (nimirùm aliquam propositionem esse malè sonantem, aut scandalosam, etc.), quàm asserere ipsasmet propositiones malè sonantes et offensivas. Ratio est, quia talis assertio magis accedit ad contumaciam, quàm assertio ipsarum propositionum. » Et paulò post : « Error est asserere quod Ecclesia in ejusmodi censuris possit errare. Probatur, quia cùm Ecclesia sit regula infallibilis proponendi veritates fidei, necessariò sequitur ut non possit falli in confessione fidei.... Ex quo rursùs sequitur, quòd non possit falli in dijudicando verba contraria et minùs legitima ac dissonantia veritatibus catholicis significandis. » Atque hìnc concludit : Quòd si quis condemnaretur ut revocaret aliquam propositionem malè sonantem aut sapientem hæresim, et ille nollet retractare, puniretur ut hæreticus. »

3° Denique ea omnia Scripturæ, Patrum ac rationum momenta quibus demonstratur decreta Ecclesiæ propositiones quasdam velut hæreticas diffamantis, vera esse judicia dogmatica, infallibilia, quæque internum ac firmum fidelium assensum exigunt; idem proportione servatâ evincunt de aliis omnibus decretis quibus propositiones tanquàm malè sonantes, scandalosæ, aliisque hujusmodi censuris proscribuntur. Et verò, ut sæpiùs observat illustrissimus Bossuet, in utroque suo documento pastorali circà Ecclesiam, ea Scripturæ testimonia, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, et alia hujusmodi universalia sunt, ab-

soluta et independentia; ac proindè ad ea etiam Ecclesiæ decreta extendi debent, quibus doctrina fidelibus reprobanda proponitur sub aliis notis quàm erroris aut hæreseos.

Atque hinc non mirum si doctissimus præsul mox citatus, in relatione damnationis libri cui titulus : *Explication des maximes des Saints*, loquens de decreto Innocentii XII, quo plures propositiones ex prædicto libro extractæ configuntur sub variis respectivè notis, inter quas non reperitur nota hæreseos, non mirum, inquam, si de eo decreto loquens, asserat, approbantibus Comitiis, uti refertur in Actis verbalibus Cleri Gallic. an. 1700, pag. 271, 272, 285, 288, decretum illud latum fuisse *circà materiam ad fidem spectantem, cum revelatione connexam; in eo ferendo spectandam fuisse Scripturam et traditionem*, etc. Et rursùs illud appellat censuram *accuratam, summæ auctoritatis, Scripturæ et sanctorum Patrum traditioni conformem*, etc. Quæ quidem omnia totidem sunt judicii dogmatici ad assensum internum adstringentis genuini characteres.

Idem clarè tradunt præsules Gallicani in suâ percelebri ad regem Epistolâ an. 1728, his verbis : « Ces sortes de « jugements (*in globo*) nous règlent dans l'ordre de la « foi, parce que c'est pour la conservation de la pureté « de la foi que l'Eglise les prononce, et parce qu'ils « servent à garantir la foi des fidèles, en les mettant « en garde contre des propositions qui enseignent, qui « favorisent ou qui insinuent l'erreur. » Et paulò post, ut istud confirment, subdunt iidem præsules : « Il n'y « a qu'à lire les professions que Martin V dressa à la fin du concile de Constance..., on y verra clairement « que ce pape regardait des censures portées sous des « qualifications respectives comme appartenantes au « dogme, et comme servant à diriger les fidèles dans « l'ordre de la foi. » Judicia ergò quibus etiam respectivè et *in globo* damnantur propositiones, etsi infrà hæresim, verè sunt dogmatica, ac proindè ad assensum internum singulos fideles obligant.

Quinque sunt dogmatici Ecclesiæ judicii præcipui ac essentiales characteres : 1° Regula est assensûs interni, veritates intùs et ex animo credendas, aut errores proscribendos proponens. Is est primus et eximius dogmatici Ecclesiæ judicii character, aliorum omnium fons, radix et origo; et quo essentialiter discrepat à lege disciplinæ, quæ per se exteriores duntaxat actiones vel certos quosdam usus præscribit aut prohibet. 2° Irreformabile est nec mutationi obnoxium : sicut enim teste Apostolo Ephes. 4, *una fides* et immutabilis; ità et, fatentibus omnibus, judicium dogmaticum quod versatur circà veritates revelatas, aut cum iis certò et indivulsè connexas, irreformabile esse debet et prorsùs immutabile. 3° Universale est. Scilicet, ubi semel latum est dogmaticum Ecclesiæ judicium, omnia perindè respicit loca, tempora, omnes obligat ubique sparsos fideles; hinc celebre illud Vincentii Lirinensis pronuntiatum : *Quod ab omnibus, quod semper, quod ubique.* 4° Dogmaticum Ecclesiæ judicium habet pro objecto, non meras voces merosque terminos quibus exprimitur propositio, sed ipsammet dogmatis substantiam, eamque si perversa sit, sub debitâ notâ et qualificatione perstringit; quæ quidem nota per se et immediatè cadit, non in ipsam personam (quemadmodùm in judicio disciplinæ, uti mox videbimus), sed in malum sensum et perversam doctrinam propositione enuntiatam. 5° Tandem dogmaticum Ecclesiæ judicium propugnari nequit aut impugnari, nisi ad Scripturam, traditionem, aut ad ea quæ cum iis connexa sunt, recurrendo, atque ostendendo prædictis regulis illud adversari aut consentire; atque in eo differt à lege disciplinæ, cujus æquitas aliundè vindicatur, ut mox expendemus.

§ 3. *Quodnam sit discrimen judicium dogmaticum inter et legem disciplinæ.*

Accurata hæc est legis disciplinæ notio : Decretum quod fertur de rebus agendis, nec intrinsecè bonis, nec intrinsecè malis; undè res illæ pro variis locis, temporibus, et Ecclesiarum consuetudinibus aliquam subire possunt mutationem; immutantur quippè pro libitu Ecclesiæ, ubi opportunum dijudicatur; aut penitùs obliterantur.

Disciplina porrò generatìm duplex distinguitur : Apostolica, quæ originem ducit ab Apostolis; et ecclesiastica, quæ initium sumit à successoribus Apostolorum. Rursùs ecclesiastica alia est universalis, quæ nimirùm ubique viget; et particularis, certis quibusdam determinatè locis affixa. Iterùm universalis, alia est quæ jam ab antiquo ubique viget; alia, quæ de novo introducitur.

Denique disciplina tribus modis spectari potest : 1°, strictè, et est simpliciter de rebus agendis; dicitur mera disciplina; talis erat quæstio de celebratione Paschatis, agitata Polycratem inter et Victorem, summum pontificem; 2°, latè, et respicit itidem agenda, sed alicui dogmati connexa : hujusmodi erat, juxtà nonnullos, SS. Cypriani et Stephani de Baptismate controversia; 3° tandem, latissimè et valdè improprio sensu, res ea dicitur disciplinæ, quæ licèt in se ad dogma pertineat, nondùm tamen expressè ab Ecclesiâ definita fuit; undè in alterutram sententiam abire possunt theologi. De his omnibus disciplinæ speciebus alius erit dicendi locus.

Meræ autem disciplinæ, de quâ hìc potissimùm quæstio, tres sunt præcipuæ proprietates. Prima, varietas in praxi. Secunda, libertas sentiendi. Tertia, inter dissentientes communionis vinculum. Id patet discurrendo sigillatìm circà singula meræ disciplinæ capita.

His præsuppositis, judicii dogmatici à disciplinæ lege discrimen ex quinque potissimùm capitibus reperitur. 1° Lex disciplinæ *per se* exteriores duntaxat actiones præcipit aut prohibet; quod si feratur de propositionibus in controversiam adductis, unicè silentium imperat, meras voces merosque terminos removet disputationi locum præbentes; sed doctrinam ipsam ipsumque dogma minimè perstringit : è contrà verò judicium dogmaticum, uti anteà diximus. 2° Mutatur pro mutatis circumstantiis; è contrà judicium dogmaticum immutabile est ac irreformabile. 3° Non omnes

æquè obligat, sed eas solùm regiones quarum usibus congruit, et in quibus illius viget acceptatio; è contrà verò cùm judicium dogmaticum feratur ad dirigendos fideles in ordine fidei; quemadmodùm una est omnium fides, ità et judicium dogmaticum omnes indiscriminatìm fideles respicit, atque ad omnia loca et tempora extenditur. 4° Lex disciplinæ pœnam transgressoribus infligit, dùm eorum doctrinam non infamat; è contrà in judicio dogmatico proscribitur doctrina sub aliquâ è notis in damnandis propositionibus ab Ecclesiâ adhiberi solitis. Discrimen istud apertè patebit conferendo ex unâ parte statuta synodalia quæ versantur circà disciplinam, cum pastoralibus episcoporum mandatis quibus libros aut propositiones è libris extractas dogmaticè perstringunt. 5° Demùm, legis disciplinæ de novo introducendæ, vindicatur aut impugnatur æquitas, non quidem recurrendo ad immotas fidei nostræ regulas, Scripturam et traditionem; sed unicè demonstrando novum illud statutum consentire aut adversari antiquis ac receptis usibus, moribus ac consuetudinibus regionum; at ubi agitur de judicio dogmatico res omninò aliter se habet, uti suprà videre est.

Ex dictis in duobus præcedentibus paragraphis inferes multùm esse discriminis, inter censuram seu damnationem absolutam propositionum, et meram iisdem utendi prohibitionem.

Absoluta propositionum damnatio verum est judicium dogmaticum, cui proindè citati anteà characteres competunt; scilicet perversam habet pro directo et immediato objecto propositionis sensum ac doctrinam, internum animi assensum exigit; et si ab Ecclesiâ lata fuerit hæc damnatio, infallibilis est, omnes æquè fideles obligans, perpetua et invariabilis, quamdiù scilicet immutatus manebit propositionis sensus.

Nuda autem certis quibusdam propositionibus utendi prohibitio, mera est disciplinæ lex quæ non perversam propositionis doctrinam respicit, sed illius duntaxat usum quem prohibet; innoxias perindè ac vitiosas propositiones spectare potest, cùm utrisque quis abuti possit. Ità, sicuti suo loco variis adductis exemplis evincemus, Sabelliani, Ariani, Pelagiani, Nestoriani, Eutichiani, Scripturæ et Patrum propositionibus in suorum errorem patrocinium usi sunt; Eutychiani, v. g., istâ sancti Cyrilli propositione : *Una natura Verbi Dei incarnata.* Prætereà, mera usûs propositionum prohibitio (nisi ex circumstantiis temporis auctorisve conjiciatur, simul prohiberi doctrinam propositione expressam) nullatenùs *per se* ad credendum adstringit, sed solum importat silentium, atque interdictæ propositionis non usum.

Denique, mera vocis aut propositionis interdictio propter imminentes abusus, aut ne motus et dissensiones excitentur, nuda est politiæ, œconomiæ et cautionis lex ad tempus, quæ cessante abusu et sedatis motibus animisque pacatis desinit obligare; ac proindè tunc eamdem propositionem defendere licet eâque uti.

ARTICULUS II.

De divisione notæ seu censuræ theologicæ.

Variæ passìm recensentur damnabilium propositionum censuræ. Alia nimirùm est propositio hæretica, alia erronea, alia hæresi proxima, sapiens hæresim, hæreseos suspecta; alia proxima errori, sapiens errorem, suspecta erroris; alia impia, alia blasphema, alia periculosa in fide et moribus; alia scandalosa, malè sonans, piarum aurium offensiva; alia captiosa, temeraria; alia denique schismatica, seditiosa, ecclesiasticæ hierarchiæ eversiva, falsa, improbabilis, etc. Præcipuas ex recensitis mox censurarum speciebus reperire est in concilio Constantiensi, sess. 8 et 11, ubi enumeratis Wiclefi articulis, de his sic pronuntiat synodus : « Quibus articulis examinatis fuit repertum (prout in veritate est) aliquos et plures ex istis fuisse et esse notoriè hæreticos, et à pluribus sanctis Patribus reprobatos; alios non catholicos, sed erroneos; alios scandalosos et blasphemos; quosdam piarum aurium offensivos; nonnullos eorum temerarios et seditiosos, et propthereà in nomine Domini nostri Jesu Christi hæc sancta synodus prædictos articulos et eorum quemlibet hoc perpetuo decreto reprobat et condemnat, inhibens omnibus et singulis catholicis sub anathematis interminatione, ne de cætero dictos articulos, aut ipsorum aliquem audeat prædicare, dogmatizare, offerre vel tenere. » Synodum Constantiensem secuti sunt posteriores summi pontifices Leo X, Pius V, Gregorius XIII, Innocentius X, Alexander VII, Clemens X, Innocentius XI, Alexander VIII, Innocentius XII, etc., nec non et Comitia Cleri Gallicani plerumque ac sacra Facultas Parisiensis.

De variis illis propositionum censuris ex professo disserunt S. Antoninus parte 2 Summæ Theol. titulo 12, cap. 5; Turrecremata, in Summâ de Ecclesiâ lib. 4, parte 2 cap. 8 et sequent.; Castro. lib. 1 de Hæret. punitione, cap. 3 et seq.; Sylvester, verbo hæresis, qu. 1; Canus, lib. 12 de Locis Theologicis, à cap. 8; Gerson, lib. cui titulus : *Declaratio veritatum quæ credi debent;* Cajetanus 2-2, q. 11, art. 1 et 2; Bannes, ibidem; Lorca, disp. 40; Suarez de fide disp. 19, sect. 2; Ripalda, tom. 3 de ente supernatur., disput. 1, sect. 7 et 8, etc.; et è recentioribus eminentissimus de Laureà, disp. 9 de fide; Antonius de Panormo integro volumine cui titulus : *Scrutinium doctrinarum.* De his etiam paucis quidem sed doctè, ut assolet, disseruit illustrissimus Bossuet, cap. 15, lib. 2, et cap. 13 libri 3 Defensionis Declarat. Cleri Gallicani. Hos omnes auctores indicâsse non abs re erit, qui consuli poterunt si vacat, aut necessitas urgeat. Interìm suprà recensitas censurarum species sigillatìm et obiter referemus ac exponemus.

§ 1. *De propositione hæreticâ.*

Dissentiunt inter se theologi in assignandâ legitimâ notione propositionis hæreticæ. 1° Nonnulli arbitrantur propositionem hæreticam eam esse, quæ opponitur fidei cum pertinaciâ; adeò ut eadem propositio si cum

pertinaciâ et animo hæretico proferatur, erit hæretica, non verò si ex ignorantiâ aut bonâ fide. Ità sensit Cajetanus citatâ mox quæst. 11, art. 1, huncque sequitur Canus citato etiam mox loco.

Refellitur hæc opinio, 1°, quia unanimi aliorum theologorum doctrinæ adversatur; 2°, propositio potest esse hæretica absque pertinaciâ; siquidem pertinacia non pertinet ad qualitatem propositionis secundùm se, sed ad qualitatem proferentis; censura autem hæreseos directè afficit ipsam propositionem atque doctrinam propositione enuntiatam; 3°, propositio secundùm se seorsìm à pertinaciâ continet gradum oppositionis cum fide supremum et proprium à cæteris distinctum, quem sibi vindicat, ut mox constabit; ergò, etc.

2° Alii existimant propositionem hæreticam esse quæ repugnat objecto fidei, seu doctrinæ revelatæ. Refelluntur. Nam propositio potest repugnare objecto fidei et doctrinæ revelatæ, quin jure censeatur hæretica; talis est propositio erronea, quæ, uti posteà dicemus, constituitur in ratione erroneæ per oppositionem mediatam cum doctrinâ divinitùs revelatâ.

3° Alii addunt propositionem hæreticam eam esse quæ contradicit objecto immediatè revelato. Refelluntur adducto mox argumento. Etenim potest propositio repugnare objecto immediatè revelato, quin jure censeatur hæretica; nimirùm cùm aliquis dissentit doctrinæ in Scripturis immediatè contentæ, quæ tamen non est ab Ecclesiâ declarata, ut dari virtutes infusas, antequàm Ecclesia eam veritatem declarâsset. Item si quis dissentiat objecto privatìm alicui personæ immediatè revelato, is certè dissensus hæreticus non est.

4° Alii propositionem hæreticam eam esse definiunt, quæ adversatur aut expresso Dei verbo, aut expressæ definitioni Ecclesiæ. Refelluntur. Ut aliquid sit de fide divinâ catholicâ, nec expressum Dei verbum sine expressâ Ecclesiæ definitione; nec vicissim expressa Ecclesiæ definitio, sine expresso Dei verbo sufficiunt, sed utrumque requiritur, uti mox dicemus, idque variis exemplis illustrari potest; ergò à pari, ut propositio verè dici possit hæretica, necessum est ut revelationi accesserit expressa Ecclesiæ definitio.

5° Denique alii, quibus subscribimus, asserunt propositionem hæreticam eam esse, *quæ directè et immediatè opponitur veritati catholicæ.* Veritas autem catholica ea dicitur, quæ cùm sit revelata, ab Ecclesiâ quoque proponitur de fide tenenda. Vel aliter, propositio hæretica ea est, *quæ directè et immediatè adversatur doctrinæ à Deo revelatæ et per Ecclesiam proposita*. Ista propositionis hæreticæ notio, inquit sæpiùs citatus auctor *Scrutinii doctrinarum*, cap. 2, art. 1, n. 6, communis est apud theologos et canonistas, cum Scoto in 3 dist. 73, quæst. unicâ, et Suario, de Fide disp. 19, sect. 1, et colligitur ex cap. *Ad abolendam*, et passim ex toto titulo, *De Hæreticis.*

Dicitur 1°, propositio hæretica quæ *directè* opponitur veritati fidei, seu veritati à Deo revelatæ, seu veritati catholicæ; nam propositiones quæ indirectè tantùm et per consequens veritatibus fidei catholicæ repugnant (cujusmodi sunt propositiones conclusionibus theologicis contrariæ) non hæreseos notâ, sed alterius speciei censurâ, de quâ paulò post, afficiuntur.

Dicitur 2°, quæ *immediatè* opponitur; propositio enim hæretica in suo esse essentialiter constituitur, atque à propositione erroneâ formaliter distinguitur per illam immediatam oppositionem cum veritate revelatâ; ut enim ait auctor *Scrutinii* Antonius de Panormo loco mox laudato, « sicut non omnis propositio vera, etiam in materiâ religionis spectat ad fidem catholicam; ità non omnis falsa est hæretica, etiamsi fuerit in materiâ religionis et morum : hinc ista propositio, *Christus non est risibilis*, est omninò falsa et in materiâ religionis; et tamen hæretica non est, sed erronea, quia quamvis aliquam mediatam et indirectam habeat oppositionem cum materiâ fidei catholicæ, quia tamen non est immediata atque directa, non est hæretica. Innumera alia possent adduci exempla propositionum falsarum in materiâ religionis et morum, quæ quidem falsæ sunt ac censurabiles aliis speciebus censurarum; nihilominùs quia directè et immediatè non habent oppositionem cum materiâ fidei catholicæ, hæreticæ non possunt dici; sicut è contrà propositio vera in materiâ religionis, non semper est de fide immediatè ac directè, ut patet in omni propositione theologicâ deductâ ex unâ de fide, et alterâ naturali lumine notâ, qualis est sequens, *Christus est risibilis*, quæ est conclusio theologica; ergò, concludit præfatus auctor, sola oppositio directa et immediata cum materiâ fidei divinæ constituit propositionem hæreticam. »

Atque hìnc idem auctor, cap 3, art. 5, expressè asserit, « propositionem oppositam alteri contentæ in sacrâ Scripturâ in terminis illativè æquipollentibus, non esse propriè hæreticam. » Verùm de his mox ubi de propositione erroneâ.

Dicitur 3°, *quæ ut talis ab Ecclesiâ proponitur;* quia ad propositionem hæreticam requiritur ut revelatio divina, non quocumque modo, sed infallibili Ecclesiæ auctoritate proposita sit, quo scilicet certò constare possit veritatem propositam in verbo Dei, sive scripto sive tradito esse contentam.

Sic expositâ circà notionem propositionis hæreticæ hâc ultimâ sententiâ, illius veritas isto argumento demonstratur : Ea propositio meritò dicitur hæretica, quæ contradictoria est veritati catholicæ; siquidem ideò hæc propositio : *Verbum divinum non est consubstantiale Patri*, est hæretica, quòd isti catholicæ veritati : *Verbum divinum est Patri consubstantiale*, sit contradictoria ; atqui propositio quæ directè adversatur veritati à Deo immediatè revelatæ et per Ecclesiam propositæ, manifestè est contradictoria catholicæ veritati ; veritas enim catholica definitur, ea quæ à Deo directè et immediatè revelata est, quæque ab Ecclesiâ fidelibus credenda proponitur ; ergò, etc.

Tres ergo ad propositionem hæreticam requiruntur conditiones. Prima, ut directè ac immediatè adversetur veritati revelatæ : ut enim jam advertimus, propositiones quæ indirectè duntaxat et per consequentiam veritatibus à Deo revelatis opponuntur, non hæreseos

sed alterius speciei censuræ notâ inuruntur. Secunda, ut veritas cui directè et immediatè adversatur propositio hæretica, ipsa sit in se, directè ac immediatè revelata ; aliàs non hæretica, sed erronea duntaxat dicenda foret propositio ; per hanc enim oppositionem directam et immediatam veritati à Deo immediatè revelatæ, propositio hæretica essentialiter differt à propositione erroneâ quæ per se et immediatè adversatur veritati à Deo mediatè duntaxat revelatæ, id est, conclusioni theologicæ. Ità auctor *Scrutinii doctrinarum*, qui cap. 3, art. 5, n. 11, pro hâc sententiâ citat Alphonsum à Castro, Valdensem, Canum, Molinam, Valentiam, Hurtadum, Tannerum, Ouviedum, Lorcam, et Thomistas communiter. « Et verò, inquit ibidem, propositionem hæreticam constitui per oppositionem immediatam propositionibus immediatè revelatis, indè constat, quòd cùm Ecclesia non habeat auctoritatem condendi novos fidei articulos novaque dogmata, ea solùm posse ut talia declarare, et consequenter proscribere tanquàm hæretica ipsis opposita, de quibus revelatio divina immediatè est habita ; nam si id faceret per novam revelationem, jam de novo conderet dogmata..... et catenùs Angelicus docens definita ab Ecclesiâ ad habitum fidei pertinere, notas Ecclesiam in suis definitionibus procedere immediatè ex veritate primâ. » Et numero sequenti subjungit : « Quod quamvis in definitionibus Ecclesiæ præcedant theologici discursus et disputationes diligentissimæ, quæ per consequentias et illationes fiunt, sicut Apostoli, Act. 16, ad definiendum legalia non esse observanda, magnam conquisitionem fecerunt ; cùm tamen venitur ad definiendum, discursus ipse et disputatio more humano habita, non sunt ratio definiendi et credendi, nec ponuntur in decreto definitionis, sed quia visum est Spiritui sancto, qui illam veritatem primò dixit, et posteà aperuit immediatè contineri in Scripturâ vel traditione, non per novam revelationem, sed per novam manifestationem immediatæ revelationis anteà factæ, et dein Ecclesiæ ipsi, et toti dominico gregi infallibiliter proponeret, communicatæ. » Hactenùs insignis ille Congregationum indicis consultor, nec non romanæ Inquisitionis qualificator.

Tertia tandem conditio ad propositionem propriè hæreticam requisita, est, ut veritas cui adversatur, fidelibus ab Ecclesiâ proposita sit, tanquàm de fide divinâ credenda. Undè S. Augustinus, lib. 4 de Baptismo contrà Donatistas, cap. 4, sic habet : « Istum nondùm hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ catholicæ fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. » Et lib. contrà Epist. fundamenti, cap. 5, expressè asserit S. doctor : « Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas. »

Dices 1° : Ad hoc ut quid sit de fide divinâ, satis est ut sit in verbo Dei scripto vel tradito revelatum ; ergò necessum non est ut sit per Ecclesiam propositum ; ac per consequens ad propositionem hæreticam non requiritur, ut sit contradictoria veritati revelatæ *per Ecclesiam propositæ.*

Resp. 1°, cum Sylvio, 2-2, qu. 1, art. 1, quæsito 1, distinguendo antecedens ; ut sit de fide divinâ *quoad se* simpliciter et absolutè, concedo ; ut sit de fide divinâ quoad nos et catholicâ, omnes sub pœnâ hæreseos ad credendum obligante, nego. Ratio est, quia ut quid sit de fide catholicâ, omnes sub pœnâ hæreseos ad credendum obligante, debet omnibus certò et infallibiliter constare, quòd sit in verbo Dei scripto vel tradito revelatum. « Porrò, inquit ibidem Sylvius, Ecclesiæ propositio vel declaratio medium est ordinarium à Deo institutum ut certò sciamus quænam ipse revelaverit et à fidelibus credenda voluerit. » Huic doctrinæ consentiunt Patres. S. Irenæus, lib 3, cap. 4 : « Non oportet, inquit, quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia quæ sint veritatis. » Tertullianus, lib. de Præscriptionibus, cap. 1 : « Quid autem prædicaverint (Apostoli), id est quid illis Christus revelaverit, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli condiderunt. » Sanctus Ambrosius, lib. 6 in Lucam : « Fides Ecclesiæ inprimis quærenda mandatur. » Atque hìnc doctor Angelicus 2-2, quæst. 5, art. 3, loquens de objecto formali fidei disertè asserit, « quòd formale objectum fidei est veritas prima secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris et doctrinâ Ecclesiæ. » Quod quidem non ità intelligendum est, inquit Sylvius, loco laudato, quasi fide divinâ credi non possint quæ Deus revelat, etsi Ecclesia non ea proponat credenda ; sed quia veritates quæ revelantur quidem à Deo, et non manifestantur in Scripturis, neque in doctrinâ Ecclesiæ, non pertinent ad fidem catholicam, tanquàm scilicet articuli ab omnibus credendi ; pertinent tamen ut veritates ab aliquibus credendæ.

Resp. 2°, cum Suarez, de Fide disput. 3, sect. 10, paulò aliter distinguendo antecedens ; ut quid sit de fide divinâ *theologicâ,* satis est quòd sit in verbo Dei scripto vel tradito, concedo ; ut sit de fide *catholicâ,* nego. « Auctores solent distinguere, inquit Suarez ibidem, inter fidem catholicam et fidem theologicam seu infusam..... Fides catholica dicitur doctrina illa quæ toti Ecclesiæ universali credenda proponitur ; idem enim est doctrina catholica, quod doctrina universalis....; fides autem theologica continet quidquid à Deo revelatum fuerit, etiamsi ad communem Ecclesiæ doctrinam non pertineat. » Equidem ut aliquid sit de fide divinâ *theologicâ,* satis est quòd sit in verbo Dei scripto vel tradito ; ast ut aliquid sit de fide divinâ *catholicâ,* insuper requiritur publica Ecclesiæ propositio. Hinc S. Thomas, loco mox laudato, et qu. 2, de Verit. art. 13, ad 6, docet, « objectum formale fidei (catholicæ) esse primam veritatem, ut manifestatur in sacrâ Scripturâ et doctrinâ Ecclesiæ. » Et Magister Sentent. in 3 dist. 23, asserit, « fidem catholicam esse de his quæ ab omnibus fidelibus communiter creduntur. »

Observat autem citato mox loco Suaresius, fidem catholicam et theologicam non essentialiter sed accidentaliter duntaxat distingui. Scilicet, inquit, fides supernaturalis infusa una tantùm est secundùm habitum ; hæc autem dicitur fides *catholica,* quatenùs

versatur circà ea quæ ab Ecclesiâ fidelibus credenda proponuntur; dicitur verò *theologica*, quatenùs respicit ea omnia quæ à Deo revelata sunt, etiamsi ad communem Ecclesiæ doctrinam non pertineant; seu, ut loquitur idem Suarez, « *fides theologica significat credulitatem propter auctoritatem Dei testificantis in quâcumque materiâ et in quocumque modo.* » Rem paulò aliter videtur explicare Sylvius loco anteà laudato, quod tamen in idem reipsà coincidit : « Fides nobis infusa, inquit, ideò vocatur catholica, quia per eam assentimur illi quod tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est enim verè proprièque esse catholicum, ait Vincentius Lirinensis, cap. 3 lib. contrà hæreses. Cum quo non pugnat nos per eamdem fidem assentiri aliquibus veritatibus à Deo particulariter revelatis (et sic spectata fides appellatur *theologica*). Nam fides, pergit Sylvius, catholica non dicitur ab aliquo quòd pertineat ad rationem sui objecti formalis, sed à qualitate sui principalis et ordinarii objecti materialis. »

Dices 2° : Qui veritatem aliquam negat in Scripturis, vel traditione contentam, eo ipso hæreticus est; ergò ut aliquid sit de fide catholicâ sub pœnâ hæreseos omnes ad credendum obligante, necessaria non est publica Ecclesiæ propositio, sed satis est ut illud sit in verbo Dei scripto vel tradito revelatum.

Resp. distinguendo ant. si talis veritas clarè et evidenter sit expressa in Scripturis vel traditione, et insuper ex parte negantis adsit pertinacia, concedo; si obscurè duntaxat et implicitè jaceat in Scripturis vel traditione, nego. Equidem hæreticus est qui veritatem clarè et apertè in Scripturâ aut traditione revelatam negat cum pertinaciâ, id est, postquàm sufficienter illi est ostensum prædictam veritatem in his fidei nostræ regulis contineri : « Talis enim, inquit Sylvius 2-2, q. 11, art. 1, sciens et volens vult repugnare illi quod Ecclesia proponit; quæ est hæreticorum malitia. » Verùm tunc adest sufficiens Ecclesiæ propositio; namque cùm Scripturam et traditionem nobis proponat Ecclesia, censetur etiam sufficienter nobis proponere quæ in iisdem clarè et manifestè continentur. Ità docet cardinalis de Lugo disput. 20, de Virtute fidei sect. 2, his verbis : « Si constat sufficienter de revelatione Dei in Scripturâ contentâ, constat etiam sufficienter de propositione Ecclesiæ, atque adeò non potest excusari dissensus ab hæresi ex defectu solùm propositionis, seu applicationis ab Ecclesiâ faciendæ.... Nam Ecclesia clarè et manifestè proponit credendam Scripturam, et omnia et singula in eâ contenta; si ergò manifestè constat aliquid in Scripturâ contineri, æquè manifestè constare debet id ab Ecclesiâ nobis credendum proponi. » At verò si negata veritas non sit clarè expressa in Scripturâ vel traditione, sed in iis obscurè duntaxat et implicitè jaceat; tunc non certò constat veritatem hanc esse revelatam, nec consequenter est de fide catholicâ omnes ad credendum obligante; ac proindè nondùm hæreticus esset, qui bonâ fide illam negaret, quia non resisteret Ecclesiæ judicio, nec esset pertinax, quâ in pertinaciâ ac contumaci resistentiâ, potissimùm sita est hæresis ratio ac malitia, juxtà illud anteà laudatum S. Augustini, lib. 4 contrà Donatum, cap. 16, ubi loquens de errante circà veritatem christianam, sic habet : « Istud nondùm hæreticum dico, nisi manifestatâ sibi doctrinâ catholicæ fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. » Et lib. 3 de Animâ, cap. ultimo : « Ista si pertinaciter singula defendantur, tot hæreses facere possunt, quot opiniones, numerantur. » Vide doctorem Angelicum locis anteà laudatis, et qu. 8, de Malo, art. 1 ad 7.

Observat autem mox citato loco cardinalis de Lugo, « posse contingere quòd aliquibus sit de fide aliquid in Scripturâ contentum, quibus manifestum est id in Scripturâ contineri, quod tamen non omnibus sit de fide, quia non ità clarè Scriptura loquitur, ut id possit ab omnibus animadverti. » Undè ibidem subjungit, « eos quibus Scripturæ sensus manifestus est, ità ut non possint prudenter de eo dubitare vel formidare, esto alii catholici dubitent, quibus non ità manifestus est, non solùm peccare graviter contrà fidem, si dissentiant, sed etiam committere peccatum hæresis, et esse verè et propriè hæreticos, si communiter fideles eum Scripturæ sensum manifestè percipiant et indubitanter credant, licèt aliqui rudiores eum non percipiant. Si autem, pergit eminentissimus auctor, communiter in Ecclesiâ dubitetur, vel saltem non habeatur pro certo et indubitato, licèt aliqui eum manifestè percipiant, ità ut prudenter formidare non possint, et ideò dissentiendo peccent graviter contrà fidem, non tamen credo eos esse propriè et strictè hæreticos; » hoc est, ut paulò post explicat, « non incurrere pœnas specialiter ab Ecclesiâ statutas contrà hæreticos, id est contrà eos qui contrà communem Ecclesiæ sensum aliter credunt ac à Deo revelatum sit. » Ratio autem quam eò loci affert, hæc est : hæresis est divisio et hæreticus dicitur quia dividit unitatem Ecclesiæ; porrò in casu proposito non dividitur Ecclesiæ unitas, nec judicatur contrà communem et indubitatum Ecclesiæ sensum; ergò, etc.

Quod dictum est de re in Scripturâ contentâ, idem proportione servatâ dicendum esse de veritate aliquâ quæ conservatur in Ecclesiâ per sufficientem traditionem, asserit ibidem eminentissimus cardinalis. Et verò sicut Ecclesia proponit nobis universam Scripturam et omnia in eâ contenta, tanquàm objecta fidei; ità proponit nobis traditiones, tanquàm sufficientes ad dogmata fidei credenda, ut constat ex Apostolo, 1 ad Corinth. 11, dicente : *Ego enim accepi à Domino quod et tradidi vobis*; et 1 ad Thessal. 2 : *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Idem colligitur ex concilio Tridentino, sess. 4, in decreto de canonicis Scripturis promulgato : antè S. Basilius, lib. de Spiritu sancto, cap. 7, loquens de Scripturâ et traditione : « Utraque, inquit, parem vim habent ad pietatem. »

Dices 3° : Juxtà communem theologorum sententiam, revelatio confusa per quam plura simul in uno obscurè revelantur, v. g. : *In omni hostiâ ritè consecratâ adest Christus*, sufficit ad assensum fidei circà objectum sin-

gulare; qui enim certò scit *hanc numero hostiam ritè esse consecratam*, potest elicere actum fidei circà realem Christi præsentiam in tali hostiâ; atqui revelatio illa confusa nonnisi virtualis dici potest ac mediata circà objecta singularia; ergò ad fidem sufficit mediata revelatio, ac proindè ad propositionem hæreticam non requiritur directa oppositio cum veritate immediatè revelatâ.

Resp. cum Suaresio, disput. 3, de Fide sect. 11, cardinali de Lugo, de Virtute fidei divinæ disput. 1, sect. 13, parag. 1 et 3, Gregor. Major. Cajet. et aliis, negando antecedens; multùm siquidem discriminis intercedit revelationem virtualem inter et revelationem confusam. Revelatio virtualis seu mediata est de iis, *quæ non continentur ullo modo formaliter in re revelatâ, sed tantùm in radice, quemadmodùm proprietates in essentiâ; risibilitas, v. g., in rationalitate et similibus.* Revelatio verò confusa est de iis, *quæ formaliter, licèt confusè, continentur in re revelatâ*, ut patet in exemplo mox allato; undè confusa revelatio meritò dici potest formalis et immediata; manifestat enim, licèt confusè, omnia formaliter contenta in re revelatâ. Verùm de his iterùm in responsione ad objectionem 5 et 6.

Dices 4° : Revelatio implicita sufficit ad fidem; undè propositio opposita alteri implicitè revelatæ ac positæ in sacrâ Scripturâ, meritò dicitur hæretica; atqui revelatio implicita eadem omninò est ac revelatio mediata; ergò, etc. Hinc S. Thomas, qu. 14 de Verit. art. 11, in corp. explicans quid sit *implicitè* vel *explicitè* credere, sic habet : « Quandò aliqua multa, virtute continentur in aliquo uno, dicuntur esse in illo implicitè, sicut conclusiones in principiis; explicitè autem in aliquo continentur, quod in eo actu existit; undè ille qui cognoscit aliqua principia universalia, habet implicitam cognitionem de omnibus conclusionibus particularibus; qui autem conclusiones actu considerat, dicitur ea explicitè cognoscere; undè et explicitè dicimur aliqua credere, quandò eis actu cogitatis adhæremus; implicitè verò, quandò adhæremus quibusdam, in quibus sicut in principiis universalibus ista continentur; sicut qui credit fidem Ecclesiæ esse veram, in hoc quasi implicitè credit singula quæ sub fide Ecclesiæ continentur.

Resp. cum cardinali de Laureâ, disput. 9 de Fide art. 5, et Antonio in *Scrutinio*, cap. 3, art. 7, et cap. 5, art. 2, variis modis propositionem aliquam dici posse revelatam, seu in Scripturis et traditione contentam : 1°, implicitè *quoad se*, quatenùs nempè in aliâ propositione in se immediatè revelatâ continetur, tanquàm conclusio in principiis aut proprietas in essentiâ; 2°, dici potest propositio implicitè revelata *quoad nos* duntaxat, in quantùm scilicet immediatè quidem in se, sed obscurè admodùm delitescit ac latitat in Scripturis; undè nonnisi accedente Ecclesiæ declaratione certò cognosci potest eam fuisse revelatam. Meliùs diceretur propositio hujusmodi explicitè revelata *quoad se*, implicitè verò *quoad nos*; 3° tandem, dici potest propositio explicitè revelata, tùm *quoad se*, tùm *quoad nos*, cùm nempè ità fuit à Deo revelata, ut insuper vel per ipsius in sacris litteris designationem, aut decursu temporis per publicum Ecclesiæ decretum nobis credenda apertè proponitur.

Propositio implicitè revelata primo sensu non est propriè de fide, inquit Panormo, defectu revelationis immediatæ ad fidem essentialiter requisitæ, sed est mera conclusio theologica; adeòque propositio ipsi contradictoria, non hæretica, sed erronea est duntaxat. Propositiones autem explicitè revelatæ *quoad se*, implicitè verò *quoad nos*, de fide sunt, subjungit idem auctor; *quoad se* duntaxat, non autem respectu nostrì, defectu nimirùm propositionis Ecclesiæ; atque propositiones his contradictoriæ hæreticæ sunt merè materialiter, non formaliter. *Quoad se* verò et *quoad nos* de fide sunt omnes illæ veritates quæ fuerunt à Deo revelatæ et ab Ecclesiâ ad credendum propositæ; atque propositiones his veritatibus oppositæ tùm materialiter tùm formaliter sunt hæreticæ. Ex his patet revelationem implicitam quæ concidit cum virtuali, per quam unum in alio tanquàm conclusio in principiis, aut proprietas in essentiâ revelatur, non sufficere ad assensum fidei; adeòque propositionem revelationi virtuali directè adversam, propriè hæreticam non esse, sed erroneam.

Observat autem loco mox laudato idem Antonius de Panormo, inter veritates à Deo revelatas et per Ecclesiam propositas quæque ideò sunt de fide, tùm *quoad se*, tùm *quoad nos;* observat, inquam, ex his veritatibus quasdam esse de fide *quoad omnes*, alias autem *quoad aliquos*, seu *quoad sapientes;* quia quandòque sive ipsa revelatio, per quam ad fidem ea pertinent, sive ipsa Ecclesiæ definitio, sunt ità expressæ, ut ab omnibus credendæ explicitè veniant, cujusmodi sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis; quandòque verò, etsi revelatio clara sit aut aperta Ecclesiæ definitio, hæc tamen nota non est omnibus et singulis, sed majoribus et sapientioribus, respectu quorum proindè dicuntur esse de fide *explicitâ*, cùm respectu aliorum non sint nisi de fide *implicitâ.*

Quod autem spectat adductum doctoris Angelici testimonium qu. 14 de Verit. art. 11, ne vel minimùm sententiam nostram de necessitate immediatæ revelationis ad fidem impetit; loquitur enim S. doctor, de fide ex parte actûs seu ex parte credentis spectatâ, atque asserit, quod ultrò fatemur, « nos dici explicitè aliqua credere, quandò eis actu cogitatis adhæremus; implicitè verò, quandò adhæremus quibusdam, in quibus sicut in principiis universalibus ista continentur. » At non loquitur de fide ex parte objecti consideratâ, nec ullatenùs affirmat revelationem virtualem seu mediatam sufficere ut res aliqua fide divinâ credatur. Imò contrarium non obscurè innuit exemplum quod ibidem subjungit de eo *qui credit fidem Ecclesiæ esse veram*, quique eo ipso *quasi implicitè credit singula quæ sub fide Ecclesiæ continentur*, quo in exemplo, istud *implicitè* idem est ac *obscurè*, et opponitur cognitioni claræ et distinctæ, non autem objecto in se immediatè revelato. Verbo dicam, *qui credit fidem Ecclesiæ esse veram*, eo ipso credit *implicitè*, id est, *obscurè*, quæcumque

credit ac profitetur Ecclesia, quæ omnia in verbo Dei scripto vel tradito *explicitè* quoad se continentur, *implicitè* verò et *obscurè* quoad nos. Quò fit ut licèt veritates illæ explicitè et immediatè in Scripturis jaceant, attamen antecedenter ad publicam Ecclesiæ declarationem certò et absque errandi formidine detegi nequeant.

Atque hinc est quòd S. Thomas et cæteri post ipsum theologi communiter doceant nihil de novo revelari; nihil nos credere, quod per anteriores doctores et Patres ad nos usque non pervenerit, quodque Apostoli explicitè non cognoverint: juxtà illud Joan. 16: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, vos docebit omnem veritatem.* Et Ephes. 1: *Secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis in omni sapientiâ et prudentiâ.* Illud ipsum docent Tertullianus, lib. de Præscriptionibus cap. 32. S. Augustinus, lib. 5 de Baptismo contrà Donatistas, cap. 26, S. Gregorius, Homiliâ 16, in Ezechielem, et alii. Undè Vincentius Lirinensis contrà hæreses cap. 16: « Pretiosam, inquit, divini dogmatis gemmam exculpi, fideliter coaptari, adornari sapienter, ut intelligatur illustriùs quod anteà obscuriùs credebatur. »

Dices 5°: Conclusio theologica est de fide, adeòque propositio ipsi contradictoriè opposita est hæretica; atqui propositio contradictoriè opposita conclusioni theologicæ, non immediatæ, sed mediatæ duntaxat revelationi adversatur; ergò, etc.

Minor certa est; in hoc enim assertio theologica essentialiter differt à placito fidei, quòd istud immediatè, altera verò mediatè duntaxat verbo Dei sive scripto sive tradito, atque adeò revelatione innitatur. Major autem constat, 1° quia illa omnia pertinent ad fidem, quæ creduntur propter motivum testimonii divini, sive mediatè, sive immediatè; sicut omnia amantur ex charitate, quæ amantur propter Deum sive mediatè, sive immediatè; atqui conclusiones theologicæ creduntur mediatè saltem propter testimonium divinum; credimus, v. g., Christum esse risibilem, quia est homo, et credimus esse hominem, quia est revelatum à Deo; ergò, etc. 2° illud pertinet ad fidem quod *per se* fluit ex revelatione, atque cum eâ necessariò connexum est; porrò conclusiones theologicæ, etc.; ergò, etc. 3° Propositiones istæ, *Christus est homo; ergò est risibilis.* — *Christus est homo; ergò habet animam immortalem.* — *Christus unus est naturâ cum Patre; ergò est ei consubstantialis.* — *Christus mortuus est pro omnibus; ergò mortuus est pro Petro.* Vel: *Quicumque baptizatus non fuerit salvus non erit; ergò infans ille in utero materno sine percepto baptismate extinctus, salvus non erit*, etc. Hæ, inquam, propositiones sunt totidem conclusiones theologicæ; porrò nemo dixerit eas ad fidem non pertinere; ergò, etc.

Resp. non esse hujus loci intricatam hanc de conclusionibus theologicis controversiam, an nimirùm sint de fide, fusiùs et ex professo expendere: ne tamen prætermissa omninò videatur et insoluta maneat præcipua hæc ac palmaris objectio quâ potissimùm nituntur ii quos hìc habemus adversarios, de eâ nonnulla paucis dicemus, quæ ut clariùs pateant, observandum 1° quid sit conclusio theologica. Conclusio theologica exactè definitur: *Consectarium seu propositio quæ non est in se immediatè revelata, sed ex uno aut pluribus fidei placitis, hoc est veritatibus à Deo in seipsis proximè revelatis, certò et evidenter eruitur.*

Hinc triplex conditio requiritur ad conclusionem theologicam propriè dictam. Prima est, ut non sit per se et immediatè revelata; si enim foret per se et immediatè revelata, etsi ex aliis fidei decretis elici posset, jam non esset, accuratè loquendo, conclusio theologica, sed verum fidei placitum. Sic, v. g., Christum duplici voluntate præditum esse, certò eruitur ex eo quòd sit simul Deus et homo; verùm quia illud quoque per se revelatum est, atque adeò olìm ab Ecclesiâ definitum, hinc ista propositio, Christus duplici constat voluntate, nonnisi impropriè diceretur conclusio theologica. Secunda, ut ex uno aut pluribus fidei placitis, non per meram ac simplicem expositionem, sed per veram ac propriè dictam illationem reipsâ deducatur. Ut autem unum ex alio verè ac propriè erui censeatur, necessum est ut virtualiter saltem distinguatur ab eo ex quo deducitur; undè conclusiones quæ aliis duntaxat verbis exponerent aliquod fidei principium, aut explicatiùs tantùm evolverent quod in eo clarè, et, ut aiunt, formaliter continetur; ut si quis colligeret Christum esse consubstantialem Patri, quia est unus cum ipso; Christum constare ex corpore et animâ sibi invicem unitis, quia verus est homo; parvulos in utero materno extinctos, gloriæ cœlestis participes non fore, quia quicumque baptizatus non fuerit, salvus non erit; hæ, inquam, conclusiones, utpotè meræ aliarum propositionum in quibus tùm identicè, tùm formaliter continentur, expositiones aut declarationes, verè ac propriè dici non possunt theologicæ conclusiones. Tertia demùm conditio ad theologicam conclusionem requisita, est, ut ex fidei principiis certò ac evidenter eruatur: si enim probabiliter tantùm deduceretur, esset equidem opinio, sed non conclusio theologica.

Observandum 2°, multiplicis esse generis conclusiones theologicas: 1° Aliæ sunt quæ licèt clarè et distinctè in seipsis immediatè revelatæ non sint, tamen immediatè revelatæ sunt obscurè et confusè; tales sunt propositiones quæ in Scripturis non leguntur expressis terminis, sed terminis formaliter æquivalentibus, ut, v. g., hæc propositio: *Christus est consubstantialis Patri*, quæ propositio mera est expositio horumce Christi verborum Joan. 10: *Ego et Pater unum sumus.* Tales sunt etiam propositiones particulares et singulares quæ in universalibus revelatis formaliter includuntur, v. g., ista propositio singularis: *Hic infans in utero materno extinctus, regnum cœlorum non obtinet*, formaliter continetur in hâc propositione immediatè revelatâ: *Nisi qui renatus fuerit ex aquâ et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Propositiones hujusmodi immediatè licèt obscurè et confusè revelatæ, veræ non sunt ac propriè dictæ conclusiones theologicæ, sed meræ expositiones ac declarationes aliarum propositionum quæ in se immediatè, clarè ac distinctè reve-

latæ sunt. Aliæ sunt conclusiones theologicæ quæ nec clarè nec obscurè revelatæ sunt immediatè, ut hæc : *Christus est risibilis*, quæ tamen revelata est mediatè in istâ : *Christus est homo.* 2° Conclusionum theologicarum aliæ deducuntur ex duplici propositione de fide ut in isto syllogismo : *Omnis homo habet animam immortalem ; Christus est homo ; ergò habet animam immortalem.* Aliæ eruuntur ex unâ præmissâ de fide, et alterâ naturali, v. g. : *Omnis homo est risibilis ; Christus est homo ; ergò Christus est risibilis.* 3° Conclusiones theologicæ aliæ sunt quæ habent connexionem intrinsecam cum fidei principio, ut in vulgari exemplo : *Christus est homo ; ergò est risibilis.* Aliæ sunt quæ extrinsecam duntaxat connexionem habent.

Observandum 3°, conclusiones theologicas immediatè non revelatas, sive ex unâ aut duabus fidei præmissis eruantur, dupliciter posse spectari : 1° formaliter, ut sunt conclusiones theologicæ, et quatenùs ex certâ præmissarum et terminorum connexione deducuntur ; 2° materialiter, quatenùs sunt simplices propositiones, et sine dependentiâ à terminis et præmissis ità connexis. Nempè, quemadmodùm advertit Suarez, disput. 3 de Fide sect. 11, n. 5, 7 et 10, duobus modis potest aliquis uti discursu ad assentiendum conclusioni ; uno modo tanquàm ratione formali assentiendi, et propriâ ac per se causâ assensûs ; alio modo non ut formali ratione assentiendi, sed duntaxat tanquàm proponente et explicante quid contineatur et quomodò, sub divinâ revelatione, quæ posteà est unica ratio formalis et causa per se assensûs qui exhibetur illatæ conclusioni : « Isti duo modi assentiendi cuidam conclusioni, inquit citato loco Suarez, possibiles sunt, ut per se constat, et pendent ex voluntate hominis, et illos rectè distinxit Vasques, et alii non contradicunt. »

Si discursus se habeat ad conclusionem priori modo spectatam, tanquàm motivum formale, et causa per se assensûs, tunc conclusio spectatur *formaliter ;* si autem discursus se habeat duntaxat per modum conditionis proponentis vel explicantis revelationem in præmissis contentam, tunc revelatio consideratur *materialiter.*

Observandum 4°, triplicem hìc sedulò distinguendam revelationis speciem : 1° Alia est revelatio formalis, immediata, clara, distincta et explicita, per quam nimirùm res clarè et distinctè in seipsâ immediatè revelata est ; talis est ea revelatio quâ constat Christum esse hominem. 2° Alia est revelatio formalis et immediata, sed confusa, obscura et quasi implicita, per quam, etsi quidpiam clarè et distinctè in seipso immediatè revelatum non sit, tamen immediatè est revelatum obscurè et confusè ; « quod quidem contingit dupliciter, inquit mox citatus Suarez, 1°, quandò fit generalis revelatio distributiva, ut in isto exemplo : *Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem ;* vel : *In omni hostiâ ritè consecratâ adest Christus ;* in illâ enim universali omnes singulares formaliter continentur, quamvis confusè. Alio modo contingit hoc in definitione et partibus ejus respectu definiti ; nam cognitio definiti confusa est respectu definitionis, et nihilominùs omnes partes definitionis in definito formaliter continentur ; et ità cùm revelatur nobis Christum esse hominem, satis formaliter revelatur esse animal rationale, vel habere corpus et animam humanam, licèt hoc explicitè non dicatur. » 3° Tandem, alia est revelatio virtualis, mediata et verè implicita, quâ res nec clarè nec obscurè revelata est immediatè, sed mediatè duntaxat et in radice : sic hæc propositio *Christus est risibilis*, virtualiter et mediatè revelata est in istâ : *Christus est homo ;* vel, ut aiunt cardinales Laurea et de Lugo, locis suprà citatis, revelatio virtualis et mediata est de iis quæ nullo modo *formaliter* continentur in re immediatè revelatâ, sed tantùm in radice, sicuti conclusiones in principiis, proprietates in essentiâ.

Observandum 5°, et quidem diligenter, quod omnibus fermè quæ in præsenti controversiâ occurrunt solvendis difficultatibus sufficit, unum in alio, unam propositionem in alterâ revelatâ contineri posse variis modis, tribus potissimùm : 1. identicè ; 2. formaliter ; 3. virtualiter, seu, ut aiunt, causaliter et æquivalenter.

1. Illud continetur, in alio *identicè*, inquit Suarez disput. 19, de Fide, sect. 2, n. 10, quod continetur in ipso tanquàm in re omninò eâdem ; sic in divinis intellectus et voluntas, justitia et misericordia, paternitas et natura sunt quid unum et idem *realiter et identicè.*

2. Illud continetur in alio *formaliter*, quod continetur in ipso non solùm penès identitatem *realem*, sed etiam penès identitatem *formalem* seu conceptuum ; vel clariùs, illud continetur in alio *formaliter*, quod eumdem habet cum ipso conceptum, licèt utrumque diversis vocibus exprimatur ; hæcque identitas vel est totalis et adæquata, vel partialis et inadæquata. Sic definitum in definitione formaliter adæquatè continetur : v. g., cùm dicitur : *Christus est homo ; ergò est animal rationale*, vel : *Christus est unus in naturâ cum Patre ; ergò est ei consubstantialis.* Sic etiam pars essentialis in toto actuali, v. g. : *Christus est homo ; ergò habet animam rationalem ;* vel pars quælibet subjectiva in toto potentiali, singulare nimirùm in universali, v. g. : *Christus mortuus est pro omnibus ; ergò mortuus est pro me ;* formaliter inadæquatè continentur. Sic denique formaliter adæquatè, etsi confusè in explicito continetur implicitum verbis grammaticaliter aut saltem quoad sensum æquivalentibus expressum ; v. g. : *Christus est unus in naturâ cum Patre ; ergò est ipsi consubstantialis.*

Totum istud solide evolvit ac explicat eruditus *Scrutinii* auctor cap. 3, art. 4, his verbis : « Formalem æquivalentiam in præsenti nedùm vocamus eam, quæ intervenit, quoties eadem omninò res vocibus synonymis significatur, sive id contingat in uno eodemque idiomate, sive ratione diversi idiomatis, dummodò idem omninò immediatè importetur conceptus ; sed etiam eam quæ habetur, quoties voces quidem sunt diversæ, sed idem est significatum, non quidem solâ identitate *reali*, sed verâ et rigorosâ identitate *formali*, esto non æquè clarè exprimatur sub unâ ac sub alterâ.

Cujus generis censentur definitio et definitum, ut *homo* et *animal rationale*, quibus eadem correspondet hominis essentia ac quidditas, sed ità, ut per *τὸ homo* importetur modo quodam implicito; explicito verò per *τὸ animal rationale*. « Hæc autem æquivalentia, pergit idem auctor, potest esse totalis, qualis est prædicta, et partialis, quoties videlicet non integer conceptus, qui comprehendebatur sub unâ voce, comprehenditur et sub alterâ, sed pars tantummodò ipsius, ut si diceretur *homo* et *rationale*, quod non totaliter constituit hominem, sed ut pars discretiva hominis ab omni non ipso; et hujusmodi quoque sunt omnes propositiones particulares vel singulares, quæ sub universali aliquâ continentur; v. g. : *Deus vult Judam salvum fieri*, includitur tanquàm pars constitutiva in alterâ universali revelatâ : *Deus vult omnes homines salvos fieri*. »

Undè cap. 2, art. 8, notat prædictus auctor, « propositionem particularem ac singularem, respectu universalis revelatæ comparandam esse tanquàm quid *formaliter æquivalens*, etsi non totaliter; propositionem verò explicantem proprietatem, effectum, etc., respectu propositionis exprimentis essentiam, etc., se habere solummodò tanquàm quid *virtualiter* et *illativè* æquivalens. »

3. Unum in alio contineri potest *virtualiter*, seu *causaliter et æquivalenter*; sic conclusiones in principiis, proprietates in essentiâ, effectus in causis continentur. Postremum hunc continendi modum exponunt card. de Laureâ disput. 16, de Fide, art. 2, parag. 1; Dominicus Gravina, lib. 1 Cath. præscript. Salmaticenses disput. 19 de Infidelitate dub. 4, sed præsertim Antonius de Panormo citato jam cap. 3, art. 5, ubi quærens *quid sit propositionem aliquam contineri in sacrâ Scripturâ in terminis illativè*, id est virtualiter *æquivalentibus*, sic habet : « Dicitur propositio æquivalens illativè, quæ non eumdem cum alterâ exprimit *formaliter* objectivum conceptum significatum, sed aliud *formaliter* diversum; quia verò res, aut formalitas per eam, sed veriùs per ejus terminos importata, realem importat identitatem cum re aut formalitate, seu cum significato alterius, indè sequitur ex hâc illam inferri posse et vice versâ, et eatenùs *illativè* æquivalentiæ denominationem desumit, cujusmodi ad invicem se habent essentiæ et proprietates rerum quæ reciprocam suscipiunt illationem; hoc discrimine, quòd ex essentiâ ad proprietates illatio est à priori, et tanquàm à quasi causâ ad quasi effectum; à proprietatibus verò ad essentiam illatio est à posteriori, et veluti à quasi effectu ad suam quasi causam. »

Idipsum clariùs aperit, ibidem, n. 4, ubi exponens discrimen quod occurrit inter terminos ad invicem *formaliter*, et alios *virtualiter* duntaxat, seu, ut ipse loquitur, *illativè* æquivalentes, observat, « quòd in illis tota consistat varietas in modo significandi eumdem prorsùs conceptum objectivum, idemque formale significatum, non in re ipsâ significatâ, quæ formalissimè non distinguitur, ut patet in *τὸ homo*, et *τὸ animal rationale*, quibus æquè eadem formalissima essentia correspondet; esto per *τὸ homo* importata confusè et implicitè, per *τὸ animal rationale* clarè et explicitè. » At verò in terminis virtualiter duntaxat et illativè æquivalentibus pergit idem auctor : « Discrimen non est, vel in solis vocibus, vel in modo significandi idem formale significatum, sed in ipsâ re significatâ, quæ etsi pro statu reali identico sit eadem, non tamen ut formaliter per dictos terminos designata. Undè sicuti licèt in se essentia sit eadem cum proprietatibus, adhuc tamen non potest dici : risibilitas, v. g., est hominis essentia, ad eum modum, quo dicitur de rationalitate; ità ex identitate eàdem non valet enuntiari, ut eodem modo ac immediatè sit revelata risibilitas, etiam ex hypothesi, quòd sit immediatè revelata rationalitas. »

His omnibus præsuppositis facili negotio dilui poterit proposita objectio, simul et expediri ardua admodùm ac intricata quæstio, an conclusiones theologicæ sint de fide, ac proindè an propositiones iis contradictoriæ sint hæreticæ. Itaque resp. 1° conclusiones theologicas *formaliter* sumptas non esse de fide. Hâc in parte consentire videntur omnes theologi, nequidem exceptis Cano, Vegâ aut Vasquesio. « Hoc modo procedendo et intelligendo assertionem, inquit Suarez, disp. 3 de fide sect. 11, illam etiam admittit Vasques, et existimat non negari à Cano aut Vegâ. » Et verò in fide tota et adæquata assentiendi ratio est formalis et immediata revelatio (aut saltem revelatio immediatè movens) per Ecclesiam proposita; at in conclusione theologicâ formaliter sumptâ assentiendi ratio est ejus cum ratione connexio rationis usu manifestata; seu, ut aiunt, revelatio virtualis et mediata, id est, applicata per discursum; quæ duo quantùm distent, nemo non videt. Resp. 2°, conclusiones theologicas *materialiter* sumptas quæ sunt in se immediatè revelatæ, licèt ex aliis fidei capitibus legitimè deducantur, sicuti cùm Christus probat resurrectionem mortuorum ex eo quòd in Scripturâ dicatur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob; vel quæ sunt meræ expositiones propositionum revelatarum, v. g., cùm dicitur, *Christus est homo; ergò est animal rationale*; vel : *Christus est unus in naturâ cum Patre : ergò est ei consubstantialis*; respondeo, inquam, conclusiones hujusmodi esse de fide, adeòque propositiones iis contradictorias verè esse hæreticas. Ratio est, quia illæ propositiones sunt fidei divinæ, quæ in se immediatè revelatæ sunt, quæque continent et exprimunt veritates à Deo revelatas; atqui tales sunt conclusiones de quibus nunc agitur; ergò, etc., hanc etiam responsionem omnes admittunt. Resp. 3° conclusiones theologicas *materialiter* spectatas, quæ licèt clarè et distinctè in seipsis immediatè revelatæ non sunt, tamen immediatè revelatæ sunt obscurè et confusè, v. g. : *Christus est homo; ergò constat animâ et corpore*; vel : *Omnis homo habet animam immortalem; ergò habeo animam immortalem*; vel : *Omnis homo ritè baptizatus sine obice gratiam justificantem consequitur; ergò talis infans ritè baptizatus gratiam justificantem consecutus est*. Has, inquam, conclusiones verè esse de fide, ac proindè hæreticas esse propositiones quæ iis adversantur. Ratio est, quia hæc omnia (ut attendenti facilè patebit) immediatè licèt obscurè ac confusè reve-

lata sunt in propositione universali; porrò formalis et immediata revelatio, etsi confusa sit, sufficit ad objectum formale fidei, et consequenter ad assentiendum de fide particularibus contentis sub tali revelatione. Et verò, uti post Suarez ratiocinatur *Scrutinii* auctor art 7, cap. 2, in Deo non est cognitio confusa, sed distinctè judicat de omnibus, quæ revelat etiamsi multa uno verbo complectatur; confusio ergò et obscuritas se tenet duntaxat ex parte nostri, et in modo apprehendendi rem revelatam; ac proindè si revelatio sufficienter applicetur, id est, ut ait Suarez citatâ disp. 3 de fide, sect. 11, « si certò et indubitanter constet hoc, quod in particulari et expressè proponitur, in propositione universali revelatâ contineri, revelatio illa universalis de se sufficit ad distinctè assentiendum ex fide particularibus, quæ sub illâ universalitate continentur. » Atque in hoc etiam facilè conveniunt theologi: ex quo gravissimi momenti colliguntur consectaria, quæ hìc advertere operæ pretium est.

1° Quandò revelatur totum quoddam *actuale*, id est totum quod habet partes *in se*, ut Petrus habet *in se* corpus et animam; revelantur etiam *immediatè*, licèt non ità distinctè, omnia illius attributa essentialia, omnes partes essentiales, sive physicæ, sive metaphysicæ. Ratio est, inquit cardinalis de Lugo, disput. 1, sect. 13, parag. 3, quia res nec esse nec concipi potest sine attributis essentialibus; undè Deus revelans *Christum esse hominem*, eo ipso immediatè revelat *Christum habere corpus et animam*. Quod autem spectat voluntatem, intellectum, risibilitatem, aliasque tùm physicas, tùm metaphysicas proprietates, nonnisi *mediatè* censentur revelatæ, siquidem primarium hominis conceptum non ingrediuntur, sed ex illius essentiâ necessariò fluunt.

2° Cùm revelatur totum *potentiale*, id est, totum quod habet non *in se*, sed *sub se* partes, quas vocant *subjectivas*, qualia sunt genus respectu specierum, species respectu individuorum, et quælibet propositiones universales respectu propositionum singularium, tùm revelatæ sunt *immediatè*, licèt confusè respectu nostri, omnes partes *subjectivæ* quibus essentialiter constat totum illud *potentiale*. Igitur propositione universali revelatâ, omnes singulares sub eâ contentæ, sunt quoque in eâ *immediatè*, licèt minùs distinctè, revelatæ; v. g., quia de fide est et immediatè revelatum, *omnem hominem habere animam rationalem, et resurrecturum esse;* de fide quoque est et *immediatè*, etsi confusè, revelatum *quemlibet determinatè hominem habere animam immortalem, et resurrecturum esse*. Pariter in his universalibus propositionibus de fide: *Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem*, vel: *In omni hostiâ ritè consecratâ adest Christus*, etc., omnes propositiones singulares immediatè etsi confusè, revelatæ sunt; adeòque propositiones ipsis contradictoriæ hæreticæ sunt. Ratio est, quia, quemadmodùm ratiocinantur de Lugo et Panormo locis mox citatis, propositiones singulares continentur in universali, eamque essentialiter constituunt: ergò qui revelat universale, revelat ibi omnia singularia, quæ sunt quasi partes essentiales componentes collectionem universalem; ergò Deus revelans propositionem universalem, v. g., *infantes omnes ritè baptizatos justificari*, revelat etiam immediatè, quamvis confusè, *hunc et illum infantem ritè baptizatum justificari*. Ità sentiunt Cano, Vega, Salmaticenses, Vasques, de Lugo, card. de Laureâ, Suarez et alii communiter. Porrò revelatâ propositione universali, ut quis debeat aut possit fide divinâ credere propositionem singularem, necessum est, ut anteà vidimus ex Suaresio, quod etiam docent de Lugo, Salmaticenses et alii, necessum, inquam, est, « *ut certò et indubitanter constet individuum comprehensum fuisse sub propositione universali à Deo revelatâ.* »

Nempè certitudo triplex est: 1° Alia physica, quâ res vel in se ipsâ cognoscitur, vel per media quibuscum naturalem connexionem habet; ità certitudo physica est quâ per essentiam proprietas, v. g., per rationalitatem risibilitas; vel causa per effectum à se necessariò dependentem cognoscitur; 2° altera moralis, quâ res nec cognoscitur in se, neque per aliquid ei naturaliter connexum, sed per extrinseca testimonia tot ac tanta, ut pariant moralem evidentiam, quæ non sinat nos, moraliter loquendo, non solùm dubitare, sed etiam nec formidare de opposito; talis est certitudo quâ credimus esse urbem Romam; 3° tandem alia est certitudo moralis, quæ non est conjuncta cum istâ morali evidentiâ, quæque licèt careat actuali dubitatione, tamen non excludit omnem moralem facultatem dubitandi de opposito, qualis est certitudo harumce propositionum: *Hæc hostia consecrata est. — Hic puer ritè baptizatus est. — Hic homo validè consecratus est in sacerdotem.*

Certitudo physica sufficit, sed non requiritur ut propositio singularis contenta sub universali revelatâ, fide divinâ credatur; in eo consentiunt theologi.

Certitudo moralis quæ non est conjuncta cum evidentiâ, sive quæ non excludit omnem moralem facultatem dubitandi de opposito, non sufficit. Ratio est, inquit cardinalis de Lugo, disput. 1, de Fide, sect. 13, parag. 3, « quia nimirùm assensus fidei ex imperio voluntatis et piæ affectionis elicitur talis, et tam firmus, ut excludat omnem prorsùs formidinem circà suum objectum; non potest autem voluntas prudenter imperare talem assensum excludentem omnem formidinem, quandò circà objectum illud posset intellectus prudenter formidare; imprudenter enim prohiberetur formidare, ubi prudenter formidare posset; ergò ut voluntas possit prudenter imperare assensum talem, excludentem talem formidinem, debet objectum proponi tale, ut de eo non possit prudenter formidari. » Hinc Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 9, negat posse aliquem de fide credere se esse in statu gratiæ, his verbis: *Nam sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficaciâ dubitare debet; sic quilibet dùm seipsum suamque infirmitatem et indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare et timere potest, cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ubi concilium ex eo quòd quilibet prudenter formidare possit circà propriam justificationem, infert eam non posse fide divinâ credi. Prærequiritur

ergò ad assensum fidei certitudo moralis juncta cum evidentiâ, quòd Deus de hoc singulari in propositione universali revelatâ locutus fuerit. Hinc etiam istæ propositiones: *Hæc hostia ritè est consecrata. — Hic verè baptizatus est et justificatus. — Hic homo validè consecratus est in sacerdotem*, etc., non sunt de fide; ità Cajetanus 2-2, q. 1, art. 3, in respons. Turrecremata, lib. 4 Summæ, part. 2, cap. 9, ad finem, Bannes 2-2, q. 1, art. 10, dub. 2 ad 2. Ratio est, quia etsi nulla sit de veritate harumce propositionum actualis formido, non deest tamen moralis formidandi facultas, propter varias et occultas circumstantias à quibus dependent. Undè Suarez, citatâ disp. 3, de fide sect. 11. « In aliis exemplis, inquit, non habet locum similis assensus de fide ut quòd in hâc hostiâ sit præsens Christus, vel quòd mihi remissa sint peccata, quia applicatio universalis principii fidei non sufficienter fit ad hæc particularia, quia de illis non est sufficiens certitudo propter multas et occultas circumstantias à quibus pendent. »

Equidem si vera sit in se propositio singularis, licèt non evidenter constet eam contineri in propositione universali, v. g., si de facto ritè consecrata sit hæc hostia, erit de fide *objectivè* et ratione suî, Christum sub tali hostiâ realiter præsentem adesse; non erit tamen de fide *formaliter* et ratione assensûs, quia non habet omnem certitudinem formalem et infallibilitatis quam postulat fides; hoc est, talem certitudinem quæ non solùm omnem actualem dubitationem excludat, sed etiam omnem moralem facultatem dubitandi de opposito.

Observat autem cardinalis de Lugo, loco mox laudato, simpliciter et absolutè adorandam esse Eucharistiam, etsi de fide non sit Christum realiter præsentem esse sub tali numero hostiâ. Ratio est, inquit, quia ut absolutè adoretur hostia, satis est certitudo moralis absque evidentiâ, quòd hostia ritè consacrata sit; at verò fides, utpotè prudens et certissima, exigit certitudinem moralem quæ adjunctam habeat evidentiam, quæque excludat omnem prorsùs formidinem de opposito; undè non creditur fide divinâ Christum realiter esse præsentem sub tali numero hostiâ quæ proponitur adoranda, nisi ex hypothesi quod ritè consecrata fuerit. Ità colligitur ex doctore Angelico 2-2, qu. 1, art. 3, ad 4. « *Fides credentis*, inquit, *non refertur ad has species, vel illas, sed ad hoc quòd verùm Christi corpus sit sub speciebus panis sensibilis, quandò rectè fuerit consecratum; undè si non sit rectè consecratum, fidei non suberit propter hoc falsum.* » Non longè absimili ratione idem explicat Sylvius 2-2, q. 1, art. 3 ad 1, his verbis: « Cùm fides habeat pro objecto veritatem speculativam et practicam, perficit intellectum quoad utramque veritatem, et propterea non potest inclinare ad falsum, neque speculativè neque practicè. Prudentia verò cùm non habet pro objecto verum speculativum, sed practicum, non perficit intellectum nisi quoad veritatem practicam... Et propterea quamvis non inclinet nisi ad verum practicè, quale est hostiam adorandam esse quæ in sacrificio Missæ exhibetur adoranda, includere tamen potest cognitionem speculativè falsam, licèt ad eam non inclinet, sed supponat potiùs; inclinat enim prudentia ad hostiam illam adorandam, eò quòd supponatur probabile judicium quòd sit consecrata; hoc autem judicium est speculativum, neque pertinet ad habitum prudentiæ. Breviùs dici potest, non esse prudentiam infusam quæ inclinat ad hanc hostiam quæ præsentatur ut consecrata adorandam, sed prudentiam quæ putatur infusa, cùm reverâ solùm sit humana. » Hactenùs Sylvius.

Requiritur ergò et sufficit ad credendum fide divinâ objectum singulare, certitudo moralis juncta cum evidentiâ, quâ constet objectum illud in propositione universali immediatè revelatâ contineri.

Quòd saltem requiratur hujusmodi moralis certitudo, abundè constat ex mox dictis. Quòd autem pariter sufficiat, probatur 1°, quia sequitur etiam ex dictis; si enim ad assensum fidei necessaria sit certitudo circà applicationem revelationis ad objectum singulare, nec aliundè requiratur certitudo physica, profectò sufficit certitudo moralis juncta cum evidentiâ; 2° certitudo hujusmodi ferè tam firmum assensum parit ac certitudo physica; v. g., perindè quis assentitur huic propositioni: *Existit urbs Roma*, atque isti: *Existunt corpora extrà nos posita;* 3° sufficienter proponitur aliquid credendum fide divinâ per miracula, de quorum veritate dubitari moraliter loquendo non potest; ergò à pari, etc. Sic, inquiunt cardinales Bellarminus et de Lugo, quibus consentiunt Sylvius et Suarez, quoniam certum est certitudine morali quæ adjunctam habeat evidentiam, Tridentinum concilium legitimè esse congregatum, de fide est Tridentinum concilium in fide non posse errare. Idem dicendum de similibus propositionibus. Itaque revelato toto actuali, tunc etiam revelatæ sunt omnes ejus partes essentiales, sive physicæ, sive metaphysicæ, sine quibus res nec esse nec concipi potest: pariter revelatâ propositione universali, quod est totum, ut vocant, potentiale, revelata quoque censetur propositio singularis sub universali contenta; atque fide divinâ credi potest, si certò et indubitanter constet propositionem hanc singularem in universali contineri.

3° È duobus revelatis uno revelato, alterum quoque revelatum censeri debet; v. g., quoniam Matth. 3, revelatum est Christum esse filium Dei Patris; hoc ipso revelatum est Deum Patrem esse patrem Christi. Ratio est, inquit auctor *Scrutinii*, quia revelata sunt simul naturâ et cognitione.

4° Revelatâ affirmatione unius contradictoriorum, revelatur negatio alterius, quia idem non potest simul esse et non esse; et, ut ait mox citatus *Scrutinii* auctor cap. 3, art. 5: « In causis præcisis, sicut affirmatio est causa affirmationis; ità et negatio negationis. » Et verò eadem fides quæ inclinat ad credendum aliquam propositionem esse veram, inclinat ad credendum oppositam esse falsam.

5° Propositio est de fide (adeòque hæretica est huic contradictoria) quandò est revelata, aut expressis et conceptis, aut synonymis terminis, aut saltem æquivalentibus quoad sensum. Ratio est aperta, quia, quemadmodùm ratiocinatur Antonius de Panormo, art. 4 citati mox capitis 3, « duo sunt ponderanda in

quâlibet propositione, termini videlicet, seu verba materialiter sumpta; et sensus seu vis significativa, ac objectivus conceptus per verba expressus. » Porrò, pergit idem auctor, eadem tunc omninò est propositio revelata quoad sensum et conceptum objectivum, proindèque ejusdem infallibilitatis, auctoritatis et virtutis, quoties terminis synonymis, aut saltem quoad sensum æquivalentibus exprimitur.

Resp. 4° : Conclusiones theologicas deductas ex duobus fidei placitis, seu ex duabus præmissis immediatè revelatis, esse de fide, dummodò *materialiter* spectentur. Ità cardinalis de Lugo, Suarez, de Laureâ, Dominicus Gravina, Antonius de Panormo, et alii antcà citati. Ratio est, quia revelatio formalis immediata, etiamsi confusa sit, sufficit ad objectum formale fidei; atqui objectum conclusionis theologicæ ex duobus fidei placitis evidenter deductæ, formaliter et immediatè, licèt minùs clarè, revelatum est, ergò, etc. Major constat ex dictis et probatis suprà ex Suarez, atque ex sese manifestè patet; Deus enim utpotè summa veritas, quocumque tandem modo locutus fuerit, summam fidem meretur, ubi primùm constat ipsum locutum fuisse. Minor autem videtur evidens; siquidem omnis conclusio in tantùm benè infertur ex suis præmissis, in quantùm ejus objectum identificatur cum objecto præmissarum, atque in iis continetur; fundatur enim tota vis syllogistica in hoc principio : *Una præmissarum contineat conclusionem, altera contentam declaret.* Cùm ergò placita fidei sint in se formaliter immediatè revelata, conclusio materialiter sumpta, quæ in præmissis reipsà, etsi minùs clarè continetur, atque cum iis identificatur, pariter dici debet formaliter et immediatè, licèt minùs clarè revelata. Id variis exemplis illustrari potest : v., g. : *Omnis homo habet animam immortalem; Christus est homo; ergò Christus habet animam immortalem;* vel : *Omnia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; atqui Baptismus est sacramentum, ergò*, etc., vel : *Omnes Apostoli acceperunt Spiritum sanctum : S. Matthæus fuit unus ex Apostolis; ergò S. Matthæus accepit Spiritum sanctum.* In his et similibus exemplis conclusio continetur in præmissis, tanquàm in aliquo cum quo realiter identificatur : non tàm deducitur, quàm ostenditur esse inclusa in præmissis, seu, ut ità loquar, est ratiocinium in verbis, non verò in mente; sic v. g., cùm asseritur S. Matthæum accepisse Spiritum sanctum, idem est, saltem inadæquatè, ac si diceretur omnes Apostolos (quorum unus erat S. Matthæus), accepisse Spiritum sanctum; non enim potest aliquis affirmare totum, quin affirmet partes ex quibus intrinsecè illud constat, propter scilicet identitatem partium cum toto. Hoc eodem argumento utitur Suarez dictâ disp. 3, sect. 11, n. 6 : « Revelatio propositionis universalis, inquit, immediatè cadit in illa omnia quæ sub propositione universali continentur; ergò sufficit de se ad fidem circà singularia, si sufficienter proponatur; » porrò in conclusionibus deductis ex duabus præmissis de fide, certò et evidenter applicatur universalis revelatio circà objecta singularia; ergò, etc. Sic v. g., cùm revelatur *omnem hominem habere animam immortalem; sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem; omnes Apostolos accepisse gratiam;* eò ipso immediatè quoque, licèt minùs clarè, revelatum censetur tanquàm pars in toto, et minùs explicitum in magis explicito, *Christum habere animam immortalem, Baptismum conferre gratiam;* idem dicendum de similibus propositionibus. His adde, nullum posse afferri exemplum conclusionis theologicæ ex duabus præmissis revelatis evidenter deductæ, quæ si materialiter consideretur, non sit in se immediatè, saltem confusè revelata, ac proindè de fide; undè propriè et accuratè loquendo conclusiones hujusmodi non sunt verè theologicæ.

Dixi conclusiones *materialiter* spectatas; si enim spectentur *formaliter* et *reduplicativè*, quatenùs ex duabus præmissis revelatis deductæ, jam non sunt de fide, ut suprà diximus, responsione 1. Ità Cajetanus, Brancatus de Laureâ, Lorca, Valentia et alii. Et verò, uti ratiocinatur de Panormo, *Scrutinii* cap. 3, art. 19 : « Conclusionibus sic consideratis assensum præbemus, non præcisè propter divinam veritatem dicentem, sed etiam propter connexionem conclusionis cum præmissis lumine naturali cognitam, quam mixtionem excludit fides. » Scilicet in fide, propria et adæquata assentiendi ratio est sola formalis et immediata Dei revelatio per Ecclesiam proposita; in conclusione autem theologicâ formaliter sumptâ assentiendi motivum, est ejus cum revelatione connexio, rationis usu manifestata; ergò, etc.

Resp. 5° : Conclusiones merè et verè theologicas ex duabus præmissis, quarum una est de fide, altera verò lumine naturali nota, certò et evidenter deductas, non esse de fide, ac proindè propositiones his conclusionibus oppositæ propriè non sunt hæreticæ. Ità Gregorius, Major, Gabriel, Cajetanus et Thomistæ, Salmaticenses, cardinalis de Lugo, Lorca, Valentia, Molina, Antonius de Panormo, et alii passim, quos refert et sequitur Suarez, disput. 3 de Fide sect. 11, n. 3, 7 et 10.

Probatur ratiocinio quo utitur cardinalis de Lugo disput. 1 de Fide, sect. 13, n. 271. « Non potest esse de fide id quod non creditur quia revelatum et testificatum est à Deo; sed objectum ejusmodi conclusionum non dicitur à Deo, sed aliud ex quo partialiter illud infertur; ergò non potest hoc credi ex fide, cùm non participet rationem formalem et motivum proprium fidei. » Et verò fides et conclusio theologica materialiter sumpta discrepant ratione objecti, motivi et medii. Namque 1° objectum fidei est aliquid à Deo immediatè revelatum; objectum autem conclusionis theologicæ materialiter spectatæ est aliquid non immediatè revelatum, sed ex revelato consequens; 2° motivum fidei est divina revelatio formalis et immediata; motivum autem theologicæ conclusionis est revelatio virtualis et mediata, seu ipsius cum revelatione connexio; 3°, in fide, medium quo cognoscitur revelatio, est ipsa Ecclesiæ definitio; in conclusione verò theologicâ medium quo innotescit ipsius cum revelatione necessitudo, est ipsa ratio seu discursus et evidentia; ergò fides et conclusio materialiter sumpta discrepant penès ob-

jectum, motivum et medium, ac proindè conclusiones theologicæ non possunt dici de fide.

Dixi, conclusiones *merè* et *verè* theologicas, id est, conclusiones quæ non sunt meræ expositiones propositionum immediatè revelatarum, in quibus tanquàm singulare in universali, vel minùs explicitum in magis explicito, formaliter et necessariò, etsi minùs clarè continentur, sed illas quæ ex præmissis à quibus virtualiter saltem distinguuntur, per veram ac syllogisticam illationem reipsà educuntur. Breviùs, agitur de iis conclusionibus quæ non sunt merè expositivæ, sed verè illativæ, seu, ut loquitur de Panormo, art. 18 capitis 3, quæstio est de conclusionibus in quibus « præmissa non revelata verè influit in propositionem illatam, per aliquod prædicatum, aut formalitatem quæ nec sit revelata, nec soli explicationi præmissæ revelatæ inserviat, » id est, ut paulò post exponit, « quæ non sit merè explicativa divinæ revelationis, quæ immediatè afficiat ipsam propositionem deductam. » Quod quidem contingit, uti observat Suarez, citatâ sect. 11, disput. 3, « cùm fit generalis revelatio distributiva, ut in isto exemplo : *Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem*; in istâ enim universali omnes singulares formaliter continentur, licèt confusè; vel in definitione respectu definiti. Nam..... cùm revelatur nobis Christum esse hominem, satis formaliter revelatur esse animal rationale, vel habere corpus et animam humanam, licèt hoc non explicitè dicatur. » Vide quæ suprà diximus, corollario 1 et 2, ad tertiam responsionem.

Dices 6°, cum cardinali de Laureâ et auctore *Scrutinii doctrinarum*, cap. 2, art. 8 : Hæ conclusiones : *Deus vult omnes salvos fieri; ergò Deus vult Judam salvum fieri. — Christus mortuus est pro omnibus; ergò mortuus est pro Petro. — Omnes romani pontifices ritè et canonicè electi habent jure divino primatum non solùm honoris, sed etiam jurisdictionis in universâ Ecclesiâ; ergò talis romanus pontifex ritè et canonicè electus*, etc. — *Omnis infans ritè baptizatus est justificatus; ergò et talis infans*, etc.; hæ, inquam, et similes conclusiones in quibus propositio singularis eruitur ex universali immediatè revelatâ, sunt de fide; atqui propositiones iis contradictoriæ hæreticæ sunt; ergò idem dicendum erit de iis conclusionibus in quibus proprietas eruitur ex essentiâ; v. g. : *Omnis homo est risibilis : atqui Christus est homo; ergò est risibilis.* Porrò propositiones hujusmodi veræ sunt conclusiones theologicæ ex præmissis unâ revelata, alterâ naturali deductæ; ergò, etc. Et verò, inquit citato loco *Scrutinii* auctor, « non minùs continetur in istâ propositione : *Christus est homo*; hæc altera : *Christus est risibilis*; quàm in universali illâ : *Deus vult omnes homines salvos fieri*, particularis altera : *Deus vult Judam salvum facere.* In re namque sicuti Judas identificatur tanquàm pars cum toto, cum collectione, *omnes homines*; ità et risibilitas identificatur tanquàm proprietas cum *humanitate seu rationalitate*, quæ est hominis constitutivum.... undè eodem modo quo valet illatio : *Christus est homo; ergo est risibilis*, valet quoque et alia : *Deus vult omnes homines salvos fieri*; igitur *vult Judam salvum fieri.* Vel itaque utrumque illatum erit theologicum, et consequenter utraque propositio utrique illato contraria, erit *erronea*, vel si posterius, *de salute Judæ*, erit de fide, pariter de fide tenendum et prius : *Christus est risibilis*, ut plenè doctrina cohæreat. »

Resp. concordes omninò non esse theologos circà propositiones singulares et facta particularia, ex propositionibus universalibus immediatè revelatis, in quibus tanquàm partes in toto proximè continentur, certò deducta. 1° Aliqui censent propositiones singulares seu facta particularia in propositionibus universalibus contenta, nec in se clarè et distinctè revelata, non esse de fide divinâ. Ità Turrecremata, lib. 4 Summæ, parte 2, cap. 9; Cajetanus 2-2, qu. 1, art. 3, in corp.; Bannes 2, 2, qu. 1, art. 10 dub. 2 ad 2, et alii. Docent illi certum non esse certitudine fidei divinæ, *hunc hominem*, v. g., *esse verum supremum pontificem*; quia, inquiunt, nusquàm Deus id immediatè revelavit; et aliundè res est humana et contingens pendens ex testimoniis humanis, et ex multis aliis occultis circumstantiis, ut an sit baptizatus, an ritè ordinatus, etc. idem proportione servatâ asserunt de hâc propositione singulari : *Concilium Tridentinum fuit legitimum.* Addunt autem facta hujusmodi, etsi fide divinâ certa non sint, attamen certa esse certitudine morali; quo fit ut concilio et romano pontifici debitam teneamur exhibere obedientiam.

Juxtà hanc sententiam plana est ac facilis responsio objectioni propositæ; scilicet propositiones illæ singulares de factis particularibus, quæque ex propositionibus universalibus immediatè revelatis deducuntur, non sunt de fide; ergò à fortiori nec etiam conclusiones ex unâ revelatâ et alterâ naturali deductæ, in quibus proprietas ex essentiâ eruitur.

2° Alii, quemadmodùm observat Panormo cap. 3, duplicis generis distinguunt propositiones universales in se immediatè revelatas. Nimirùm, aliæ revelantur propter particulares, ut cùm revelatur, quòd *omnis homo sit à Deo redemptus*; talis revelatio est propter has singulares : *Petrus est redemptus; Paulus est redemptus*; et hujus generis esse existimant universalem illam : *Omnis canonicè electus in romanum Pontificem est Christi vicarius et Petri successor*, non ob alium finem revelatam, nisi ut hic vel ille Pontifex, Clemens XII, v. g., pro vero Christi vicario habeatur, ipsique debita exhibeatur obedientia. Aliæ verò sunt propositiones universales, inquiunt, quæ non censentur revelatæ propter particulares aut singulares, cujusmodi est ista : *Omnis infans ritè baptizatus, est à peccato originali immunis*; non enim revelata est ut credamus hunc numero infantem esse immunem à peccato originali; sed ut Baptismatis virtus, ac peccati originalis, quo totum genus humanum infectum est, veritas confirmetur.

Asserunt autem iidem auctores, in propositionibus universalibus primi generis verificari equidem quòd revelatâ aliquâ propositione universali, revelatæ haberi debeant et particulares, aut singulares universalem constituentes; non autem in propositionibus universalibus posterioris generis, quæ non censentur revelatæ propter particulares : « Ex quo consequens est

juxtà illos, inquit, *Scrutinii* auctor loco mox citato, quòd etiamsi constet hunc numero infantem ritè et validè baptizatum esse, ut constare fortè potest ministro conferenti baptismum, adhuc de fide non sit, quòd ille infans sit ab originali peccato immunis. » Ità sentire videntur eminentissimus de Laureâ, disput. 16 de Fide art. 2, paragr. 1, n. 38, Dominicus à SS. Trinitate, lib. 2 Bibliot. Theol. sect. 3, cap. 2; Dominicus Gravina, lib. 1. Catec. præscript. 6, art. 3, etc.

3° Alii iterùm distinguunt propositiones universales immediatè revelatas duplicis generis. Nempè aliæ sunt quarum propositiones singulares, sub universalibus contentæ, talis sunt naturæ, ut absque respectu ad has vel illas extrinsecas circumstantias, certò cognoscantur contineri sub universalibus revelatis; in exemplum solet afferri propositio ista particularis : *Deus vult Petrum salvum fieri*, respectu istius universalis : *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Asserunt autem illas propositiones singulares cum universalibus revelatis comparandas esse, velut partes cum toto, atque revelationem non solùm immediatè afficere universalem propositionem exprimentem *salutem omnium hominum*, v. g., sed et quaslibet singulares quæ universalem efformant ac constituunt, inter quas est ista, *de salute Petri;* undè, inquiut, propositiones hujusmodi singulares credi debent fide divinâ, perindè ac universales.

Aliæ verò sunt propositiones singulares quas in universali revelatâ non includi certò constat, nisi expendendo varias extrinsecas et contingentes circumstantias à quibus dependent; talis est ista propositio particularis de infante ritè baptizato; licèt namque verissimè sub universali : *Omnis infans*, etc., contineatur quilibet in particulari, qui sit ritè baptizatus; non tamen de tali vel tali determinatè infanti, quòd sit ritè baptizatus, certò constat vi universalis propositionis applicatæ immediatè huic vel illi individuo, sed vi universalis applicatæ, mediâ fallibili cognitione de validitate materiæ, de intentione ministri, etc. « Illud autem, inquit Panormo cap. 3, art. 5, n. 14, in quo concurrit fallibilitas (idem proportionaliter dic de medio infallibili quidem infallibilitate propriâ scientiæ, sed inferioris ordinis infallibilitate propriâ fidei) applicationis vel medii, patet non posse contineri in universali ut revelatâ, tanquàm ipsius partem constitutivam, nisi cesset fallibilitas medii et applicationis ob concursum alterius superioris causæ, quæ ex Spiritûs sancti operetur instinctu, ac infallibilitatis privilegio gaudeat; ut evenit in casu particularis, seu singularis : *Hic numero romanus pontifex*, etc.; quæ licèt pendeat à notitiâ canonicæ electionis, quæ suî naturâ fallibilis est, si tamen accedat Ecclesiæ acceptatio, quæ ex Spiritûs sancti instinctu ad eam dirigitur, non impeditur quin in concreto sit singularis immediatè revelata in illâ universali : *Omnis romanus pontifex*, etc., etiam ut revelata, tanquàm pars constitutiva illius in esse talis. » Juxtà hanc sententiam videtur propositiones singulares facta singularia exprimentes, quas sub universalibus revelatis contineri certò non constat, nisi habito respectu ad varias extrinsecas circumstantias à quibus pendent; videtur, inquam, hujusmodi propositiones singulares non posse credi fide divinâ, nisi accedat Ecclesiæ acceptatio; seu, ut loquitur de Panormo, « concursus alterius superioris causæ, quæ ex Spiritûs sancti operetur instinctu, ac infallibilitatis privilegio gaudeat, ut evenit in casu singularis : » *Hic numero romanus pontifex*, etc.

In hâc et priori sententiâ manifestè patet, nullam instituendam esse comparationem inter istas conclusiones : *Deus vult omnes homines salvos fieri; ergò vult Petrum, Paulum, Judam*, etc., *salvos facere*. — *Omnis romanus pontifex canonicè electus, est Christi vicarius ac Petri successor; ergò talis numero, Clemens XII, v. g.*, etc., et istas alias in quibus proprietas ex essentiâ eruitur : *Christus est homo ; ergò est risibilis*. Primi generis conclusiones, non tam conclusiones sunt, quàm expositiones et evolutiones propositionis universalis, quas proindè directè et immediatè afficit revelatio universalis; non ità est de eis conclusionibus in quibus proprietas ex essentiâ colligitur. Stando ergò præcedentibus opinionibus, ruit proposita objectio.

4° Panormo citato loco rursùs distinguit, aut potiùs paulò aliter explicat mox expositam Brancati de Laureâ distinctionem « Non renuimus, inquit, admittere aliquas veritates (id est, propositiones) universales esse quæ revelantur, vel propter solas particulares in ipsis comprehensas, vel ad minùs etiam in ordine ad ipsas : alias verò, quæ suî naturâ nullatenùs respiciunt particulares, quod evenire dicimus, quatenùs prioris generis propositiones tendunt ad Ecclesiæ regimen, nedùm in suâ universalitate sumptæ, sed etiam in singulis particularibus sub ipsis inclusis, cujusmodi est universalis : *Omnis romanus pontifex*, etc..... Posterioris verò generis est universalis : *Omnis infans ritè baptizatus*, etc., quæ in suî universalitate est fidei dogma, per quod nobis revelata est baptismi virtus, confirmataque veritas peccati originalis, quo totum infectum est genus humanum; at quòd hic numero infans sit verè baptizatus, non respicit Ecclesiæ directionem in materiâ fidei; nulla namque ad hujus conservationem necessitas, quòd fide divinâ teneatur hic, vel alter infans ritè et validè baptizatus, et proindè immunis ab originali peccato. » Atque hanc ibidem tradit regulam idem auctor ad dignoscendum quandonam seu in quibus casibus debita sit Ecclesiæ ex divinâ promissione Spiritûs sancti assistentia ad eruendas ex universalibus revelatis, particulares in ipsis contentas, ut habeantur tanquàm fidei dogmata et objecta : « Quoties videlicet, inquit, universales sunt primi generis, spectantes tùm in se ipsis, tùm in suis particularibus ad Ecclesiæ directionem, ad fidei conservationem, ac proindè toti Ecclesiæ utroque modo proponibiles, ut credantur fide divinâ; non verò quoties sunt secundi generis, quarum particulares nusquàm erunt de fide divinâ habendæ, quia nonnisi per fallibile, aut saltem non infallibile infallibilitate fidei, medium, agnita ipsorum continentia in universalibus revelatis. »

5° Canus, lib. 6 de Locis Theologicis, cap. ultimo, Vega, lib. 9, Trident. cap. 39, card. de Lugo, disput.

1 de Fide, sect. 13, Valentia, tomo 3, disput. 1 quæst. 1, et alii quos refert et sequitur Suarez, disput. 3 de Fide, sect. 11, docent objectum aliquod singulare in universali propositione immediatè revelatâ contentum, dummodò id certò constet, pertinere ad fidem. Ratio est, inquit, de Lugo post Suarez, loco mox citato, quia revelatio universalis immediatè, etsi confusè, cadit in ea omnia quæ sub universali continentur; sufficit ergò de se ad fidem singularium, si sufficienter, id est, certò et evidenter constet, illa sub universali propositione contineri. Nempè, sicuti habet Panormo, ratiocinium Suaresii contrahens, in *Scrutinio*, cap. 2, art. 8, n. 16, « per illam revelationem quâ nobis innotescit *Deum velle omnes homines salvos fieri*, significatur verum judicium, quod Deus habet de adæquato objecto ejusdem revelationis; illud enim judicium est fundamentum testimonii divini, in Deo autem non est cognitio confusa, sed distinctè judicat de omnibus quæ revelat, quamvis multa unico comprehendat verbo; confusio idcircò se tenet ex parte nostrâ, utpotè qui audientes *Deum velle omnes homines salvos fieri*, non illicò habeamus notitiam singularium omnium hominum qui sunt objectum divini illius judicii, ac propterea confusione hujusmodi sublatâ, habitâque cognitione, quòd in dicto divini judicii objecto fuerit comprehensus Judas, sequitur, quòd sicut respectu divini judicii, idem prorsùs est, nedùm in re, sed in ratione ipsâ formali: *Salus omnium hominum*, ac *salus Judæ*, *Petri*, *Pauli*, *et cæterorum*, de quibus fieri valeat sufficienter inductio ac distributio; ità et respectu nostri revelatio *immediatè*, nedùm afficiat universalem exprimentem *salutem omnium hominum*, sed et quaslibet singulares quæ universalem efformant ac constituunt, inter quas est præfata *de salute Judæ*.

Stando huic postremæ sententiæ, conformiter ad ea quæ anteà diximus responsione tertiâ ad præcedens argumentum,

Respondeo negando conseq. et parit.; multùm siquidem discriminis est inter conclusiones in quibus propositio singularis ex universali eruitur; et conclusiones in quibus proprietas ex essentiâ, effectus ex causâ, etc., infertur; primi generis illationes, veri nominis conclusiones non sunt, sed meræ expositiones, evolutiones aut enumerationes partium : propositiones enim singulares respectu propositionis universalis, sunt veluti totidem partes ex quibus illa intrinsecè constituitur (hinc apud philosophos, genus totum est *potentiale*, individua verò sub ipso contenta partes *subjectivæ*), undè revelatâ aliquâ propositione universali, revelata per se formaliter et immediatè haberi debet quælibet particularis universalem constituens; at ità non est de conclusionibus in quibus proprietates ex essentiâ deducuntur ; proprietas enim supponit rem essentialiter constitutam, à quâ saltem virtualiter distinguitur, verè fluit ex differentiâ, et verè ex illâ infertur; ac proindè revelatâ essentiâ, non censetur formaliter et immediatè revelata proprietas; ac per consequens, conclusio in quâ proprietas ex essentiâ deducitur, v. g. : *Christus est homo ; ergo est risibilis*, de fide esse nequit, defectu scilicet revelationis immediatæ ad fidem necessariò prærequisitæ.

Verbo dicam, propositio singularis formaliter et immediatè continetur in universali revelatâ, tanquàm pars in toto; est ergò de fide, et contradictoria est hæretica; è contrà verò propositio ista : *Christus est risibilis*, in hâc alterâ revelatâ, *Christus est homo*, non formaliter et immediatè continetur, sed virtualiter duntaxat et tanquàm effectus in causâ; adeòque non est de fide, sed mera conclusio theologica, et ipsi opposita, hæretica dici nequit, sed duntaxat erronea. Et, ut loquitur Card. de Lugo, « propositio ista : *Christus est risibilis*, se habet ad hanc alteram propositionem : *Christus est homo*, non ut particularis sub universali aliquâ revelatâ, sed ut particularis connexa cum aliâ particulari revelatâ, connexa, inquam, non connexione immediatè revelatâ, sed naturali ratiocinio eruta ex humanitate Christi, quæ sola immediatè est revelata. » Non itaque, ut acutè observat Panormo, cap. 2, art. 8, ratio, cur propositio singularis contenta in universali revelatâ, sit de fide, fundatur in solâ identitate *reali*, quæ intercedit propositionem singularem inter et universalem; sic namque valeret objectio proposita, et dicendum foret conclusionem in quâ proprietas eruitur ex essentiâ, pariter esse de fide; cùm proprietas perindè identificetur cum essentiâ, ac propositio singularis cum universali, sed fundatur in identitate *formali* seu conceptuum quæ occurrit propositionem universalem inter et particularem sub ipsâ contentam, cùm è contrà proprietas ab essentiâ virtualiter seu penès conceptus distinguatur. Undè ibidem Panormo : « Propositio particularis ac singularis, inquit, respectu universalis revelatæ, comparanda est tanquàm quid *formaliter æquivalens*, etsi non totaliter; propositio verò explicans proprietatem, effectum, etc., respectu propositionis exprimentis essentiam, etc., se habere solummodò tanquàm quid *virtualiter* et *illativè* æquivalens. » Ac per hoc patet responsio ad id quod in objectione opponitur ex eodem Panormo.

Dices 7° : Qui pertinaciter negaret propositionem certò et evidenter deductam ex placito fidei, v. g., *Christum* fuisse *risibilem*, haberetur ut hæreticus ; ergò conclusio theologica pertinet ad fidem, ac proindè hæretica est propositio huic contradictoria.

Respondeo cum cardinali de Lugo, disput. 1 de Fide, sect. 13, parag. 1, « illum præsumi hæreticum, quia non præsumitur negare principium evidens naturale, quòd homo sit risibilis; sed principium obscurum revelatum, quòd Deus sit homo. Si tamen ipse non negaret Christum esse hominem, sed solùm negaret hominem esse risibilem, non esset verè hæreticus coràm Deo. » Ità cum aliis Suarez, disput. 3 de Fide, sect. 11. Pergit idem cardinalis : « Addit benè Hurtado, disput. 12, parag. 27, neque etiam in foro externo puniendum ut hæreticum, si esset homo rudis, qui facilè errare posset in principio evidenti philosophico. »

Dices ultimò : Saltem accedente Ecclesiæ definitione, conclusio theologica ex unâ revelatâ et alterâ naturali evidenter deducta, evadit de fide divinâ ; adeò ut foret

hæreticus qui scienter huicce conclusioni jam definitæ obluctaretur; ergò revelatio formalis et immediata non requiritur ad fidem, nec proindè propositio hæretica formaliter constituitur per oppositionem directam et immediatam veritati à Deo immediatè revelatæ. Consequentia videtur certa; probatur autem antecedens ex Ecclesiæ ac conciliorum praxi, quæ multoties fidei dogmata definière ob solam immediatam cum revelatis connexionem, ut videre est inter alia in sextâ œcumenicâ synodo, in quâ adversùs Monothelitas definitum est duas esse in Christo voluntates, quæ propositio duntaxat revelata fuerat in istâ : *Christus est Deus et homo;* ergò , etc.

Respondeo, circà conclusiones theologicas Ecclesiæ judicio fidelibus ad credendum propositas, duplicem potissimùm esse theologorum sententiam. Prima est Suaresii, quem hâc in parte secuti sunt cardinales de Lugo, de Laureâ et alii; asserunt illi cum Suarez, disput. 3, sect. 11, n. 11, « conclusionem theologicam, quæ priùs tantùm virtute continebatur in rebus revelatis, postquàm per Ecclesiam definitur, esse formaliter et propriissimè de fide, non mediatè tantùm, sed immediatè; quia jam non habetur illa veritas, tantùm ut virtute et mediatè revelata, sed ut revelata formaliter et in se. » Ratio eorum qui stant pro hâc sententiâ, hæc est : « Quia quod Ecclesia definit, inquit Suarez, Deus per Ecclesiam testificatur; Ecclesia autem definit talem veritatem in se ac formaliter; ergò jam Deus illam in se ac formaliter testificatur; ergò eo ipso est constituta sufficienter sub objecto formali fidei. » Affirmat ibidem Suarez opinionem hanc sibi « certam videri, et haberi ex communi consensu theologorum; » imò addit se non invenisse « theologum contradicentem. » Verùm immeritò, complures quippè theologi prædictæ opinioni adversantur. Etenim altera sententia docet meram conclusionem theologicam nusquàm posse evadere placitum fidei, etiamsi accedat Ecclesiæ definitio; adeòque propositionem priùs erroneam duntaxat, deindè ob supervenientem Ecclesiæ definitionem, nunquàm fieri hæreticam. Sententiam hanc exponit et probat *Scrutinii* auctor cap. 3, art. 5, n. 19, 20, 21, 22, et pro hâc citat Valdensem , Alphonsum à Castro, Lorcam, Canum et Thomistas communiter, Molinam, Valentiam, Hurtadum, Tannerum, etc.

In hanc sententiam coincidit opinio illustrissimi Tutelensis episcopi, in suo de elementis theologicis tractatu, ubi docet, « id nunquàm committere posse Ecclesiam, ut meras conclusiones theologicas, tanquàm ad fidem catholicam pertineant, declaret. »

Arridet magis secunda hæc auctoris *Scrutinii* sententia, 1° quia, ut docent theologi post sanctum Thomam, Ecclesia non habet auctoritatem condendi novos fidei articulos, novaque dogmata; mera ergò conclusio theologica non potest evadere placitum fidei ob supervenientem Ecclesiæ definitionem; 2° prædicta Suaresii sententia non videtur satis sibi cohærens; docet siquidem Suaresius, meras conclusiones theologicas nullatenùs esse de fide, antequàm definiantur ab Ecclesiâ : jam verò si ità sit, qui fieri poterit ut subsequens Ecclesiæ definitio, hasce conclusiones ad dignitatem dogmatis fidei promoveat? Certè Ecclesia nihil facit esse de fide quod anteà de fide non fuerit; sed duntaxat expensis Scripturâ et traditione, juridicè declarat ac proponit id esse revelatum et credendum, de quo priùs non constabat an contineretur in Scripturâ et traditione, et an divinâ fide credendum foret. « Erat quidem fidei, inquit Sylvius 2-2, q. 1, art. 70, priusquàm definiretur ab Ecclesiâ; et consequenter, oppositum tenentes jam tùm errabant in fide, sed inculpabiliter : quia non errabant in fide definitâ et declaratâ; » 3° inefficax videtur Suaresii ratiocinium. Equidem Deus assistit Ecclesiæ suæ in omnibus suis dogmaticis definitionibus, ne in iis erret proponendo aliquid falsum; at exindè minimè sequitur solemne Ecclesiæ judicium semper satis esse, ut veritas aliqua definita sub objecto formali fidei sufficienter constituatur ; siquidem aliud est , quod definitur ab Ecclesiâ, assistente Spiritu Sancto esse verum; et aliud, id esse de fide; etenim assistentia, ut omnes nôrunt, longè discrepat à revelatione ad objectum fidei omninò necessariâ.

Et verò si prædictæ conclusiones essent de fide post Ecclesiæ definitionem, id fieret vel vi revelationis, vel vi assistentiæ; sed neutrum dici potest. Non primùm, quæ enim erat antè Ecclesiæ definitionem revelatio non sufficiebat ad fidem; accedente autem hâc definitione, non nova accessit revelatio; ergò, etc. Non secundum, uti enim demonstrabimus articulo 5, et ipsemet fatetur Suarez, Ecclesia infallibilis est assistente ei Spiritu Sancto, in omnibus suis dogmaticis definitionibus : atqui certum est, nec etiam diffitetur idem Suarez, omnia dogmaticarum Ecclesiæ definitionum objecta non esse de fide; ut patet in factis dogmaticis non revelatis; in notis *temerarii, scandalosi*, et aliis infrà hæresim, et generatìm in rebus certis quidem ac tenendis, sed certitudine infrà fidem; ergò, etc.

Juxtà secundam hanc quam amplectitur auctor *Scrutinii* sententiam, patet solutio ad argumentum propositum; negandùm scilicet, ob rationes mox adductas, conclusionem merè theologicam, accedente Ecclesiæ definitione, esse propriè ac formaliter de fide. Neque id probat adductum ex synodo sextâ œcumenicâ argumentum; contendimus enim cum citato mox *Scrutinii* auctore, antecedenter ad concilium sextum œcumenicum, hæreticum fuisse Monothelitarum dogma. Id quippè clarè demonstrant Scripturæ et SS. Patrum testimonia, quibus duas in Christo voluntates probant sextæ synodi Patres : *Non mea, sed tua voluntas fiat*, Lucæ 22, 24. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26, 39, undè in Epist. synodicâ Agathonis ad præfatam synodum directâ habetur : « Juxtà quod Prophetæ olim de Christo, et ipse nos erudivit, et sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas naturales voluntates in eo, et duas naturales operationes prædicamus. »

Quod autem additur, hæreticum fore qui scienter et cum pertinaciâ conclusioni theologicæ post Ecclesiæ definitionem adversaretur, non eodem modo intelli-

gunt theologi : 1° fatentur omnes illum fore *præsumptivè* hæreticum, qui theologicæ conclusioni jam definitæ obluctaretur; imò et antè definitionem, si conclusio ità sit clara et aperta, ut ipsius cum revelatis connexio ab omnibus etiam rudioribus facilè percipi possit, qualis est ista : *Christus est homo; ergò est risibilis.* 2° Suarez, de Lugo et qui cum iis censent conclusiones theologicas post Ecclesiæ definitionem esse formaliter et propriè de fide; ii consequenter existimant non solùm *præsumptivè*, sed et *formaliter* hæreticum fore qui scienter iis reluctaretur. 3° Qui autem cum auctore *Scrutinii* judicant prædictas conclusiones non esse de fide, qui eas negant, non *hæreticos* formaliter, sed *erroneos* habendos esse putant.

Si quis autem non solùm definitam conclusionem theologicam negaret, sed et infallibilitatem Ecclesiæ in dictâ definitione condendâ, « is formaliter foret hæreticus, inquit Panormo, cap. 3, art. 18, quia negaret objectum fidei immediatè revelatum, quale putamus esse infallibilitatem Ecclesiæ, nedùm in rebus tanquàm de fide habendis definitis, sed et in ipsismet definitionibus rerum infrà fidem tenendis. » De Lugo tamen cum aliis quibusdam hanc sententiam temperat; docet siquidem non *hæreticum*, sed *erroneum*, vel *errori proximum* esse, negare infallibilem esse Ecclesiam dùm qualificationi hæreseos inferiores notas applicat.

Undè hìc obiter observa partìm inter se invicem consentire theologos hàc in præsenti quæstione, et partìm à se invicem dissentire.

1° Consentiunt omnes fide divinâ credendam esse infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis tanquàm de fide, aut improbandis tanquàm hæreticis, certis quibusdam propositionibus; adeòque formaliter hæreticum fore qui prædictam infallibilitatem negaret. 2° Quod ex præcedenti sequitur, consentiunt pariter, hæreticum formaliter fore qui veritatem tanquàm dogma fidei definitam amplecti, aut propositionem velut hæresim proscriptam damnare contumaciter recusaret. 3° Quod spectat ad conclusiones merè theologicas materialiter sumptas, fatentur omnes, ut mox vidimus, *præsumptivè* fore hæreticum qui eis post Ecclesiæ definitionem adversaretur. 4° Quod spectat an negantes hujusmodi definitas conclusiones habendi sint tanquàm *formaliter* hæretici, dissentiunt inter se theologi; affirmat Suarez cum suis sequacibus; negat verò Panormo cum Thomistis communiter, cujus sententiam, utpotè magis cohærentem amplexi sumus.

Observat idem Panormo loco mox citato, quòd si Ecclesia definiret conclusionem theologicam, v. g., *Christum esse risibilem*, præcisè ex revelatione mediatâ et virtuali; qui negaret conclusionem illam theologicam habendus foret *erroneus*, non *hæreticus;* qui tamen inficiaretur Ecclesiæ infallibilitatem in tali definitione ferendâ, formaliter esset hæreticus; quia hic negaret fidei objectum immediatè revelatum, qualis est, inquit, infallibilitas Ecclesiæ, non tantùm in definitionibus fidei, sed et in ipsismet definitis veritatibus infrà fidem tenendis. An autem meræ conclusiones theologicæ tanquàm de fide divinâ credendæ definiri possint, iterùm in diversas abeunt partes theologi. Suarez affirmantem, Panormo verò negantem sententiam propugnat, et quidem appositè ad principia ex eodem auctore superiùs stabilita; nihil scilicet tanquàm de fide divinâ credendum definiri posse, nisi quod in se et immediatè revelatum est.

5° Tandem, consentiunt theologi, negari non posse absque aliquâ notâ Ecclesiæ infallibilitatem in propositionibus approbandis, aut improbandis, etiam infrà fidei qualificationem aut hæresis notam.

Verùm rursùs discordes sunt in assignandâ præcisè notâ quam mereretur is qui prædictam infallibilitatem rejiceret. Bannes 2-2, quæst. 11, art. 2, cardinalis de Lugo, disput. 20 de Fide, sect. 13, n. 104; Malderus, ibidem, membro 5; Turrianus, disput. 55, dubio 5; Coninch, disput. 18, dubio 8; Panormo, cap. 3, art. 18, advertunt, « graviùs errare, qui dicit Ecclesiam errare posse, vel errare in iis censuris, quàm qui solùm assereret veras esse propositiones illas ab Ecclesiâ judicatas *temerarias*, *offensivas*, etc. » Malderus, Panormo et alii affirmant id esse hæreticum; Bannes, Turrianus, etc., erroneum aut errori proximum. « Qui dicit, inquit de Lugo, loco laudato, Ecclesiam in censuris infrà hæresim erràsse, incurrit hæresim in aliquorum sententiâ, et in sententiâ aliorum incurret, vel errorem, vel aliquid errori proximum. » Ast de iis fusiùs art. 5, ubi de auctoritate requisitâ ad ferendas censuras theologicas.

Ex dictis hùc usque circà propositionem hæreticam, colliges 1°, ex Panormo, in *Scrutinio*, cap. 2, art. 1, n. 6, hæresim seu propositionem hæreticam, « essentialiter consistere in oppositione directâ et immediatâ cum doctrinâ fidei divinæ; » undè cum eodem Panormo, Sylvio, Cano, etc., describi potest hæresis : *Error veritati fidei catholicæ directè et immediatè repugnans, in eo qui fidem Christi professus est ;* quæ posteriora verba adduntur ut hæresis à cæteris infidelitatis speciebus distinguatur; ut enim, inquit sanctus Thomas, 2-2, q. 11, art. 1, « hæresis est infidelitatis species ad eos pertinens, qui fidem Christi professi sunt, et ejus dogmata corrumpunt. » Colliges 2°, duplicem vulgò distingui à theologis hæresim (idem dicendum de propositione hæreticâ); altera dicitur *materialis*, altera *formalis*. Hæresis *materialis* et impropriè dicta, est error veritati fidei directè et immediatè oppositus, sed absque pertinaciâ assertus. Hæresis *formalis* et propriè sumpta, est error fidei catholicæ directè et immediatè repugnans, cum pertinaciâ assertus ab eo qui fidem Christi professus est. Porrò pertinacia ad hæresim *formalem* fatentibus omnibus essentialiter requisita, « consistit in judicio, inquit Sylvius, 2-2, q. 11, art. 1, quo aliquis post manifestatam sibi sufficienter veritatem fidei, sciens et volens ei repugnat. » Colliges 3°, hæreticum constituere ac denominare, hæresim formalem, non verò materialem; suadent id verba Apost. 1 ad Timoth. 6 : *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus... superbus est, nihil sciens*, etc. Et verò sanctus August. epist. 43, aliàs 162 : « Qui sententiam suam, inquit, quamvis

falsam atque perversam nullâ pertinaci animositate defendunt... nequaquàm sunt inter hæreticos deputandi. » Et lib. 18 de Civit. Dei, cap. 51 : « Qui ergò in Ecclesiâ Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, et foràs exeuntes habentur in exercentibus inimicis. » Idem liquet ex conciliis Lateran. sub Innoc. III celebratis cap. 2, item ex Clementinâ unicâ *De summâ Trinitate;* et ex Clementinâ *Ex gravi,* de Usuris. Videri etiam potest S. Thomas quæst. 8, art. 1 ad 7, in caput 11, 1 ad Cor. lect. 4, et lect. 2 in caput 3 ad Titum. Colliges 4°, ad hæresim *formalem* et propositionem *formaliter* hæreticam constituendam, tres potissimùm ex parte objecti requiri conditiones : Prima, ut directè et immediatè opponatur veritati revelatæ. Secunda, ut veritas revelata cui adversatur propositio hæretica, sit directè ac immediatè in seipsâ revelata. Tertia tandem est, ut veritas immediatè revelata cui directè adversatur hæretica propositio, ipsa sit Ecclesiæ auctoritate omnibus fidelibus ad credendum proposita.

Tres istas conditiones ad hæresim formalem et hæreticum constituendum desiderari, abundè constat ex dictis, præcipuè in solutione ad propositas mox objectiones.

Colliges 5°, tres insuper ex parte subjecti requiri conditiones ad hæresim et propositionem formaliter hæreticam.

Prima conditio est, ut is qui errat, fidem Christi professus sit; atque adeò baptismo fuerit initiatus. Ità expressè sanctus Augustinus, citato cap. 51 lib. 18 de Civit. Dei, ubi dicit hæreticum esse, qui sub nomine christiano falsa dogmata in fide Christi docet, vel sequitur. Idem expressè asserit doctor Angelicus, 2-2, quæst. 11, art. 2. Consentiunt Turrecremata, Cajetanus, Cano, Castro, Azor, etc. Et ratio est, quia in hoc potissimùm differt hæresis ab aliis speciebus infidelitatis; et hæreticus à Judæo et pagano.

Altera conditio est, ut is qui errat, non in totâ fidei materiâ, sed in ejus duntaxat parte malè sentiat. Conditionem hanc exigunt Turrecremata in Summâ de Eccles. lib. 4, p. 2, cap. 13; Cano, lib. 12 de Locis Theol. cap. 9; Suarez disput. 19, de fide sect. 5, n. 10, ubi alios refert qui idem sentiunt. Et ratio est, quia ille est hæresis subjectum, qui aliquo modo se christianum profitetur; ast ut aliquis se christianum profiteatur necessum est ut aliquo modo in Christum credat; ergò consequenter necesse est ut non totam ejus fidem abneget, sed partem duntaxat corrumpat.

Tertia demùm et quidem præcipua ex parte subjecti ad hæresim formalem requisita conditio est pertinacia. De hoc consentiunt Cajetanus, Bannes, Cano, Suarez, Lugo, Sylvius, aliique passim theologi. Idque sequitur ex dictis suprà corollario 3, quibus adde istud S. Augustini, lib. 4 contrà Donat. cap. 16, ubi loquens de errante circà veritatem christianam : « Istum, inquit, nondùm hæreticum dico, nisi manifestatæ sibi doctrinæ catholicæ fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit. »

Verùm, quid sit et in quo præcisè posita sit pertinacia illa ad hæresim requisita, non ità facile est definire. Panormo in *Scrutin.* cap. 4, art. 8, docet post Suarez, disput. 19, sect. 3, pertinaciam duo essentialiter involvere : alterum præsuppositivè ex parte intellectûs, cognitionem videlicet seu notitiam sufficientem auctoritatis Ecclesiæ, et quòd doceat seu proponat veritatem illam contrà quam aliquis errat. Alterum *formaliter* ex parte voluntatis, actum nempè quo quis velit resistere catholicæ doctrinæ, seu Ecclesiæ illam docenti, nec subdere judicium suum auctoritati Ecclesiæ. Hâc in voluntate formaliter consistit pertinacia; hique duo actus, asserit ibidem Panormo, perpetuò significantur quoties in sacris canonibus hæretici ex *pertinaciâ* designantur dignoscendi, ut videre est cap. *Damnamus, de summâ Trinit.* ubi exposito abbatis Joachim errore, ipsius persona ab hæresi excusatur, quòd « scripta sua assignari mandaverit apostolicæ Sedis judicio approbanda seu etiam corrigenda. » Idem legere est in aliis apostolicis aut conciliorum sanctionibus passìm. Porrò, inquit Suarez loco mox citato, sufficiens auctoritatis et propositionis Ecclesiæ cognitio requisita ut quis censeatur ac verè sit pertinax, est illa, « per quam ità proponitur Ecclesiæ auctoritas, ut obliget hominem ad credendum, et ipsam esse veram Ecclesiam, et veram esse doctrinam quæ docetur; et eodem saltem modo necessaria est notitia definitionis Ecclesiæ; quia esto quis habeat sufficientem propositionem ejus, potest nolle credere esse definitionem, et nihilominùs erit pertinax, quia jam habet sufficientem notitiam, quæ illum obliget ad credendum talem propositionem esse ab Ecclesiâ definitam. »

Et paulò post advertit idem Suarez, quotiès circà latam Ecclesiæ definitionem sufficiens præcessit instructio et admonitio, id est, talis quæ obliget, ut verum esse credatur quod proponitur; ità ut et auctoritas Ecclesiæ, et definitio ejus circà talem materiam sufficienter proponantur, tanquàm evidenter credibiles; sine dubio pertinacem fore et hæreticum qui restiterit, etiamsi dicat, se non credere talem propositionem, quia non credit esse definitam ab Ecclesiâ; etenim in hoc ipso pertinax est, cùm illud sufficienter proponatur : « Aliàs, inquit Suarez, loco jam laudato, nullus esset hæreticus pertinax, quia omnes negant veritates contrarias suis erroribus, esse definitas à verâ Ecclesiâ... Sicut ergò respectu Dei, ad pertinaciam non est necessarium, ut aliquis credat aliquid esse dictum à Deo, et nihilominùs esse falsum; sed satis est ut credat esse falsum, quod sibi sufficienter proponitur ut dictum à Deo; ità dicendum est respectu Ecclesiæ quæ in hoc negotio habet vicem Dei, et seipsam sufficienter proponit, et ut veram Ecclesiam, et in hoc, vel illud definientem. »

Atque ex his quæ de pertinaciâ diximus sequitur, ad hæresim formalem non satis esse voluntarium *omninò* indirectum, sed necessarium esse voluntarium *aliquo modo* directum, quo aliquis amplectatur errorem contrà auctoritatem et definitionem Ecclesiæ *sufficienter* propositam, ac proindè quamlibet ignorantiam, etiam crassam et affectatam, dummodò non sit

concomitans, excusare ab hæresi et hæreticorum pœnis. « Hæc est, inquit dictâ sect. 3, disput. 19, Suarez, sententia communis theologorum et canonistarum, expressè S. Thomæ 1-2, quæst. 11, art. 2 ad 3, ubi optimè Cajetanus et alii..... Idem S. Thomas, parte 1, quæst. 32, art. 4, quatenùs dicit, non committere hæresim qui errat priusquàm advertat, vel sciat contrarium esse ab Ecclesiâ definitum; idem ferè habet 1 ad Cor. 11, lect. 4, et ad Titum 3, lect. 3. » Eamdem sententiam propugnant Panormo, cap. 4, art. 7, et de Lugo, disput. 16 de Fide, sect. 6, ubi refert Bannes, Azor, Aragonium, Coninch et alios.

Et verò, uti ratiocinatur Suarez, voluntarium ex certâ scientiâ seu notitiâ sufficiente, est aliquo modo directum; atqui ex dictis pertinacia ad hæresim formalem requisita supponit sufficientem cognitionem propositionis Ecclesiæ, quæ sufficiens cognitio quamlibet excludit ignorantiam; ergò, etc. Equidem ad hæresim formalem non est necessarium formaliter et explicitè intendere contradicere Ecclesiam; nihilominùs tamen necesse est materialiter directè velle illam contradictionem, sicut is qui vult accedere ad unum terminum, sciens id non posse facere, nisi recedat ab alio, satis directè vult recedere à tali termino, quamvis id formaliter non intendat.

Dixi quamlibet ignorantiam, *modò non sit concomitans*, excusare ab hæresi; quia, quemadmodùm post S. Th. 1-2, q. 6, art. 6, in corp. ratiocinatur Panormo, cap. 4, art. 7, ignorantia concomitans talis est, ut secum admittat, imò requirat voluntatem non mutandi sententiam, etiamsi constet Ecclesiam aliud docere; nam ab hâc voluntate habet ignorantia illa, quòd sit concomitans; et consequenter non est causa errandi, nec excludit pertinaciam: « Quod adeò verum est, inquit Suarez citato loco, ut habeat locum, etiamsi illa ignorantia sit involuntaria; quia etiamsi talis sit, non est causa errandi, nec excludit modum assentiendi pertinaciter contrà Ecclesiæ auctoritatem. Undè à fortiori hoc verum est in quâlibet aliâ ignorantiâ culpabili; quin potiùs licèt contingat opinionem esse veram, si cum eo affectu teneatur persistendi in illâ, etiamsi Ecclesia contrarium definiat, incidetur in hæresim propter talem affectum. » Cæterùm (quod observa), sex enumeratæ hoc et præcedenti corollario conditiones requiruntur ad hæresim formalem, et hæreticum simul constituendum, tùm in foro Dei et quoad culpam, tùm in foro Ecclesiæ et quoad pœnas ecclesiasticas in hæreticos latas. Scilicet, inquit Suarez, dictâ disput. 19, sect. 5, n. 11, sedulò distinguenda sunt ista duo: 1° hæresis quoad culpam et in foro Dei; 2° hæresis in foro externo et quoad pœnas ecclesiasticas. Ad primum requiritur et sufficit *voluntaria et pertinax resistentia revelationi divinæ sufficienter propositæ, etiamsi privata sit*; quia revelatio sufficit ad obligandum, ut id quod proponitur certâ fide credatur; ac proindè eadem sufficit, ut contrarius dissensus sit hæreticus; contrariorum enim eadem est ratio. Ad alterum verò sufficit et requiritur *voluntarius et pertinax error in materiâ fidei catholicæ contrariâ, in homine christiano*, id est, baptizato.

Dixi 1°, *in materiâ fidei catholicæ;* dissentiens enim privatæ revelationi, etsi in foro Dei et quoad culpam sit hæreticus, attamen non incurrit pœnas ecclesiasticas hæreticis impositas. Ità Cajetanus, Bannes, Suarez, de Lugo, aliique passìm theologi adversùs Sanchez, qui contrarium sentit. Et verò nusquàm Ecclesia declaravit aut punivit tanquàm hæreticum, eum qui privatam revelationem non credidisset, sed ejusmodi peccata divino judicio relinquit.

Dixi 2°, *in homine christiano, id est baptizato.* Ut enim habetur in concil. Trid., sess. 14, cap. 2, « Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non priùs in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, *de his qui foris sunt judicare?*

Colliges 6°, illud omne et solum esse de fide catholicâ censendum, cui tres isti competunt characteres: 1° quòd sit revelatum in verbo Dei scripto vel tradito; 2° quòd sit revelatum *in se immediatè*, non verò per meram consequentiam, etsi evidentem; 3° quòd sit ab Ecclesiâ propositum. Ex quo generatìm sequitur, primò, nullam fidei veritatem de novo definiri, quæ non fuerit ab Apostolis cognita; adeòque non crevisse à temporibus Apostolorum propositiones fidei. Ità Sylvius 2-2, q. 1, art. 7. Undè concil. Trid. sess. 4, disertè docet, omnem salutarem veritatem « contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt. » Secundò, Ecclesiam, quandò vel definit vel credendum proponit aliquod dogma fidei, non condere articulum omninò novum, sed partìm declarare quid vel in Scripturâ, vel in apostolicis traditionibus contineatur; partìm definire ac præcipere ità esse credendum, quomodò anteà non passìm ità credebatur explicitè, quia nondùm constabat an contineretur in Scripturâ vel traditionibus. « Erat quidem fidei, inquit Sylvius loco anteà citato, priusquàm definiretur ab Ecclesiâ, et consequenter oppositum tenentes jam tùm errabant in fide, sed inculpabiliter; quia non errabant in fide definitâ et declaratâ. » Tertiò, nihil esse de fide divinâ catholicâ ex iis omnibus quæ novimus per privatas quascumque revelationes post Apostolorum tempora factas, etiam quibuscumque viris sanctis. Ratio est, quia « fides ideò vocatur catholica, inquit idem Sylvius 2-2, q. 1, art. 1, quòd per eam assentiamur illi quod tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia, quod sem per, quod ab omnibus creditum est; hoc est enim verè proprièque esse catholicum, ait Vincentius Lirinensis, cap. 3; » atqui prædicti characteres non competunt iis quæ noscuntur per privatas revelationes post Apostolorum tempora factas; ergò, etc. Quartò, nihil ex iis quæ per discursum ex revelatis inferuntur, seu nullam conclusionem verè theologicam, id est, ex unâ revelatâ et alterâ naturali certò et evidenter deductam, esse formaliter de fide catholicâ, et ratio est, quia nulla conclusio theologica, formaliter et *immediatè* revelata est in verbo Dei scripto vel tradito, sed ex revelatis illata. Quintò,

facta quotidiana nullatenùs in se immediatè revelata, non posse proponi tanquàm fide divinâ credenda.

Dixi, *nullatenùs in se immediatè revelata;* revelatio enim universalis, uti anteà vidimus ex card. de Laureâ, de Lugo, Suarez, Panormo, etc., sufficit ad credenda singularia quæ certò et indubitanter constat contineri tanquàm partes in toto, in propositionibus universalibus in se *immediatè* revelatis. Sic, v. g, inquit Grandin. disput. 1, sect. 2, punct. 8, «quòd concilium Tridentinum non erraverit in fide, credebant Apostoli in hâc universali: *Nullum concilium generale legitimum errare potest in fide.* » Idem dicendum de similibus propositionibus. Sextò, illud omne esse de fide catholicâ, quod nobis de fide credendum proponit Ecclesia. Ratio est, quia nihil de fide credendum proponit Ecclesia, nisi sit in Dei verbo scripto vel tradito revelatum. Septimò tandem sequitur, propositionem hæreticam eam esse quæ enuntiat hæresim; sive quæ directè adversatur veritati à Deo immediatè revelatæ, et per Ecclesiam propositæ; et talis propositio, quantùm est de se, idonea est constituere hæreticum, ac etiam constituet si cætera adsint. At si hæretica vocetur propositio quæ de facto constituit hæreticum, hæretica non est nisi et fidei divinæ catholicæ manifestè repugnet, et pertinaciter asseratur ab eo qui fidem Christi professus est.

Ad completam intelligentiam eorum quæ dicta sunt circà propositionem hæreticam, unum aut alterum superest investigandum.

Quæres itaque 1°, an omne dogma catholicum sit fidei dogma. Antequàm respondeam, observa dogma catholicum tribus modis dici posse: 1° genericè et latè; et sic nihil aliud est, quàm doctrina quæ licitè et citrà censuram in catholicâ docetur Ecclesiâ; talis est doctrina de futuro vel non futuro Christi adventu, si Adam non peccâsset; de admittendâ vel negandâ prædeterminatione physicâ; de admittendâ vel non admittendâ distinctione thomisticâ virtuali, inter attributa divina, etc.; 2° minùs latè, pro doctrinâ quæ sit cunctis fidelibus proposita cum obligatione credendi, sed non tanquàm de fide divinâ. Ita meræ conclusiones theologicæ in nostrâ sententiâ. Ità etiam propositiones omnes doctrinales ab Ecclesiâ approbatæ infrà gradum fidei divinæ, aut proscriptæ infrà gradum hæreseos. Sic propositiones damnatæ tanquàm fidei proximæ, erroneæ, malè sonantes, etc. 3° Dogma catholicum propriè dictum, veritas est fidei divinæ quæ cunctis fidelibus ut talis credenda proponitur, v. g., quòd Deus sit unus in essentiâ; quòd sit trinus in personis; quòd duæ sint in Christo voluntates, etc.

His positis, Resp. dogma catholicum hoc posteriori duntaxat, non autem primo aut secundo sensu sumptum, coincidere cum fidei dogmate. Id ex sese et ex suprà dictis manifestè liquet.

Quæres 2° an omne fidei dogma, seu omnis veritas fidei divinæ et catholicæ sit articulus fidei.

Antequàm respondeam, observa, nonnihil discriminis intercedere inter tria ista, symbolum fidei, articulum fidei, propositionem de fide.

Symbolum fidei apud Catholicos, inquit Sylvius 2-2, q. 1, art. 9, est « summa articulorum fidei, qui omnibus credendi proponuntur. » Vel, ut ait Suarez, « Symbolum significat quamdam brevem summam seu regulam fidei ex variis articulis fidei collectam, et fidelibus propositam tanquàm signum professionis suæ. » Articulus fidei, inquit ibidem Sylvius, art. 6, est « propositio catholica primariò ad fidem pertinens, et specialem habens ad credendum difficultatem. » Propositio de fide simpliciter, ea est quæ exprimit veritatem à Deo revelatam, sive veritas illa pertineat ad communem Ecclesiæ doctrinam, sive non pertineat; si primum, propositio dicitur, inquit Suarez, loco mox laudato, *fidei divinæ catholicæ*; si secundum, propositio dicitur esse *de fide divinâ theologicâ.* Undè asserit ibidem, fidem theologicam et catholicam se habere tanquàm includens et inclusum; fides theologica universalior est et includit catholicam; fides theologica complectitur quidquid à Deo revelatum est, sive pertineat sive non ad communem Ecclesiæ doctrinam; fides autem catholica est de iis duntaxat quæ Ecclesiæ universali proponuntur.

Rursùs nonnulli distinguunt inter propositionem de fide, et propositionem ad fidem pertinentem, vel in ordine fidei positam. Propositio de fide ea est quæ in se *immediatè* revelata est; propositio ad fidem pertinens, ea est quæ proximè et evidenter sequitur ex unâ præmissâ naturali et alterâ revelatâ; denique propositio in ordine fidei posita dicitur illa quæ cum immediatè revelatis quocumque tandem modo connexa est. His præsuppositis obvia est ac facilis ad quæsitum responsio. Itaque, respondeo 1°, non omnem propositionem ad fidem pertinentem, seu ex unâ revelatâ et alterâ naturali evidenter deductam, esse de fide. Ratio est, quia, ut sæpiùs diximus, revelatio immediata ad fidem necessaria est. Idem dicendum de propositione in ordine fidei positâ. Resp. 2°, non omnem propositionem de fide dici posse fidei dogma, seu veritatem fidei divinæ et catholicæ; sequitur ex discrimine mox assignato, fidem catholicam inter et fidem theologicam. Resp. 3° non omnia fidei dogmata seu non omnes catholicas fidei veritates, sed solas principales et primarias esse articulos fidei propriè dictos. Ità expressè S. Thomas 2-2, q. 1, art. 6, idque colligitur ex allatâ mox ex Sylvio articulorum fidei notione. Porrò primariæ et principales fidei veritates eæ sunt, inquit ibidem doctor Angelicus, « quæ directè nos ordinant ad vitam æternam; sicut tres personæ omnipotentis Dei, mysterium Incarnationis et alia hujusmodi, » sive quorum visione in æternâ vitâ perfruemur, et per quæ ducimur ad vitam æternam, juxtà illud Joan. 17, v. g.: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.* Quæ verba sic explicat S. Cyrillus, ut priora referat ad notitiam SS. Trinitatis; posteriora verò ad notitiam Incarnationis quasi medium æternæ vitæ consequendæ.

Quæres 3°, utrùm hæresis sit asserere aliquid esse

de fide, quod nullatenùs est de fide; vel aliquid esse hæreticum, quod reipsà hæreticum non est. An videlicet enuntians, v. g., de fide esse Verbum fore incarnandum, si Adam non peccâsset; aut è contrà, *hæresim esse Verbum fore incarnandum, si Adam non peccâsset*, formet propositionem hæreticam.

Resp. 1°, dignam profectò esse censurâ propositionem, quæ iniquè aliam notaret. Idipsum constat, 1° ex S. Augustino, lib. 5 Confess. et in 1 super Genes. ad litt.: « Multùm autem, inquit, nocent talia quæ ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam. » 2° Idem ipsissimis S. Augustini verbis docet Angelicus doctor, Opusc. 10, in Prologo. 3° Durandus à S. Portiano præfat. Comment. in sent.: « Mensura fidei, inquit, in duobus consistit; videlicet, ut non subtrahatur fidei quod sub fide est, nec attribuatur fidei illud quod sub fide non est. Utroque enim modo à mensurâ fidei exceditur, et à continentiâ sacræ Scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur. » 4° Suarez, disput. 19 de Fide sect. 2, n. 21, expressè asserit et probat, non solùm simplices propositiones, si theologicè falsæ sint ac vitiosæ, censuram mereri; sed etiam propositiones modales quæ indebitam quibusdam aliis propositionibus notam inurunt. « Et ratio est manifesta, inquit, quia etiam illa propositio modalis habet suam propriam veritatem, vel falsitatem, pertinentem ad sacram et theologicam doctrinam; et ideò assertione vel attributione talis censuræ, potest esse non minor excessus, quàm in simplici propositione; imò tales censuræ sine discretione prolatæ scandalum generant, et injuriosæ sunt, quia et infamiam inurunt, et interdùm inducunt alia incommoda et detrimenta, et ideò prudens theologus ac timoratus diligentissimè observare debet ut has censuras sine magno judicio non efficiat. » 5° Idem docent Castro, Lorca, Panormo et de Lugo de Fide disput. 20, sect. 3, n. 105, ubi observat, quòd « si propositio de fide afficiatur censurâ, jam propositio illa reflexa esset hæretica, cùm negaret et damnaret propositionem de fide. Similiter si conclusio theologica afficeretur censurâ, propositio illa reflexa esset erronea, cùm reprobaret conclusionem illam theologicam, et sic de aliis. »

Resp. 2°, reprehensione pariter dignam esse propositionem quæ affirmat de fide esse, quod ad fidem non attinet. Istud evincunt auctores et momenta mox adducta; quibus adde quod annotat Lorca 2-2, q. 11, art. 2, disput. 39: « Quemadmodùm, inquit, contrà veritatem errat non solùm qui falsa pro veris, sed etiam vera pro falsis æstimat, et non solùm qui certa pro incertis, sed etiam qui incerta pro certis tradit, sic errat contrà fidem, non solùm qui ea, quæ fidei sunt, non esse de fide, sed etiam, qui ea quæ non sunt de fide, de fide esse existimat. Hic tamen error, si desit pertinacia, non est suo genere gravis culpa. » Hinc sapienter omninò post cardinalem de Lugo et Suarez, non semel observat illustrissimus Bossuetius, cautum ac prudentem debere esse theologum in censuris ferendis, quia « plerumquè contingit, ut propositio quæ simpliciter prolata vera est, ratione censuræ adjunctæ falsa sit, et ipsa censuram mereatur. »

Resp. 3°, cum iisdem de Lugo et Suarez, certis quibusdam in circumstantiis (videlicet, si adsit pertinacia) contingere posse ut hæresis sit asserere aliquid esse de fide, aut è contrà hæreticum esse, quod reipsà nec de fide est, nec hæreticum. « Hoc potest contingere, inquit Suarez, citatâ disput. 19 de Fide, sect. 6, n. 6, in eo qui tàm firmiter crederet opinionem aliquam, etiam veram, ut haberet animum deliberatum, non credendi contrarium, etiamsi Ecclesia id definiret; illa verò hæresis consistit..... in pertinaciâ hæreticâ, et in judicio quod includit, vel supponit, contrà infallibilitatem Ecclesiæ. Item posset in hoc hæresis contingere, si Ecclesia de aliquâ re definiisset non esse certam, et nihilominùs aliquis sentiret et affirmaret esse certam..... ut enim S. Augustinus dicit in Enchir. cap. 17 et 19, « habere incerta pro certis error est. Undè si sit in materià definità, saltem quoad illum modum, erit error hæreticus. »

« Extrà hos casus, pergit Suarez, nullum est periculum hæresis in hoc modo, seu excessu affirmandi ut certum, quod incertum est; aliquod tamen peccatum in eo committitur, quia licèt propositio simplex fortassè vera sit, nihilominùs modalis quæ ex illo assentiendi modo, vel formaliter, vel virtute consurgit, falsa est, et ità in illius affirmatione, vel mendacium, vel aliquid pejus committi potest. » Subdit ibidem, quod diligenter attendere debent viri theologi: « Existimo et moneo posse peccari graviter in hâc materiâ, exaggerando proprias opiniones, et contrarias censuris sine delectu afficiendo..... et ideò in hoc negotio magna moderatio et prudentia servanda est. » Eadem asserunt Major, Lorca et alii. « Non est minùs hæresis, inquit Major in sentent. 3, dist. 37, qu. 26, asserere (si adsit pertinacia) aliquid esse de fide, quod nullatenùs est de fide, quàm negare aliquid de fide quod est de fide. » Consentit Lorca, loco mox citato, « asserere de fide esse, quod ad fidem non attinet, si sit pertinacia, grave peccatum erit, eritque hæresis; quia Ecclesia contemnitur, et negatur esse universalis fidei regula. »

Hic enim obiter observandum est, nos potissimùm fuisse locutos de propositionibus in se præcisè spectatis; ubi quippè accessit Ecclesiæ definitio, qui scienter improbatam etiam infrà hæresim propositionem approbaret, aut intrà fidem approbatam reprobaret, is aliquam juxtà omnes censuram, secundùm plurimos ipsammet hæreseos notam mereretur et incurreret, propter negatam scilicet Ecclesiæ in ferendis hujusmodi censuris auctoritatem et infallibilitatem. Verùm de his alibi.

Quæres 4°, utrùm credi possit aut debeat quod probabiliter duntaxat videtur revelatum, ac proindè an propositio opposita, quæ probabiliter tantùm revelata est, sit hæretica. Respondet cardinalis de Lugo, disput. 1 de Fide, sect. 13, parag. 4, n. 323, aliud esse objectum aliquod secundùm se et in abstracto, seu objectivè et ratione sui esse de fide; aliud verò esse

nobis de fide, seu posse ac debere à nobis credi fide divinâ; seu quod idem est, esse de fide formaliter et ratione assensûs. Primum duntaxat volunt, qui asserunt objectum solùm probabiliter revelatum esse de fide, non posterius; et ratio discriminis est, inquit eminentissimus auctor, « quia cùm omne divinitùs revelatum pertineat ad objectum materiale fidei, eo ipso, quòd objectum aliquod sit *probabiliter* revelatum, *probabiliter* etiam debet inter objecta fidei connumerari. Ut tamen posset aliquid hìc et nunc à nobis per fidem credi, necesse est quòd non possimus prudenter formidare, prout prudenter possumus, quoties probabile supponitur non esse à Deo revelatum. Hinc etiam est, pergit idem auctor, eos qui probabiliter docent aliquid esse de fide, solùm loqui per se, et quantùm est ex parte objecti revelati; non tamen negant, quòd supposità probabilitate sententiæ contrariæ et *per accidens*, fides hìc et nunc non possit extendi ad illud objectum, quia per accidens propter probabilitatem contrariam non potest prudenter prohiberi omnis formido circà talem revelationem. »

Eamdem sententiam disertè approbat Panormo in Scrutin. cap. 3, art. 21, et in ejusdem doctrinæ confirmationem ibidem adducit censuram propositionis 21, inter 65 ab Innocentio XI damnatas : *Assensus fidei supernaturalis ac utilis ad salutem stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine quâ quis formidet, ne non locutus sit Deus,* quam propositionem pariter proscripsit clerus Gallicanus in Comitiis an. 1700. Porrò, inquit eò loci Panormo, prædicta propositio non ob aliud motivum videtur damnata, quàm quòd neget necessitatem certitudinis revelationis, quæ ad fidem divinam essentialis est ac necessaria. Imò ibidem expressè asserit idem auctor, « in materiâ fidei omnes convenire, quòd ut objectum aliquod sit simpliciter de fide, et contrarium hæresis, excludere penitùs debeat quamlibet *probabilitatem* in oppositum, adeò ut ipsemet qui sustinet *probabilius* esse de fide, si tamen reverà pro *probabili* habet opinionem contrariam, non potest in sensu composito judicii de hâc *probabilitate*, vigore *probabilioritatis* propriæ opinionis, elicere actum qui sit fidei divinæ circà illud objectum. » Et paulò post : « Actus fidei elici duntaxat potest ab eo, qui ità firmus est in judicio quòd aliquod objectum sit revelatum, ut non censeat *probabile* verâ saltem *probrbilitate* oppositum. » Undè concludit, quod mox ex de Lugo audivimus, quoties catholici doctores asserunt aliquod esse fide tenendum, et contrarium hæresim, scientes quòd à plerisque aliis, id esse de fide, et contrarium hæreticum, omninò negetur, ipsos non loqui de fide *formali* ac propriè dictâ, quasi contrarium sentientes in rigore sint hæretici, pœnisque hæreticorum subjecti : « Si enim sic loquerentur, inquit, rei fortassis efficerentur inobedientiæ et transgressionis præcepti apostolicæ Sedis..... quia notâ hæresis inurerent, quod eâ inurendum adhuc non determinavit Ecclesia, permittens potiùs, ut pro libito sustineatur hæresim illud non esse. Loquuntur itaque, pergit, de objecto, ut est in se, seu veriùs, prout ipsi existimant in se esse, conficientes indè propositionem non omninò absolutam, sed modalem, quâ significetur *probabiliter* hoc vel illud objectum esse à Deo revelatum, et contrarium divinæ revelationi repugnans. » Ex his patet solutio ad quæsitum. Dicimus nempè, quod est *probabiliter* duntaxat, imò *probabiliùs* revelatum, non posse credi fide divinâ, si major illa probabilitas quamlibet in oppositum probabilitatem non excludat; idque in confesso esse apud omnes, conceptis verbis docet mox citatus *Scrutinii* auctor. Et ratio est, quia fides divina, utpotè prudens et certissima, divinæ revelationis certitudinem necessariò et essentialiter exigit. Undè propositio opposita alteri quæ non certò, sed probabiliter duntaxat est revelata, non potest dici propriè et in rigore hæretica. « Ut propositio sit hæretica, inquit Suarez, disput. 19 de fide sect. 2, n. 13, duo requiruntur : unum est, ut propositio contraria sit certissimè et indubitanter de fide; aliud est, ut altera propositio certissimè et indubitanter illi repugnet. »

Quæres 5°, utrùm nota hæresis sit censura unius speciei infimæ vel subalternæ; seu an nota hæresis sub se habeat plures gradus, non quidem solo numero distinctos secundùm majorem aut minorem gravitatem, petitam ab articulo magis ac minùs necessario, de quo omnes conveniunt, sed specificos et quoad gradum falsitatis; seu an gradus hæresis et propositionis hæreticæ sit unus et simplex, vel sub illo quoad falsitatem, plures distinguendi sint gradus. Examen hujusce quæstionis, inquit Scrutinii auctor cap. 2, art. 8, videtur merè speculativum ac nullius roboris : « Ast à vero aberrat, pergit idem auctor, quicumque sic judicat, cùm reverà omninò necessarium sit, ut ex eo resolvatur, » an propositio mediatè seu indirectè aut virtualiter revelata, sit hæretica, an tantùm erronea.

Resp. notam hæresis esse speciem infimam, seu non habentem sub se plures gradus specie diversos. Ità Bannes, Salmaticenses, de Laureâ, Suarez, aliique communiter theologi adversùs Turrecremata, Canum et Cordubam.

Suadetur responsio; 1° quia eodem modo proportione servatâ ratiocinandum est de propositione hæreticâ, sicut de propositione de fide; atqui fidei habitus est unus specie infimâ, sub se non habens nisi individuos habitus fidei pro multiplicitate subjectorum; ergò pariter nota hæresis non habet sub se nisi gradus individuales sine distinctione formali et specificâ habituum aut propositionum hæreticarum. 2° Omnis propositio de fide, quatenùs talis est, æquè certa est, quia innititur primæ veritati, quæ et in maximis et in mininis æquè verax est; et ideò æquè reddit hominem certum de omnibus quæ affirmat, quæcumque illa sint, dummodò revelatio æquè cadat in singula; ergò et propositio hæretica quæ cum pertinaciâ credita sufficit, ut omnes fatentur, ad corruptionem totius fidei, ejusdem est gradùs erroris et falsitatis. 3° Idem constat ex dicendis mox impugnando opinionem Turrecrematæ circà notionem propositionis erroneæ.

Itaque propositio hæretica strictè et propriè sumpta, prout hominem constituit hæreticum, pœnisque hæreticorum obnoxium, *est error fidei divinæ et catholicæ certò et indubitanter repugnans, pertinaciter assertus ab eo qui fidem Christi professus est.* Ità passìm theologi, duce Angelico doctore 2-2, q. 11, art. 1.

Hucusque de censurâ hæreseos, quæ cùm sit omnium gravissima, ex eâque cæterarum notio quadamtenùs pendeat, de ejus naturâ, objecto, subjecto, aliisque proprietatibus, paulò fusiùs disserere opportunum judicavimus; alias censurarum species compendiosiùs pertractabimus.

§ 2. *De propositione erroneâ.*

Erroris vox variis modis sumi potest: 1° latissimè, pro quâvis assertione falsâ in quâlibet materiâ. Juxtà hanc acceptionem S. Augustinus, in Enchirid. cap. 17, et contrà Academicos cap. 4: *Errare,* inquit, *nihil aliud est, quàm vera pro falsis, aut falsa pro veris probare.* 2° Latè, pro assertione quovis modo nocivâ fidei, comprehendente hæreticam et alias propositiones damnabiles, quo sensu Leo X, in Bullâ contrà Lutherum, recensitis variis Lutheri articulis, inter quos plurimi erant hæretici, eos universìm vocat *errores* his verbis: *Præfatos omnes articulos seu errores...... damnamus.....* 3° Pressiùs sumitur error *theologicè,* prout distinguitur ab hæresi, et notam continet hæresi proximam et inferiorem.

Quæritur in quo præcisè posita sit erroneæ propositionis hocce posteriori sensu sumptæ natura; circà quod auctores in diversas abeunt sententias. 1° Aliqui cum Turrecrematâ non distinguunt inter propositionem erroneam et hæreticam, nisi sicut inter genus et speciem. Hâc in sententiâ, omnis propositio damnabilis potest dici error, licèt non omnis sit hæretica; omnis propositio hæretica est erronea, sed non vice versâ.

Refellitur hæc opinio, quia concilium Constantiense damnando Wiclefi et Joan. Hus propositiones; pontifices Pius V et Gregorius XIII, in suis adversus Baium Constitutionibus, et theologi communiter de propositione erroneâ et hæreticâ, tanquàm de duobus membris ex æquo distinctis loquuntur. Undè observat Suarez, *prædictam Turrecrematæ sententiam à Cano et aliis theologis meritò impugnari.*

2° S. Antoninus, parte 2, titulo 12, cap. 4, et Cajetanus, volunt propositionem erroneam eam esse quæ directè repugnat fidei *absque pertinaciâ*; accedente autem pertinaciâ fieri hæreticam.

Refellitur: Liquet siquidem ex mox et suprà dictis, erroneam propositionem non esse ab hæreticâ distinguendam ex qualitate subjecti, sed ex qualitate objecti, et secundùm se. Et verò notæ theologicæ primò et per se spectant et afficiunt noxias propositiones, non earum auctores.

3° Canus, lib. 12 de Locis Theologicis, cap. 11, Corduba, à quibus non longè recedit Lorca, docent propositionem erroneam eam esse quæ veritates destruit, quibus subversis, non evertitur quidem, sed tamen quatitur fides: ast quæ sint hæ veritates variis modis explicant Canus et alii.

Primus modus est, veritates illas eas esse quæ adversantur doctrinæ, quæ licèt non sit expressè revelata aut definita, ità tamen communi Ecclesiæ consensu recepta est, ut nullus pius ac verè doctus de eâ dubitare audeat propter intimam scilicet ipsius cum doctrinâ fidei connexionem. Et tunc, inquiunt, propositio iis veritatibus contraria est erronea, non tamen hæretica, quia non est contrà expressam fidem; est tamen aliquo modo contrà doctrinam catholicam, id est, universalem.

Exemplum esse potest, inquit Suarez disput. 19 de Fide, sect. 2, n. 13, in propositione negante Beatissimam Virginem resurrexisse, seu in corpore et animâ esse assumptam; nam contraria veritas non reperitur expressè revelata aut definita, cùm tamen sit sufficienter catholica. » Aliud exemplum ibidem refert his verbis: « Simile erat antè concilium Tridentinum de hâc propositione: *Beata Virgo nunquàm peccavit venialiter;* nam semper fuit catholica in dicto sensu, etiamsi non esset expressè definita, et ideò contraria erat erronea, non tamen in rigore hæretica. » Alter modus rem hanc explicandi est, quia ut propositio sit hæretica duo requiruntur: unum est, ut propositio contradictoria sit certissimè et indubitanter de fide; aliud est, ut altera propositio certissimè et indubitanter illi repugnet. Undè fit, ut deficiente certitudine in altero ex his duobus, propositio hæretica non sit, sed erronea duntaxat. Ità disertè explicat Lorca disput. 40, n. 7, ubi propositionem erroneam definit eam, quæ opponitur quidem fidei veritati, sed oppositione non omninò certâ et indubitatâ. « Exemplum secundùm opinionem aliquorum, inquit ibidem Suarez, adhiberi potest in illo dogmate (quòd dantur habitus gratiæ per se infusi); quamvis enim probabilius sit illud esse de fide, fortassè hoc non est ità certum, ut contrarium sit hæresis; erit tamen error. »

Refellitur tertia illa Cani sententia cum variis eam exponendi modis, hoc unico argumento quo utitur Suarez, loco laudato; licèt enim isti modi satis distinguant propositionem erroneam ab hæreticâ, nihilominùs non videntur satis illam distinguere à propositione sapiente hæresim, proximâ hæresi, temerariâ, et aliis posteà exponendis, ut constabit ex his quæ mox dicemus.

4° Alii existimant propositionem erroneam eam esse quæ opponitur cuilibet conclusioni theologicæ, etiam deductæ ex duplici præmissâ de fide. Refelluntur ex dictis suprà responsione quartâ ad quintam objectionem, ubi conclusiones theologicas ex duobus fidei placitis deductas, de fide esse, multis probavimus.

5° Tandem, Bannes 2-2, quæst. 11, art. 2; de Lugo, disput. 20 de fide, sect. 3, n. 79; Suarez disput. 20 de fide, sect. 2, n. 14, Castro, Turianus, Panormo aliique communiter theologi censent propositionem erroneam formaliter constitui per oppositionem *mediatam* cum doctrinâ divinitùs revelatâ, eamque esse definiunt quæ opponitur veritati certæ theologicâ certi-

tudine, id est, veritati quæ non sit in se immediatè revelata, sed ex uno fidei placito et altero naturali certò et evidenter eruitur. Undè sicut hæresis directè et immediatè opponitur fidei, ità et error propriè ac theologicè sumptus, directè et immediatè adversatur conclusioni theologicæ. Arridet hæc sententia.

Probatur : 1° colligitur ex refutatione aliarum hàc de re opinionum ; 2° sequitur ex dictis de propositione hæreticâ, ubi probavimus eam formaliter constitui per oppositionem immediatam cum veritate immediatè revelatâ : 3° involutæ admodùm sunt ac intricatæ suprà recensitæ circà erroneæ propositionis notionem sententiæ : ea verò quam hìc tradimus obvia est, plana ac facilis ; propositio hæretica directè et immediatè adversatur placito fidei, id est, veritati immediatè revelatæ ; propositio erronea opponitur directè et immediatè conclusioni theologicæ, id est, veritati mediatè duntaxat revelatæ. 4° Uti post Gersonium, tract. de Vità spirituali, lect. 3, ratiocinatur Suarez, loco citato, veri nominis conclusio theologica non attingit gradum certitudinis fidei, quia nullo modo est immediatè revelata ; ergò propositio tali conclusioni opposita non attingit gradum propositionis hæreticæ ; quia non habet summam oppositionem cum propositione fidei, qualis est immediata. Superest ergò ut prædicta propositio sit et dicatur erronea, quia post hæreticam propositionem, habet summam repugnantiam cum veritate fidei, scilicet mediatam, per evidentem illationem.

Pressiùs proponitur istud ratiocinium : Repugnantia *mediata* veritati revelatæ est gradus oppositionis immediatæ proximior, et proindè constituens propositionem censurâ notandam quâlibet aliâ hæresi magis affini ; porrò non est propositio quæ magis accedat ad hæreticam quàm erronea ; ergò, etc.

5° Per hanc *mediatam* cum fide oppositionem erronea propositio sufficienter distinguitur, nedùm ab *hæresi*, de cujus ratione est oppositio *immediata* cum revelatis, sed et ab aliis quibuslibet censuris, quæ oppositionem hujusmodi in suo conceptu nequaquàm involvunt, ut manifestum erit expendendo mox singulas sigillatìm censuras ; ast idem est alicujus rei constitutivum, et ipsius distinctivum.

Dices 1° : Concilium Constantiense, sess. 15, hunc articulum : *Quilibet tyrannus potest et debet licitè et meritoriè occidi per quemcumque vassalum suum*, variis censurarum gradibus in hanc formam conceptis, perstringit : « Declarat et definit sancta synodus, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide et in moribus, ipsamque tanquàm hæreticam.... reprobat et condemnat ; declarat insuper et decernit quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici, et tanquàm tales juxtà canonicas sanctiones puniendi. » Ex hoc concilii decreto liquet propositionem *erroneam* dividi, tanquàm in duo membra ex æquo distincta : in eam quæ est *erronea* in fide, et in eam quæ est *erronea* in moribus ; jàm verò si valeret nostra sententia, quælibet propositio erronea essentialiter importaret *mediatam* cum placito fidei oppositionem ; ac proindè quælibet esset erronea in fide, et per consequens non admittenda foret *erronea* in moribus, ut membrum ab *erroneâ* in fide diversum, quemadmodùm in recensiti articuli censurâ supponitur.

Resp. 1° : Concilium Constantiense per particulas illas, *erroneum in fide* et *erroneum in moribus*, non diversum censuræ gradum indicâsse, sed eumdem distinctiùs et explicatiùs evolvisse, designando nimirùm damnatæ propositionis errorem in eo versari, quòd dogmaticæ simul et morali veritati à Deo immediatè revelatæ adversaretur. Sicuti enim objecta revelata, alia sunt quæ per se manifestantur, potissimùm ut credantur, cujusmodi est SS. Trinitatis mysterium ; alia verò quæ primò et per se revelantur, ut sint regulæ agendorum, quale est, v. g., mendacium est illicitum ; ità et propositiones dici possunt *erroneæ in fide*, si objecta revelata quibus adversantur sint primò et per se de rebus credendis ; *erroneæ* verò *in moribus*, si sint primò et per se de rebus agendis. Verùm discrimen istud non inducit diversitatem gradûs censuræ, quæ semper eadem est per oppositionem *mediatam* cum revelatis constituta, sive revelata ea sint, eo potissimùm fine ut credantur, sive ut ex eis nostræ operationes dirigantur ; quod totum accidentale et quidditati censuræ propositionis *erroneæ*, quæ in oppositione *mediatâ* cum revelatis præcisè posita est. Responsionem hanc nobis subministrat cardinal. de Laureâ disput. 16 de personis et doctrinis de hæresi suspectis art. 2, parag. 1, n. 44, ubi loquens de damnato in concilio Constantiensi articulo in object. propositio, sic habet : « Patet autem quòd erroneitas hujus doctrinæ in alio non consistit, nisi in hoc, quòd de fide est nulli privato licere occidere, juxtà divinum præceptum. Minor autem est naturaliter evidens, quòd vassalli et subditi sunt privati. Item ex alio capite, quòd de fide est, nulli licere perjurium ; et minor est naturaliter nota, si subditi aut vassali jurârunt fidelitatem principi ; igitur tenens licere occisionem tyranni, contradicit conclusioni theologicæ, et ideò est erroneus. » Porrò juxtà primam hanc responsionem, sicuti admittitur propositio erronea, ità etiam admitti potest, *hæretica in fide et moribus*, secundùm diversitatem materiæ circà quam versatur ; ità tamen ut *erronea* aut *hæretica in moribus*, semper esse debeat *erronea* aut *hæretica in fide*, quia semper opponitur *immediatè* aut *mediatè* revelatis, non tamen è contrà ; quia potest dari propositio *hæretica* aut *erronea in fide*, quæ per se saltem ad agibilia non dirigatur ; undè *hæretica* aut *erronea in moribus* non denominatur.

Resp. 2° : Concilium Constantiense definiens prædictam doctrinam *erroneam esse in fide et moribus*, non sumere particulam hanc, *erroneam*, strictè et propriè, prout designat gradum censuræ infrà hæresim, quemadmodùm nunc de propositione erroneâ agimus, sed latiori duntaxat et generico sensu loquitur ; atque id unum significare intendit, in eâ doctrinâ contineri *errores* in materiâ *fidei* et *morum* ; eo ferè modo quo Leo X, in Bullâ quæ incipit : *Exsurge, Domine*, post damnata Lutheri dogmata, eaque diversis notis pro-

scripta, hæc eadem subindè errores generatìm appellat, *præfatos omnes articulos seu errores.*

Responsionem hanc ceu verisimiliorem amplectitur auctor *Scrutinii* cap. 4, art. 5, hancque ex eo confirmat, quòd « ex contextu satis eluceat, inquit, concilium damnationem veluti genericam de doctrinâ ferre priùs voluisse, dein per gradus specificos explicandam ; et proinde primò vocat per modum solius enuntiationis errorem, secundò definitivè pronuntiat *erroneam in fide moribus; tertiò tanquàm hæreticam, scandalosam, et ad fraudes, mendacia, perjuria vias dantem reprobat, condemnat.* In quibus censurarum gradibus, pergit idem auctor, signanter est advertendum, *erroneitatem* non reperiri; quæ certè repetenda erat, si de eâ ut ad gradum specificum censuræ spectante, factus immediatè fuisset sermo, cùm præsertìm inter posteriores et præcedentes particulas sit conjunctiva dictio, *ipsamque*, per quam explicatio generalis definitionis traditæ indicatur. »

Dices 2° : Revelationes privatæ ad objectum formale fidei minimè pertinent. Ità contrà Catharinum docent Cajetanus, Bannes, Canus, etc. Nituntur celebri S. Augustini pronuntiato in Enchir. cap. 9, et contrà Epist. fundamenti cap. 5. « Ego verò, inquit, Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. » Et Angelici doctoris testimonio p. 1, q. 1, art. 8, in corp. asserentis, fidem nostram inniti « revelationi Apostolis et Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi; si quæ fuit aliis doctoribus facta. » Ergò propositiones contradictoriæ dictis privatis revelationibus non sunt *hæreticæ*, utpotè quæ haudquaquàm contrariæ sint fidei objectis; ergò saltem dicendæ sunt *erroneæ*, cùm nota erroris præ aliis ad hæresim accedat, ac per consequens propositio *erronea* non formaliter et adæquatè constituitur per solam oppositionem *mediatam* revelatis ; sed etiam per *immediatam* oppositionem revelationibus privatis.

Resp. circà privatas revelationes, tres esse potissimùm theologorum sententias.

Prima docet privatas revelationes non sufficere ad objectum formale fidei ; ideòque nec hæreticum propriè, nec hæreticorum pœnis obnoxium fore qui privatis revelationibus, etiam sufficienter propositis, dissentiretur. Ità auctores mox citati, quibus adde Soto, Valentia, Lorca, Cumel et alios.

Secunda sententia, longè communior, existimat omnem revelationem divinam sufficienter propositam sive publica sit, sive privata, sive de communi doctrinâ, sive de re aliquâ particulari, ad objectum formale fidei sufficere; atque hæreticum fore qui ei pertinaciter reluctaretur. Ità Scotus, Vega, Salmaticenses, Suarez, Corduba, Bellarminus, de Laureâ, Vasques, Azor, Coninch et alii, quos refert de Lugo disput. 1 de Fide, sect. 11, n. 226, ubi notat Catharinum Apolog. contrà Sotum cap. ultimo, ut testem oculatum assere « sententiam hanc quam Pater Lainez, generalis præpositus Societatis, contrà Sotum acriter in Tridentino probavit, communi concilii approbatione fuisse susceptam. » An autem nedùm hæreticus sit, sed et pœnas ecclesiasticas hæreticis impositas incurrat, privatæ revelationi dissentiens, non conveniunt auctores citati. Affirmant Sanchez, Coninch; negant verò Suarez, Azor, de Lugo et alii : « Nisi tamen constet, inquit auctor *Scrutinii*, cap. 3, art. 21, n. 8, ipsum pertinaciter defendere oppositum ei quod certè credit esse revelatum, quia in isto casu, ut omninò hæreticum etiam in facie Ecclesiæ habendum crederem; non quia sensus communis Ecclesiæ sit, objectum illud esse revelatum, et contrarium hæreticum; sed quòd certus communisque Ecclesiæ sensus sit, universaliter fide divinâ tenendum esse quod certò revelatum putatur, habendumque hæreticum qui ei contradicit; quia etsi materialiter non contradicat revelationi divinæ, quæ sit, vel quæ communiter credatur talis, formaliter nihilominùs sese opponit primæ veritati revelanti ; contrarium propugnans ei quod certò tenet primam veritatem revelâsse. »

Tertia tandem sententia quâ, ut observat Suarez, disput. 3, de Fide sect. 10, utcumque in concordiam adduci possunt auctores appellati, distinguit inter fidem catholicam, et fidem theologicam, seu infusam; seu, ut alii loquuntur, inter fidem divinam catholicam, et fidem divinam simpliciter ; quæ duo membra, inquit ibid. Suarez, se habent tanquàm includens et inclusum ; omnis fides catholica strictè dicta est divina; sed non vice versâ. Asserunt hi qui pro hâc sententiâ stant, revelationes privatas non pertinere ad objectum formale fidei divinæ catholicæ ; benè verò ad objectum fidei theologicæ, seu divinæ simpliciter.

Ex variis hisce sententiis, secunda (à quâ solis vocibus discrepat tertia opinio) præ cæteris arridet; eaque efficacissimè probatur.

1° Ut innumera alia Scripturæ testimonia sileam, ex cap. 11 Epistolæ ad Heb., in quo fides multorum commendatur; quæ tamen non erat nisi revelationibus privatis innixa.

2° Eam sententiam non obscurè videtur indicare conc. Trid. sess. 6, cap. 12, et can. 15, ubi anathemate feriuntur qui de suâ salute absolutâ et infallibili certitudine statuunt. Rationem subnectunt Patres : « Quia nonnisi ex speciali revelatione sciri potest quos Deus sibi elegerit. » Supponunt ergò ex speciali revelatione posse id certâ et infallibili fide credi ; quam fuisse Patrum mentem, Catharinus qui eidem concilio adfuit testatur loco jam laudato.

3° Quemadmodùm post S. Thomam ratiocinatur Sylvius, 2-2, q. 1, art. 1, unicum motivum credendi per fidem est prima veritas ejusque auctoritas; hæc autem ejusdem rationis est et æqualis prorsùs infallibilitatis sive de unâ, sive de aliâ re loquatur, et sive per Ecclesiam, sive per quemcumque alium, et sive privatìm sive publicè ; ergò in privatis revelationibus continetur sufficienter objectum formale fidei.

4° Tùm Angeli tùm homines primi, ac deindè Prophetæ per fidem assentiebantur illis mysteriis quæ Deus revelaverat; et similiter Apostoli et Magdalena, illis quæ dicebantur à Christo.

5° Tandem, ne vel minimùm officiunt SS. Augustini et præsertìm Thomæ textus quibus potissimùm

nituntur adversarii ; cùm enim doctor Angelicus affirmat objectum formale « fidei esse primam veritatem, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris, et doctrinâ Ecclesiæ ; et rursùs, fidem nostram non inniti revelationibus privatis, sed solùm revelationi Apostolis et Prophetis factæ, » loquitur S. doctor de fide divinâ catholicâ quæ versatur circà articulos ab omnibus credendos ; Ecclesia enim est medium ordinarium à Deo institutum, ut sciamus quænam ipse revelaverit et à fidelibus credi voluerit ; non autem loquitur de fide divinâ simpliciter et absolutè ; enimverò, 2-2, qu. 1, art. 1, *pro objecto formali sufficiente*, seu adæquato, assignat *primam veritatem testificantem*, nullâ factâ mentione Ecclesiæ, vel revelationis, aut doctrinæ publicæ. Simili prorsùs modo solvendus est S. Augustini textus in objectione laudatus. Adde quòd nulla facta fuerat Augustino Evangelii revelatio ; meritò ergò asserit se non crediturum Evangelio, nisi Ecclesia proponeret.

His præsuppositis nullo negotio diluitur proposita objectio, quæ palmaris quibusdam videtur. Itaque dicimus 1°, revelationes privatas, si sufficienter propositæ sint, sufficere ad objectum formale fidei, non quidem catholicæ quæ universos fideles obliget, sed theologicæ et infusæ, seu divinæ simpliciter. Dicimus 2°, propositiones dictis privatis revelationibus oppositas, non merè erroneas esse, sed verè hæreticas ; non quidem *strictè*, prout hæresis opponitur fidei catholicæ ; sed *propriè*, prout opponitur fidei divinæ simpliciter. Dicimus 3°, eum qui dissentit privatæ revelationi sufficienter propositæ, eo ipso amittere habitum fidei infusæ ; ità Suarez, de Lugo, aliique passìm theologi adversùs unum ferè Hurtadum. Et ratio est, quia fides infusa deperditur quolibet peccato mortali, quod sit peccatum hæresis aut infidelitatis ; istud clarè colligitur ex cap. 15, sess. 6 concilii Tridentini ; atqui dissensus revelationi privatæ sufficienter propositæ, grave est hæresis aut saltem infidelitatis peccatum ; ergò, etc. Dicimus 4°, verè ac propriè hæreticum esse quoad culpam et in foro Dei, qui pertinaciter resistit revelationi privatæ sufficienter propositæ. Ità Suarez, Panormo et alii adversùs cardinalem de Lugo, qui existimat sic dissentientem fore infidelem, non verè et propriè hæreticum. Ratio autem illorum est, quia contrariorum eadem est ratio ; atqui ex dictis revelatio privata sufficienter proposita, satis est ad obligandum, ut quod proponitur certâ fide credatur ; ergò eadem sufficit, ut contrarius dissensus sit hæresis, atque ut tali dissensu Christianus constituatur hæreticus. Dicimus 5°, dissentientem ejusmodi privatæ revelationi non esse hæreticum in foro Ecclesiæ, nec incurrere pœnas ecclesiasticas hæreticis impositas. Ità omnes auctores suprà citati pro secundâ sententiâ, exceptis Sanchez et Conninch. « Ratio est, inquit Suarez, disput. 19, sect. 5, n. 12, quòd Ecclesia tantùm punit apostatas à suâ fide, id est, à doctrinâ per ipsam Ecclesiam propositâ, quam propter universalitatem catholicam vocamus. Neque Ecclesia judicat de internis et privatis revelationibus, sed interdùm eas examinat, an falsæ sint, ut reipsâ sunt, quoties à catholicâ doctrinâ discrepant ; si verò non discrepant, liberum relinquitur, ut per conjecturas examinentur quales sint. » Unum tamen excipit ibidem Suarez his verbis : « Si quis autem exteriùs doceret, vel Deum posse mentiri per privatam revelationem, vel non illi esse credendum, etiamsi illam sufficienter proponat, jam erraret in doctrinâ catholicâ, et illum errorem exteriùs exprimens, pœnas hæreticorum incurreret. »

Dices 3° : Concilium Constantiense, sess. 8, propositiones erroneas non omninò distinguit ab hæreticis, sed solummodò à notoriè hæreticis ; sic enim habet dictâ sess. 8, in quâ 45 Wiclefi articuli proscribuntur : « Hæc sancta synodus præfatos articulos quadraginta quinque examinari fecit..... quibus articulis examinatis fuit repertum (prout in veritate est) aliquos et plures ex ipsis fuisse et esse notoriè hæreticos.... alios non catholicos, sed erroneos ; alios scandalosos et blasphemos ; quosdam piarum aurium offensivos ; nonnullos eorum temerarios et seditiosos. » Idem fermè legitur sess. 15 contrà 30 Joan. Hus articulos, et in Bullâ Martini V, quæ à concilio fuit approbata.

Ex his inferunt nonnulli propositionem erroneam equidem distingui à propositione notoriè hæreticâ, non verò ab hæreticâ simpliciter ; adeòque sustineri potest, inquiunt, propositionem erroneam illam esse quæ veritatibus non quidem explicitè et clarè, sed implicitè tantùm et obscurè, etsi immediatè revelatis opponitur. Ità nonnulli quos refert ac refellit Saura in suo voto Platonis prælud. 5.

Resp. nullius planè roboris esse adductum mox argumentum ; neque enim concilium Constantiense particulam, *notoriè*, addidit propositionibus hæreticis ad illas à merè erroneis distinguendas ; sed duplici aliâ de causâ, ut advertit de Lugo disp. 20 de Virt. fidei, sect. 3. Primò, quòd hæreses Wiclefi nullâ poterant tergiversatione excusari. Secundò, quòd de illis nullum esset apud doctores dubium an essent hæreticæ necne, sicut in plerisque aliis propositionibus contingere plerùmque solet, quæ ab aliquibus existimantur hæreticæ, ab aliis verò hæreticas esse negatur. « Propositiones damnatæ contrà Wiclef., inquit eruditus ex Ordine Dominicanorum theologus Ferre, tract. 2 de Oppositis fidei quæst. 10, paragr. 2, sic ex terminis suis *hæresim* significabant, quòd eas proferentes celare vel occultare non poterant se *hæreses* proferre ; et ideò concilium Constantiense dùm eas damnet, dicit esse *notoriè* et *manifestè* hæreses. »

Et verò in aliis conciliorum et pontificum diplomatibus contrà propositiones consimiles editis, non reperitur particula, *notoriè*, non obstante quòd de hæreticis ac erroneis fiat mentio, tanquàm de distinctis censurarum speciebus. Sic Pius V, in celebri Bullâ contrà Baium : « Quas quidem sententias, inquit, stricto coràm nobis examine ponderatas.... *hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias*, etc., damnamus. » Alexander VIII in suo decreto edito die 7 decembris 1690, unam suprà triginta propositiones tanquàm *temerarias... erroneas, hæreticas, respectivè* damnat et prohi-

bet. Sic etiam Innocentius XI propositiones Molinos proscripsit *tanquàm hæreticas, erroneas, scandalosas, blasphemas,* etc.

Dices 4° : Concilium Constantiense citatis locis maximè verò laudatâ sess. 8, erroneos Wiclefi articulos explicat particulis illis, *alii non catholici, sed erronei;* quâ loquendi ratione non obscurè innuit synodus erroneum confundi cum non catholico; ergò propositio erronea non formaliter constituitur, inquit Laurea, per oppositionem mediatam cum revelatis, sed per oppositionem veritatibus communiter in Ecclesiâ receptis, quamvis expressè non revelatis nec definitis, ut fide divinâ tenendis.

Resp. Cùm synodus Constantiensis erroneos Wiclefi articulos explicat particulis illis : *alii non catholici, sed erronei;* hâc voce, *non catholici*, non exprimit gradum specificum quo constituatur formaliter propositio erronea, sed genericum duntaxat propositionum damnabilium gradum; ità ut non catholicum, idem sit ac heterodoxum; quod quidem constat, 1° ex contextu; non enim simpliciter asserit Wiclefi articulos esse *non catholicos, sed erroneos*; verùm protinùs addit, alios scandalosos et blasphemos..... quosdam temerarios et seditiosos, etc. Sumitur ergò hæc *non catholici* vox, genericè et quatenùs non soli propositioni *erroneæ* propria, sed etiam prout temerariis, scandalosis, etc., propositionibus communis. 2° Idem clariùs liquet ex sess. 15, in quâ primò concilium quasi generatìm triginta Joannis Hus articulos tanquàm *non catholicos* damnat; dein immediatè subjungit : « Sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensivos, pluresque eorum esse temerarios et seditiosos, et nonnullos eorumdem esse notoriè hæreticos. » 3° In Bullâ Martini V, sacro approbante concilio editâ, damnatur articulus 25 Joannis Hus, his verbis conceptus : « Condemnatio 45 articulorum Joannis Wiclefi est iniqua.... et ficta est causa per doctores allegata, videlicet, quòd nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus. » Item in eâdem Bullâ statuitur ut quilibet specialiter litteratus interrogetur, utrùm credat sententiam sacri Constantiensis concilii super 45 Joannis Wiclefi, et Joannis Hus 30 articulis, fore veram et catholicam; scilicet quòd supradicti articuli.... non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notoriè hæretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi. Ibi certè particula, *non catholici*, latè sumitur pro eo omni quod heterodoxum est, et prout complectitur supradictas notas, eisque adaptari potest, non sub aliquâ limitatione per quam reddatur propria et constitutiva propositionis erroneæ.

4° (Quod observa), concilium, sess. 8, undè desumitur objectio, non ait : *Non catholici, seu erronei;* verùm sic habet : *Non catholici, sed erronei*, per adverbium *sed* innuens non omnimodùm identitatem se velle significare inter *non catholicum* et *erroneum*, sumpto *catholicum*, in totâ suâ latitudine.

5° Concilium de censurâ hæresis loquens, particulam, *notoriè*, non adhibuit, ut discrimen assignaret hæresis ab aliis censuris, ut in responsione ad præcedentem objectionem demonstravimus; sed ut exprimeret hæresum Wiclefi qualitatem, quæ ità manifestæ erant ut nullâ tergiversatione celari poterant; ità à pari synodus apponens vocem, *non catholici*, minimè intendit designare prædicatum propositionis erroneæ specificativum ac distinctivum, sed quòd ipsi competeret præ aliis omnibus notis infrà hæresim.

Adde quòd juxtà cardinalem de Laureâ, propositio erronea constituitur per oppositionem veritatibus catholicis; porrò ex dictis suprà, veritates catholicæ, præsertìm si strictè sumantur, immediatè sunt à Deo revelatæ, atque fidelibus ad credendum propositæ, ergò, etc.

Dices 5°: Propositio hæc : *Beata Virgo venialiter peccavit*, antè concilium Tridentinum (seu fortè veriùs antè Claromontanum sub Urbano II, ut refert Vega, lib. 14 in Trid., cap. 18,) habebatur tantùm erronea; nunc verò post definitionem concilii Tridentini, sess. 6 de Justific., can. 23, formaliter est hæretica; atqui hujusce discriminis ratio non alia assignari potest, quàm quòd antè Tridentini aut Claromontani concilii definitionem opponebatur veritatibus probabiliter solùm existimatis de fide; nunc verò opponatur veritatibus certò revelatis et definitis ut fide tenendis; ergò propositio erronea non constituitur formaliter per oppositionem mediatam veritatibus revelatis, sed generatìm per quamcumque oppositionem veritatibus probabiliter solùm existimatis de fide.

Resp. propositionem allatam semper fuisse in se et objectivè hæreticam, utpotè directè oppositam veritati immediatè revelatæ. Neque enim concilium Tridentinum loco citato novum dogma statuit, sed antiquam Ecclesiæ fidem explicatiùs ac distinctiùs proposuit, ut apertè indicant ista concilii verba sess. 6, can. 23 : « Si quis hominem semel justificatum dixerit.... posse in totâ vitâ peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodùm de Beatâ Virgine Mariâ tenet Ecclesia, anathema sit. » Attamen qui hanc B. Virginis ab omni veniali peccato immunitatem antè concilii Tridentini aut saltem Claromontani definitionem negâsset, non hæreticus, sed erroneus tantùm fuisset habitus, quia, inquit Sylvius, loco anteà citato, non errâsset in fide definitâ et declaratâ ; nam Ecclesia nondùm proposuerat illud dogma tanquàm fide catholicâ tenendum.

Porrò antè illa tempora, adducta propositio habebatur erronea, non præcisè, inquit card. de Lugo disput. 20 de Fide sect. 3, n. 76, quia opponebatur doctrinæ catholicæ, latè hoc sumpto vocabulo, pro quâlibet doctrinâ in Ecclesiâ communiter receptâ, quamvis expressè non revelatâ nec definitâ, sic enim propositio erronea non satis distingueretur à propositione temerariâ, scandalosâ, etc.; sed ideò censebatur erronea, quia apud Catholicos communi sensu judicabatur mediatam habere oppositionem cum placito fidei, maternitate scilicet divinâ; ut enim advertit doctor Angelicus, ex eo quòd B. Virgo fuerit vera mater Dei, quod

est certissimum fidei mysterium, sequitur illam non fuisse unquàm peccati actualis ream, quod in Dei matre maximam indecentiam argueret. Non fuisset, inquit S. doctor parte 3, qu. 27, art. 4, in corp., idonea mater Dei, si peccâsset aliquandò, etc.

Quæres 1°, quæ conditiones requirantur ad propositionem erroneam.

Resp. tres requiri conditiones, ut constat ex dictis, proportione servatâ, de conditionibus ad propositionem hæreticam requisitis. Prima, ut directè opponatur veritati mediatè revelatæ, id est, conclusioni theologicæ. Secunda, ut propositio cui opponitur sit certò et indubitanter mediatè revelata. Tertia tandem, ut huic certissimè et indubitanter adversetur.

Dixi, *certò et indubitanter*, quia, siculi observat cardinalis de Laureâ, citatâ disput. 16, de personis et doctrinis de hæres. suspectis art. 2, versùs finem : « Hæc stabiliri potest pro generali regulâ doctrinæ *erroneæ*, ut dicatur illa tantùm quæ contradicit conclusioni theologicæ ex unâ de fide, et aliâ naturaliter notâ, necessariò tamen illatæ, et non sufficit si solùm *probabiliter* inferatur. »

Quod speciatìm de propositione erroneâ docet de Laureâ, non sufficere probabilem, sed requiri certam cum veritate mediatè revelatâ oppositionem, illud idem anteà universalioribus terminis qui ad alias censurarum species, proportione servatâ, extendi possunt, generatìm tradiderat in suo Platonis voto eruditus Saura integro præludio tertio, in quo sequentem thesim probandam sumpsit : « Non sufficit ad condemnandam doctrinam probabilis illatio ex Scripturis, conciliis, decretalibus, et unanimi sensu Patrum, vel scholasticorum, si non sit evidens, vel necessaria, vel manifesta consequentia. » Hanc autem sic demonstrat : « Hæc doctrina recepta est ab omnibus; non solùm sapientibus, sed etiam mediocriter eruditis; nam variæ et contrariæ opiniones sæpissimè à sacris expositoribus, theologis probabiliter deducuntur ex Scripturis, conciliis, jure canonico, et unanimi sensu Patrum et scholasticorum, quarum singulæ sunt probabiles, etiamsi contrariæ aut contradictoriæ sint; ergò illatio quâ convincatur propositionem aliquam esse contrà Scripturam, concilia, jus canonicum, aut unanimem sensum Patrum, debet esse manifesta et evidens..... ex quo fit ad condemnandum propositiones.... non sufficere illationem probabilem contrà ipsas ex Scripturis, conciliis, jure canonico, unanimi sensu Patrum vel scholasticorum, nisi illa sit necessaria, aut evidens, et quæ à viro mediocriter docto, nec à sapientissimis negari queat. »

Advertit autem *Scrutinii* auctor, cap. 5, art. 4, n. 19, prædictam cardinalis de Laureâ et Antonii Saura doctrinam locum duntaxat habere, ubi agitur de propositione quæ erroris aut alterius censuræ notâ certò et indubitanter inuritur; non autem quandò propositio erroris aut aliâ quâlibet notâ probabiliter tantùm afficitur. « Nam, inquit, sicuti, cùm apud doctores quæstio aliqua instituitur, utrùm hoc vel illud objectum sit fide divinâ credendum; consequens fit ut qui partem affirmativam sustinent, pro hæreticâ probabiliter habeant propositionem oppositam; ità et si quæstio esset de connexione alicujus prædicati cum fidei objecto, utrùm videlicet ab hoc ad illud sustineatur illatio, qui tuentur admittendam connexionem, et idcircò efficacem esse indicatam illationem, cohærenter ad hanc opinionem, *probabiliter erroneam* autumant propositionem prædicato cum fidei objecto repugnantem. »

Ibidem subdit idem auctor : « Asserere *probabiliter* aliquam propositionem *erroneam*, imò et *hæreticam*, non est, nisi propriam aperire sententiam propositæ quæstioni respondentem, nullatenùs exclusâ *probabilitate* sententiæ oppositæ... neque enim privatum judicium esse potest sufficiens regula ad excludendum oppositum, quod graves doctores gravi fundamento censent innixum. »

Quæres 2°, quot modis certò constare possit propositionem directè adversari alteri mediatè revelatæ.

Resp. tribus potissimùm modis istud constare : 1° *evidentiâ*, cùm scilicet lumine naturali clarè percipitur aliquam propositionem alteri opponi quæ connectitur cum aliâ immediatè revelatâ. Sic clarè percipitur propositionem hanc : *Christus non est risibilis*, directè opponi alteri mediatè revelatæ; adeòque erroneam esse; 2° *concordi* theologorum *consensu;* certò etenim erronea habenda est propositio, quæ unanimi theologorum consensu ut erronea existimatur. Quanti enim sit ponderis in rebus fidei aut cum fide connexis, concors ac constans theologorum sententia nemo nescit; de quo legendi sunt Canus de Locis Theologicis lib. 8; Bannes, 2-2, q. 1, art. 8; Salmaticenses, Laurea, etc. « Nemo qui inter Catholicos habeatur, inquit Canus loco citato, omnes sine discrimine theologos explosit. » Et verò synodus ipsa Viennensis, cap. 1 *De summâ Trinitate*, ex receptioribus Scholarum decretis argumenta ducit.

Monet autem hanc in rem auctor *Scrutinii*, loco laudato : « Cùm de connexione objecti alterius cum altero divinitùs revelato agitur, quæ evidenter minimè eluceat, nec sit physica, sed moralis, inspiciendus attentè est modus, quo de eâ discurrunt theologi, an videlicet reverà unanimes sint ac concordes, an loquantur cum trepidatione et formidine, opinantes potiùs quàm docentes; an absque prudenti hæsitatione in contrarium, ut indè inferri valeat propositionem reverà habendam certò vel probabiliter erroneam. » Paulò anteà dixerat, certissimum esse « Deum non permissurum quòd circà propositiones quas vel amplecti obstringantur fideles, tanquàm de fide aut fidei proximas, et ad fidei munimen conducentes, vel eas rejicere ut fidei noxias et adversantes, decipiantur à theologis, quoties hi unanimes omnes sint, sive in asserendâ propositione aliquâ, tanquàm de fide aut fidei affini, sive in rejiciendâ aliâ, tanquàm hæreticâ, erroneâ, » etc.

3° Tandem ipsâmet Ecclesiæ *definitione* certissimè constat propositionem aliquam mediatam habere cum doctrinâ divinitùs revelatâ oppositionem; atque adeò

certò et indubitanter erroneam esse, cùm scilicet idipsum Ecclesia declarat ac credendum fidelibus proponit.

Quæres 3°, nùm accedente Ecclesiæ definitione propositio erronea evadat hæretica. Resp. negativè, quod clarè sequitur et apertè patet ex dictis, ubi de propositione hæreticâ in responsione ad ultimam objectionem, ubi probavimus conclusiones theologicas ob supervenientem Ecclesiæ definitionem, nusquàm posse evadere placitum fidei. Utrùm autem dicendus esset hæreticus, an erroneus duntaxat qui post Ecclesiæ definitionem erroneam propositionem pertinaciter propugnaret, constat ex dictis ibidem, quæ consuli poterunt.

Quæres 4°, an eadem propositio possit esse simul hæretica et erronea. Resp. affirmativè, 1° quia hæresis et error simul stare possunt cum aliis censurarum speciebus; sic in concilio Constantiensi, sess. 15, propositio licitæ occisionis tyranni proscripta fuit sub variis censuris hæresis, scandali, etc. « Sancta synodus, inquiunt Patres, hujusmodi doctrinam... tanquàm hæreticam, scandalosam et ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat et condemnat. » Sic etiam in concilio Basileensi, sect. 22, ista propositio : *Christus quotidiè peccat*, declaratur erronea, scandalosa, piarum aurium offensiva, etc. Porrò, non apparet ulla discriminis ratio, vi cujus non minùs hæresis ac erroneitas simul jungi possint, quàm cum aliis censurarum gradibus; ergò, etc. Imò synodus Constantiensis loco laudato videtur expressè hæresim cum errore conjungere; sic enim habet paulò antè verba mox adducta : « Adversùs hunc errorem (licitæ occisionis tyranni) satagens sancta synodus exsurgere et ipsum funditùs tollere, declarat et definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide et in moribus, ipsamque tanquàm hæreticam, scandalosam, etc... reprobat. Declarat insuper, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt hæretici. Ubi Patres Constantienses propositionem licitæ occisionis tyranni, expressè erroneam et hæreticam appellant.

2° Si quæ esset causa cur hæresis et error non possent simul jungi, potissimùm illa quam indicat Suarez, disput. 19 de Fide, sect. 2, n. 21, ubi in oppositam opinionem inclinans sic discurrit : « Illæ duæ censuræ, *hæresis et erroris*, non possunt eidem propositioni attribui, quia includunt oppositionem ad fidem cum certitudine (si nimirùm sit hæresis) vel cum aliquâ incertitudine (si sit error) quæ duo non possunt esse simul. » At hæc profectò ratio nullius prorsùs est momenti, et pugnat manifestè cum principiis quæ ibidem statuit Suarez, scilicet : Error opponitur veritati certæ certitudine theologicâ ; ast positiva incertitudo incompatibilis est cum certitudine theologicâ.

3° Eadem propositio sub diverso respectu potest esse certa certitudine fidei simul, et certitudine theologicâ; adeòque simul esse placitum fidei et conclusio theologica, ut patet in istâ propositione : *In Christo sunt duæ voluntates*, quæ, ut antea probavimus, immediatè revelata est, Lucæ 22 : *Non mea, sed tua voluntas fiat. Non sicut ego volo, sed sicut tu*, Matth. 26. Aliundè verò clarè et evidenter sequitur ex istâ fidei veritate, quâ constat Christum verum esse Deum et hominem; ergò pariter eadem propositio sub diverso respectu potest esse simul erronea et hæretica. Monet autem *Scrutinii* auctor cap. 5, art. 5, quòd etsi eadem propositio possit esse simul hæretica et erronea, nihilominùs non solent concilia ac romani Pontifices in propositionum proscriptione conjungere prædictas duas censurarum species, hæresis et erroneitatis, licèt sæpiùs non minùs hæresis quàm erroneitatis notas conjungant cum aliis plerisque; « cujus potissima ratio esse potest, inquit idem auctor citato loco, quòd utraque *hæresis* et *erroneitatis* censura ad eamdem lineam nedùm spectent, sed per oppositionem ad fidem constituantur : indè enim sequitur quòd repertâ in aliquâ propositione, oppositione *immediatâ* cum fide, minimè attendenda sit oppositio longè inferior, ac *mediata;* habitâque præ oculis *immediatâ* oppositione cum divinâ revelatione, inutilis apparet syllogismi efformatio, per quam propositio revelata disponatur tanquàm conclusio theologica, ut hâc ratione propositio opposita denominari queat *erronea.* »

Quæres 5°, quæ cautio adhibenda sit in configendis propositionibus, seu hæreticâ, erroneâ, aut quâvis aliâ notâ.

Resp. cum auctore *Scrutinii* variis in locis ac præsertìm cap. 5, art. 4, in scholasticis concertationibus, ac etiam in operibus edendis (ubi agitur de opinionibus inter catholicos controversis) summam adhibendam esse cautionem, ne unius sententiæ patroni præjudicium vel leve inferant oppositum propugnantibus.

Ac 1° « quidem, inquit citato loco idem auctor, si quæstio non sit utrùm hæc vel illa propositio sit hæretica, erronea, aut aliâ quâvis notâ digna, tunc omninò à prædictis censuris abstinendum, quolibet non obstante modo locutionis probabilitatem exprimente. » Istud illustrat exemplo deducto ex quæstione Thomistas inter et Scotistas agitatâ, *an Verbum divinum Adamo non peccante incarnatum fuisset?* Thomistæ existimant negativam optimè colligi ex Scripturæ et traditionis textibus quibus indicatur Verbum divinum carnem assumpsisse ad redimendos homines à peccato; non ideò affirmativam, quam unanimi consensu tuentur Scotistæ, affirmare debent aut possunt erroneam, nec è contrà.

« Scilicet aliud omninò est, inquit ibidem, uti Scripturæ testimoniis ad adstruendam probabiliter sententiam et oppositam rejiciendam; aliud verò uti iisdem textibus ad eam certò et indubitanter evincendam, tanquàm veram conclusionem theologicam, et oppositam tanquàm erroneam explodendam; primum præstant, non autem alterum Thomistæ aliique communiter theologi, cùm quæstiones in scholis utrique disputatas, adductis Scripturæ et Patrum textibus, probare aut refellere conantur. »

2° Si quæstio controvertatur in scholis, an assertio aliqua hæretica sit, erronea, etc., necne : potest equi-

dem theologus eam quæ sibi probabilior videbitur eligere opinionem, sicque hanc vel illam propositionem hæresis, erroris, aut aliâ notâ probabiliter arguere : « Ità tamen ut, inquit citatus *Scrutinii* auctor, ex hujusmodi probabili assertione, censura eadem nullo pacto extendatur ad opinionem ipsam quæ probabiliter sustinet prædictam propositionem non esse hæreticam. » Sic, v. g., quærunt theologi, an videlicet propositio opposita alteri deductæ ex duabus præmissis de fide sit hæretica. Jam verò qui affirmativam sententiam cum cardinalibus de Lugo, de Laureâ et aliis propugnant, non possunt quin tanquàm probabiliter hæreticas non damnent propositiones oppositas iis quæ ex duabus revelatis deducuntur ; attamen non possunt hæresi aut aliâ notâ configere opinionem quæ ab iliis eruditis theologis innoxiè defenditur, quæ scilicet asserit propositiones hujusmodi non esse hæreticas.

3° Tandem meminisse debent theologi, verborum Innocentii XI, qui jure meritò damnans 65 propositiones, paci et charitati consulens, « in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut tàm in libris imprimendis ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censurâ et notâ, necnon à quibuscumque conviciis contrà eas propositiones quæ adhuc inter Catholicos hìnc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ, super eisdem propositionibus judicium proferatur. »

Ex dictis in præsenti paragrapho colliges propositionem erroneam formaliter constitui per oppositionem mediatam cum doctrinâ divinitùs revelatâ; adeò ut propositio erronea ea sit quæ opponitur conclusioni theologicæ; sicuti propositio hæretica adversatur placito fidei.

Si certò opponatur, erit certò erronea ; si probabiliter tantùm, erit quoque probabiliter duntaxat erronea; quod idem dicendum de hæresi.

§ 3. *De propositionibus hæresi proximâ, sapiente hæresim et hæreseos suspectâ.*

Hæ notæ à nonnullis promiscuè sumuntur, aliquatenùs tamen distinguuntur. Scilicet, 1° propositio hæresi proxima est ea quam major et sanior theologorum pars ex Scripturâ aut traditione judicat esse hæreticam, etsi tamen non audeat absolutè ac simpliciter eam pronuntiare hæreticam, quòd aliqui graves theologi contendant ipsi censuram hujusmodi inuri non debere. Ità card. de Lugo, disput. 20 de Fide sect. 3, quam cardinalis doctrinam exscripsisse videtur Dominicus à SS. Trinit., lib. 2. Biblioth. Theol. sect. 7, cap 3. Paulò aliter propositionem hæresi proximam explicat auctor *Scrutinii*, cap 6, art. 1, n. 12, 13, ac præsertìm n. 18, asserit eam esse quæ ex consensu omnium ferè theologorum directè et immediatè adversatur doctrinæ revelatæ, paucis duntaxat ex adverso dissentientibus theologis levi ductis motivo. « Triplex nimirùm, inquit ibidem hic auctor, n. 18, distingui potest certitudinis gradus, quo possumus judicare propositionem hæreticam (idem debitâ proportione dicendum de erroneâ) : primus, quoties evidenter et clarè elucet oppositio ipsius *immediata* cum revelatis, sive quòd aperta exstet in sacris litteris contrariæ propositionis testificatio, quòd sit divinitùs manifesta ; sive quòd de eâ habeatur explicita definitio ac beclaratio apostolicæ Sedis ; sive etiam... quòd omnes Patres aut theologi unanimes concordent in eâ asserendâ indubiè hæreticâ. Secundus, quoties non omnes in dictâ assertione, sed ferè omnes conveniunt paucis dissentientibus levi ductis motivo. Tertius, quoties diversi inter se ità reperiuntur theologi, ut verè probabilis utraque opinio, tùm videlicet affirmans aliquam propositionem esse *hæreticam*, tùm illam negans, reputetur. Primus autem ex his certitudinis gradibus, pergit idem auctor, inservit propositionibus inter *hæreticas* absolutè et simpliciter annumerandis. Secundus, propositionibus quibus adaptari potest nota *hæresi proximæ*. Tertius, propositionibus quæ *hæreticæ* denominari non valent, nisi cum addito *probabiliter*. »Hactenùs insignis ille propositionum qualificator. Ex quibus colliges 1°, cum card. de Lugo, adversùs Lorcam, Suaresium et alios, propositionem hæresi proximam cum erroneâ minimè esse confundendam; hæc conclusioni theologicæ, illa placito fidei ex communi ac ferè omnium theologorum consensu, paucis ex adverso dissentientibus levi ductis fundamento, adversatur.

Et verò in decreto Alexandri VIII, quo 31 propositiones è variis desumptæ, pluribus configuntur censuris, erronea et proxima hæresi recensentur tanquàm duæ censurarum species omninò diversæ : « Supradictas propositiones, inquit summus Pontifex, tanquàm *temerarias, scandalosas... hæresi proximas, erroneas...* damnamus; » ergò, etc.

Colliges 2°, cum eodem eminentissimo auctore, posse aliquandò eamdem propositionem esse ratione suî hæresim, et tamen affici istâ censurâ et judicari hæresi proxima. Ratio est, quia propositio hæresi proxima ex dictis ea est quam omnes ferè theologi existimant directè opponi veritati fidei, seu immediatè revelatæ ; porrò opinio quæ talis ab omnibus ferè theologis judicatur, profectò plerùmque directè adversatur veritati fidei, adeòque est hæretica ; ergò, etc.

Colliges 3°, censuram erroris graviorem esse notâ proximæ hæresi. Ratio est, inquit auctor *Scrutinii*, quia negans conclusionem theologicam cogitur necessariò, quantùm est ex parte objecti, negare et præmissam de fide; cùm tamen sustinens propositionem hæresi proximam, possit non esse hæreticus ; quatenùs opinio asserens illam propositionem hæreticam falsa esse possit, et proindè inter eam et hæresim non sit necessaria connexio. Undè, inquit de Lugo, propositio erronea obstinatè propugnata inducit in foro externo vehementem de hæresi præsumptionem, et multò majorem quàm inferat propositio hæresi proxima.

Colliges 4°, cum eodem *Scrutinii* auctore, eo ipso, quòd aliqua propositio hæresi proxima declaratur, omni prorsùs necesse est probabilitate ipsam destitui ; « aliàs, inquit, si in eâ ulla probabilitas maneret, absolutè hæresi proxima minimè declararetur. « Quod

adhuc clariùs innotescet, pergit idem auctor, si attendamus, quòd nota *proximæ hæresi*, pronuntiata, ut vidimus, sit à romanis pontificibus, qui nunquàm censurâ inurunt propositiones, quæ probabiles exstant apud doctores, eas relinquendo in suâ probabilitate quam habebant. »

Colliges 5°, cum iisdem, propositionem modalem non esse proximam hæresi, ex eo quòd propositio simplex et absoluta sit proxima hæresi; exemplum affert de Lugo in istâ propositione : *Parvuli non habent justitiam inhærentem*, quam asserit proximam haresi, « quia, inquit, multi communiter dicunt in concilio definitam esse justitiam inhærentem universaliter de omnibus; non tamen erit proxima hæresi propositio modalis dicens : *Non est de fide, nec definitum, quòd parvuli habeant justitiam inhærentem;* quia hæc non negat objectum proximum fidei, nempè justitiam inhærentem parvulorum, sed solum gradum certitudinis illius veritatis; qui gradus potest esse sub opinionibus, licet objectum ipsum directum non possit in dubium revocari.

Proponit et aliam explicandæ propositionis hæresi proximæ rationem citatus *Scrutinii* auctor, cap. 6, art. 1, n. 19, quam appellat expeditiorem et in praxi tutiorem, ut nempè ea propositio dicenda sit hæresi proxima, quæ est in ultimo aut ferè ultimo constituta diffinibilitatis gradu, ut declaretur hæretica; seu in quâ concurrunt omnes conditiones quæ requiruntur, ut declarari valeat hæretica propositio, uti propemodùm eveniret si in aliquâ propositione omnes omninò Patres aut theologi unanimi consensu illam haberent hæreticam.

In hâc hypothesi, inquit, eadem propositio simpliciter hæretica est simul et hæresi proxima; nempe inspectâ oppositione immediatâ quam importat cum fide, est simpliciter hæretica; inspecto autem modo quo dictam oppositionem immediatam cognoscimus, non est ex eo præcisè simpliciter hæretica, sed hæresi proxima, quatenùs medium, quo nobis nota est dicta contradictio, non est in seipso regula fidei, sed potiùs signum regulæ fidei. Sicque censura proximæ hæresi procul dubio gravior erit erroneâ, quia simpliciter hæretica est, et certò talis, certitudine ad definitionem sufficiente, quæque æquivalens dici potest certitudini, quam habemus de mediatâ oppositione, seu de conclusione theologicâ. « Hanc viam tutiorem innuimus, ait Panormo, quia per eam præcluditur scopulus in quem possent privati doctores incidere juxtà aliam, pro communi habentes opinionem asserentes aliquam propositionem esse *hæreticam*, quæ reverà communis non sit, leveque judicando motivum putantium *hæreticam* non esse, quod fortassis sit grave; et proindè notare ut *hæresi proximam* propositionem, quæ tantam non contineat pravitatem. An autem reverà hæc præ aliâ absolutè ineunda sit via, æqui doctique lectores determinent. » Hæc Panormo.

2° Quod spectat propositionem quæ hæresim sapiat, illustrissimus Bossuet, in defens. Declarat. cleri Gallic. part. 1, lib. 2, cap. 15, post Gersonium, eo in libro cui titulus : *Declaratio veritatum quæ credi debeant*, et Gabriel in 4 dist. 13, q 5, dub. 1, existimant eam sic exactè definiri posse : *Propositio ex cujus concessione, coassumpto aliquo quod non potest rationabiliter negari, sequitur hæresis.* Talis esse videretur, inquit doctissimus præsul, hæc propositio : *Gregorius magnus non fuit Christi vicarius;* assumpto enim, quod non fide quidem sed aliundè certissimum est, Gregorius magnus in summum pontificem est electus, sequeretur eum qui in romanum pontificem canonicè sit electus, non esse Christi vicarium, quod est hæreticum; undè existit illud sapiens hæresim in eâ propositione : *Gregorius magnus non fuit Christi vicarius*, quam definitionem à Gabriele Biel Gerson deprompsit integram. Hæc illustrissimus antistes. Eamdem sententiam propugnat Turrecremata.

Verùm non satis accurata videtur adducta propositionis hæresim sapientis notio; hâc enim semel positâ, inquiunt card. Laurea et Suarez, coincideret propositio hæresim sapiens cum propositione erroneâ. Namque ea propositio « ex cujus concessione, coassumpto aliquo quod certissimum est et evidens, sequitur hæresis, » opponitur conclusioni theologicæ, adeòque erronea est; attamen in conciliorum et SS. Pontificum decretis, inprimìs verò in censuris concilii Constantiensis adversùs Wiclefum et Joan. Hus, Pii V, adversùs Baium, Innocentii XI, contrà Molinos, etc., propositio erronea et sapiens hæresim velut distinctæ notæ passìm memorantur; ergò, etc.

Suarez, disp. 19, de Fide sect. 2, n. 17, propositionem hæresim sapientem paulò aliter explicat : « Propositio illa dicitur hæresim sapere, inquit, ex quâ, coassumptis aliis principiis, sequitur hæresis, quandò vel illa principia non sunt omninò certa, licèt in Ecclesiâ sint valdè recepta, et *ferè* certa; vel etiam illatio non est *evidens*, cùm tamen probabilissima sit et communiter probata. » Asserit ibidem Suarez, hanc esse Gersonis, Biel et aliorum plurimorum mentem; additque hunc modum, prædictam censuram exponendi facilem esse et expeditum. Propositio, inquit, ideò dicitur sapere hæresim, quia licèt eam formaliter non contineat, ex eâ tamen sequi potest; non potest autem consecutio certa requiri, nam hoc pertinet ad gradum erroneæ propositionis; ergò sufficit illatio probabilissima et communiter recepta.

Non placet etiam is modus explicandi propositionem quæ hæresim sapit. Ex dictis etenim suprà, quoties aliqua propositio eruitur ex principiis revelatis, de quorum revelatione non omninò constat, vel si constet, illatio non omninò clara et evidens habetur, sed solùm probabilis aut probabilissima, toties dicenda est propositio hæretica aut erronea (prout principia mediatè aut immediatè revelata sunt) sed cum addito *probabilissimè*, vel *ferè certò*, vel *certò moraliter*, vel alio simili. Undè card. de Lugo prædictam Suarezii sententiam refellens, quam propositionem appellat Suarez, *sapientem hæresim*, eam potiùs *hæresi proximam* censuit appellandam.

Cardinalis de Laureà disput. 16 de personis ac do

ctrinis de hæres. suspectis, art. 2, parag. 2, n. 53, Castro et alii, dicunt propositionem, quæ sapit hæresim, eam esse quæ primâ specie et ex solis terminis spectata hæresim præ se fert, quamvis intimiùs considerata et piè explicata, catholicum sensum habere possit. Ità etiam censet suprà citatus Antonius Saura in suo Platonis voto.

Ast, inquit Suarez loco citato, propositio hujusmodi magis videtur pertinere ad hæresim aut ad errorem, quàm ad hunc censurarum gradum sapientis hæresim : idque confirmat exemplo concilii Basileensis, sess. 22, hanc propositionem : *Christus quotidiè peccat*, tanquàm erroneam damnantis, quia in proprio sensu falsa est et contrà fidem, et solùm in metaphorico ab errore liberatur, intelligendo Christum non in se, sed in suis membris quotidiè peccare.

Cardinalis de Lugo, disput. 20 de Virtute fidei sect. 3, n. 88, existimat propositionem quæ sapiat hæresim eam esse, quæ sive propter verba, sive propter materiam, sive propter locum, tempus, personam loquentis et alias circumstantias, tale præbet fundamentum, ut probabiliter judicari possit aliquam hæresim esse in auctore, ex quâ hæc assertio procedat; quòd si fundamentum non sufficiat ad id judicandum, sed duntaxat ad id suspicandum; propositio, inquit, poterit appellari, non quidem sapiens hæresim, sed de hæresi suspecta.

Omni ex parte non arridet adhuc ista eminentissimi auctoris sententia, præsertìm quatenùs videtur supponere ex solis extrinsecis loci, temporis, etc., circumstantiis, propositionem, quæ ex sese nonnisi catholicum sensum exprimit, talem reddi posse quæ hæresim sapiat; adeòque censuram sapientis hæresim, non ex naturâ propositionis, sed ex ipsius causâ, qualitatibus proferentis, aliisque circumstantiis unicè esse desumendam ; quod ex dicendis mox et articulo sequenti falsum esse constabit.

Tandem auctor *Scrutinii*, cujus sententiæ inhærendum ducimus, articulis 1, 2 et 3 capitis 6, nonnihil ex variis suprà recensitis opinionibus seligens, naturam propositionis quæ hæresim sapiat, in his tribus reponit.

Censet 1°, ad rationem propositionis hæresim sapientis essentialiter requiri ut sit capax duplicis sensûs, hæretici et catholici, quorum quilibet non metaphoricè et impropriè, sed cum aliquâ proprietate ipsi competat : « Propositio hæresim sapiens, inquit mox citatus auctor, constituitur per sensûs, quem continet, duplicitatem, » catholici videlicet et hæretici.

Censet 2° quòd, etsi utriusque sensûs, sani et pravi, capax esse debeat dicta propositio, attamen sensum pravum prævalentem involvere debet, sive ratione suî, sive ratione circumstantiarum; id est, sive quòd verba ex sese nata sint majori cum proprietate exprimere sensum pravum quàm sanum; sive ob extrinsecas circumstantias, præcisâ proferentium conditione, ut patet in propositione : *Unus de Trinitate crucifixus est*, quæ, cùm vigeret error Severianorum, passioni divinitatem tribuentium sapiebat hæresim non præcisè quòd prolata esset à Severiano, sed simpliciter quia sic passìm à Severianis explicabatur, qui eam in perversum et erroneum sensum, quem minimè excludebat, detorquere conabantur; sive tandem habitâ ratione proferentis : ut enim mox dicemus ex Cano, eadem propositio : *Pater major me est*, qui in Scripturis sapit modestiam, in Arii libros transfusa sapiebat hæresim.

Censet 3° quòd si gravis sit ac vehemens suspicio de hæresi, quam ingerit dicta propositio, tunc dicitur hæresim sapiens; si autem levis sit ac modica, suspecta de hæresi appellatur. Gravis autem suspicio ea est, inquit de Lugo loco anteà citato, quæ sufficiens præbet fundamentum ad probabile judicium ferendum, quòd auctor sit hæreticus; levis verò ac modica quæ non sufficit ad ità judicandum, sed solùm ad id suspicandum.

Juxtà hanc sententiam propositio hæresim sapiens ea est quæ utriusque sensûs sani et pravi propriè capax est; attamen sensum pravum, sive ratione suî, sive ratione circumstantiarum loci, temporis personarum, etc., prævalentem involvit, vi cujus nata est gravem de hæresi suspicionem ingerere. Hic modus explicandi censuram hæresim sapientis, facilis est et expeditus, atque ità propositio sapiens hæresim à notâ hæreseos, erroris, aliisque facilè ac sufficienter secernitur.

Dixi, quæ sensum pravum, sive ratione suî, sive ratione circumstantiarum prævalentem involvit; propositiones enim merè æquivocæ, quæ sive attentis vocibus ex quibus constant, sive consideratis omnibus circumstantiis, catholicum perindè ac heterodoxum sensum exprimunt, tanquàm hæresim sapientes damnari non possunt. At propositio quæ spectatis duntaxat quibus constat vocibus, ad bonum et malum sensum indifferens est, ex adjunctis circumstantiis, auctoris potissimùm, ad heterodoxum sensum detorqueri, sicque ut sapiens hæresim proscribi potest.

Id eleganter docet ac variis adductis exemplis comprobat Melchior Canus, lib. 12 de Locis Theologicis, cap. 9, his verbis : « Quid hæresim sapiat, quid non sapiat, non tàm definitione et argumentatione speculatricis disciplinæ, quàm sensu quodam gustuque judicatur; » hoc est, non præcisè ex propositione absolutè sumptâ, sed etiam relativè ad proferentem spectari debet. « Expediam brevì rem hanc, pergit Canus, et planam exemplo uno faciam. Leges illam propositionem : *Pater major me est*, in Evangelio; habes illius doctrinæ auctorem cognitum et perspectum; antecedentia et consequentia in Evangelio verba diligenter attendis, ejus doctrinæ principia reliqua memoriâ tenes. Jam experiere, nisi habes humore aliquo malo affectum gustum, propositionem illam : *Pater major me est*, non hæresim tibi sapere, sed modestiam. Legebat eamdem in Arianorum libris Athanasius; auctores intùs et in cute noverat; Arianæ disciplinæ causas et effecta, principia et connexa perspexerat, et quæ in Evangelio dulcis erat super mel et favum, eadem propositio in Arii libros transfusa sapiebat

hæresim, eratque ejus gustui vel amarissima. Atque ut idem vinum ex vase uno sapit picem, ex altero non sapit.., sic una et eadem oratio ex uno corde et ore odorem spirat jucundissimum, ex altero teterrimum, ex uno saporem suavem servat, ex altero insuavem. » Sic demùm concludit insignis ille theologus : « Non itaque è rerum ipsarum orationumque naturâ, sapor odoricè omnis existimandus est; sed tùm res, tùm orationes ipsæ à venis aliquandò et viis per quas permeant, saporem et odorem accipiunt.., quocircà quæ propositio hæresim sapiat, quæ contrà non sapiat, non theologi quivis, sed prudentes solùm atque experientes poterunt judicare. » Hactenùs Canus, qui eam quam hìc exprimit doctrinam ex Angelico doctore desumpsit part. 3, qu. 16, art. 8 in corp., ubi S. doctor mox citatam propositionem, *Christus est minor Patre*, suspectam esse indicat, quia licèt in rigore verum contineat sensum, prævalet tamen in ipsis hæreticus ob Arianorum dogma quo Christus, etiam secundùm divinitatem, minor Patre constituitur. « Respondeo dicendum, inquit, quòd sicut Hieronymus dicit, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, undè cum hæreticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur; Ariani autem hæretici Christum dixerunt esse.., minorem Patre, non solùm ratione humanæ naturæ, sed etiam divinæ personæ. Et ideò non est absolutè dicendum quòd Christus sit minor Patre, sed cum determinatione, scilicet secundùm humanam naturam. » Hæc S. doctor de propositionibus suspectis et quæ sapiant hæresim. Quid autem dicendum sit de propositionibus merè æquivocis, an et quâ ratione proscribi possint, mox exponemus articulo sequenti.

3° Quod spectat propositiones de hæresi suspectas, Suarez supponere videtur propositiones hujusmodi esse quid omninò idem cum propositionibus hæresim sapientibus. Id ex eo colligitur, quòd disput. 19 de Fide, sect. 2, in quâ enumerat species seu gradus censurarum quibus propositiones damnari solent, tertio loco recenset propositionem quæ sapit hæresim, nullâ prorsùs factâ mentione de propositione suspectâ de hæresi.

Antonius Saura è contrà in suo Platonis voto non obscurè indicat duas prædictas censuras specificè esse distinguendas; asserit enim propositionem quæ hæresim sapit, « primâ verborum facie sensum hæreticum offerre audientibus; » propositionem autem suspectam de hæresi, necessariè bonum et malum sensum involvere, atque ad alterutrum ex adjunctis circumstantiis determinari. At si ità est, nemo non videt duas prædictas censuras specificè distingui. Cardinalis de Lugo, auctor *Scrutinii*, et alii mediam viam ineunt. Scilicet docent non quidem specificè, sed per gradus distingui propositionem hæresim sapientem, et de hæresi suspectam; prior sufficiens præbet fundamentum ut ex eo probabile sequi valeat judicium de hæresi quam sustineat hujusmodi propositionis auctor; posterior verò non sufficit ad id judicandum, sed solùm ad suspicionem et timorem aliquem de eo concipiendum.

Arridet hæc ultima sententia, quæ ex dictis mox de propositione hæresim sapiente satis patet.

Itaque propositio de hæresi suspecta ea est, quæ ex sese utriusque sensûs, catholici et heterodoxi, capax est, quæque sive ratione suî, sive ratione circumstantiarum, sufficiens præbet fundamentum, non quidem ad probabile judicium ferendum, quòd auctor sit hæreticus, sed solùm ad suspicionem et timorem aliquem absque temeritate de eo concipiendum. Ità cardinalis de Lugo, auctor *Scrutinii*, etc.

§ 4. *De propositionibus proximâ errori, sapiente errorem, suspectâ de errore.*

De his tribus notis eodem prorsùs modo judicandum, servatâ proportione, sicuti diximus de propositione hæresi proximâ, sapiente hæresim, et suspectâ de hæresi.

Ità Suarez, de Lugo, Laurea, etc. « Sicut, inquit de Lugo disput. 20 de Virtute fidei, sect. 3, n. 90, datur propositio sapiens hæresim, vel suspecta de hæresi, quia fundamentum præstat majus vel minus judicandi vel suspicandi, quòd auctor habeat aliquam in corde hæresim, licèt propositio non sit hæretica; sic datur propositio quæ sapiat errorem, vel sit suspecta de errore, quatenùs cum proportione præstat fundamentum majus vel minus judicandi vel suspicandi quòd auctor in corde habeat aliquem errorem, nempè aliquod dogma contrarium conclusioni theologicæ. » Paulò anteà, n. 84, dixerat : « Sicut ergò si quis negat propositionem quæ plerisque (vel ferè omnibus, ut anteà diximus ex auctore *Scrutinii*), videtur esse de fide, nec posse sine hæresi negari, propositio negans dicitur hæresi proxima; sic quandò negatur propositio quæ plerisque videtur esse conclusio theologica, nec posse sine errore negari, propositio negans erit errori proxima, cùm eadem omninò sit cum proportione ratio. Quarè hoc eodem modo et cum iisdem observationibus cum debitâ proportione applicatis intelligendum erit, sicut diximus de propositione hæresi proximâ. »

§ 5. *De propositionibus malè sonante, et piarum aurium offensivâ.*

Hæc utraque censura à nonnullis, quorum meminit Suarez, dictâ disput. 19 de Fide, sect. 2, cum hæresim sapiente confunditur. In quam opinionem inclinat illustrissimus Bossuet, citatâ Defensione cleri Gallic. part. 1, lib. 2, cap. 15 : « Malè sonans in fide, inquit, quantùm capio, haud facilè secernas ab eo quod sapit hæresim sive errorem; sed ut id quod sapit errorem ad gustum quemdam, ità id quod malè sonat magis refertur ad aures; quod cùm subtiliter apud te pensitaveris, in idem recidere facilè comperies. » Verùm, inquit de Lugo, loco anteà citato, hæc sententia non potest admitti, quòd prædictæ censuræ in Constantiensi concilio et in Bullis Pii V et Gregorii XIII contrà Baium, tanquàm distinctæ et diversæ enumerentur. Et verò, uti observat auctor *Scrutinii* cap. 7, art. 3, n. 6, voces illæ divisivæ quibus utitur concilium, Wiclefi et Joannis Hus articulos damnans, plures, alios, quosdam, nonnullos, omnimodam censurarum quas

recenset distinctionem manifestè indicant. Atque hoc eodem argumento refelli possunt qui cum Lorcâ censent prædictas censuras cum scandalosâ esse confundendas. Alii censent utramque hanc censuram, tùm à sapiente hæresim, scandalosâ, cæterisque theologicis notis, tùm à sese invicem specificè distingui. Ità de Lugo, Hurtado, etc. Alii tandem existimant notam malè sonantis et piarum aurium offensivæ equidem ab aliis censuris distingui, ut mox vidimus, sed non à sese invicem. Ità Canus, lib. 12 de Locis Theologicis, cap. 11; Laurea disput. 16 de Hæres., art. 2, parag. 3; Turrecremata, Castro, Panormo, aliique graves auctores.

Probabilior nobis videtur hæc ultima sententia, 1° quia concilium Constantiense ex quo præcipuè desumenda est notitia quidditatis et distinctionis censurarum theologicarum, plerosque ex articulis Wiclefi et Joannis Hus ut piarum aurium offensivos damnat, nullâ prorsùs habitâ mentione de malè sonantibus; pariter neque de his loquuntur Pius V et Gregorius XIII, in damnatione articulorum Baii, quorum nonnullos notant tanquàm in pias aures offensionem immittentes; ex quo clarè colligitur, nec concilium nec SS. pontifices discrimen agnovisse propositiones malè sonantes inter et piarum aurium offensivas.

2° Non solùm synodus Constantiensis et SS. pontifices Pius V et Gregorius XIII, sed et generatim quæcumque alia concilia, quilibet pontifices et Patres, quoties malè sonantis notam exprimunt, toties de alterâ piarum aurium offensivâ silent, et vice versâ; quo certè nihil efficacius adduci potest ad probandam utriusque censuræ identitatem. Hoc duplici argumento perindè evinci potest sapientis hæresim et de hæresi suspectæ censuras specificè non distingui.

3° Nihil assignari valet malè sonans, quod pias aures non offendat, et vicissìm, ergò, etc.

Quæres in quo præcisè posita sit propositionis malè sonantis et piarum aurium offensivæ notio ac natura. Resp. non unam esse hâc de re theologorum sententiam. Prima docet propositionem malè sonantem eam esse quæ in aliquo sensu proprio est hæretica, et in aliquo etiam proprio est catholica. Ità adversùs cardinalem de Laureâ nuper scripsit Dandinus, de hæresi sect. 2. Sic sumpta propositio malè sonans coincideret cum æquivocâ, à quâ tamen discrepare communiter censent theologi.

Secunda asserit propositionem malè sonantem seu piarum aurium offensivam eam esse quæ potest admittere sensum catholicum, sed plùs sonat et exhibet non catholicum. Ità Lorca 2-2, q. 11, disp. 40; Ripalda de Ente supernat. disput. 1, sec. 9; Corninch, disp. 18 de Fide, dub. 8.

Tertia est Sylvii, qui 2-2, q. 11, art. 1, propositionem malè sonantem aut piarum aurium offensivam eam vocat, quæ licèt bonum sensum habere possit, tamen tàm malè proponitur ut offendat; vel quæ habet congruentem sensum fidei, verba autem incongrua.

Quarta est cardinalis de Lugo, dictâ disput. 20, n. 92 : « Propositio malè sonans dicitur illa solùm quæ non dat fundamentum audientibus judicandi vel suspicandi quòd proferens habeat in corde suo hæresim, vel errorem aliquem circà fidem, sed solùm peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi quo solent à fidelibus usurpari. »

Quinta tandem sententia, quæ videtur magis cohærens iis quæ suprà diximus de propositione sapiente hæresim (quamque ideò amplectimur) est auctoris *Scrutinii*, cap. 7, art. 3, n. 7. Contendit auctor ille, propositionis malè sonantis seu piarum aurium offensivæ naturam in eo consistere, quòd ità formetur, ut quamvis in bonum sensum exponi queat, nihilominùs pravus ipsius sensus, sive ex intrinsecâ naturâ, sive ex circumstantiis extrinsecis, sano et catholico prævalens ac præponderans, pias aures offendat, malumque sensum præ se ferat. Undè de hâc utrâque propositione eo ferè modo dicendum, quo de propositione sapiente hæresim aut suspectâ de hæresi locuti sumus; hoc solo discrimine in præsenti causâ diligenter observando, quòd scilicet propositio hæresim sapiens aut de hæresi suspecta respiciat credenda, circà quæ sensus prævalens sit omninò hæreticus; malè sonans verò aut piarum aurium offensiva respicit agenda, vel, si credenda, non ità ut sensus prævalens sit penitùs hæreticus, sed aliquâ infrà hæresim pravitate infectus; et hoc certè sufficit ut malè sonantem inter et sapientem hæresim propositionem vera admittatur distinctio. Porrò, ut observant Suarez et Laurea, propositio malè sonans aut piarum aurium offensiva (idem dicendum de propositione sapiente hæresim et de hæresi suspectâ) alia dicitur talis ab intrinseco, alia verò ab extrinseco. Malè sonans ab intrinseco ea est quæ ex sese præcisis extrinsecis circumstantiis, pravum sensum prævalentem involvit; undè propositiones hujusmodi ex sese et intrinsecâ naturâ aures pias offendunt, malumque sensum præ se ferunt.

Duo hanc in rem exempla ex pontificis diplomatibus deprompta profert auctor *Scrutinii*. Primum petitur ex trigesimâ propositione inter damnatas ab Alexandro VIII, his verbis conceptâ : *Confessiones apud religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ;* quæ propositio, inquit citatus auctor, malè profectò sonat offenditque haud dubiè pias aures, dùm sacrilegium et invaliditas confessionum refundi videtur in ipsos religiosos, ac si earumdem radix sit unicè, quòd non fiant apud sacerdotes seculares.

Alterum exemplum desumitur ex vigesimo quinto inter articulos proscriptos à Constantiensi concilio, sess. 8 contrà Wiclefum : *Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus;* quæ propositio posset ad sanum sensum trahi, si de temporalibus subventionibus intelligatur, quæ dentur in pretium orationis; nihilominùs dicta propositio in suâ universalitate aures pias offendit; utpotè quæ avertit fideles à piis operibus, ne videlicet divites indigentibus subveniant, indigentes verò ad orandum pro benefacientibus sese obligent, etiamsi non per modum pretii ista subventio habeatur, sed per modum eleemosynæ, vel etiam stipendii.

Malè sonans ab extrinseco vocatur propositio, quandò pravus ipsius sensus non ex propositione nudè

sumptâ, sed cum circumstantiis personæ, loci aut temporis oritur; ut hæc propositio : *Fides justificat*, absolutè pronuntiata, nunc obortis hæresibus præponderantem sensum pravum involvit, quem olìm nondùm enatis erroribus non involvebat; et similiter prolata à personâ suspectâ, multò pejus sonat quàm prolata à personâ de cujus doctrinâ et catholicâ fide constat. Idem de hâc propositione : *Unus è Trinitate passus est*, et aliis similibus, proportione servatâ, dicendum; quæ quidem, inquiunt Laurea et auctor *Scrutinii*, pro foro externo multùm observanda sunt.

Quòd si alicui arrideat malè sonantes propositiones à piarum aurium offensivis distinguere, in eo videretur, fortè non improbabiliter, reponenda ista distinctio, quòd malè sonantes universaliorem importent extensionem, quàm piarum aurium offensivæ, quæ videntur aliquid speciale superaddere in ordine ad religionem. Nam specialiter offendit pias aures, quandò aliquid indecens vel indignum in materiâ religionis sentitur vel profertur. Ità Suarez et de Lugo locis anteà citatis. Undè in eâ sententiâ, omnis propositio piarum aurium offensiva, est quidem malè sonans, sed non vice versâ. Hìc autem nomine piarum aurium intelligendæ sunt, inquit Melchior Canus, lib. 12 de Locis Theologicis, cap. 11, aures catholicæ, prudentes et doctæ; nam imprudentes, imperitos et malevolos offendit aliquandò propositio, quæ doctos, prudentes et benevolos non offendit, et hæc propriè non meretur censuram, nec potest dici per se piarum aurium offensiva. Monet ibidem Canus ad discernendas malè sonantes et piarum aurium offensivas propositiones ab iis quæ hasce notas non merentur, « non esse habendam rationem vulgi promiscui, imbecilli, perturbati, imprudentis, sed prudentis, sinceri, pii, incorrupti. Nec theologia modò requirenda est, sed pietas et prudentia sine quâ nullæ aures possunt consentaneos sonos, abhorrentesque discernere. » Vide quæ modò dicemus ubi de propositionibus scandalosis.

De iisdem propositionibus piarum aurium offensivis in eumdem sensum hæc habet illustrissimus Bossuetius, citatâ Defens. cleri Gallic. parte 1, lib. 3, cap. 13 : « Vera pietas non cæco affectu, sed majorum auctoritate ac traditionis regulâ ducitur; quæ ab his aberrant finibus, sine fine modoque crescunt, veramque pietatem falsis et alienis ex arbitrariâ pietate superstructis obscurant et offuscant. » Rursùs ibidem : « Vera pietas cum veritate et traditione conjuncta est..... certum nobis est nullam pietatem agnoscere, nisi cum veritate et traditione conjunctam. »

§ 6. *De propositionibus, temerariâ, scandalosâ et seditiosâ.*

Propositio temeraria apud censores theologos ea est, quæ in materiis theologicis sine sufficienti fundamento vel auctoritatis vel rationis asseritur; vel aliter ea est quæ communi SS. Patrum doctrinæ adversatur, aut quæ constanti theologorum sententiæ contradicit absque gravi rationis vel auctoritatis fundamento. Ex quo obiter observa, propositiones temerarias, utpotè auctoritate et ratione destitutas, in se vitiosas esse, nec usquàm sanas evadere posse.

Hanc esse veram ac genuinam temerariæ propositionis notionem tradunt celebriores theologi.

S. Antoninus, parte 2 Summæ Theol. titulo 12, cap. 5 : « Temerarium est asserere, inquit, tanquàm certum, illud quod non potest ratione vel auctoritate probari efficaciter; sicut asserere quòd mundus terminetur post centum vel ducentos annos. Quamvis enim hoc possit esse verum, tamen hoc asserere tanquàm certum, est temerarium; quia ad hoc nec auctoritas nec ratio efficax habetur. » Turrecremata, parte 2, lib. 4, cap. 11 : « Propositio temeraria est propositio asserens aliquid tanquàm certum, quod non possit efficaciter probari ratione vel auctoritate. » Bannes 2-2, q. 11. art. 2 : « Propositio temeraria est, quandò aliquis asserit quidpiam contrà communem Ecclesiæ aut theologorum opinionem sine auctoritate in re gravi. »

Cardinalis de Laureâ, disput. 16 de Doctrin. de Hæres. susp., art. 2, n. 13 et 14 : « Dicenda est, inquit, temeraria propositio, quâ in materiis theologicis sine fundamento vel auctoritatis vel rationis arbitrariè asseritur; uti,..... si quis annum vel diem finis mundi seu judicii certum doceret; si gradum gloriæ aut gratiæ alicui sancto assignaret, et alia his affinia proferret, quæ nullus anteà dixerit. »

Non alia est eâ de re sententia Silvestri V, Hæres. n. 3; Card. de Lugo, Suarez, Ripald. auctoris *Scrutinii*, etc.

Tandem idem clarè docet illustrissimus Bossuet, citatâ Defens. declarat. cleri Gallic. parte 1, lib. 3, cap. 3, his verbis : « Temerarium passim definiunt theologi, quod novè, insolenter et audaciter nullâ doctorum auctoritate dicitur. »

Porrò Suarez, de Lugo, de Laureâ, auctor *Scrutinii*, aliique non pauci hìc advertunt propositionem duobus modis dici posse temerariam, *positivè* scilicet, et *negativè*. Propositio dicitur temeraria *positivè*, inquit Suarez, disput. 19 de Fide, sect. 2, n. 20, « quandò pugnat contrà receptam sententiam, vel Patrum, vel scholasticorum, ità ut omnes vel ferè omnes in illâ conveniant, etiamsi non asserant, esse fide divinâ certam, sed omninò probabiliorem aut simpliciter veram, quia tunc..... non potest contraria propositio efficaci ratione niti; undè cùm etiam destituatur auctoritate et tot doctoribus opponatur, temeraria *positivè* et *contrariè* censetur. *Privativè* autem temeraria dicitur propositio illa quæ solo proprio judicio sine sufficienti auctoritate vel cogente ratione excogitata est. » Utramque hanc propositionem dignam esse censurâ asserit ibidem Suarez, licèt mitiori quæ est solùm *privativè* temeraria, quàm quæ est etiam positivè. Ideò autem propositio etiam *privativè* temeraria meretur censuram, « quia, inquit, deficit à rectâ regulâ rationis, et aliquid habet præsumptionis, ac proindè in materiâ theologicâ et supernaturali non caret temeritate. » Ità etiam sentiunt de Lugo, de Laureâ et auctor *Scrutinii* adversùs Hurtadum, qui asserit,

disput. 81 de Fide sect. 7, parag. 41, notam temeritatis non competere propositioni *privativè* duntaxat temerariæ. Observat autem de Lugo, dictâ disput. 20 de Fide sect. 3, has propositiones ferè « semper aliquid involvere de positivo gradu, licèt in hoc differant ab aliis, quòd Patres et doctores de iis, quæ dicuntur *privativè* temerariæ, non explicitè et in communi, sicut de aliis, sed explicitè duntaxat et in particulari locuti fuerint. »

Quæres 1°, utrùm omnis propositio hæretica aut erronea sit temeraria. Resp. affirmativè. Ità S. Antoninus, Silvester, Turrecremata, locis anteà citatis. « Omne hæreticum et omne erroneum, inquit S. Antoninus, est temerarium; at non è contrà. » Et verò non major est temeritas quàm expressæ Dei revelationi per Ecclesiam propositæ, aut conclusioni theologicæ, id est, quæ certò et evidenter deducitur ex revelatis, adversari; atqui propositio formaliter hæretica adversatur revelationi per Ecclesiam propositæ; propositio verò erronea conclusioni theologicæ directè opponitur; ergò, etc.

Imò auctor *Scrutinii*, cap. 7, art. 5, n. 6, asserit, « temeritatis notam quibuslibet generatìm propositionibus adaptari posse, quæ sub aliâ quâvis censurâ prohibentur. Neque enim contingere potest, inquit, quòd doctrina aliqua sit hæretica, erronea, etc., quæ simul non sit temeraria, si (attendantur hæc verba) in seipsâ consideretur; esto ex parte proferentis possit fortè quandoque talis non dici, quòd ignorans deliquerit, putando in ejus discussione se adhibuisse media necessaria ad optimam efformandam resolutionem, quæ reverà nequaquàm investigavit. » Itaque in sententiâ præfati auctoris, temeritas adaptari potest omnibus generatìm propositionibus, quæ sub aliâ quâvis censurâ prohibentur.

Quæres 2°, an omnis propositio temeraria sit hæretica aut erronea, etc. Resp. negativè, quod apertè colligitur ex laudato mox S. Antonini textu. Et certè propositio temeraria ex dictis ea est quæ in materiis theologicis aliquid asserit sine sufficienti rationis vel auctoritatis fundamento; ast talis propositio non est semper hæretica aut erronea; imò « propositio si sit merè temeraria, inquit de Lugo, dictâ disput. 20 de Fide, sect. 3, n. 97, non negat fidem nec conclusionem theologicam; negat tamen temerè et imprudenter aliquid ad theologicam materiam spectans, et ad doctrinam communem circà res quæ spectant ad pietatem et salutem. » Hìc autem nomine materiæ theologicæ non ea duntaxat intelliguntur quæ sunt in se immediatè revelata, aut cum revelatis necessariò et evidenter connexa; « verùm, inquit auctor *Scrutinii*, cap. 7, art. 5, n. 4, ut aliquid sit materia theologica, sufficit quælibet connexio cum mysteriis fidei, nec non et quælibet de eâ in sacris litteris mentio, vel probabilis ex eis illatio et deductio, per quam non ampliùs consideratur ut ad philosophiam duntaxat spectans, sed ut à Spiritu sancto ad supernaturalem finem intenta. » Hæc enim omnia, inquit card. de Lugo, loco mox laudato, « sunt quasi antemuralia quæ doctrinam fidei muniunt, quibus ablatis, facilior patet aditus ad fidem ipsam, vel alia dogmata fidei proxima oppugnanda; quarè propter connexionem aliquam, licèt non necessariam nec evidentem, quam cum fide habent, exigunt peculiarem reverentiam, ne facilè et temerè contemnantur. » Quin observat ibidem laudatus mox *Scrutinii* auctor, materiam theologicam reflexè dici posse eam, quæ tanquàm materia theologica pertractatur, licèt suî naturâ talis non sit, nec de eâ quidpiam appareat in sacrâ Scripturâ. Quâ in hypothesi potest censuræ theologicæ fieri capax materia hujusmodi non in seipsâ, sed in modo quo propugnatur ac defenditur; adeò ut si asseratur certâ certitudine aut fidei aut theologicâ, etc., vel rejiciatur tanquàm fidei ac theologicæ conclusioni repugnans, modus hujusmodi assertionis aut impugnationis proscribendus veniat, opinione ipsâ, in re non theologicâ, intactâ remanente.

Idipsum docet S. Thomas, Opuscul. 10. Scilicet sanctus doctor, interrogatus à Joanne Vercellensi super articulis 42, eorum resolutioni protestationem præmisit, « quòd plures horum articulorum ad fidei doctrinam non pertinent, sed magis ad philosophorum dogmata. » Subdit deindè, nocere plurimùm placita philosophica, « quæ ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam; » citatque hanc in rem disertum S. Augustini testimonium, lib. 1 de Genes. ad litter. cap. 9, ac demùm concludit his verbis : « Undè mihi videtur tutius esse, ut hæc quæ philosophi communes senserunt, et nostræ fidei non repugnant, neque sic esse asserenda ut dogmata fidei, licèt aliquandò sub nomine philosophorum introducantur, neque sic esse neganda tanquàm fidei contraria, ne sapientibus hujus mundi contemnendi doctrinam fidei occasio præbeatur. »

Insigne nobis subministrat eâ de re exemplum concilium Constantiense, sess. 19, in quâ cùm Hieronymus de Pragâ probabilem quamdam philosophicam opinionem circà universalia temerè notâsset, eamque velut fidei inimicam infamâsset, coactus fuit à Patribus Constantiensibus illam censuram veluti catholicæ religioni summoperè noxiam ejurare his verbis : « Item ego Hieronymus de Pragâ, quia in nonnullis actibus scholasticis ad persuadendam opinionem de universalibus realibus, et quòd una communis generis essentia specificâsset plura ejusdem speciei supposita, et quodlibet eorum, ut Ambrosius, Hieronymus, Augustinus et sic de singulis, et ad hoc inducendum velut exemplo sensibili descripsi quamdam triangularem figuram, quam scutum fidei nominavi, ideò ad excludendum intellectum *erroneum* et *scandalosum*, quem fortassis aliqui ex hoc accipere potuerunt, dico, assero et declaro, quòd dictam figuram non feci, nec eam nominavi *scutum fidei*, eâ intentione, quòd vellem dictam opinionem de universalibus extollere super opinionem contrariam, sic quasi esset *scutum fidei*, quòd sine ejus positione non posset fides aut catholica veritas protegi et defendi; cùm nec dictæ positioni

velim pertinaciter adhærere.... propterea cognoscens veram catholicam Ecclesiam, et apostolicam fidem, anathematizo omnem *hæresim*, præcipuè eam de qua hactenùs infamatus fui. »

Quæres 3°, an nota temeritatis possit sola reperiri in aliquâ propositione, seu an dari possit propositio cui sola competat temeritatis nota. Resp. cum Panormo cap. 7, art. 5, n. 40, difficillimum videri quòd sola temeritatis nota in aliquâ propositione interveniat. « Cùm enim, inquit, propositio temeraria per oppositionem ad receptam Patrum aut theologorum doctrinam constituatur, semper præsupponit motivum aliquod, quo Patres et theologi inducti sint ad illam impugnandam, sive expressè, sive in causâ, quatenùs ex doctrinâ ab iisdem concorditer stabilitâ inferatur ejus rejectio; consequens indè fit, ut aliquâ sit pravitate infecta, ob quam aliquâ aliâ juxtà materiæ qualitatem notanda veniat censurâ ; etsi quandoque manifesta ea non sit, sed inferri queat, vel ex ipsâ unanimi Patrum aut theologorum ipsi contradicentium mente, quæ sicut fundata haberi debet in aliquâ ex fidei vel morum regulis, ità et sufficiens est ad temeritatem ei infigendam, quæ per dictum ad eosdem respectum, proprium censuræ gradum perficit à cæteris quibuscumque sejunctim. »

Quæres 4°, an quælibet propositio temeraria semper in se vitiosa sit ac falsa.

Resp. 1°, semper esse vitiosam; manifestè sequitur ex dictis. Namque propositio quæ novè, insolenter, audacter, absque ullo gravi auctoritatis vel rationis fundamento pronuntiat circà ea quæ fidem, mores et religionem spectant, ea, inquam, propositio procul dubio mala est in se ac intrinsecè ; porrò ex citatis celebriorum theologorum, ac præsertim illustrissimi Bossuetii testimoniis, propositio temeraria est hujusmodi; ergò, etc.

Resp. 2°, propositionem temerariam semper esse falsam; ad hoc enim satis est 1° quòd temeritas sit nota theologica; 2°, quòd nota theologica non cadat nisi in propo itiones falsas. Atqui utrumque constat; primum ex dictis et ex consensu omnium theologorum; alterum verò ex dicendis articulo sequenti, assert. 4 et 5, in quibus demonstrare conabimur propositiones veras, imò nec etiam merè æquivocas, simpliciter et absolutè damnari posse; ergò, etc.

Quæres 5°, an quælibet propositio temeraria ità falsa sit ac vitiosa, ut nusquàm evadere possit sana ac vera. Antequàm respondeam, observa 1°, propositionem duobus modis dici posse temerariam, *positivè* scilicet, et *privativè;* exactam utriusque notionem mox exhibuimus ex Suarez et de Laureâ; 2°, rursùs propositio dici potest temeraria, ut anteà cum auctore *Scrutinii* observavimus, vel ex parte objecti, seu in seipsâ considerata, cùm scilicet nullo in se gravi nititur fundamento, vel ex parte subjecti, seu ex parte proferentis; cùm nempè, etsi fortè sint gravia momenta ad rem affirmandam, ignorantur tamen ab eo qui propositionem profert; 3° tandem, spectari potest propositio aut ratione dicti seu rei quam enuntiat, vel ratione modi quo exprimitur id quod enuntiat propositio.

His præsuppositis, resp. 1°, propositionem temerariam merè *privativè* et ratione subjecti, posse quandoque evadere veram. Ratio est, quia propositio ex parte subjecti merè *privativè* temeraria ea est, quæ sine sufficienti auctoritate vel legitimâ ratione auctori cognitâ profertur ; porrò propositiones hujusmodi possunt esse veræ, si nempè reipsâ in se gravibus nitantur fundamentis; ergò, etc.

Resp. 2°, propositionem *positivè* et in se, seu ratione objecti temerariam, ità esse falsam, ut nusquàm possit evadere vera. Ratio est, quia propositio quæ, ut loquitur doctissimus Bossuet, *novè*, *insolenter* et *audacter*, seu, ut asserit card. de Laureâ, quæ « in materiis theologicis sine fundamento vel auctoritatis vel rationis arbitrariè profertur, » nec est, nec usquàm potest esse vera. Et verò ea propositio nec est nec esse potest vera, quæ nullo in se nititur fundamento; jam verò ex definitione, propositio positivè et in se temeraria nullo, etc.; ergò, etc.

Resp. 3°, propositionem *positivè* temerariam, quandoque posse esse veram ratione dicti, seu præcisè spectando id quod enuntiat; non autem ratione dicti simul et modi. Utraque assertionis pars clarè colligitur ex S. Antonino, Turrecrematâ, Laureâ, Bossuet et aliis anteà citatis : « Temerarium est, inquit S. Antoninus, p. 2 Summæ, tit. 12, cap. 5, asserere tanquàm certum illud quod non potest ratione vel auctoritate probari efficaciter; sicut asserere quòd mundus terminetur post centum vel ducentos annos; quamvis enim hoc possit esse verum, tamen hoc asserere tanquàm certum, est temerarium, quia ad hoc nec auctoritas nec ratio efficax habetur. » Ex quibus patet propositiones hujusmodi, etsi veras quandoque ratione dicti, meritò tamen damnari ratione modi in quo vitiantur.

Cæterùm, quidquid sit de veritate aut falsitate propositionis temerariæ, certè, quod rei caput est, in his quinque conveniunt theologi : 1° notam temeritatis veri nominis esse censuram theologicam; 2° temeritatis notam cadere directè in perversam ac vitiosam propositionis doctrinam, sive sit proprium censuræ objectum, aut tantùm ipsius motivum; 3° unumquemque fidelem, ubi propositiones tanquàm temerariæ ab Ecclesiâ proscriptæ sunt, teneri sincerè et ex animo persuasum habere dictas propositiones noxias esse et meritò proscriptas; 4° unumquemque debere ità animo affectum ac comparatum esse, quamdiù immutatus manet propositionis sensus, quantùmcumque aliundè extrinsecæ mutentur circumstantiæ; 5° tandem, judicia quibus Ecclesia propositiones velut temerarias diffamat, non meras esse disciplinæ leges, quibus earum usus unicè prohibetur ; sed vera ac propriè dicta judicia dogmatica, quibus malus propositionum sensus ac perversa earum doctrina proscribuntur.

Quod autem hic diximus de temeritatis notâ, id proportione servatâ dicendum de aliis omnibus theologicis notis infrà hæresim, de quo consule quæ dicta

sunt, art. 1, parag. 2, et dicenda postmodùm, art. 3 et 5.

Unum penè exciderat quod hìc objici posset adversùs ea quæ diximus circà propositiones temerarias; nempè, propositio temeraria ea est quæ adversatur doctrinæ majoris theologorum partis; atqui manifestum est, et variis exemplis constat propositiones hujusmodi posse in se veras esse ac sanas; ergò, etc. Et verò, ubi agitur de meris opinionibus theologicis, quæ certo tempore videntur singulares et minùs usitatæ, eædem mutatis temporibus possunt evadere vulgares ac pervulgatæ, et tunc desinunt esse temerariæ; ergò, etc.

Resp. negando maj. Ex dictis enim patet propositionem temerariam non eam esse præcisè quæ adversatur sententiæ majoris theologorum partis, sed quæ *novè, insolenter, audacter, nullâ doctorum auctoritate dicitur.* Ità definitur ab illustriss. Bossuet. Vel, ut loquitur card. de Laureâ, ea est, *quâ aliquid sine fundamento auctoritatis vel rationis arbitrariè asseritur;* vel denique, ut ait Suarez, disp. 19, anteà citatâ, ea est, *quæ pugnat contrà receptam Patrum vel scholasticorum sententiam, ità ut omnes vel ferè omnes in illâ conveniant.* Addunt de Lugo et auctor *Scrutinii, paucis ex adverso dissentientibus, levi ductis fundamento.* Porrò videtur extrà controversiam, propositiones quibus competunt prædicti characteres in se malas esse ac vitiosas, atque quemdam pravitatis gradum in seipsis intrinsecè involvere, quò fit ut perpetuò noxiæ sint ac damnandæ, nisi mutetur earum sensus; ergò, etc.

Et certè omnes Joannis Wiclefi et Joan. Hus articuli damnati sunt tanquàm non catholici; constat id ex Bullâ Martini V, tom. 12 Conc. Labb., pag. 269, à concilio Constantiensi approbatâ, in quâ jubet « ut litterati interrogentur utrùm credant..... quòd supradicti quadraginta quinque articuli Joannis Wiclefi, et Joannis Hus triginta non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notoriè hæretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi. » Idem etiam constat ex sessione 15 ejusdem concilii, ibidem pag. 269, in quâ Patres Constantienses configunt vigesimam quintam Joan. Hus propositionem, quâ asserebat iniquum esse et irrationabile dicere, « quòd nullus articulorum Wiclefi sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus. »

Ex his sic licet argumentari : Omnes Joan. Wiclefi et Joan. Hus articuli proscripti sunt tanquàm non catholici; constat id ex citatis textibus concilii; porrò ex iisdem testimoniis patet plures ex iis articulis fuisse temerarios, scandalosos, et aliis notis infrà hæresim confixos; ergò articuli seu propositiones temerariæ, scandalosæ, etc., sunt non catholicæ; quis autem dicere ausit propositiones non catholicas sanas esse, veras et orthodoxas, aut tales evadere posse, immutato manente earumdem sensu? Jam nonnulla dicenda sunt de propositione scandalosâ.

Propositio scandalosa, juxtà communem theologorum sententiam, ea est quæ dat occasionem ruinæ spiritualis, inclinando ad peccata, vel avertendo à virtutum exercitio. Ità Sylvius, de Lugo et alii. Porrò, quod impræsentiarùm summoperè observandum, duplicis generis sunt propositiones scandalosæ; aliæ activè et per se, quæ suî naturâ et ex sese habent generare spiritualem ruinam in proximum; aliæ verò passivè et per accidens, ex quibus proximus per accidens ob propriam fragilitatem, potest desumere occasionem spiritualis ruinæ.

Divisionem hanc proponit, et adductâ ex Angelico doctore scandali notione, dilucidè explicat auctor *Scrutinii* cap. 7, art. 2, n. 5. Hujus auctoris verba hìc exscribere non abs re erit, cùm præsentem materiam plurimùm illustrent. « Notissima est scandali divisio, inquit, in activum et passivum : ut enim docet S. Thomas 2-2, quæst. 43, art. 1 ad 4, dictum vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi, uno modo *per se,* alio modo *per accidens;* per se quidem, quandò aliquis suo malo verbo vel facto intendit alium ad peccandum inducere, vel etiam si hoc ipse non intendat, et ipsum factum est tale quòd de suî ratione habet quod sit inductivum ad peccandum..... per accidens autem aliquod verbum vel factum unius est alteri causa peccandi, quandò etiam præter intentionem operantis, et præter conditionem operis aliquis malè dispositus ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum. » Postmodùm subdit idem auctor : « Juxtà hanc scandali divisionem considerando pariter propositiones ac doctrinas, possunt et istæ *scandalosæ* inscribi *activè* et *passivè;* per scandalosas *activè* sumendo eas, quæ suî naturâ et per se habent generare spiritualem ruinam in proximum; per scandalosas verò *passivè,* eas ex quibus proximus per accidens ob propriam fragilitatem quæ causat scandalum, quod dicitur pusillorum, aut malitiam quæ gignit scandalum Pharisæorum, potest desumere occasionem spiritualis ruinæ. » Advertit ibidem, n. 6, « nonnisi primi generis propositionibus competere dictæ notæ denominationem, in quibus reverà residet pravitas, quæ in *passivè* scandalosis in rigore non exstat. » Rursùs n. 7 : « Ex quo itidem patet, inquit, censuram scandali *propriè* et *per se* non competere nisi propositionibus ac doctrinis spiritualem proximorum ruinam *activè* promoventibus ac inducentibus. » Etsi autem asserat præfatus auctor censuram scandali propriè non cadere nisi in propositiones *activè* et *per se* scandalosas, fatetur tamen propositiones *passivè* duntaxat et *per accidens* scandalosas interdici posse, eorumque usum prohiberi, dummodò id fiat cum debitâ cautione : « Non inficiamur, inquit ibid., n. 10, posse quandoque interdici propositiones et doctrinas ob scandalum merè passivum, dummodò id fiat cum debitâ circumspectione. » Denique ibidem, n. 20, sic concludit : « Ex acriori et imprudenti defensione doctrinæ, quæ aliàs probabilis sit, nulliusque capax censuræ, scandala oriuntur, ad quæ cavenda doctrina ipsa prohibetur, seu veriùs suspenditur ne saltem publicè doceatur, imprimatur, aut disputetur, quin ulla in ipsam in se inspectam censuræ nota resultet. » Eadem prorsùs est illustrissimi Bossuetii circà propositiones scandalosas doctrina, citato cap. 15, lib. 3 Defens. Declarat. cleri Gallic. Ibi asserit

eodem modo de propositionibus scandalosis ac de propositionibus piarum aurium offensivis judicandum esse; addit, *veram pietatem cum veritate et traditione esse conjunctam;* adeòque procul abesse scandali aut offensæ pietatis suspicionem ab eo quod verum est et traditioni conforme.

Atque ex his colligitur, quod posteà fusiùs demonstrabimus, propositiones veras non posse tanquàm scandalosas notari; tùm quia vera pietas, quæ scandalo esse nequit, semper est cum veritate conjuncta, ut mox vidimus ex illustrissimo Bossuet; tùm quia, ut docet citatus *Scrutinii* auctor, censura scandali propriè et per se non competit nisi propositionibus et doctrinis spiritualem proximi ruinam activè et per se promoventibus; at nemo dixerit veritatem activè et per se ruinam proximi inducere; tùm denique quia aliàs, quod vel etiam cogitare nefas, plura Genesis, Cantici canticorum, Epistolarum S. Pauli capita proscribere liceret, cùm iis abusi fuerint impii et hæretici, atque ex iis per accidens et ob propriam malitiam spiritualis ruinæ occasionem sumpserint. Verùm de his alibi data opera.

Neque his adversatur Melchior Canus, qui hìc passìm solet objici. Equidem docet, lib. 12 de Locis Theologicis cap. 11, non solùm falsas, sed aliquandò etiam veras propositiones posse passivè et per accidens nonnullis privatis scandalo et offensioni esse, et tunc Ecclesiam posse earum usum prohibere, atque in refragantes pœnis canonicis animadvertere; at nusquàm asseruit, quod quàm sit absurdum nemo non videt, propositiones exactè veras posse esse ex sese et activè scandalosas. Porrò, ut mox vidimus ex illustrissimo Bossuet et auctore *Scrutinii*, quibus consentiunt de Laureâ, de Lugo et alii : « Censura scandali propriè et per se non competit nisi propositionibus et doctrinis spiritualem proximorum ruinam activè et per se promoventibus ac inducentibus. » Adde quòd in propositionibus scandalosis, quemadmodùm diximus de temerariis, duo sunt spectanda, dictum scilicet, seu id quod enuntiat propositio, et modus seu ratio quâ propositio rem ipsam exprimit. Jam verò fieri potest ut propositio ratione dicti verissima, noxia sit ac vitiosa ratione modi; quatenùs nempè rem verissimam exprimit improbo, incongruenti, inconsiderato prorsùs modo, quique multis scandalo et offensioni esse possit; et tunc nihil obstat quin illa propositio censurâ notari possit, non quidem ratione dicti in quo verissima supponitur ac sana, sed ratione modi in quo intrinsecè vitiosa est ac noxia; undè tunc objectum et motivum censuræ est ipsum intrinsecum propositionis vitium, in quod unicè cadit censura, non ipsa propositionis veritas, seu potiùs id veri quod in ipsâ propositione supponitur.

Egregium habemus eâ de re exemplum apud S. Augustinum, lib. de Dono persever. cap. 22, ubi rejectis simpliciter et absolutè variis circà doctrinam prædestinationis propositionibus, istam circà divinam præscientiam proponit : « Et si qui obeditis, si præsciti estis rejiciendi, obedire cessabitis. » Continuò subdit S. doctor : « Nempè hoc verissìmum est; » addit tamen ibidem, prædictum modum proponendi veram hanc in se præcisè propositionem, improbum esse, incongruentem, inconsideratum, adeòque meritò damnandum : « Ità sanè, inquit S. doctor, sed improbissimum, importunissimum, incongruentissimum; non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis apposito; » id est, eloquio vero ratione dicti, falso autem ratione modi.

Itaque ubi agitur de propositione verâ ratione dicti, vitiosâ autem ratione modi, censuram cadere non in dictum propositionis, sed in ejus modum in quo supponitur vitiosa, inconsiderationem nempè, acerbitatem, etc., in confesso debet esse apud omnes. Ast an eo vitio, non solùm intrinsecè vitiosa reddatur propositio, an insuper simpliciter et absolutè falsa necne; istud est quod à nonnullis in dubium revocari videtur, et quò recidit celebris illa controversia an damnari propositiones simpliciter veræ. Verùm, ut jam dixi, de his alibi ex professo.

§ 7. *De propositionibus schismaticâ et seditiosâ.*

Prædictas propositiones unico duximus comprehendendas titulo, quòd quamdam inter se affinitatem habeant, uti ex dicendis patebit.

Quod spectat ad propositionem schismaticam, 1° cardinalis de Lugo, disput. 20 de Fide sect. 3, n. 103, propositionem schismaticam definit : « quæ sine hæresi promovet schisma, vel illud generare potest, vel ad illud inducere. »

Verùm non omninò videtur accurata prædicta definitio; tùm quia non satis clarè explicat naturam et constitutivum specificum propositionis schismaticæ, tùm quia non exponit ejusdem propositionis schismaticæ ab hæreticâ separabilitatem, præcisamque rationem cur absque hæresi illa consistere valeat.

2° Card. de Laureâ, disput. 16 de Doct. de hæres. susp. art. 2, n. 70 et sequent., schismaticæ propositionis notam in eo consistere existimat, « quòd aliquid insinuet, quod possit in Christianis recessum à papæ obedientiâ ac subjectione moliri. »

Hanc schismaticæ propositionis notionem et ratione et exemplis evincere conatur.

Ratio desumitur ex causâ 24, q. 1, c. 33, *schisma*, ex Pelagio I, Epist. 13, ubi dicitur quòd schisma græcum nomen sit scissuram sonans; et eatenùs doctrina schismatica, inquit, ea esse debet quæ ad dictam censuram viam parat.

Exempla verò deducit ex variis propositionibus damnatis contrà Wiclefum, octavâ videlicet : « Si papa sit malus, non habet auctoritatem suprà fideles. » Nonâ : « Post Urbanum VI nullus recipiendus est in papam, sed vivendum est more Græcorum sub legibus propriis. » Et vigesimâ septimâ contrà Joan. Hus : « Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsâ militanti Ecclesiâ conversetur et conservetur. » Quibus exemplis adductis meritò subjungit eminentissimus auctor eas propositiones hæreticas esse, quatenùs negant romano pontifici, beati Petri Apo-

stolorum principis successori ac Jesu Christi vicario, debitam ab omnibus Christianis obedientiam; schismaticas autem, quatenùs reddunt caput Ecclesiæ odiosum et inutile ad regimen ejus.

Nec etiam ista schismaticæ propositionis notio videtur satis accurata; recurrit enim hìc quod adversùs mox laudatam cardinalis de Lugo definitionem diximus; scilicet præcisam rationem non exponit, undè fiat quòd propositio schistimatica ab hæreticâ separari possit, et absque illâ consistere. Adde quòd, ut mox dicemus ex S. Thomâ, non solùm ii dicendi sunt schismatici « qui subesse renuunt summo pontifici, sed et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. » Non est itaque adæquata propositionis schismaticæ notio adducta ab eminentissimo Laureâ, dùm asserit schismaticam propositionem eam esse quæ « recessum à papæ obedientiâ molitur. »

3° Auctor *Scrutinii*, qui de naturâ et proprietatibus propositionis schismaticæ plenissimè disputat, statim observat, cap. 6, art. 13, n. 3, propositiones schismaticas ab ipsomet schismate longè secernendas esse, licèt per respectum et ordinem ad schisma earumdem natura et quidditas sit dignoscenda.

Schisma autem ex S. Thomâ 2-2, q. 39, art. 1, est voluntaria sui ipsius separatio ab Ecclesiæ unitate: « Ecclesiæ autem unitas, inquit ibidem S. doctor, in duobus attenditur, scilicet connexione membrorum Ecclesiæ ad invicem, seu communicatione, et iterùm in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum caput..... Hoc autem caput est ipse Christus, cujus vices in Ecclesiâ gerit summus pontifex, et ideò schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo pontifici, et qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant. » Et in respons. ad primum, cohærenter ad traditam doctrinam schisma et hæresim distinguenda esse asserit: « Nam hæresis per se opponitur fidei; schisma autem per se opponitur unitati ecclesiasticæ charitatis, et ideò sicut fides et charitas sunt diversæ virtutes, quamvis quicumque caret fide, careat charitate; ità etiam schisma et hæresis sunt diversa vitia, quamvis quicumque est hæreticus sit etiam schismaticus; sed non convertitur; et hoc est quod Hier. dicit in Epist. ad Galat. » Inter schisma et hæresim hoc interesse arbitror, quòd hæresis perversum dogma habet, schisma ab Ecclesiâ separat. Hactenùs doctor Angelicus. Ex quâ S. doctoris doctrinâ colligit Sylvius 2-2, q. 39, art. 1, tribus modis contingere posse schisma: 1° cùm aliquis seipsum à capite separat, etiamsi non expressè à reliquis membris; v. g., qui cum rebellione et pertinaciâ, ut loquitur S. Thomas hìc ad 2, renuit obedire præceptis vel romanæ Ecclesiæ, vel romani pontificis, et judicium ejus subire recusat. Si nimirùm, addit Sylvius, ea rebellio exerceatur circà romanam Ecclesiam aut romanum pontificem ut talem, nolendo illam agnoscere matrem, vel istum patrem, Christique vicarium. « Quod addo, pergit ibidem, quia si quis nolit etiam cum pertinaciâ et contemptu obedire mandato pontificis, jubentis restitutionem aut cessationem à bello, aut quidpiam simile..... non est necesse quòd sit schismaticus, quia cum ejusmodi inobedientiâ stare potest quòd recognoscat pontificem ut superiorem, neque se à membris Ecclesiæ segreget. » Subdit idem Sylvius: « Et similiter absque vitio schismatis fieri potest, quòd quispiam recuset judicium papæ propter ipsius personæ qualitatem, non propter officium quod gerit; ut si personam ejus habeat suspectam, agnoscat tamen ut Christi vicarium, velitque illi subesse quantùm ad definitiones fidei et morum. »

Eadem est Cajetani doctrina quam latè explicat 2-2, q. 39, in respons. ad 2, his verbis: « Adverte diligenter, quòd recusare præceptum vel judicium papæ contingit tripliciter: 1° ex parte rei judicatæ seu præceptæ; 2° ex parte personæ judicantis; 3° ex parte officii ipsius judicis. Si quis enim, pergit, etiam pertinaciter contemnat sententiam papæ, quia scilicet non vult exequi quæ mandavit, puta abstinere à tali bello, restituere talem statum, etc., licèt gravissimè erret, non tamen est ex hoc schismaticus. Contingit namque et sæpè, nolle exequi præcepta superioris, retentâ tamen recognitione ipsius in superiorem. » Addit ibidem: « Si quis verò personam papæ suspectam rationabiliter habet, et propterea immediatum ejus judicium recusat, paratus ad non suspectos judices ab eodem suscipiendos, nec schismatis, nec alterius vitii crimen incurrit..... Cùm quis autem papæ præceptum vel judicium ex parte sui officii recusat, non recognoscens eum ut superiorem, quamvis hoc credat, tunc propriè schismaticus est. » Concludit tandem eminentissimus auctor his verbis, quæ diligenter sunt attendenda: « Inobedientia quantùmcumque pertinax, non constituit schismaticum, nisi sit rebellio ad officium papæ vel Ecclesiæ; ità ut renuat illi subesse, illum recognoscere ut superiorem, » etc.

Ex his patet, in sententiâ Cajetani et Sylvii, 1° ut quis sit schismaticus non requiri ut superioritatem pontificam aut auctoritatem Ecclesiæ neget; jam enim is esset hæreticus; sed requiri et sufficere, « ut cum rebellione et pertinaciâ renuat obedire Ecclesiæ vel papæ ex parte sui officii; » id est, ut loquitur Sylvius, « quantùm ad definitiones fidei et morum; seu quantùm ad ea quæ sunt fidei aut religionis christianæ. » Quæ quidem quatenùs speciatìm respiciunt summum pontificem, vera sunt, suppositis semper conditionibus, de quibus ubi de Ecclesiâ.

2° Inquit ibidem Sylvius: Potest accidere schisma, si quis separet se à membris Ecclesiæ, non autem expressè à capite; ut si quis nolit communicare cum Gallis aut Hispanis quantùm ad ea quæ sunt fidei aut religionis christianæ; dicitur *expressè*, quia, ut observat Sylvius, « is qui tacitè se separat à membris, tacitè vel consequenter separat se etiam à capite, et contrà. » Cùm enim membra et caput sint inter se connexa et subordinata, consequens est ut qui à membris divisus est, etiam sit à capite divisus, et vice versâ. »

3° Accidit schisma quandò receditur à capite et membris; ut cùm is qui separat se à romano pontifice, nolens ei tanquàm capiti subesse, se etiam sepa-

rat à communione eorum qui eum ut verum pontificem sequuntur.

His tribus modis recensitis, quibus contingere potest schisma, sic prosequitur Sylvius : « Non est autem existimandum schisma tunc solùm accidere, quandò aliquis separat se expressâ intentione vel à capite, vel à membris; sed etiam tunc incurritur quandò aliquis mavult voluntatem suam seu opus implere, quàm servare unitatem ecclesiasticam; sicut etiam ille incurrit homicidii reatum, qui etsi non intendat occidere, vult tamen illud opus prosequi undè mors sequi nata est, et de facto sequitur.

Totum istud pressiùs docet illustrissimus Bossuet, citatâ sæpiùs Defens. cleri Gallic. part. 1, lib. 2, cap. 15, ubi censuram ab episcopo Strigoniensi occasione Declarat. an. 1682, clero Gallicano inustam refellens, sic habet : « Schisma separationem sonat; quarè schismatis nomen spontè corruit, ubi nulla separatio est; atqui clerus Gallicanus, neque se à quoquam, neque quemquam à se separat; ergò schismatis nomen, ipsâ nominis significatione statìm vacat. »

Porrò ex assignatâ hùc usque schismatis notione facilè deducitur dari posse schisma absque hæresi, quatenùs, ut mox ex doctore Angelico audivimus, qui se ab Ecclesiæ unitate separat, integram fidem retinere potest, cùm nempè, ut ait loco laudato *Scrutinii* auctor, separatio non ex mentis deceptione, sed ex aliâ quâlibet turpi occasione pravoque quovis motivo initium sumit; quemadmodùm, ut pleraque alia exempla sileam, contigit in Meletio, quem S. Epiphanius, hær. 68, rectæ fidei dixit : « Non est immutata, inquit, fides ipsius in aliquo tempore à sanctâ catholicâ Ecclesiâ; » quamvis tamen indubitanter esset schismaticus, quòd propriam congregationem faciens ab obedientiâ Petri Alexandrini discessisset; ast, pergit idem auctor, non eadem videtur esse facilitas in sejungendis schismaticis propositionibus ab hæreticis.

Quod ut explicet, observat schismaticas propositiones quibus insinuatur recessus ab unitate Ecclesiæ, duobus modis exprimi posse, vel modaliter, vel absolutè.

Modaliter concipiuntur quoties per eas honestum et laudabile supponitur, Ecclesiæ et summo pontifici obedientiam negare, ab eisque sese separare; vel romanum pontificem non esse tenendum fidelium patrem, beati Petri Apostolorum principis successorem ac Jesu Christi vicarium; vel ad minus potestatem in eo non adesse ferendi leges, quibus, positis ponendis, obtemperare debeant fideles. Et hujusmodi propositiones schimatico-hæreticæ inscribendæ sunt, sicuti suprà adductæ Joannis Wiclefi et Joannis Hus propositiones. Absolutè verò exprimuntur quoties per eas Ecclesiæ aut summo pontifici denegatur obedientia, ejusque legibus observantia, absque explicitâ mentione exclusivâ potestatis à Christo ipsis concessæ. Et tunc, inquit idem auctor, multiplici distinctione et maturo examine opus est.

Namque si propositiones illæ, etsi absolutè formatæ æquivaleant modali, quatenùs ingerunt evidens præjudicium exclusæ auctoritatis in Ecclesiâ aut romano pontifice, ut videre est in propositionibus 8 et 9 Wiclefi 12, 13, 20, 24, 27, Joan. Hus; tunc de ipsis discurrendum æquè ac de modalibus, scilicet schismatico-hæreticæ inscribendæ.

Si verò in iis non appareat evidens negatæ auctoritatis præjudicium, adhuc considerari debet, pergit idem Panormo, an ità sint inductivæ inobedientiæ debitæ Christi vicario, ut eluceat eas ortum ducere vel ex pravo intellectûs judicio, vel ex pravâ voluntatis passione, aut saltem si dubium adsit de hujusmodi origine; et juxtà varietatem earumdem resolvendum respectivè erit eas esse schismatico-hæreticas, vel sapientes aut suspectas de hæresi, juxtà ea quæ anteà diximus.

Ex his sequitur, propositionem schismaticam eam esse quæ viam scissioni unitatis ecclesiasticæ aperit, dùm scilicet fideles ab obedientiâ superioribus ecclesiasticis debitâ, ac præcipuè romano pontifici, qui est totius unitatis ecclesiasticæ centrum, removet ac retrahit; vel negando ipsum esse caput Ecclesiæ et Christi vicarium, eique inesse potestatem ferendi leges ecclesiasticas; vel simpliciter ipsi denegando obedientiam ejusque legibus observantiam, absque ullâ prorsùs exclusione auctoritatis ipsi à Christo concessæ; posteriori casu propositio est simpliciter schismatica; prioribus verò propositiones sunt schismatico-hæreticæ, quia et schisma promovent et indubiam hæresim continent. Romanis enim pontificibus, inquit illustrissimus Bossuet, cap. 1, lib. 1 Defens. Declarat. cleri Gallic., ab omnibus Christianis debitam esse obedientiam fide constat, nec de eo ulla inter Catholicos controversia esse potest.

Ad eorum quæ diximus circà propositionem schismaticam coronidem, observanda quæ à theologis tradi solet schismaticorum distinctio.

1° Aliqui pertinaciter negant caput in Ecclesiâ militanti visibile cui ab omnibus Christianis obedientia debita sit, et isti non solùm sunt formales schismatici, sed et formales hæretici, ut constat ex concilio Constantiensi, damnante 41 Wiclefi articulum : *Non est de necessitate salutis credere*, etc., et ex Bullâ Martini V, ab eodem concilio approbatâ.

2° Alii confitentes supremum visibile Ecclesiæ caput, cui omnes ac singuli fideles obedire teneantur, in casibus nihilominùs particularibus debitam obedientiam ei præstare pervicaciter detractant, leges ab eo in bonum Ecclesiæ latas *cum rebellione quàdam et pertinaciter* contemnentes; et hi schismatici quidem in re sunt, ac hostes unitatis ecclesiasticæ, non tamen formales hæretici, quamdiù fidei integritatem servant, confitentes apostolicam Christi vicarii auctoritatem, legitimamque beati Petri in supremo Ecclesiæ regimine successionem.

3° Denique alii romani pontificis primatum, et ipsi jure divino debitam obedientiam confitentur, sed bonâ fide errant in dignoscendâ particulari personâ in quâ auctoritas illa resideat; hique non formaliter, sed materialiter duntaxat schismatici dicendi sunt, quatenùs

nempè nondùm habitâ communi Ecclesiæ acceptatione plenè non constat quinam sit præferendus ex his qui de supremo pontificatu contendunt; Catholicorum aliquibus alterum venerantibus, alterum aliis, ut contigit in magno Occidentis schismate; quo tempore licèt evidens in Ecclesiâ schisma esset, non tamen, saltem antè concilia Pisanum et Constantiense, constabat, quinam dicendi essent formaliter schismatici, cùm certum non esset cuinam absolutè deberetur obedientia, quod necessarium est ut quis censeatur formaliter schismaticus in facie Ecclesiæ; dico *in facie Ecclesiæ*, quia coràm Deo esset formaliter schismaticus, qui aliquem ex dubiis pontificibus, ut certum indubitanter tenens, adhuc obedientiam ei pertinaciter negaret.

Quod spectat ad propositiones seditiosas, iis, cum debitâ proportione accommodari possunt, quæ in schismaticis diximus; solùm inter eas propositiones hìc assignandum discrimen, non aliundè certè desumendum, quàm ex naturâ ipsiusmet seditionis et schismatis: « Seditio autem ex Angelico doctore 2-2, q. 42, art. 2 ad 2, differt à schismate in duobus: Primò quidem, quia schisma opponitur spirituali unitati multitudinis, scilicet unitati Ecclesiasticæ; seditio autem opponitur temporali vel seculari multitudinis unitati, puta civitatis vel regni. Secundò, quia schisma non importat aliquam præparationem ad pugnam corporalem, sed solùm importat dissensionem spiritualem; seditio autem importat præparationem ad pugnam corporalem. »

Ex his facilè patet seditiosæ propositionis quidditas, ipsiusque à schismaticâ discrimen. Utraque tendit ad destructionem unitatis; schismatica pugnat adversùs unitatem ecclesiasticam; seditiosa verò adversùs secularem vel temporalem; illa non importat ex sese nisi solam dissensionem spiritualem; hæc verò dirigitur ad præparandam etiam corporalem pugnam in civitatis vel regni alicujus ruinam.

Igitur definiri potest propositio seditiosa, *ea quæ ab obedientiâ principibus civilibus debitâ retrahit, aut ad tumultus in republicâ excitandos conducit.* Ità de Lugo, de Laureâ, auctor *Scrutinii* et alii; hanc definitionem accuratam esse constat ex notione seditionis à doctore Angelico mox allatâ.

Existimant nonnulli, quibus ex parte accedit de Lugo, propositiones seditiosas, nisi aliundè opponantur doctrinæ fidei, non videri dignas censurâ theologicâ, licèt Ecclesia propositiones hujusmodi meritò prohibere possit.

Verùm, inquit auctor *Scrutinii* cap. 6, art. 13, n. 20, præterquàm quòd prædicta limitatio ad doctrinam fidei magis restricta videatur, quasi censuræ theologicæ propositionibus ad mores spectantibus adaptari non possent; certum est in concilii Constantiensis decretis adversùs Joan. Wiclefi et Joan. Hus articulos, et in pluribus SS. pontificum censuris in quibus propositiones sub variis notis configuntur, certum est, inquam, in his decretis uno et eodem tenore cum aliis notis propriè dictis scandalosæ notam reperiri; quod aperto argumento est hanc esse veram ac propriè dictam theologicam notam. Undè in instructione quæ legitur ad calcem concilii Tridentini, quæque servanda proponitur iis, « qui libris tùm prohibendis, tùm expurgandis, tùm etiam imprimendis diligentem ac fidelem (ut par sit) operam sunt daturi, » de notâ seditiosæ æquè ac de aliis fit mentio, dùm expurgandæ proscribuntur propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ, etc.

Porrò, n. 23, observat idem *Scrutinii* auctor, propositionibus seditiosis jure adaptari posse quæ de scandalosis dicta sunt; scilicet aliæ sunt seditiosæ suâpte naturâ et objectivè, quæ nempè ex sese seditionem promovent; aliæ verò sunt quæ seditiosæ inscribuntur, non ex intrinsecâ ipsarum naturâ, sed ex circumstantiis extrinsecis; id est, vel ex proferentium sediosè se gerentium qualitatibus, vel ab effectibus. Sic Act. 15, v. 1, docentibus quibusdam fratribus de Judæâ descendentibus, *quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysis, non potestis salvari;* mota mox seditio narratur: *Factâ ergò seditione non minimâ Paulo et Barnabæ adversùs illos;* undè doctrina illa potuit seditiosa inscribi, non quòd designaret aut promoveret ex sese seditionem, sed quòd ejus occasione orta reverà seditio fuerit. Addit ibidem Panormo: « quandoque esse posse propositiones quæ attento tenore nullâ essent afficiendæ censurâ theologicâ, et nihilominùs proscribendæ veniunt, seu veriùs suspendendæ, quòd contentiones et seditiones earum prætextu futuræ prævideantur. » Quod autem spectat propositiones quæ suî naturâ seditionem promovent, eas censurâ theologicâ affici posse, tanquàm à veris morum regulis aberrantes, asserit et probat præfatus auctor momentis mox adductis.

Pro completâ schismaticæ et seditiosæ propositionum notitiâ nonnulla supersunt observanda. Primum, propositionem rebellem de quâ quandoque mentio fit in censuris theologicis, in eo differre à schismaticâ propositione, quòd hæc ecclesiasticæ fidelium unitati adversetur, utpotè quæ populos removeat ab obedientiâ suorum pastorum, et præsertìm romani pontificis, cui omnes Christiani jure divino parere tenentur, illa verò adversùs secularem unitatem pugnet, quatenùs ab obedientiâ civilibus principibus debitâ retrahit; in quo præcisè posita est rebellio, juxtà illud 1 Esdræ 4, 19: *Civitas illa diebus antiquis adversùs reges rebellat.* Et 2 cap. 2, 19: *Quæ est hæc res quam facitis? Numquid contrà regem vos rebellatis?* Alterum, non nihil discriminis esse propositionem rebellem inter et seditiosam. Equidem utraque, ut observat doctor Angelicus, *adversatur temporali vel seculari multitudinis unitati;* verùm rebellis semper respicit discordiam et scissuram in ordine ad obedientiam principibus secularibus debitam, quemadmodùm schismatica importat ordinem ad inobedientiam in pastores Ecclesiæ, et præcipuè in romanum pontificem; seditiosa verò in suo conceptu temporalem duntaxat scissuram civium à

concivibus involvit, non spectato inobedientiæ ergà principes motivo. Tertium, eamdem propositionem posse simul esse seditiosam et rebellem, v. g., si promoveret inobedientiam in principes, simul et disponeret ac excitaret ad pugnam corporalem inter unam partem multitudinis et alteram, uti Numer. 26, v. 9, contigisse legimus : *Datan et Abiron, qui surrexerunt contrà Moysen in seditione Core, quandò adversùs Dominum rebellaverunt.* Quartum, eamdem pariter propositionem posse simul esse seditiosam et schismaticam, quoties nimirùm ità promoveretur inobedientia in romanum pontificem, ut pariter excitaretur temporale dissidium inter hæc et illa membra : v. g., si quis diceret posse fideles se à communione fidelium separare ratione obedientiæ quam hi præstant romano pontifici existendi in statu peccati lethalis, etiam ineundo pugnam in ipsos, » propositionem schismaticam proferret, inobedientiam in Christi vicarium promovendo ; et etiam seditiosam, quia excitaret ad pugnam inter unam et alteram multitudinis partem. Quod enim dicit doctor Angelicus, « schisma spirituali unitati multitudinis, scilicet unitati ecclesiasticæ, seditionem autem temporali vel seculari multitudinis unitati civitatis vel regni opponi, » non est intelligendum exclusivè ; ità ut ubi occurrit repugnantia cum spirituali unitate haberi nequeat seditio ; et ubi intervenit scissura temporalis unitatis, interesse non valeat schisma ; sed quòd schisma per repugnantiam et contrarietatem cum spirituali unitate constituatur ; seditio verò per repugnantiam cum temporali ; quæ oppositiones si simul conveniant, et schisma haberi poterit et seditio. Quâ fortè de causâ Card. de Laureâ disput. 16 de Doct. de hæres. susp. art. 2, parag. 3, schismaticas ac seditiosas propositiones tanquàm synonymas recenset. Quintum tandem quòd hìc venit observandum, istud est, nempè propositiones schismaticas non omninò coincidere cum propositionibus illusoriis jurisdictionis ecclesiasticæ. Illusoria propositio ea est, inquit auctor *Scrutinii* c. 6, art. 13, quæ potestatem et auctoritatem Ecclesiæ propriam infringit vel imminuit, in laicas personas sub fucatis præsertim ac artificiosis prætextibus eam transferens, vel ipsis communem efficiens. Tales fuère, teste illustrissimo Bossuet, lib. 7 Variat., assertiones quibus in Anglicano schismate, rex supremum Ecclesiæ caput constitutus est, ipsique plenitudo auctoritatis ecclesiasticæ concessa. Undè, inquit loco citato, n. 24, *Scrutinii* auctor, « omnis propositio illusoria in se est schismatica, sive explicitè et formaliter, sive ut minimùm virtualiter et illativè ; non tamen omnis schismatica est illusoria, quia non omnis inobedientiæ in pastores ecclesiasticos excitatio importat translationem jurisdictionis ecclesiasticæ in laicos, in quâ sita est illusoriæ propositionis quidditas. »

§ 8. *De propositionibus blasphemâ et impiâ.*

1° Propositio blasphema ea est quæ contrà Deum, vel contrà Deiparam, aut sanctos, aut res sacras convicium continet, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos affingendo nævos, aut ipsis desiderando aut imprecando malum aliquod vel carentiam alicujus boni. Sic blasphemus esset is qui videns malos bonis affluere omnibus, Deum injustum diceret. Pressiùs definiri potest juxtà doctrinam doctoris Angelici 2-2, q. 13, art. 1, propositio blasphema, ea quæ convicium et irreverentiam contrà Deum continet; maledictio enim et contumelia in sanctos aut res sacras, nonnisi quia in Deum terminatur, blasphemiæ rationem suscipit. « Sicut Deus, inquit S. doctor, in sanctis suis laudatur, in quantùm laudantur opera, quæ Deus in sanctis efficit; ità et blasphemia quæ fit in sanctos, ex consequenti in Deum redundat. » Et 2-2, q. 76, art. 2, conclusionem hanc statuit : « Creaturis irrationalibus maledicere, ut Dei creaturæ sunt ad rationalem creaturam ordinatæ, blasphemia est; eis autem maledicere ut in seipsis sunt, illicitum est, cùm sit hoc otiosum et vanum. » Propositio autem blasphema, inquit de Lugo, citatâ disput. 28 de fide, sect. 3, n. 100, alia est hæreticalis, altera simplex. Hæreticalis illa dicitur, inquit auctor *Scrutinii* cap. 6, art. 6, quæ hæresim exprimit aut significat, qualis est quælibet blasphemia quâ vel affirmatur de Deo, quod ipsi repugnare, vel negatur aut in dubium revocatur, quod ipsi convenire fide constat; sic, v. g., qui Deum esse omniscium, justum, providum, etc., negaret. Sic prima è quinque famosis propositionibus ab Innocentio X proscriptis : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia; deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant*, blasphemiam hæreticalem continet; scilicet Deum esse injustum legislatorem, qui præcipiat quæ volentibus et conantibus sunt impossibilia; undè tanquàm blasphema et hæretica damnata fuit. Quemadmodum autem blasphemia dicitur hæreticalis si includat hæresim, ità erit erronea si errorem contineat; suspecta et sapiens hæresim, si suspicionem aut saporem hæresis contineat, et sic de aliis censurarum gradibus.

Simplex verò seu non hæreticalis, inquit idem auctor, ea est quæ etsi aliqualem contineat falsitatem quæ sit contrà fidem, non tamen eam expressè et distinctè enuntiat. Varia câ de re exempla profert Panormo loco citato. Porrò propositio hæretica et blasphema hæreticalis specie distinguuntur; licèt enim omnis blasphemia hæreticalis sit hæresis, non ideò tamen omnis hæresis est blasphemia hæreticalis ; sic ista propositio, *Nullum Sacramentum Ecclesiæ imprimit characterem*, est hæretica, quòd directè opponatur definitioni Tridentini concilii, sess. 7, de Sacramentis, can. 7, non tamen est blasphema, sicut hæc alia : *Deus non est misericors dum punit æternis cruciatibus momentaneam delectationem*, quæ est hæreticaliter blasphema.

Ratio à priori distinctionis utriusque propositionis hæc est, quòd scilicet blasphemiæ hæreticalis quidditas ex ratione formali convicii in Deum sit desumenda; hæresis verò ex præcisâ oppositione cum revelatis, quæ formaliter non importat injuriam et convicium, licèt illativè et virtualiter illud contineat.

Monet *Scrutinii* auctor blasphemam propositionem non esse secernendam ab eâ quæ dicitur divinæ pietati derogans. Nempè, inquit, blasphemiæ quidditas in eo sita est, quòd doctrina sic affecta *importet*, ut loquitur S. Thomas, 2-2, q. 13, art. 1, in corp., *quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, et præcipuè divinæ;* propositio ergò blasphema non debet specie distingui ab eâ quæ derogativa est divinæ pietatis.

Nec obstat quòd in censurâ quintæ propositionis Jansenianæ, notæ istæ, blasphema et divinæ pietati derogans enumerentur tanquàm distinctæ notæ. Namque cùm per notam blasphemæ essentialiter exprimatur derogatio in divinam bonitatem, ut mox vidimus ex doctore Angelico, consequens est, ut cùm in hâc Jansenii propositione post blasphemam addatur esse pietati divinæ derogantem, nihil aliud intendatur quàm explicatio derogationis in divinam bonitatem, et hæc ad particulare Dei attributum, pietatem scilicet divinam, applicatur; non novus ergò gradus censuræ denotatur, sed idem ad determinatam materiam adaptatur.

Et verò nota blasphemiæ et derogatio divinæ bonitatis per eam designatæ per accidens omninò se habet, sive impetat divinam justitiam, vel divinam immensitatem, vel etiam pietatem, quæ unà cum cæteris cujuslibet generis attributis sub divinâ bonitate comprehenduntur; ergò diversi illi respectus specificam ac formalem distinctionem inducere non possunt; aliàs propositio derogativa in derogativam divinæ justitiæ, sapientiæ, omnipotentiæ, immensitatis, etc., tanquàm in varias species esset subdividenda, quod patet esse falsum.

2° Quod spectat propositionem impiam, propositio ac doctrina impia, quatenùs proprium censuræ gradum constituit, ea est, inquit Cardinalis de Laureâ, dictâ disput. 16 de Pers. et Doct. de hæres. susp. art. 2, parag. 3, n. 89 et seq., quæ pietatis opera deprimit ac depretiat, debitum scilicet cultum Deo, ut supremo omnium nostrûm patri; honorem parentibus et consanguineis, superioribus et benefactoribus obsequia et debitam gratitudinem aufert aut imminuit. Aptum habemus præ reliquis impiæ doctrinæ exemplum in eâ falsâ Pharisæorum traditione quæ refertur Matth. 15, quâ nempè, ut observat sanctus Thomas 2-2, q. 101, art. 2, Pharisæi *impediebant filios ne parentibus sustentationem exhiberent*; ideòque ibidem à Christo redarguti his verbis : *Quarè et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit : Honora patrem et matrem.... Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri vel matri : Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem aut matrem suam, et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

Ex his patet contrà nonnullos, maximè ex recentioribus, propositionem impiam distingui à blasphemâ præsertim hæreticali. Id constat : 1° ex allata mox utriusque propositionis definitione : 2° ex eo quòd propositio impia non semper involvat hæresim, aut si involvit, illam non respiciat tanquàm suî constitutivam; è contrà verò blasphemia hæreticalis necessariò continet hæresim; 3° blasphemia hæreticalis ad quodlibet divinum attributum sese extendit : vel per negationem ejus quod ipsi competit, vel per ejus affirmationem quod repugnat; impia verò propositio respicit Deum duntaxat sub ratione divinæ paternitatis, ac beneficiorum ex eâ nobis provenientium. Undè etsi quælibet propositio hæretica de divinis attributis formata blasphema sit, spectata sub ratione convicii, per quod affirmatur aliquid ipsi repugnans, vel negatur ipsi competens, non tamen quælibet dici potest propriè impia, sed illa sola quæ debitum Deo supremo omnium patri obsequium imminuit ac lædit in præjudicium divinæ ergà nos paternitatis, de quo conqueritur Dominus Malach. 1, 6 : *Si ergò Pater ego sum, ubi est honor meus?* 4° Dari potest propositio blasphema, quæ specificè impia minimè dici nequit. Sic, v. g., impia non videtur propositio Græcorum negantium processionem Spiritûs sancti à Filio; per eam enim minimè negant Deo debitum obsequium, debitamque gratitudinem ob paternum ergà nos amorem quem habet, et ob beneficia quæ in dies præstat, ut misericors Pater; blasphema nihilominùs est, utpotè cùm neget Filio rationem principii respectu Spiritûs sancti; neget Patri communicare omnia Filio præter esse Patris; neget tandem Spiritui sancto, respicere Patrem et Filium, tanquàm unicum suî principium. 5° Demùm in variis censuris duæ illæ notæ tanquàm re distinctæ recensentur. Sic, 1 et 5, è quinque famosis propositionibus ceu impiæ simul et blasphemæ proscribuntur.

Præter propositionem impiam, quæ est strictè loquendo censura theologica, admittunt nonnulli propositionem non piam, quæ propriè censura theologica non sit, sed eo exprimitur vocabulo, ob repugnantiam quam involvit cum oppositâ, cujus veritas quantumvis minimè revelata, nec certò theologicè illata, nec absolutè et simpliciter ac absque formidine à Catholicis asserta, est tamen ex quodam pietatis instinctu habita ut vera, et proindè dicitur piè credita, quâ pietate minimè gaudens contraria, non pia quodammodo asseri potest, saltem relativè ad illam, quin tamen ullam in eâ impietatem, quæ ad censuram sufficiat, contineri quisquam asserere possit.

Talis est inprimis ista propositio quam tuetur Suarez, tom. 2 in 3 part. disput. 19, sect. 4, nempè, *piè ac probabiliter credi posse B. Virginem in hâc vitâ interdùm elevatam fuisse ad videndum clarè divinam essentiam brevi tempore.* Quam eamdem opinionem propugnant sanctus Antoninus parte 4, titulo 15, cap. 17 parag. 1; sanctus Bernardus, homil. 4 in *Missus est;* Gerso, alphab. 15, titulo 8, et alphab. 88, titulo 9, etc. Negare ergò prædictum B. Virgini privilegium videri potest non pium, cùm illud appareat ex pietate in B. Virginem non ab uno, vel altero, sed à plerisque gravissimis theologis creditum et assertum; attamen sicut nec istud revelatum divinitùs est, nec certitudine theologicâ illatum, nec absque ullâ in oppositum formidine propugnatum; ità nec ullam censuram theo-

logicam meretur propositio contraria, sed solùm dici potest non pia, seu non innixa pietati quæ probabiliter Deiparæ potest exhiberi.

§ 9. *De quibusdam aliis propositionum censuris.*

Hùcusque celebriores propositionum censuras fusiùs prosecuti sumus; jam nonnullæ quæ minùs præcipuæ sunt ac usitatæ, compendiosiùs sunt pertractandæ. Primò, propositio injuriosa seu contumeliosa ea est quæ alicui vel personæ vel statui injuriam infert; dixi *personæ vel statui*, nam si sit in Deum, est blasphema. Ad injuriosam autem revocantur juxtà auctorem *Scrutinii* cap. 7, art. 4, propositio maledica, detractiva et satyrica. Monet ibidem præfatus auctor, non omnes propositiones quæ convicia continent, injuriosas, contumeliosas, satyricas (quatenùs his nominibus censura theologica designatur), esse inscribendas; nisi prædicta convicia *vel injustam honoris vel famæ læsionem involvant; vel aliquo modo bonis moribus et christianæ disciplinæ sint contraria.*

Secundò, propositio captiosa est propositio quæ sub specie quâdam veritatis aut pietatis in errorem inducit, qualis est ista : *Non est impendendus cultus religionis sanctis, sicut Deo.* In censurâ Santarelli versùs an. 1629.

Tertiò, propositio verbo Dei contraria dicitur, quæ opponitur veritati revelatæ quidem, sed nondùm ut tali supremo Ecclesiæ judicio definitæ; usurpata fuit hæc nota primùm à sacrâ facultate Parisiensi, posthàc à clero Gallicano in variis censuris.

Quartò, propositio improbabilis est ea quæ nullo Scripturæ aut traditionis testimonio, aut nullâ theologicâ ratione nititur.

An autem improbabilitas sit species censuræ quæ à temeritate distincta sit, alii affirmant, alii negant, alii denique cum Panormo, quorum sententia magis arridet, contendunt propositionem improbabilem coincidere cum propositione privativè temerariâ, de quâ suprà diximus. Hujus postremæ opinionis veritas, ex utriusque propositionis, improbabilis scilicet et privativè temerariæ definitionibus manifestè patet.

Quintò, propositio falsa à nonnullis dicitur illa quæ est objecto suo dissentiens, sed dissensione fidei nociva.

Paulò aliter propositionem falsam definit auctor *Scrutinii* cap. 7, art. 10, n. 34; asserit nempè eam esse, quæ identitatem, propinquitatem, aut necessariam connexionem dicit cum propositione expressè damnatâ, quæcumque tandem sit censura quâ inuritur dicta propositio; et in hoc differt à notâ erroneitatis quæ necessariam connexionem dicit cum propositione expressè damnatâ ut hæretica. Si prior admittatur definitio, falsitas non erit nota theologica à cæteris specificè distincta; sed, ut advertit Suarez, disput. 19 de Fide, sect. 2, n. 1, falsitas sic sumpta se habet per modum generis respectu omnium propositionum quibus aliqua inuritur censura ; idque colligitur ex notione censuræ quæ generatim definitur : *Nota prava et maligna doctrinam immediatè afficiens.* Si autem altera, quæ est Panormi et aliorum seligatur definitio, jam falsitas non erit nota generica, sed specialis et à cæteris distincta.

De hâc falsitate quæ sit nota theologica hæc habet auctor *Scrutinii* pag. 535, quæ certè sunt annotanda : « Patet autem quod sic sumpta *falsitas*, generica quædam censenda veniat nota, cunctis videlicet illis propositionibus adaptanda, quæ ex damnatis inferuntur et cum ipsis connexionem important, sive damnatæ illæ sint ut hæreticæ, sive ut erroneæ, aut sub alio censuræ gradu..... idque absque præjudicio alterius notæ specificæ, quæ alicui ex ejusmodi connexis propositionibus potest competere, ut patet in propositione oppositâ alteri deductæ ex majori de fide, et alterâ naturaliter notâ, quam erroneam diximus inscribendam. » Et paulò post idem auctor, exponens cur pontifices in propositionum damnatione, quæ aliquandò æquè sunt falsæ, non de omnibus æquè exprimant falsitatem, sic habet : « Quanquàm verò falsa declarari queat aliqua propositio, non indè sequitur quòd semper ea denominatio sit ei tribuenda, quoties ipsius est propositionis capax. Cùm enim finis primarius apostolicæ Sedis in proscribendis pravis assertionibus sit, earumdem pravitatem sufficienter patefacere, ad ipsius assecutionem minimè necessarium est omnes formalitates ejusdem pravitatis expendere ac exponere; sed quandoque una assignatur, quandoque plures ob aliquod rationabile tunc vigens motivum, vi cujus tamen inferri non valeat, *falsam* non esse habendam propositionem, quæ falsa non definitur, quòd possit propositio aliàs cum damnatâ connexa, proscribi ut *hæretica*, *erronea*, etc., absque prædictæ connexionis expressione. » Verùm de falsitate damnatarum propositionum dicemus articulo sequenti.

Nonnulli addunt propositionem damnabilem, quam definiunt, *quæ prohiberi debet, abstrahendo à speciali censuræ notâ quâ affici potest.* Tribus autem de causis, inquiunt, propositio dici potest damnabilis : 1° quoties adest fundamentum ei inurendi aliquam ex suprà recensitis censuris; 2° cùm certam inurit censuram alteri propositioni, quæ licèt sit falsa, non meretur tamen talem censuram; 3°, cùm oppositam propositionem licèt falsam rejicit nimis injuriosè.

Sunt et aliæ quædam notæ diversis in censuris expressæ, ut quòd propositio sit arrogans, aspera, aversa à fide, superstitiosa, etc. Verùm cùm illæ sint minùs usitatæ, et ad suprà recensitas commodè revocari possint, earumque notio nullam fermè patiatur difficultatem, ab ampliori enumeratione et expositione libenter abstinebimus. Non inutile tamen erit nec fortè injucundum, prospectum alphabeticum hìc exhibere omnium fermè censurarum quæ à conciliis, SS. Pontificibus, nec non à theologicis Facultatibus fuerunt usurpatæ. Eas ex auctore *Scrutinii* extrahemus.

1. Abrogata. 2. Acerba. 3. Æquivoca. 4. Ambigua. 5. Amphibologica. 6. Antiquata. 7. Apocrypha. 8. Arrogans. 9. Aspera. 10. Aversiva à fide, à suscipiendâ religione christianâ. 11. Anxia. 12. Blasphema. 13. Captiosa. 14. Contumeliosa. 15. Damnata. 16. Decolorativa candoris Ecclesiæ. 17. Deducta ex censuralibus

18. Denigrativa puritatis fidei. 19. Derogativa pietatis divinæ. 20. Detractiva. 21. Diversiva à susceptâ religione christianâ. 22. Dubia. 23. Erronea. 24. Eversiva regnorum. 25. Falsa. 26. Hæretica. 27. Idololatrica. 28. Illusoria jurisdictioni ecclesiasticæ. 29. Impia. 30. Improbabilis. 31. Imprudens. 32. Infidelis. 33. Infideliter allegans verba sacræ Scripturæ. 34. Insana. 35. Injuriosa. 36. Irreverens. 37. Magica. 38. Maledica. 39. Malè sonans. 40. Minùs probabilis. 41. Miscens sacra prophanis. 42. Nova. 43. Obscura. 44. Offensiva piarum aurium. 45. Periculosa in fide. 46. Periculosa in moribus. 47. Perniciosa. 48. Præsumptuosa. 49. Prava. 50. Proxima hæresi. 51. Rebellis. 52. Restrictiva mentaliter. 53. Sapiens hæresim. 54. Satyrica. 55. Scandalosa. 56. Schismatica. 57. Scrupulosa. 58. Seditiosa. 59. Seductiva. 60. Simulativa sacramentorum. 61. Sortilega. 62. Stulta. 63. Subsannativa religionis christianæ. 64. Superstitiosa. 65. Suspecta de hæresi. 66. Suspensiva gravis resolutionis. 67. Temeraria. 68. Tentativa Dei. 69. Verbo Dei contraria.

Celebriores et magis usitatas harum censurarum species exposuimus; aliarum verò si quo modo potest esse utilis earum notitia, ex solâ vocum interpellatione haberi potest. Satis sit hìc observâsse ex his postremis nonnullas esse quæ vix aut ullatenùs sint in usu; alias verò quæ, ut advertit Lorca, 2-2, q. 11, art. 12, disput. 40, 21, « si rectè attendantur, potiùs continent notam criminis circà mores, quàm notam erroris circà veritatem, et propterea secundùm se non videntur ad judicium et censuram fidei pertinere..... sed utcumque sit, illud est certum, nunquàm has notas considerari separatas à præcedentibus, quæ ad qualitatem falsitatis spectant; semper enim assertio quæ aliquâ ex his censuris digna est, alia simul habet ex parte erroris; et istæ sunt quasi circumstantiæ aggravantes.

ARTICULUS III.

De objecto censuræ theologicæ.

Quæ præsenti articulo et subsequentibus expendenda veniunt, hæc ad tractatum de Ecclesiâ jure pertinent, eaque ibi ex professo evolvemus; verùm cùm hæc eadem exactam ingrediantur censuræ theologicæ notionem, à brevi claràque principiorum expositione hìc abstinere nolumus. Itaque, circà objectum censuræ theologicæ quinque expendemus : 1° an censura theologica cadat in ipsos præcisè propositionis terminos et in ipsa verba quorum usum merè prohibeat; an verò potissimum afficiat sensum atque doctrinam verbis expressam quam damnet ac configat; 2° an damnari possint propositiones quæ in Scripturis verbis expressis aut saltem æquivalentibus reperiuntur; 3° an proscribi possint propositiones quas ad nos usque transmisit veneranda Patrum traditio; 4° an damnari possit propositio vera in sensu proprio et naturali; 5° tandem an propositiones merè æquivocæ, quæque catholicum perindè ac heterodoxum sensum exhibent, simpliciter et absolutè configi possint. Hæc totidem assertionibus obiter absolvemus.

Dico itaque 1° censuram theologicam non cadere in ipsos præcisè propositionis terminos ipsaque verba, quorum usum merè removeat; ast afficere potissimùm propositionum sensum, et doctrinam verbis expressam quam configit ac diffamat.

Probatur 1° ex constanti SS. Patrum doctrinâ, unum aut alterum eorum testimonium hìc laudâsse satis sit. S. Hilarius, lib. 4 de Trinit., n. 14 : « Intelligentia dictorum, inquit, ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. » Et S. Ambrosius, lib. de Fide : « Littera errorem non habet, apices sine crimine sunt, sensus in crimine. » Sensus ergò propositionis verbis ipsis expressus, præcipuum est censuræ theologicæ objectum, quæ proindè doctrinam diffamat, nec in merâ terminorum prohibitione consistit.

Probatur 2° ex ipsâ singularum notarum notione quâ constant eas in sensum et doctrinam cadere. Vide quæ hanc in rem articulo 1 et 2 diximus. Idipsum constanter docent theologi : « Censura theologica, inquit auctor *Scrutinii*, est nota prava et maligna quæ immediatè tribuitur doctrinæ. » Lorca 2-2, q. 11, disput. 40 : « Notissimum est à theologis notari propositiones et dogmata quædam, quæ præter id quòd falsæ sunt, habent aliquid censurâ dignum, eò quòd aliquatenùs sanæ doctrinæ adversantur. » Addit ibid. Lorca : « Id usu sanctæ Inquisitionis, et longè anteà ex praxi concilii Constantiensis, sess. 8, receptum est. » Ripalda, disput. 1 de ente supernaturali, sic habet : « Censura theologica damnat doctrinam... et in falsitate quam supponit notat documentum doctrinæ ad pietatem pertinentis. » Idem tradunt Cajetanus, Salmaticenses et alii suprà citati.

Probatur 3° ex lato discrimine quod intercedit absolutam propositionum damnationem inter et nudam iisdem utendi prohibitionem. Primum, verum est judicium dogmaticum quod perversam propositionis doctrinam diffamat; alterum verò, mera est disciplinæ lex quæ non ipsam propositionis doctrinam respicit, sed illius duntaxat usum prohibet. De quo consule quæ dicta sunt parag. 2 et 3 articuli 1. Dixi in assertione, censuram non cadere in ipsos præcisè terminos, in ipsa præcisè verba : nemini enim dubium quin censura cadat, etsi minùs præcipuè, in ipsa propositionis verba; siquidem, ut habet tritum illud quod ex S. Hieronymo in epist. ad Damasum refert Magister in 4 dist. 13, et communis sententia : *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis.* Undè Apostolus 1 ad Timoth. 6, 20, in personâ Timothei singulos alloquens episcopos, sic habet : *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Et rursùs 2 ad Timoth. cap. 1 : *Formam habe sanorum verborum.*

Dico 2° damnari non debere propositiones verbo ad verbum ex Scripturis expressas. Adeò videtur evidens ista veritas, ut in eâ probandâ diutiùs immorari superfluum foret; hæc quippè reverentia debetur Spiritui sancto, qui Scripturæ propositiones usurpando perpetuum determinavit earum sensum. Rejiciatur ergò venenosa doctrina, at sacrata Dei afflatu verba illæsa maneant. Equidem cùm Novatores certis qui-

busdam Scripturæ vocibus aut propositionibus abutuntur, earum usu, aut absolutè ad tempus, aut nisi quasdam adhibeant modificationes, prout opportunum judicaverit, fideles interdicere potest Ecclesia, ast voces illas simpliciter et absolutè neutiquàm damnat. Sic fervente Arianorum hæresi, nolebat S. Hilarius ea usurpari Scripturæ verba : *Christus natus ex Mariâ Virgine*, nisi simul adderentur et ista : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Sic habet S. doctor, lib. de Synodis n. 70 : « Nemo itaque à nobis unam substantiam negari putet, cujus idcircò ratio ostenditur, ne negetur... Non enim audio : *Christus ex Mariâ natus est*, nisi audiam : *In principio erat Verbum....* Non audiam : *Sitivit*, nisi audiam : *Qui biberit de aquâ quam dedero ei, non sitiet in æternum...* Non audiam : *Christus mortuus est*, nisi audiam : *Resurrexit*. Nihil solitarium ex divinis sacramentis ad suspicionem audientium et ad occasionem blasphemantium proferamus.... Non est una Patris et Filii neganda substantia, sed nec irrationabiliter prædicanda. »

Quod autem diximus de propositionibus totidem verbis ex Scripturis extractis, id, proportione servatâ, dicendum videtur de aliis propositionibus, quas constat omninò synonymis, aut quoad sensum æquivalentibus verbis ex Scripturâ expressas esse. An autem verba illa verè sint synonyma et quoad sensum æquivalentia, penès est Ecclesiam judicare. Dico 3° damnari etiam non debere propositiones seu terminos quos ad nos usque velut tesseram fidei transmisit veneranda Patrum traditio. Promptum esset istud Scripturæ, conciliorum, SS. Patrum testimoniis, multiplicique ratione theologicâ comprobare, nisi res per sese pateret. Satis sit hìc retulisse egregium eà de re S. Agathonis testimonium, quod habetur tom. 6 Concil. pag. 668 : « Sanctorum Patrum testimoniis, inquit sanctus ille Pontifex, in epistolâ ad Leonem imperatorem, tanquàm radiis spiritualibus Ecclesiæ catholicæ atque apostolicæ doctrina illustrata est. » Et rursùs, in eàdem epistolâ, paulò anteà dixerat : « Enimverò ex Patribus orthodoxæ fidei veritas claruit. »

Eximium et illud est S. Athanasii, lib. de Synod. pag. 908, ubi venerandam Patrum auctoritatem eleganter commendat, simul et quæ adversùs eam ex abusu et scandalo hæreticorum opponi solent, nervosè suggillat : « Hic enim dicunt, inquit, vocabula ex substantiâ et consubstantiale sibi non placere, et illas voces quosdam scandalizâsse, et multos conturbâsse... Quòd si Ariani sunt quibus ista offensio nascitur, quid mirum si indignantur iis qui eorum hæresim de medio tollunt? quibus verbo non scandalum sed dolorem afferunt, quoniam in iis trophæum de eorum hæresi statuitur. Desinite igitur istiusmodi causificationibus contrà Patres grunnire; alioquin restat ut etiam cruci Domini obmurmuretis, quoniam ea Judæis scandalum est... Cæterùm, quemadmodùm crux mala non est..., ità quoque Patrum verba mala non sunt, sed utilia iis qui legitimè ea perlegunt, vimque in se continent omnis hæresis extinguendæ, etiamsi Ariani indè rumpantur. » Quibus verbis nihil ad propositum nostrum dici potest expressiùs. His germana sunt illa S. Hilarii, lib. de synodis novæ edit. pag. 1205. Idem disertè astruunt patres concilii XV Toletani, quorum verba referuntur tom. 6. Conc., pag. 1303.

Atque hìnc colliges, voces, *homoousion*, *theotocos*, aliasque similes (idem dicendum de propositionibus) Ecclesiæ usu ac constanti Patrum traditione consecratas, ab omni prorsùs notâ eximi debere.

Dixi (quod observa) constanti Patrum traditione consecratas; neque enim apparens aut etiam vera propositionis ab aliquo recentiore assertæ consonantia cum terminis ac vocibus unius aut alterius è SS. Patribus sufficit ad propositionem ab omni censurâ eximendam. Idipsum constanter tradunt SS. Patres; satis sit hìc unum aut alterum eà de re exscribere testimonium. S. Augustinus, Pelagianos Patrum græcorum, ac præsertìm S. Chrysostomi textibus abutentes, sic revincit, lib. 1 contrà Julianum, cap. 6, n. 22 : « Disputans (Chrysostomus) in Ecclesiâ catholicâ, non se aliter intelligi arbitrabatur; tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondùm litigantibus securiùs loquebatur. » Et n. 23. compellans S. Chrysostomum de cujus auctoritate gloriabatur Julianus, sic ait : « Opus est tuâ maximè sententiâ, quoniam in tuis litteris iste juvenis (Julianus) invenisse se putat, undè tot tantorumque coepiscoporum tuorum se arbitratur percellere et evacuare sententias. Quòd si verè tale aliquid invenisset, et quod ipse sentit, te sentire claruisset, nunquàm te unum, pace tuâ dixerim, tot et talibus præferre in eâ causâ possemus, de quâ nunquàm fides christiana et Ecclesia catholica variavit.

Vincentius Lirinensis, Commonit. 1, declarans quibus conditionibus amplectendæ sint SS. doctorum sententiæ, sic habet : « Eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide et communione catholicâ..... mori feliciter meruerunt. Quibus tamen hâc lege credendum est, ut quidquid vel plures vel omnes, uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam sibi consentiente magistrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur; quidquid verò quamvis ille sanctus et doctus, quamvis episcopus, quamvis confessor et martyr, præter omnes, aut etiam contrà omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas, et communis, publicæ et generalis sententiæ auctoritate secretum, nec cum summo æternæ salutis periculo, juxtà sacrilegam hæreticorum et schrismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis antiquitate dimissâ unius hominis novitium sectemur auctorem. »

Non ergò consensio cum uno aut altero è sanctis Patribus certum est veritatis argumentum, nec ipsa semper sufficit ad propositionem à censurâ vindicandam; ad id requiritur ut consensus ille manifestum sit, frequens, perseverans, omnium vel plurium, « velut quodam consentiente sibi magistrorum concilio firmatus; » quod totum paucis his verbis ibidem complexus est Vincentius Lirinensis : « Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus. »

Et verò, quemadmodùm cap. 11 Commonit. 1, advertit idem Vincentius, moris semper fuit apud hæreticos, auctoritate et involutis nonnullorum SS. Patrum verbis, avulsis è serie operis, et in sensum alienum detortis, suam stabilire doctrinam. Scilicet Patres, inquit S. Hieronymus, lib. 2 Apolog. contrà Ruff. pag. 409 et seq. novæ edit., antè exortas hæreses quandoque minùs cautè loquebantur, et Catholici in Ecclesià catholicâ intelligebantur; verùm hæretici, assumptis verbis, mutato sensu, propositiones in speciem Patrum propositionibus simillimas proferunt; ut ergò confodiatur perversum dogma, Ecclesia propositiones nonnullis Patrum propositionibus quoad verborum texturam æquivalentes damnat, ne Patrum doctrinam amittat. Ità inter cæteros illustrissimus Bossuet, Præfatione in Mandatum pastorale archiepiscopi Cameracensis, sect. 11, pag. 176, ubi sic habet doctissimus præsul : « Il « doit avant toutes choses poser comme un principe « incontestable, que quelque honneur que rende l'Église « aux Saints canonisés, c'est toujours une fausse règle, « qu'on n'oserait condamner ce qu'on trouve dans leurs « écrits..... l'Église, en les canonisant, n'a pas pré- « tendu adopter ni garantir tous leurs sentiments..... « on a condamné dans Baius des expressions expresses « de S. Augustin dont il abusait. » Eas scilicet propositiones in sensus extraneos, atque à mente S. doctoris prorsùs alienos detorquendo, quo fiebat ut propositiones in scriptis S. Augustini verissimæ, mutato naturali earum sensu ex circumstantiis locorum, temporum, personarum, nec non ex antecedentibus et consequentibus in libris Novatorum evaderent falsæ ac censurâ dignæ. Ibidem concludit illustrissimus auctor his verbis : « En ces occasions, on se donne la respectueuse « liberté de préférer aux saints, non pas ses sentiments « particuliers, mais ceux d'autres saints, où la vérité « s'est plus purement conservée. »

Et rursùs in scripto cui titulus : *Écrit de feu M. Bossuet intitulé : Les passages éclaircis contre M. de Cambrai*, sic habet : « Les doctes savent que les Ariens avaient « des passages des siècles précédant le concile de Nicée, « contre la divinité du Fils de Dieu, aussi apparents et « en aussi grand nombre que ceux que l'on nous ob- « jecte. Mais sans s'étonner ni de leurs expressions, ni « de leur sainteté, ni de leur nombre, l'Église a su distin- « guer le fond qui a toujours été constant, d'avec les « expressions qui n'ont pas toujours été également pré- « cautionnées..... Avant les disputes on peut être beau- « coup moins précautionné que depuis qu'elles sont « émues. »

Vera itaque ac omnimoda propositionum consonantia quoad texturam ac seriem verborum, imò etiam quoad sensum, cum propositionibus unius aut alterius è SS. Patribus, non semper obstat quin dictæ propositiones falsæ sint et censurâ dignæ; ut ergò præfata propositionum conformitas certum sit earum veritatis argumentum, easque à censurâ absolvere possit, requiruntur insuper nonnullæ conditiones, quas hìc advertere summoperè necessarium est. Requiritur 1°, ut non in transcursu duntaxat et quasi aliud agendo, aut ex aliorum sententiâ et opinativè tantùm, sed ex professo et datâ operâ, atque assertivè ex propriâ mente ac doctrinâ, rem ipsam pertractârint. Primæ hujusce conditionis necessitas ex sese patet, eamque expressè laudant quicumque de critices regulis egêre. Requiritur 2°, ut certum sit in præsenti materiâ non errâsse Patres illos quorum auctoritate et testimonio firmantur dictæ propositiones. Ista constant ex adductis mox Vincentii Lirinensis et S. Augustini testimoniis. Id etiam colligitur ex Concilio V generali, cujus verba referuntur sess. 5 Concilii Lateranensis sub Martino I, tom. 6 conc. Labb. pag. 271 : « Super his autem, inquiunt Patres, in omnibus sequimur sanctos Patres doctoresque Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, etc....; suscipimus autem et alios sanctos et orthodoxos Patres qui in sanctâ Dei Ecclesiâ rectam fidem irreprehensibilem usque in finem prædicaverunt. Requiritur 3°, ut horumce patrum doctrina laudata fuerit et approbata ab Ecclesiâ, iique constanter habiti ut strenui fidei defensores circà materiam de quâ agitur. Hujus generis fuêre anathematismi S. Cyrilli adversùs Nestorium in concilio Ephesino approbati; dogmatica S. Leonis epistola in concilio Chalcedonensi confirmata; SS. Athanasii, Hilarii, Basilii, utriusque Gregorii, Ambrosii, Augustini opera, in causâ Origenis et trium Capitulorum, à Concilio V generali comprobata. Citrà specialem hanc Ecclesiæ approbationem nullus est, etiam è doctoribus et sanctioribus Ecclesiæ Patribus, qui, pro humanâ conditione, errare non potuerit; nullus de quo cum S. Augustino epist. 82 ad S. Hieronymum, aliàs 19, n. 13, dici non possit ac debeat : « Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errâsse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod contrarium videatur veritati ; nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse, non ambigam. Alios autem ità lego, ut quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideò verum putem, quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. » Hìnc concilium Tridentinum, sess. 4, tradit, non ex unius aut alterius, sed ex unanimi duntaxat SS. Patrum testimonio, certum ac indubitatum erui argumentum ad stabiliendum dogma, aut errorem impugnandum.

Requiritur 4°, ut propositiones aut verba ex Patribus extracta eo ipso intelligantur sensu quo à Patribus usurpata fuerunt. Conditionem hanc exigit S. Hieronymus, lib. 2 Apolog. jam citatæ contrà Ruffinum, pag. 409 et 411 novæ edit., eâque ratione sanctos Patres qui antè Arianorum tempora scripserant, et quorum testimoniis abutebantur Ariani, vindicat S. Doctor : « Fieri enim potest, inquit, ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel à librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel

certè antequàm in Alexandriâ tanquàm dæmonium meridianum Arius nasceretur, innocenter quædam et minùs cautè locuti sint, et quæ non possint perversorum hominum calumniam declinare. »

Requiritur tandem 5°, ut dictarum propositionum sensus ex circumstantiis locorum, temporum, personarum, etc., aut ex antecedentibus et consequentibus immutatus non fuerit : exceptis enim verbis et propositionibus venerandâ Scripturarum auctoritate, aut constanti Patrum traditione consecratis, in quibus Scripturæ et traditionis usus superior est, ac proindè cuilibet alteri in his quæ religionem spectant, prævalere debet; aliæ verba, aliæ propositiones, ut mox dicemus, usu constanti et universali, qui est summa acceptionis terminorum regula, quoad sensum mutari possunt; sicque certæ quædam propositiones à SS. Patribus innoxiè ac catholicè assertæ, postmodùm usu constanti ad parvum sensum deductæ, falsæ evadere possunt ac censurâ dignæ; tuncque ab Ecclesiâ meritò damnantur; in proscribendis enim propositionibus, non ad eum quem olìm sensum habuerint propositiones, attendit Ecclesia, sed ad eum quem hìc et nunc obtinent. Verùm (quod observa) non eadem tunc remanet, ut suprà diximus, propositio formaliter, seu quoad sensum, sed materialiter duntaxat, seu merè quoad ipsos terminos ipsaque verba.

Quòd autem exceptis propositionibus Scripturæ usu aut constanti Patrum traditione consecratis, aliæ quoad sensum mutari possint, universali scilicet usu, atque adeò ex sanis et catholicis evadere possint falsæ et heterodoxæ, constat 1° variis exemplis ex historiâ ecclesiasticâ petitis, quibus patet certas quasdam propositiones variis temporibus diversam sortem tulisse; adeò ut uno tempore approbatæ, altero verò improbatæ ac rejectæ. Satis sit hìc indicâsse voces istas, *homo deifer*, *homo deificatus*, *homo dominicus*, à SS. Athanasio, Gregorio Nazianzeno, Augustino, etc., antè exortam Nestorii hæresim innoxiè ac catholicè non semel usurpatas; jàm verò periculosæ essent et censurâ dignæ, quòd Nestorianum errorem aut involvant, aut non satis excludant. Quin et ipse S. Augustinus voces istas, *homo dominicus*, quibus quandoque usus fuerat, postmodùm in libris Retractationum damnat ac rejicit.

Constat 2° ex sacrâ facultate Parisiensi, quæ an. 1696 quatuor proscripsit propositiones extractas ex lib. cui titulus : *La mystique Cité de Dieu*, etc., in quibus asserebatur Angelos et sanctos beatam Virginem adorâsse : in eo autem præcipuè fundatur dicta censura, quòd licèt adorationis nomen quandoque in Scripturis et nonnullis SS. Patribus usurpetur pro honore creaturis debito, jam tamen ex Ecclesiæ usu terminus ille usurpatur ad significandum supremum cultum soli Deo debitum. En censuræ Parisiensis verba : « Licet adorationis nomen æquivocè sumatur, et aliquando in Scripturis et nonnullis SS. Patribus pro honore creaturis debito usurpetur, tamen cùm ex Ecclesiæ usu terminus ille usurpari debeat ad significandum supremum cultum soli Deo debitum, nec possit sine periculo scandali creaturis communicari; hæ propositiones, quatenùs eodem adorationis termino cultum exprimunt exhibitum vel exhibendum Beatissimæ Virgini, quo ipsi Deo exhibitus ab auctore exprimitur, scandalosæ sunt et in errorem inducentes : quatenùs autem sanctissimam Virginem adoratam ab Angelis statìm ut ipsi creati sunt, et statìm atque ipsa nata est, tùm etiam adoratam in throno Altissimi, respectivè temerariæ sunt et falsæ. » Judice ergò sacrâ Facultate Parisiensi, vox ex sese ad varios sensus indifferens, ad unum præ alio ex Ecclesiæ usu determinari potest.

Constat 3°, quia proprius ac naturalis propositionum sensus plurimùm dependet ex constanti ac generali usu, qui est summa acceptionis terminorum regula, juxtà illud poetæ : *Quem penès arbitrium est, et jus, et norma loquendi;* ergò in his propositionibus quæ nec Scripturæ, nec traditionis auctoritate firmatæ sunt, proprius earum sensus communi ac diuturno usu mutari potest, et ad significandam rem omninò oppositam transferri. Eamdem veritatem tradunt plerique è recentioribus; instar omnium satis sit hìc retulisse testimonium auctoris libri cui titulus : *De la Perpétuité de la foi*, tom. 3, pag. 29, ubi hæc habentur : « A « quoi pense M. Claude quand il a mis au rang de ses « principales preuves contre la présence réelle, la re- « marque qu'il fait que les Pères nous disent que ce « sont des types, des images, des figures?... Car comme « il y a de ces mots que l'hérésie des Sacramentaires « a rendus odieux, c'est une espèce d'infidélité de « rendre un mot qui n'était point odieux du temps « des Pères, et qui excitait l'idée entière de tout ce qui « est contenu dans ce mystère, par un mot qui n'ayant « que le même sens selon le son, n'est plus le même « selon le sens. » Immutatis ergò ipsis propositionis terminis, mutari potest pro diversitate circumstantiarum ipsius sensus.

Ex dictis itaque patet prætensam propositionum consonantiam quoad verba, imò quoad sensum, cum propositionibus unius aut alterius è SS. Patribus, non posse semper eam à censurâ eximere.

Dico 4° nullatenùs posse damnari propositionem in sensu proprio et naturali veram, nec ullo affectam vitio intrinseco.

Antequàm probetur assertio, observa 1° terminorum ac propositionum sensum ex triplici potissimùm capite colligi : 1° ex usu constanti et universali; ipse enim, ut mox diximus, summa est acceptionis terminorum regula; 2° ex antecedentibus et consequentibus; namque licèt termini frequenti usu ad certam significationem determinentur, attamen dùm sibi adhærent varias patiuntur notiones, diversosque sensus exhibere possint; ad unum autem præ cæteris determinantur per antecedentia et consequentia; 3° ex intentione auctoris notâ et constanti; etenim termini ità ab usu dependent, ut tamen liberæ auctoris acceptioni subjici possint; undè fit, ut tradit S. Ambrosius, Epist. 48, « quòd sermonem dubium mens non dubia obumbret et defendat à lapsu. » Et ut habetur cap. *Intelligentia*, extra. de verborum significatione : « Verba

sunt intelligenda, non secundùm quod sonant, sed secundùm mentem proferentis. »

Observa 2°, ex his sequi duplicem posse distingui propositionis cujuslibet sensum; grammaticalem nempè seu rigorosum, et proprium, id est, naturalem. Sensus grammaticalis seu rigorosus, quem nonnulli absolutum appellant, repetitur ex terminis in se sumptis, abstrahendo à quolibet alio respectu; et hic sensus à proprio et naturali non raró planè diversus est; sensus proprius et naturalis, quique dicitur relativus et obvius, deducitur ex tribus mox recensitis, scilicet: 1° ex valore, seu vi et significatione terminorum communi et ordinario usu determinatâ; 2° ex antecedentibus et consequentibus; 3° ex notâ ac manifestâ auctoris intentione, seu, quod idem est, sensus proprius et naturalis verborum dijudicatur ex circumstantiis loci, temporis, causæ, antecedentium et consequentium, atque scopi quem auctor sibi proponit, dùm hæc verba usurpat.

Observa 3°, in propositionibus modalibus duo sedulò esse distinguenda, dictum scilicet, et modum; dictum, est id quod enuntiat propositio; modus autem est ipsa ratio seu modus quo aliquid enuntiatur, porrò, ut anteà advertimus ubi de propositione temerariâ, fieri potest ut propositio vera ratione dicti, falsa sit ac vitiosa ratione modi ac proindè censuræ obnoxia.

His præmissis probatur 1° assertio ex constanti ac perpetuo Ecclesiæ usu, quo manifestè patet propositiones in sensu obvio, proprio et naturali veras ac sanas nusquàm proscriptas fuisse, etsi iis abuterentur Novatores; undè S. Aug., lib. 2 de lib. Arb., cap. 16: « Manifestum est, inquit, non rem ullam, cùm eâ quisque malè utitur, sed ipsum malè utentem esse arguendum. » Et Serm. 50, aliàs de diversis 15 : « Dementia est, crimen malè utentium, in res ipsas transferre. » Quòd si tamen Novatorum abusus eò usque procederet, ut tandem perverteretur propositionum sensus (quod nusquàm posse contingere in propositionibus Scripturæ aut traditionis usu consecratis, suprà diximus) equidem possent damnari prædictæ propositiones; verùm tunc essent equidem eædem materialiter, sed formaliter diversæ.

2° Idem probatur ex egregiis illis ac magnificis verbis quibus SS. Patres, præsertìm verò sanctus Augustinus honorem, obsequium, reverentiam, aliaque officia veritati debita prosequuntur : « Quisquis bonus, verusque Christianus est, inquit S. doctor, lib. 2 de Doctrinâ christ., cap. 18, dominii sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem. » Et in Epist. ad Galat., n. 4 : « Veritas propter seipsam diligenda est, non propter hominem. » Rursùs, ibid. n. 6 : Quidquid veritatis invenitur in homine, non est ab homine, sed à Deo. » Et lib. de Mendac., cap 7 : « Aut si est bonum aliquod æternum quod non complectatur veritas, non erit verum; et ideò nec bonum erit, quia falsum erit. Ut autem animus corpori, ità etiam veritas ipsi animo præponenda est, ut eam non solùm magis quàm corpus, sed etiam magis quàm se ipsum appetat animus. » Ast quâ ratione hæc stare possent, si propositio in sensu obvio, proprio et naturali vera ac sana, proscribi posset ac diffamari?

3° Idem colligitur ex communi theologorum doctrinâ. Suarez, disput. 19 de Fide, sect. 2, n. 1 : « Damnabilis propositio, inquit, in theologiâ dicitur, quæ non solùm falsa est in latitudine humanæ opinionis, sed etiam aliquâ speciali censurâ..... digna est. Nam propositio vera, ut per se notum est, non potest esse damnabilis; omnis ergò propositio damnabilis falsa esse supponitur, et aliquid additur ultrà communem gradum falsitatis; nam idcircò specialiter damnabilis esse dicitur. Auctor *Scrutinii*, cap. 7, art. 10, n. 18, sic habet : « Discrimen est inter propositionem damnatam, et prohibitam, quòd hæc possit esse vera, licèt sit vetitum illam propugnare ob aliquam rationabilem causam, non autem illa, cujus falsitas ex ipsâmet damnatione absque aliâ expressione innotescit. » Et paulò post : « Damnatio pronuntiat falsitatem doctrinæ nocivam fidei..., quæ nullo tempore in Ecclesiâ admitti debet. » Rursùs, ibid., n. 27, loquens de propositionibus Baii, sic habet : « Eò ipso quòd unaquæque earum damnetur simul ac prohibeatur, non damnatio, quæ per se falsitatem supponit..., ex prohibitione limitari debet, quæ indifferenter adaptari valet ad propositiones, quæ omninò ut falsæ, et quæ interdicuntur, ut sub aliquo præponderanti sensu falsæ, esto sub aliquo possint sanè interpretari ac intelligi; sed è contrà prohibitio ex damnatione debet indifferentiæ determinationem desumere. Steyaert, disquisit. brevi quæ reperitur inter Opuscula, tom. 1, pag. 179, quærit « an propositiones damnatæ à summis pontificibus in Luthero, vel Baio, item Molinos, aliisque..., possint non obstante hâc damnatione adhuc esse veræ. » Respondet negativè, idque multis probat; demùm concludit, « maximi periculi futurum esse, si invaluerit hæc opinio, posse propositionum veritatem consistere cum damnatione supradictâ; non enim agitur de raris quibusdam, et fortè non magnoperè perniciosis; de omnibus idem est quantùm ad censuram pontificùm attinet. Cùm enim hæc non determinet, quænam sit ex omnibus hæretica, quænam erronea, quænam tantùm scandalosa, temeraria, aut piarum aurium offensiva, liberum est (quantùm est ex vi istius censuræ) de quâlibet in particulari credere, tantùm esse scandalosam, temerariam, etc. » atque ità, si credatur simul talis censura non excludere veritatem, de quâlibet credere licebit veram esse, neque ex ullâ licebit in theologiâ argumentari ad veritatem aliquam catholicam astruendam, vel falsitatem convincendam. Argumentum frivolum erit quod sic instituatur contrà thesim aliquam. Ex thesi istâ sequeretur veritas talis propositionis Lutheranæ, Baianæ, vel Molinosisticæ; ergò thesis non est vera. Idemque, ut ostensum fuit, usu veniet propositionibus moralibus condemnatis. Quæ omnia quantæ perniciei futura sint in scholâ catholicâ, imò Ecclesiâ, nemo cordatus non videt, imò horret. » Hæc Steyaert, quibus eruditus ille theologus non solùm docet, sed et invictè probat absurdum esse simul et summè perni-

ciosum asserere, damnari posse propositiones exactè veras. Du Pin, in opere cui titulus : *Traité de la doctrine chrétienne*, lib. 1, cap. 22, pag. 711, expressè asserit : « Toutes les notes supposent la fausseté de la proposition censurée... La fausseté des propositions contraires à la religion est assez désignée par les autres « qualifications qui supposent la fausseté. »

Denique, ut cæteros sileam, idem sæpiùs variis in locis inculcat illustrissimus Bossuet, præsertìm verò citatâ Defens. cleri Gallic. part. 1, lib. 3, cap. 13, ubi disertè docet notas etiam *temerarii, malè sonantis, piarum aurium offensivi, etc.*, non posse cum veritate consistere ; quia scilicet, inquit, vera pietas cum veritate et traditione conjuncta est ; ac proindè procul abest scandali aut offensæ pietatis suspicio, ab eà doctrinà quæ vera est ac traditioni conformis.

4° Ut indicat Steyaert loco mox laudato, eodem modo ratiocinandum de veritate in ordine ad censuram, ac de falsitate in ordine ad approbationem : atqui nullo in casu, nullâ de causâ falsitatem laudare ac approbare licet; ergò pariter nullâ de causâ licitum est veritatem diffamare ac notâ configere, quantumcumque gravis sit ac immanis novatorum abusus.

5° Ut ibidem affirmat idem Steyaert, « nemo non videt quanti periculi sit futurum, si semel invaluerit hæc opinio. » Varia sequerentur incommoda ; satis sit istud, quod sanè gravissimum est, retulisse. Sequeretur nempè pro diversitate temporum varias ac contradictorias condi posse definitiones; nimirùm certo tempore approbaretur propositio, quæ postmodùm, immutato ejus sensu, ob abusus aliaque vitia merè intrinseca notaretur, diffamaretur ; at istud quàm sit absurdum nemo non intelligit, quo semel posito infirmum omninò redderetur ac nullius planè roboris invictum istud illustrissimi Bossuetii adversùs Lutheranos et Calvinistas argumentum, ex variis eorum ac pugnantibus inter se fidei definitionibus deductum.

6° Natura, objectum et finis censuræ theologicæ apertè demonstrant, propositiones in sensu proprio et naturali exactè veras non posse censurâ configi. Natura censuræ. Siquidem ex dictis et probatis articulo 1, et alibi passìm, censura theologica, est *nota inusta malæ doctrinæ quæ sit aliquo modo fidei nociva ;* non ergò cadere potest in propositiones exactè veras. Idem demonstrant quæ diximus de singulis sigillatìm notis. Objectum censuræ. Namque censuræ theologicæ objectum est propositionis sensus ; igitur notatâ propositione verâ, veritas notaretur, diffamaretur, damnaretur ; ast quis usquàm ità desipuerit ut asserat, veritatem, quæ à Deo est, et in Deum ordinatur, notari posse, diffamari, damnari ? Finis tandem censuræ. Censura etenim essentialiter ordinatur ad depositum fidei custodiendum, ad tuendam veritatem, confodiendum errorem ; verbo dicam, eò unicè tendit censura, ut vincatur error, triumphet veritas, seu, quod idem est, ut veritas errori prævaleat ; quâ porrò ratione finem illum posset assequi censura, si vera ac sana perstringeretur propositio ?

7° Tandem idem demonstrat judicii quo theologica fertur censura, à merâ terminorum prohibitione, discrepantia, in eo scilicet præcipuè posita, ut mox ex Panormo advertimus, quòd illa, non ista, falsitatem per se supponat, undè res etiam optimæ quandoque ad tempus prohiberi, nusquàm autem absolutè damnari possunt.

Nec à nostrâ, nisi voce tenùs, differunt sententiâ quidam theologi, qui propositionem veram damnationi videntur subjicere. Scilicet eorum nonnulli, ut Vasquesius, loquuntur de propositione quæ dùm veritatem exprimeret, acerbiùs contrariam opinionem damnaret. Sit in exemplum hæc propositio, quam in medium adducit ipsemet Vasquesius : semipelagianum est dicere Christum mortuum esse pro omnibus hominibus. Etsi enim verum esset Christum mortuum non esse pro omnibus hominibus, nihilominùs tamen injustè ut hæresis traduceretur contraria opinio ; igitur cùm acerbior hæc nota propositionem ingrediatur, et ad illius sensum pertineat, eam inter falsas recensere cogit, legitimumque præbet censuræ fundamentum. Cæterùm, tantùm abest ut nobis adversetur Vasquez, quin potiùs nostræ sententiæ omninò favet ; expressè enim docet 2-2, disput. 190, « non licere asserere sententias communes et veras à pontificibus fuisse damnatas. » Eâdem ratione solvi debet quod ex card. Toleto à nonnullis objici solet ; asserit enim ibidem Vasquez, « sensum hujus damnationis cum cardinali Toleto contulisse..... eumque sensum prædictum cardinalem probâsse. »

Alii, ut Gersonius, agunt de propositione apparenter et in grammaticali verborum sensu duntaxat verâ, cùm tamen falsa sit in proprio et naturali sensu, dùm attenditur ad certam auctoris intentionem, ad antecedentia et consequentia, etc. Sic ista Wiclefi propositio : Ecclesia una est, sicut unus est prædestinatorum cœtus ; hæc quippè vera est si solis inhæreamus terminis, qui unicè similitudinem et comparationem exprimunt ; ast habitâ ratione illius defensorum prorsùs hæretica est, cùm Ecclesiam ex solis prædestinatis constare velint. Cæteri, ut Canus, contendunt quasdam propositiones in se veras sed duriùs expressas, idiotis et simplicibus quandoque scandalum afferre, ac proindè legitimè posse damnari. Verùm minùs appositè ad sua principia loquitur Canus ; vult enim ad censuram infligendam ut habeatur ratio aurium peritarum et prudentium ; notam autem talibus propositionibus inuri posse concedit eo quòd infirmis et idiotis scandalum præbeant. Igitur veritas illæsa semper manere debet ; ast, ipsâ in tuto, legitimè carpitur imprudentia proferentis propositionem incongruè, odiosè, et duriùs expressam.

Adde Canum equidem contendere quasdam propositiones in se veras posse scandalum parere : « Ipsa veritas, inquit Melchior Canus, lib. 12 de Locis Theol. cap. 11, quandoque affert scandalum idiotis et simplicibus ; at nullibi asserit auctor ille propositiones hujusmodi posse judicio dogmatico damnari ; ut enim tali judicio notari possent, necessum foret ipsas per se et ex naturâ suâ scandalum creare ; porrò, ut mox ex illustrissimo Bossuet vidimus, et ex sese patet

veritas, per se scandalum parere nequit, et verò, ut ratiocinatur Steyaert, loco mox citato, « veritas nusquàm scandalosa et in praxi perniciosa erit (ex sese), nisi cùm falsitas è contrà in praxi salutaris, et, ut ità dicam, ædificativa fuerit. »

Quæres an propositiones merè æquivocæ damnari possint. Resp. 1°, cum Suarez, propositiones impropriè æquivocas, quòd scilicet proprius, qui solùm est attendendus, earum sensus pravus apertè sit, licèt improprius sanus sit, meritò damnari posse. Accommodatum habemus de hâc propositione exemplum : *Christus quotidiè peccat*, quam, uti suprà advertimus, concilium Basileense, sess. 22, ut erroneam damnat quia in proprio sensu falsa est, et solùm in metaphorico vera, intelligendo Christum non in se, sed in suis membris quotidiè peccare.

Resp. 2°, cum Panormo, cap. 7 *Scrutinii*, art. 2, n. 9, propositiones æquivocas, quæ duplicem involvunt sensum, quorum quilibet ità sit proprius, ut neuter alteri sit præferendus, et quidem nedùm in seipsis spectatis, sed etiam attento earumdem usu, ac etiam omnibus consideratis circumstantiis, respondeo, inquam, hujusmodi propositiones non esse in rigore damnandas, nisi ex proferentium, vel operum, aut librorum in quibus exstant, qualitatibus, innotescat eas in pravo sensu prolatas aut scriptas. Idipsum manifestè indicat censuræ theologicæ notio, quæ nonnisi in pravum doctrinæ sensum cadere potest.

Resp. 3°, cum eodem Panormo, censurâ theologicâ notari posse propositiones æquivocas, quæ etsi propriè capaces sint utriusque sensus, sani et pravi, attamen sensum pravum prævalentem involvunt; sive quòd verba earumdem majori cum proprietate exprimant sensum pravum quàm sanum, sive ob extrinsecas circumstantias, præcisâ proferentium conditione, ut patet in propositione : *Unus de Trinitate est crucifixus*.

ARTICULUS IV.

De modo ferendi censuras theologicas.

Triplici modo damnari possunt dogmaticæ propositiones. Primus est cùm propositiones sigillatìm referuntur, iisque singulis debita apponitur censura. Plura exstant hujusmodi damnationis exempla, in conciliis, decretis summorum Pontificum, actis cleri Gallicani, etc. Sufficiat Bulla adversùs quinque Jansenii propositiones, ab Innocentio X lata; hâc enim seorsìm notæ inuruntur singulis propositionibus. Porrò hic modus propositiones damnandi, est sanè clarior, sed et difficilior; operosa enim est discussio et determinatio gradûs erroris quem quælibet meretur propositio. Secundus modus censuram ferendi theologicam, est cùm, nullâ relatâ propositione, integer damnatur liber ut venenosus, atque Christianis nocivus. Ità synodus Nicæna librum Arii, qui inscribitur *Thalia*, prohibuit.

Tertius modus, inter duos præcedentes medius, propositiones quidem sigillatìm refert, ast notas singulis non applicat, sed in unum congestas, propositionibus *respectivè* convenire asserit. Hic modus multoties usurpatus fuit in Ecclesiâ; sic in concilio V generali errores Origenis, Nestorianorum et Eutychianorum; propositiones Abælardi in Suessionensi synodo, in Rhemensi Gilberti dogmata, in Constantiensi concilio Wiclefi et Joannis Hus sententiæ *in globo* et respectivè proscribuntur; sic etiam variæ propositiones à summis pontificibus *in globo* damnatæ in Luthero, Baio, Molinos., etc., eadem propositiones generatìm configendi ratio à Clero Gallicano, et sacrâ Facultate Parisiensi passìm observata fuit. Hic modus propositiones profligandi eò frequentior est, quò facilior, dùm scopum damnationis attingit; vult enim Ecclesia notando propositiones, fideles avertere à venenosis fontibus undè possint virus incautè propinare; ast dùm in globo et respectivè damnantur propositiones, certò novit quisque fidelis eas esse perniciosas, fidei aliquo modo nocivas, quod sufficit ut eas aversetur, nec ullam ex iis admittat.

Idipsum præsules Gallicani in suâ ad regem epistolâ an. 1728, luculenter docent his verbis : « La censure « générale (*in globo*) n'est ni vague, ni ambiguë, ni « équivoque... Ce jugement est clair jusqu'à un cer- « tain degré; il apprend clairement... et il assure les « fidèles que les propositions condamnées sont dange- « reuses dans la foi, qu'elles renferment quelque venin, « qu'elles s'écartent en quelque chose de la vérité ca- « tholique... Cette lumière est suffisante pour le chré- « tien qui est docile. » Nihil certè expressius. Hanc in rem adducunt iidem præsules disertum doctissimi Bossuetii textum lib. 15 Variat. n. 158, idque rursùs confirmant egregio S. Augustini testimonio lib. de hæresib. cap. 88 : « Quid contrà ista sentiat Ecclesia catholica... superfluò quæritur. Cùm propter hoc scire sufficiat Ecclesiam contrà ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere... multùm adjuvat cor fidele, nôsse quid credendum non sit. »

Particula autem, *respectivè*, quæ reperitur in decretis in quibus propositiones in globo damnantur, duo significat. Primùm, nullam esse notam ex assignatis quæ non alicui saltem competat propositioni; est enim Spiritus qui dogmaticis Ecclesiæ judiciis præest, est, inquam, Spiritus, et prudentiæ, quæ pœnam non infligit vanam et inanem; et justitiæ, quæ modum pœnæ nec minuere nec excedere debet. Secundum, nullam esse ex propositionibus quæ aliquam non mereatur notam, quia idem Spiritus veritatem tuetur, nec immunem ab omni labe propositionem cum reis, fœdis et perniciosis miscere potest aut sinit. Hæc duo certa manent vi decreti dogmatici; hæc duo definit Ecclesia tali decreto; hæc duo quisque firmiter tenere debet. Tertium autem, nempè quæ nota singulis competat propositionibus, obscurum est, sed nec absolutè requisitum ut sana servetur doctrina, perversaque vitetur.

ARTICULUS V.

De auctoritate necessariâ ad ferendam censuram theologicam.

Duplex distingui potest et debet sententia theolo-

gicam ferens censuram, una quæ doctrinalis dicitur, et est eorum qui licèt nullâ fruantur auctoritate cœlitùs sibi commissâ ad servandam fidei integritatem, nihilominùs tamen varias notant propositiones, quarum virus discernunt eò faciliùs, quò peritiores habentur et sunt. Talis sententia doctrinalis à doctoribus theologis profertur; elucet autem maximè in censuris à sacris Facultatibus latis, cùm emanet è cœtu peritorum mutuo sibi lumine mutuâque prudentiâ faventium.

Altera, quæ propositionibus theologicas inurit notas sententia, judicialis appellatur; ipsius auctores episcopi, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, et dedit fidelibus pastores et doctores, ut non circumferantur omni vento doctrinæ; undè ipsis pro munere competit depositum fidei servare, veritatem tueri, errores profligare.

Censuras autem theologicas pro jure suo ferunt episcopi, sive in conciliis, sive extrà concilium, sive conjunctìm, sive divisìm, et unusquisque in suâ diœcesi; at infallibilis non est eorum sententia, nisi emanet à corpore episcoporum congregato aut disperso; quia soli præsulum collegio promissa legitur Spiritûs veritatis assistentia; verùm hæc aliàs, dùm scilicet tractatum de Ecclesiâ aggrediemur. Supersunt adhuc quædam gravissimæ difficultates elucidandæ circà naturam, objectum et proprietates censurarum theologicarum; præsertìm si illæ ferantur *in globo*, aut notas inurant hæresi inferiores; verùm ad talium solutionem nodorum principia passìm in iis quæ diximus, et maximè paragraphis 2 et 10 articuli primi occurrunt; cætera ex tractatu de Ecclesiâ repetenda venient. Hìc quippè datâ operâ, cogente scilicet quæstionum ordine, quæ tenenda sunt trademus.

Cæterùm hìc annotare liceat, fusiores nos ultrà propositum fuisse non vanâ scribendi prurigine, sed quòd brevitatem utilitati cedere decebat; etenim non sola quædam, eaque jejuna, ad interrogationes responsa candidatis offerre animus erat, sed quæ per totum vitæ curriculum, et animos jucundo occupare possent studio, et Ecclesiæ ministros ad alios erudiendos idoneos efficere.

Si quid autem incautis nobis et imprudentibus fortè excidit Ecclesiæ doctrinæ minùs congruens, istud pro non dicto et revocatum libentissimè habemus.

INDEX.

TOMI PRIMI ET PROLEGOMENON FINIS.



MIGNE, J.P. BQT
Theologiae cursus 507
completus. .M5
v. 1.

